
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
12 — M
26
ROMA



DISPVTATIONVM

THEOLOGICARVM

Tomus quartus

DE INCARNATIONE, ET DE SACRAMENTIS.

Ad tertiam partem D. Thomæ

AVCTORE P. IOANNE MARTINON SOCIETATIS IESV.

In Collegio Burdegalensi Sacræ Theologiæ Professore.

BVRDEGALAE *Apud Guillelmum Millangium Typographum Regium Anno.*

Rousselet sculpsit

Digitized by Google

DISPVTATIONES THEOLOGICAE, QVIBVS VNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA CLARE, BREVITER, ET ACCVRATE EXPLICATVR.

AVCTORE REVERENDO PATRE

IOANNE MARTINON SOCIETATIS IESV, IN COLLEGIO Burdegalensi Sacræ Theologiæ Professore.

TOMVS QVARTVS

DE

INCARNATIONE

ET DE

SACRAMENTIS.

BVRDEGALÆ,

Apud GVILLELMVM MILLANGIVM Regis & Academiæ Typographum.

Anno M.DC.XLV. *Cum Priuilegio REGIS, & Approbatione Doctorum.*



ILLVSTRISSIMO DOMINO, D. PETRO SEGVIER, FRANCIÆ CANCELLARIO.

OLVMEN Theologiæ meæ alterum, vt exit è prælo secundum, doctrinæ ordine quartum, argumenti dignitate præcipuum, tibi sisto, offeroque, CANCELLARIE GALLIARVM ILLVSTRISSIME: nec illud iam Principis annulo & authoritate consignandum; sed quod tui imprimis claritate nominis illustratum velis, & singulari tua eruditione commendes. Quod vt ego à te petere audeam, tu concedere velis, multa planè sunt quæ nos mutuò inuitant: plura, nisi ego vltrò id facerem, quæ me cogere possint. Nec enim ante omnia dubitare debeo, quin tu istud nomini tuo dicatum, benigno sinu excepturus sis, qui alterum, quod tuo à me iure, tanquam tibi debitum, repetebas, beneuolis iam oculis exceperis: maiore nescio tuæ erga me beneuolentiæ præiudicio, an iudicii de me tui testimonio. Addidisti verò alacritatem cùm Typographo magnam, tum mihi sanè maximam, quando aliquid de solita tua seueritate remisisti, & specimen cepisse contentus ex vno, ad omnia concessi ad peruulgandum Priuilegij literas, singulari priuilegio pertinere voluisti. Quid, quòd literatos omnes, & omnis generis literas amplecteris? Argumento est tua illa tot voluminum Bibliotheca, quæ ex tot, ac tantis auctoribus, qui eam ornant, nullo sanè quàm te ornatior est, cùm ipsam

¶ 2

magnus auctor imples. Ego verò multis alijs audacior, non modò in illa locum, vt reliqui, cæteris meis voluminibus postulo; sed hoc in sinum tuum recipi, atque in tuo nomine apparere cupio, tuum duplici maximè nomine futurum, vt pluribus debitum. Pietatem enim & literas pari studio colis, exemplo tuo persuades. Quas duas dotes cum Segueriorum generi constet esse hæreditarias, fecisti tamen institutione ac disciplina tibi proprias. Vtraque tibi Societatem nostram, te Societati nostræ conciliauit: te illi Patronum, illam tibi clientem comparauit: de qua cùm tu bene mereri non desinas, nos nullum, quando reliqua impares sumus, tui prædicandi, ac tua beneficia commendandi facere debemus finem. Ego igitur hîc contestatum omnibus esse volui, nec quemquam, qui in istud meum qualecunque opus oculos aduerterit, ignorare quantûm nos tibi debeamus, quàm parùm tam exiguo munere persoluamus. Quibus enim officijs tu, & Patruus tuus, Patruus, inquam, tuus Antonius ille Seguerius, qui te in dignitatem cooptauit, in filij locum adoptauit, vobis Societatem nostram non deuinxistis? Quibus eam beneficijs non est prosecuta Maria Segueria soror tua, virilis animi fœmina, singularis modestiæ Matrona, de Tyrocinio Burdegalensi tam prolixè merita, vt vel hoc vno nomine Matris optimæ loco haberi mereretur? Sed illa vnam Societatis nostræ domum complexa est, tu complecteris vniuersam: quòque longiùs Majoribus tuis auctoritate, sicut & dignitate pertingis, eò etiam latiùs studium erga illam tuum explicas, eò nos angustiorem in locum adducis, dum beneficiorum tuorum multitudine ita obruimur, vt magnitudine superemur. Nec mirum est te illam Familiam studiosè semper tuitum esse, studiosiùs verò tueri hoc tempore, quo illam vides vehementiùs impeti atque inuadi, cùm in illa tuenda, tuum simul, ac totius familiæ tuæ beneficium tuearis. Quòd si illi hactenus opportuna defensio tua extitit, nunc est profectò necessaria: quando illam oppugnant non ampliùs hostes, sed opprimere nituntur inuidi; aut si hostes, non illi certè priuati, sed cōmunes. Cæterùm è cœlo lapsam scis esse Theologiam; eandemque audire scientiarum omniū Principem. Hinc est, vt ad viros semper summos, si minùs semper ad Principes aspiret, nunquā in alijs mediocri dignitate contenta,

cùm ipsa summam per se obtineat. Illa te elegit cum exceptione alterius, vt multi sese obtulissent, & cùm ex ordine Iudicum sibi Patronum cooptare decreuisset, non alium sibi dari sustinuit, quàm supremum. Non repelles, credo, Mortalium humanissime, clientem eius amplitudinis, quam nisi ad te afferret, à te profectò acciperet. Seguerianâ tamen purpurâ nitere vult: illâ, inquam, purpurâ, quam vos in ea gente tot purpurati Proceres altiùs imbuistis, quàm vt cuiquam cõmodata splendorem suum amittere, quàm vt vlla ætate consenescere possit. Sunt certè pauca omnino familiæ, quæ tot in illa principe totius Galliæ Curia censeãt senatores, quot vos Seguerianì sanguinis & nominis Præsides numeratis. Vidit quidem, & mirata est Respublica Romana Marium suum Consulem septies factum; sed vna semper in vnum, eundemque dignitas confluebat: vos eandem quinquies adepti; nec vnus, at singuli, illam hactenus cum genere, ac simul in genus propagastis, successione quidem aliqui, ambitu nullus, meritis omnes. Neque verò hoc solo, qui præcipuus est, honore togæ potiti estis: sederunt etiam è vestra Familia inter senatores eius Curiæ plurimi, in minorum Præsidum subselliis vnus, pro Principe causas dixerũt duo, vrbana Prætura totidem perfuncti sunt, Magisterio Libellorum supplicum rursus duo, si minùs plures: iuistis, vno verbo, per singulos Fori honores, & ferè singuli: pauci enim in vno senuistis, etsi ad omnes maturitatem summam attulistis; nullum ante adepti estis, quin multò priùs videremini meruisse. Tu perinde (REGNI GALLIARVM CANCELLARIE EXCELLENTISSIME) Familiæ tuæ fato, seu mauis, instituto, honorum gradus omnes medios, nullum tamen infimum, percurristi, priusquam istum, qui supremus est, & omnium apex, attingeres. In Curia Parisiensi senator conscriptus, tum libellorum Magister creatus, obire cœpisti Prouincias, & earum Rectores consilio regere, ius extra ordinem, sed non extra iuris formam, dicturus. Ex illo succincto, vt ita dicam, iudice, ad togatum regressus es in Patris locum, & ab ipso Patruo sufficiẽdus. Habuit optimo seni, & summo viro gratias Senatus, quòd sibi daret sui sanguinis & nominis successorem. Addam ego petiturum eum fuisse Senatum ipsum, nisi sponte sua ille iam dedisset. Sed contestatus est simul Senatus augustissimus, velle se

quidem admittere nepotẽ; sed nolle, nec posse se Patruũ amittere, quãdiu is retineri posset. Impetraret proinde à Principe quadrienniũ vnum, post alterũ: id si ipse facere recusasset, Senatum esse facturum. In quæ verba non modò sententiã dixit ordo amplissimus, sed senatus etiam consultũ scripsit, quo honorificentissimũ simul extaret sua erga nobilissimam Segueriorum familiam voluntatis monumentum, luculentissimũ simul sui de Patruo & Nepote iudicii testimonium. Quo, quid magis extraordinarium est, magisque singulare? Cogi videlicet illum, dimisso magistratu, eius non modò nomen & dignitatem, sed auctoritatem ipsam & administrationẽ retinere? De isto, quòd admitteretur, ac succederet, Curiam tantã sibi gratulari? Quid dico gratulari? Agere etiã illi gratias, quòd ab isto sibi succedi postularet: quòd non alium sibi sufficeret, quàm eius nominis, quòd ipsa perpetuum suo in consessu esse vellet, ac si posset, iuberet. Nescio, vt omnia iam tum erant de te ad coniecturam prona: nescio, inquã, an futura ex præsentibus augurati viri sapientes, & suspicati sint, dari Senatui suo tunc Præsidem, quem ipsi daturi essent Galliæ Cancellarium. Nec dubito; quin te æquè ægrè ac Patruum dimissuri fuissent, si fuissent penitùs amissuri. Nec enim abibas ex illo Senatu, in quo cùm vnus tantùm esses ex Præsidibus, eligebare vt illi, cæterisque Galliarum Senatibus cum summa potestate præsideres. Eligebare, inquam, & ab eo Principe, qui cùm non minùs factis esset, quàm cognomento Iustus, nihil eras gratiæ, omnia meritis tuis debiturus. Æquũ enim erat, vt qui longè ante probitate & grauitate morum tenuerat, munere demùm occuparet & honore Iustitiæ principatum. Ea dignitate ornatus, ornari cœpisti non nouis quidem virtutibus, qui ad eam iam omnes attuleras; sed factis eò illustrioribus, quò maxima illa dignitas maiorẽ eis quandã dignitatem conferebat. Crescunt alii honoribus, & his maiores euadunt, tametsi rarò meliores. Per te contrà facta est illa dignitas illustrior, atque in te quodãmodo is honor geminatus, ac per te auctus, qui & vnus erat, & summus, nec augeri posse videbatur. Nam si tibi ille dignitatem, tu illi splendorem contulisti, cùm tã bene merenti est tributus. Quòd verò in eo fastigio dignitatis collocatus de pluribus bene mereri vis, cùm possis; id si magnum non est maioris probitatis argumentum; indubitatum tamen testimo-

nium eſt, conſtantioris in exercenda æquitate voluntatis. Vocabat te quidem ad hoc munus probitas, vocabat abſtinentia illa, quam in cæteris inferioribus caſtè atque integrè obeundis ſummam vbique præſtitiſti: nec induſtria vſuſque deerant longa exercitatione cōparata: nec legum omnis generis notitia interior. Ac reipſa (vt de reliquis virtutibus ſileam) abſtinentiam reperiri oportet magnam in illo, qui eam debet ab omnibus aliis Iudicibus exigere, nemo ipſi poteſt imperare. Verùm amoris tui & fidei erga Principem, qui Cancellariis ſuis, tradito illis annulo, fidem iuxta ſuam atque auctoritatem obligat, tot ac tanta iam experimenta dederas, vt hæc ſacroſancta Regiæ Maieſtatis pignora nemini committi poſſe tutiùs viderentur, quàm tibi. Stabas nimirū prò Principe, & nondum ſtabas in pedes, matris adhuc aluo concluſus, ac lucem cunctabaris aſpicere, ne patriam aduerſus eum rebellē intueri cogereris. Exulaſti ergo cum parentibus, & patriā perduellem reliquiſti, ne cauſam, parteſque Principis deſeruiſſe viderere: nec ante redire voluiſti, quàm illa ei conciliata eſt, ac deſiit rebellis eſſe. Qua in re pluſne Galliæ an Principi opportuna fuerit Parentis tui opera, faciliùs eſt cuique cogitare, quàm mihi dicere? In te arbitror, remuneratus eſſe putaretur eius merita Ludouicus XIII. niſi tuis hæc ipſa merces, aut maior deberi crederetur. Mirum autem, atque adeò ſingulare iſtud eſt, cùm tot, ac tantos viros ornando Foro ſuppeditaueritis, tot tamen, ac tantos Clero illuſtrando vos reſeruare potuiſſe; quaſi nullum Foro, omnes Clero dediſſetis. Inde primùm vt manifeſtè appareat, quàm veri eximiique cultores pietatis ac Religionis Catholicæ ſitis: tum quàm iuſtitiæ & æqui obſeruantes, quòd inter Forum & Clerum gentem veſtram vniuerſam, non vnam aliquam eius familiam, ex æquo videamini diuidere voluiſſe. Mirum, inquā, iſtud eſt, & ſingulare pietatis veſtræ argumentū; ſed hoc etiam multò mirabiliùs, quòd vel illi ipſi, qui ei ſe nominatim addixerunt, ita ei ſe dediderint, vt ſe non eripuerint Foro, iidem Sacerdotes & Iudices: Decani iidem Eccleſiæ Pariſienſis, iidem Curiæ Pariſienſis Senatores, Petrus nimirum, atque Dominicus, hic Nepos, ille Patruus: Pontificiis vterque infulis clarus, acceptis iſte, ille verò repudiatis. Nam dū Petrus Epiſcopatu Laudunenſi ſe indignum eſſe iudicat, quo eum

omnes, etiam ante Principem dignissimũ esse iudicauerant, eius quidẽ dignitatis honore ipse se priuauit, modestia tamen sua laude non caruit, spretâ factus habitusque, quàm admissâ illa dignitate sublimior. Nec admissa Dominicus minus modestus videri potest, qui eam non minori modestia quàm pietatis fama gerat: nec tanto Meldensis ecclesiæ commodo, quin maiore etiam ornamento. Hanc etsi ille sua apud Principẽ gratia satis tegere possit, regere tamen ipse per se non cessat, curisque suis etiam in illa vicinitate cõplecti, vt se diligentissimi Præsulis vigilantia exporrigere longiùs, latiùs primi Principis Eleëmosinarij potestas pertingere non valeret. Sed contraho ipse me, CANCELLARIE AMPLISSIME, cùm vel vnius tui laudes infinitæ sint; ne nuncupatoriæ epistolæ modũ excedã, qui non mediocris orationis limites iam videor attigisse. Abstineo itaque à reliquis hic nominatim & singillatim appellandis, qui clericatu æquè ac magistratu, vt alii insignes, si non eo gradu ac dignitate in illo omnes ordine constiterint, eandẽ tamen quàm isti duo pietatis & religionis opinionem in Seguieriorum gentẽ intulerunt, nisi forte meritis suis ac rectè factis altiùs etiam extulerunt. Ad te igitur CANCELLARIE ILLVSTRISSIME regredior ex longo isto excursu, tibi opinor, non importuno, mihi necessario. De te omnia hoc vno complector: te in hac vna, quá cæteris Majoribus tuis dignitate præmines, eorum omnes honores esse supergressum, vt omnes meritis anteisti: pietatis verò ac religionis studio nemini cedis omnium, qui te ætate præcesserũt. Tueri ergo vt possis contra omnem impetum hoc opus, præstabit summa illa dignitas: efficient non modò pietas tua & religio vt velis; sed eius insuper patrocinium suscipere te debere nescio an tibi, mihi certè persuadet & hæc ipsa, quâ hucúsque complexus es, cõplectique, vt spero, perges Societatem nostram beneuolentia: sed maximè nostra in te omnium obseruantia & veneratio.

Illustrissimæ Amplitudinis tuæ,

Perpetuus in Christo seruus
IOANNES MARTINON,



BENEVOLO LECTORI.



EXPECTABAS tu quidem, BENEVOLE LECTOR, vt quæ duo, illi, quod iam edidi, atque isti quod nunc edo, interiecta sunt volumina, priùs in lucem emitterem. Ita mihi etiam constitutum erat. Sed vt hoc consilium, ordinemque peruerterem, quæ proximè subiiciam suaserunt. Sic enim imprimis quæ de Verbo Incarnato tradunt, disceptantque Theologi; & ego hoc volumine explicare aggredior, ijs, quæ de Deo Vno Trinoque iam exposui, connexa & colligata sunt, vt sibi mutuam magnamque lucem necessariò præbeant: Siquidem multa, quæ superiori proximo volumine obiter tantùm dicta sunt, & fortassis obscuriùs, cùm in isto multò vberiùs explicentur, maximè vel inde illustrari necesse est. Parendum deinde mihi fuit iusto complurium desiderio, qui istud expetebant aliis duobus præmitti, eiusque maturari editionem. Accedit quòd ipsa rerum, quæ hoc volumine traduntur, dignitas eiusmodi est,

vt ſecundum, omnium conſenſu, locum obtineat. Agitur enim de *Verbo Incarnato*, opere ſanè diuinæ potentiæ vt maximo, ita & nobiliſſimo: *In quo nempe ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*, & in quo ipſa *plenitudo Diuinitatis inhabitat corporaliter*, vt loquitur Apoſtolus.

Neque verò hanc ſolùm loci & ordinis prærogatiuam præſtantiâ ſuâ, & dignitate mereri videtur multis, grauibuſque Theologis; ſed etiam quia animo ſibi ipſum Deus propoſuerat, & deſtinauerat primum omnium, quæ eſſent extra ſe proceſſura, tanquam principium viarum Domini, & finem reliquorum omnium ab eo conditorum. Adeò vt tam præſtans, tantóque amore atque admiratione dignum opus primò expetiuerit, ob ipſius excellentiam ac perfectionem planè ſingularem: In qua vna ſine dubio magis elucent, declarantque ſe ſumma eius Sapientia, Bonitas, & Potentia, quàm in reliqua penitùs rerum vniuerſitate: tum ipſius causâ omnia, quę creata cõditaque ſunt, creare, & condere decreuerit; eumdemque ſimul Regem & caput eorum omniũ eſſe voluerit. Eſt enim Chriſtus, vt ait idem Apoſtolus Coloſſ. 1. *Imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia: ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Non præpoſtero igitur ordine, aut certè conſilio, à me priùs vulgantur ea, quæ ad Verbi Incarnati myſterium explicandum ſpectant, quàm quæ ad Beatitud., & alias res creatas referuntur; quando id ipſe dignitatis ordo, mentiſque adeò diuinæ propoſitum exigere videbatur, vt nihil aliud ſuaſiſſet.

Impulit denique omnino me celebris hæc, quæ partium ſtudiis maximè etiamnum viget, tantaſque

iam turbas per Galliam excitauit, de præparandis Eucharistiæ sacramentum ritè sumpturis, de frequenti eiusdem vsu, deque publica Pœnitentia, tot scriptis vltro citroque voluminibus disceptata controuersia: vt si receptæ pluribus retro sæculis in Ecclesia consuetudini, ac doctrinæ, contra eius oppugnatores asserendæ aliquid opis ac præsidij pro tenuitate mea afferre possem, id illi à me deesse ne paterer. Mihi siquidem D. Thomæ vestigiis, ordinique insistenti, necessariò agendum fuit, hoc eodem volumine, de Sacramentis, quæ ille suis de Incarnatione disputationibus attexuit. Gratum præterea fore existimaui exteris Nationibus, ad quas non dubito quin eius contentionis fama emanarit, si totam ad certa capita Theologorum instituto reuocarem: &, quæ Gallico tantùm huc vsque idiomate nostrates scripsissent, Latino ego sermone peruulgarem: ac deinceps ex communis constantisque doctrinæ fundamentis, rixis & offessione omni procul, solo veritatis indagandę studio, breuiter, & ex occasione, de illis disputarem. Quod Aduersarii etiam ipsi æqui, vt spero, bonique consulturi sunt, si eo hæc animo, quo à me scribuntur, legant: ac veritati simul & paci, à quibus ego eos abhorrere non puto, prospectum velint. Illud certè profiteor mihi esse propositum, nemini iustæ offensionis causam dare, sed omnium vtilitati seruire.

TRACTATVS PRIMVS

DE MYSTERIO INCARNATIONIS.



VM iuxta doctrinam S. Thomæ, 1. p. qu. 2. in proœmio, Theologiæ scopus sit disputare de Deo, tum secundum id, quod in seipso est: tum vt est principium, & finis creaturarum, præcipuè intellectualium: & consequenter de mediis, quibus iuxta ipsius ordinationem creaturæ intellectuales illum consequi possunt: quæ media partim intrinseca sunt, nempe actus boni, & auxilia interna, atque virtutum habitus, & operationes: partim extrinseca, vt Christus, & Sacramenta ab ipso instituta. De Deo quidem secundum id quod in se est vnus, & trinus, atque etiam prout est principium creaturarum, deque ipsis creaturis, Angelo præsertim, & homine, disserit S. Thomas in 1. parte suæ Summæ Theologicæ. De eodem verò, vt est finis creaturarum intellectualium, & beatitudo hominis obiectiua, deque medijs internis, quibus illum assequimur, nempe de actibus humanis, & de virtutibus, earumque exercitijs, atque de vitijs, & peccatis oppositis, in genere, & in particulari;

DISPVTATIO PRIMA.

De possibilitate, & existentia Incarnationis.

AMETSI D. Thomas de argumento proposito specialem quæstionem non instituit, sed possibilitatem, & existentiam mysterij Incarnationis supponit, tanquam vnum de præcipuis articulis fidei, & reuelatione diuina satis notum: sicut alia fidei Christianæ mysteria supernaturalia supponere solet, velut principia Theologiæ: potiúsque in eorum explicationem incumbere, & ex illis conclusiones Theologicas deducere: non abs re tamen recentiores eius interpretes hanc quęstionem primo loco tractandam suscipiunt. Debet enim cæteris præire, vt in reliquis intelligatur qua de re disputetur: & ab exordio tractatus constet non frustra in eo differi de mysterio, velut reipsa exhibito, quod prima fronte non modò non factum, sed ne possibile quidem apparet. Dicemus itaque primùm, quid intelligendum sit nomine Incarnationis? Secundò, An, & quomodo cognoscatur esse possibilis? Tertiò, An, & quomodo conuincatur contra Infideles esse facta? Siue quibus argumentis diuinis sufficienter constet Verbum naturam humanam suscepisse, & Christum

esse verè Deum & hominem. In quod vnum, tanquam rem maximi momenti, vel solùm vel præcipuè incumbunt Sancti Patres, qui de Verbo Incarnato scripserunt: vt Chrysost. in lib. *Quòd Christus sit Deus*, Athanas. Ambros. Fulgent. & Cassian. in libris de Incarnatione, Leo in sermonib. de natiuitate Domini, & de Passione, & Epist. 10. ad Flauianum, Cyrill. in libris de Fide ad Reginas, & in declaratione anathematismorum contra Nestorium. Idem quoque probandum ex professo contra Iudæos suscepit Apostolus in Epistola ad Hebr. præcipuè cap. 1. qui etiam alijs locis, in omnibus fere suis epistolis, hoc mysterium sæpius inculcat: & speciatim 1. Timoth. 3. v. 16. ait esse *Magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

D. Thomas etiam rem tanti ponderis non prætermisit aliò loco, ex quo suppleri potest quod hîc deest: libro scilicet 4. contra Gent. cap. 27. & pluribus sequentibus. Vbi postquam affirmauit hoc mysterium inter diuina opera maximè naturalem rationem excedere: nihil enim mirabilius excogitari potest diuinitùs factum, quàm quòd verus Deus Dei Filius fieret homo verus: addit nos hâc Incarnatione Dei mirabilem tradente auctoritate diuinâ confiteri. Dicitur enim Ioan. 1. *Verbum caro factum est:* & Philipp. 2. *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*, &c. Hoc etiam, inquit, ipsius Christi Domini dicta & facta ostendunt, quippe qui se verum Deum & hominem esse, clarè professus est; idque plurimis signis diuinis, illustribusque miraculis confirmauit. Christus enim de se quandoque loquitur humilia & humana; vt illud, *Pater maior me est:* &, *Tristis est anima mea vsque ad mortem:* quæ ei secundum humanitatem assumptam conueniunt: quandóque verò sublimia & diuina: vt cùm ait, *Ego & Pater vnum sumus:* &, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt:* quæ certum est ei secundum naturam diuinam competere. Quòd etiam timuit, esuriuit, tristatus & mortuus est, pertinet ad humanam naturam. Quòd autem propria potestate infirmos sanauit, quòd mortuos suscitauit, & elementis mundi efficaciter imperauit, quòd dæmones expulit, quòd à mortuis, cùm voluit, resurrexit, quòd denique cœlos ascendit, diuinam in eo virtutem demonstrant. Hæc D. Thom. cap. illo 27. qui deinceps vsque ad cap. 38. pergit fusissimè eandem veritatem contra varios hæreticorum errores confirmare. Et cap. 40. & seqq. proponit & soluit difficultates naturales propter quas Aduersarij fidei Incarnationem impugnant. Quod & nos eius exemplo sequentibus sectionibus prȩstare conabimur. Priùs tamen implorata diuini luminis ope: *Vt Deus, Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ, det nobis spiritum sapientiæ, & reuelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos cordis nostri, vt sciamus quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius*, &c. Ephes. 1. v. 17. & sequentibus.

SECTIO I.

Quid intelligatur nomine Incarnationis?

1. Per Incarnationem intelligitur vnio Verbi cum natura humana.



INCARNATIONIS nomine intelligitur mysterium illud, quo secunda persona Trinitatis, quæ Verbum dicitur, & Filius, carnem, id est, naturam humanam assumpsit: iuxta illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: Vbi nomine Verbi, intelligit illum, de quo antea dixerat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt.* Nomine autem carnis, intelligit hominem, qui sæpius in Scripturis caro vocatur. Vt Genes. 9. *Omnis caro corruperat viam suam.* Et Luc. 3. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et Rom. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Quod amplius declarat Symbolum Nicænum, cùm de Filio Dei ante omnia sæcula ex Patre genito, ac vero Deo sic ait: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: & homo factus est.* Declarat etiam Christus ipse, seu Verbum incarnatum, quando in pluribus Scripturæ locis corpus & animam, ac totam hominis naturam sibi tribuit. Corpus, quidem Luc. 24. *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habent, sicut me videtis habere*: Et Ioan. 2. *Ille autem dicebat de templo corporis sui*: Animam verò, Marc. 14. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et Ioan. 12. *Anima mea turbata est.* Et Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

2. Incarnatio facta est per assumptionem & vnionem substantialē ac physicā naturæ humanæ.

Sicut autem in quouis genere impossibile est vnum fieri aliud realiter distinctum, nisi vel in illud vertatur, desinendo esse id quod est, vt fiat illud aliud quod non est; vt quando lignum fit ignis, aut quando panis fit corpus Christi: vel nisi veram naturam illius in se recipiat, adiunctamque habeat, per quam in esse tali constituatur; vt cùm aqua fit calida per receptionem caloris: Sic vt Verbum fieret homo, necessarium fuit, vt vel in hominem conuerteretur: vel naturam humanam assumeret, quâ oportet hominem esse quidquid est homo. Primum autem fuit omnino impossibile. Quia Verbum diuinum, cùm sit Deus, non potest ita conuerti, & desinere esse id quod est. Est enim ens absoluté necessarium, & penitus indefectibile. Superest ergo vt naturam humanam assumpserit. Quod etiam Paulus significat Hebr. 2. v. 16. verbis illis. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Cùm enim filius Dei dicatur apprehendisse semen Abrahæ: consequens est, vt ipsemet non sit conuersus substantialiter in semen Abrahæ: sed manens id quod erat, assumpserit, atque sibi adiunxerit naturam humanam quam non habebat. Nam quod conuertitur substantialiter in aliud; desinit esse. Quod autem desinit esse, non est. Et quod non est, non apprehendit aliquid aliud.

3. Et non tantum per localē adiunctionem vel moralē adhæsionē.

Apprehensio verò hæc non fuit tantùm localis adiunctio, vel moralis adhæsio per affectum. Hæc enim non sufficerent vt Verbum caro fieri diceretur. Sicut Deus non dicitur fieri lapis, aut Angelus; quamuis illis, & alijs omnibus rebus creatis, localiter intimé præsens sit. Neque etiam dicitur fieri homo, eò solùm quòd aliquem diligat, in eoque vt iusto & sancto inhabitet, & per eum mirabilia operetur. Sed debuit esse actio quâ Verbum diuinum naturam humanam sibi physicè & substantialiter vniret, vt per eam vnionem constitueretur in esse hominis. Nam vt aliquid sit verè & propriè homo; debet vel per seipsum formaliter, vel per physicam vnionem, & velut informationem, constare naturâ humanâ, per quam veluti formam essentialem, constituitur in esse hominis quidquid est homo. Debuit item fieri hæc vnio in eo quod Verbo, seu Filio Dei proprium est, vt ipse singulariter dicatur homo factus, præ Patre, & Spiritu sancto. Nempe in ipsa hypostasi, seu personali proprietate Filij, per quam solam distinguitur realiter à Patre, & à Spiritu sancto. Nam per vim, & actionem spirandi, non distinguitur à Patre. Per essentiam verò, seu naturam, est idem cum Patre, & Spiritu sancto. Rursus vnio naturæ humanæ cum hypostasi Verbi facta est sine dubio vt hypostasis Verbi fungeretur erga naturam humanam officio hypostasis, tribueretque illi aliquod esse proprium & veluti formale hypostasis: quemadmodum cætera quæ vniuntur substantialiter & entitatiuè vera & physica vnione, tribuunt ei, cui vniuntur, suum esse formale. Est autem hypostasis vltimus terminus, & complementum existentiæ, naturæ substantialis aptæ per se subsistere. Vnde consequens est naturam humanam compleri, & vltimò terminari in esse existentiæ, per hypostasin Verbi: & ex naturis, humana, & diuina, simul iunctis in hypostasi Verbi, existere suppositum, seu personam constitutam ex duplici natura, diuina & humana, & ex vnica hypostasi Verbi, quæ, vt alibi ostendemus, perfectissimè complet & terminat naturam humanam, ita vt locum non relinquat subsistentiæ creatæ. Indéque fit vt in Verbo incarnato sit vnica persona, & duæ naturæ: sicut ex opposito, in Trinitate sunt tres personæ & vnica natura. Hinc etiam fit vt illa persona vnica sit verè Deus simul & homo; quia verè & propriissimè habet naturam, seu quasi formam essentialem, per quam Deus constituitur in esse Dei, & homo in esse hominis.

4. Variè appellatur à sanctis Patribus. Tertullia.

Hæc igitur actio, vel etiam terminus illius formalis, id est, vnio mirabilis Verbi cum natura humana, vocatur à Græcis Patribus & Concilijs σάρκωσις: à Latinis verò quibusdam, vt à Tertulliano cap. 3. libri de Carne Christi, & ab Hilario in prologo Psalmorum aliquantò post initium, appellatur corporatio, & incorporatio: ab alijs communiter Incarnatio dicitur, nomine sumpto

à deteriori hominis parte, & remotiori à Dei maiestate, ad magis declarandam Dei potentiam, & dignationem in hoc mysterio, Verbique incarnati humilitatem, & passibilitatem, quæ Carnis nomine significatur interdum in Scriptura: vt Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ*, &c. id est, passibilitatis suæ & humiliationis, seu vitæ suæ passibilis & mortalis. Posset etiam non incongruè dici ἐνανθρώπησις, id est, inhumanatio, vt vocatur à Damasceno lib. 7. de Fide cap. 13.

Damascenus.

Obiectio 1. quomodo Incarnatio sit propria Verbi?

Dices, cùm Incarnatio sit actio Dei ad extra, & actiones ad extra sint indiuisibiles, id est, communes toti Trinitati, quæ per eandem intelligentiam, voluntatem, & omnipotentiam operatur quidquid extra se facit; quomodo potest Incarnatio esse propria Verbi singulariter, ita vt solus Filius apprehenderit, seu assumpserit humanitatem?

5. Respondeo, Incarnationem, prout actio est, fuisse communem toti Trinitati, quæ per eandem cognitionem, voluntatem, & omnipotentiam, hoc mysterium operata est, vt ait Concil. Later. cap. *Firmiter*. Prout verò est veluti passio, seu receptio, vel vnio & adhæsio formalis ad humanitatem; esse propriam Verbi, quod solùm per eam actionem humanitati adiunctum est. Et hæc formalis adiunctio non est actio, sed terminus actionis. Apprehendere verò, seu assumere humanitatem, duo continet in suo integro conceptu & significato. Vnum est, actio aliqua circa humanitatem: alterum est veluti passio, seu receptio eiusdem humanitatis in seipso. Apprehendere enim, vt hic sumitur, est ad se trahere, & recipere in seipso. Quare cùm sine tali receptione non sit apprehensio, & Verbum solùm receperit humanitatem sibi adiunctam; ideo solum Verbum dicitur eam apprehendisse.

Concil. Lateran.

6. Instabis, quia cùm proprietas Filij non distinguatur in re ab essentia, vt definit Later. cap. *Damnamus*; non potuit Verbum solum recipere humanitatem, illique vniri immediatè: sed necessariò recepit quoque essentia & cõsequenter Pater, & Spiritus sanctus, qui sunt idem in re cum essentia, suntque vna res simplicissima cum illa, vt ibidem definitum est.

Obiect. 2. Quomodo potuit immediatè vniri hypostasis Verbi, non essentia.

Respondeo, sicut distinctio virtualis inter essentiam & proprietates sufficit, ad hoc vt essentia non sit generans, neque genita, nec procedens, sed Pater est qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit; estque distinctio realis in personis, & vnitas in natura, quemadmodum habet Lateran. Concilium capite citato, circa medium: ita distinctio virtualis inter essentiam, & proprietatem Verbi, sufficit ad hoc vt Verbum potuerit assumere secundùm proprietatem, non secundùm essentiam: & vniri humanitati immediatè in hypostasi propria, non in essentia communi tribus personis.

Vrgebis, quia in eodem capite, paulò post, asseritur dici non posse quòd Pater Filium gignẽdo partem suæ substantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi, cùm substantia Patris indiuisibilis sit, vtpote simplex omnino. Ergo similiter dici nequit, quòd Verbum sibi vniuerit immediatè humanitatem secundum hypostasin, & non secundum naturam, cùm natura & hypostasis Verbi sint vnum quid indiuisibile, vtpote simplex omnino. Quàm enim est impossibile dari realiter, & non dari, secundum quid, id quod est indiuisibile realiter, & simplex omnino: tam est impossibile vniri immediatè, & non vniri, secundum quid.

Obiect. 3. ex Concil. Lateran.

7. Respondeo, Concilium Later. asserere id dici non posse, eo sensu, quo Abbas Ioachim ibi damnatus id asserebat, aut asserere debebat vt errorem suum tueretur. Cùm enim vellet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non esse vnam & eandem numero substantiam, seu naturam diuinam, sed vnam tantùm collectiuè, sicut multi homines sunt vnus populus, & multi fideles sunt vna Ecclesia: consequens erat, vt assereret aliam esse substantiam Patris, quàm Filij. Vel ergo aliam ex parte, vel ex toto: quorum neutrum dici potest: *Pater enim* (inquit Concilium) *ab æterno Filium generando suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur* Ioan. 10. *Pater quod dedit mihi, maius est omnibus. Ac dici non potest quòd partem suæ substantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi; Cùm substantia Patris indiuisibilis sit, vt pote simplex omnino.* Atque ita dici nequit Filium distingui à Patre penes substantiam ex parte, quasi habeat partem substantiæ realiter diuersam ab altera parte quæ sit in Patre. *Sed nec dici potest quòd Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quòd non retinuerit ipsam sibi: alioquin desiuisset esse substantia.* Atque ita non potest Filius distingui à Patre quoad substantiam ex toto, quasi tota substantia sit in Filio, & non sit in Patre. Nec potest alia numero diuersa esse tota in Patre, & alia tota in Filio, adequatè distincta: quia substantia seu natura diuina est vnica & immultiplicabilis: ac Pater Filium generando, suam eandem numero substantiam illi dedit. *Patet ergo quòd sine vlla diminutione Filius, nascendo, substantiam Patris accepit: & ita Pater & Filius habent eandem substantiam: & sic eadem res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus ab vtroque procedens.* hucusque Concilium. Cuius mens solùm est, dici non posse quòd Pater Filium gignendo dederit illi partem suæ substantiæ realiter diuersam, quia substantia diuina caret partibus realiter diuersis. At neque nos hic asserimus Verbum vniri immediatè humanitati secundum hypostasin veluti partem realiter distinctam à natura. Verùm sicut non obstante identitate naturæ, & hypostasis Verbi, distinguitur realiter Ver-

Vera illius explicatio.

bum à Patre secundum hypostasin, non secundum naturam: sic vnitur immediatè humanitati secundum hypostasin, non secundum naturam.

8. Praua quorumdam explicatio Concil. Later. refellitur. Falleretur verò si quis existimaret mentem Concilii esse, definire quòd tota substantia, seu natura diuina, non modò physicè & identicè, sed etiam secundum virtualem amplitudinem sit in Filio, æquè ac in Patre: idque probare ex eo quòd substantia illa sit indiuisibilis, vtpote simplex omnino. Etenim ea quæstio tunc non agitabatur, sed error Ioachimi supra dictus, vt ex Concilii verbis manifestum est. Definitio autem Concilii fit iuxta sensum quæstionis ipsi propositæ. Deinde probatio Concilii esset apertè vitiosa. Nam Pater, filium gignendo, dat ei substantiam, non Paternitatem; tametsi substantia, & Paternitas sint quid indiuisibile, vtpote simplex omnino. Quare ex physica simplicitate non repugnaret vnum attributum essentiale communicari sine alio, sicut ex ea non repugnat communicari essentiam sine hypostasi propria Patris. Cur autem tota essentia secundum totam amplitudinem virtualem, id est, secundum omnia attributa essentialia communicetur personis procedentibus, ratio alia est: quia nimirum essentia diuina, propter suam summam perfectionem, est summè communicabilis ad intra, & identificabilis quantùm fieri potest: ita vt in diuinis omnia communicentur, & omnia sint vnum, vbi non obuiat relatiua oppositio originis incompossibilis cum identitate: vt docet Concilium Toletanum XI. in confessione fidei cap. 1.

9. Alia mala imaginatio circa idem Concilium refutatur. Magis verò falleretur qui existimaret hac Concilii Lateran. definitione damnari eos qui asserunt tres personas diuinas esse tres res, relatiuas scilicet: id est, damnari S. August. S. Thom. & omnes Theologos antiquos & recentes, nullo, qui sit alicuius nominis, excepto. Nam Concilium tantùm definit, contra Abbatem Ioachim, tres personas, quamuis proprietatibus differentes, esse vnam quandam summam rem, videlicet substantiam, siue naturam diuinam, vt asseruerat Petrus Lombardus, cuius doctrina, male à Ioachimo reprehensa vt hæretica, & insana, approbatur à Concilio. Vbi nota, eodem ipso loco, quo Lombardus asseruit tres personas esse vnam quandam rem: asserere simul esse tres res, tres nempe relatiuas, & vnam absolutam, lib. 1. Sententiarum dist. 25. litera H. Quis ergo sibi persuadeat id à Concilio damnatum fuisse? id est, doctrinam Magistri damnari à Lateranensi, in eodem ipso loco qui ab illo approbatur, & contra Ioachimi reprehensionem iniustamque censuram defenditur. Et hæc obiter hoc loco, ex occasione peruersæ quorundam Recentiorum interpretationis Concilij Lateranensis dicta sint. Plura verò eadē de re diximus p. 1. dis. 25. tota sect. 13.

Magister sentent.

SECTIO II.

An sola naturali ratione cognosci possit Incarnationem esse factam, aut esse possibilem?

10. Status quæstionis ponitur. QVæstio esse potest de notitia vel euidenti, vel certa, vel probabili: Idque vel antequam Incarnatio traderetur executioni, vel postquam reipsa tradita est: an scilicet tunc saltem nota fuerit Angelis, vel hominibus, lumine solo naturali, seposita reuelatione, & omnibus aliis gratiæ diuinæ auxiliis, ac lumine supernaturali, quale est lumen gloriæ, & quoduis aliud illi æquiualens, entitatis & ordinis supernaturalis: cuiusmodi esset substantia creata connaturaliter capax videndi Deum, si possibilis est. Item quæstio esse potest de Incarnatione Verbi prout modò descripta est: vel de Incarnatione Dei simpliciter. Primum enim est difficilius cognitu, quàm secundum. Quia primū non potest cognosci sine notitia distinctionis personarum diuinarum: secus autem secundū. His positis.

11. Prima conclusio: non posse naturaliter cognosci possibilitatem Incarnationis Verbi. Dico primò, solo lumine naturali ne probabiliter quidem cognosci posse ab hominibus, vel ab Angelis, Incarnationem Verbi esse possibilem. Probatur, quia distinctio personarum diuinarum non potest ab vlla creatura solo lumine naturali ne probabiliter quidem cognosci, vt suppono ex tractatu de Trinitate. Quippe quia neque per se nota est lumine naturali: neque vllum habet sui vestigium in creaturis, aut indicium extrinsecum, ex quo vel probabiliter colligi possit. Nam creaturæ quæ procedunt à Deo quà vnus est, non quà Trinus (proprietates enim personales nihil ad extrà operantur) ducunt tantùm in notitiam Dei quà vnus est, vt effectus in causam: & deinde hoc mysterium Trinitatis personarum diuinarū continet summam difficultatem, solis viribus naturalibus insuperabilem, vnitatis essentiæ cum distinctione reali personarum, indistinctarum tamen realiter ab essentia. Atqui notitia Incarnationis Verbi supponit illam cognitionē distinctionis personarum diuinarum; ergo, &c. Confirmatur, quia ne Dei quidem simpliciter sumpti Incarnatio potest cognosci naturaliter esse possibilis, vt ostendam sequenti conclusione. Ergo multò minùs Incarnatio Verbi quæ specialem addit difficultatem distinctionis personarum in Deo. Confirmatur secundò ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, id quod intendimus in hac cōclusione significantibus, cùm hoc mysterium vocant, *Sacramētum absconditū in Deo*, vt loquitur Apostolus Ephes. 3. v. 9. *non humana ratione possibile, sed spiritus efficacis credibile*, vt ait Ambros. in 1. ad Corinth. cap. 2. *Vnionem ineffabilem & indeprehensibilem*, vt ait Conciliū Ephesinū can. 13. Et, *Si ratione colligitur, non erit mirabile: si exemplo, non erit singulare*: inquit Concilium Toletanum II. post Conc. Tol.

S. August. S. August. Epist. 3. ad Volusianum, ante medium. Sed ibi de cōceptu Virgineo sermo est, nō de ipsa vnione hypostatica: quæ tamē difficilior est, magisq; humanā rationē excedit.

12. Secunda conclusio: in ōne quidem Incarnationem Dei simpliciter. Dico secundò, Incarnationem Dei simpliciter, non posse solo lumine naturali cognosci euidēter, aut certò, ac ne quidem probabiliter. Ratio est, quia tot occurrunt difficultates naturales in contrariū, siue ex parte Dei, quomodo possit vniri sine sui mutatiōne, & imperfectione Deo repugnante: siue ex parte humanitatis, quomodo possit terminari subsistentiā alienā: siue etiam ex disproportione inter huiusmodi extrema, ad physicā vnionē & compositionem vnius entis per se: vt si in mentē Angeli venisset de eius possibilitate, quam non nego venire potuisse: vel iudiciū prudēter cohibuisset: vel si de altera parte naturaliter statuere voluisset, victus difficultatibus negasset potiùs ob apparētiā argumētorum pro impossibilitate, de quibus paulò post.

13. Suarez. Addit Suares disp. 3. de Incarn. sect. 1. non posse intellectum creatum cognoscere quidquid Deo possibile est: cùm neque ipsius Dei omnipotentiam comprehendat: neque capacitatem obedientialem creaturarum. Ergo non potest cognoscere, etiam vt possibile, id quod est maximum omnium operum diuinæ potentiæ, cuiusmodi est Incarnatio. Sed hæc sequela non est bona. Quia intellectus instructus lumine gloriæ cognoscit euidenter, & intuitiuè Incarnationem: licet non cōprehendat omnipotentiam diuinam, neque possit eam comprehendere. Quare non sequitur, quòd si quis non potest comprehendere omnipotentiam diuinam, non possit cognoscere Incarnationem. Meliùs dici posset, valdè credibile esse omnipotentiam diuinam posse aliquod opus edere naturali lumine inuestigabile: sicut summi quidam artifices edūt opera quædam, quæ rustici & imperiti nūquam cogitarent esse possibilia: imò crederēt esse planè impossibilia. Si autem vllum est tale opus, maximè illud quod est maximum operū diuinæ omnipotentiæ. Quo argumento vtitur

S. August. fere S. August. Epistola 3. ad Volusianum, de conceptu Virgineo, dicens: *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare nō posse.* Propter hoc etiā putāt aliqui Incarnationem vocari ab Isaia c. 12. v. 4. *Adinuentionem Domini:* quippe à Deo solo excogitatā & inuētā.

14. Soluitur obiectio. Nec obest quod opponunt aliqui recentiores disparem esse rationem: quia rustici non habent species talium operum. At Angeli naturaliter habuerunt notitiam duorum extremorum Incarnationis Dei, quibus cognitis facile est dubitare de connexione vtriusque. Norunt, inquam, Angeli Deum esse subsistentem, & naturā humanā terminari subsistentia propria creata. Vnde potuerunt dubitare, an posset subsistentia diuina supplere respectu naturæ humanæ, munus illud termināndi quod præstat subsistentia creata. Sicut de facto ex eo quòd sciamus Deū habere intellectionem infinitā, & hominem esse capacē intelligēdi, dubitāt Theologi, an de potētia absoluta posset intellectio Dei reddere hominem formaliter intelligentem. Hoc inquam, argumētum non obest. Primò, quia etiam rustici possunt habere species, seu notitiam extremorū propositionis de talibus operibus. Neque si illis occurrant aut proponātur, iudicāt propterea esse possibilia, sed potiùs impossibilia, ob difficultatem, & repugnantiā apparentē. Etenim cognitis licet extremis, non est facile iudicare, ac ne quidem dubitare de eorum connexione, si connexio appareat euidenter impossibilis. Sicut cognitis duobus extremis, Deo & peccato, non est facile dubitare, an Deus possit peccare: vt neque, an possit desinere esse. Deinde hîc non loquimur de simplici dubitatione, aut inquisitione: sed de iudicio absoluto, euidenti, certo, vel opinatiuo.

Dices, Angelus nouit naturaliter naturam humanam non esse alligatā essentialiter propriæ subsistentiæ, sed sine illa esse posse virtute diuina: sicut nouit naturaliter accidentia posse esse sine subiecto, & non esse illis essentiale inhærere actu. Cùm enim optimè nota sit Angelis natura substātiæ & accidentis: nō est existimādum hoc ab illis ignorari: sed potiùs hoc ipso quòd Angelus optimè cognoscit vtriusque essentiā, & naturā: cognoscit etiam essentialē omnē, & naturalē, vtriusque depēdentiā, vel indepēdentiam. Si autē nouit Angelus naturā humanam posse esse sine propria subsistentia: facile potest opinari quòd possit terminari per subsistentiam diuinam. 15. Altera obiectio diluitur.

Respondeo admisso antecedēte, quòd non bene meo iudicio negatur à Suare disp. 3. sect. 1. Neque enim video, cur id Angeli naturalē cognitionē excedat. Respōdeo, inquā, sequelam nullam esse. Nam illa ratio non sufficit ad id vel probabiliter iudicandum. Et aliundè summæ & insuperabiles difficultates, quæ Angelo occurrunt in huiusmodi terminatione, & vnione hypostasis diuinæ cum natura humana, non patiūtur Angelū vel probabiliter assentiri. Addo quod rectè notant Valentia q. 1. de Incarn. pūcto 2. §. *Videtur autē*, & Tannerus q. 1. dub. 1. n. 6. dupliciter posse cognosci aliquid esse possibile. Primò, absolutè & vndequaque: ita vt sciamus nihil esse, aut verè excogitari posse quod obstet eius possibilitati. Secūdò, imperfectè & secundū quid: quia scimus eorū quæ nobis occurrūt nihil esse quod ostēdat impossibilitatē: licet fortè aliquid nobis incognitum eam probare possit. Quamuis ergo Angeli hoc secūdo modo cognouissent possibilitatem Incarnationis: non propterea primo, de quo est quæstio. Valentia. Tannerus.

Instabis, quia nouit Angelus euidēter Deum esse, & posse quidquid non implicat cōtradictionē. Nouit quoque nō implicare contradictionē Deū incarnari. Quia neq; in terminis illis cōtradictio est: neq; per mediū vllū demōstrari potest implicare: & quæcūq; argumēta in contrariū occurrūt, solui possūt ab Angelo. Sic ergo potest secum ratiocinari. Quidquid non ostenditur esse impossibile, censendū est Deo esse possibile: quia in fauorem omnipotentiæ diuinæ iudicandū est, nec illi facile de- 16. Alia instantia.

trahendum. Atqui non ostenditur impossibile Deum incarnari: Ergo censendum est possibile Deum incarnari.

Respondeo primò, Angelũ scire multas esse latẽtes cõtradictiones, quæ sunt, quamuis nõ ostẽdãtur: neq; reipsa esse possibile quidquid non ostenditur esse impossibile. 2. Non esse censẽdũ possibile in fauorẽ omnipotẽtiæ diuinæ, sine alio argumẽto, id à quo lumẽ naturale velut impossibili planè abhorret cõmuniter, quãuis contradictio non clarè ostẽdatur: cuiusmodi est, verbi gratiâ, quòd oculus corporeus possit videre Deũ, quòd creatura possit creare, & similia. Tertiò, probabilius esse quòd Angelus sibi relictus, & nulla diuina reuelatione adiutus, iudicaret argumẽta aliqua esse demonstratiua, quæ nos eàdem adiuti negamus, quia mysterio reipsa facto, & nobis reuelato, videmus esse aduersa. Multa enim propter reuelationes diuinas corrigimus in Philosophia, quibus alioqui indubitanter assentiremus.

17. Tertia cõclusio: non posse naturaliter cognosci Incarnationem postquã reipsa exhibita fuit.

Dico tertiò etiam supposita reali exhibitione huius mysterii, nõ posse solo lumine naturali Incarnationem Verbi, aut eius possibilitatem cognosci: ac neque etiam Incarnationem Dei simpliciter. Probatur, quia hoc mysterium, quamuis reipsa exhibitum, est intrinsecè & in substantia supernaturale: adeóque non potest per se immediatè cognosci solo lumine naturali. At neque etiam per aliud: quia nullum est principium, aut medium naturale, ex quo deduci possit. Igitur manet adhuc ignotum naturaliter, donec reueletur, & per argumenta supernaturalia sufficienter probetur.

Obiectio, quomodo non esset nota Angelo?

Dices, Angelus cognoscebat Christi humanitatem subsistere. Et similiter cognoscebat non subsistere per propriam subsistentiam. Nam euidenter cognoscebat omnia naturalia Christi, inter quæ tamen non videbat esse subsistentiam creatam eiusdem humanitatis. Ergo cognoscebat eam subsistere per diuinam subsistentiam. Patet consequentia: tum quia si substitisset per aliam subsistentiam creatam: Angelus eam vidisset. Tum etiam quia euidens erat Angelo quòd nulla hypostasis creata poterat supplere hypostasim naturæ humanæ: ergo cognoscebat eam suppleri à diuina hypostasi.

18. Medinæ responsio non satisfacit.

Respondet Medina quæst. 2. introductoria de Incarnatione in solutione sexti argumenti, cognouisse quidem Angelũ naturaliter humanitatẽ Christi subsistere subsistentiã increatã: sed non propterea cognouisse Deum esse hominem. In quo mihi videtur pugnantia asserere. Nam cognoscere Deum esse vnitum hypostaticè humanitati, est cognoscere Deum esse hominem. Sicut à parte rei Deum esse vnitum hypostaticè humanitati, est ipsum esse hominem. Ex tali enim vnione existit compositum quod est Deus & homo. De instantiis verò à Medina obiectis, quòd Deus non sit sanguis, neque anima, vel corpus, quamuis vniatur sanguini, animæ, & corpori, etiam quando hæc fuerunt à se inuicem separata: dicemus infra disp. 8. sect. 3. Interea verò ad argumentum respondeo, Angelum solo lumine naturali, sine reuelatione, miraculis, & aliis signis Diuinitatis Christi, non cognouisse eius humanitatem subsistere per subsistentiam increatam, seu Verbi diuini, seu Dei confusè cogniti. Sed cùm non videret propriam subsistentiam humanitatis: potuisse existimare, vel eam sibi occultari à Deo ad aliquem finem sibi ignotum: vel fortasse illam carere omni subsistentia: sicut iudicat accidentia Eucharistica carere modo connaturali inhæsionis. Addunt aliqui potuisse Angelum existimare Christi humanitatem terminari subsistentia aliena creata, sibi abscondita, vel fortè supernaturali & incognoscibili naturaliter. Quod an sit possibile dicemus alibi, & quamuis reipsa sit impossibile, potest ignorari ab Angelo qui naturaliter non cognoscit quicquid est absolutè possibile. Sed non assentior affirmantibus modum subsistendi alienum esse Angelis ignotum naturaliter, propter nimiam suam subtilitatem: æquè ac actus internos intellectus & voluntatis alienæ. Cùm enim hæc omnia sint realia & naturalia: & Angelus cognoscat naturaliter suam ipsius subsistentiam, & suos actus internos, æquè subtiles, idque conceptu proprio, germano, quidditatiuo, perfectéque intuitiuo non video cur ob nimiam subtilitatem non possit quoque naturaliter aliorum Angelorum vel hominum subsistentiam & actus intueri. Si autem reipsa non cognoscit actus alienos internos, id prouenit potiùs ex impedimento morali, id est, negatione concursus diuini, propter bonum commune reipublicæ hominum, & Angelorum, vt suppono ex Tractatu de Angelis. Quod præter Ocamum, Gabrielem, Basssolium, & alios antiquiores ibi citatos docent è nostris Recentioribus Hurtadus disp. 12. Metaph. sect. 4. num. 30. primæ editionis, & Theophilus Raynaudus dist. 4. Theolog. natur. quæst. 1. art. 4. num. 88.

Verà eius solutio.

Alia quorundam responsio reiicitur.

Hurtad.

Raynaud.

19. Quarta cõclusio. Supposita reuelatione possumus naturaliter assentiri huic mysterio: & aliquas rationes afferre ad probandũ esse possibile.

Dico quartò, supposita reuelatione huius mysterii sufficienter credibili, potest Angelicus & humanus intellectus, ab ea adiutus, viribus propriis de cætero, illud non modò cognoscere: sed & rationes excogitare, siue ex naturalibus, siue ex aliis fidei mysteriis, quibus eius possibilitas verisimiliter ostendatur: atque etiam soluere negatiuè quidquid contra illam obiicitur. Prima pars huius conclusionis probatur ex dictis in tractatu de Fide disp. 10. sect. 2. de actu interno fidei, vbi generatim ostendimus intellectum posse naturaliter assentiri obiectis fidei propositis sufficienter: licet non tam perfectè, ac requiritur ad iustificationem: ad quod vltrà propositionem externam, requiritur internum Spiritus sancti auxilium eleuantis intellectum ad supernaturaliter & dignè assentiendum: iuxta definitionem Tridentini sess. 6. can. 3. Arausicani can. 7. & Mileuitani can. 4.

Probatur prima pars conclusionis.

Mileuit.

Ratio præcipua eiusdem partis est, quia intellectus potest naturaliter apprehēdere terminos propositionis reuelatæ, eorumque significationem: & agnoscere (quamuis minus perfecte) vim motiuorū, nempe miraculorum, vel aliorum signorum diuinorum, quibus sufficienter credibile sit Deum reuelasse. Illisque apprehēsis & prudenter expensis potest iudiciū formare secundū sufficientiā motiuorū, & præpōderātiam præ omnibus oppositis, atque ita propositioni reuelatæ assentiri.

20. Probatur pars secunda conclusionis, & afferuntur argumenta illa ad Incarnationem persuadendam apta.

Secunda pars conclusionis probatur, quia intellectus, sublatā iam per fidē difficultate, prima facie occurrente, quā per se solum superare nō poterat; sic secū potest ratiocinari, Si corpus materiale, & anima spiritualis, possunt naturaliter vniri in vnum compositū per se non obstante tanta disproportione & differentia extremorum: quidni supernaturaliter, & per absolutam Dei potentiā infinitam, Verbum diuinum, & humanitas Christi possint in vnum compositum supernaturale cōuenire? Si accidentia in Eucharistia possunt priuari propriā inhærentiā: quidni substantiā priuari possit propriā subsistētiā? Et si eadem accidentia existunt sine subiecto, vi diuina; cū ex natura sua non possint esse nisi subiecto inhæreant: quidni possit eadē vis diuina efficere vt natura substātialis existat in supposito alieno, quāuis ex natura sua exigat per se subsistere? Si denique vnica natura diuina potest esse in tribus personis: quidni & duæ, aut plures naturæ possint esse in vnica persona? Quibus & similibus exemplis vtuntur Sancti Patres, Iustin. Cyrill. Theodoret. Bernard. & alii. Addit Durandus perfectionis esse sustētare aliud, modò ratio & imperfectio potentiæ passiuæ remoueatur: sicuti remouetur ab hoc mysterio, in quo Verbum diuinū sustentat humanitatem altiori quodam terminandi modo. Sed hæ rationes iuuāt quidem, supposita fide mysterii, & præsertim adiutæ pio credulitatis affectu: alioqui verò non probāt. Vt neque illa quam addit Suares disp. 3. sect. 1. quòd cùm tota humana sapiētia persuadere nunquā potuerit hoc mysteriū esse impossibile; credibile fiat illud esse possibile. Etenim ad credendū prudenter aliquid esse possibile, non sufficit quòd non demōstretur illud esse impossibile, sed debent suppetere rationes præponderātes difficultatibus in cōtrariū occurrētibus. At illæ non occurrūt circa Incarnationem, sine lumine fidei. Et non sequitur esse possibile, quidquid non demōstratur esse impossibile: neque sine alio argumento credi debet esse possibile. Negaret quoque Philosophus Ethnicus illum modū altiorē terminādi, de quo Durandus, esse possibilem: de quo alibi. Reliqua verò argumēta, vel exempla, nituntur medio vel per se incredibili sine reuelatione, vel adeo dissimili, vt specialem huius mysterii difficultatem non tollant.

Iustin. in exposit. fidei Cyrill. in Epist. ad Monachos Aegypt. Theodoret. dialog. 2. Bernard. Serm. 3. in Vigilia natiuit.

Quantam vim habeāt argumenta prædicta.

21. Probatur tertia pars conclus.

Tertia pars assertionis, quòd scilicet solui possint argumēta infideliū contra Incarnationem, probatur, quia cùm iam fide diuina certum sit hoc mysterium reipsa factum esse: certum pariter est non esse impossibile: & falsum esse quidquid cū eius possibilitate stare non potest. Et quia reipsa falsū est incarnationem esse impossibilem: non potest demōstrari esse impossibilem, quia falsum nō potest demonstrari esse verum. Omnis enim demonstratio est ex veris: & ex vero non potest bene concludi nisi verū, vt suppono ex principiis Dialecticæ. Quare quidquid obiicitur cōtra possibilitatē incarnationis, solui potest à Theologo Christiano, negatiuè saltem, id est, negando propositiones quæ non possint euidenter probari, quasq; sibi certissimè constat falsas esse & indemōstrabiles: Et simul generalem aliquam rationem reddendo, vel ex disparitate inter res diuinas & creatas, vel ex generalibus fidei nostræ motiuis, vt ostendatur non imprudenter & sine causa negari. Potest etiam Christianus Theologus conuincere positiuè infideles per argumenta credibilitatis, & reuelationes diuinas summè credibiles. At non solis argumentis seu rationibus naturalibus: quia nullæ sunt tales rationes naturales huius mysterii: adeóque fides nullas suppeditat Theologo. Est enim hoc mysterium planè supernaturale, nullum habens in rebus naturalibus vestigium aut medium, quo possit conuinci.

quòd scilicet solui possint argumenta Infidelium contra Incarnationē.

SECTIO III.

Difficultates circa possibilitatem Incarnationis.

22. Prima difficultas naturalis circa mysterium Incarnationis sumpta ex ratione subsistētiæ.

Obiici potest 1. esse euidenter impossibile naturam humanam subsistere per Verbum diuinum. Nam subsistere est stare per se. Ergo implicat quidquam subsistere per aliud à se realiter distinctum. Quia stare per aliud realiter à se distinctum, non est stare per se. Et implicat vt stare per aliud, sit stare per seipsum. Ergo implicat humanitatem subsistere per Verbum diuinum realiter à se distinctum.

23. Secunda difficultas ex eodem capite.

Secundò, Tam implicat naturam humanam priuari propriā subsistentiā, & subsistere subsistentiā alienā: quàm implicat eam priuari existentiā propriā, & existere existentiā alienā. Secundum autem est apertè impossibile. Ergo & primum. Probatur maior, quia in natura substantiali completa & integra in sua specie, idem est subsistentia, & existentia. Talis enim existentia, debet esse substantialis. Ergo debet esse existentia per se, quia substantia est ens per se. Ergo est subsistentia, quia subsistere est esse seu existere per se. Ergo si natura humana non potest priuari existentiā propriā, vt existat per alienam: ita neque priuari potest subsistentiā propriā, vt subsistat per alienam. Minor verò, quòd scilicet sit apertè impossibile naturam humanam priuari existentiā propriā, & existere alienā, probatur, quia existentia rei nihil est aliud quàm res ipsa prout est actu extra nihil. Est autem actu per seipsam formaliter: neque potest existere, & non esse ipsamet actu secundum se. Neque exi-

stere formaliter per aliud à se distinctum: quia quidquid aliud ponatur; nisi ponatur ipsamet, & sit actu; non existit: si autem ponitur ipsamet, & est actu in rerum natura: ideo formaliter, & præcisè, ac primò existit, quia ipsamet actu est. Ergo non existit formaliter per aliud, sed per seipsam. Adde quòd si res aliqua existeret formaliter existentiâ alienâ; deberet cum illa componere ens existens, quod per illam compositionem formaliter existeret. At omnis compositio realis supponit extrema existere naturâ priùs. Ergo res existeret naturâ priùs quàm acciperet existentiam: quod implicat. Item quidquid componit cum alio realiter, aduenit illi actu existenti: neque enim aduenit illi in statu purè possibili, & actu nihilo: quomodo enim cum nihilo componeret? Ergo si existentia distinguitur ab essentia, & componit cum illa realiter: aduenit illi actu iam existenti: Ergo existit naturâ priùs quàm habeat existentiam sibi aduenientem.

23. Tertia difficultas ex natura modorum. Tertiò, cùm subsistentia, iuxta veram philosophiam, sit modus se habendi indistinctus à re, & merus vsus standi per se, siue actualitas naturæ substantialis, aptæ naturaliter & sufficientis stare propria vi: tam videtur implicare rem aliquam subsistere subsistentiâ alienâ: quàm implicat aliquem sedere sessione aliena, aut agens agere formaliter actione aliena, aut quantum terminari formaliter & intrinsecè figura aliena realiter distincta. Quæ omnia sunt euidenter impossibilia.

Quarta difficultas, ex improportione. Quartò, inter extrema vnibilia ad componendum ens per se debet esse aliqua proportio. At hæc non est inter humanitatem Christi finitam, & hypostasim Verbi infinitam: quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Certè si ex substantia & qualitate, v. g. non potest fieri ens per se, quia sunt diuersi generis: multò maior est distantia & improportio inter hypostasim Verbi, & humanitatem.

Quinta difficultas ex Dei immutabilitate. Quintò, sequeretur Verbum diuinum fuisse mutatum realiter in Incarnatione. Mutari enim est aliter se habere, quàm ante. At Verbum diuinum aliter se habuisset quàm antea: quia fuisset homo, quod antea non erat, per physicam & intrinsecam adiunctionem humanitatis: ex qua homo diceretur, vera & reali denominatione intrinseca: vt corpus dicitur animatum ab anima sibi vnita: & manus dicitur calida, à calore sibi adueniente. Confirmatur, quia sicut humanitas verè dicitur esse mutata, ex eo quòd Verbo vniatur: ita Verbum debet dici mutatum, ex eo quòd vniatur humanitati. Item si Angelus, v.g. vniretur hypostaticè humanitati, mutaretur sine dubio: quia aliter post, quàm ante, se haberet. Ergo Verbum æquè mutatur, quia æquè aliter se habet post talem vnionem. Ad hoc enim nihil refert quòd vna hypostasis sit creata, alia increata. Nam humanitas adueniens æquè vtramque mutat, afficiendo intrinsecè, & velut informando.

Sextò, non tantùm in ipsa prima susceptione humanitatis Verbum mutatum fuisset: sed & continuò deinceps ad omnem mutationem humanitatis de loco vno in alium. Nam vnio inter humanitatem & Verbum non est vbique, sicuti Verbũ ipsum: sed tãtùm vbi humanitas est, & vbi ipsa Verbo coniuncta est. Ergo quando humanitas mutat locũ; vnio pariter mutat locum, & afficit Verbũ secundum aliam partem virtualem immensitatis, seu replicationis infinitæ Verbi, respondentem ei loco, in quo nunc humanitas est. Atque ita Verbum vnitur de nouo humanitati, vbi priùs non vniebatur; & in ea parte virtuali suæ immensitatis, in qua priùs non vniebatur. Quæ vnio prout se tenet ex parte hypostasis Verbi tanquam vsus & exercitium intrinsecum illius vt vnibilis, vel de nouo fit pereunte priori: vel manet eadem quæ prius, & mouetur tantùm localiter ex parte Verbi, sicut mouetur ex parte humanitatis. Vtrumque autem absurdum est. Quia si noua vnio fit, pereunte priori: Incarnatio continuo aut frequentissimè desiit & incepit. Et humanitas non potest moueri, quin auellatur à Verbo secundum quid, & dissoluatur vnio physica: quod perinde absurdum est, ac si quis diceret non posse animam moueri, quin dissoluatur vnio cum corpore? Si verò vnio mouetur hypostasi manente immotâ (moueri enim non potest, cùm sit immensa, & immobilis æquè, ac ipse Deus) ergo modus rei, vel potiùs merus vsus quasi auellitur à re, cuius est vsus: quod euidenter impossibile est: cùm modus esse nequeat sine re modificata, & vsus non sit aliud, quàm res ipsa prout ita se habens per seipsam, sine vlla alia entitate distincta, & separabili. Confirmatur: quia vsus ille, siue vnio prout se tenet ex parte Verbi, vel est vbi antea erat, vel perit, vel in locum alium transit. Atqui non est vbi erat priùs: quia humanitas ibi iam non est, & sine illa vnio esse non potest. Vel ergo periit, vel aliò transiuit: quorum vtrumque absurdum est. His addunt Infideles absurdum esse, Deum fuisse infantulum, mortalem &c. Sed hæc facilè explicantur per idiomatum communicationem, & infinitam Dei bonitatem non dedecent.

24. Sexta difficultas ex eodem capite, & ex motu locali humanitatis.

Ad primum, Respondeo cum Vasque disput. 71. de Incarnat. num. 11. subsistere dupliciter sumi. Primò, pro eo quod est per se esse, siue stare propria vi, & ex propria sufficientia, esseq; seipso vltimò cõpletum, & terminatum secundum existentiam: atque ita sistere in seipso, incommunicabiliter alteri, siue vt terminanti, siue vt supposit anti, siue vt sustentanti: quod est absolutè subsistere. Et hoc modo non potest vlla natura substantialis subsi-

25. Solutio difficultatis ex natura subsistentiæ.

stere per alienum suppositum. Implicat enim subsistere hoc modo, & suppositari ab alio. Secundò sumitur pro eo, quod est terminari, seu compleri quoad suum esse substantiale, aliquo supposito, & esse partem substantialem totius per se stantis: vt fit etiam tunc quando loco propriæ subsistentiæ, siue actualitatis essendi per se, & complementi naturalis existentiæ propriæ, natura substantialis, apta per se subsistere, vnitur substantialiter alienæ subsistentiæ, ab illaque completur, & terminatur secundum existentiam. Quod est subsistere tãtùm denominatiuè, id est, partem esse compositi subsistentis, & vi propria stantis ratione alterius partis. Eoque modo non repugnat naturam humanam subsistere alieno supposito realiter distincto, esseque partem totius compositi ex humanitate, & hypostasi Verbi. Quod compositum subsistit propriè, & absolutè ex parte hypostasis Verbi: humanitas verò denominatiuè tantùm ab illa dicitur subsistere: sed non dicitur subsistere absolutè, hoc est, per se esse; sed potiùs in alio esse, & ab alio terminari, & per alienum suppositum seu in alieno supposito subsistere, nempe in Verbo.

Subsistentia quid sit.

Et quidem subsistentia generatim est vltimus terminus seu complementum existentiæ naturæ substãtialis aptæ vi propria stare: sicut inhærentia est vltimus terminus seu complementũ existentiæ accidentiũ, & formarũ materialium, quæ postulant inhærere, & nõ possunt naturaliter vi propria stare: Estque simul subsistentia modus standi per se, & incommunicabiliter alteri supposito, vel alieno termino existentiæ, quãdo est propria & connaturalis subsistentia. Secus autem quando est aliena, respectu naturæ cui est aliena. Illa enim non per se stat incommunicabiliter, sed reipsa communicatur alteri supposito, & subsistentiæ realiter distinctæ: quã nihilominus terminatur, & vltimò cõpletur substantialiter. Et quamuis difficile sit intelligere & explicare quid sit illud munus cõplendi & terminandi existentiam substantialem: quæque sit propria ratio subsistentiæ, & quid formaliter addat supra naturam: quippè cuius distinctio à natura subsistente, nobis solùm per reuelationem innotuit: dici tamen potest quòd sicut aliquæ formæ substantiales, & substantiæ completæ exigunt naturaliter aliquẽ terminum, & modũ existendi, ad suum complementum & esse connaturale. v. g. forma leonis, & leo ipse, exigit talem terminum seu cõfigurationem, & quantitatem partium, vt sit in esse suo connaturali completo: sic naturas substantiales completas, & formas rationales, ac materiam primã, exigere aliquod complementum suæ existentiæ, quod est propria subsistentia: cuius loco, possunt compleri & terminari alienã diuinã. Cur autẽ formæ materiales non assumantur hypostaticè à materia quando illi vniuntur, & subsistunt in toto, illius beneficio; ratio est, quia non amittunt per illam vnionem modum essendi per se, cuius sunt incapaces: quippe quæ pendent naturaliter à materia vt à sustẽtante, ideoque non priuantur proprio & connaturali cõplemento, quo per se starent incõmunicabiliter alteri vt terminanti, vel subiectanti & sustẽtanti, vt accipiant loco illius complementũ & terminationem propriæ existentiæ à subsistentia materiæ: quemadmodum fit in natura humana respectu Verbi: qua de re plura dicemus inferiùs disp. 7. sect. 1.

26. Solutio secundæ difficult. ex inseparabilitate substantiæ à re subsistente.

Ad secundum Respondeo negando maiorem: quia subsistentia non est simpliciter existentia rei existentis: sed est complementum existentiæ substantialis, & modus ac terminus illius, sine quo potest substantia existere seu esse actu extra nihil, & tamen nõ existere per se, sed esse in alieno supposito: sicut inhæsio accidentiũ non est ipsamet existẽtia accidẽtium, sed illius modificatio, sine qua possunt accidentia existere: ita vt actu sint, & tamen nulli subiecto inhæreant: vt fit in accidẽtibus Eucharisticis. Ad probationẽ maioris dico existentiam substãtialem naturæ cõpletæ non esse ipsam subsistentiam; sed esse existentiam rei quæ exigit subsistere: eoque sensu existẽtiam illam esse existentiam per se, ac longe diuersam ab existentia accidentium quæ exigũnt esse in alio vt in subiecto sustentante.

27. Solutio tertiæ difficult. ex natura modorum.

Ad tertium Respondeo subsistentias diuinas non esse merum vsum, vel purum modum se habẽdi: sed esse ita modos, vt sint etiam tres res, vt communissimè docent Theologi cum Magistro in 1. d. 25. lit. H. D. Thom. 1. p. q. 28. a. 3. c. & D. August. l. 1. de doctr. Christiana c. 5. Res, inquam, & perfectiones, quæ propter suam excellẽtiam infinitam sunt capaces complendi & terminandi naturam alienam, loco propriæ hypostasis, iuxta doctrinã S. Thom. q. 3. a. 1. in corpore, & ad 2. vbi ait: Proprium esse diuinæ personæ, propter ipsius infinitatem, vt fiat in ea concursus duarũ naturarum secundũ subsistentiam. Addo inter vsus, seu modos se habendi, aliquos esse qui modificant in ordine ad aliud, illudque attingunt, & afficiũt. Cuiusmodi sunt. v. g. vsus siue vniones partiũ. Nã vsus, & exercitiũ vnibilitatis vnius partis, illam modificat in ordine ad aliam partem, quam attingit, & afficit, quatenus alteram ipsi vnit.

28. Solutio quartæ difficult. ex improportione. Proportio duplex est, geometrica, & arithmet. Sitne inter finitum & infinitum?

Ad quartum Respondeo cum Valentia q. 1. de Incarnat. puncto 2. duplicem esse proportionẽ. Vnam geometricam vel arithmeticam, consistentẽ in certo quodã excessu quantitatis, aut perfectionis: vt inter duo, & quatuor: quatuor & octo. Alterã habitudinis, siue ordinis alicuius inter vnũ & aliud: vt inter causam & effectum, potentiam & obiectum, materiam & formam, & similia. Prior proportio inter finitum & infinitum esse nequit: quia inter illa non potest esse certus & determinatus excessus. Secus autem posterior: vt patet, quia Deus alioqui non posset esse causa creaturarum, cùm creaturæ sint finitæ, & ipse infinitus. Neque posset à nobis cognosci naturaliter, vel ab Angelis;

Angelis: quod est falsum, & contra Apostolum Rom. 1. v. 20. Sicut autē inter effectum finitum & causam infinitam est proportio habitudinis, in eo consistens quòd talis effectus possit à tali causa produci: & similiter inter potentiam finitam & obiectum infinitum, in eo consistens, quòd hæc possit ab illa vtcumque cognosci: Sic est inter naturam finitam & hypostasin infinitam, in eo consistens, quòd hæc possit illi vniri, illamque terminare. Quòd si instes Deum non agere tota sua infinitate; id est, quantum potest vi sua infinita, quando producit effectum finitum: neque à nobis cognosci perfectè & adæquatè, aut distinctè, ipsius amplitudinē infinitam. Respōdeo, neq; similiter vniri immediatè Verbi hypostasim adæquatè secundum totam virtualem suam amplitudinem, quā infinitè excedit capacitatem obedientialem humanitatis. Non est autem par ratio de substantia & qualitate. Quia licet minùs distent in perfectione entis: magis tamen distant in ordine ad vnionem substantialem, & constitutionem vnius substantiæ completæ, quæ non nisi ex partibus substantialibus constitui potest, & ex rebus eiusdem generis, aut quasi generis, nempe substantiæ.

SECTIO IV.

Soluitur quinta & sexta difficultas, quomodo Deus non mutetur in Incarnatione.

29. Solutio 1. quintæ difficultatis. AD quintum, varij varia respondent. Nulla enim est grauior in hoc mysterio difficultas, cuique minùs ab humano ingenio satisfieri possit. Suares disputatione octaua, sectione tertia. Lessius libro duodecimo de Perfectionibus diuinis, capite sexto, & alij plerique dicunt Verbum vniri humanitati per modum quemdam vnionis distinctum modaliter & ex natura rei ab extremis. Qui modus, quia in sola humanitate fit & recipitur, ideo sola ipsa mutatur, & passiuè se habet: Verbum autem tantùm se habet terminatiuè, quatenus terminat nexum illum, & naturam sibi vnitam. Verùm hæc distinctio vnionis ab extremis alibi refutabitur disput. 5. sect. 6. & 7. vbi ostendemus extrema vnibilia vniri immediatè inter se per vsum simplicem & indistinctum suæ vnibilitatis. Qui vsus ex parte vtriusque se tenet: quia vtrumque per se vnibile est, & per se vnitur alteri, humanitas Verbo, & Verbum humanitati. Deinde dato & non concesso quòd vnio sit modus distinctus, manet difficultas, quomodo Verbum non mutetur, cùm verè adiungatur illi modali vnioni, & humanitati; atque ab vtraque afficiatur per veram & physicam coniunctionem, non autem per extrinsecam denominationem. Confirmatur, quia licet vnio animæ rationalis cum corpore in eo solo reciperetur, vt aliqui existimant, aut in anima sola: tamen vtrumque mutaretur per intimam adiunctionem alterius. Ergo similiter Verbum debet mutari, si nihil aliud obstet mutationi.

Reijcitur.

Neque melius est quod solent respondere Thomistæ cum Didaco Aluares disput. 2. de Incarnat. §. *Ad primum argum.* Verbum non esse mutatum per Incarnationem, quia acquisiuit tantùm relationem rationis, propter mutationem & relationem realem factam in humanitate, cuius relationis Verbum intelligitur esse terminus. Relatio autem, præsertim rationis, potest alicui aduenire de nouo, absque ipsius mutatione, per solam mutationem alterius. Vt Petrus, verbi gratia, potest fieri dexter, eo solo quòd alter ad illius sinistram accedit. Quo exemplo vtitur S. Thom. quæst. 16. artic. 6. ad 2. Alij vtuntur exemplo columnæ, quæ manet immutata, licet accedat aliquis qui eam brachiis complectatur, aut licet onus aliquod sustentandum ipsi superponatur. Hæc, inquam, responsio non est melior præcedente, sed est omninò reiicienda, si putent Verbum referri tantùm per rationem ad humanitatem: & non verè ac realiter illi vniri, eamque acquirere vt sibi physicè coniunctam: Aut Verbum esse dumtaxat terminum relationis realis in humanitate existentis: quasi non verè ab ipsa afficiatur, sed extrinsecè tantùm respiciatur, & dicatur factum homo per extrinsecam denominationem: vt Petrus extrinsecè se habet ad eum, cui dexter est? & columna, ad amplexum, vel ad pondus superpositum, sine vlla vnione physica cum illis. Sin autem per realem relationem factam in humanitate intelligunt vnionem realem in illa sola passiuè receptam, vt exponit Didacus Aluares loco citato: iam hæc opinio coincidit cum præcedente, sed minus clarè rem exponit, & impropriè loquitur. 30.

Solutio 2. Didaci Aluares.

S. Thom.

Refutatur prædicta solutio.

Aliter respondent eruditi quidam Recentiores, hanc totam difficultatem reduci ad assignandum subiectum, in quo fit vnio hypostatica. Deinde quantùm ex longo eorum discursu potest colligi, dicunt Verbum ideo nō mutari, quia non est subiectum vnionis: Licet enim Verbum ex vi vnionis hypostaticæ alligetur ad intimam coniunctionem cum humanitate, & ad componendum cum illa aliquod per se vnum, adeoque illi propriè & physicè vniatur: tamen cùm Verbum non supponatur incompletum, aut in potentia, vt integretur, & compleatur per aliquid aliud, sed potiùs supponatur omnino integrum, & completum: non potest dici, quòd in se recipiat intrinsecè vnionem, vel quòd per illam intrinsecè afficiatur, aut informetur, quia hæc omnia supponerent Verbum ante vnionem esse ens in potentia, non omnino completum, & integrum, sed vacuū. Quidquid enim recipitur in aliquo, sup- 31.

3. Solutio.

ponit in eo aliquam vacuitatem quam repleat. Humanitas verò afficitur intrinsecè vnione, recipitque illam: quia completur, & integratur per illam, & quia supponitur de se incompleta, & in potentia ad hoc, vt compleatur per aliquam subsistentiam. Et hæc, inquiunt, est ratio cur ex his duobus extremis vnum afficiatur intrinsecè per vnionem, & aliud non: & cõsequenter cur vnum mutetur, aliud non mutetur. Ita Delugo disp. 11. de Incarnat. num. 63.

32. Non planè satisfacit. Sed primò, incertum est quod supponit vnionem esse modum in re distinctum, qui vni tantùm extremorum inhæreat: cùm sit potiùs vsus & actus vnibilitatis vtriusque partis: quæ vt per se vnibilis est immediatè, ita per se immediatè vnitur: atque in sententia contrarium opinantium, debet saltem per se immediatè vniri ipsi modo vnionis: alioquin itur in infinitum, & ante quamuis vnionem mediat alia vnio. Si autem potest per se immediatè vniri ipsi modo vnionis: quidni & parti, quæ sæpissime magis ipsi conformis est, & naturâ propinquior, quàm modus vnionis? Secundò, quamuis vna pars tantùm esset subiectum vnionis, nempe humanitas in præsenti mysterio: manet difficultas quomodo Verbum non mutetur per vnionem humanitatis cum ipso. Sicut licet ex multorum opinione vnio animæ rationalis cum corpore, recipiatur in solo corpore: non est tamen dubium quin anima mutetur, cum de non informante sit informans. Quare non puto verum esse id, quod auctor citatus affirmat, totam hanc difficultatem reduci ad assignandum subiectum vnionis hypostaticæ. Tertiò, si Verbum physicè, & propriè vnitur humanitati ad componendum cum illa ens per se: ergo est incompletum in illo genere entis per se, nempe in esse hominis, aut humanati: estque in potentia ad complementum, id est, ad hoc vt in esse hominis integretur, & compleatur per aliquid aliud, nempe per humanitatem, & non supponitur completum & integrum, in illo genere. Quartò, si humanitas, eiusque vnio coniungitur intimè Verbo, vt fatetur Delugo; ergo recipitur intrinsecè à Verbo, & Verbum intrinsecè afficitur per illam. Quod enim aduenit alteri intrinsecè per modum formæ constituentis in aliquo esse, communicatque illi intrinsecè suum esse formale, recipitur ab illo intrinsecè, & intrinsecè afficit. At humanitas aduenit Verbo intrinsecè per modum formæ totius constituentis in esse hominis, seu humanati, communicatque illi intrinsecè per intimam coniunctionem physicam suum esse formale constitutiuum hominis: ergo, &c.

3. Sexta solutio Valent. Valent. quæst. 2. de Incarn. punct. 2. col. 2. respondet Verbum non mutari, quia mutatio non in eo consistit, quòd res de nouo fit aliquid, quod ante aliquo modo non erat, sed in eo, quòd fit aliquid, vel acquirat aliquid, quod priùs neque formaliter, neque eminenter perfectissimè continebat. Verbum autem continebat eminenter perfectissimè humanitatem: ideóque per illam non fuit mutatum. Confirmatur, quia mutatio, prout communiter intelligitur, sonat imperfectionem quandam rei, quæ mutatur, & velut indigentiam, necessitatemque eius, quod de nouo acquirit: quasi illud aut non antea habuerit vllo modo, aut certè modo præstantiori non omnino contineat. Cúmque motus, aut mutatio definitur actus entis in potentia, intelligitur simpliciter: ita vt res simpliciter, & absolutè aliter nunc se habeat, quàm priùs, acquirendo aliquid, quod absolutè non habebat.

Sed contra: Primò, definitio illa mutationis noua est, & voluntaria, & ad placitum excogitata: videturque ex aduerso notum per se quòd ad mutationem sufficiat habere formaliter aliquid, quod antea non erat nisi eminenter: aliquid, inquam, distinctum saltem realiter, cuiusmodi est humanitas respectu Verbi, ita vt sola continentia eminentialis, si nihil aliud sit, non impediat quò minùs subiectum mutetur, quando de nouo recipit formam secundum suum esse formale: & iam incipit habere formaliter id, quod prius eminenter solùm continebat. Confirmatur: quia licet sol contineat eminenter lucem, & aqua frigus: mutaretur tamen realiter ille, si de non lucido fieret lucidus: & hæc, si frigida de non frigida formaliter. Sic etiam Deus mutaretur, si reciperet de nouo actus intellectus, & voluntatis distinctos, quamuis eos antea eminentissimè contineret. Secundò, perfectio eminentiæ in eo consistit, iuxta Valent. ibid. quòd continens possit rem illam efficere, quam eminenter continet, & sine illa possit efficere quidquid ipsa, tanquam causa efficiens, aut coëfficiens posset facere. At Verbum non potest sine natura humana efficere omnia formaliter, quæ potest illa efficere, aut coëfficere, quia non potest sentire, nec appetere, nec similes actus humanos, præsertim vitiosos exercere. Tertiò, aliud est posse efficere, vel producere: & aliud est esse. Quare ex eo quòd aliquid possit efficere, non dicitur simpliciter esse id, quod potest efficere. Ex. gr. posito quòd ignis propria vi possit reperere natiuum calorem, & aqua natiuam frigiditatem: non est idem in igne, aut in aqua, esse, & posse: sed reuera mutatur ignis, dum reducitur ad perfectum calorem: & aqua, cum reducitur ad frigus perfectum.

Aliqui recentiores respondent Dei immutabilitatem, non esse passam detrimentum in incarnatione: quoniam, inquiunt, propriè tantùm mutatur, quod incipit esse in se, id quod antea non erat, aut desinit esse, id quod erat: scilicet quod minuit, vel auget suum esse primarium, vel secundarium, quod est perfici, vel corrumpi. Eo modo, inquiunt, mutatur quidquid recipit aliquam formam realem distinctam: vel etiam incipit alio modo se habere, etsi ille modus non sit distinctus, veruntamen ad esse secun- 34 Quinta solutio.

Impugnatur.

darium intrinsecum pertinet. In Incarnatione autem hypostasis diuina dumtaxat terminat vnionem humanitatis : quod est vel exercere aliquod officium reale circa rem extrinsecam, vel terminare eius exercitium.

Refellitur. Sed contrà: Primò, Verbum incepit esse in se id, quod antea non erat, cùm incepit esse homo per intrinsecam denominationem, auxitque eatenus suum esse secundarium, quia accepit aliquod esse adueniens primario, illique intrinsecè adiunctum. Nam per esse secundarium : cuius aduentu res mutatur, intelligendum est quodcunque esse, saltem distinctum, & reale, adueniens primario, & fundamentali. Secundò, cùm dicunt mutari esse idem, ac perfici, vel corrumpi : vel hac voce, *Perfici*, intelligunt bene, & conuenienter affici ; vel intelligunt affici quauis entitate, quæ dicatur perficere eo sensu, quo quælibet entitas dicitur esse perfecta, seu bona bonitate entis transcendentali. Prior sensus est falsus : nam aqua v. g. mutatur, cùm recipit calorem, & homicida, cùm exercet actum positiuum volendi occidere iniustè, & tamen non perficitur eo sensu. Item iuxta hunc sensum falsum est, quod addunt isti Doctores, eo modo mutari quidquid recipit aliquam formam realem distinctam. Nam non omnis forma realis, quæ recipitur, perficit, id est, bene, & conuenienter afficit subiectum. Posterior verò sensus est improprius, & inutilis ad propositum. Nam iuxta illum negari nequit Verbum perfici, quando recipit humanitatem, quæ, sicut res cæteræ, bona est, & perfecta perfectione entis. Quare Verbum perficitur hoc sensu, id est, recipit aliquam perfectionem sibi adiunctam, quando recipit humanitatem, quæ est perfectio quædam in genere entis. Tertiò, si mutatur quidquid recipit aliquam formam realem, & distinctam ; ergo Verbum mutatur cùm recipit humanitatem, quæ est forma totius, realiter distincta à Verbo; & quamuis non exerceat propriè munus causæ formalis circa Verbum ; illud tamen per modum causæ formalis constituit in esse hominis, seu humanati. Quartò, in Incarnatione hypostasis diuina non terminat tantùm extrinsecè vnionem humanitatis, aut aliquod aliud officium reale exercet circa rem extrinsecam : sed Verbum vnitur intrinsecè humanitati, aut eius vnioni, ipsique adhæret immediatè per visum suæ vnibilitatis. Estque impossibile, & inintelligibile duo coniungi immediatè, nisi alterum alteri vicissim adhæreat. Quare humanitas, vel eius vnio, non est aliquid extrinsecum Verbo, sed aliquid intimè, & intrinsecè afficiens Verbum. Vnde Verbum dicitur vnitum, & humanatum, denominatione intrinseca. Sicut aqua denominatur calida, aut aër lucidus, à forma sibi vnita & intrinseca per vnionem physicam, quæ sine dubio sufficit ad realem mutationem. Quintò, Quid est hypostasim diuinam terminare tantùm extrinsecè vnionem humanitatis ? Vel enim intrinsecè vnitur humanitati, vel non ? Si primum : ergo non terminat tantùm extrinsecè vnionem ; sed vnio est illi intrinseca, quandoquidem vnitur intrinsecè. Secundum autem est falsum, & inintelligibile. Falsum, quia impossibile est vniri duo physicè, absq; eò, quòd vtrumq; vtriq; adhæreat, & in vnionem, siue compositionem ingrediantur ambo intrinsecè. Deinde tam verè, & propriè vnitum est Verbum humanitati, quàm humanitas Verbo. At hoc non esset verum, si humanitas tantùm esset vnita intrinsecè: Verbum autem extrinsecè per vnionem humanitatis, quàm terminet tantùm extrinsecè. Esset enim æquiuocatio, & differentia: sicut in eo, quod denominatur sanum à sanitate intrinseca, vt animal ; & quod ab extrinseca, vt pulsus, & medicina. Denique est inintelligibile quid sit vnionem terminari tantùm ad Verbum, & tamen Verbum vniri humanitati. Quomodo enim potest illud vnire, si Verbum tantummodo terminat eius vnionem extrinsecè tanquam ei contiguum ? Et cur non Pater, & Spiritus sanctus dicuntur æquè terminare: cùm Pater & Spiritus sanctus non minùs sint ei vnioni præsentes, & indistantes, quàm Verbum ?

Ex his apparet quàm sit difficile, & vix humano ingenio explicabile, quod quærimus. Existimo autem primò admitti posse in Verbo innouationem quandam, quoad modum se habendi : id est, Verbum cœpisse nouo quodam modo se habere quatenus fuit vnitum humanitati, & verè atque intrinsecè incepit esse homo per incarnationem : sicut Ecclesia ipsa admittere videtur, quando in officio diei octauæ Natiuitatis sic canit : *Mirabile mysterium declaratur hodie: innouantur naturæ : Deus homo factus est : id, quod fuit, permansit, & quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque diuisionem.* Ad quem loquendi modum accedit S. Leo serm. 2. de Natiuit. cap. 2. cùm dicit, Filium Dei *nouo ordine, noua natiuitate generatum fuisse. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis, visibilis factus est in nostris. Incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, esse cœpit ex tempore. Vniuersitatis Dominus seruilem formam obumbratâ maiestatis suæ dignitate suscepit. Impaßibilis Deus non dedignatus est homo esse paßibilis, & immortalis mortis legibus subiacere.* Quod idem repetit in epist. 10. ad Flauian. de qua Gelasius Papa C. *Sancta Romana Ecclesia*, dist. 15. sic pronunciauit : *Si eius textum quispiam vsque ad vnum iota disputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.* Significat autem S. Leo verbis relatis, nouum illum ordinem se tenere non solùm ex parte naturæ humanæ ad fastigium diuinitatis euectæ : sed etiam ex parte Verbi facti hominis, visibilis, comprehensibilis, passibilis, atque mortalis: ita vt nouum Verbo fuerit tale fieri. Eodéq; pertinet illud Ier. 31. v. 22. *Nouum creauit Dominus super terram. Fœmina circundabit virum.* Quod plurimi

3. Vera ratio cur Verbũ non mutetur.

Sanctorum, Patrum relati; ab Hieronymo à Castro in commentario illius loci, referunt ad mysterium Incarnationis. Hæc enim nouitas ad vtramque naturā pertinet, diuinam, & humanam. Quia sicut nouum fuit homini fieri Deum, ita & Deo, fieri hominem. Vtque natura humana nouo & antea inusitato modo se habuit, quando fuit vnita realiter & intrinsecè Verbo: ita & Verbum, quando intrinsecè, realiterque fuit vnitum humanitati, vt fieret & diceretur verus homo per vnionem, & denominationem intrinsecam. Salua tamen disparitate imperfectionis, & mutationis, de qua mox.

36. Dico enim secundò, hanc qualemcunque innouationem, seu nouum modum se habendi ex parte Verbi, non sufficere ad mutationem. Nam sicut perfectio independentiæ, & identitatis essentiæ, facit vt in diuinis sit principium realiter producens, & non causa, quoad productiones ad intra: vtque realis influxus Patris in Filium à se realiter distinctum, non dicatur causalitas, sed origo: nomenque causæ sit restrictum ab illa amplitudine, quā ante mysterij Trinitatis notitiam extendebatur ad illud omne, quod dat esse alteri: sic propter modum aliquem supereminentem, & ineffabilem, quo Verbum diuinum se habet in incarnatione, non debet hæc realis innouatio appellari mutatio ex parte Verbi: quia mutatio sonat quandam imperfectionem à Verbo remouendam; sicut causalitas sonat dependentiam: estque acceptio mutationis restringenda, & excludenda ab hac innouatione, sicut causalitas excluditur à processionibus diuinis. Quare mutari propriè, non est quocunque modo innouari realiter, seu aliter se habere, quàm ante: sicut causare, & efficere non est quocunque modo producere. Modus autem eximens Verbum ab omni mutatione in hoc mysterio, videtur in eo consistere, quòd Verbum ratione suæ infinitissimæ, & excellentissimæ supereminentiæ, sufficientiæ, & independentiæ à rebus creatis, nullum accipit ab humanitate commodum, vel incommodum, ornamentum, aut dedecus, vtilitatem, aut dispendium, incrementum, aut detrimentum in suo ipsius esse, vel operari, vel modo se habendi intrinseco circa seipsum: neque vllum genus causalitatis ab ea patitur; sed per simplicem vsum suæ sufficientiæ supereminentissimæ terminat, seu complet vltimò existentiam substantialem humanitatis, suppletque ipsius subsistentiam, vera quidem, & physica vnione, sed carente imperfectionibus ex parte Verbi supra enumeratis, quæ in omnibus rerum creatarum innouationibus, seu mutationibus reperiuntur coniunctim, aut diuisim.

Mutatio non est qualiscu[m]q; nouus se habendi modus.

37. Contra hanc explicationem opponunt aliqui Recentiores primò, illam inuoluere contradictionem: nam ex nostro, & omnium Theologorum consensu, mutari definitur *Aliter se habere in se.* Atqui iuxta hanc explicationem fatemur Verbum omni proprio sensu aliter se habere in se. Ergo fatemur Verbum propriè mutari, attenta vera, & vnica definitione mutationis. Ergo concedimus idipsum, quod negamus.

Ad maiorem propositionem Respondeo, *mutari* non esse aliter se habere quomodocunque, sed cum aliqua limitatione suprà explicata, quam coguntur admittere illi ipsi qui hoc obiiciunt, vt ostendemus paulò post. Deinde ad minorem dico non esse verum, quod assumit. Non enim fatemur Verbum omni proprio sensu aliter se habere: neque eo sensu, quo particula illa debet intelligi in definitione mutationis: nimirum aliter cum imperfectione, id est, cum augmento, vel diminutione sui esse intrinseci, in quo patiatur commodum, vel incommodum, incrementum, vel detrimentum, &c. vt diximus in fine paragraphi penultimi. Atque hæc est in reipsa interpretatio, in quam tandem resoluitur longus discursus Aduersariorum. Dicunt enim Verbum quidem in incarnatione aliter se habere, at non in ea proprietate locutionis, quā *aliter se habere* significat *mutari*: quia, inquiunt, illa particula, *se*, indicat saltem esse secundarium, & completiuum primi: Verbum autem non completur in suo esse, id est, non perficitur per humanitatem, &c. Ad eandem quoque explicationem prope accedunt aliæ duæ ex refutatis Gregorij de Val. & Ioannis Delugo, quatenus immutabilitatem Verbi in hoc mysterio, fundant in eo, quòd Verbum ratione suæ perfectionis simpliciter infinitæ nullum capit, neque capere potest incrementum perfectionis in seipso, ex vnione cum natura humana. Tametsi rem, meo iudicio, minùs bene explicant, & alia quædam, quæ mihi non probantur, inuoluunt. Nemo autem iure reprehendat, quòd conemur rem difficillimam paulò clariùs exponere.

Respondetur primo argum. in cōtrarium.

Opponunt secundò, in nullius auctoris idonei scriptis reperiri hanc propositionem, *Verbum innouatum est in Incarnatione*, Et ab illa æquè refugere communem sensum, ac ab ista, *Deus immutatus est*. Ergo non est inuehenda periculosa loquendi ratio in explicatione huius mysterii. Respondeo primò, hunc loquendi modum à tota Ecclesia Latina vsurpari in officio diuino: non est autem periculosum cum illa loqui. Nam quidquid dicāt Aduersarij, longè probabilius est, verba illa, quæ canit Ecclesia in festo Circumcisionis, *Innouantur naturæ*, referri ad naturas, diuinam & humanam, nouo nexu mirabili copulatas: idque magis postulat planus, & proprius sensus verborum, quæ sic habent. *Mirabile mysterium* Incarnationis *declaratur hodie. Innouantur naturæ*: in hoc mysterio scilicet: quomodo autem, siue in quo consistat hæc innouatio exponit addens, *Deus homo factus est*, & eatenus cœpit esse aliquid, quod ante non erat, & nouo modo se habere: *Id, quod fuit, permansit*, id est, nullam diminutionem sui esse intrinseci passus est: *Et quod nō* 38.

Potest dici Verbum fuisse innouatum aliquatenus.

erat assumpsit, sine vllo augmento suæ perfectionis intrinsecæ: *non commixtionem passus* per confusionem naturarum, iuxta errorem Eutychianorum: *neque diuisionem*, iuxta hæresim Nestorianorum. Idem quoque reipsa & æquiualenter dicit S. Leo verbis supra relatis & expensis. Et ex aliis Patribus possent afferri similes loquendi modi, nisi hæc sufficerent ad ostendendum, non esse verum, id quod tam confidenter affirmant Aduersarij.

Diluitur secundum argum.

Respondeo secundò, ipsosmet Aduersarios vel sibi contradicere, vel hunc loquendi modum reipsa probare. Dicunt enim disp. 1. de Incarn. sect. 6. §. *Ad minorem dico*, Filium Dei verè incepisse esse hominem de nouo, & vnitum humanitati intrinsecè: & disp. 7. sect. 1. in fine, expresè affirmant Verbum diuinum modificari in hoc mysterio, seu effici, vt nouo modo se habeat, quamquam sine vlla mutatione. Atqui nouo modo se habere, est innouari aliquo sensu: & quidquid nouo modo se habet, potest tam verè, & propriè dici innouari aliquatenus, quàm verè & propriè dicitur nouo modo se habere. Estque notandum fateri Aduersarios nouum illum modum se habendi esse Verbo intrinsecum: fatentur enim ipsum vniri, & modificari intrinsecè. Notandum præterea idem esse in terminis synonymis, *nouo modo se habere*, & *alio modo se habere*: & rursus idem esse in terminis *alio modo se habere*, & *aliter se habere quoad illum modum*: ita vt tam verè, & propriè dici possit quippiam aliter se habere aliquatenus, quàm verè, & propriè, dicitur illud idem alio modo se habere. Neque negari potest, quin aliter se habeat in se, aliquo sensu; si verum est, quòd nouo, id est, alio modo se habeat in se, per modum scilicet sibi intrinsecum. Itaque si ad conceptum mutationis sufficeret rem aliter se habere in se, quocunque modo: non possent Aduersarij, nisi sibi contradicendo, excludere mutationem à Verbo. Debent ergo etiam ipsi definitionem illam mutationis, addita aliqua limitatione, explicare.

39. Opponunt tertiò, æquè absurdè dici Deum innouatum esse, ac mutatum: nam innouari in se, est in se nouum fieri. At quis sustineat Deum fieri nouum? Item quod nouum est, alterum est à priori. Atqui hoc est alterari, & consequenter mutari in se. Item quidquid potest in se innouari, potest esse vetus in se, & transire. Imò innouatio supponit vetustatem, quæ transeat, iuxta Paul. Hebr. 8. vers. 13. *Dicendo nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur, & senescit, propè interitum est*: sed absurdum est dicere. Deum in se veterem fuisse, & transisse in suo esse, vel à suo esse ad nouum.

Solutio tertii argū.

Respondeo, dupliciter aliquid posse innouari in se. Nimirum, vel primò quoad substantiam, vel secundò quoad nouum modum se habendi sibi intrinsecum, aut per aduentum, & vnionem alicuius de nouo sibi coniuncti, & intrinsecè denominantis. Primum absurdè de Deo diceretur: secundum verò fatentibus ipsismet Aduersariis, locis ante citatis, est dicendum de Verbo in mysterio Incarnationis. Hoc autem non est Verbum fieri in se nouum, sed, esse nouo modo, propter vnionem cum humanitate: id est, esse in se, & secundum se vnitum illi, cùm antea non esset. Item, hoc non est Verbum esse alterum à priori secundum se, id est, à seipso; sed esse alio modo quàm ante, quod etiam non possunt Aduersarij negare: cùm euidenter idem sit nouo modo se habere, & alio modo se habere. Hoc denique non est Deum veterascere in suo esse, & transire, seu desinere, aut desitioni, & interitui propinquare: sed per vsum infinitæ, & æternæ virtutis suæ vnire sibi naturam humanam substantialiter, & propter illam vnionem sortiri nouam denominationem intrinsecam.

Cætera quæ objiciunt, sunt minoris momenti, & ex dictis facilè solui possunt. Solùm addo Aduersarios tandem fateri, posse dici sine inconuenienti, id, quod nos reipsa diximus, & nisi fallor, satis clarè expressimus: Quemadmodum, quia ante notitiam Trinitatis nihil cognoscebatur accipere esse ab alio, quod idem non penderet, ideo non fuit semper expressa, sed subintellecta tacitè dependentia in definitione effectus. Postquam verò homines agnouerunt per diuinam reuelationem, Verbum accipere esse à Patre sine dependentia: ne transferretur in Filium definitio effectus, cum subintellecto termino dependentiæ, huiusmodi terminus est positus expressiùs in definitione effectus, vt processio Verbi sine dependentia meliùs discerneretur. Sic ante agnitum mysterium Incarnationis, nulla agnoscebatur variatio alicui rei contingens in modo identificato, vel forma inhærente, quæ non haberet adiunctam imperfectionem, quam diximus in mutatione includi: quæ imperfectio tacitè ante subintellecta in definitione mutationis, nunc exprimenda est, vt intelligatur quomodo Verbum potuerit absq; sui mutatione incarnari. 40.

Superest sexta difficultas, quomodo Verbum non mutetur, quando Christus mouetur localiter? Ad quam dicendum est, vnionem quidem, prout etiam se tenet ex parte Verbi, & est vsus vnibilitatis illius, non esse vbique, sicut Verbum vbique est, sed tantùm vbi humanitas est ipsi coniuncta: quia Verbum non potest actu vniri humanitati, nisi vbi ipsa intimè præsens est. Verumtamen quia ille vsus non est ad Verbum, prout hîc est, sed ad Verbum simpliciter, quoad hypostasim; quod Verbum est vbique, & habet actu omnem præsentiam, quam alia vnita possunt acquirere per motum localem: hinc est, quòd, quando humanitas mouetur localiter, Verbum diuinum, atque ipsius vnio, perinde se habet, ac si Verbum ipsum localiter moueretur. Quia perinde se habet, atque reipsa ita est in loco acquisito per humanitatem, ac si ad illum fuisset motum localiter. 41.

Solutio sextæ difficultatis ex motu locali humanitatis Christi.

42. Quemadmodum ergo cùm homo mouetur

Non perit vnio mota humanitate.

localiter, vnio inter ipsius partes, corpus & animam non perit, sed mutat locum, quia non pendet substantialiter à priori loco, neque est ad corpus, & animam, prout sunt hîc, aut illic, sed est ad illa secundum substantiam abstrahentem ab hoc, aut illo loco: vnde, loco millies variato, ipsa eadem manet: Sic vnio Verbi cum humanitate mutat quodammodo locũ dumtaxat, quando mouetur humanitas, non quasi moueatur entitatula quædam Verbi, aut formalitas, seu forma ratione distincta (vnio enim male ita concipitur vt ostendemus alibi dis. 5. sect. 6. & 7.) sed quatenus Verbum est actu vnitum humanitati, vbi non erat antea illi vnitum. Neque propterea auellitur vnio à Verbo: quia Verbũ idem vtrobiq; est, non minùs, quàm si localiter moueretur: in quo casu non desineret prior vnio, sed Verbum sequeretur, seu potiùs esset Verbum ipsum, prout ita se habens ad humanitatem ibi præsentem. Vnde etiam quando humanitas multiplicatur localiter in speciebus consecratis, non propterea multiplicatur substantialiter vnio, sed localiter tantùm, quatenus incipit esse, vbi antea non erat ratione humanitatis de nouo alicubi positæ. Sic etiam quando hostia consecrata mouetur circulariter intra seipsam, Christus non mouetur localiter, licet eius replicationes videantur in motu respondere diuersis partibus hostiæ, quæ mouetur. Sed identitas corporis Christi vbique in tota hostia, facit vt non sit opus, imò nec possit ita moueri: & idem prorsus respondet partibus hostiæ, partibusque spatii, in quo mouetur. Ita vt nulla sit differentia, vel diuersitas ex parte corporis Christi, sed tota sit ex parte specierum, & spatij, in quo mouentur. Sicut etiam nulla est differentia ex parte Verbi vniti humanitati variis in locis, aut variis eius partibus: sed tota differentia, & diuersitas est ex parte locorum, vel partium humanitatis, quibus Verbum diuinum secundum idem sui respondet. Neque enim alia pars Verbi virtualis, aut formalis vnitur capiti, alia pectori, vel cordi. Neque etiam alia respondet loco A, & alia loco B: sed est eadem entitas indiuisibilis Verbi, quæ secundum se respondet cuilibet parti, & loco. Ideóque solùm dicitur ampla virtualiter, quia per suam entitatem eandem, & indiuisibile potest naturaliter implere spatium quantum, sicut id possunt corpora per varias partes suę quantitatis.

43. Obiectio tribus membris.

Dices: Posset alicubi esse humanitas, & non esse vnita Verbo. Item calor vnitur substantiæ secundum se, & non prout est hîc, aut illic, vnde manet mutato loco: & tamen, si idem homo esset Romæ, & Parisiis, non haberet Romæ calorem, quem reciperet Parisiis. Vnio quoque animæ rationalis cum corpore non est planè eadem, & indiuisibilis in toto corpore, crescitque, aut minuitur, prout partes viuentis accedunt, aut decedunt. Sic ergo vnio humanitatis cum Verbo non est vbique eadem, sed alia, & alia substantialiter.

Satisfit singulis membris obiectionis.

Ad primum Respondeo id fieri posse, non quia sit opus noua, & distincta vnione: sed quia potest Deus non multiplicare localiter vnionem, multiplicatis localiter extremis: sicut etiam potest conseruare duo extrema vnionis, non conseruando vnionem.

Ad secundum dico magnum discrimen esse. Quia Verbum est vbicunque humanitas est. At calor non est vbicunque homo est: neque potest fieri Romæ, ab agente à quo fit Parisiis: quia agens naturale non potest illi duplicem locum dare, nec agere in tam distans. Posito verò quòd idem numero calor vtrobique esset, æquè, ac idem homo: non esset opus noua, & distincta vnione, sed connaturaliter eadem numero esset vtrobique: quamuis possent etiam multiplicari localiter hæc duo extrema, non multiplicata vnione: sicut possunt eadem conseruari, non conseruata vnione, id est, possunt diuina vi esse duo extrema, & non esse vnita.

Ad tertium Respondeo similiter differentiam esse: quia vnio animæ rationalis cum corpore non est ad idem indiuisibile, vt est vnio ad Verbum: sed est ad partes realiter distinctas: propter quod potest naturaliter esse ad vnam partem; & non esse ad aliam: ac fieri de nouo ad vnam partem, & non fieri ad aliam præexistentem: vel contrà desinere circa vnam partem, & non desinere circa aliam.

SECTIO V.

An, & quomodo conuinci possit contra Infideles Incarnationem esse factam?

Respondeo, non posse id quidem contra Infideles sola ratione naturali conuinci: sed posse tamen iis argumentis credibilitatis, & fidei testimoniis, quibus nemo prudenter, ac nisi contra lumen rationis naturalis resistere possit. Prima pars sequitur ex dictis sect. 2. Si enim possibilitas Incarnationis non potest cognosci sola ratione naturali, etiam postquam reipsa exhibita fuit: multò minùs conuinci potest factam esse: cùm hoc supra ipsius possibilitatem, addat decretum Dei liberum, & eius executionem, quæ duo ex nullo principio, aut effectu naturali innotescunt, neque possunt, nisi per reuelationem cognosci. 44. Conclusio.

Ad secundæ partis probationem suppono Infideles, qui errant circa mysterium Incarnationis esse in triplici differentia. Quidam enim sunt penitùs infideles, vt Ethnici, & Athei, qui nullas Scripturas, & reuelationes diuinas admittunt. Alii vetus tantùm Testamentum agnoscunt, vt Iudæi. Alij vtrumque, ex parte saltem, vt Hæretici. Contra Atheos, & Ethnicos, qui verum Deum non agnoscũt, incipiendum est ab argumentis naturalibus, quibus Deum esse demonstrant Theologi cum D. Thom. 1. p. qu. 2. Tum contra eosdem proferenda sunt ea omnia argumenta

Quomodo probãda sit Incarnatio contra Atheos, & Ethnicos?

credibilitatis, quibus adeo certũ & credibile, imo euidens fit, Christianismum esse amplectendum, vt nemo, nisi stolidus, iis bene propositis, & expensis resistere possit. Quæ argumenta fusè exposuimus disp. 5. de fide. De iisdem verò, specialiter Incarnationis mysterio, applicatis videri potest Barthol. Medina initio comment. in 3. p. in demonstrationibus, *Quòd Christus sit Deus.*

Barthol. Medina.

45. Potest cõuinci Script. esse diuinam, per ipsammet.

Tantùm aduerto, licet huiusmodi infideles negent Scripturam esse diuinam: id tamen posse contra illos per ipsammet conuinci, eiusque testimonio probari efficaciter Christum esse Deum, & hominem. Nam vt omittam alia indicia diuinitatis Scripturæ, quæ sect. 2. disp. citatæ recensuimus, & expendimus: negare non possunt Infideles Scripturam, quam diuinam esse prætendimus, antiquissimam esse: ac vetus Testamentum longè ante Christum fuisse scriptum: nouum autem non multò post ipsius mortem. Quia id publicâ, & constanti famâ non minùs constat, quàm libros Homeri, Ennij, Liuij, & similes, esse antiquos: eorumque vt vetustissimorum mentionem faciunt antiqui plurimi: Philo, Iosephus, Dionysius, Iustinus martyr, Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Arnobius, & alii innumeri. Iam verò constat in huiusmodi libris contineri multas prædictiones rerum liberè futurarum, quas impletas videmus. Vnde conuincitur libros esse Propheticos, adeóque diuinos, ac fide dignos. Quia Dei solius est futura libera, præsertim ea, quæ à sola ipsius voluntate pendebant, tantò ante cognoscere certissimè propria vi. Nec potuerunt ab aliis, nisi ipsius beneficio, & manifestatione certissimè cognosci, & prædici, vt vel ipsum lumen naturale satis ostendit. Eaq; de causa libri Sybillini fuerunt ab Ethnicis habiti pro diuinis, & magna fide, ac veneratione dignis. Enimuerò intellectus, qui huiusmodi futura cognoscit propria vi, sine vllius manifestatione, non pendet ab vllo concursu obiecti, vel medii, sed solùm eo ipso, quòd obiectum verum est, illud cognoscit. Talis autem intellectus, tam independens, meritò censetur extendi ad omnem veritatem, & esse illimitatus, atque diuinus, cuius solius est omnem veritatem cognoscere propria vi. Huiusmodi multas, & illustres prædictiones tam circa Christum ipsum, quàm circa alia plurima, collectas vide apud Less. lib. de Prouid. Num. ratione 10. à numero 126. Cùm igitur constet hos libros esse diuinos, ac fide dignos; illiq; testētur Verbũ esse incarnatũ, ac Christum esse Deum, & hominem, de quo etiam plurima, ac ferè omnia sigillatim fuerant longè ante prænunciata in veteri Testamento, vt Less. ibid. ostendit, & nos inferiùs contra Iudæos ostendemus: sequitur contra Ethnicos vel ipsis sacris Scripturis conuinci posse Incarnationem esse factam. Vt omittam libros Sybillinos, in quibus multa quoque de Christo Deo, & homine prædicta contineri demonstrant, & Ethnicis ipsis sui temporis exprobrant, Lactantius lib. 4. diuin. Instit. cap. 15. & 18. Clemens Alex. lib. 6. Strom. multò post initium, & August. lib. 18. de Ciuit. cap. 23. & lib. 13. contra Faust. cap. 15. & in oratione contra Iudæos, Paganos, & Arianos cap. 26.

Plura hac de re vide tom. 3. disp. 4. sect. 4.

Lactant. Clemens Alex. August.

46. Refutantur euasiones Atheorum, & Ethnicorum.

Neque respondere possunt Ethnici, vel Athei, conficta esse à Christianis quæ de Christo leguntur in veteri Testamento prædicta, ac multò post in ipso euidenter impleta: cùm huiusmodi liber longè ante Christum, & Christianos scriptus fuerit; & à Iudæis ipsis, hostibus Christianorum infensissimis, illum acceperint Christiani, apud quos etiam & publicè in Synagogis suis huc vsque conseruatur, & in honore, vt diuinus habetur. Neque etiam est, quòd huiusmodi prædictiones Dæmonibus tribuant. Quia magnifica de Deo sensa in Scriptura contenta, & ad omne virtutum genus, præcipuéque ad Dei veri cultum, & Idolorum, ac vitiorum & operum Diaboli detestationem incitamenta, penitùs illam eximunt à suspicione diabolicæ fraudis. Nisi quis putet Dæmonē secum apertè pugnare, & librum edidisse, qui ad regni diabolici destructionem totus tendit. Adde quòd Dæmonum prædictiones sunt fallaces, vt ex ipsis Ethnicorum historiis de suis oraculis notum est. Adde item illud sapientissimè notatum à D. August. tom. 10. serm. 27. de verbis Apost. cap. 4. Vbi rationem reddens cur Petrus epistola 2. cap. 1. v. 19. postquam retulit Christum à Patre fuisse manifestatum in monte Thabor, voce eiuscemodi de cœlo delapsa, *Hic est filius meus dilectus* &c. addiderit statim, *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes* &c. Sunt, inquit August. homines infideles qui sic detrahunt Christo, vt dicant eum magicis artibus fecisse, quod fecit. *Possunt ergo infideles delatam de cœlo vocem, per illicitas curiositates, ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt. Nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas. Si ergo magicis artibus fecit vt coleretur mortuus, nunquid magus erat antequam natus?* Hoc eodem argumento vsus est efficaciter Chrysost. in lib. seu demonstratione, *Quòd Christus sit Deus*, & August. 18. de Ciuit. cap. 46.

S. August.

Chrysost. August.

47. Quomodo probanda Incarnatio contra Iudæos.

Contra Iudæos valent primò, ea omnia argumenta credibilitatis, quibus contra Ethnicos euidens fit Christianismum esse amplectendum. Deinde ex veteri Testamento, quod diuinum esse agnoscunt, duo contra illos singillatim probanda sunt. 1. Messiam iam venisse. 2. Messiam esse verum Deum, & hominem. Errant enim Iudæi circa vtrumque: neque primo concesso, admitterent secundum.

Prophetia Iacob de aduentu Messiæ.

Quòd ergo Messias in veteri Testamento sæpius promissus, iam venerit, probatur efficaciter ex Iacob Patriarchæ vaticinio ab omnibus Iudæis recepto vt vero & diuino, quod habetur Genes. 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* (heb raicè silob,

id est missus: vel vt legerunt Septuaginta, *Sçeloh*, id est, *qui ei*, supple mittendus, vel promissus, vel repositus) *Et ipse erit expectatio Gentium*. Vbi sermonem esse de Messia, qui dicatur Missus, vel mittendus antonomasticè, verba ipsa satis indicant, & docet expressè Paraprastes Chaldaicus magnæ apud Iudæos auctoritatis, qui pro *Sçiloh*, Messiæ nomen habet, & alii Rabbini Christo antiquiores, vt ex eorum testimoniis, ostendit Galatinus lib. 4. de Arcanis cap. 4. fauentque verba quæ sequuntur, *Ipse erit expectatio Gentium*, quæ neque ad Saülem, neque ad Ieroboam, neque ad Nabuchodonosorem, & similes reges impios referri possunt, vt ineptè referuntur à Rabbinis recentioribus, Christi osoribus. Duo ergo prædicuntur verbis relatis. 1. fore vt Iudas, quem singulariter Iacob alloquebatur, regnaret in suis posteris: quod in Dauide primum impletum est. 2. Vt deinceps non deficeret Rex & Dux, id est, ita vt neque Rex esset, neque Dux de femore ipsius, hoc est, de ipsius prognatis, donec veniret Messias. Quæ prophetia vt vera sit, necessarium est iam venisse Messiam, cùm neminem iamdiu de Iudæ prognatis regnare, aut ducem esse, & regnum Iuda penitus extinctum esse manifestum sit.

Paraphr. Chald.

Galat.

48. Graius tamen difficultas est, quomodo regia, vel ducalis potestas in Iudæ prognatis permanserit vsque ad Herodem Idumæum, cuius anno circiter 35. natus est Iesus Christus, quem Messiam esse contendimus. Ratio difficultatis est, quia vt scribit Ioseph. 11. Antiquit. cap. 4. propè finem, Dauid, eiusque posteri regnarunt tantùm, seu præfuerunt cum regio nomine, & splendore, vsq; ad captiuitatem Babylonicam. Nam post reditum ex hac captiuitate præfuerunt Sacerdotes nomine Ducum, titulo Regis suppresso, multo tempore; donec Assamonæi, non diu ante Herodem, regum nomen iterum acceperunt. Quod confirmatur primò ex Ierem. 22. vbi de Iechonia Rege dicitur: *Scribe virum istum sterilem &c. non enim erit de semine eius vir, qui sedeat super sedem Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda*. Confirmatur secundò ex lib. 1. Machab. cap. 2. v. 1. ex quo clarè liquet Matathiam vnum de Ducibus Machabæis, siue Assamonæis, fuisse sacerdotem. Item ex Iosepho, aliisque historicis, & omnibus interpretibus affirmantibus Machabæos, qui annis 165. præfuerunt aut regnarunt, fuisse sacerdotes. At sacerdotes non erant prognati ex Iuda, sed ex Leui: Ergo sceptrum, & ducatus iamdiu ante Christum, & Herodem defecerat de femore Iuda.

Difficultas circa prædictã prophetiam.

Ioseph.

49. Huic grauissimæ difficultati variæ dantur solutiones, inter quas, duas probabiliores primo loco proponam, & expendam. Prima, quæ cæteris præferẽda esse mihi videtur, est Lirani, Abul. Chartus. & aliorũ, quos sequitur Barõ. in Appar. n. 4. & approbat Suar. disp. 1. de Incarn. sect. 1. Machabæos fuisse progenitos à Iuda ex parte matris: licet ex parte patris essent prognati ex Leui, quod posterius malè negat Genebr. contra Iosephum, & omnes historicos, & contra Scripturam ipsam Machab. 2. v. 1. Licebat enim tribui Leui iungi cum tribu Iuda fœdere nuptiarum, vt colligitur ex cap. 16. Exod. vbi dicitur Aãronem, primum summum Pontificem, duxisse in matrimonium Elisabetham, filiam Aminadab principis tribus Iuda: & 2. Paralip. 22. habetur Ioiadam Pontificem iunxisse sibi matrimonio Iosabeth, filiam regis Iuda: & Luc. 1. Beata virgo, quæ supponitur fuisse de tribu Iuda, habebat cognatam Elisabeth de tribu Leui, & de filiabus Aãron. Licebat, inquam, duabus illis Tribubus propter nobilitatem mutua inire connubia, vt colligitur etiam ex Philone Iudæo lib. 2. de monarchia, non longè ante finem: quamuis alii non possent iungi, nisi suis contribulibus. Machabæos autem procreatos fuisse ex tali coniunctione, ac descendisse ex Tribu Iuda materno genere, testantur ipsi Rabbini, vt affirmat Baron. supra. Nec alio iure licuisset illis vnà cum Sacerdotio, absque tyrannidis labe, adsciscere sibi regnum. Quippe quod Deus promiserat Dauidi, eiusque posteris in perpetuum; quodque ex iure diuino ad Dauidis posteros pertinebat hæreditaria successione. Contra quod ius Machabæi iniustè regnum occupassent, & Dei promissionem, ac prædictionem irritam fecissent. Debuerunt ergo illi ex genere materno esse coniuncti Dauidi, & consequenter Iudæ progenitori Dauidis. Vnde etiam 1. Machab. cap. 5. v. 63. vocantur viri Iuda, cùm de illis sic dicitur: *Viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel, & gentium omnium, vbi audiebatur nomen eorum*: Sic enim homines de Tribu Iuda Scriptura solet appellare: licet absolutè hoc nomine possent intelligi viri, qui erant cum Iuda: & alia versio habeat, Et vir Iudas, & fratres eius magnificati sunt. Idem etiam testatur Hieron. in cap. 1. Sophoniæ, vbi affirmat vsque ad tempus passionis, & mortis Domini nostri Iesu Christi, moraliter scilicet, id est, vsque ad Herodem, & aduẽtum Christi perseuerasse Reges Iuda de stirpe Dauid, scilicet ex materno saltem genere, secundum illam prophetiam Iacob, Non deficiet Princeps de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est. Notandum autem, Hieronymum fuisse rerum hebraicarum, æquè, ac linguæ peritissimum. Eodem forte sensu dixit Cyril. Alexand. lib. 8. aduersus Iulian. longè post initium, post Zorobabelem, qui fuit de Tribu Iudæ, & Dauidis, transmissum fuisse per posteros illius sceptrum vsque ad tempus Herodis: & Rupert. lib. 9. in Gen. cap. 20. dicit Hircanum, & Aristobulum Machabæorum postremos ex coniunctis tribubus, sacerdotali scilicet, & regia, ortos fuisse.

Prima illius solutio: Machabæos fuisse de tribu Iuda ex parte matris.

Baron. Suarez. Philo. Hieron. Cyrill. Rupert.

Ad propositam ergo difficultatem Respondeo falsum esse quod affertur ex Iosepho, si strictè sumatur, quasi nullus de Iuda præ- 50.

fuerit post reditum è captiuitate. Nam Zorobabel, qui post illam præfuit, erat ex Tribu Iuda, & stirpe Dauid, teste Scriptura ipsa in vtroque Testamento: lib. 1. Paralip. c. 3. v. 19. Aggæi 1. v. 1. lib. 3. Esdr. cap. 5. v. 5. Matth. 1. v. 12. & Luc. 3. v. 27. Postea verò præfuerunt Pontifices, vt Machabæi, seu Assamonæi, quos fatemur Leuitas ex patre, ex matre verò ortos ex Tribu Iuda. Atque ita regnum Iuda perseuerauit in eius posteris, & prognatis de femore eius in linea fœminina, vsque ad Herodem Idumæum, & alienigenam Proselytum, qui neque ex matre originem à Iuda ducebat. Atque inde est, quòd cùm Herodes regnum vsurpauit, aliqui ex Iudæis, nempe Herodiani, ipsum esse Messiam affirmarunt. Alii, & fere omnes, mox venturum putarunt. Alij ad Vespasianum postea, vt Iosephus ipse lib. 7. de Bel. Iudaic. cap. 12. prophetias retulerunt, eò quòd post Herodem Idumæum, Archelaum, & Herodem Antipam, regnasse viderent Agrippam Aristobuli filium, qui ab Herode genitus erat ex Mariamne, nepte Hircani, Assamonæi Pontificis, ex eáque stirpe reges vsque ad Vespasianum Imperatorem perseuerasse. Quod autem objicitur ex Ieremia, intelligendum est, quòd nemo ex Iechoniæ filiis esset habiturus regium nomen, & splendorem, & potestatem cum tali splẽdore. Nam alioqui Zorobabel filius Salathiel, & nepos Iechoniæ vocatur expressè Dux Iuda; Agg. 1. v. 1. Et ex lib. 2. Esdr. cap. 2. constat eum præfuisse post reditum è captiuitate, templumque, & ciuitatem restituisse.

51. Grauis obiectio.

Objicies 1. hanc responsionem referre ad Leui, quæ dicebantur à Iacob singulariter de Iuda. 2. Non fuisse causam, cur Iacob diceret potiùs non defecturum Ducem de femore Iuda, quàm de femore Leui. 3. Sicut ea, quæ sunt propria Leui, non pertinuerunt ad Iuda, vt sacerdotium, non obstante coniugio mutuo: sic &c. 4. Paulus ad Hebræos 7. v. 14. ait manifestum esse quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster, nimirum propter illam prophetiam Iacob: & eodem cap. probat Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, non autem secundum ordinem Leui, & Aáron, ex eo quòd natus sit ex Iuda, non ex Leui. Quæ illatio nulla esset, si per progenitos ex Iuda comprehendantur etiam Leuitæ, descendentes ab illo ex parte matris, vt nos volumus. Quare sicut Paulus illos opponit, & distinguit omnino Iudam à Leui: ita & Iacob eosdem planè distinxit.

Soluitur primum illius argum.

Ad primum Respondeo, non transferri propria vnius ad alium: quia regnum promittitur singulariter Iudæ, tanquam proprium illius futurum, nec ad alterum peruenturum, nisi ab eius femore ortum; atque eâ solùm de causa, quia ex eo ortus est. Sicut iis in locis, vbi fœminæ succedunt, regnum est proprium capitis à quo descendunt: quia non traditur earum maritis, nisi propter coniunctionem cum fœminis à tali capite descendentibus.

52. Secundum argum.

Ad secundum Respondeo, fuisse causam cur diceretur potiùs non defecturum sceptrum de Iuda, & Ducem de femore eius, tum quia regnum à Iuda cœpit in Dauide per lineam masculinam, ab eaque per annos 470. vsq; ad Sedeciam continuatum est; atque etiam aliquandiu deinceps per Zorobabel: tum etiam quia Pontifices, qui deinceps principatum, aut regnum tenuerunt, illo potiti sunt propterea quòd ex parte matris de Tribu Iuda descenderent.

Tertium argum.

Ad 3. Respondeo, specialem necessitatem, & Dei sine dubio inspirationem, vt euentus demonstrauit, fuisse causam, cur Machabæi eligerentur, cùm deessent alii æquè fortes, ac zelo pleni. Quæ necessitas non fuit communicandi sacerdotium, cùm non deessent apti ex Tribu Leui. Adde quòd sacerdotium non pertinere debebat ad fœminas, vt regnum. Nunquam enim apud veros Dei cultores fœminæ Sacerdotes fuerunt, aut Sacerdotii ius habuerunt.

Quartum argum.

Ad 4. Nego Paulum affirmare, id manifestum esse propter prophetiam istam: sed potiùs propter communem sensum, & traditionem notissimam Iudæorum, qui credebant Messiam oriundum esse à Dauid, & à Iuda, per lineam masculinam: nobiliori scilicet modo: eóque sensu promissiones intelligebant Dauidi factas, & prædictiones de ortu Messiæ ex ipsius semine, Psal. 131. v. 11. Isa. 11. v. 1. & sequentibus, Ierem. 23. v. 5. aliisque locis. Vnde etiam bene infert Apostolus non fuisse Christum Sacerdotem secundum ordinem Aáron.

53. Secunda solutio: nomine Iudæ intelligi omnes Iudæos.

Secunda solutio difficultatis propositæ, & explicatio prophetiæ Iacob, est Iustini martyris, Eusebii, Athanasii, August. Chrysost. Theodor. & Ruperti, quibus adhærent è recentioribus Scripturæ interpretibus Corn. à Lapide, & Tyrinus in cap. 49. Genes. ad verba illa, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, & Perer. in eundem locum, titulo de *Benedictionibus Patriarcharum*, num. 92. & sequent. vbi fusè, & accuratè hanc expositionem illustrat, & confirmat. Summa illius est, nomine Iuda intelligi hoc loco omnes Iudæos, & non solam tribum Iuda: ita vt sensus prophetiæ sit, futurum semper in gente Iudaica, & penes viros eius gentis principatum, donec veniret Messias: semper, inquam, id est, sine morali interruptione: quamuis enim tẽpore captiuitatum amissus sit principatus absolutus, & planè liber: quia tamen id contigit ad breue tempus, & postea mox recuperatus est principatus; idcirco parum illud moraliter pro nihilo ducitur. Sic autem verum est fuisse semper, ex ea gente, qui principatum tenerent ex populo Hebræo, vsque ad Herodem alienigenam, & aduentum Iesu Christi: siue illi fuerint ex Tribu Iuda, vt à Dauide vsque ad Sedeciam, & Zorobabel: siue ex tribu Leui, vt deinceps vsque ad Herodem, siue ex aliis etiam tribu-

bus, vt post egressum ex Aegypto vsque ad tempora Dauidis.

54. Pererius. Hanc autem interpretationem aliis præferendam esse probat Perer. 1. Quia reddit prophetiam Iacob, planam & facilem intellectu, atque creditu, nihil continet absurdi, nihil confictum habet, nihil frustra, & temerè dictum, non inuoluitur difficultatibus, quibus aliæ expositiones inexplicabiliter intricatæ sunt, nullis premitur incommodis, quibus aliæ omnes vehementer vrgentur. Denique mirificè congruit, & consentit cum euentu. Nam quicunque ante Herodem tenuerunt apud Hebræos imperiū, ex genere & stirpe Iudaica fuerunt, primusque alienigenarum Herodes, non per electionem populi, sed per vim, & per auctoritatem, & potestatem Romanorum, occisis legitimis principibus, imperium Iudaicum sibi vendicauit. Probat secundò auctoritate SS. Patrum, & veterum historicorū, quorum luculenta testimonia in hanc sententiam refert num. 94. & tribus sequentibus. Illustriora sunt hæc duo. Alterum Augustini lib. 18. de Ciuit. cap. 45. vbi sic scribit de Iudæis: *Deinde Herodem alienigenam regem habere meruerunt, quo regnante natus est Christus: iam enim venerat plenitudo temporis significata prophetico spiritu per Iacob, cùm dixit: Non deficiet Princeps ex Iuda &c. Non enim defuit Iudæorum Princeps ex ipsis Iudæis vsque ad istum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam regem.* Alterum Eusebii lib. 1. hist. cap. 6. cuius verba hæc sunt: *Eodem tempore cùm Herodes primus, extero, & peregrino genere ortus, Iudaicæ gentis regnum obtinuisset, prædictio Iacob, Non deficiet Princeps de Iuda &c. finem videbatur consecuta. Tantisper enim prædictio illa euentum non habuit, dum sub principibus ex ea gente prognatis potestas esset: qui quidem initium imperii ab ipso Moyse capientes, vsque ad Augusti regnum durauerunt, sub cuius imperio Herodes primus externæ gentis stirpe procreatus Iudæorum principatum à Romanis adeptus est. Ad quem cùm peruenisset regnum Iudæorum, pro foribus iam adesse is sentiebatur secundum Prophetæ oraculum, qui futurus esset gentium expectatio. Quippe ex illo tempore Principes, qui successione vsque ab ipso Mose deriuata, Iudæorum potirentur imperio, deficere, & prorsus euanescere videbantur. Nam ante captiuitatem Babylonicam gens Iudaica subiecta fuit Regibus. Ante Regum verò tempora, Iudicibus. Post reditum autem ex captiuitate Babylonica Pontifices summam rerum administrarunt vsque ad Herodem: ex quo tempore Principes, & Duces ex Iuda, hoc est, ex Iudæorum familia, & gente prognati Rempublicam illam regere desiterunt. Atque hoc ipso tempore aduenit promissus à Deo Messias saluator noster: vt in eo completam esse prophetiam Iacob dubitari nullo modo possit.* Addit Perer. SS. Patres, & historicos veteres hanc tradentes interpretationem, nullam circa illam quæstionem mouisse, nullam sensisse difficultatem.

55. Sed nihilominus non leuis difficultas circa illam occurrit. Nam verba illa Iacob, *Non deficiet sceptrum de Iuda: & Dux de femore eius*, videntur debere singulariter intelligi de tribu & progenie Iuda: quia ad illum singulariter dirigebantur, vt patet ex verbis immediatè præcedentibus, *Iuda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Patris tui*: & ex aliis immediatè sequentibus, *Ligans ad vitem pullum suum* &c. quæ dicta sunt ob fertilitatem terræ Chanaan, quæ tribui Iuda sorte obuenit. Quare cùm prima, & extrema verba prophetiæ pertineant ad Iudam singulariter; absurdum est existimare media non ad eundem, sed ad vniuersum populum Iudaicum pertinere. Atque ita quod Patres supra citati cum Pererio asserunt, per Iudam intelligi totam gentem Israelitarum, videtur peruertere sensum verborum, & naturalem intelligendi modum. Confirmatur, quia Iacob, quando filiis suis singillatim benedicebat, dicebat vnicuique propria: nec quod erat vnius tribus ad aliam transferebat. Obiectiones contra prædictam solutionē.

Prima responsio insufficiēs. Neque satisfacit quod respondet Perer. n. 100. Iacob spiritu prophetico prænouisse Iudæorum principatum futurum penes tribum Iuda longissimo tempore, & florentissimum, atq; potentissimū: nimirū per annos quingētos viginti: partim tēpore Iudicum in Othoniele, & Abesa, annis 47. partim sub regibus à Dauide vsq; ad Sedeciam annis 473. Cōtra enim primò: principatus post reditum ex captiuitate Babylonica fuit etiam per annos quingentos viginti in manu Pontificum, qui erant de tribu Leui, vt ait idem auctor n. 73. & vlterius ab egressu Aegypti vsque ad Dauid, aliquandiu fuerat penes Mosem, & alios quosdam de tribu Leui. Quare diutius fuit principatus penes tribum Leui, quàm penes Iuda. Secundò, Iacob non dicit summū principatum fore diutius penes tribum Iuda, illudque florentissimum, & potentissimum: sed dicit non defecturum ex Iuda sceptrum, & Ducem de femore eius, id est, de eius stirpe, donec veniat Messias. Defecit autem si tam longo tempore regnarunt alii, qui non erant vllo modo de tribu & stirpe Iuda, vt volunt aduersarii.

Non satisfacit etiam, quod idem auctor respondet num. 101. Iacob eodem spiritu prophetico præuidisse, fore aliquando, vt vniuersus populus Hebræus à tribu Iuda nomen accipiens, non iam vt antea, vel Hebræus, vel Israelita, sed Iudaicus appellaretur. Quod primùm accidit, auctore Iosepho lib. 11. Antiquit. cap. 5. post reditum ex captiuitate Babylonica, etenim post id temporis omnes appellati sunt Iudæi, & regio eorum nominata est Iudæa, & regnum Iudaicum. Propterea quòd ex captiuitate duæ tantùm tribus redierunt, vt affirmat Ioseph. ibid. nimirum tribus Iuda, mixta cum tribu Beniamin: & regio terræ promissionis, quam tenuit post reditum ex captiuitate, plurimum ea fuit, quæ ad sortem tribus Iuda pertinebat. Non satisfacit, inquam, primò quia falsum est non alios, quàm de tribu Iuda, rediisse, aut Iudæam incoluisse post captiuitatem: siqui- 56. Secunda responsio refellitur. Ioseph.

dem post reditum fuerunt inter Iudæos etiã Leuitæ, vt patet ex Iosepho ibidem, & alii de aliis tribubus. Imò summus principatus, & præcipuus honor gentis, id est, suprema potestas regalis, & sacerdotalis fuit ab illo tempore penes tribum Leui, vt Perer. fatetur sæpius in tota disp. de vero sensu huius prophetiæ. Deinde Iacob affirmat non defecturum sceptrum de Iuda, & ducem de femore eius, id est, de semine & progenie illius. Quare ad veritatem istius prophetiæ non sufficit, non defuisse reges, & duces ex alia tribu insita in Iudam, & eius nomine dumtaxat appellata: sed oportet non defuisse qui essent verè de stirpe Iuda, deque propria ipsius tribu.

57. Tertia similis præcedentibus.

Non item satisfacit, quod tertio loco respondet Perer. num. 102. Licet post reditum ex captiuitate Babylonica, qui sceptrum, & principatũ tenuerunt Pontifices fuerint de tribu Leui: ipsum tamen sceptrum & imperiũ fuisse in tribu, & ex tribu Iuda: quia sola tribus Iuda reuertit ex captiuitate in terram Chanaam; ad eamque, vt iam diximus, pertinebat tota vel maxima ex parte regio, quam Iudæi post reditum ex captiuitate possederunt; cuius & ciuitas regia, & caput, ac sedes regni vrbs erat Ierusalem, quæ vrbs post Dauidem, tribus Iudæ propria fuit. Itaque licet persona, quæ tenebat sceptrum, esset de tribu Leui: attamen ipsum regnum, & ditio regni, & ciuitas regia, & subiecti ei regno, ad tribum Iuda pertinebant. Defecit igitur persona de tribu Iuda semper principatum tenens, ipsum tamen sceptrum non defecit in tribu Iuda. Quamuis enim qui tenebant imperium, essent de tribu Leui, attamen nec ipsum regnum dicebatur Leuiticum, nec Principes appellabantur Reges Leui, sed Iuda: Non satisfacit, inquam, quia vt omittam falsum esse solam tribum Iuda reuertisse ex captiuitate in terram Chanaam: Iacob non ait tantùm regnum mansurum semper in terra, & ciuitate Iuda, & subditos illius fore maxima ex parte de tribu Iuda: sed non defecturum sceptrum ex Iuda, & ducem de femore eius, id est, non defore ex tribu, & progenie Iuda, qui regnaret: & vt verterunt Septuaginta. Non defecturum principem de Iuda, οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, defecit autem quando regnarunt Machabæi, & alii Pontifices, si illi nullo modo, ac ne quidem ex genere materno verè pertinuerunt ad tribum, & stirpem Iuda. Deinde, si ad veritatem prophetiæ sufficiebat manere Regnum Iuda modo prædicto, mansit etiam illud tempore Herodis Ascalonitæ: nam etiam tunc tribus Iuda incolebat terram Chanaam, & ciuitas regia erat Ierusalem, & subditi ei regno ad tribum Iuda pertinebant. Non fuisset ergo ratio, cur Iudæi existimarent prophetiam Iacob esse completam, quando ille regnum occupauit. Et tamen fuit iste communis sensus Iudæorum illius temporis, atque etiam deinceps sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum. Confirmatur illo exemplo, quo vtuntur Perer. & alii auctores illius interpretationis. Nam regnum siue corona Hispaniæ simili modo non desineret, quamuis Princeps alterius gentis regnum illud obtineret, aut occuparet: dummodo maneret eadem regio, & iidem subditi, & eadem ditio, in qua ille resideret, & eam more prædecessorum administraret: similique modo maneret regnum Poloniæ, si alienigena per vim illud occuparet, dummodo illud prædicto modo regeret.

Probabilius autem responderi potest partim corrigendo, partim in meliorem sensum trahendo prædictam interpretationem, nomine Iuda intelligi singulariter tribum Iudæ cognominem, & non generatim populum Israeliticum: sensumq; prophetiæ esse, quòd postquam tribus illa in Dauide principatum obtinuerit, non deficiet sceptrum de illa, vel Dux de femore eius: nam particula, *&*, sæpe in Scriptura sumitur disiunctiuè pro *vel*, id est, non auferetur illi principatus, sed vel tenebit illum per duces ex Iuda progenitos; vel si per alios, id fiet de eius voluntate, & electione. Sicut corona Poloniæ v. g. seu ius regni, semper manet penes ipsos Polonos, quandiu retinent ius eligendi, & gubernandi, quamuis exterum interdum eligant, vt non ita pridem Henricum Valesium Galliæ Regis fratrem, & Stephanum Battoreum Transyluaniæ Principem. Deficeret verò corona, & sceptrum Poloniæ esse penes illos, si Turca eam sibi subiiceret, seque per vim, & tyrannidem Regem Poloniæ cõstitueret, sibiq;, & posteris regnũ illud vendicaret: sicut Herodes alienigena regnum Iudæorũ per vim occupauit. Antea verò, post reditum ex captiuitate Babylonica, corona, siue ius regni Iudaici, Regumque & Principum electio pertinuit ad tribum Iuda quæ Machabæos, aliosque Pontifices ab eo tempore regnantes, ob zelum, & fortitudinem in Duces elegit, vt de Machabæis videre est 1. Macab. 9. Quamuis enim non sit ibi sermo de hominibus solis tribus Iuda: illi tamẽ longè superabant alios multitudine in regno Iuda, vnde & toti genti, & regno nomen dederunt, aliis veluti paucis in eam tribum moraliter insitis, & pro illa reputatis, vt paulò ante dictum fuit. Quia tamen hæc expositio minus congruit versioni Septuaginta, & proprietati verborum, cùm particulam coniunctiuam in sensu disiunctiuo exponit: sententia primo loco relata planior, & probabilior esse videtur: quamuis hæc quoq; probabilis sit, præsertim ob auctoritatem sanctorum Patrum supra relatorum, qui facilè iuxta illius sensum intelligi possunt. Obest etiam illi expositioni, quod refert Sallian. in Annalibus veteris Testamenti ad annum à mundo condito 3517. num. 8. Iudæos post reditum è captiuitate Babylonica mansisse subiectos Chaldæis, & aliis extraneis, ducesque & magistratus habuisse, alienigenarum voluntate, ac venia, ab eisque sæpe fuisse institutos, & exauctoratos: licet nũquam

58. Probabilior solutio obiectionis.

ante Herodem, non nisi de stirpe legitima & conuenienti illos acceperint. Cuius rei exẽplum habetur lib. 2. Machab. cap. 4. Quapropter prima expositio nobis magis probatur: & tum isti, tum multo magis aliis iam referendis, præponenda videtur.

SECTIO VI.

Expenduntur aliæ eiusdem prophetiæ interpretationes.

59. Tertia solutio, Machab. fuisse ex patre de tribu Iuda.

PRæcedentibus interpretationibus alias addunt plerique minùs probabiles. Prima est Cyrilli Alexand. lib. 8. aduersus Iulian. procul ab initio, & Genebrardi in Chronolog. vbi de Machabæis, affirmantium eos omnes, qui principatum Iudaicum tenuerũt à Dauide vsque ad Herodem, fuisse de tribu Iuda, etiam ex paterno genere, & quotcunque regnarunt post captiuitatem fuisse posteros Dauidis, & Zorobabelis, qui erat de tribu Iuda, vt patet ex Matth. 1. v. 12. & 13. Sed hæc sentẽtia repugnat apertè Scripturæ 1. Machab. 2. clarè affirmanti Matathiam patrem Machabæorum fuisse sacerdotem de tribu Leui: nefas enim erat ex alia tribu sacerdotem constituere: & fuisse ex filiis Ioarim, cuius familiam fuisse inter posteros Aãronis, constat ex 1. Paralip. 24. Verba Scripturæ loco prius cit. hæc sunt: *In diebus illis surrexit Matathias filius Ioannis, filii Simeonis, sacerdos ex filiis Ioarim.* Et cap. 9. eiusdem libri sic dicitur: *Iudæi, & sacerdotes consenserunt Simonem esse ducem suum, & summum sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis.* Est autem inauditum, quòd inter Iudæos fuerit Sacerdos nisi ex tribu Leui. Quare Simonem de illa tribu fuisse necessarium est, alioqui non fuisset electus in summum sacerdotem.

4. Exposit mansisse penes tribum Iuda spem Messiæ.

Secunda interpretatio est Caiet. ad c. 49. Gen. vbi asserit ablatum quidem fuisse principatum de Iuda ante Herodem, sed non penitùs, siquidem, inquit, remãsit semper certitudo Messiæ nasciturі de tribu Iuda, ad differentiam reliquarum tribuũ, quòd in reliquis tribubus potuit omnino deficere principatus, ita vt nunquam amplius recuperaretur. In tribu autem Iuda quicunque, & quotcunq; acciderunt defectus principatus, siue regalis, siue ducalis: certa tamen erat spes principatum esse rediturum tribui Iuda; nimirũ saltem per Christum seu Messiam, per quem erat firmandus, & perpetuandus in æternum. Hæc Caiet. Cui oppono primò, iuxta hanc interpretationem posse Iudæos adhuc sperare Messiam, & nullum esse argumentum, quo SS. Patres, & Doctores Catholici contendũt vaticinium illud iam impletum esse. Possunt enim dicere non ita ablatum esse sibi principatum, vt non remaneat semper certitudo Messiæ &c. Deinde Iacob loquebatur sine dubio de principatu, & regno temporali. Atqui illud fuit penitùs ablatũ: neque enim per verum Messiam restituendum erat, sicut reipsa non fuit à Christo restitutum, qui non venit ministrari, sed ministrare: quique regnum temporale non restituit Iudæis; sed spirituale toti mundo instituit.

Tertia est Melch. Cani lib. 2. de locis Theol. cap. 11. dicentis, Machabæos, & alios Pontifices, qui post captiuitatem regnarunt habuisse tantùm Ducatum, & regnum tanquam depositititiũ, & non proprium: vt nimirum illud per modum depositi conseruarent vero, ac proprio Duci, quem de tribu Iuda expectabant. Qua ex re, inquit, sceptrum de tribu Iuda non auferebatur, & præsertim quòd ipsa quoque tribus Iuda in hoc populi condictum, & sententiam, à principio saltem dicitur consensisse, 1. Machab. 9. Sed contra primò, constat ex Iosepho lib. 12. Antiquitat. & ex libris Machab. Iudæos habuisse Machabæos, siue Assamonæos, vt veros, & proprios duces, aut Reges, æquè ac anteriores. Secundò, vt suprà contra Caiet. argumentabamur, Iacob loquebatur de Ducatu, & principatu temporali. At ille non erat reddendus Messiæ, neque fuit reipsa Christo redditus à Machabæis, aut ab Herode, vel ab vllo alio. Ergo Machabæi nõ possunt verè dici habuisse illud vt depositititium, donec Messiæ redderetur. 60. 5. Machabæos habuisse regnum depositititium.

Quarta est Burgensis in cap. 49. Genes. & Galatini lib. 4. de Arcanis fidei, qui dicunt non defecisse sceptrum de Iuda &c. quia post reditum è captiuitate, regnantibus Pontificibus, & Machabæis, fuit supremum concilium, dictum Sanhedrim, ex tribu Iuda, cõstans 70. viris quod præerat, & regebat vt iã regit Parlamentum, vel consilium Regis in regno. Sed contra primò, neq; ex Scriptura, neque ex Iosepho aut Philone, vel vllo alio probato scriptore, constat semper fuisse tale Concilium, & perstitisse vsque ad Herodem. Secundò, dato, & non concesso quòd semper fuerit, multò minùs constat huiusmodi Septuaginta viros vel etiam primum inter illos, & Cõcilii caput, fuisse ex sola tribu Iuda, sed potius ex variis tribubus, vt eorũ electio gratior esset populo, habita cuiusque tribus ratione, & eorum decreta suauius acceptarentur. Fuit enim mos Iudæorum, vt quotiescunq; ad grauia negotia eligerent numerum prudentum virorum, nõ de vnica tribu, sed ex omnibus illos seligerent, vt ostendit Perer. variis exemplis ex Scriptura desumptis, ad cap. 49. Gen. nu. 85. Deinde tertiò Sanhedrim non erat Dux, aut Rex; sed illius consilium: sicut Parlamentum est consilium Regis. Iacob autem loquebatur de Rege, & Duce cùm dixit, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius*: Ergo hæc interpretatio est aliena ab eius mente, & verbis. 6. Imperium mansisse penes Sanedrim de tribu Iuda.

Quinta & vltima est Dionys. Petauii viri eruditissimi lib. 5. Rationarii temp. cap. vlt. vbi nouam quandam prophetiæ huius expositionem proponit, & Baronianæ nobis magis probatæ multa obiicit. Ait enim per Iudam intelligi debere tribum ipsam Iudæ Patriarchæ 61. 7. Expositio Petauii.

triarchæ cognominem, qua superstite subinde post reditum è Babylonica captiuitate, Israëlis omnes posteri Iudæi à Iuda nominati sunt. Per sceptrum verò intelligi debere ait multitudinem ipsam, siue cœtum hominum, qui vno Reipublicæ, populi, & communitatis nomine continetur, ac suas habet leges, & magistratus suos, tam ciuiles, quàm sacros. Vox enim Hebræa, *Schaet*, ibi pro tribu sumitur, cuius virga symbolũ erat, atque etiam pro iurisdictione, ac ciuili potestate. Sensus ergo, inquit, est: *Non auferetur*, vel, vt Hebraicè legitur, *Non recedet sceptrum de Iuda*, hoc est, non prius tribus, ac populus inter populos esse desinet, aut proprios habere magistratus, iurisdictionemque propriam, & Principes, qui à peculiari ista multitudine nomen accipiant, vt Reges, aut Principes, vel Sacerdotes, & Pontifices Iudæorum appellentur: quàm Messias venerit. Verba verò illa, *Et Dux de femore eius*, vel vt Hebraicè legitur, *Et Legislator de inter pedes eius*, non significant non ante defecturum Principem, Legislatoremque, id est, legis interpretem, de semine Iuda Patriarchæ, quàm Christus aduenerit: sed metaphora est, vt ait, Aben Ezra sumpta à leone, iuxta illud quod paulò ante præcedit, *Catulus Leonis Iuda*, &c. Sicut enim leo captæ prædæ, laniatæque solet incubare, neque vi vlla detrahi sibi patitur quidquid pedibus amplexus fuerit: sic Iacob ait Iudam, hoc est, tribum ipsam, populumq; de Iudæ stirpe venientem, postquam semel principatum, vel reip. ius, & magisterium acceperit, non priùs extorqueri passurum sibi, quàm Christus aduenerit. Quocirca *de femore eius*, siue, *de inter pedes eius*, valet idem ac, de cruribus illius, amplexuque, quo stringit. Vel etiam sic exponi potest: Quoniam ad iudicis, præsidisque pedes accubare scriba solet, qui dictatam ab illo sententiam excipit: docet Patriarcha non defuturum de tribu Iuda legislatorem, & magistratum, qui traditam ab illa tribu potestatem exerceat: quique illius, ac de eius voluntate, commissa sibi iurisdictione fungatur: vt penes cõmunitatem ipsam ius, ac potestas omnis sita sit, quam in magistratus deinde suos cõferat, qui de inter pedes eius, hoc est, de sinu ipsius, ac gremio producti fuerint: vel denique, qui administrationem omnem propriam illius populi, & eidem inscriptam, & attributam exerceant. Cuiusmodi fuit etiam Herodes, & si qui alii sunt huiusmodi, qui quamuis non de stirpe Iudæ, ac ne quidem Iacob: reges tamen, principesquę Iudæorũ, & illius tribus peculiares extiterũt. Maximè cùm interim ordinarii alii magistratus essent, præsertim Ecclesiastici. Quamobrem, inquit, non vno tempore, sed pedetentim vaticinium illud finem habuit: & tunc tandem, cùm post occisum Christum, in postrema illa vastitate Danielis 9. prædicta, sceptrũ ac ciuilis omnis, & Ecclesiastica potestas, ac magistratuum iurisdictio funditus est adempta Iudæis, qui ab eo tẽpore per orbem dispersi sub alieno dominatu miserrimam seruitutem tolerant, nec formam vllam habent ciuilis communitatis, nec magistratus, penes quos sit vitæ; necisque potestas. Huc vsque Petauius.

62. Reiicitur quia nimis metaphorica.

Cuius expositio multis de causis minùs mihi probatur. 1. Quia est plena metaphoris, & prophetiæ textum valde ambiguũ, & obscurissimũ reddit: cùm ait sceptrum sumi pro tribu: & Iudam pro toto populo Israëlitico, non autem pro Iuda filio Iacob (quem singulariter Iacob alloquebatur) & pro illius posteris: & de femore eius, vel de inter pedes eius, idem esse, ac de illius possessione firma more leonis, &c. 2. Quia si per vocem Iuda intelligit solam multitudinem eorũ qui de stirpe Iudæ Patriarchæ prognati erant, non est verũ, quod ait solam illam multitudinẽ fuisse superstitem subinde post Babylonicam captiuitatẽ. Nam vsq; ad Christum manserunt Sacerdotes Aaronici de tribu Leui: de qua etiam erãt duces, & reges Assamonæi, seu Machabæi: & Paulus Apostolus erat de tribu Beniamin: Et similiter aliæ tribus ad Christũ vsque manserunt, suberantq; Regibus Iuda, vel Israël. Sin autẽ, vt ego arbitror, & vt verba eius præ se ferunt, intelligit totã Iudæorũ multitudinẽ, quæ subinde post reditũ è captiuitate Babylonis dici cœpit nomine Iudæorum: malè detorquet ad omnes tribus, id, quod de Iuda Patriarcha singulariter, & vt distincto ab aliis filiis Iacob, deque eius posteris dictũ est. Tertiò, Hoc posito sensus erit: Non auferetur, vel non recedet totus popul⁹ Israël de toto populo Israël. Qui sensus est improprius: idem enim nõ potest recedere à seipso. Probo autem fore hũc sensũ: Quia, iuxta Petauiũ, hoc nomine, *sceptrum*, intelligitur multitudo ipsa, seu tribus Iuda in sensu iam explicato. Et hoc nomine, *Iuda*, intelligitur tribus eadẽ. Ergo dicere, Non auferetur sceptrũ de Iuda, in sensu Petauii, est dicere, Non auferetur tribus Iuda, de tribu Iuda, id est, totus populus Israël, de toto populo Israël. Quia tribus Iuda ibi sumitur vtrobique à Petauio pro omnibus posteris Israëlis. Si dicas nomine, *Sceptrum*, intelligi populum Iudaicum, non quomodocunque sumptum, sed vt habẽtem formam communitatis, & Regem, aut Ducem, & magistratum, à quo regatur, vt significat Petauius, cùm ait sensum verborum illorum hunc esse, Non recedet sceptrum de Iuda, hoc est, non priùs tribus, ac populus esse desinet, aut proprios habere magistratus, &c. Respondeo, sensum adhuc fore vitiosum. Nam sensus ille erit: Non recedet de populo Israël, populus Israël proprios habens magistratus. Minùs ergo, conuenienter recedit Petauius à communi expositione apta, propria, clara, & distincta, Non recedet sceptrum de Iuda, & Dux, id est, non desinet esse Rex, aut dux de Iuda. Minùsque aptè confundit sceptrum cum toto populo, & vult esse idem recedere sceptrũ de Iuda, ac populum Iudaicũ à seipso recedere.

Et sensus illius non conuenit verbis Script.

63. Non cõsentit etiam cum versione LXX.

Quartò, illa expositio vocis, *sceptrum*, de populo non conuenit versioni 70. quæ sic habet: ἐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ ἰούδα, id est, Non

& cum Vulgata, deficiet princeps de Iuda: neque versioni latinæ Vulgatæ, cuius maxima debet haberi ratio, cùm sola sit authentica: neque communi expositioni sanctorum Patrum, Theologorum, & interpretum catholicorum huius loci, vt videre est apud Pererium in hunc locum: præcipuè à num. 94. qui etiam numero 82. affirmat expositionem illam esse contra communem sensum Hebræorum, & Paraphrasim Chaldaicam, & translationem Septuaginta, & fere omnes versiones, quæ vocem Hebraicam, *Scenetb*, eo loco vocabulo imperij, sceptri, regni, principatus, regalis virgæ expresserunt. Item nimis tribuitur Rabbino Abben Hesra, & non satis versioni vulgatæ, cùm dicitur verba illa, *Et dux de femore eius*, vel vt est in Hebræo, *& Legislator de inter pedes eius*, exponenda esse per metaphoram sumptam ex pedibus Leonis: Cùm potiùs iuxta communem Patrum, & Catholicorum interpretationem, in sensu proprio, & naturali, significent hic, vt solent alibi in Scriptura, Genes. 46. v. 26. Exod. 1. v. 5. Iudic. 8. v. 30. partem eam corporis, quam honestas nominare non sinit, generationi seruientem. Quod autem ibidem obiter ait Petauius per sceptrum, intelligi ciuilem, & prophanam iurisdictionem: per Legislatorem vero, Ecclesiasticam, id est, Pontificatum, & Sacerdotium; sine sufficienti fundamento & probatione asserit: & Sacerdotium, æquè ac regnum, promissum Iudæ facit, contra communem sensum, qui Leui quidem Sacerdotium attribuit, Iudæ verò regnum, & ciuilem principatum.

164. Et quædam non vera supponit. Quintò, non est verùm reges populi Iudaici vice tantum populi, commissa sibi ab illo iurisdictione functos esse: fuisseque veluti scribas accubantes ad pedes iudicis, sententiã ab eo dictatam excipientes. Quasi verò populus præesset, ac legem poneret, aut interpretaretur regibus, & summis Pontificibus Iudaicis: & non è contrario. Neque enim reges illi populi vicarii fuerunt, sed absolutè supremi principes, & quidem non pauci potestate, & iurisdictione sibi à Deo tradita, sine populi electione.

Et prophetiam inutilem reddit fini præcipuè intẽto. Sextò, quod ait prophetiam illam non habuisse finem Herodis tempore, est contra communem sensum sanctorũ Patrum, atque ipsorummet Hebræorum, qui tunc existimarunt propinquum esse aduentum Messiæ, cùm viderunt Herodem alienigenam regnare. Estque valde notandum Deum, illud vaticinium per os Iacob edidisse, vt ipsius posteris prodesset per se ad cognoscendum, & recipiendum Messiam, cùm veniret. Atqui iuxta expositionem Petauii non ita potuit prodesse. Nam impleta non fuit, nisi 40. annis postquam Christus fuit occisus: nempe quando populus Iudaicus fuit à Romanis deletus. Quare licet prodesse potuerit illis, qui tunc temporis, & deinceps fuerunt, viderũtque impletum esse vaticinium, id est, iam ablatum esse sceptrum: non tamen profuit, neque prodesse potuit iis, qui tempore Herodis, & Christi nascentis, & viuentis fuerũt, cùm adhuc esset sceptrum, & cætera, quorum defectio debebat proximè præcedere, vt esset certum, & vtile indicium aduentus Messiæ iis, quorum tempore nasci, & viuere debebat.

Sed opponit Petauius contra nostram interpretationem: non solùm ante Dauidem, vnum, alterumque dumtaxat ex speciali tribu Iuda rexisse populum annis 675. circiter ab edita prophetia: sed etiam post Sedeciæ necem ad Christum vsque, de alia, quàm Iudæ stirpe duces extitisse annis 588. Etenim Machabæos constat ex Leui descendisse. Quod verò dicitur eos maternum genus à Iuda duxisse, gratis dicitur, quia nullus huius rei fideiussor idoneus est: nihilque ad rem pertinet: Quia certum est maternum genus nullius apud Iudæos momenti fuisse, vt ex eo, in aliqua tribu censeretur quispiam. Et, (quod inuictum, inquit, aduersus illam sententiam argumentum est) si materna stirpe Iudæ tribum contingere, ad id satis est, vt regni ius, ac principatus sibi quispiam assumat, quod illi tribui diuinitus est concessum: non minùs hoc in tribu Leuitica, Sacerdotalique stirpe locum habebit, vt qui maternam ex illa originem acceperit, ad eam tribum pertineat, & Leuiticas, sacerdotalesque functiones vendicare sibi possit. At hoc ne illi quidem existimant, qui de Machabæis ista disputant. 65. Soluuntur argumenta Petauij.

Respondeo, primam partem obiectionis nihil nobis obesse, qui regnum Iuda in Dauide inchoatum fuisse supra diximus, & per lineam masculinam continuatum in tribu Iuda vsque ad Sedeciam, atque etiã aliquandiu post in Zorobabel: Deinceps verò per fœmininam. Nam sacerdotes, qui deinde vsque ad Herodem principatum, aut regnum tenuerunt, erant de stirpe Iuda ex parte matris, vt diximus supra. Quod si gratis à nobis diceretur, gratis quoque à Petauio negaretur, cùm nullum etiam fide-iussorem idoneum ipse proferat. Nos tamen aliquas non leues coniecturas eius rei suprà attulimus num. 43. & 44. ex Scriptura, historia, & sanctis Patribus. Nego autem maternum genus nullius fuisse momenti, vt quis in aliqua tribu censeretur, vel vt per coniugium ius regni communicaretur viris matrimonium contrahentibus cum fœminis ex regia stirpe Iudæ descendentibus. Nam si primum esset verum, non posset Christus censeri de tribu Iuda, ad quam solùm ex parte matris pertinebat. Si secundum, non potuissent, vt supra dixi, Pontifices tenere principatum sine violatione iuris diuini, quo posteris Dauidis in perpetuum attributum erat, & prædictum, ac promissum fore, vt ab illis non recederet. Eaque de causa testantur historici Herodem Mariamnes coniugium expetiisse. Eadem etiam de causa nemo existimauit Messiam proximè adesse quãdo Machabæi principatum tenere cœperunt;

secus autem, quando Herodes alienigena, vt fatetur ipse Petauius initio capitis citati. Cur autem per coniugium non transferretur pariter ius Sacerdotij ad aliam tribum, rationem reddidimus sectione præcedenti, sub finem num. 44.

SECTIO VII.

Continuatur probatio aduentus Messiæ contra Iudæos: ostenditurque Messiam esse Deum & hominem.

66. Expenditur prophetia Danielis de aduentu Messiæ.

AD eandem veritatem aduentus Messiæ confirmandam contra Iudæos illustris est locus Danielis 9. v. 24. & sequentibus, vbi Gabriel Angelus Danielem sic alloquitur. *Animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt. Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et Ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadà vnà, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.* Huc vsque Angelus Danieli. Cuius loci, fusiori expositione, & discussione relicta interpretibus, & chronologis, Pererio in locum illum Danielis, Petauio lib. 12. de Doctr. temp. à cap. 31. Suari disp. 1. de Incarnat. sect. 2. & aliis, quos consule, aduerto breuiter, primò, Gabrielem Hebraicè Danieli Hebræo loquentem, sine dubio hebdomadas sumere aliquo sensu, quo solebant accipi ab Hebræis, & quo sumebantur alibi in Scriptura: alioqui nihil certi ex hac temporis reuelatione, & definitione, potuisset colligi à Daniele. At in tota Scriptura non dicuntur hebdomades, nisi dierum, vel annorum. Dierum quidem Gen. 29. v. 27. & 28. (quem tamen aliqui perperam de annis interpretantur.) Exod. 34. v. 22. Leuit. 12. v. 5. & alibi sæpissime. Annorum verò, Leuit. 25. v. 8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem.* Nomen, inquam, hebdomadis, de se ambiguum, non reperitur alibi coniunctum, nisi vel cum voce dierum, vel cum voce annorum. Debent igitur hebdomades Danieli reuelatæ in alterutrum sensum accipi. Siue autem sumantur pro hebdomadibus dierum, siue pro hebdomadibus annorum, certissimum est iampridem esse elapsas. Quare Iudæis necesse est fateri, vel prophetiam esse falsam, vel iam impletam esse.

Hebdomadis nomen quomodo sumitur in Script.

67. Daniel loquitur de Messia.

Aduerto secundò, dubitari non posse per Christum ibi promissum, verum Messiam intelligi, quia de alio nequeunt illa explicari, *vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia*, id est, prædictiones, & figuræ veteris Testamenti, *& vngatur Sanctus sanctorum.* Nec obest, quod obiiciunt Iudæi, Danielem non postulasse reuelari sibi aduentum Messiæ, sed temporalem Iudæorum liberationem. Nam antecedens incertum est: Et Deus solet interdum plus concedere, quàm rogetur. Atque ex ipso textu manifestum est, plusquam liberationem temporalem Iudæorum reuelatam fuisse verbis illis, *Vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & vngatur Sanctus sanctorum.*

Prædicit illum esse à Iudæis occidendum.

Aduerto tertiò, in Christo Domino euidenter impleta esse verba illa, *Occidetur Christus. Et non erit populus eius, qui eum negaturus est, & ciuitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*, &c. Licet autem textus Hebraicus, & Septuaginta, negationem illam populi non exprimant, vt versio vulgata, sed in Hebræo sit tantùm, *Vehenlo*, id est, & non ipsi: attamen Iudæorum ruinam; quà scilicet propter incredulitatem occasuri erant, exprimunt omnes, quæque à Romanis, Tito præcipuè, & Vespasiano, scimus esse manifestè impleta: Non erat autem quòd delerentur Iudæi in perpetuum, si Messiam suum agnituri erant. Quæ enim connexio alioquin aduentus Messiæ fuisset cum deletione Templi, & Iudæorum, cumque illa mirabili desolatione, quæ à mille & sexcentis annis huc vsque perseuerat, qualis, & quanta nulla fuerat antea? Nimirum in pœnam atrocissimi criminis in Christi occisione commissi, quod Deus æterna desolatione vlciscitur: cùm tamen antea ne quidem idololatriam, & immolationem filiorum suorum idolis factam tam graui, tamque longa pœna vltus esset. Quare illa reticentia Hebraica *Vehenlo*, id est, *& non ipsi*, illum plane sensum habet, quem vulgata expressit.

68. Vera huius prophetiæ expositio.

Quartò denique, ex variis huius loci expositionibus, quas propter historiæ obscuritatem varii excogitarunt, & numerum annorum à Daniele datum Christo exactissimè accommodarunt, maximè placet illa, quam tradit Petauius libro citato capite 35. *Septuaginta hebdomades* annorum solarium, quæ 470. annos efficiunt, abbreuiatæ sunt, id

est, iuxta vim vocis Hebraicæ, determinatæ sunt: quod tempus pro rei magnitudine, & lōga patrum vestrorū (ò Iudæi!) expectatione breue videri debet. *Super populum tuum*, &c. id est, in fauorem populi tui, vt ea, quæ in eius gratiā à Deo decreta sūt, perficiantur: nēpe vt Ierusalem reædificetur, & in fine hebdomadū Christus veniat, ac morte sua peccata deleat. *Ab exitu sermonis*, vt iterū *ædificetur Ierusalem*; id est, à vicesimo Artaxerxis Longimani anno, quo regius sermo de iterū ædificāda Ierusalem efficax fuit, & exitū vere fœlicē habuit, vt habetur 2. Esd. 2. *Ab exitu*, inquam, id est, ab executione sermonis de templo, & vrbe restaurandis, *Vsque ad Christum ducē hebdomades septem* effluent, id est, quadraginta nouem anni. *Et hebdomades sexaginta duæ*, aliæ supple, quæ præcedentibus additæ facient hebdomadas sexaginta nouem. In prioribus verò septem hebdomadibus, *tunc rursum* per Nehemiam *ædificabitur platea, & muri in angustia temporum*, id est, nō sine perturbatione, & hostium metu: vel in angusto, & breui illo spatio septem hebdomadarū, præ alio maiori sexaginta duarū hebdomadarum, quæ cū septem præcedētibus facient sexaginta nouem. Post quas, hebdomadā septuagesimâ, Christus palā apparebit: cùm scilicet, statim post baptismum, Euangelium prædicare aggredietur, seque ipsum Iudæis patefacere. Atque in medio illius hebdomadæ septuagesimæ occidetur Christus confirmans pactum, & testamentū nouum sanguine suo, & morte, quā lex antiqua, & sacrificia Mosaica erant abolenda. Et post eius occisionem, non quidem statim mathematicè, sed moraliter, quadraginta scilicet post annis, sequetur, in eius pœnam, & perfidiæ Iudæorū Christum agnoscere recusantiū, templi strages, & prophanatio sacrorū, vrbisque excidiū, & sempiterna populi desolatio, quæ huc vsque manifestè perseuerat. Iuxta hanc autem supputationē septuaginta hebdomades incipiūt ab anno mūdi ter millesimo quingentesimo vigesimo nono, Olympiadis octuagesimæ primæ secundo, desinuntque in annum mundi quater millesimū decimū octauū, qui est annus post passionē Domini quartus, ita vt in medio hebdomadis septuagesimæ, id est, anno eius tertio, Christus occisus sit, vt Angelus prędixerat.

69. Aliæ prophetiæ de Christo.

His accedit, vt alia multa præteream, quòd ea quæ de Messia prædicta fuerāt, in Christo sunt euidēter impleta. Nam eius ortus ex virgine, prædictus fuerat Isa. 7. Locus natiuitatis, nempe Bethleem, Mich. 5. Pax toto orbe futura in eius natiuitate Isai. 2. Mich. 4. & Zachar. 9. Prædicatio, & miracula Isa. 35. & 61. Paupertas, mansuetudo, & ingressus in Ierusalem super asinam Zach. 9. Proditio Iudæ Psal. 40. v. 10. Venditio 30. argenteis Zach. 11. v. 12. Passio, sputa, flagella, fossio manuū, & pedū, Potus fellis, & aceti, Extēsio in cruce, vestiū diuisio, & sortitio, Psal. 21. 40. & 68. & Zachar. 12. & 13. Mors inter latrones. Isa. 53. Descēsus ad inferos, & resurrectio, Ecclesiast. 24. Zachar. 9. Psal. 3. Ascēsus in cœlum, Psal. 67. & Mich. 2. Missio Spiritus sancti, Ioel. 2. Gentium vocatio, Isai. 49. & 55. Exterminatio Idolorū, Zachar. 13. Iudæorum reprobatio, & propter Christi necem, & infidelitatem desolatio, Ierem. 5. & Daniel. 9. Quæ omnia in Christo ita fuerūt impleta, vt Prophetæ non tam futura prædixisse, quàm præterita retulisse videantur. Hæc autem non à Christianis ficta, sed lōgè ante Christum, & Christianos in Iudæorum libris ab ipsorum Prophetis scripta esse notissimum est.

Neque Iudæi id diffitentur, sed primò putant Christi paupertatem, humilitatē, crucē deniq; ac mortem ignominiæ plenam, indignā esse persona Messiæ. Quasi verò illa paupertas, & humilitas, quæq; Iudæi per se, vel per alios, indignissimè in Christū perpetrarūt, nō fuerint prædicta à Prophetis ante citatis, tanquam futura vt fierent in aliquem sanctū, & summum virum, nec alium quàm Messiam, quem non rarò Dauid, Isaias, & alij exprimūt in eius persona loquentes, quemque cum ijs adiunctis sæpe describunt, quæ non nisi de Messia intelligi possunt. Legatur caput Isaiæ 53. quo ne ipsum quidem Euangelium clarius loqui de Christo videtur. 70. Respondetur Iudæorum objectionibus.

Deinde objiciūt alia multa de Messia fuisse prædicta, quæ Christo non conueniunt: nimirū circa regnum tēporale, & Iudæorum exaltationem, rerumq; omnium abundantiam, & pacem perpetuā, ac circa gloriam, & maiestatē ipsius Messiæ. Verùm in eo errant, quòd promissiones de regno Messiæ spiritali, deque bonis præstantioribus, id est, spiritualibus per ipsum conferendis veris Israelitis, id est, credentibus in ipsum & Abrahæ fidem imitātibus, intelligunt sensu carnali de regno terreno Iudæorū, & de bonis tēporalibus vilissimis, propter quæ venire Messiam indignum erat, quæq; si Messias hâbere debuisset, non prædiceretur fore pauper, & humilis, abiectus, despectus, nouissimus, vir dolorū, languores nostros, & dolores portans, attritusq; propter scelera nostra: vt prædicitur à Zachar. c. 9. Isaia c. 53. aliisque locis. Errant etiam in eo quòd, quæ de Ecclesia Euangelica prædicta sunt, de templo suo, & de Synagoga intelligunt. Item in eo quòd non distinguūt duplicem Messiæ aduentum. Primum humilem, ad homines saluandos: de quo Zachar. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Secundum, plenum gloriæ, & maiestatis, ad iudicandos homines in fine sæculorum: De quo Psal. 49. *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet*, &c. Et Isai. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum*, &c. Propter quam prophetiarum diuersitatem existimant aliqui Iudæi, sed ineptè, duos Messias futuros.

71. Probatur Christum esse Messiā & filium Dei, ex eius miraculis.

Accedit præterea quòd Christus ipse se Messiā esse, & filium Dei, apertè prædicauit, totque miraculis, & signis confirmauit, vt nisi fides illi habeatur: nec Moysi, nec vlli alii

Prophetarum, fides habéda sit. Nullus enim tot, & tantis prodigiis missionem suam credibilem fecit. Quare si Iudæi crediderunt Moysi propter miracula per virgam ab ipso patrata: multò magis debent credere Christo, cuius miracula numero, modo, qualitate, fuerunt longe maiora. Ea verò non modò testati sunt Euangelistæ in facie Iudæorũ, non ea negantium, sed arti Diabolicæ tribuentiũ ineptissimè (quasi verò Diabolus ea fecerit, quæ ad eius perniciem, & ad veri Dei cultum, virtutumque omnium studiũ promouendum fiebant, æquè ac miracula à Moyse & aliis Prophetis edita, quibus id similiter obiici potuisset) verũ etiam Iosephus Iudæus gēte & religione, ex genere Sacerdotum, rerũ Iudaicarũ Scriptor nobilissimus, aliisque rebus gestis clarissimus, & Christi ferè contemporaneus, qui lib. 18. Antiquit. c. 4. sic Scribit: *Eodem tempore fuit Iesus vir sapiens (si tamen virum eum fas est dicere) erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Iudæis, quàm de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat quem accusatum à nostræ gentis Principibus Pilatus cùm cruci addixisset, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperāt. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitùs de eo vates hoc, & alia multa miranda prædixerunt. Et vsque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Huc vsque Iosephus, qui verbis illis, *Christus hic erat*, Iesum illum fuisse Messiam fatetur. Nam Christus Græcè, qua lingua scripsit Iosephus, idem est, quòd Messias Hebraicè, & vnctus Latinè. Cōsiderádum verò est quoad Euangelistas, & alios noui Testaméti scriptores, miraculorũ Christi testes, eos scripsisse eo tempore; & loco, quo ab infinitis testibus oculatis conuinci poterant impudentissimæ falsitatis, si médacia scripsissēt. Quis autem credat eos vsque adeò imprudentes, aut impudentes fuisse. Atqui nō modò ea scripserunt, sed etiam, quod valdè notandum est, pro eorundem veritate vitam suam morti exposuerũt: & infinita Martyrum millia, partim eodem tempore, partim proximè sequentibus, recenti adhuc vitæ Christi memoria, pro eadem veritate, tam de Iudæis, quàm de Gentilibus, sanguinem profuderunt. Homines vitæ innocentissimæ, vel ipsa confessione Aduersariorum: & non pauci inter illos magnæ prudentiæ, & eruditionis, vt eorum scripta, quæ ad nos vsque peruenerunt, testantur. Hæc certè omnem falsitatis suspicionem prudenter expendenti planè tollunt, præsertim si consideremus eos, Christo iam mortuo, nihil ab illo, si impostor erat, sperare potuisse, vt pro ipso mortem tam ignominiosam, & acerbam opperirent. Quodque incredibilis insaniæ fuisset Apostolis, & Euangelistis, pati pro apertis médaciis, quæ in finitorum hominum oculis ipsis constaret esse putidissima.

[Margin: Iosephus.]

[Margin: Vide Plin. Iunior. l. 2. epist. 47. ad Traianum Imperat.]

42. Probatur etiam ex pœna, & ruina Iudæorum ob Christum occisum.

His denique addi possent quæcūque grauiter & sapienter expédit Chrysost. in homiliis sex contra Iudæos, præcipuè verò in quarta. Quòd scilicet pœna tā grauis, tamq; diuturna Iudæorũ, à quadraginta post Christi mortem annis huc vsque, qualē, & quantā, nec propter Idololatriā, nec propter alia grauissima scelera passi vnquā erant, manifestè ostēdit grauius ipsos crimen cōmisisse in Christi occisione. Qui si impostor fuisset, & veræ legis, ac religionis aduersarius, debuissent potiùs Iudæi, magnā inde laudē apud Deum & benedictionem referre. Nam, inquit, si Phinees vno tantùm perempto homine totam iram Dei sedauit, *Stetit enim Phinees, & placauit, & cessauit quassatio*, Psal. 105. *Multò magis vos, si impostor erat, quem crucifixistis? Vnde ergo ille Sacerdotio honoratur, at vos acerbiora patimini, quàm cum filios mactaretis? Audiuimus sæpe Deum per Prophetas dicētem maioribus vestris: Vos quidem eratis digni innumeris malis, sed ego facio propter nomen meũ, ne prophanetur inter gentes, &c. Itaque si legis trāsgressor erat Christus: etiamsi decē millia peccata cōmisissetis, multò etiam prioribus illis grauiora: tamē seruasset vos Deus propter hoc factũ, ne nomē eius pollueretur, neue quis diceret, quòd Christi causa hæc pateremini. Nunc autē cùm nos Christiani floremus, vos autē contumeliosi, & ignominiosi degitis: palam est Deũ demōstrare, eũ, qui à vobis occisus est, non fuisse legis trāsgressorem, sed ipsum legis cōditorem, & innumerabiliũ bonorum auctorē. Nam quòd Deus vos repulerit, res ipsa clamat, ac vocē tuba clariorē emittit. Esto enim: mœnia ab hominibus diruta sint, altare deiectum: nũ & illud ab hominibus factũ, quòd Prophetæ cessarũt? &c. Num quæ apud vos erant magnifica, sustulerunt, vt vocē è Propitiatorio reddi, declarari ventura in lapidibus Sacerdotis? &c. Nec enim Iudaica religio inferiora habebat omnia, sed plura è cœlis. v. g. fiebāt sacrificia, & altare quidē erat ex inferioribus, & gladius, & ligna, & Sacerdos. At ignis venturus in adyta illa & victimas cōsumpturus, à supernis habebat originem. Rursus, si quid cognoscēdum erat è Propitiatorio, prodibat vox è medio Cherubim, prædicēs futura. Rursus è lapidibus, qui erāt in pectore Sacerdotis, elucebat fulgor quidā futura significās, &c. Ne ergo Iudæi impudenter hominibus casum imputarēt suum, Deus hæc abstulit. At, inquiunt, ista caremus, quia metropoli caremus: Nequaquā. Cùm enim vaticinaretur Moyses, nec metropolis erat, nec templum, nec altare, &c. Cunctis rursus sublatis extiterunt in Babylone Ezechiel, & Daniel, &c.* Sed hæc & alia, quæ Chrysostomus eloquēter prosequitur, in fonte ipso meliùs legi possũt.

[Margin: Chrysost. hom. 4. contra Iudæos.]

43. Tempus designatũ à prophetia Iacob manifestè præteriit.

Illud etiam considerandum est, quod sapienter à quibusdam recentioribus fuit animaduersum, & plerisque Iudæorum cauillationibus viam obstruit, negari ab illis non posse prophetias de aduentu Messiæ ex Testamento veteri superiùs allatas, & expensas, esse diuina oracula: quippe qui librum illum pro diuino agnoscunt; ac proinde necessariò vel esse iam impletas, vel esse aliquando implendas. Est autem manifestũ iam præteriisse tempus designatum impletionis earum, siue præcisè desierit eo tempore, quo Herodes Ascalonita regnum Iudaicum vsurpauit, siue aliquātò post tempus captiuitatis Babylonicæ, quando regnum ad sacerdotes

translatum est: siue tempore Agrippæ Regis, & Vespasiani Imperatoris, quando funditus euersum est Iudæorum regnum, & forma Reipublicæ, seu Monarchiæ Iudaicæ prorsus extincta. Cū enim iuxta prophetiam Iacob primo loco expensam, non esset defecturū sceptrū de Iuda, donec veniret Messias: & manifestum sit à tempore saltem Vespasiani defecisse; ex quo tempore nullus fuit, qui Iudæ nomine regnet, nullum regnum Iudaicū, nullus qui Iudæorum rempublicam cum summa potestate administret: necessarium est tunc saltem venisse Messiam, nisi potiùs de tempore Herodis alienigenæ regnum Iudaicum occupantis prophetia illa intelligenda sit. Tunc enim vere cœpit auferri sceptrū de Iuda, cum Iudæ posteris per Herodem ademptū est, qui ne quidem ex parte matris à Iuda descendebat. Atqui nullus fuit temporibus illis de quo vel probabiliter intelligi possint, quæ ab Isa. c. 11. v. 10. Ierem. 16. v. 19. Micheæ 4. v. 1. & seq. aliisque Prophetis de Messia prædicta fuerant circa gentium conuersionem à cultu idolorum, & liberationem à seruitute Dæmonis, propter quam etiam vocatur à Iacob, *Expectatio gentium*, Gen. 49. v. 10. & ab Aggæo c. 2. v. 8. *Desideratus cunctis gentibus*: deque Ecclesia ex omnibus nationibus per illū instituenda. Isai. 2. & de regno eius perpetuo; Daniel. 7. Psal. 88. Ierem. 33. aliisque locis: præter Iesum Christum qui tempore Herodis natus est. Ergo de nullo alio potest hæc prophetia verificari, quàm de Iesu Christo. Ac proinde vel est falsa, & suppositititia, quod Iudæi dicere execrantur: vel Iesus Christus est Messias à Deo promissus, & à Prophetis prænunciatus, quod ipsi malè negant.

Idem ostēditur de prophetia Danielis.

74. Similis discursus fieri potest de Prophetia Danielis. Cùm enim manifesta sit iā omnibus desolatio, & vastitas ab eo prædicta, vt futura post occisionē Christi, seu Messiæ, c. 9. v. 26. necessarium est vel Christum iam venisse & occisū fuisse, vel prophetiā falsam esse. Idem dico de aliis, quibus prædictum, & à Deo promissum erat Dauidi, ac posteris eius regnū fore sempiternum, & vsque ad finem mundi duraturum: ac ne quidem fore, vt propter eorum peccata fieret hæc promissio irrita. Psal. 88. v. 21. & seqq. *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum*, &c. *In æternum seruabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli*: id est, regnabūt eius posteri quandiu cœlū durabit, aut quandiu sua reuolutione dies efficiet. *Si autem dereliquerint filii eius legem meam, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meā non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita*: id est, nō infringam propter eorū peccata, neque violabo hāc promissionē meā. Quam etiam paulò post. v. 36. solemni iuramento cōfirmat, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mētiri Deū, firmiùs cōstaret hominibus, Deum promissis nō defuturū. *Semel iuraui*, inquit, *in sancto meo, si Dauid mentiar: semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in cōspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Et Ierem. 33. v. 20. *Hæc dicit Dominus, si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactū meum cum nocte, vt non sit dies, & nox in tēpore suo. Et pactū meū irritū esse poterit cū Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius.* Ex quibus, & similibus Script. locis potest duci hoc argumentū efficax cōtra Iudæos: Vel Scripturæ illæ nō sunt diuinæ, sed euidēter falsæ: vel nūc etiam est aliquis de filiis Dauid, qui regnet, & sedeat in throno eius, in æternū futuro. Atqui iam nullus est de posteris Dauidis, de quo verisimiliter dici possit quòd regnet in eius throno, præter Iesum Christum: cuius regnū, licet spirituale, quale futurū erat regnū Messiæ, & ad æternā fœlicitatem ordinatum: habet tamen manifesta, & visibilia indicia in Christiana republica toto orbe diffusa, plurimos reges, & principes cōplectente, Christi vicario subiectos: quibus etiā Iudæi ipsi subiacere cogūtur. De illo enim solo verum est, quod Angelus prædixit Luc. 1. *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternū, & regni eius non erit finis.* Neque verò possunt illæ prophetiæ de temporali regno Dauidis intelligi, cùm manifestū sit iam à mille sexcētis annis extinctū esse, ab eoque tempore Iudæos aliis nationibus subiacuisse, vt modò etiā subiacēt. Fictitiū enim est, quod dicūt de capitibus tribuum Babylone degentibus, & ius regnandi habētibus, licet illud nō exerceant: Cùm ibi Turcarū Imperatori non minus subiaceant, quàm alibi variis Principibus: & ius illud fictitiū regnādi, nō sit regnare, & sedere in throno Dauid, regnūque Iuda possidere & administrare.

Hebræor. 6. v. 18.

Prophetiæ de regno Dauidis perpetuo non possūt nisi de Christo verificari.

Probatur contra Iudæos Messiam esse verū Deū, & hominē.

75. Et hæc sufficiant ad probandū cōtra Iudæos Messiam venisse. Iam verò quòd sit Deus homo, talisq; fuerit à Deo promissus, & prænūciatus in Testamēto veteri, probari potest efficaciter cōtra eosdē ex Psal. 2. v. 7. vbi Dauid Messiam ita loquentem inducit: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*: ex mea vtique substantia. Nam quod vere, & propriè gignitur, vtique est ex substantia gignentis. Neque vlli Angelorū, aut aliorū sanctorū, qui interdum in Scriptura vocātur metaphoricè filii Dei, dictum à Deo fuit: *Ego hodie genui te*: vt expendit Apost. Heb. 1. v. 5. Et Psal. 44. v. 7. vbi Psalmista non obscurè Messiam Deum vocat, vnctum à Deo oleo exultationis præ consortibus suis, id est, præ aliis, qui vnctionis Spiritus sancti participes, & naturæ diuinæ consortes aliquo modo facti sunt. Isti enim, per adoptionē tantùm, & gratiam accidentalē: ille verò per naturalem filiationem, & vnctionē ipsiusmet diuinitatis, & sanctitatis substantialis. Et Psal. 109. v. 1. & seqq. vbi Dauid in spiritu Messiā vocat dominum suum, & ad dexteram Dei considere affirmat, id est, æquali gloria, & maiestate frui: Quod ne de Angelis quidem potest in-

telligi; cùm omnes sint administratorii spiritus, infiniteque distent ab illa maiestate: fuisseque ab vtero Dei genitum ante Luciferum, id est, de propria eius substantia, & ab intra, ante solem, siue ante mundi constitutionem. Quod de solo Messia vt Verbo, verè dici potest. Et Isai. 9. v. 6. vbi inter alia Messiæ nomina, vera scilicet & propriè id quod est, significantia, ponitur *Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*: additurque fore, vt multiplicetur eius imperium. Et super solium Dauid sedeat in sempiternum. Et cap. 35. v. 4. prædicitur, Deum ipsum in persona Messiæ venturum esse. *Deus ipse veniet*, inquit, *& saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*, &c. Nam quòd ibi sermo sit de aduentu Messiæ, & miraculis eius, & Gentium conuersione ad Deum, patet ex ipso textu totius capitis: cùmque dicitur signanter, & emphaticè, *Deus ipse veniet*, significatur Deum in propria persona venturum esse, & non solùm per legatum, & internuncium, vt sæpius iam fecerat. Quod etiam clariùs prædixit Hieremias cap. 23. v. 5. his verbis: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* Et paulò post v. 6. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster*, hebraicè *Iehoua*, quod est nomen Dei proprijssimum, ineffabile apud Iudæos, & incommunicabile. Neq; minùs perspicuè loquuntur Baruch c. 3. v. 37. & 38. Et Michæas cap. 5. v. 2. Et Zachar. c. 2. v. 10. & seqq. Quæ omnia loca, vt & superiora, quia iam alibi expendimus, malumus eò lectorem remittere, quàm idem inutiliter repetere.

76. Iob Messiā fore Deū, & hominē agnoscit.

Plura verò ad eandem veritatem confirmandam contra Iudæos videri possunt apud Molinam 1. p. quæst. 27. art. 1. disput. 2. qui alia veteris Testamenti loca his addit, fusèque, & accuratè expendit, vt illud Iob 19. v. 25. *Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Quibus verbis Propheta non obscurè significat Redemptorem suum, cuius gratia se resurrecturum esse sperat, simul esse Deum, & hominem. Tum quia cùm ait, *Scio quòd Redemptor meus viuit*, non id intelligit de illo, vt homine (sic enim nondum viuebat) sed vt Deo viuente ab æterno. Tum etiam quia de illo eodem subiicit: Et in carne mea videbo Deum, illum scilicet Redemptorem, & Saluatorem meum, vt exprimit latina versio vulgata. Hominem verò esse declarat his verbis: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Cùm enim oculis corporis Deus, qua Deus, conspici nequeat agnoscit Deum illum Saluatorem suum quem oculis suis conspecturum se dicit, esse simul hominem inuisibilem: ita vt eum videndo vt hominem, oculis corporis, simul verè dicetur videre Deum carne visibili indutū.

77. Denique ad idem confirmandū contra Iudæos valent cætera omnia quibus supra ostendimus Messiam venisse, & illum esse Christum Iesum. Nam ille clarissimè se verum Deum esse, & Filium Dei viui professus est. Vt quando Matth. 16. dicenti Petro, *Tu es Christus Filius Dei viui*, respondit: *Beatus es Simon Bar-iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Et Marc. 14. quando Caïphæ interroganti num esset Filius Dei benedicti? respondit: *Ego sum.* Filius scilicet naturalis, de quo interrogabatur, & propter quod subiecit Caïphas, *Blasphemauit. Audistis blasphemiam* &c. & Ioan. 5. *Propterea magis quærebant eum Iudæi interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Atqui si falsum illud erat, Christus id de se prædicans, non verus Messias, sed pessimus impostor fuisset. Adde, quòd illud ipsum innumeris signis & miraculis confirmauit, de quibus aiebat Ioan. 5. v. 36. *Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* & cap. 15. *Si non venissem & opera in eis fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.* Idemque Apostoli, & alij eius Discipuli toto orbe prædicarunt, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, adeo magnis, frequentibus & illustribus, vt breui totus ferè orbis à gentilismo & idololatria, ad veri Dei cultum traductus sit. Quæ conuersio Gentiliū ab idololatria, toties à Prophetis prædicta, & decantata, vt per verum Messiam facienda, non potest à Iudæis dissimulari, neq; negari esse facta à Domino nostro Iesu Christo, & adhuc varijs in locis noui orbis fieri per eius cultores.

78. Quomodò probanda Incarnatiō cōtra Hæreticos.

Ad probandum verò idem mysterium contra hæreticos, qui varijs modis circa illud errarunt, valent 1. argumenta credibilitatis, & testimonia veteris Testamenti allata contra Ethnicos, & Iudæos. 2. Speciatim cōtra eosdem proferri possent innumera noui Testamēti loca, quibus apertè constat Christum fuisse verum Deum, & hominem. Sed ea cuilibet obuia sunt, & nonnulla iam retulimus sect. 1. Plura verò apud Suarem collecta legi possunt disp. 2. Addi 3. possent sanctorum Patrum testimonia, & Conciliorum definitiones, quibus iam pridem damnati fuerunt errores Arianorum, Manichæorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Apollinaristarū, Monothelitarū, & similiū hæreticorū, negantiū, vel Christi diuinitatē, vel naturæ humanæ veritatē, & integritatem, vel personæ vnitatē, vel distinctionē naturarum, aut operationū in Christo. Sed hi errores suis in locis cōmodius, prout occasio tulerit refutabūtur. Hæc igitur in præsenti cōtra Infideles dicta sufficiant de existentia & veritate mysterij Incarnationis. Nunc ad illius explicationem progrediendum est, deque illius cōueniētia & necessitate imprimis disserēdū.

translatum est: siue tempore Agrippæ Regis, & Vespasiani Imperatoris, quando funditus euersum est Iudæorum regnum, & forma Reipublicæ, seu Monarchiæ Iudaicæ prorsus extincta. Cū enim iuxta prophetiam Iacob primo loco expensam, non esset defecturū sceptrū de Iuda, donec veniret Messias: & manifestum sit à tempore saltem Vespasiani defecisse; ex quo tempore nullus fuit, qui Iudæ nomine regnet, nullum regnum Iudaicū, nullus qui Iudæorum rempublicam cum summa potestate administret: necessarium est tunc saltem venisse Messiam, nisi potiùs de tempore Herodis alienigenæ regnum Iudaicum occupantis prophetia illa intelligenda sit. Tunc enim vere cœpit auferri sceptrū de Iuda, cùm Iudæ posteris per Herodem ademptū est, qui ne quidem ex parte matris à Iuda descendebat. Atqui nullus fuit temporibus illis de quo vel probabiliter intelligi possint, quæ ab Isa. c. 11. v. 10. Ierem. 16. v. 19. Micheæ 4. v. 1. & seq. aliisque Prophetis de Messia prædicta fuerant circa gentium conuersionem à cultu idolorum, & liberationem à seruitute Dæmonis, propter quam etiam vocatur à Iacob, *Expectatio gentium*, Gen. 49. v. 10. & ab Aggæo c. 2. v. 8. *Desideratus cunctis gentibus*: deque Ecclesia ex omnibus nationibus per illū instituenda. Isai. 2. & de regno eius perpetuo; Daniel. 7. Psal. 88. Ierem. 33. aliisque locis: præter Iesum Christum qui tempore Herodis natus est. Ergo de nullo alio potest hæc prophetia verificari, quàm de Iesu Christo. Ac proinde vel est falsa, & supposititia, quod Iudæi dicere execrantur: vel Iesus Christus est Messias à Deo promissus, & à Prophetis prænunciatus, quod ipsi malè negant.

Item ostēditur de prophetia Danielis.

74. Similis discursus fieri potest de Prophetia Danielis. Cùm enim manifesta sit iā omnibus desolatio, & vastitas ab eo prædicta, vt futura post occisionē Christi, seu Messiæ, c. 9. v. 26. necessarium est vel Christum iam venisse & occisū fuisse, vel prophetiā falsam esse. Idem dico de aliis, quibus prædictum, & à Deo promissum erat Dauidi, ac posteris eius regnū fore sempiternum, & vsque ad finem mundi duraturum: ac ne quidem fore, vt propter eorum peccata fieret hæc promissio irrita. Psal. 88. v. 21. & seqq. *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum, &c. In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli*: id est, regnabūt eius posteri quandiu cœlū durabit, aut quandiu sua reuolutione dies efficiet. *Si autem dereliquerint filii eius legem meam, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meā non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita*: id est, nō infringam propter eorū peccata, neque violabo hāc promissionē meā. Quam etiam paulò post. v. 36. solemni iuramento cōfirmat, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mētiri Deū,

Hebræor. 6. v. 18.

firmiùs cōstaret hominibus, Deum promissis nō defuturū. *Semel iuraui*, inquit, *in sancto meo, si Dauid mentiar: semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in cōspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Et Ierem. 33. v. 20. *Hæc dicit Dominus, si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactū meum cum nocte, vt non sit dies, & nox in tēpore suo. Et pactū meū irritū esse poterit cū Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius.* Ex quibus, & similibus Script. locis potest duci hoc argumentū efficax cōtra Iudæos: Vel Scripturæ illæ nō sunt diuinæ, sed euidēter falsæ: vel nūc etiam est aliquis de filiis Dauid, qui regnet, & sedeat in throno eius, in æternū futuro. Atqui iam nullus est de posteris Dauidis, de quo verisimiliter dici possit quòd regnet in eius throno, præter Iesum Christum: cuius regnū, licet spirituale, quale futurū erat regnū Messiæ, & ad æternā fœlicitatem ordinatum: habet tamen manifesta, & visibilia indicia in Christiana republica toto orbe diffusa, plurimos reges, & principes cōplectente, Christi vicario subiectos: quibus etiā Iudæi ipsi subiacere cogūtur. De illo enim solo verum est, quod Angelus prædixit Luc. 1. *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternū, & regni eius non erit finis.* Neque verò possunt illæ prophetiæ de temporali regno Dauidis intelligi, cùm manifestū sit iam à mille sexcētis annis extinctū esse, ab eoque tempore Iudæos aliis nationibus subiacuisse, vt modò etiā subiacēt. Fictitiū enim est, quod dicūt de capitibus tribuum Babylone degentibus, & ius regnandi habētibus, licet illud nō exerceant: Cùm ibi Turcarū Imperatori non minus subiaceant, quàm alibi variis Principibus: & ius illud fictitiū regnādi, nō sit regnare, & sedere in throno Dauid, regnūque Iuda possidere & administrare. 75.

Prophetiæ de regno Dauidis perpetuo non possūt nisi de Christo verificari.

Probatur contra Iudæos Messiam esse verū Deū, & hominē,

Et hæc sufficiant ad probandū cōtra Iudæos Messiam venisse. Iam verò quòd sit Deus homo, talisq; fuerit à Deo promissus, & prænūciatus in Testamēto veteri, probari potest efficaciter cōtra eosdē ex Psal. 2. v. 7. vbi Dauid Messiam ita loquentem inducit: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*: ex mea vtique substantia. Nam quod vere, & propriè gignitur, vtique est ex substantia gignentis. Neque vlli Angelorū, aut aliorū sanctorū, qui interdum in Scriptura vocātur metaphoricè filii Dei, dictum à Deo fuit: *Ego hodie genui te*: vt expendit Apost. Heb. 1. v. 5. Et Psal. 44. v. 7. vbi Psalmista non obscurè Messiam Deum vocat, vnctum à Deo oleo exultationis præ consortibus suis, id est, præ aliis, qui vnctionis Spiritus sancti participes, & naturæ diuinæ consortes aliquo modo facti sunt. Isti enim, per adoptionē tantùm, & gratiam accidentalē: ille verò per naturalem filiationem, & vnctionē ipsiusmet diuinitatis, & sanctitatis substantialis. Et Psal. 109. v. 1. & seqq. vbi Dauid in spiritu Messiā vocat dominum suum, & ad dexteram Dei considere affirmat, id est, æquali gloria, & maiestate frui: Quod ne de Angelis quidem potest in-

telligi; cùm omnes sint administratorij spiritus, infinitéque distent ab illa maiestate: fuisseque ab vtero Dei genitum ante Luciferum, id est, de propria eius substantia, & ab intra, ante solem, siue ante mundi constitutionem. Quod de solo Messia vt Verbo, verè dici potest. Et Isai. 9. v. 6. vbi inter alia Messiæ nomina, vera scilicet & propriè id quod est, significantia, ponitur *Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis:* additurque fore, vt multiplicetur eius imperium, Et super solium Dauid sedeat in sempiternum Et cap. 35. v. 4. prædicitur, Deum ipsum in persona Messiæ venturum esse. *Deus ipse veniet*, inquit, *& saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*, &c. Nam quòd ibi sermo sit de aduentu Messiæ, & miraculis eius, & Gentium conuersione ad Deum, patet ex ipso textu totius capitis: cúmque dicitur signanter, & emphaticè, *Deus ipse veniet*, significatur Deum in propria persona venturum esse, & non solùm per legatum, & internuncium, vt sæpius iam fecerat. Quod etiam clariùs prædixit Hieremias cap. 23. v. 5. his verbis: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* Et paulò post v. 6. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster*, hebraicè *Iehoua*, quod est nomen Dei proprijssimum, ineffabile apud Iudæos, & incommunicabile, Neq; minùs perspicue loquuntur Baruch c. 3. v. 37. & 38. Et Michæas cap. 5. v. 2. Et Zachar. c. 2. v. 10. & seqq. Quæ omnia loca, vt & superiora, quia iam aliàs expendimus, malumus eò lectorem remittere, quàm idem inutiliter repetere.

76. Plura verò ad eandem veritatem confirmandam contra Iudæos videri possunt apud Molinam 1. p. quæst. 27. art. 1. disput. 2. qui alia veteris Testamenti loca his addit, fuséque, & accuratè expendit, vt illud Iob 19. v. 25. *Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Quibus verbis Propheta non obscurè significat Redemptorem suum, cuius gratia se resurrecturum esse sperat, simul esse Deum, & hominem. Tum quia cùm ait, *Scio quòd Redemptor meus viuit*, non id intelligit de illo, vt homine (sic enim nondum viuebat) sed vt Deo viuente ab æterno. Tum etiam quia de illo eodem subijcit: Et in carne mea videbo Deum, illum scilicet Redemptorem, & Saluatorem meum, vt exprimit latina versio vulgata. Hominem verò esse declarat his verbis: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Cùm enim oculis corporis Deus, qua Deus, conspici nequeat agnoscit Deum illum Saluatorem suum quem oculis suis conspecturum se dicit, esse simul hominem visibilem: ita vt eum videndo vt hominem, oculis corporis, simul verè di-

Iob Messiã fore Deũ, & hominẽ agnoscit.

cetur videre Deum carne visibili indutũ. 77.

Denique ad idem confirmandũ contra Iudæos valent cætera omnia quibus supra ostendimus Messiam venisse, & illum esse Christum Iesum. Nam ille clarissimè se verum Deum esse, & Filium Dei viui professus est. Vt quando Matth. 16. dicenti Petro, *Tu es Christus Filius Dei viui*, respondit: *Beatus es Simon Bar-iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Et Marc. 14. quando Caïphæ interroganti num esset Filius Dei benedicti? respondit: *Ego sum.* Filius scilicet naturalis, de quo interrogabatur, & propter quod subiecit Caïphas, *Blasphemauit. Audistis blasphemiam* &c. & Ioan. 5. *Propterea magis quærebant eum Iudæi interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Atqui si falsum illud erat, Christus id de se prædicans, non verus Messias, sed pessimus impostor fuisset. Adde, quòd illud ipsum innumeris signis & miraculis confirmauit, de quibus aiebat Ioan. 5. v. 36. *Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* & cap. 15. *Si non venissem & opera in eis fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.* Idemque Apostoli, & alij eius Discipuli toto orbe prædicarunt, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, adeo magnis, frequentibus & illustribus, vt breui totus fere orbis à gentilismo & idololatria, ad veri Dei cultum traductus sit. Quæ conuersio Gentiliũ ab idololatria, toties à Prophetis prædicta, & decantata, vt per verum Messiam facienda, non potest à Iudæis dissimulari, neq; negari esse facta à Domino nostro Iesu Christo, & adhuc varijs in locis noui orbis fieri per eius cultores.

78. Ad probandum verò idem mysterium contra hæreticos, qui varijs modis circa illud errarunt, valent 1. argumenta credibilitatis, & testimonia veteris Testamenti allata contra Ethnicos, & Iudæos. 2. Speciatim cõtra eosdem proferri possent innumera noui Testamẽti loca, quibus apertè constat Christum fuisse verum Deum, & hominem. Sed ea cuilibet obuia sunt, & nonnulla iam retulimus sect. 1. Plura verò apud Suarem collecta legi possunt disp. 2. Addi 3. possent sanctorum Patrum testimonia, & Conciliorum definitiones, quibus iam pridem damnati fuerunt errores Arianorum, Manichæorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Apollinaristarũ, Monothelitarũ, & similiũ hæreticorũ, negantiũ, vel Christi diuinitatẽ, vel naturæ humanæ veritatẽ, & integritatem, vel personæ vnitatẽ, vel distinctionẽ naturarum, aut operationũ in Christo. Sed hi errores suis in locis cõmodiùs, prout occasio tulerit refutabũtur. Hæc igitur in præsenti cõtra Infideles dicta sufficiant de existentia & veritate mysterij Incarnationis. Nunc ad illius explicationem progrediendum est, deque illius cõuenientia & necessitate imprimis disserẽdũ.

Quomodò probanda Incarnatio cõtra Hæreticos.

DISPVTATIO SECVNDA.

De conuenientia & necessitate Incarnationis.

DE conuenientia & necessitate Incarnationis disputat S. Thomas quæst. 1. art. 1. 2. 5. & 6. docetque primò, conueniens fuisse Deum incarnari: quia summo bono conuenit summè se communicare creaturis: quod maximè fit per coniunctionem naturę creatæ cum diuina in vnitatem personæ. Secundò, necessarium id fuisse ad naturæ humanę reparationem, non quidem simpliciter, quia Deus poterat aliter humanum genus reparare: sed vt meliùs & conuenientiùs fieret, vtque homo magis promoueretur ad bonũ, & remoueretur à malo. Tertiò, non fuisse conueniens Deum incarnari initio mundi ante peccatum. Quia non datur medicina nisi infirmis: opus autem incarnationis principaliter ordinatur ad reparationem humanæ naturæ per abolitionem peccati. Neque etiam statim post peccatum conueniens fuisse Deum incarnari; tam propter conditionem humani peccati, quod ex superbia prouenerat: vnde eo modo erat homo liberandus, vt humiliatus recognosceret se liberatore indigere. Tum etiam propter ordinem promotionis in bonũ, secundũ quem ab imperfecto ad perfectũ proceditur. Tum denique propter dignitatem Verbi: quia quantò maior Iudex veniebat, tantò præconũ series longior præcedere debebat. Quartò, non debuisse tamen differri vsq; ad finem mundi: ne feruor fidei temporis prolixitate tepesceret: quia circa finem mundi refrigescet charitas multorum. Néue Dei notitia, & reuerentia, & morum honestas, prorsus in homine extingueretur; sed magis diuinę virtutis magnitudo manifestaretur, in eo quòd non solùm per fidem futuri, sed etiam per fidem præsentis, & præteriti, homines saluaret. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari?

1. Conclusio affirmatiua.

Respondeo affirmatiuè cum D. Thom. q. 1. art. 1. Et quidem cùm à Deo, velut à causa speciali, opus illud supernaturale, & supra modū mirabile processerit, dubitari non potest valde cōueniens fuisse. Deus enim velut causa specialis, & præsertim supra naturæ vires operans, nihil facit, quod conueniens non sit, id est, consentaneum rationi, & sapientiæ. Hæc tamen quæstio non inutiliter proponitur, vt afferantur rationes conuenientiæ. Quarum prima fit ex D. Thom. art. cit. in c. Quia summæ bonitati diuinæ conueniebat, vt seipsam summè communicaret. Pertinet enim ad rationem boni, & naturæ illius consentaneum est, vt se aliis communicet. Ergo summæ bonitati conuenit, vt se summè communicet. Quare vltra communicationē per naturā, siue per opera naturalia, quæ minima est: & per gratiā, quæ maior est: debuit esse communicatio per vnionem hypostaticam, vel assumptionem naturæ creatæ in vnum ens per se, quæ summa est inter cōmunicationes possibiles ad extra, id est, extra mysteriū Trinitatis, & cōmunicationes ac processiones personarū diuinarum.

Prima ratio, vt summum bonum se summè communicaret.

2. Communicatio facta per incarnationem maior est illâ, quæ fit per visionem beatificam.

Dices, maiorem esse Dei communicationem in visione beatifica, in qua Deus se cōmunicat immediatè secundum essentiam, & omnes hypostases diuinas: quàm in incarnatione, in qua se cōmunicauit immediatè tantùm secundū hypostasim Verbi. Respondeo, in beatitudine cōmunicari essentiā, & hypostases diuinas extrinsecè tantùm, & obiectiuè. At in incarnatione cōmunicari hypostasim Verbi naturæ humanæ, vt physicè, & intrinsecè cōstituat cum illa vnum suppositum, & vnum ens per se: quæ communicatio longè maior, & perfectior est.

Eadem cōmunicatio est summa in suo genere.

Instabis, quia maior communicatio esset, si non solùm Filius, sed etiam Pater & Spiritus sanctus hypostaticè vniti essēt naturæ humanæ, quemadmodū non repugnabat vniri. Et adhuc maior, si non solùm humanæ, sed etiam Angelicæ: & cuiuis alteri vnibili. Item maior, si non tantùm secundum hypostasim, sed etiam secundum naturam ipsam diuinam immediatè vnirētur. Ergo incarnatio Verbi non est summa cōmunicatio inter possibiles. Respōdeo, quidquid sentiēdum sit de possibilitate vnionis immediatæ essentiæ diuinæ cum natura creata, de qua dicemus alibi: vnionē hypostaticā in Christo factā, non esse summam in indiuiduo, aut in specie, aut extensiuè, vel intensiuè: sed esse summā in suo genere: id est, esse in genere summæ vnionis possibilis, quatenus est vnio, & cōmunicatio substantialis, & physica ipsiusmet esse diuini, ad cōstituēdū vnū ens per se cū natura creata.

3. Secunda ratio conuenientiæ est, vt Deus ostenderet suam omnipotentiā, & virtutē infinitam, edendo summū illud opus suæ potentiæ. Nihil enim maius fieri potest, quàm creaturam fieri ipsum Deū: & extrema tantopere distantia, tam arctè coniungi. Intellige autem summum in suo genere, non verò in specie, vel indiuiduo, aut extensiuè, vel intensiuè, vt paulò ante notatum fuit.

Secunda ratio, vt Deus suam potentiam summam patefaceret.

Tertia ratio est, vt Deus amorem suum, & bonitatē infinitā erga creaturas intellectuales patefaceret: cùm tam intimè se illis cōniunxit, & in earū gratiā creatura ipse factus est. Quid enim benignius, (inquit S. Thom. opusculo 60.) & meliùs, quàm quòd creator rerū cōmunicare se voluit rebus creatis? Quæ benignitas magna fuit in cōiunctione sui, cū omnibus rebus per præsentiā. Maior, quia cōmunicauit se bonis per gratiā. Maxima, quia se cōmunicauit Christo homini, & per cōsequēs generibus singulorū, in vnitate personæ.

Tertia ratio, ostensio amoris Dei erga homines.

Quarta est, vt sapientiā suā infinitā demōstraret. Quid enim sapientius (inquit S. Tho. opusc. cit.) quàm quòd ad complementū totius vniuersi, fieret coniunctio primi, & vltimi: hoc est, Verbi, quod est omniū principiū; & humanæ naturæ, quæ in opere sex dierum fuit vltima omniū creaturarū? Quid sapiētius, quàm difficillimi pretij inuenire tā mirabilē solutionē: superbiā diabolicā tanta humilitate cōprimere: & lapsos homines per hominē reparare, atq; ad nihilum per peccatum redactos, ad ipsum fastigium diuinitatis euehere.

Quarta ratio: sapientiæ diuinæ demonstratio.

Quinta: vt gloriā suā mirabiliter amplificaret, haberetq; à quo summè, & dignè Deo, ac planè diuinè coleretur. Si enim regibus quibusdam, & imperatoribus gloriosum fuit reges alios sibi subijcere, atq; illorum ministerio ad vilissima vti: multò magis Deo gloriosum est habere hominem Deum à quo colatur, oretur, adoretur, quique ad vilissima quæque ipsius causâ se subiecerit.

Quinta ratio: gloriæ diuinæ amplificatio.

Sexta: ad ostensionem misericordiæ, & iustitiæ suæ. Misericordiæ: cùm plasmatis sui fragilitatē nō despexit. Iustitiæ: cùm de peccatis hominū condignam satisfactionē exegit, eaq; tam seuerè in proprio filio vltus est. Atq; hæ quidē omnes rationes sunt ex parte Dei desumptæ: vltra quas infinitæ aliæ piæ, ac solidæ excogitari possunt. Verissimū enim est, quod ait S. Tho. lib. 4. contra Gent. ca. 54. initio, Piè considerantē hoc mysteriū tātā inuenire sapientiæ profunditatem, vt illius semper magis, ac magis admirabiles rationes manifestentur. Ex parte verò creaturarū, tum vniuersim, tum speciatim intellectualium, & specialiùs naturæ humanæ, aliæ addi possunt.

Sexta ratio: ostensio iustitiæ & misericordiæ diuinæ.

Septima ergo sit, ex parte vniuersi: quia cōueniēs erat rerū vniuersitati, id est, valde bonū, & gloriosum, vt in eo aliqua esset creatura tātæ dignitatis, quæ ipsum Dei fastigiū attingeret, & in qua Deus cæteras omnes sibi quodammodo nexu tam mirabili copularet. Item conueniens erat has tres rerum differentias in Vniuerso reperiri, vt sicut in nobis est vnica natura in vnica persona; & in Deo, natura vnica in pluribus personis: essent in Christo naturæ plures in vnica persona. 4.

Octaua, ex parte creaturarũ intellectualiũ: Conueniens fuit, vt homines & Angeli, ad gratiam & gloriã prouehẽdi, haberet mediatorẽ, cuius meritis excellentissimis eam cõsequerẽtur, & de cuius plenitudine omnes acciperẽt: quiq; esset caput, Rex, Sacerdos, Legislator, exẽplar, & fons sanctitatis: iuxta illud 1. Corinth. 1. *Factus est nobis sapientia, iustitia, & sãctificatio.* Et Ephes. 1. *Benedixit nos Deus omni benedictione spirituali, in cœlestib. in Christo.*

5. Nona, ex parte naturæ humanæ: Valde cõueniens illi fuit tãtopere attolli per incarnationẽ, vt, quò altiùs attollatur, non habeat; & habere caput homogeneũ in gratia, atque eiusdẽ naturæ. Vtrũq; rectè expẽdit D. Aug. Primum quidem in lib. de Prædestin. Sanctorũ c. 15. Secundum verò in tract. 80. in Ioan. vbi exponẽs illud Christi, *Ego sum vitis, vos palmites:* sic ait: *Vnius quippe naturæ sunt vitis, & palmites. Cùm ergo esset Deus, cuius naturæ non sumus: factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possemus.* Quòd si quæras, cùm Christus sit caput Angelorũ, æque ac hominum, teste Apostol. Ephes. 4. v. 10. & seqq. & Coloss. 1. v. 18. cur natura humana assumpta fuerit, potiùs quàm Angelica? Respondeo 1. quia Angelica in humana quodammodo continetur, quatenus hæc spiritu cõstat; & sic Deus vtriq; seipsum assimilauit. Secundò, quia cùm homo sit microcosmus, & velut epitome totius Vniuersi, quatenus omnia substantiarum genera cõprehendit: Deus hominem assumẽs, omnia quodãmodo simul assumpsit, & velut in summam redacta sibi coniunxit, ornauit, & sanctificauit. Quo sensu nonnulli exponũt quod ait Paul. Ephes. 1. Omnia fuisse in Christo instaurata, siue, vt est in græco, recapitulata, hoc est, summatim collecta. Tertiò deniq; vt Dei gratia magis appareret: cùm Angeli subiiciũtur homini, non propter eius naturã, quã sunt superiores: sed propter excellenciã supernaturalem vnionis hypostaticæ.

Cur natura humana assumpta potiùs, quàm Angelica?

6. Vlteriùs, cõueniẽs fuit hominibus, vt in filios Dei adoptarẽtur per filiũ Dei naturalẽ, hominẽ factũ: vtq; haberent in Deo, vnde in vtraq; sui parte bearentur. In anima quidem per fruitionẽ diuinitatis: in corpore autem, per visionẽ, & fruitionẽ humanitatis assumptæ, vt notat S. Aug. in Manuali c. 26. Item vt rectè addit S. Tho. q. 1. a. 2. homines per incarnationẽ mirabiliter promouẽtur ad bonũ, & remouentur à malo. Primò enim, promouentur ad fidem, per Deũ ipsum in Christo loquentem, & tot miracula patrantem. Ad spẽ, per tãtã Dei benignitatẽ, & liberalitatẽ. *Qui enim proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* vt ait Paulus Rom. 8. v. 32. Ad charitatem, per tantum erga nos amorẽ, & per naturæ similitudinẽ. Similitudo enim est causa amoris; & amor ad amorẽ mutuum prouocat: Vt si amare pigebat, saltem redamare non pigeat, inquit S. Aug. in lib. de catechizandis rudibus c. 4. Ad rectã operationem, quia exemplar omniũ virtutũ se præbuit. Vt enim rectè ait idem S. Doctor serm. 52. de diuersis: Homo sequendus non erat, qui videri poterat. Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo. Ad plenam deniq; participationem diuinitatis: quia vt rectè dicit Chrysost. hom. 2. in Matth. Deus factus est homo, vt homo fieret Deus. *Nostra accipiens, & sua tribuens: pro contumelijs honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam:* vt ait S. Leo serm. 3. de Pass. c. 4. Et, *Verbum caro factum est, vt caro fieret Deus,* inquit Ambros. lib. 1. de Virginibus.

Secundò, homines remouẽtur à malo, quatenus instruuntur, ne diabolũ peccati auctorem sibi præferant, aut sequantur, qui per incarnationem ipsis subiectus est: & docentur quanta sit dignitas humanæ naturæ tantopere exaltatæ, ne peccando eam inquinent. Habent vnde cognoscant meliùs peccati fœditatem, & malitiam tanto remedio indigentem, vt ab eo magis abhorreant: & vnde se demittant, nihilq; de seipsis præsumant, cùm omnia gratiæ dona se Christo debere intelligunt. Superbia hominum, quæ eos maximè impedit, ne Deo adhæreant, tanta Verbi incarnati humilitate arguitur, & sanatur. Ac denique ipsius meritis à durissima peccati, & dæmonis seruitute liberantur.

Circa huiusmodi rationes considerandum est primò, pleraſq; ex illis, ac ferè omnes, abstrahere à peccato: potuisseque, quantùm est de se mouere Deum ad hoc mysteriũ perficiendum sine præsuppositione, aut concomitantia peccati, & lapsu generis humani. Vnde collige peccatum non fuisse causam vnicam, vel necessariam, cur incarnatio decerni potuerit: cùm propter suam ipsius bonitatem, & excellentiam maximè conuenientem ad Dei gloriam, sapientiam, bonitatem, & potentiam manifestandam, alijsque multis de causis potuerit expeti. 7.

Rationes supradictæ fere omnes sunt independentes à peccato.

Considerandum secundò est, aliud esse loqui specialim de Incarnatione, & aliud loqui generatim de vnione hypostatica, vel de assumptione naturæ creatæ. Nam Incarnatio (quæ prout hic sumitur, significat assũptionem naturæ humanæ ad hypostasim Verbi) minùs latè patet, quàm vnio hypostatica, quæ fieri potest cum natura Angelica; æquè ac cũ humana: & ad hypostasim Patris, & Spiritus sancti, æquè ac ad hypostasim Filij. Assumptio quoque latiùs patet, quàm vnio hypostatica, si possibilis est vnio non tantùm cum hypostasi, sed etiam cum natura diuina, vt nonnulli existimant, qua de re dicemus alibi. Quare incarnatio est species quædam vnionis hypostaticæ, & vnio hypostatica est species assumptionis generaliter sũptæ, iuxta illorum opinionem. Rationes autem allatæ, si bene attendantur, non ostendunt conuenientiam incarnationis specialiter sumptæ, prout est vnio hypostatica Verbi cum natura humana, excepta nona integrè sumpta: sed partim cõuenientiam dumtaxat vnionis,

Quid, & quantum probent?

aut assumptionis in genere, partim verò specialiter assumptionis naturæ humanæ.

8. Cur filius specialiter sit incarnatus?

Quòd si quæras, cur conueniens fuerit specialiter vnionem fieri in hypostasi Filij? Respondeo cum D. Th. qu. 3. a. 8. Primò, quoniã vnio est similium. Filius autem, qui est Verbum, & conceptus Patris, habet speciali modo rationem similitudinis exemplaris respectu cuiusuis creaturæ. Secundò, quia opera artis per eandẽ ideam, & notionem reformãtur, per quam formata sunt. Omnes autem creaturæ sunt opera artificij diuini: & Filius est Verbũ, per quod facta sunt vniuersa. Tertiò, quoniam propria hominis perfectio est sapientia: Filius autẽ Dei est conceptus diuinæ sapiẽtiæ, & Patris Verbũ, quo debet homo fieri sapiẽs secundũ Deũ. Quartò, quia hæc vnio fiebat ad cõstituẽdos homines filios Dei: quod conuenienter fit per naturalẽ Dei filiũ. Quintò, quia vnio fiebat in remediũ peccati primi parentis, & contra illud. Atqui remedium debet corrigere malũ, contra quod adhibetur. Fuit ergo conueniens, vt per Verbũ veræ sapiẽtiæ reduceretur ad Deũ homo, qui per inordinatã sciendi cupiditatẽ recesserat à Deo. Addi sextò potest, quia fiebat vnio, vt esset mediator inter Deũ, & homines, conueniens fuisse vnire secundã personam, quæ media est inter Patrem, & Spiritum sanctum.

9. His rationibus ostenditur fuisse valde cõueniens vt Filius incarnaretur: non tamen euidenter conuincitur fuisse conuenientius, vt Filius incarnaretur potiùs quàm Pater, aut Spiritus S. Neque si Pater, aut Spiritus sanct. incarnatus fuisset, deessent magnæ rationes conuenientiæ, quæ possunt facilè cogitanti occurrere. Probabile tamẽ est, quod S. Tho. art. cit. & alij plerique docent, fuisse specialem, & maiorem conuenientiam in incarnatione, prout reipsa facta est. Idque suadent probabiliter rationes modò allatæ simul sũptæ. Quibus adde, minùs decuisse Patrem incarnari: tum propter auctoritatem originis, ob quam etiam est incapax Missionis: tum etiam quia per assumptionem naturæ creatæ necessarium erat, vt qui naturam assumeret, fieret aliquid, sicut Verbum caro factum est. At fieri minùs conuenit Patri, quoniam est expers originis. Conuenit autem Filio: quia tametsi Filius, vt tantùm diuinus, & æternus, non fit propriè: tamen oritur, & generatur, quod aliquã habet similitudinẽ specialem ad id, quod est fieri. Minùs etiam decuisset Spiritum S. incarnari, quàm Filium, quia conuenientius fuit vt nasceretur in tẽpore ex Matre, ille qui natus erat ab æterno ex Patre: & per generationẽ temporalẽ idem esset filius, vt Christus, qui vt Verbũ erat Filius per æternã generationẽ. Deinde oportebat, vt qui naturã creatã assumeret, esset Dux, & Rector, & Legislator, & Sacerdos, & Imperator ijs, qui salui futuri erant: & vt esset Dei nuncius, & interpres ad creaturas: quæ omnia minùs conueniebant primæ personæ, quæ est principiũ sine principio. Etenim supremo minùs conuenit, vt sit nuncius, interpres, Sacerdos &c. Sed conuenit personæ habenti principiũ & maximè Verbo: quia Verbi est nunciare, regere, imperare, impetrare, interpretari, & similia. Plura de his S. Leo in sermonibus de Natiuit. & de Passione Domini. S. August. lib. 13. de Trinit. cap. 10. & seqq. S. Damasc. lib. 3. de fide cap. 1. S. Anselm. lib. de Incar. Verbi, & in libris *Cur Deus homo.*

SECTIO II.

An necessarium absolutè fuerit Deum incarnari?

SVppono primò necessarium hîc propriè sumi pro eo scilicet, quod non potest nõ esse, siue absolutè, siue ex hypothesi alicuius finis: non autem impropriè pro conuenienti, vel ad meliùs esse. Suppono 2. Incarnationẽ in præsenti latiùs accipi, pro quacũq; assũptione naturæ creatæ, siue humanæ, siue Angelicæ, aut alterius: & siue à Filio, siue à Patre, siue à Spiritu sancto seorsim, vel ab omnibus simul, secundum communem essentiam, aut subsistentiam, si quæ datur, aut secundum proprias cuiusque hypostases. 10. Status quæstionis.

Incarnatio non fuit necessaria absolutè.

His præsuppositis, Respõdeo Incarnationem non fuisse simpliciter, & absolutè necessariam, quasi Deus ab illa abstinere omnino nequiuerit. Probatur primò ex Scriptura; quæ affirmat Deum omnia extra se operari *secundum consilium voluntatis suæ.* Ephes. 1. v. 11. Operari autem secundum consilium, est operari ex libertate, & indifferentia: nam frustra consuleret, qui esset naturaliter ad vnum determinatus. Item, Scriptura Psal. 113. v. 3. & Psal. 134. v. 6. & alibi passim affirmat Deum fecisse omnia quæcunq; voluit, & quia voluit: id est, quæcunq; liberè elegit, & quia sic elegit. Nam si fecisset ex necessitate; dicendus esset fecisse quæcunq; potuit, & quia ad hoc determinatus fuit naturali necessitate. Confirmatur, quia de productionibus ad intra, quibus Filius, & Spiritus S. producũtur, Scriptura nunquam simili modo loquitur. Neq; voluntas operantis aptè redditur pro causa illius effectus, qui ex naturali necessitate habet originem. Neq; enim propriè talem effectum producit, quia vult: sed quia ad illum producendum est necessitatus, siue naturali inclinatione, siue aliunde. Sanè de ijs, quæ fiunt ex affectu concupiscentiæ non libero, Paulus sic loquitur: *Non quòd volo bonum, hoc facio, sed quòd nolo malum, hoc ago,* Rom. 7. v. 19. Denique Scriptura passim cùm de incarnatione loquitur, liberam in ea Dei charitatem, misericordiam, & dignationem commendat: Ioan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Tit. 3. v. 5. *Qui secundum misericordiam suam saluos nos fecit* &c. Heb. 2. v. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehẽdit.*

Probatur secundò ratione à priori: quia libertas in operando circa non sibi necessaria, vel non summè bona, est perfectio excellentissima vitæ intellectualis, per quam agens 11.

elicita infinita : & Beati habent [redacted] quidem cognitionem Dei, vt boni infiniti, & puri ab omni malo, quemadmodum fatetur idem auctor in fine num. 49. Neque tamen habent inclinationem elicitam infinitam. Nam actus non excedit potentiam. Atqui potentia Beatorum ad eliciendos quosuis actus est finita, nec vllus Beatorum tam ardenter fertur in Deum inclinatione elicita, siue amore beatifico, vt non possit magis, absolutè loquendo. Tertiò, non est verum Deum non habere inclinationem elicitam formaliter infinitam ad Incarnationem, si propriè sumatur inclinatio elicita. Etenim amor formaliter infinitus est inclinatio formaliter infinita, propriè loquendo : siue sit tantùm amor complacentiæ, seu beneplaciti : siue etiam efficax. Atqui Deus amat Incarnationem amore formaliter infinito, quia amat amore proportionato tanto obiecto. Obiectum verò illud est infinitè bonum. Sic etiam Deus amat amore infinito Christi merita, & si quæ alia sunt bona creata infinita, existentia, vel possibilia.

16. Tertia obiectio.

Obijcies tertiò : Deus se amat necessariò amore infinito, & quo maior esse non potest: ergo eodem pondere fertur ad quærendam in omnibus maiorem suam gloriam. Maior autem est Dei gloria in Incarnatione exequenda, quàm in non-Incarnatione : ergo necessariò amat, & vult exequi Incarnationem. Antecedens, quòd scilicet Deus se amet infinitè, & perfectissimè notum est. Consequentia verò probatur : quia amare aliquem est velle ei bonum. Gloria autem Dei extrinseca est aliquod Dei bonum : & maior gloria est maius bonum. Qui verò diligit aliquem perfectissimè, ita vt amplius non possit : ex necessitate talis amoris vult illi, & procurat optima quæ potest : alioqui non amaret perfectissimè, & posset crescere in amore. Confirmatur, quia si aliquis se summè amaret, & quantùm posset : vellet efficaciter quidquid sibi optimum esse cognosceret.

17. Deus non se amat omni modo quantũ potest.

Sed huic argumento iam alibi respondimus, tom. 1. disp. 13. n. 40. Deum se summè amare intensiuè, sed non extensiuè, quoad opera liberè creata in suam gloriam : posset enim creare plura, & plura in infinitum. Et nihilominus Deum se amare perfectissimè simpliciter: quia amor essentialis, quo se amat necessariò, continet eminenter perfectissimè omnes perfectiones actuum liberorum, qui circa obiecta creata extendi possunt magis, & magis in infinitum. Vnde etiam Deus non crescit in perfectione simpliciter, ex eo quòd habeat eiusmodi actus liberos: & non decresceret, si eos non haberet. Ad confirmationem Respondeo primò, differentiã esse : quia talis creatura non cõtineret eminenter, quidquid potest extra se desiderare : sicut Deus continet eminenter perfectissimè, quidquid extra se velle potest, & amare propter se. Deinde dico non esse necessarium, vt quamuis aliquis summè intensiuè se amet, velit sibi efficaciter quidquid sibi melius est, si non sit illi necessarium ; & extensiuè etiam se amet, quantùm potest. Idemque sentiendum est de amore erga alterum. Sic enim beati, licet intensiuè ament Deum necessariò, quantùm possunt, iuxta mensuram luminis gloriæ, & habitus charitatis, quem habent : non tamen extensiuè, ita vt velint efficaciter, quidquid ob Dei amorem velle possunt, & referre ad eius gloriam : sed liberè se habent circa obiecta beatitudini suę non necessaria.

SECTIO III.

Vtrum Incarnatio fuerit necessaria ex hypothesi creationis aut peccati?

18. Incarnatio non fuit necessaria ex hypothesi creationis mũdi.

Dico primò, Incarnationẽ non fuisse Deo necessariam ex suppositione quòd mundum creare voluerit. Hæc conclusio certa est, & communis Theologorum contra Lullium, qui, vt refert Vasq. disp. 1. nu. 10. existimauit Incarnationem fuisse Deo necessariam ex suppositione, quòd mundum creare voluerit. Quia, inquit, supposito quòd Deus aliquid extra se producere constituit, non potuit non eligere, quod optimũ erat in eo genere: alioqui non fuisset perfectus artifex. Atqui in hac rerum vniuersitate, quam Deus facere decreuit, optimum est Incarnatio, & sine illa Vniuersum non esset perfectum, illi enim deesset gradus entis creati nobilissimus.

Sed hoc argumentum est debilissimum, Deus enim est liber artifex, quantumuis summus, atque perfectissimus : neque necessariò eligit, quod optimum, aut quod melius est, vt sect. præcedenti ostendimus. Potuitque sine dubio perfectius aliquid creare, quàm creauit. Imò potest in infinitum creare perfectiora in specie, vel in indiuiduo, absque vllo vltimo, & perfectissimo : quia eius essentia, & perfectio infinita est : potestque à creaturis in infinitum magis, ac magis participari. Atque ita posset naturas etiam intellectuales perfectiores in infinitum creare, quibus vniretur. Quæ vnio esset in specie perfectior ex parte naturæ assumptæ: & quodammodo amplior, siue intensior virtualiter, ob maiorem capacitatem obedientialem naturæ perfectioris. Quamuis autem Deus non statuisset Verbum incarnare, aut quidquã aliud supernaturale producere; Vniuersum esset aliunde perfectum in suo genere, id est, in ordine naturali, complectens omnes, aut sufficientes gradus ordinis naturalis. Aliunde verò omnes Dei operationes ad extra, sunt absolutè liberæ. Et Deus mundum liberè creauit, nõ quàm perfectissimum potuit, sed quantùm voluit. Denique inter Incarnationem, seu Verbum Incarnatum, id est, Christum, & reliquas partes Vniuersi nulla est connexio essentialis, ita vt sine illo creari nequiuerint.

19. Incarnatio non fuit necessaria ex hypothesi lapsus hominis in peccatum.

Dico secundò, non fuisse quoque necessariam Incarnationem ex suppositione lapsus hominis in peccatum, & in seruitutem diaboli. Quasi Deus non potuerit non velle hominem reparare : neque potuerit aliter ipsum è peccato eruere. Probatur primò ex Scri-

actus iustitiæ. Ac vice versa, vt concipiatur in Deo perfectio actus iustitiæ, non est necesse concipere perfectiorē actus charitatis, aut misericordiæ. Ex quo etiam fit, vt huiusmodi perfectiones ita præcisè spectatæ secundum correspondentiam & æquiualentiam ad perfectiones creaturarum, quibuscum comparantur, non sint æqualis perfectionis inter se: quia æqualitas illa perfectionum est impertinens ad hanc comparationem: & iuxta doctrinam D. Thom. a. cit. quando per mentem distinguuntur attributa diuina, non plus de diuina perfectione accipiendum est, quàm necessarium sit, vt hoc vel illud attributum correspondeat tali, vel tali perfectioni creaturarum. Vt autem respondeat vni perfectioni minori, non est necesse concipere totam essentiam, & perfectionem diuinam, neque illam, per quam respondet maiori alteri perfectioni: neque reipsa tam perfectè concipitur formaliter, & expressè essentia diuina, quando concipitur solùm, & præcisè, vt respondens minori alicui perfectioni creatæ, sed identicè tantùm, vt concedit ibidem Delugo. Itaque conceptus tam formalis, quàm obiectiuus, quem de Deo habemus prout exercet actum iustitiæ, non est æqualis perfectionis cum eo, quem habemus de Deo prout exercet actum misericordiæ, vel charitatis: sicut in creaturis actus illi distincti non sunt æqualis perfectionis inter se.

25. Deinde actus Dei liberi & morales, de quibus nunc loquimur, spectati secundum moralem perfectionem, & specialem laudabilitatem, quam habent in genere moris, debent attendi ex eo, quod in illis liberum est, id est, ex libera tendentia principii operantis, ad obiectum honesto, & conuenienti modo: & non ex eo solùm, quòd necessariò identificentur essentiæ diuinæ, posito quòd sint. Sicut autem in creaturis tendentia libera ad obiecta honestè appetibilia, eò perfectior, & laudabilior est, cæteris paribus, quò maior est honestas obiecti, secundum quam appetitur: vnde actus charitatis v.g. est perfectior, & laudabilior actu iustitiæ: Sic actus Dei liberi metaphysicè, & præcisè spectati, eò sunt perfectiores, quò tendunt in obiecta magis appetibilia, & ex motiuo virtutis nobilioris. Confirmatur: quia in Deo sunt actus virtutum diuersarum, qui passim illi tribuuntur in Scriptura. Atqui in creaturis actus realiter distincti virtutum diuersarum, sunt perfectione impares, ob inæqualitatem honestatis obiectorum, in quæ tendunt, & modi in illa tendendi. Ergo in Deo actus diuersarum virtutum sunt etiam virtualiter impares, sicut sunt virtualiter distincti per æquiualentiam, & correspondentiam ad actus virtutum diuersos creatæ voluntatis.

26. *Occurritur obiectioni.* Nec obest, quod opponit auctor citatus, omnes illos actus idētificari realiter inter se, & cum essentia diuina. Nam ex eo non sequitur esse pares perfectione, prout virtualiter distinguuntur inter se, & præcisè concipiuntur. Sicut ex. gr. vis intelligendi, & vis volendi, identificantur inter se, & cum anima rationali, iuxta veriorem sententiam: & vis ratiocinandi, sentiendi, & vegetandi, prout se tenet ex parte animæ, identificatur cum ipsa: & tamen perfectio intelligendi est maior quàm perfectio volendi: & perfectio virtutis ratiocinandi est maior quàm perfectio virtutis vegetandi, aut sentiendi. Item actus diuini essentiales sine dubio sunt perfectiores actibus liberis & contingentibus. Quis enim neget actum, quo Deus se essentialiter, & absoluta necessitate intelligit, & amat, esse nobiliorem actu, quo liberè vult muscam producere, & eam existentem intuetur? Et tamen vtrique identificantur inter se, & cum essentia. Est quoque manifestum tendentiam actus essentialis ad suum obiectum, quæ absolutè, & simpliciter est necessaria, esse perfectiorem habitudine libera actuum Dei contingentium ad obiecta creata, quæ habitudo potuit non esse. Nam quod est necessarium absoluta necessitate, ita vt vi suæ perfectionis non possit non esse, est perfectius, vt sic, eo, quod est, contingens, & ex vi suæ propriæ rationis potest non esse. Et tamen vtraque habitudo, tam actuū necessariorum Dei, quàm contingentium, & liberorum identificatur cum essentia. Ergo non bene infertur actus morales, & liberos diuinæ voluntatis esse omnes æqualis perfectionis, ex eo quòd identificentur realiter inter se, & cum essentia. Plura aduersus hanc sententiam diximus 1. p. disp. 3. sect. 10. vbi aliis eius argumentis respondimus.

SECTIO IV.

Fueritne Incarnatio necessaria ex suppositione quòd Deus condignam satisfactionem pro peccato mortali exigere voluerit.

Respōdeo affirmatiuè, sūpta Incarnatione generaliùs pro assumptione naturę intellectualis creatæ: alioqui enim sufficiebat assumi angelicam, aut quamcūq; aliam intellectualē à quacunq; persona diuina. Ita S. Tho. q. 1. a. 2. ad 2. & Theologi communiter, vt testantur Suar. dis. 4. de Incarn. sect. 2. assert. 3. Delugo disp. 5. n. 2. Aegid. Conin. disp. 10. de Pœnitentia dub. 2. & alij. Quare, quod ait idem Suar. lib. 7. de Gratia cap. 14. nu. 40. Theologos docere, iustos posse facere opus de se satisfactorium ad æqualitatem iustitiæ pro culpa: si de mortali intelligit, ad aliquos restringendum est, quos refert Vasq. disp. 2. cap. 1. affirmantes, hominem perfectè satisfacere per contritionem, aut dilectionem supernaturalem, quia tanta in hoc actu est bonitas, quanta fuit malitia peccati. Quod fundamentum infra euertemus disputando contra Vasquem. 27. *Conclusio affirmatiua.*

Idem etiam docent omnes sancti Patres, vt testantur Aegid. supra, & Suar. disp. 4. sect.

Probatur ex cōsensu SS. Patrum.

2. assert. 3. vbi affirmat hanc esse vniuersalem sanctorum Patrum traditionem. Eorum plurima testimonia legi possunt ibid. & apud Vasq. disp. 4. cap. 3. & Valent. q. 1. punct. 5. quæsito 3. Atque hoc est primum, & præcipuum huius sententiæ fundamentum, nempe consensus SS. Patrum affirmantium necessariam fuisse Incarnationem ad perfectam redemptionē generis humani, quia non poterat purus homo, vel alia pura creatura condignè satisfacere, id est, satisfactionem exhibere planè, & perfectè adæquantem offensam à primo parente commissam, & originaliter ad posteros transmissam, vel alias offensas mortales, à se, vel ab alio quocunque admissas. Non poterat, inquam vlla, pura creatura condignè satisfacere, siue pro suo peccato mortali, siue pro alieno.

Prima ratio, quia non possumus Deo condignè gratias agere, non satisfacit.

Valde tamen laborant Theologi in assignanda ratione huius impotentiæ. Ac primò, Durand. in 4. dist. 15. q. 1. Maior. dist. 14. q. 2. ad 3. dubium, in fine q. & Almain. dist. 15. q. 1. a. 2. hanc rationem reddunt: Non minor est impotentia, vel obligatio satisfaciendi Deo pro peccatis in eum commissis, quàm reddendi illi gratias pro beneficiis ab eo acceptis. Atqui pro beneficiis nulla pura creatura potest gratias condignas Deo reddere: Ergo neque pro peccatis cōdignè satisfacere.

29. Sed responderi facilè potest, differentiam esse: quia qui gratias Deo reddit, nouum ab illo beneficium accipit: ipsa enim actio reddendi gratias fit Dei beneficio, pro quo etiā debetur Deo noua gratiarum actio. Vnde per ipsam gratiarum actionem crescit, & extenditur obligatio gratitudinis erga Deum. Ideóque mirum non est, si nunquam possit per gratiarum actionem exhauriri. At ille qui satisfacit pro peccatis commissis, nō contrahit nouum peccatū, pro quo noua debeatur satisfactio: neque auget, vel extendit eorum reatum, sed minuit, vel penitùs tollit: vnde potest condignè satisfacere, si nihil aliud obstet.

2. Ratio Almaini.

Huic infirmæ rationi aliam addit Almain, æque debilem, loco sup. cit. Nemo, inquit, potest cōdignè satisfacere Principi, aut reip. pro offensa, quâ mortem corporis meretur. Ergo neq; potest homo satisfacere Deo pro offensa, quâ meretur mortem animæ. Item, homo per peccatum mortale meretur pœnam æternam duratione infinitam. At nihil potest soluere condignum tali pœna: ergo non potest condignè satisfacere.

30. Respondeo, antecedens primi argumenti non esse verum. Potest enim aliquis tanto beneficio afficere principem aut remp. vt secūdum prudentem hominum æstimationem censeatur compensasse offensam, quâ mortē corporis meruerat: sicut non rarò obtinent aliqui ab ea liberari merito suo. Putà, qui per insignem victoriā, & facinora egregia, principem, aut remp. ab imminenti ruina liberarunt, bonisque ingentibus eam cumularunt. Ad secundum dico, Almainum parum sibi cohærere, cùm dicit peccatorē non posse quippiam condignam pœna æterna soluere: & tamen affirmat ibid. contritionem, aut dilectionem supernaturalem, quâ peccator se disponit ad iustificationem, esse æqualem offensæ. Nam si est æqualis offensæ: ergo & pœnæ, quæ non est maior offensa, Deus enim non punit supra condignum. Nec valet quod respondet Almainus, deberi pro peccato mortali pœnam æternam, ad quam obligat peccatum mortale, & non deberi actum contritionis, aut dilectionis, quia ad eum non obligat: ideóque peccatorem non satisfacere, quia nō reddit illud ipsum quod debet: sicut ille non satisfaceret, qui redderet pecuniam pro equo ablato, extante adhuc in indiuiduo. Etenim peccatum ex natura sua obligat peccatorem ad pœnitendum, & satisfaciendum Deo, si possit, æquè ac ad pœnam. Deinde ad condignitatem, seu æqualitatem inter offensam, & satisfactionem, nihil refert, quòd hæc, aut illa satisfactio debeatur, aut non debeatur. Petitur enim illa æqualitas ex valore satisfactionis, qui non decrescit ex eo, quòd non debeatur. Quòd si ad condignè satisfaciendum non sufficit reddere actionem æquiualentem offensæ, sed necessarium est pœnam debitam soluere: ergo ne Christus quidem condignè satisfecit, quia non soluit ipsammet pœnam à peccatore debitam.

Tertiò, Ioan. Med. cod. de Satisfact. qu. 1. 31. 3. Ratio Medinæ.
5. *Pro quo etiam facit*, & quidam alij affirmant huius impotentiæ rationem esse, quia quidquid faciat pura creatura in satisfactionem offensæ mortalis, necessarium est accedere Dei condonationē, vt offensa tollatur. Adducit non posse condignè satisfieri per eas actiones, quæ vel debentur alio titulo, vel possunt alio titulo exigi. Condonatio enim quædam est, & relaxatio iuris, quando acceptatur loco satisfactionis illud, quod alio titulo debetur offenso, vel iustè potest ab illo exigi alio titulo. At omnes actiones puræ creaturæ, vel debentur, vel exigi possunt, à Deo alio titulo, putà, religionis, vel gratitudinis, vel obedientiæ, & similibus. Non potest autem quis satisfacere nisi per aliquam actionem. Satisfacere enim est, facere quantum satis est: & satisfactio in eo differt à satispassione, quòd hæc in passione consistat, illa in actione.

Respondeo, dummodo actio æqualis offensæ exhibeatur, non obesse condignitati satisfactionis, quòd sit opus illam à Deo liberè acceptari: neque etiam quòd exigi possit à Deo alio titulo. Alioqui nec Christus ipse condignè satisfecisset, quia in eius satisfactione hæc duo reperiuntur, vt patebit inferiùs sect. 10. num. 104. 105. 106. 108. & sequentibus.

Quartò, eruditus quidam recentior disput. 5. de Incarn. sect. 4. & 8. censet puram creaturam non posse condignè satisfacere pro peccato suo mortali, neque pro alieno, quia secundum rectam rationem id necessarium est ad arcendos homines à tanta culpa. Sicut, inquit, peccatum mortale, quamuis sit offensa finita, punitur 32. 4. Ratio æquè insufficiens.

tamen pœna infinitæ durationis, quia tanta pœna necessaria est secundum rectam gubernationem, vt homines ab illa committenda deterreantur. Alioquin enim vilesceret, & facilitaretur offensa.

Sed contra: primò, hæc opinio facit impotentiam satisfaciendi oriri, non ex eo quòd offensa sit per se, & ab intrinseco inæquabilis satisfactioni puræ creaturæ, propter suæ malitiæ grauitatem, quemadmodum docent SS. Patres, sed ab extrinseca lege diuina, quâ Deus statuit non acceptare satisfactionem puræ creaturæ, propter incommoda, quæ inde sequerentur, quia scilicet vilesceret, & facilitaretur offensa. Alioqui enim, si offensa est finita, vt ait auctor citatus; non est cur ab intrinseco, & ex natura rei, abstrahendo ab inconuenienti extrinseco, non possit expiari pœnâ finitâ, & non possit ei satisfieri per obsequia, quibus Deus offensus, condignè, & pro merito rationabiliter placari debeat. Nec valet, quod ille respondet, æqualitatem pœnæ cum delicto, & satisfactionis cum offensa, intrinsecè respicere sufficientiam, quam habet illa pœna vel satisfactio ad deterrendum ab ea culpa, & necessitatem præcauendi, & deterrendi homines ab eadem culpa: quibus omnibus pensatis dicitur aliqua pœna, vel satisfactio digna, & æqualis, nec sine tali satisfactione placatur cōdignè offensus. Hoc, inquam, non valet, quia vel sermo est de pœna, & satisfactione quæ per se, & ex natura rei necessaria est, vt homines sufficiēter deterreantur à culpa: vel de illa quæ etiā per accidens, ex malitia, vel fragilitate hominum. Si primum: ad hoc sufficit pœna, vel satisfactio peccato proportionata ab intrinseco, id est, per se tanta, quanta fuit offensa. Si secundum: ergo etiam peccatum veniale ab intrinseco, esset dignum tanta pœna, & satisfactione, vt pœna æterna puniretur: & nulla pura creatura posset pro eo satisfacere: Quod est falsum, & contra communem sensum Theologorum. Secundò, prudēs gubernatio non postulat vt puniantur crimina vltra condignum, id est, vltra pœnam eis de se proportionatam. Quamuis per accidens ex malitia hominum, vel fragilitate, non satis alii deterreantur, sed plures sæpius eadem peccata committant. Alioqui deberent magistratus punire extremo & grauissimo supplicio omnia peccata grauia contra bonum commune admissa. Tertiò, ne quidem homines satis efficaciter deterrentur à peccato mortali, per hoc quòd pœna æterna sit illi à Deo statuta, quódq; Deus nullius puræ creaturæ satisfactionē pro illo acceptare voluerit. Atq; apud multos vilescit, & facilitatur offensa spe veniæ per Christi merita, ope Sacramētorum, facilè consequendæ. Quare pari ratione dici posset peccatum mortale esse dignum ab intrinseco, vt ne quidē Christus cōdignè pro eo satisfacere potuerit, vtq; Deus decreuerit veniam numquam dare, nullaque ratione conciliari peccatoribus. Quartò denique, vel auctor cit. vult pœnam & satisfactionem proportionatam ab intrinseco illam esse, quâ opus est, vt homines summè deterreantur à tali culpa; vel vt solùm, quantùm est opus ex natura rei. Si primum: ergo mors repentina peccantis mortaliter, & damnatio statim secuta, pœnaque longè grauior intēsiuè, deberetur peccato mortali. Si secūdū: sufficit pœna æqualis offensæ in se spectatæ, semotis inconuenientibus extrinsecis, quibus alia via prouideri potest: idque offenso debet sufficere, quòd ei aliter præcaueatur. 33.

Quinta ratio Vasq.

Quintò, Gab. Vasq. disp. 2. c. 5. & Maerat. eum secutus disp. 3. sect. 7. dicunt, rationem cur pura creatura non possit pro suo peccato mortali satisfacere condignè, hanc vnicam esse, quia peccator non potest satisfacere pro toto debito peccati, sed vt satisfaciat, necesse est vt priùs illi remittatur aliquod debitum ex peccato contractum. Nimirum debitum carendi præueniente auxilio congruo per sanctam inspirationem, & cogitationem. Nam sine tali inspiratione non potest homo inchoare opus satisfactionis, nempe contritionis, aut dilectionis supernaturalis. Ergo necessarium est: vt priùs illud debitum remittatur, quàm homo pro peccato satisfaciat. Ergo non potest compensare omnem partem debiti, sed necessarium est, vt præcedat remissio cuiusdam partis debiti, quæ fit cùm homini datur sancta cogitatio, cuius carentiam meruerat per peccatum, iuxta doctrinam Cælestini Papæ, Prosperi, Fulgentii, & Bernardi, quos Vasques ibi citat. Vnde licet post talem cogitationem homo satisfaciat ad æqualitatem pro reliqua parte debiti nondum remissa: nihilominus non satisfacit ad æqualitatem pro toto debito peccati. Porro satisfacere peccatorem æqualiter pro reliquo debito peccati, probant auctores citati. Primò, quia tanta est bonitas actus perfectæ contritionis, aut dilectionis supernaturalis, quanta est malitia peccati mortalis. Tam enim perfectè, imò perfectiùs ad Deum conuertit, & auertit à creatura; quàm peccatum mortale à Deo auerterat, & conuerterat ad creaturam. Tunc autem alicui condignè satisfit, quando pro malo illato, bonum non inferius, aut etiam maius rependitur. Secundò, quia dilectio supernaturalis, vel contritio perfecta charitate, id est, propter Deum summè dilectum, absque vlla alia forma nobis inhærente, & absque vlla acceptatione, & fauore Dei ipsi addito, potest constituere hominem iustum apud Deum: ac proinde eum mundare à macula peccati. Ergo est suapte natura sufficiens, pro delenda culpa, & homine iustificando. Hoc autem sufficit ad condignam, & æqualem satisfactionem pro culpa. Nam quamuis non omnis forma, quæ suapte natura delet culpam, & ab ea iustificat, possit dici condigna satisfactio, quia reuera non est satisfactio: nempe habitus ipse iustitiæ, seu gratiæ sanctificantis: eò quòd cùm non sit operatio nostra, non potest dici satisfactio. Tamen omne opus nostrū, quod suapte natura delet

culpam, & ab ea iustificat, rectè dicitur satisfactio condigna. Satisfactio quidem, eò quòd sit actio nostra, ac proinde à nobis fiat: quod denotatur nomine satisfactionis. Condigna verò, quia cùm suapte natura culpam deleat, & ab ea iustificet: sua bonitate æquat, imò superat malitiam peccati.

34. Impugnatur multipliciter.

Sed contra: primò, cùm Deus sanctam cogitationē immitit, non propterea remittit debitum carendi auxilio: quia hoc semper manet, culpa manente, sed tantùm gratis facit ne hæc pœna, carere scilicet auxilio, mādetur executioni. Secundò, debitum illud carendi auxilio, non est culpa ipsa seu peccatum, sed potiùs est effectus peccati: Debemus enim carere auxilio propter peccatum, tanquam malum meritum talis pœnæ. Et confirmatur, quia neque est peccatum actuale, quod consistit in commissione aut omissione libera contra legem Dei: neque habituale, quod est ipsummet peccatum actuale moraliter manens in ordine ad reddendum Deum rationabiliter auersum à peccatore, vt rectè docet Delugo disp. 5. n. 6. & nos fusiùs suo loco probauimus in tractatu de Peccatis. Itaque si peccator satisfacit condignè pro reliquo vltra sanctam cogitationem, satisfacit condignè pro peccato, quod totum manet remittendum per contritionem, aut dilectionē Dei supernaturalem, ex opere operantis: vel ex opere operato, per sacramenta. Quare pura creatura poterit, per vires sibi datas à Deo, condignè satisfacere pro peccato: quod est contra communem sensum SS. Patrum, & Theologorum, quibus Vasq. adhærere se profitetur. Imò quia debitum illud carendi auxilio finitum est, vt ait Vasq. non apparet, cur non possit aliquā pœnā finitā compensari, atque ita solui à pura creatura totum debitum peccati. Aut saltem posset post iustificationem exercere actus æquiualentes illi debito, quod minus est, quàm residuum, pro quo satisfacit per contritionem. Confirmatur, quia aliud est remittere peccatum, & aliud remittere pœnam ex toto, vel ex parte. Nam Deus in sacramento pœnitentiæ remittit totam culpam, quamuis non totam pœnam remittat. Et in Baptismo remittit totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, vt affirmat Trident. sess. 5. can. 5. licet non tollat concupiscentiam, neque mortem: neque restituat totam iustitiæ originalis rectitudinem per peccatum amissam: quæ sunt pœnæ, vel pœnalitates originalis peccati.

Contritio non satisfacit æqualiter pro peccato mortali.

Tertiò, à veritate alienum est, & improbabile, quòd peccator per contritionem, aut dilectionem supernaturalem satisfaciat æqualiter pro reliquo debito peccati. Nam licet physicè nobilior sit actus contritionis aut dilectionis supernaturalis, actu peccati, meliúsque ad Deum conuertat & auertat à creatura: Moraliter tamen, id est, secundū prudentem æstimationem, parum est hominem diligere Deum, aut dolere, quòd ipsum offenderit. At verò immane quantùm est, quòd creatura vilissima infinitam Dei maiestatem per peccatum mortale contempserit. Quis dicat plebeium, qui regem offenderit, crimine læsæ maiestatis, satisfacere æqualiter eò solo, quòd regem diligit, aut dolet, quòd ipsum offenderit? Quasi verò regis tanti intersit amari, & honorari à plebeio, quòd ipsi perparum est: atque ab ipso affici contumelia, & contemni, quod grauissimum est. Satisfactio decrescit ex indignitate satisfacientis, & dignitate eius, cui satisfit. Contrà verò crescit offensa ex vilitate offendentis, & offensi maiestate.

Quartò, sequeretur ex sententia Vasquis puram creaturam innocentem, & gratia præditam, posse pro peccato mortali aliorum cōdignè satisfacere, si à Deo institueretur in caput eorum morale, vt ipsius satisfactio eis prodesset, quemadmodum Adami peccatum nocuit posteris. At hoc est contra communem sententiam SS. Patrum & Theologorum, & contra ipsum Vasquem disp. 4. c. 3. Quod autem Vasques respondet ibid. cap. 5. vnicam rationem, quā probatur efficaciter non posse puram creaturam, quantumuis innocentem, & Deo gratam, pro peccato mortali alterius satisfacere, hanc esse, quia omnis satisfactio puræ creaturæ debet fundari in gratia adoptionis, non enim vllam perfectiorem gratiam potest habere pura creatura: atqui gratia adoptionis, quantumuis intensa, non potest fundare condignam satisfactionem pro peccato alterius. Nam illa gratia adoptionis esset eiusdem rationis cum gratia, quam modò iusti habent. Nunc autem, vt omnes fatentur, nullus iustus meretur condignè alteri primam gratiam, vel remissionem peccati, ne quidem venialis, quoad culpam, sed tantùm meretur sibi augmentum gratiæ, & gloriam: quippe quia gratiæ connaturale est perficere seipsam, & subiectum, in quo est, non autem extraneum: ergo, &c. Hoc, inquam, minimè satisfacit. Nam quòd iusti, & adoptati mereantur hoc aut illud, non est à sola condignitate operis, sed etiam à Dei institutione, quæ si ad alia quædam se extendisset, non minùs illa mererentur, neque minus habeat proportionis iustorum opera cum illis. Ex. gr. tota ratio, cur iustus non mereatur perseuerantiam, est defectus institutionis, & promissionis diuinæ, quæ supposuit merito, non quidquid potuit, sed quidquid voluit. Alioqui enim perseuerantia est aliquid minus, quàm vita æterna, quam tamen iusti merentur. Ergo similiter si Deus institueret, vt iustus alteri mereretur æquè, ac sibi, mereretur reipsa. Ac si meretur sibi vitam æternam, posset alteri mereri primam vocationem, siue [illegible] motionem, & sanctam cogitationem, quæ multò minus est. Id verò magis [illegible] habet in satisfactione, quæ inter homines solet pro vno ab aliis admitti, [illegible]úsque personalis est, quàm meritum. [illegible] sanè meritum bonum, & satisfactio ex natura sua, non sunt minùs

35. Sequeretur ex sententia Vasq. puram creaturam posse satisfacere condignè pro mortali.

apta communicari aliis, quàm peccatum, & demeritum. Ergo sicut peccatum Adæ meruit de condigno posteris mortem æternam, sic meritum vnius posset aliis mereri de condigno gratiam, & vitam æternam.

36. Quintò denique, non est verum quod ait Vasques, contritionẽ vel dilectionem supernaturalem esse formam ex natura sua delentem, vel potentem delere peccatum, absque vlla alia forma nobis inhærente, vel Dei acceptatione: Sequeretur enim remissionem peccati non esse nouum beneficium post contritionem, aut dilectionem: sed esse naturalem, & necessarium illius effectum, siue in genere causæ formalis, vt mauult Vasq. siue in genere dispositionis naturaliter id exigentis. At hoc est contra Scripturam, & SS. Patres, qui nouum ibi gratiæ beneficium agnoscunt, vt fusè ostendit Suar. partim lib. 7. de Gratia cap. 14. partim disp. 4. de Incarn. sect. 8. & 9. & nos etiam suo loco probauimus in tract. de Gratia. Est etiam cõtra Trident. sess. 6. cap. 8. vbi exponens illud Pauli ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, &c. Sic habet: *Gratis iustificari dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Vbi Concilium per fidem, & opera, intelligit actum fidei supernaturalis, & alia, quæ velut præparationes ad iustificationem enumerauerat cap. 6. inter quæ sunt actus pœnitentiæ, & dilectionis. Et cap. 7. addit: *Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa cõsequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, &c. Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Huc vsque Concilium. Quare quòd contritio & dilectio supernaturalis vim aliquam habeant ad iustificandum ex opere operantis, id non est ex sola natura rei, quasi huiusmodi actus formaliter seipsis iustificent, vt putat Vasquez, aut connaturaliter offensam tollant, tanquam satisfactio condigna: sic enim peccatum non remitteretur gratis per contritionem: & post beneficium dandi auxilium, & iuuandi ad contritionem, non esset nouum, & gratuitum beneficium in ipsa remissione peccati, vt docent Patres & Concil. Trident. & Paulus ipse Roman. 3. verbis illis, *Iustificati gratis* &c. iuxta interpretationem Tridentini cap. 8. sess. 6. paulò ante relatam. Quando enim debitum tollitur per integram solutionem, non remittitur gratis, sed ex iustitia definit. Neque offensa tollitur gratis, quando tollitur per condignam & æqualem satisfactionem, quæ illam promeretur: imò tunc nulla est remissio, sed mera solutio. Non habent, inquam, illi actus vim iustificandi ex natura sua sola, sed ex institutione, & acceptatione diuina, cum fundamento congruitatis in re, quatenus Deus conuenienter, & misericorditer acceptat huiusmodi actus (quibus excellentiores exercere non possumus) velut dispositiones, per quas nobis applicantur merita Christi, & satisfactio eius infinita; cuius intuitu remittitur peccatum, & confertur gratia; ex iustitia quidem, & condignitate, respectu Christi; ex misericordia verò respectu peccatoris, qui nullam propriam actionem condignam, & æqualem offensæ exhibet, ac proinde non condignè satisfacit, licet dici possit satisfacere de congruo, quatenus exhibet actionem aliquam, qualem, & quantam Deus ab ipso exigit, illamque pro offensa rependit, vt fusiùs docet, & confirmat Suar. disp. 4. sect. 8. conclusione 4.

Contritio nõ est forma delens peccatum naturâ suâ.

Obiicies pro Vasque, contritionem non minùs Deo placere, quàm peccatum mortale ei displicuit: quia per contritionem homo præfert Deum creaturis, ac sibi ipsi; sicut per peccatum mortale Deo prætulerat seipsum, vel aliam creaturam. Et manifestum id esse videtur in peccatis omissionis. Tantùm enim vult Deus carentiam peccati, seu peccatum vitari, quantùm odit existentiam peccati, vt ex terminis notum est. Sed posito præcepto amoris Dei v. g. peccatum vitatur per actum dilectionis formaliter loquendo: ergo tantùm Deo placet fieri tunc actum dilectionis, quantùm ei displicet violatio præcepti, seu peccatum mortale consistens in omissione libera talis actus. Si autem tantùm Deo placet dilectio, & contritio, quantùm displicet peccatum mortale: ergo satisfacit pro illo, quia ponit quantum sufficit ad Deum condignè placandum pro culpa præterita. Confirmatur, quia tantùm meretur præmij contritio, vel dilectio supernaturalis, quantùm supplicij meretur peccatum mortale. Illa enim meretur vitam æternam: sicut peccatum mortale mortem æternam. Ergo tantùm habet bonitatis moralis contritio, vel dilectio supernaturalis, quantùm peccatum habet malitiæ. Hoc argumentum proponit sibi Delugo disp. 5. num. 11. 37.

Obiectio difficilis.

Cui Respondeo negando primum antecedens. Magis enim displicet Deo peccatum mortale, quàm placeat contritio: quia plus est vilissimam creaturam contemnere infinitam Dei maiestatem, quàm exhibere illi subiectionem, & dolorem pro offensa. Ad secundum dico, Deum physicè loquendo, tantùm velle actum præcepti oppositum peccato omissionis, quantùm nonuult omissionem, vt bene probat obiectio: sed tamen moraliter minùs æstimare actum liberum implendi præceptum, quàm liberam eius omissionem. Parùm enim est quòd creatura Deo obediat exigenti amorem. At longè æstimabilius est quòd creatura audeat id Deo negare cum contemptu, & abiectione ipsius amicitiæ. Itaque minus meretur laudis, qui Deum amat; quàm vituperij, & supplicii is, qui amare omittit, quando grauiter Deus id præcipit. Sic ille qui regem honorare prætermittit, cùm debet, plus meretur vituperii; quàm laudis, cùm honorem debitum illi reddit. Et qui parentem non interficit, non propterea tanta

Contritio minùs Deo placet, quàm peccatum ei displiceat.

laude, vel præmio, ex eo dignus est; atque supplicio, & opprobrio, si facinus illud horrendum & immane committit. Neque parens, æqualiter æstimat vtrumque actum, licet tam velit non interfici, quàm vitam suam amat, ac vult non sibi eripi. Ad tertium de merito vitæ æternæ respondebitur sectione sequenti num. 47.

SECTIO V.

Vera sententia, & solutio obiectionum.

38. *Vera ratio cur pura creatura nō potuerit cōdignè satisfacere.* REiectis igitur aliorum sententiis, concludendum est, veram rationem cur pura creatura non possit condignè Deo satisfacere pro peccato mortali siue proprio, siue alieno, esse illam, quam tradit S. Thom. quæst. 1. a. 2. ad 2. Quia scilicet peccatum mortale est tanta Dei offensa, propter vilitatem offendentis, & maiestatem offensi, vt nullius puræ creaturæ satisfactio ex æquo ei respondere possit: sed omnino necessarium sit Deum esse, qui pro illa condignè satisfaciat. *Quid sit propriè satisfactio, & quomodo differat à restitutione?* Quod vt probetur, recolendum est primò id quod diximus tomo 3. disp. 28. de Iustitia, sect. 2. satisfactionem strictè sumptam differre à restitutione: quòd hæc respiciat damnum in rebus illatum ablatione boni, vel illatione mali: sitque vel redditio boni ablati, vel recompensatio mali illati. Etenim bonum, quod iniustè ablatum est, debet reddi. Malum verò iniustè illatum non debet reddi ei cui illatum est, sed potiùs destrui, & compensari per aliquod bonum. Satisfactio verò respicit offensam, & inhonorationem, aut minorem quàm par sit æstimationem personæ, in eò quòd contra ius ipsius scienter, & liberè cum contemptu aliquo fiat, aut cum defectu reuerentiæ erga personam, & ipsius ius. Quando enim ius alicuius scienter, & liberè violatur, ipse quodammodo contemnitur, aut saltem non satis in honore habetur, maximè si ipso præsente, & sciente violetur: aut si, quod peius est, vis ipsi inferatur. Contemnitur quidem, si fiat aliquid quod grauiter offendat, atque amicitiam penitùs cum eo dissoluat: minùs verò habetur in honore, si fiat aliquid, quod leuiter displiceat, sed eius amicitiam non destruat.

39. *Obiectum restitutionis, & satisfactionis diuersum est.* Vnde secundò fit, vt restitutio respiciat res ipsas, & earum æqualitatem inter se, quæ à quocunque reponatur, restitutio sufficiens est. At satisfactio respicit personas, & earum actiones, prout à talibus personis sunt: ab earumque dignitate, aut vilitate æstimatur. Vnde eadem actio, quæ sufficit ad satisfaciendum, si exhibeatur à persona excellenti; non sufficit, si exhibeatur à vili persona, quia non tanti fit.

Natura offensæ, & satisfactionis est diuersa, ex eiq; modo contrario. Tertiò enim, considerandum est eam esse naturam satisfactionis, & offensæ, quam satisfactio respicit: vt satisfactio crescat moraliter ex dignitate satisfacientis, & vilitate eius, cui satisfit: & contrà, decrescat ex vilitate satisfacientis, & dignitate eius, cui satisfit. At è cōtrario, offensa crescat moraliter ex vilitate offendentis, & dignitate offensi: decrescat autem ex dignitate offendentis, & vilitate offensi. Quæ omnia constant ex communi hominum sensu, & morali iudicio. Si enim quis plebeium percutiat, minor offensa est, quàm si percuteret nobilem: & si nobilem, minor quàm si regem. Item si rex plebeium iniustè percutiat, minor censetur esse offensa, quàm si plebeius regem percuteret. Et si rex ad satisfaciendum submitteret se plebeio, maior satisfactio esset, quàm si plebeius regi.

40. *Offensa grauis cōtra Deū est infinita moraliter: neque potest ei cōdignè satisfieri, nisi à persona infinitæ & diuinæ dignitatis.* Meritò autem censetur tanta esse diuina maiestas, vt eius contemptus per peccatum mortale à vilissima creatura commissum, contrahat inde moralem quandam infinitatem, & grauitatem moraliter infinitam, dignam pœna simpliciter infinita, nempe æterna in duratione: eleueturque ad eam speciem moralis infinitatis, vt nulla satisfactio puræ creaturæ possit illi æquari, quemadmodum ipsa maiestas diuina offensa excedit infinitè quidquid creatum est. Vnde non modò puræ creaturæ, quæ sunt reipsa conditæ, & finitæ, non possunt condignam satisfactionem Deo exhibere: sed neque etiam id posset pura creatura, si quæ daretur infinita, & capax gratiæ infinitæ, atque actionis infinitè bonæ: illa enim, qualiscunque foret, non ascenderet ad illum ordinem, in quo constituitur grauis offensa diuinæ maiestatis: sed propter offensi dignitatem excellentissimè infinitam, & satisfacientis vilitatem à Dei excellentia tantopere distantem, inferiùs consisteret. Qui discursus tum per seipsum probabilis est bene expendenti Dei maiestatem: tum maximum habet fundamentum in SS. Patribus, qui peccati mortalis grauitatem eo vsque extollunt, affirmantque non potuisse nisi personam aliquam diuinam satisfacere. *Tantum fuit peccatum nostrum*, inquit Ambros. in cap. 9. ad Hebr. *vt saluari non possemus aliquando, nisi vnigenitus filius Dei moreretur pro nobis.* Et S. Leo Papa serm. 1. de Natiuitate. *Nisi esset Deus verus, non afferret remedium: & nisi esset homo verus, non præberet exemplum.* Et August. in Enchirid. cap. 108. *Neque per ipsum liberaremur vnum mediatorem Dei, & hominum, Christum Iesum, nisi esset & Deus.* *Probatur ex Patribus.* Et Athanas. orat. de Incarnatione Verbi, longè post initium, *Cùm, inquit, Patris sit Verbum* (Filius Dei supple) *& supra omnes: meritò etiam solus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur.* Et Cyrill. Alexand. lib. 1. de Fide ad Reginas, aliquantò post initium, *Pretium pro vniuersorum peccatis nequaquam fat magnum fuisset, si purus homo tantum extitisset.* Et Basil. in illud Psalm. 48. *Frater non redimit, redimet homo. Non, inquit, homo nudus, sed homo-Deus Iesus Christus, qui solus pro nobis omnibus propitiationem dare potest, &c. Quid enim vsquam tanti momenti est, quod homo poterit dare pro redemptione animæ suæ? Inuentum tamen est vnum*

pro omnibus simul hominibus dignum pretium: nempe sanctus, & omni pretio superior, pretiosus sanguis Domini nostri Iesu Christi.

41. Aduersus hæc multa opponit Vasq. disp. 2. cap. 2. & sequentibus. Ac primò contendit peccatum mortale non esse Dei offensam propriè dictam, & contra iustitiam: sed tantùm latè & impropriè, quatenus Deo displicet, & nos ita malè afficit, vt reddat Dei odio dignos. Vnde non eget satisfactione propriè dicta, & ex iustitia: sed tantùm vt tollatur malum, quod in nobis Deo displicet, nosque malè afficit: tollatur, inquam, per actum contrarium, aut formam, quæ nos bene afficiat, & Deo acceptos reddat.

Argumẽta Vasquis ad probãdum malitiam peccati mortalis non esse infinitam.

Verùm hæc obiectio commodiùs refutabitur inferiùs, num. 89. & 90. Interea verò vrget Vasq. peccatum mortale, qualiscunque offensa sit, non esse offensam infinitam, quoniam, inquit, peccata mortalia sunt inæqualia, non solùm in genere malitiæ, sed etiam in ratione offensæ contra Deum: vnde à Deo puniuntur inæqualiter. Ergo peccatum mortale non est infinitum, neque in genere mali, neque in genere offensæ. Vnum enim infinitum in suo genere, non potest esse minus, aut maius alio infinito in eodem genere: alioquin illud, quod minus est, haberet terminum, secundum quem excederetur à maiori: atque ita finitum, & terminatum esset. Deinde malitia peccati finita est, cùm non sit aliud, quàm priuatio rectitudinis oppositæ; vel positiua oppositio cum natura rationali. Nam si vnum oppositorum finitum est, alterum etiam finitum esse debet. At hæc duo extrema sunt finita. Ergo & malitia peccati ipsis opposita est finita. Offensa verò non est aliud, quàm ipsa peccati malitia, prout Deo displicet; eiusque legi aduersatur. Quare sicut malitia peccati est finita, ita & offensa. Vlteriùs, licet maior sit offensa in ratione offensæ; quò maior est persona, in quam committitur: inde tamen non sequitur offensam commissam in Deum, qui est infinitus, esse infinitam: nam eodem genere argumentandi probaremus visionem Dei, & dilectionem charitatis erga Deum, esse perfectionis infinitæ. Sicut enim offensa crescit ex dignitate personæ, in quam committitur, & ita quo maior est persona, maior est offensa: sic etiam quæuis operatio crescit ex dignitate, & perfectione obiecti: & quò dignius fuerit obiectum, dignior erit perfectiorque operatio. Ergo si liceat inferre, offensam contra Deum infinitam esse: licebit etiam colligere, operationem circa Deum obiectum infinitum, esse infinitam: quod tamen nemo concedit. Igitur argumentatio prædicta nihil concludit. Nimirum quia quando perfectio operationis crescit ex dignitate obiecti, non crescit vniuocè intra idem genus. Et ita cùm ascendimus à perfectione finita obiecti ad perfectionem infinitam, non est necesse vt ascendamus à perfectione finita operationis ad infinitam, sed ad aliam perfectionem alterius speciei, & superioris naturæ. Eodemque modo philosophandum est in augmento offensæ, quæ dicitur crescere ex dignitate personæ, contra quam fit. Item ex simili argumentandi modo sequeretur peccatum veniale esse offensam infinitam, & non posse pro ea satisfieri condignè à pura creatura: quod est absurdum, & contra communem sententiam. Præterea licet peccatum mortale dignum sit pœna infinita secundum durationem, non propterea est offensa infinita, alioqui merita quoque nostra essent infinita, quia sunt digna vita æterna. Cætera verò quæ afferuntur ad probandam eius infinitatem, nullius sunt momenti. Nam quod aliqui dicunt, peccatum mortale esse malum infinitum, quia prò nullo bono quamuis infinito committendum est; tantùm probat peccatum non esse medium conueniens, licitéque adhibendum ad vllum bonum consequendum, ne quidem ad vnionem hypostaticam. Et alioqui peccatum veniale esset malum infinitum, quia pro nullo finito committendum est. Quod verò ait Ioan. Med. cod. de satisf. quæst. 1. peccatum mortale esse infinitum, quia est destructiuum Dei ex natura sua, falsum est. Quia peccatum non est ex natura sua destructiuũ eius, quod destrui non potest: sicut ignis non est calefactiuus, ex natura sua, Dei vel Angeli, qui non potest calefieri. Et quamuis Deus posset destrui; non destrueretur per peccatum mortale, quod illi extrinsecum est, & malè ipsum intrinsecè non afficit. Ac licet illi tristitiam causaret infinitam, Deus non propterea destrueretur: quia cùm sit infinitus, esset illius ferendæ capax. Hæc Vasq.

Ad cuius primum argumentum respondent aliqui cum Suare disp. 4. sect. 7. obiectione 1. Licet peccatum mortale non esset simpliciter infinitum moraliter, sed tantùm secundum quid, quatenus scilicet est malum quoddam, & iniuria cuiusdam altioris speciei, & ordinis, quàm sit omnis iniuria contra vllam personam creatam, & finitam: nihilominus tantæ grauitatis esse peccatum mortale, eo modo quo infinitum est, vt non possit adæquatè compensari per satisfactionem exhibitam à persona creata: sicut perfectio naturæ humanæ, quamuis finitæ, non potest adæquari ab vlla specie brutorum in infinitum multiplicabilium. 42.

Solutio primi argum. insufficiens.

Verùm in hac responsione difficile est intelligere, quomodo si peccatum mortale est offensa simpliciter finita, non possit ei satisfieri condignè, & adæquatè per obsequia finita creaturæ nobilissimæ, Deoque gratissimæ. Etenim res ordinis superioris possunt in æstimatione morali, & valore, æquari per multitudinem rerum inferiorum. Alioquin quilibet actus bonus naturalis mereretur de condigno omnes diuitias, & delicias possibiles naturales. Multò minùs intelligi potest, cur nequeat pura creatura satispati pro peccato mortali per pœnam finitam. Pœna enim, & culpa sunt commensurabiles, per se loquendo, & cẽsentur esse moraliter eiusdem

Nisi peccatũ mort. esset moraliter infinitum, posset creatura condignè satisfacere aut satispati.

ordinis. Atque ita pura creatura posset exhibere condignam solutionem pro peccato suo mortali, per pœnam, aut satisfactionem. Nec valet exemplum de brutis cum specie humana comparatis: quia perfectio cuiuslibet speciei brutorum non crescit ex perfectione aliorum, neque plures species sunt perfectiores, quàm vna aliqua ex illis. At verò pœna crescit arithmetice, sicut, & satisfactio, per additionem intensionis, aut durationis; aut multitudinis obsequiorum, vel pœnarum, quæ pro offensa soluuntur. Sic licet infiniti argentei non æquiualeant vni aureo in bonitate materiæ, quæ non mutatur, neque crescit ex illa multiplicatione: æquiualent tamen, & superant in valore morali, seu pretio; quippe quod augetur ex tali multitudine.

43. Neque esset dignum pœna æterna.

Maior etiam difficultas est in opinione Suaris quomodo peccatum mortale possit condigne puniri pœna simpliciter infinita. Nam pœna debet esse culpæ proportionata. Ergo offensa, quæ meretur pœnam infinitam, debet esse infinita simpliciter. Ergo peccatum mortale est offensa simpliciter infinita, quandoquidem iustè, & condignè punitur pœna æterna, quæ infinita est. Quod etiam docent Aegid. Coninx disput. 10. de Pœnit. dub. 2. Hurtad. disp. 9. de Incarn. sect. 3. Bernal. disp. 4. sect. 3. §. 1. Caiet. & Medin. ad art. 2. quæst. 1. Didac. Aluar. disp. 3. conclus. 3. Ioan. Med. Cod. de Pœnit. tract. 1. quæst. 1. aliique plures, quibus fauet D. Thom. quæst. 1. art. 1. ad 2. Vbi affirmat peccatum contra Deum commissum habere quandam infinitatem ex infinitate diuinæ maiestatis, propter quam necessaria est satisfactio infinita Dei, & hominis. Vbi particula, *Quandam*, additur ad significandum illam infinitatem esse tantùm moralem, non physicam: sed non negat esse infinitatem simpliciter: alioquin male inde inferret D. Thom. opus esse satisfactione simpliciter infinita Christi, Dei & hominis. Et 1. 2. qu. 87. art. 4. in c. *Pœna*, inquit, *proportionatur culpæ. In peccato autem duo sunt, quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum: vnde ex hac parte peccatum est infinitum.* Vbi nota primò, D. Thomam hic vsurpare vocem, *Infinitum*, sine addito diminuente. Secundò, non minùs ipsum affirmare peccatum mortale esse infinitum ex parte auersionis à Deo, quàm affirmat ibidem esse finitum ex parte conuersionis ad creaturam: nimirum simpliciter infinitum ex illa parte, sicut ex ista simpliciter finitum est.

44. Refutantur alij dicendi modi.

Neque satisfaciunt argumento allato illi, qui dicunt peccatum mortale puniri pœna æterna, quia damnati volunt semper peccare: Etenim id non esset peccatum ipsum mortale puniri pœna æterna, sed noua, & noua peccata in æternum continuata. Quod falsum est, quia Deus non punit damnatos propter peccata in inferno commissa, sed tantùm propter peccata huius vitæ. Similiter falluntur, qui dicunt peccatum mortale puniri pœna æterna, quia non retractatur à damnatis. Vel enim possunt, ac debent retractare, vel non. Si primum: ergo puniuntur propter nouum peccatum in inferno commissum. Si secundum: ergo puniuntur, quia non faciunt, quod nec possunt, nec debent facere. Dicere autem, peccatum mortale puniri semper, quia semper manet habitualiter, & quandiu manet habitualiter est dignum pœna, friuolum est: quia si est offensa finita, non potest manere habitualiter in ratione iniuriæ punibilis, postquam pœna sufficiens soluta est. Nam omnis iniuria tollitur, vel per remissionem, seu condonationem, vel per condignam solutionem, ab offenso saltem acceptatam. Deus autem acceptat pœnam, quam ipsemet exigit, & infligit propter peccatum.

Ad argumentum ergo Vasquis in contrarium, sumptum ex inæqualitate peccatorum mortalium, Respondeo, malitiam peccati, & offensam physicè sumptam, finitam esse: quare in ea potest esse inæqualitas, prout peccata magis, vel minùs ex natura sua repugnant rationi, & legi diuinæ: licet omnia sint moraliter infinita. Et similiter pœna, quæ est intensiuè finita, potest esse inæqualis, & maior pro peccatis maioribus: quamuis pro omnibus sit durationis infinitæ. Sic duo quanta infinita in longitudine, possent esse inæqualia in latitudine, vel in profunditate, in qua finita sunt. Et si essent infinitæ longitudinis tantùm ex vna parte, putà versus Orientem, possent esse inæqualia ex altera parte. 45. Vera solutio primi argum.

Ad secundum Respondeo, quamuis peccatum mortale sit physicè malitiæ finitæ: moraliter tamen, id est, secundum rectam æstimationem, esse infinitum, prout est grauis offensa, & contemptus diuinæ maiestatis, quæ tanta est, vt supra modum indignum sit eam contemnere. Talem enim de Deo conceptum dant nobis SS. Patres antea citati. Vnde peccatum non tantùm constituitur in alia specie, propter Deum indignissimè contemptum: sed verè contrahit moralem infinitatem, vt docet S. Thom. locis supra citatis, id est, prudenter, ac meritò æstimatur esse offensa infinita, digna satisfactione, vel pœna infinita. Diluitur secundum.

Ad tertium Respondeo, aliam esse rationem de visione Dei, & amore charitatis, aliisque actibus bonis erga Deum. Nam licet illi ex tali obiecto constituatur in specie nobiliori: non tamen moraliter, id est, secundum prudentem æstimationem censentur inde crescere infinitè: quia non tanti est Deum amari, & coli à creatura. Alia quoque est ratio de peccato veniali: quia licet Deum obiectum infinitum respiciat, & Deum totum offendat: non eo tamen modo, vt ipsum contemnat, & amicitiam cum eo dissoluat, ac velut nihili faciat: sed alio leuiori modo, qui ad moralem infinitatem non sufficit. Nam hæ leues offensæ, quæ humano modo vix possunt 46. Soluitur tertium.

vitari, non sunt magni momenti secundum prudentem æstimationem: ideoque non mirum est, si possit homo iustus pro illis satisfacere condignè per actus supernaturales contritionis, & dilectionis Dei super omnia; vt docent communiter Theologi. Neque nostra argumentatio est, qualem refert Vasques: Quò persona est dignior, eò maior est offensa: sed Deus est dignior infinitè: ergo offensa contra Deum est infinita. Non inquam sic argumentamur: sed contendimus verum esse quod docent SS. Patres, tantam esse Dei maiestatem, vt eam contemnere sit offensa infinitæ æstimationis, dignaque, cuius grauitas puniatur pœna æterna, vel compensetur satisfactione infinita.

47. Ad satisfaciẽdũ plus requiritur, quàm ad merẽdum.

Ad vltimum de meritis bonis, Respondeo primò, ad satisfaciendum ex opere operantis plus requiri, quàm ad merendum. Quia meritum respicit tantùm æqualitatẽ rei ad rem, laboris scilicet ad mercedem. At satisfactio respicit personam, eiusque dignitatem. Secundò, dico differentiam esse, quia peccatum mortale ex natura sua est perfectè dignũ pœna æterna. Bona verò iustorum opera nõ sunt digna vita æterna ex natura sua, per æqualitatem, & condignitatem perfectam. Verissimum enim est illud Apostoli Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et 2. Cor. 4. v. 17. *Momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Atque ita docet Aegid. Con. d. 10. de Pœnitentia dub. 2. nu. 12. & confirmat auctoritate D. Basilii in Ps. 114. dicentis, requiem vitæ æternæ paratam esse legitimè certantibus, *non secundum debitum operum reddendam*, perfectè scilicet, & ex sola ipsorum natura condignum: *sed secundum gratiam munifici Dei.* Idem etiam docent Hurtad. disp. 9. de Incarn. §. 31. & sequentib. Ripalda, disp. 16. de Ente supernaturali sect. 4. Bernal. disp. 4. de Incarn. sect. 5. vbi plurimos alios ex antiquis, & recentioribus citat, multisque SS. Patrum testimoniis hanc sententiam illustrat. Præcipua sunt, quæ refert ex Athan. in vita S. Antonij columna 8. Hilario in Ps. 51. v. 10. August. in Ps. 39. longè ante finem, Fulgent. lib. 1. ad Monimum cap. 10. & ex Conc. Senon. decreto fidei. 16. cuius hæc verba sunt. *Faciet tandem omnis misericordiæ locum vnicuique iuxta meritum operum suorum: non absoluta condignitate quidem (neque enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis) sed gratuita magis, & liberali promissione.* Dicuntur tamen iusti mereri aliquo modo de condigno vitam æternam: tum quia Deus eam promisit bonis illorum operibus, & propter adoptionem dignum aliquo modo est, vt filij diligenter patri obsequentes mereantur ab ipso hæredes institui. Tum etiam quia Christus adiungens sua merita bonis iustorum operibus, atque illa veluti sanguine suo imbuens, vt propter ipsum sint Deo acceptabiliora, atque etiam influens in illa moraliter, & per se illa

Merita nostra non sunt ex se perfectè digna vitã æternã.

Hurtad. Ripald. Bernal.

dignificans, supplet quodammodo quod illis deest ad perfectam condignitatem: quatenus bona iustorum opera eò sunt æstimabiliora, quòd fiunt à personis tam arctè Christo coniunctis, illique, velut capiti insertis, vt membris eius viuis, & fratribus, ac cohæredibus. Sicque bona iustorum opera partim ab intrinseca dignitate, partim ab extrinseca, obtinent condignitatem vitæ æternæ. Sed non sola dignitate intrinseca, & connaturali, sicut peccatum mortale est dignum pœna æterna.

Secundò, opponit Vasq. falsum esse offensam crescere ex excellentia personæ offensæ, si hoc principium vniuersim intelligatur. Nã furtum contra regem commissum, non est grauius ex illa circumstantia cæteris paribus: imò est leuius, quò ditiori personæ fit. Respondeo, axioma illud, Tantò offensa est grauior, quantò est maior ille qui offenditur, expressè tradi à D. Tho. q. 1. a. 2. ad 2. & verum esse vniuersim, ac per se notum lumine naturali, si intelligatur, non de iniustitia, per quam in rebus inæqualitas committitur: nam hæc crescit ex quantitate, vel qualitate rei, in qua damnum consistit: sed de offensa strictè sumpta, quæ consistit in iniuria, & contemptu, siue inhonoratione personæ. Quò enim dignior est persona quæ offenditur; eò maior est inæqualitas, & disproportio, ideoque maior iniuria. Instantia verò, quæ affertur de furto, non est ad rem. Quia furtum, vt furtum, non est iniuria personalis, sed realis: & ideo ex quantitate rei mensuratur per se loquendo, vt furtum est. Prout verò coniunctum est audaciæ, & irreuerentiæ erga personam, cuius scienter, & liberè violatur ius; habet vt sic rationem maioris offensæ, ex conditione personæ, non quà ditior est, sed quà excellentior, & digna maiori veneratione. Posset q; pro illa iure exigi maior satisfactio, vel maior pœna, quamuis non soleat exigi, nisi personæ differentia, & irreuerentia sit valde notabilis: vt si furtum fiat circa ipsam personam Regis cui ipsi quippiam surripiatur, aut in domo & bonis eius, aut per vim ei, vel ministris eius illatam. Inde enim peculiarem, & grauem habet malitiam, pertinentem ad offensionem personæ, & maiori pœna dignam: licet furtum non sit maius in ratione furti, neque ad maiorem obliget restitutionem.

48. Secunda obiectio.

Offensa crescit ex dignitate personæ offensæ: secus ac iniuria realis.

Opponit 3. Vasques, falsum pariter esse quod diximus, dignitatem satisfactionis esse sumendam ex persona, quæ satisfacit; si intelligatur ex illa sola pensandam esse in vniuersum, pro quouis genere iniuriæ, & satisfactionis: ideóque personam inferiorem non posse æqualiter satisfacere pro quouis genere offensæ contra personam superiorem. Id enim, inquit, manifestè falsum est, & exẽplis humanis perspicuè refelli potest. Nam in iniuriis propriè dictis circa bona fortunæ, satisfacit regi, v. g. vilis persona, si reddit quidquid abstulit. In iniuriis circa vitam, aut membra erepta, non potest reddi satisfactio æqualis, quia materia non est capax:

49. Tertia obiectio.

ideóque persona, quamuis dignior, non potest satisfacere ad æqualitatem. In iniuriis verò circa honorem, vt est inter homines verbum contumeliosum, aut percussio ignominiosa, potest quidem conferre ad valorem satisfactionis dignitas satisfacientis, quatenus magni æstimatur personam excellentem submittere se vili personæ: & contrà, nihili fit, quòd persona vilis se submittat excellenti: non tamen sola dignitas consideranda est, neque est simpliciter necessaria: nam plebeius satisfacit pro contumelia viro nobili illata, si vitam pro illo exponit: ita vt nobilis non possit deinceps meritò illi esse infensus, & amplius ab illo exigere. In iniuriis verò minùs propriè dictis, quæ non sunt contra iustitiam, quia nullum damnum inferunt, sed in sola transgressione mandati principis, aut domini consistunt (qualis est offensa, siue iniuria peccati respectu Dei) multò magis falsum est illud principium generaliter sumptum. Quis enim dubitet posse subditum satisfacere regi pro transgressione præcepti, vel luendo pœnam lege impositam, vel obsequia magna exhibendo cum pœnitentia facti, & proposito emendationis? De his quoque offensis non est verum maiorem esse offensam, quò vilior est persona offendens. Nam potiùs maius est peccatum personæ dignioris transgredientis præceptum diuinum.

50. *Dignitas satisfactionis non sumitur ex sola persona.* Respondeo, principium illud, Dignitatem satisfactionis sumendam esse ex persona, quæ satisfacit, non esse intelligendum cum exclusione, quasi non etiam aliunde crescat, aut decrescat satisfactio, & quasi eadem persona non possit inæquales satisfactiones exhibere, modò maiores, modò minores, respectu eiusdem, non obstante eadem conditione personæ: sed est intelligendum cum simplici affirmatione, quæ moraliter euidens est. Quia iuxta communem hominum æstimationem, satisfactio exhibita personæ nobili, ab ignobili, per actiones reuerentiæ, & humiliationis, quasi nihil reputatur: exhibita verò ab excellenti persona, plurimum æstimatur. Quia nimirum, quando persona inferior se submittit excellentiori, nihil fere illi præstat, cùm ex propria conditione teneatur ei subesse. Secus autem quando persona excellentis dignitatis satisfacit. Instantiæ verò à Vasque allatæ solùm probant, id non habere locum in restitutione propriè sumpta (de qua non loquimur, & quam Vasques malè confundit cum satisfactione propriè dicta, quæ non respicit damnum, sed offensam personæ, pro qua præcisè, vt sic, debetur satisfactio) vel satisfactionem personæ inferioris posse aliunde crescere, ratione excellentiæ operis, adeò vt adæquet offensam personæ superiori illatam: quod non negamus: sed contendimus, nihil tale à pura creatura præstari posse Deo, æquale offensæ mortali, iuxta prudentem æstimationem, & communem sensum SS. Patrum.

51. *Non debetur satisfactio tantùm ratione damni.* Perperam autem supponit Vasques, non deberi propriè satisfactionem nisi ratione alicuius damni, & omnem satisfactionem esse aliquam restitutionem. Nam licet nullum reipsa damnum inferatur, adeóque restitutio necessaria non sit: tenetur tamen ad satisfaciendum, vel ad pœnam subeundam, qui voluit iniustè damnum inferre, & personam offendit per contemptum, contumeliam, aut quid simile, nisi offensus tacitè, vel expressè condonet. Neque sufficit, vt qui alterum contumelia affecit, animum mutet, & illum æstimet, vt par est: sed debet ampliùs satisfacere per aliquam submissionem, vel pœnam debitam pati pro audacia contemnendi personam, & violandi ius illius. Ex. gr. qui alium probris, & calumniis afficit coram aliis, non ei fidem habentibus: tenetur tamen satisfacere offenso, licet non teneatur ei restituere honorem, quia non ademit, cùm, vt supponimus, illum apud audientes non imminuerit. Et qui in furto deprehenditur, potest ad pœnam, pro audacia violandi, aut conandi violare ius alienum, obligari: vel ad conuenientem satisfactionem, putà, ad veniam petendam: tametsi bonum alienum non abstulerit, quippe qui ab auferendo impeditus fuit. Malè quoque supponit Vasques nullum peccatum esse iniustitiam, & iniuriam propriè dictam contra Deum, eo quòd nullo genere peccati ipsum in bonis lædere possimus. Nam vt omittam nos posse Deum lædere in gloria externa, & bona æstimatione apud alios imminuta per hæreses, & blasphemias: quidquid verè, & propriè fit contra ius alicuius, est verè & propriè iniuria, obligatque ad satisfactionem, vel ad pœnam, pro audacia violandi ius. Deus autem habet verum ius vt non offendatur à creaturis, & vt eius mandata obseruentur.

52. Quod verò vltimo loco dicit Vasq. maius esse peccatum personæ dignioris transgredientis Dei mandatum, verum est communiter. Non quòd cæteris paribus, offensa personæ vilioris, non sit eò grauior, quò persona vilior est: sed quia peccatum dignioris personæ plus crescit aliunde, ratione beneficiorum, quæ à Deo accepit, & ratione scandali, ac similium circumstantiarum.

Quarta obiectio. Obiici etiam potest, quòd si aliquis iustus admisisset infinita peccata venialia, posset pro illis condignè satisfacere. Et tamen eorum collectiuè sumptorum malitia esset infinita. Item creatura infinitæ virtutis posset pati pœnam intensiuè infinitam, quæ adæquaretur extensioni durationis infinitæ: vel etiam finita creatura infinities replicata in locis infinitis posset pati vnica die pœnam æqualem infinitis diebus æternitatis, vel exercere actus charitatis infinitos, quorum quilibet responderet adæquatè & condignè alicui parti pœnæ æternæ, putà, vnius horæ, aut diei.

Possit ne iustus satisfacere pro infinitis venialibus? Ad primum Respódeo negando antecedés, loquendo de perfecta condignitate, deq; perfecta æqualitate satisfactionis: & de iusto nõ infinities replicato in locis infinitis, in quib⁹ actus infinitos exerceat, si casus ille possibilis est: vel qui existens ab æterno, & peccans hucvsque venialiter singulis horis, v. g. temporis imaginarii, non elicuerit successiuè actus quoq; infinitos, quibus pro infinitis venialibus satisfaceret per partes. Nam citra huiusmodi suppositiones, de quibus mentio non fit in prima parte obiectionis, talis iustus nunquam exerceret actum vnum, aut plures infinitæ bonitatis, quib⁹ æqualiter satisfaceret pro malitia collectiuè infinita; id est, non faceret aliquãdo, quantum est satis in rigore ad æquandam tantã malitiam. Respódeo 2. negando paritatẽ. Nam illa malitia venialiũ infinitorum, non attingeret illum gradũ infinitatis, in quo est malitia peccati mortalis, sed infinitè ab eo distaret. Quare licet iustus satisfacere posset condignè pro tot venialibus: non sequitur posse pariter pro mortali.

53. Pœna tẽporalis infinitè intẽsa, non æquiualet pœnæ infinitæ durationis. Ad secundum Respondeo, pœnam infinitæ, & æternæ durationis non adæquari moraliter, & æstimatiuè per pœnam temporalẽ infinitè intensam. Aeternitas enim pœnæ damnatorum plurimùm eam auget, & incumbit quodammodo singulis eius partibus, aggrauando. Sicut globus plano insistens, vno quidem puncto duntaxat illud tangit: sed tamen totum globi põdus incumbit plano per illud punctum. Ad tertium respõdeo, similiter singulos actus charitatis non respõdere adæquatè, & condignè, tali parti pœnæ, vt aggrauatæ toto põdere æternitatis illi incumbentis, & moraliter aggrauantis infinitè.

SECTIO VI.

An Christus condignè pro peccatis hominum satisfecerit?

54. Christus perfectè & condignè satisfecit. SVppono ex D. Thom. q. 1. a. 2. ad 2. aliud esse loqui de satisfactione perfecta secundum se, & ex valore eius quod retribuitur pro offensa: & aliud loqui de satisfactione sufficienti tantùm ex acceptatione eius, cui satisfit: quæ acceptatio potest esse misericordiæ, & liberalitatis, licet id, quod retribuitur, non sit æquale offensæ. Hoc secundo tantùm modo Christum satisfecisse docent Scot. Gabr. & Almain. in 3. dist. 19. & Ioan. Med. cod. de Pœnit. tract. 3. q. 1. affirmantes, opera Christi fuisse ad satisfaciendum sufficientia, non ex sola ipsorum dignitate, cùm fuerint in se finiti valoris, & insufficientis: sed ab extrinseca Dei acceptatione, quatenus Deus voluit illis esse contentus, qui potuisset similiter, quamuis non æquè congruè, opera alicuius puræ creaturæ acceptare.

Sed vera, & communis sententia Theologorum cum D. Thoma art. cit. est, Christum condignè, & abundè satisfecisse pro peccatis hominum, ipso suorum operum valore, & dignitate: ita vt Christus perfectè satisfecerit, non solùm exhibendo totum id, quod Deus exigebat, & quo contentus erat: sed etiam quia opera, quæ exhibuit, adæquauerunt, imò superauerunt hominum offensas, suo valore & dignitate morali infinita, quam accipiebant à supposito diuino liberè seipsum impendente per huiusmodi liberas operationes in Dei obsequium, atque ad vilissima demittente ipsius causâ: ita vt Deo plus placuerit tanta submissio, & obedientia, quàm displiceant hominum offensæ.

Probatur 1. ex Apostolo ad Rom. 5. v. 15. *Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei, & donum in gratia Vnius hominis Iesu Christi, in plures homines* (græcè [illegible] id est, multos,) *abundauit.* Et paulò post. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Quibus verbis, & sequentibus videtur Paulus comparare satisfactionem Christi cum peccato Adami: assereque, quòd sicut Adæ peccatum vim habuit ad perdendum totum genus humanum, multò magis satisfactio Christi vim habuit ad illud restaurandum. Atqui peccatum Adæ vim illam habuit sufficientem, & condignam ex propria malitia, & non ex sola Dei acceptatione, & constitutione extrinseca, quæ tantùm fuit conditio sine qua non, quatenus Adam non nocuisset posteris suo peccato, nisi à Deo in caput morale omnium constitutus fuisset: ergo similiter satisfactio Christi fuit ex proprio valore sufficiens ad redimendum genus humanum, quamuis de facto non redemisset, nisi in eum finem eius satisfactio acceptata fuisset à Deo, veluti capitis, & mediatoris hominum. Atq; ita locum illum exponunt Agapetus Papa in epist. ad Antimum. Leo serm. 12. de Passione, Chrysost. hom. 10. in epistolam ad Rom. & alii. Verba Chrysost. hæc sunt. *Si quis propter debitum decẽ nummorũ in carcerem conijciatur, veniat autem alius, qui non solùm soluat illos nummos, sed etiam innumera auri talenta largiatur, vinctũque in regalem aulam inducat: ita & nobiscum factum est. Multò enim plura, quàm debebamus, Christus pro nobis soluit; tantòque plura, quantò guttulam exiguam pelagus excedit immensum.* 55. Probatur ex Scrip.

Probatur 2. ex eodem Apostolo ad Hebr. 10. vers. 4. *Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum, auferri peccata: ideo ingrediens mundum, dixit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi.* Vbi quod ait Apostolus impossibile fuisse, intelligendum est de condigna satisfactione: nam de imperfecta, & sufficienti tantùm ex acceptatione, non erat illud impossibile. Quia poterat De⁹ huiusmodi sacrificia adeũ finẽ acceptare, licet minùs cõuenienter. Paul⁹ autẽ nõ dicit fuisse minùs cõueniẽs sed, fuisse impossibile. Vnde meritò D. Cypr. in ser. de ratione circũcisionis in fine, *Tantæ*, inquit, *dignitatis* 56.

Redemptoris nostri illa vna fuit oblatio, vt vna ad tollendum mundi peccata sufficeret. Nota, *tantæ dignitatis*. Et Clemens VI. in extrauag. *Vnigenitus, de pœnitentijs & remißionibus*, affirmat, vnicam sanguinis Christi guttã propter vnionem humanitatis cum Verbo pro totius humani generis redemptione sufficere potuisse. Vbi nota quod ait, *Propter vnionem* &c. & non, propter acceptationem Dei gratuitam. Nota præterea Clementem id asserere, ad probandum thesaurũ Christi meritorũ, & satisfactionum esse infinitum, inexhaustũ, & superabũdantẽ. Propter quod etiam vocatur à Psalmista, copiosa redemptio, Psal. 129. Plura in eiusdem sententiæ confirmationem Scripturæ, & Patrũ testimonia videri possunt apud Vasq. d. 5. c. 3. & Suar. d. 4. sect. 3. & 4.

57. Probatur ratione.

Ratio demũ est, quam supra indicauimus, quia scilicet quamuis actiones liberæ, quibus Christus satisfecit, essent physicè entitatis & perfectionis finitæ, quippe elicitæ à natura humana, quæ virtutis finitæ est: moraliter tamẽ erãt infinitæ æstimationis, eò quòd fierent à persona diuina, id est, ab humanitate subsistente in Verbo, ita vt essent singulari quodã, & ineffabili modo propriæ ipsius Verbi diuini operationes. Si enim valuit maiestas diuina offẽsa tribuere peccato moralem infinitatẽ: multò magis infinita maiestas satisfaciẽtis potuit tribuere satisfactioni dignitatẽ moralẽ infinitam. Aliter enim se habet maiestas satisfaciẽtis ad satisfactionẽ, quàm maiestas offẽsi ad offensam. Etenim maiestas offensi extrinsecè tantùm attingitur per offẽsam. At satisfaciens impendit intrinsecè suam maiestatẽ ad satisfaciendũ, quando per seipsũ satisfacit, & supremã dignitatẽ extremæ subiicit ignominiæ, & submissioni. Satisfactio enim, cùm sit actio satisfacientis, includit in suo conceptu intrinseco ipsum satisfacientẽ, qui per seipsũ agit, & satisfacit. At verò De[us], cùm offenditur, obiectiuè tantùm se habet, & extrinsecè ad offẽsã. Quare si offensa contrahit nihilominus moralẽ infinitatẽ, ex maiestate Dei offensi; multò magis satisfactio Christi traxit moralẽ infinitatẽ, ex infinita, & planè diuinã maiestate personæ satisfaciẽtis.

58. Vndenam valor infinitus satisfactionis Christi?

Suarez dis. 4. sect. 4. docet Christi satisfactionem & operationes habuisse moralem illam infinitatem non solùm ex eò quòd à persona infinita & diuina procedebant: sed etiã quia in illa recipiebantur, & subiectabantur, sicq; quodammodo vniebantur hypostaticè Verbo mediãte humanitate, cui inhærebant. Additq; Suar. infinitatem actuũ Christi non tam esse sumendam, ex influxu actiuo, vel ratione effectus manantis à Christo, quàm ex vnione illa personali, quam habent cum Christo, & Verbo. Nã si intelligamus per actionẽ Christi aliquẽ effectũ ad extra factum: ille ex tali respectu ad Christum non censetur habere infinitum valorem, vel dignitatem: sicut nec habet creatura ex eo quòd à Deo producta sit. Tota ergo ratio huius infinitatis consistit in formali vnione, ratione cuius & ipsa persona quodammodo afficitur illis actibus per naturam hypostaticè sibi vnitam, illosq; afficit, atq; dignificat. Hæc Suar. quæ omnino vera esse non puto. Nam valor moralis meriti, & satisfactionis sumendus est ex influxu libero: ratio enim meriti, & satisfactionis cõsistit in libertate. At influxus passiuus, vt sic non est liber, sed necessarius posita actione, in qua solùm ponẽda, vel non ponenda versatur libertas operantis. Ergo valor moralis satisfactionis petendus est ex influxu actiuo, prout scilicet opus satisfactoriũ liberè procedebat ab operante infinitæ dignitatis, qui in satisfactionem seipsum impendebat, eamque suæ diuinitatis splẽdore illustrabat. Neque par est ratio de effectu extrinseco, respectu Christi; & de creatura, respectu Dei. Hæc enim non sunt actus liberi boni & meritorij: sed sunt tantùm actuũ liberorũ obiecta, & effectus. Confirmatur ex eodem Suare, qui addit paulò post, passionẽ Christi, prout erat actus ipsius, habuisse infinitã dignitatẽ: prout verò erat à crucifigentibus, non habuisse tantam malitiam. Et tamẽ in Christo æquè recipiebatur, prout erat à crucifigentibus, & Christus in illam passiuè influebat: Ergo non est verum quod ait Suar. totam rationem moralis infinitatis consistere in formali vnione actuum; seu receptione in natura vnita Verbo. Nam influxus passiuus neque sufficit, neq; præcipuè dat moralem infinitatem.

Sumi illè debet ex influxu actiuo & libero Christi.

59. Occurritur obiectioni.

Dices, humanitatem accipere infinitã dignitatem ex eo solo, quòd sit in Verbo: ergo similiter operationes Christi accipiebãt infinitam dignitatem ex eo solùm quòd essent in Verbo mediãte humanitate. Respondeo, dispatẽ esse rationẽ naturæ, & operationũ. Nam dignitas illa naturæ erat per modũ actus primi, & sanctificationis habitualis, similis illi, quam habet anima per informationẽ gratiæ sãctificãtis. At dignitas satisfactionis est valor eius moralis, & imputabilis, velut act[us] secundi laudabilis, & liberi. Qui valor actui nõ conuenit, nisi quatenus à suo principio liberè procedit: nã eatenus tantùm liber est, & imputabilis. Quare licet actus illi honestarẽtur plurimùm per inhæsionẽ mediatã ad Verbũ: tamen valor ille moralis non erat solùm, vel præcipuè ab inhæsione vt tali, sed erat potiùs à libera productione personæ diuinæ operantis. Ac si per impossibile fuisset illa productio libera sine inhæsione, fuissent nihilominus actus illi liberi infinitæ dignitatis moralis, & imputabilis. Cõtra verò, si solùm inhærerent absq; libera productione, nullã haberẽt dignitatẽ moralẽ, & imputabilẽ, sed aliam honestatẽ seu dignitatẽ per modũ actus primi. Vnde patet radicẽ & causã hui[us] moralis dignitatis esse, quòd liberè procedãt à tali supposito.

60. Altera sententia.

Secundò, Vasq. disp. 6. cap. 2. ait se infinitatem illam petere non ex infinita dignitate personæ, additis alijs circumstantijs ex parte operis requisitis ad satisfaciendum; sed ex infinitate dignitatis naturæ humanæ in Verbo, quatenus ab illo propter vnionem accipit infinitam sanctificationẽm, atque ab ipsa deitate sanctificatur, sicut nos sancti-

ficamur per gratiam, quæ Deitatis quædam participatio est. Non, inquit, quòd Deitas sit forma inhærens humanitati: sed quòd ex illa, propter fundamentum vnionis personalis, deriuetur in naturam humanam per extrinsecam denominationem effectus quidam moralis sanctificationis, in quo ipsa tanquam forma includatur, veluti ferrum ignitum continet vt formam, ignem ipsum. Hanc autem esse verã causam infinitatis satisfactionis Christi, probat, quia si per impossibile non esset vnio hypostatica, & dignitas personæ, & tamen esset illa dignitas, & sanctificatio naturæ, satisfaceret infinitè. Contra verò, si esset vnio hypostatica, & dignitas personæ infinita; nec tamẽ esset illa dignitas, & sãctificatio naturæ, (vt si esset infecta peccato mortali) non posset satisfacere.

Sed contra primò, non benè Vasq. refert sanctificationẽ formalem humanitatis ad naturam diuinam, seclusa hypostasi, siue vnione personali, quam vult tantùm esse fundamentũ sanctificationis. Nam hypostasis per se immediatè, & formaliter sanctificat. Est enim infinitè sancta, & multò magis Deo grata, gratamq; reddens humanitatem, quàm infinita gratia habitualis, si daretur. Quare potiùs vtraque sanctificat humanitatem, dignificatque eius operationes, quatenus vtraq; ipsi vnita est, hypostasis immediatè, & natura mediatè. Secundò, cùm natura, & hypostasis Verbi sit verè, & physicè cõiuncta humanitati, sicut anima gratiæ sanctificãti; malè Vasques hanc naturæ deificationem vocat denominationem extrinsecam. Potiùs enim debet dici intrinseca, sicut denominatio albi, docti, iusti, & similes, quæ petuntur à forma inhærente intrinseca. Tertiò, si, vt Vasques affirmat, hæc sanctificatio includit ipsã deitatem, tanquam formam; sicut ferrum ignitum continet ignem ipsum: non potest dici extrinseca denominatio, quæ non includit formam, à qua res denominatur, physicè ipsi vnitam, & intrinsecè adiunctam: sed res denominata illam tantùm extrinsecè respicit, aut relatiuo nomine significatur propter aliquam mentis comparationẽ cum illa. Quartò, implicat esse illam dignitatem, & sanctificationem naturæ humanæ, quam habet ex vnione cum Verbo, aut illi parem, sine vnione hypostatica: & hypothesis, quæ contrariũ supponit, destruit seipsam, adeoque est inutilis ad argumentandum. Implicat similiter humanam naturam esse hypostaticè vnitam Verbo, habereque dignitatem personæ infinitæ, & verè diuinæ: nec tamen esse illam dignitatem, & sanctificationem naturæ humanæ per ipsammet hypostasim, & diuinitatem vnitam. Implicat enim, formam communicari, & non esse eius effectum formalem, qui non est aliud quàm forma vt communicata subiecto, vel totum ex forma & subiecto constitutum. Quare in eo casu, in quo per impossibile natura esset vnita hypostaticè, & tamen esset infecta peccato mortali; forent adhuc illius operationes infinitæ dignitatis, & sufficientes ad satisfaciendum prò peccato mortali, tam suo, quàm alieno. Ad hoc enim sufficeret naturã humanã esse hypostaticè vnitam Verbo, & ex illa vnione trahere dignitatem infinitã, quæ ab huiusmodi vnione separari nequit, & necessariò deriuat infinitum valorem in operationes liberas, satisfactorias, aut meritorias à natura vnita elicitas. Qua de re plura inferiùs num. 69.

Christus fuit sanctificatus per hypostasim Verbi, & non tantùm per naturam diuinam.

Si per impossibile, esset Christus peccato mortali infectus, posset condignè pro illo satisfacere. *Vide infra n. 69.*

61. Tertia sententia nostræ cõtraria.

Tertiò, recentiores aliqui subtiles, & eruditi censent dignitatem personæ non augere valorem operis, ita vt faciat opus dignũ maiori præmio formaliter loquendo, sed maiori materialiter. Consideratur enim, inquiunt, ipsũ opus bonum antecedenter ad dignitatẽ personæ, & solùm secundum bonitatẽ quam habet, & quã placet Deo: & vt sic æstimatur illud opus esse dignum magno præmio. Dignitas verò personæ non dat formaliter valorem ad præmiũ magnum, sed facit vt præmiũ, quod aliàs esset magnum respectu alterius, non sit magnũ respectu huius personæ propter eius excellẽtiã. Christi autẽ respectu nullũ præmiũ est magnũ, nisi infinitũ. Et quia hic excess⁹ magnitudinis in persona prouenit formaliter à gratia vnionis, vel à dignitate Verbi: ideo dicitur cõmuniter ex gratia, siue ex vnione ad Verbũ prouenire formaliter valorem operum Christi. Sic, inquiunt, beneficiarius habet ius accipiendi ex fructibus beneficij congruam sustentationẽ. Quantitas autem eius prouenit ex differentia personarum: quod enim vni sufficit, non sufficit alteri pluris indigenti, ratione sui status.

Dignitas personæ auget valorẽ satisfactionis.

Sed contra: Primò, est euidenter contra lumẽ naturale, & cõmunem sensum hominum, quòd dignitas personæ non augeat æstimationem submissionis, quam exhibet, neq; ea sit tantò in se æstimabilior, quantò ab excellentiori persona exhibetur viliori. Hinc illa admiratio Elisabeh Luc, 1. *Et vnde hoc mihi; vt veniat mater Domini mei ad me?* Et Petri ad Christum Ioan. 13. *Domine tu mihi lauas pedes?* Et Ioannis Baptistæ ad eundem Matth. 3. *Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me?* Deinde hæc opinio facit merita Christi esse finita, & non maiora quàm si eadem opera fierent à pura creatura: adeo vt seipsis ex propria dignitate non excedant malitiam peccatorum, quorum tamen remissio illis conceditur, quia dignitati personæ conuenit tale, & tantum præmium. Quod est omnino contra sensum SS. Patrum, & summorum Pontificum supra citatorum, qui dicunt merita, & satisfactiones Christi excedere peccata hominum, sicut innumera auri talenta excedunt decem nummos, & sicut pelagus excedit guttulam exiguam, vt loquitur Chrysost. & tantæ dignitatis fuisse illam oblationem, vt vna ad tollenda mundi peccata sufficeret, inquit, Cyprianus supra citatus: & effusionem sanguinis Christi tam fuisse diuitem ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum eos Diaboli vinculum retineret, vt inquiunt

Merita Christi erant in se, & ex propria dignitate, valoris infiniti.

Caius Papa. Agapetus. Leo.

Caius Papa in Epist. Decretali, Agapetus Papa in Epist. ad Antimum, & Leo 1, epist. 83. qui eodem sensu exponunt illud Apostoli Rom. 5. v. 20. *Vbi abundauit delictum* &c. esse denique thesaurum infinitum, inexhaustũ, & superabundantem, vt definit Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus*. Tertiò, ad fundamentũ illius sententiæ Respondeo, bonitatem moralem, & æstimationem actus peti ex ipso comparato cum obiecto, fine, & circumstantiis, inter quas est conditio agentis, vt docent communi consensu Theologi cum D. Thom. 1. 2. q. 7. Quæ conditio sæpe talis est, vt vel mutet speciem actus, vel augeat, aut minuat illius bonitatem, aut malitiam, vel moralem æstimationem. Quare falsum est totam actus bonitatem se habere antecedenter ad dignitatem personæ: nam ex parte ab illa sumitur, sicut ab obiecto, & alijs circumstantijs.

62. Infinitas illa non est petenda ex concomitantia operationum naturæ diuinæ, & humanæ.

Alij quartò infinitatẽ satisfactionis Christi ex eo petunt, quòd Christus constans natura diuina, & humana, simul per vtramque operaretur circa eadẽ obiecta: ita vt quando Christus aliquid volebat, simul in eo duplex actus exerceretur: vnus diuinæ voluntatis, alter humanæ: ex quibus fiebat vnus actus moraliter, qui theandricus, id est, deiuirilis appellari potest, sicut ex nostro actu interno, puta dandi eleemosynam, fit vnus moraliter. Ex hac autem coniunctione, vel morali vnitate, actus humanæ voluntatis immensè dignificabantur, & humanitati operanti dignitas infinita accedebat ex consortio naturæ diuinæ simul cum ea subsistentis, & operantis per modum vnius. Hæc illi populariter magis, quàm theologicè. Nam diuinitas nihil de nouo operabatur per intellectum, aut voluntatem increatam, cuius omnes actus ab æterno sunt. Ex eo autem quòd Christus per humanitatẽ eadem obiecta intelligeret, aut vellet, quæ Deus ab æterno intelligit, aut vult, non plus accedebat dignitatis, aut valoris moralis eius operationibus (semota vnioris hypostatica) quàm nostris accedat, ex eo quòd actus nostri intellectus, aut voluntatis conformẽtur diuinis actibus. Quare non ex simultate, aut cõformitate operationũ, sed ex vnione hypostatica, & dignitate personæ operantis sumi debet valor infinitus operum Christi.

63. Neque etiam petitur sufficienter à Christo, vt obiecto operationis.

Alij denique censent infinitatem illam petendam esse non solùm à persona Christi, vt operante, sed etiam vt obiecto: maximè verò in nostra redẽptione. Distinguunt enim cum D. Thom. q. 48. a. 1. & sequentibus, quatuor rationes in operibus Christi, nẽpe rationem meriti, satisfactionis, sacrificij, & pretij. Et in tribus prioribus infinitatem dicunt peti à persona operante. In postrema verò, peti à re oblata: quia in emptione attenditur solùm valor pretij, non dignitas emẽtis, quæ impertinens est ad æqualitatem rei ad rem, consideratam in emptione. Sed hi falluntur dupliciter. Primò, quatenus distinguunt pretium pro redemptione nostra oblatum, à merito, satisfactione, & sacrificio Christi: quasi nos ipse pecuniâ redemerit, vel aliter, quàm merendo, satisfaciendo, & sacrificando pro nobis: quibus operibus nos redemit metaphoricè, id est, peccati, & dæmonis seruituti eripuit, & in suam potestatem, & gratiam, ac libertatem nobis omnibus in primo parente collatam, eiusque peccato amissam restituit. Est enim redimere, emere aliquid, quod antea fuerit tuum, & à te abalienatum. Cùm ergo pretium pro redemptione oblatum non fuerit aliud, quàm Christi meritum, satisfactio, & sacrificium: non habuit aliam infinitatem, nec aliunde illam accepit. Quare, sicut fatentur auctores illi, meritum, satisfactionem, & sacrificium, accepisse infinitatem à persona operante: idem quoque fateri debent de pretio, & redemptione. Neque verò sanguis Christi fuit pretium nostræ redemptionis, nisi per liberam eius effusionem, id est, quatenus Christus liberè ipsũ pro nobis in Dei gloriam effundere voluit, ac reipsa profudit. Secundò falluntur, quia sola infinitas personæ Christi, vt obiecti, & velut rei oblatæ, non sufficiebat ad infinitam redemptionẽ, si nihil aliud fuisset. Alioqui Sacerdos, quãdo offert Christum pro peccato alicuius, posset dici infinitè eum redimere: & Beata Virgo infinitè nos redemisset, quãdo filiũ pro salutẽ nostra obtulit. Ratio est, quia hæc redemptio fiebat per modum satisfactionis, & actionis, id est, actus liberi. Obiectum autem infinitum non dat infinitatem actioni quomodocumque in illam tendenti: minúsque influit in illam, ad quam extrinsecè tantùm, & obiectiuè, seu terminatiuè se habet; quàm operans, qui seipsum impendit, & ad illam intrinsecè, vel identicè se habet.

Pretium quo Christus nos redemit, non est aliud, quàm eius meritum satisfactio & sacrificium.

Dices, si Christus non cognouisset suam excellentiam, quando operabatur, non habuissent eius actiones moralem infinitatẽ: quia ad libertatem, & laudabilitatem actus, perinde se habuisset Christi excellentia, ac si nõ fuisset. Ergo infinitas petitur à persona Christi, vt obiecto cognito. Respondeo, negando antecedens. Nam sicut opera bona iustorum sunt apud Deum magis æstimabilia, & meritoria vitæ æternæ, quamuis ipsi statum suum ignorent, aut de illo non cogitent, quãdo benè operãtur; & regis officia pluris fiunt, licet rex ea præstando, se regem esse non cogitet. Sic &c. Non nego tamen facere ad dignitatem operum Christi, quòd suam excellentiã cognoscens, se humiliaret & impenderet in obsequium Dei: neq; excludo alias circumstantias, ex quibus actuum bonitas, & æstimatio peti solet: sed dico, eas non sufficere ad moralem infinitatem, quæ velut à radice oritur ex vnione hypostatica, dignificante actiones suppositi illius diuini. Ad confirmationem antecedentis Respondeo, aliquid incognitum, & non liberum conferre posse ad valorem moralem actus, per modum circumstantiæ personæ operantis; tametsi non per modum obiecti cogniti, ex quo augeatur bonitas actus intrinseca, & nobilitas physica, vt

64.

Valor ille infinitus fuisset, quamuis Christus non cognouisset suam excellentiam.

diximus alibi disputãdo de actibus humanis.

SECTIO VII.

Soluuntur argumenta contraria

65. Quomodo potest Deus pœnam à nobis exigere, vltra condignã satisfactionem Christi?

ADuersus condignitatem, & infinitatem satisfactionis Christi, hæc præcipue argumenta opponi possunt. Primum: Si Christus pro peccatis hominum condignè satisfecit; ergo non potest Deus pœnam, aut satisfactionem aliam pro illis exigere: vel exigit solutionem debiti iam soluti. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Confirmatur, quia illa satisfactio non est condigna, vltra quam potest iustè exigi alia, quæque totum debitum satisfaciendi non exhaurit. Ergo si pro peccatis hominum potest à Deo exigi iustè, sicut reipsa exigitur, alia satisfactio, superestq; aliquod debitum pro peccatis: satisfactio Christi non fuit condigna.

Respondeo, Christum satisfecisse condignè in actu primo, id est, eius satisfactionem secundum se & ex ipsa operum dignitate, esse condignam, sufficientem, ac superabundantem, quantùm ad valorem, & pretium: sed non satisfecisse in actu secundo, id est, eius satisfactionem reipsa non prodesse, nisi illis, quibus applicatur, & quantùm applicatur, iuxta modum, & dispositionem prouidentiæ diuinæ, per media à Christo, vel à Deo instituta. Quæ non omnia sunt huiusmodi, vt eam perfectè applicent ad omnem pœnam peccati abolendam, sicut in Martyrio, & in Baptismo fit: sed ad mutandam æternam in temporalem, aut grauiorem in leuiorem, vt ordinariè fit per alia media. Et Deus quidem acceptauit satisfactionem Christi pro omnibus, quantùm ad actum primum, id est, quantùm ad sufficientiam: sed in actu secundo, & quoad effectus, non acceptat, nisi secundum modum, quo per diuersa media applicatur: neq; alio modo fuit à Christo oblata Patri æterno ex affectu efficaci vt prodesset. Et quemadmodum non prodest omnino iis, quibus non applicatur, vt infantibus in vtero morientibus, & damnatis; ita neque prodest alijs, nisi iuxta mensuram applicationis.

Soluitur primum argum.

In forma igitur Respondeo, Deum exigere aliam pœnam, aut satisfactionem ab illis, quibus satisfactio Christi non fuit plenè, & perfectè applicata. Et non esse cõtra rationẽ cõdignæ satisfactionis, quòd possit alia exigi ab ijs, quibus non applicatur perfectè, neque prodest, quantùm prodesse potest. Similiter autem Christus pro omnibus condignè orauit, & meruit: & tamen locum nostris orationibus, & bonis operibus reliquit. Vnde collige quàm ineptè Caluinistæ, & Luterani ex condignitate satisfactionis Christi inferant, Deum nullam ab hominibus pœnã, vel satisfactionẽ pro peccatis exigere, sed totã pœnam semper cum culpa remittere. Qui error apertè repugnat Scripturæ, vt patet exemplis Ad ami Gen. 4. & Sapient. 10. v. 2. Mariæ sororis Moysi Num. 12. Dauidis 2. Reg. 12. & vnanimi cõsensu SS. Patrũ, vt fatetur ipsimet hæretici, Calui. lib. 3. Instit. c. 4. n. 38. & Kemnitius Lutheranus in examine sessionis 25. Tridentini. Qua de re plura vide apud Aegid. Coninck disp. 10. de Pœnit. dub. 3.

Satisfactio Christi quomodo condigna?

Instabis, quia illa satisfactio non est condigna, quæ non satisfacit ad æqualitatem, & quantùm peccatum meretur. At Christi satisfactio non est talis, quia supponit necessariò remissam esse aliquam partem pœnæ, quam peccatum de se merebatur, id est, quã peccatum dignum erat, quæque iustè poterat propter ipsum infligi. Nam peccatum dignum erat, vt propter illud homines statim damnarentur, & relinquerentur sine satisfactore, vt dæmones. Ergo satisfactio Christi, quæ supponit Christum fuisse decretum in Redemptorem, supponit illam pœnam peccati fuisse remissam. Respondeo negando maiorem: sufficit enim satisfactionẽ Christi esse tantam, vt sit æqualis illi beneficio hominibus facto, quamuis illud beneficium necessariò præire debuerit Christi satisfactionem.

66. Secundum argum.

Secundum argumentum: Christus non satisfecit vt Deus, alioqui sibi ipsi satisfecisset, quod est falsum, quia iustitia, & satisfactio debita ex iustitia, est ad alterum. Ergo satisfecit vt homo secluso Deo, id est, secluso eo omni, quod in ipso diuinum est. Atqui secluso Deo, quidquid in illo superest, finitũ est: ergo per illud non potuit cõdignè, & infinitè satisfacere. Confirmatur, quia operationes, quibus liberè satisfecit, fuerunt elicitæ à sola humanitate, nullo modo concurrente hypostasi Verbi diuini: Per illud autem satisfecit, per quod operatus est actiones satisfactorias, quodq; solùm fuit earum principiũ.

Christus satisfecit vt homo & Deus.

Respondeo, Christum non satisfecisse, vt Deum purè, & præcisè: neq; etiam, vt hominem purè, & præcisè, sed vt suppositum diuinum constans ex natura humana, & ex hypostasi ac natura diuina per vnionẽ hypostaticã, ex qua vnione infinitã, & diuinam habuit dignitatem, ac vim merendi, & satisfaciendi infinitè per actiones elicitas ab humanitate. Quamuis enim actiones, quibus Christus satisfecit, nõ processerint physicè ab hypostasi Verbi, sola enim humanitas fuit physicum earum principium cum Dei concursu: tamen hypostasis, & natura ipsa diuina per hypostasim vnita Christi humanitati operanti, infinitam moralem excellentiam eius operationibus cõtulit: qua ratione deitas ipsa, & hypostasis Verbi concurrit ad satisfactionem Christi moraliter cõsideratam, non vt principium eliciens, sed vt forma nobilitãs, & tanquã circũstantia personæ operãtis. Quare non est verum simpliciter Christũ satisfecisse vt hominẽ præcisè, secluso Deo, & dignitate infinita, quæ ab hypostasi aduenit humanitati. Potiùs enim dicendũ est, satisfecisse Christũ, vt homo Deus est. Quia licet humanitas sola fuerit, physicũ principiũ elicitiuum actuum liberorũ, quibus satisfecit: non

tamen fuit totalis ratio satisfactionis moraliter consideratæ: hæc enim sic considerata valorem suum hausit præcipuè ex dignitate personæ satisfacientis. Neque propterea idem omnino sibi ipsi satisfecit. Nam Christus ratione humanitatis operantis differt à Deo realiter: atque ita satisfactio fuit ad alterum secundum naturam satisfacientem, & naturam, cui satisfiebat. Satisfiebat enim naturæ diuinæ offensæ in iure suo: & satisfaciebat humanitas per aliquid etiam distinctum à Deo, id est, per seipsam, & per operationes à se elicitas infinitè dignificatas ex conditione personæ operantis.

67. Tertium argum. Tertium argumentum: Si per impossibile homo peccans fuisset Deus, nulla fuisset condigna, & æqualis satisfactio, nisi aliqua persona diuina satisfecisset. Ergo vt æqualiter satisfieret pro peccatis puri hominis, debuit persona satisfaciens esse plusquam diuina. Quare Christus non potuit pro illis satisfacere condignè. Probatur consequentia, quia offensa à puro homine commissa contra Deum tantò grauior est, quantò est vilior persona offendens, & magis remota à maiestate offensi. Ergo vt pro illa condignè satisfieret, debuit persona satisfaciens esse tantò maior diuina, quantò purus homo est vilior Deo, vt excessum illum compensaret. Confirmatur, quia ad dispares offensas requiritur dispar satisfactio, vt sit æqualis. Et alioqui, si maiestas satisfacientis non excedit maiestatem offensi, non potest sufficere ad excessum, qui aliunde prouenit, quàm ex maiestate offensi, nempe ex vilitate offendentis, qui cùm sit pura creatura, multò grauiùs offendit, quàm si esset paris cum Deo dignitatis. Item si per impossibile Christus ipse peccasset, non potuisset pro seipso satisfacere. Ergo nec pro aliorum peccatis, quæ sunt eò grauiora, quò ipsi sunt Christo viliores. Regis enim in regem offensa minor est, cæteris paribus, quàm vilissimi mancipij in suum regem.

Satisfactio Christi esset condigna pro homine Deo peccante, per impossibile. Respondeo negando primam consequentiam: ad cuius probationem dico, assumptum illud esse verum cæteris paribus. Summa tamen ingratitudo illius personæ diuinæ, quæ per impossibile supponitur peccare, summè aggrauaret illius offensam, & fortè magis, quàm vilitas aggrauet offensam puræ creaturæ. Sed dato quòd offensa puræ creaturæ sit grauior: respondeo, illam disparitatem satis compensari per dignitatem satisfacientis, multò magis influentis in satisfactionem, quàm obiectum influat in offensam, vt superiùs explicatum fuit. Neque propterea est opus satisfacientem esse nobiliorem eo, cui satisfit, & absorbere, ac superare maiestatem offensi, quod in Deo est impossibile: sed sufficit eius actionem multò magis dignificari per maiestatem infinitam satisfacientis, quàm offensa aggrauetur per maiestatem offensi, ex eo quòd satisfaciens aliter concurrat ad satisfactionem, nempe intrinsecè seipsum exercendo, & impendendo in eiusmodi actiones: quàm maiestas offensi ad offensam, ad quam obiectiuè tantùm, & extrinsecè se habet.

Vrgebis, quia aliquæ offensæ Deum ipsum immediatè, & intrinsecè attigerunt, vt peccata crucifigentium Christum. Ergo maiestas offensi tantùm illis attulit grauitatis, quantùm maiestas satisfacientis afferebat dignitatis satisfactioni Christi. Ergo Christus non potuit satisfacere pro grauitate prouenienti illis offensis ex vilitate personæ, quæ grauitas non fuisset, si per impossibile crucifigentes non fuissent puræ creaturæ. 68.

Respondeo 1. Offensas, seu peccata formaliter sumpta, non esse, nisi liberos actus voluntatis, in quibus solis est tota malitia libera imputabilis, vt suppono ex tractatu de actibus humanis. Christus autem erat tantummodo obiectum huiusmodi actuum existentium in voluntate crucifigentium. 2. Licet huiusmodi actus essent ex eo longè grauiores, quòd tenderent efficaciter ad actus externos, quibus Christo vulnera, & dolores inferebantur: multò tamen magis æstimabiles erant actus interni, quibus Christus voluntariè hæc acceptabat, & patiebatur, seipsumque propter Dei gloriam, & hominum salutem tantæ ignominiæ, & afflictioni submittebat; quàm actus mali crucifigentium, quibus hæc Christo inferre volebant, reipsáque inferebant. Adde, quòd Christus ex maximo affectu, & nobilissimo, plenissimaque scientia agebat. De illis autem verè à Christo dictum est Luc 23. v. 34. *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Et 1. Corinth. 2. v. 8. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sed quamuis ex plenissima scientia, intensissimoque affectu id fecissent: adhuc tamen præualeret satisfactio Christi pro tali offensa, siue à pura creatura, siue ab alio fieret, ob rationem ante allatam. Similiter si plebeius regem suum offenderet, etiam in propria ipsius persona; posset alius rex pro eo satisfacere, æquè ac pro seipso, si ipse regem eundem offendisset. Tunc tamen, quia satisfactio finita est, necessarium esset ad æqualitatem, vt se magis impenderet, atque demitteret rex satisfaciens pro offensa plebeii, quàm pro sua, cæteris paribus. Verùm quælibet satisfactio Christi fuit infinita; & sufficiens ad vtramque offensam, si vtraque fuisset possibilis. Et nihilominus Deo placuit satisfactionem Christi maximè humilem esse, Christumque Deum, & hominem non solùm Deo se submittere; sed etiam hominibus, & tradi in manus peccatorum, fierique opprobrium hominum, & abiectionem plebis; humiliari denique vsque ad mortem, mortem autem crucis: vt in illa disproportione seruaretur forma æqualitatis: & per Christi satisfactionem

Erat condigna pro peccatis, crucifigentium, contra ipsam Christi personam commissis.

summum deprimeretur subtus infimum: sicut per peccatum, infimum eleuatur supra summum, inquit Ricard. de S. Vict. lib. de Incarnat. cap. 8.

69. Ad confirmationem Respondeo, satisfactionem Christi non esse æqualem præcisè, & indiuisibiliter pro priori offensa, si daretur ita vt ad maiorem non sufficiat: sed esse superabundantē pro vtraque offensa, quamuis impari. Similiterque si per impossibile Christus peccaret mortaliter, haberet adhuc, vi vnionis hypostaticæ (quæ remanet, vt supponitur, Christo non desinente) vnde posset condignè satisfacere pro suo peccato. Neque propter peccatum foret eius humanitas simpliciter Deo inuisa, aut digna pœna æterna. Quia ratione vnionis hypostaticæ esset multò magis amabilis, quàm odibilis ratione peccati, & vnio illa præualeret peccato, impediretque, ne in Christo sortiretur illos effectus, quos in aliis habet. Neque verum est, quod dicunt aliqui Recentiores, ad satisfactionem condignam requiri, vt subiectum non sit Deo odiosum, non minùs, quàm vt sit liberum: adeóque sicut natura bruta assumpta non posset satisfacere defectu libertatis, ita neque humanitas peccato infecta. Non est, inquam, id verum absolutè loquendo: sed potius sicut inter homines potest vnus alteri condignè satisfacere, licet in priori, quo satisfacit, sit inuisus, & desinat tantùm per satisfactionem esse inuisus: sic, &c. Ratio est, quia satisfactio condigna, ex natura sua, & proprio conceptu intrinseco non dicit amicitiam satisfacientis, sed tantùm æqualitatem operis cum offensa: potest autem esse æqualitas sine amicitia, modò non desint principia sufficientia ad opus æquale. Atqui in Christo esset principium sufficiens ad ponendam æqualitatem non obstante peccato, vt ante ostendimus. Et confirmatur magis hoc exemplo familiari. Si rex vilem fœminam in coniugem assumpsisset; illa per coniugium parem cum marito dignitatē adepta, posset pro aliis, & pro seipsa, tanquā regina, satisfacere regibus ipsis, atque etiam proprio marito, si eum grauiter offenderet. Quamdiu enim manet in regio statu, habet vnde ipsius opera magni æstimentur, tanquam personæ regiæ. Ac sicut per illa satisfacere posset alteri regi à se offenso: ita & marito proprio. Cum hac tamē differentia, quod cæteris paribus maior erga maritum satisfactio requireretur, & maior submissio: sicut peccatum erga ipsum commissum esset maius propter ingratitudinem, & alias circumstantias.

Potuisset Christus pro seipso satisfacere condignè.

70. Quartum argumentum: merita Christi, & satisfactiones erant finitæ entitatis, quippe elicitæ ab humanitate finita. Ergo fuerunt finitæ bonitatis. Ergo illarum bonitas non fuit æqualis malitiæ peccati mortalis, quæ infinita est. Probatur prima consequentia, quia bonitas actus est ipsi intrinseca, & non potest mutari vel augeri, quin ipse mutetur, vel augeatur. Ergo neque esse infinita, quin actus intrinsecè, & secundum se sit infinitus. Item si quælibet satisfactio Christi erat infinita: ergo actus, quo volebat illam efficaciter, erat intrinsecè, & physicè infinitus, quia tendebat efficaciter ad obiectum infinitum, & illi adæquabatur secundum affectum. Sicut ergo qui vellet efficaciter dare infinitam eleemosynam, haberet affectum physicè infinitum: sic, &c. Respondeo, opera Christi physicè spectata, id est, secundum sua essentialia, physica, & intrinseca, fuisse finita: spectata verò moraliter in ratione satisfactionis fuisse infiniti valoris seu æstimationis, ex eo prouenientis, quòd illa opera fierent à persona infinitæ dignitatis, & planè diuina, seipsam impendente libere in obsequium Dei, & humiliationem, ac mortem pro peccatis. Inde enim erat, quòd illa opera, secundum prudens, rectumque iudicium deberent infinitè æstimari. Itaque fundamentum huius æstimationis est opus, siue actus comparatus cum persona diuina, à qua procedit, & propter quam tantopere æstimabilis est: in eoque consistit valor moralis eiusdem actus: sicut libertas, seu moralitas actus humani generatim consistit in actu comparato cum principio liberè eum exercente, à quo moralis, seu liber, & imputabilis denominatur.

Quartum argum.

Merita Christi erant finitæ entitatis, sed infiniti valoris.

In forma igitur, concesso antecedente, distinguo consequens. Fuerunt finitæ bonitatis, physicæ, concedo: moralis, nego. Ad probationem consequentis Respondeo, bonitatem, quæ consistit in tendentia actus ad obiectum, finem, & circumstantias, vt rectam rationem decet, esse actui intrinsecam: sed illam non esse, neque dici moralem, id est, liberam & imputabilem, vel tantæ, aut tantę æstimationis, secundum imputationem, nisi per extrinsecam denominationem à libertate, & conditione operantis: vel vt alii loquuntur per relationem rationis, id est, per comparationem ad principium liberū. Vnde actus physicè idem, & habens eandē tendentiam intrinsecā ad obiectū planè in seipsa inuariatam, potest esse liber, & non liber: potest etiam esse magis, & minùs imputabilis. Ex. gr. idem actus odii potest ex impetu passionis naturaliter erumpere, posteaque liberè continuari, passione deferuescente, & locum dante libertati. Et eadem dilectio Dei elicita liberè à persona nondum iustificata, non habet vim merendi de condigno, secus autem, si à iusto procedat: habet enim plus æstimationis ex eo quòd fiat à filio Dei adoptiuo, & viuo Christi membro.

Ad secundum nego sequelam: quia actus ille tendebat solùm confusè ad obiectum, & effectum infinitum, & finito tantùm modo, id est, affectu sequente cognitionem confusam, & finitam obiecti illius infiniti. Neque enim plus erat in affectu, quàm in cognitione. Cognitio autem humanitatis erat finita, quippe à principio finito elicita. Et affectus, qui solùm confusè & imperfectè versatur circa obiectum infinitum, non propterea illi adæquatur, neque idcirco est physicè infinitus. Alioquin actus, quibus nos ipsi Deum 71.

amamus naturaliter aut supernaturaliter, essent physice infiniti.

SECTIO VIII.

Soluuntur alia quatuor argumenta difficiliora.

72. Quintum argum. QVintum argumentum: Si satisfactio Christi esset infinita ex infinitate personæ, sequeretur inter puros homines plus mereri, cæteris paribus, eum, qui habet plus gratiæ habitualis: quod est absurdum: quia ex eo quòd aliquis sit in gratia, id est, ametur à Deo, non est dignus maiori præmio, cæteris paribus. Sicut miles qui est duci charus, non propterea pari labore plus alio meretur: & dux iniustè facit, si maiorem idcirco mercedem ei dat. Probatur sequela, quoniam ideo dicitur satisfactio Christi, aut meritum esse infinitum, quia crescere debet, crescente dignitate personæ: vnde fit infinitum, si persona sit infinita. Ergo similiter crescente dignitate personæ per maiorem gratiam sanctificantem, crescere debet illius meritum.

Iustior plus meretur, cæteris paribus. Respondeo ita esse, quando conditio personæ operantis talis est, vt secundum prudentem æstimationem, reddat opus magis cōsiderabile in eo genere, in quo consideratur. Status autem iusti, & filij adoptiui laborantis fideliter in obsequium patris, videtur esse iure considerabilis in genere meriti, ad consequendam hæreditatem vitæ æternæ, quæque ad illam pertinent. Status verò solius amicitiæ, si nihil amplius haberet iustus, quàm amari à Deo, sicut miles amatur à duce, valeret quidem in genere impetrationis; cæteris enim paribus, plus valere debet amici preces ad impetrandum, quia in gratiis, & fauoribus conferendis, iure habetur ratio amicitiæ: sed non valeret ad meritum augendum, ad quod conditio amicitiæ solius est impertinens, sed debet solùm attendi dignitas merentis, & valor operis, quo meretur. Iusti autem non tantùm amantur à Deo, sed euehuntur ad statum supernaturalem per habitus infusos, & adoptionem filiorum Dei.

73. Instabis cum Vasque disp. 6. cap. 4. sequi ex nostro responso, plus aliquando mereri hominem magis iustum, opere minimo virtutis, quàm hominem minùs iustum eximio aliquo actu charitatis, & Martirii. Respondeo, vix id contingere, nisi forte in Beata Virgine, & sanctis supra modum eximiis, quorum gratia, & sanctitas, aliorum iustitiam longissimè superauit: alioqui enim, nisi excessus sit quodammodo immensus, valor, quem opus trahit à gratia, non est tantus, vt excedat valorem intrinsecum Martyrii, & similium operum heroicorum. Neque propterea Deus non reddet vnicuique secundum opera sua, quasi plus reddat magis iusto minùs laboranti. Respondeo enim in opere computari valorem, quem habet ex omnibus suis circumstantiis, ex quibus maius, id est, perfectius, & æstimabilius euadit.

Dices, si iustior plus meretur, augmentum cuiusque meriti erit infinitum. Tum quia quælibet pars intensiua gratiæ præcedentis influet aliquid valoris in meritū: sunt autem illæ partes infinitæ. Tum etiam quia iustus eodem instanti, quo meretur, accipit augmentum gratiæ, ac proinde fit iustior. Ergo eius opus est magis meritorium propter illud augmentum gratiæ. Ergo meretur aliud augmentum gratiæ, à quo rursus magis dignificabitur, & plus merebitur, & sic in infinitum. Denique si iustior plus meretur præmii, ob maiorem dignitatem: peccator plus merebitur supplicii, ob maiorem vilitatem. Et sicut ex maiori gratia, & sanctitate præcedenti, crescit valor operis boni: ita ex peccatis præcedentibus, & indignitate peccatoris, crescet demeritum peccati de nouo commissi. At hoc est falsum, & contra praxim omnium tribunalium.

Ad hæc multa respondet vnus è Recentioribus subtilis & eruditus disp. 6. de Incarnat. sect. 2. 3. & 4. quibus prætermissis, quia mihi non planè satisfaciunt: Dico breuiter ad primum, non inde sequi augmentum infinitum, nisi eo modo, quo quidquid augetur, quantumuis exigua sui parte, vel gradu, augetur infinitè secundum partes proportionales in infinitum diuisibiles, iuxta sententiam Aristotelis de compositione continui. Gradus enim nouus, vel pars, quam accipit in augmento, est diuisibilis in infinitum iuxta illam sententiam. Ad secundum dico, meriti valorem non augeri ex eo quod respondet illi mediatè, vel immediatè, per modum præmii, sed ex eo quòd operans confert de suo, quodque mouet præmiantem ad tale præmium eius operi retribuendum: quod non est ipsummet præmium, sed aliquid ipsum antecedens, velut causa moralis. Itaque valor meriti non spectatur ex dignitate in præmio ipso consistente, vel ipsum sequente; sed ex dignitate operantis antecedente ad præmiū. Ad tertium Respondeo differētiam esse. Nam vilitas peccatoris ob peccatum mortale ante commissum, tantùm in eo consistit, quòd peccatum illud maneat moraliter in Dei memoria, in ordine ad iustam, & rationabilem auersionem peccatoris, quódque peccator sit dignus auersione, & odio Dei. At ex eo quòd aliquis sit alteri odiosus, non propterea ipsius opus est minoris, aut maioris valoris in ordine ad iustam mercedem: vel maioris aut minoris demeriti in ordine ad iustum supplicium. Sicut ex eo quòd miles aliquis sit duci charus, non propterea labor ipsius est magis meritorius, cæteris paribus. Ratio est, quia amicitia, & inimicitia non sunt conditiones, siue circumstantiæ, considerabiles in genere iustitiæ, in ordine ad meritum, & retributionem. At iusti constituuntur tales non per solum extrinsecum Dei amorem, aut per solos actus bonos remanentes moraliter in Dei memoria, in ordine ad

74. Neque propterea augmentum meriti est infinitum.

Valor meriti vnde proueniat.

amorem: sed per habitus infusos excellentissimos, & supernaturales, quibus physicè, intrinsecéque ornantur mirabiliter, fiuntque diuinæ consortes naturæ, vt ait Petrus Apost. epist. 2. cap. 1. v. 4. Quare sunt illis similes, quos de plebeiis rex magnates, aut consortes regni faceret, quorum deinceps merita essent multò magis considerabilia ob talem dignitatem personæ operantis.

75. Status peccati non aggrauat peccatum de nouo cōmissum. At, inquies, peccator contrahit similiter habitus turpes, & vitiosos ex actibus peccati relictos, propter quos intrinsecè, & permanenter vilior est apud Deum. Respondeo, hos habitus per accidens se habere ad statum peccati: & ex illis physicè sumptis non magis homines apud Deum vilescere in ordine ad moralem operum æstimationem, quàm ex eo, quòd sint claudi, gibbosi, vel spurii. Vnde etiam manent integri in iustificatis, donec per actus contrarios tollantur, aut desuetudine pereant. Possuntque æquè contrahi per actus non culpabiles, defectu libertatis. Et quando contrahuntur per actus liberos, libertas solùm est in exercendo actu, sed non in productione habitus per actum. Actus enim illum producit vt causa necessaria: vnde huiusmodi habitus non sunt imputabiles, & moraliter odibiles, nisi in causa vt liberè ponente actum, ex quo sequuntur necessariò.

76. Quomodo peccatores sunt filii Diaboli? Vrgebis, quia, sicut iusti sunt filii Dei, ex qua circumstantia, bona eorum opera dignificantur: ita peccatores sunt filii Diaboli, ex qua circumstantia mala eorum opera debent vilificari: æquè enim videtur considerabilis hæc circumstantia operantis. Respondeo, discrimen esse: quia iusti dicuntur filii Dei eò quòd verè adoptentur à Deo, fiantque participes ipsius naturæ, per gratiam sanctificantem, id est, per habitus infusos, & supernaturales, & præcipuè per charitatem, cui inseparabiliter coniuncta est specialis inhabitatio Spiritus sancti, vt suppono ex tractatu de Gratia. Peccatores verò nihil tale accipiunt à Diabolo: sed tantùm dicuntur filii per imitationem eius inobedientiæ, & consortium pœnæ, ipsi & Angelis eius præparatæ, cuius consortii rei fiunt per peccatum mortale. Ad eum modum, quo Gentiles in Christum credentes dicuntur à Paulo ad Rom. 4. v. 11. & 12. & cap. 9. v. 7. & 8. esse filii Abrahæ, quia fidem eius imitantur, suntque participes promissionis ipsi factæ.

Cæterum, quòd maior gratia sanctificans augeat meritum operantis, cōfirmari potest, quia status iusti, & filii, est circūstantia considerabilis in merito, vt supra dixi. Et patet, quia iusti merentur de condigno, non alii, licet eadem opera exerceāt. Cùm autem crescit aliqua circumstantia considerabilis, crescit etiam dignitas operis inde orta. Sicut in humanis, quando nobilitas operantis est circumstantia considerabilis in opere, quò persona est nobilior, opus magis æstimatur, vt si sit Marchio, Dux, Rex, aut Imperator. Deinde sicut in merito congruo circumstantia considerabilis auget eius valorem, quantò ipsa maior est: multóque magis apud homines, & apud Deum valet ad impetrandū oratio personæ, quò magis grata, & amica est, cæteris paribus: ita similiter in merito de condigno.

Sextum argum. Si satisfactio Christi fuit infinitæ bonitatis: ergo tā Deo placuit, quàm sua ipsius essentia: quippe quia infinitè Deo placuit. Inter ea verò quæ placent infinitè, non potest vnum minùs alio placere, quia vnū infinitum non potest excedi ab alio, eo modo quo infinitum est. Respondet Mæratius d. 6. sect. 5. concedendo sequelam, quia, inquit, dignitas operum Christi, ob quam tantopere Deo placebant, includit ipsam diuinitatem, tanquam formam saltem extrinsecā denominantem, & significantē. Erat solùm hæc differentia, quòd diuinitas infinitè placet ratione sui: humanitas verò, & eius opera, ratione diuinitatis. Verùm præterquā quòd modus iste loquendi nō bene sibi cohæret, *includere formam extrinsecè denominantem*: si enim est extrinseca non includitur: Dico nō esse verum, quòd tam Deo placeat Christi satisfactio, quàm sua ipsius diuinitas. Nam diuinitas est melior, excellentior, & amabilior infinitè Christi satisfactione. Quia essentia diuina est simpliciter, & physicè infinitè bona, & perfecta in omni genere entis: satisfactio verò Christi moraliter tantùm, & secundum quid, id est, in aliquo tantùm genere, nempe in genere satisfactionis, & talis, aut talis speciei operis moraliter spectati. Vnde Deus amat suam diuinitatē infinitè magis appretiatiuè, quàm omnes Christi satisfactiones. Amat etiā illam amore essentiali, & absolutè necessario: hanc verò, contingenti, & libero. Nec obest argumentū Mæratii: quia non est verum diuinitatem includi in operibus Christi. Neque enim est ipsamet opera Christi, quæ sūt actus illius liberi, neque in illis includitur, sed solùm ea dignificat per respectum moralem operum ad ipsam, id est, ex eo quòd procedāt à natura humana subsistente in Verbo, & diuinitati vnita, mediante hypostasi Verbi. Non item obest, quòd vtrumque placeat infinitè: quia inter infinitè placentia potest vnum magis placere, & amari, quàm aliud, si non intēsiuè, saltem appretiatiuè. Quia potest vnū infinitū esse excellentius alio. Quare aliter respōdendū est argumēto allato, negādo sequelā antecedētis, propter rationem iam redditam. 77. Sextum argum. Satisfactio Christi nō tam Deo placuit, quàm sua ipsius essentia.

78. Septimum argum. Merebatur, ne, aut satisfaciebat Christus, plus vno actu quàm alio, aut quàm pluribus simul sumptis? Septimum argumentū: Si singula Christi opera bona erant infiniti valoris ad satisfaciendum, aut merendum: Ergo Christus non plus satisfaciebat, aut merebatur per vnum, quàm per aliud: nec per omnia simul, quàm per vnum. Probatur sequela: quia si quodlibet erat infinitū, non poterat excedi ab aliis, nec ab omnibus simul: alioquin ea parte quā excedebatur, finitū erat, & terminatum, nec tendens vltra ad id, ad quod aliud se extendit. Consequens verò manifestè absurdū est: quia sicut vnum opus erat præstantius alio, & vnus labor, aut dolor maior, quàm alius: ita erat magis satisfactorius. Et alioqui nulla esset ratio, cur per passionem, & mortem nos rede-

misset, potiùs, quàm alio quouis opere: cùm tamen nostra redemptio eius morti, & sanguinis effusioni constanter in Scriptura tribuatur. Absurdum etiam est non plus per omnia simul satisfecisse, quàm per vnum. Euidēs enim est totum quodlibet esse maius quauis sui parte: adeoque plus esse satisfactionis in collectione omnium operum satisfactoriorum, quàm in vnico.

Satisfactio Christi potest dupliciter spectari: in actu primo, & secundo.

Respondeo, satisfactionem Christi considerari posse vel quoad valorem, & sufficientiam dumtaxat, quæ consistit in dignitate morali, & æstimabilitate operis satisfactorii: vel quoad effectum satisfaciendi reipsa, ad quem vltra valorem operis requiritur ordinatio Christi ad finem satisfaciendi: vel saltem acceptatio Dei volentis sibi satisfieri per eiusmodi opera, illaque in hunc finem acceptantis. Quæ ordinatio, & acceptatio Deo libera fuit: poterat enim Deus non acceptare Christi opera in satisfactionem pro hominibus, sed ad alios fines. Si secundo modo spectetur satisfactio Christi, neganda est sequela primi argumenti in obiectione propositi.

Ad quid valuit in actu secundo?

Quamuis enim singula Christi opera essent infiniti valoris ad satisfaciendū, & quodlibet sufficeret ad satisfaciendum pro peccatis omnium hominum: non tamen Christus singula seorsim ad hoc sufficere voluit, neque Deus singula acceptauit solitariè ad hunc effectum, sed voluit Christi satisfactionem per passionem, & mortem cōsummari: ita vt præcedentes eius operationes, aut passiones satisfactoriæ tota vita continuatæ, non acquirerent ius integrum ad reconciliationem, nisi accedente morte volūtariè obita pro peccatis hominū. Quod cōuenienter à Deo factum est: tum vt peccatorum grauitas magis nobis appareret, & charitas Dei, & Christi erga nos illustriùs se proderet: tum vt redemptio nostra nobis nō vilesceret, si vnico aliquo Christi opere facili perfecta esset. Tum denique vt delectatio illicita, quæ ab hominibus peccando percipitur, graui Christi dolore compēsaretur. Superbia humilitate, rebellio obedientiā vsque ad mortem, mortem aurē crucis: &, vt ait Ricard. Victor. summum deprimeretur subtus infimum: quia per peccatum infimum se extulerat supra summum.

Lib. de Incarn. c. 8.

79. Fuit in actu primo & per quamlibet Christi actio valoris infiniti simpliciter.

Si autem priori modo consideretur satisfactio Christi, nempe quoad sufficientiā, & valorem moralem operū, quibus pro nobis satisfaciebat, & merebatur reconciliationem nostram, dico singula Christi opera satisfactoria, & meritoria fuisse valoris simpliciter infiniti secundū moralem dignitatem, & æstimabilitatem, quam trahebāt à persona Verbi seipsam totā impēdentis ad satisfaciēdum: vt supponit Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus*: vbi affirmat non esse timendum, ne thesaurus meritorum Christi exhauriatur, cuius vna gutta sanguinis pro redemptione totius humani generis suffecisset. Nimirū quia quælibet est valoris simpliciter infiniti. Alioquin enim quomodo præponderaret tot peccatis hominū mortalibus, quæ in infinitum multiplicari possunt, merēturque pœnam durationę infinitam, si merita Christi essent tantùm infinita secundū quid, cùm quodlibet peccatum mortale sit etiam infinitū secūdum quid: imò & verè infinitum moraliter, dignumque pœna infinitæ durationis, vtpote offensa simpliciter infinita? Et vnde Pontifex certū habere potuit vnam sanguinis guttam sufficere quoad valorem redemptioni omniū peccatorū, nisi ex reuelatione, quòd quęlibet actio Christi meritoria est simpliciter infinitæ dignitatis? Itaq; secundū hāc cōsiderationē fuerunt omnia, & singula Christi opera satisfactoria valoris simpliciter infiniti, & in eo saltem æqualia, quòd essent digna præmio simpliciter infinito: sicut omnia peccata mortalia sunt in eo æqualia, quòd singula sunt digna pœna infinitæ & æternæ durationis. Nihilominus tamen secūdum aliam cōsiderationem, id est, secundū entitatē physicā, seu speciē, & circūstantias intēsionis, durationis, &c. secundū quas finita erāt, habuerūt inæqualitatē: & eatenus vnū fuit alio perfectius in specie, intensione, extēsione obiectiua, duratione, &c. Eatenus etiam vnū fuit alio aptius ad satisfaciendum. Ac denique in multitudine actuum satisfactoriorū plus fuit perfectionis extensiuè saltem, quàm in vnico, vt bene probat argumentum in obiectione propositum.

Sic, vt alibi diximus, peccata mortalia quāuis singula sint moraliter infinita in eo, quòd digna sunt pœnā æternā: secundū tamen alias considerationes, quibus finita sunt, vel in specie, vel in extēsione, vel in intēsione actus, possunt esse inæqualia vel specificè, vel extēsiuè, vel intensiuè: quatenus scilicet vnum vel est in specie deteriori, & magis difformi rectę rationi, vt odiū Dei præ odio proximi: vel obiectiuè magis extēditur, vt furtū mille aureorum præ furto duorū tantùm: aut etiā extensiuè, quoad duratione, quia scilicet magis durat: vel denique actu magis intēso fit, vt odiū proximi summè intēsum præ alio remisso. Illi tamen excessus, sunt quoq; moraliter infiniti, id est, digni pœna infinitæ durationis. Nam pœna intensior, quæ pro excessu peccati mortalis imponitur, æterna erit. Et sicut pœna, quamuis in eo quòd sit æterna, non patiatur excessū, patitur tamen in intēsione in qua finita est: sic peccata mortalia, quāuis omnia, & singula sint infinita moraliter, in eo, quòd sunt digna simpliciter pœnā infinitæ durationis: excedūt se tamē in eo, quòd propter intēsionem, extēsionem, aut speciē actus, alia sunt aliis digniora pœna æterna, & pœna intēsiuè grauiori, quæ secundū intēsionem quoq; æterna sit. Similiter ergo opera Christi meritoria, & satisfactoria, erāt quidē singula moraliter infinita: erāt tamen alia aliis perfectiora in specie, vel extēsione, vel intensione actus, & alia aliis pœnaliora, & humiliora, adeóque aptiora ad satisfaciendū pro peccatis. Qua de causa Deus voluit, & Christus acceptauit, vt redēptio nostra non nisi per mortem eius cōsummaretur, iuxta illud Isaiæ. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam*, &c. Erat autem excess-

80. Peccata mortalia, quamuis moraliter infinita, sunt inæqualia.

sus ille actuum meritorius, & satisfactorius: quia actus se totis erant meritorij, & satisfactorij, ac nō tantùm aliqua sui parte, vel gradu. Vnde vnū Christi opus erat magis meritorium, & satisfactorium, quàm aliud saltem extensiuè.

81. Octauum argum. Octauū argumentum. Si thesaurus satisfactionum, & meritorū Christi est infinitus, & inexhaustus, id est, inexhauribilis, vt ait Clemens VI. Extrauag. *Vnigenitus*: ergo excedit omnipotentiam Dei, quia plus meretur quàm Deus possit retribuere, quod est absurdum, & impossibile. Item etiam meretur omne præmiū possibile: alioquin esset aliquod, quod mereri non posset, & tandem posset exhauriri, & excedi: ac timeri posset ne exhauriretur aliquando, quod tamen Pontifex ait timendum non esse. Ergo si essent duo Christi, quod non est impossibile, & peterēt à Deo contraria, v. g. vnus peteret pro Paulo veniā, alter peteret exerceri erga illum iustitiam, proque eo quisque offerret sua merita: mereretur quilibet eorum exaudiri. At hoc est falsum & impossibile, quia non potest quisquam mereri impossibile. Est autem impossibile vtrumque exaudiri, fierique quod ambo postulant.

Sitne possibile præmiū quod Christus mereri non possit?

Ad primum Respondeo, Christi meritum & satisfactionem spectari posse vel in actu primo, id est, quoad dignitatem, & vim: vel in actu secundo, id est, quoad effectum, & exercitium virtutis. Hoc secundo modo non valet nisi ad ea, ad quæ Christ⁹ ordinauit efficaciter, & Deus acceptauit; nec nisi secundum mensurā ordinationis, & acceptationis. Et hæc omnia De⁹ Christo retulit. Inter quæ sunt aliqui effectus infiniti, vt gloria æterna, & remissio peccatorum; quæ moraliter infinita est, æquè ac ipsa peccata. Tanti enim æstimabilis est remissio debiti, quanti ipsum debitum. Priori modo valet quidem ad infinitè plura, & plura: sed non propterea superat Dei potentiam. Quia sicut potest mereri plus, & plus in infinitum: ita Deus potest retribuere plus, & plus in infinitum. Neque potest mereri in actu primo, seu habere vim ad impossibile. An verò possibile sit aliquod præmiū, quod mereri nō possit, mox dicem⁹.

82. Responsio insufficiēs. Ad secundum respōdet vnus è recētioribus disp. 6. de Incarnat. sect. 1. n. 15. Vtrumq; Christum dignum esse illo præmio, vtrumq; dignum, qui exaudiatur: & cōsequenter quelibet eorum mereri, quòd postulatio alterius non exaudiatur. Neq; enim est inconueniēs, inquit, quòd dentur simul duo merita cōdigna inter se opposita. Nam sicut possunt de facto duo iusti postulare à Deo obiecta cōtraria: Vnus v. g. sanitatem ægroto, alter mortem vt soluatur vinculis carnis; & vterque meretur de congruo exaudiri, & per consequens singuli merentur, quòd alter non exaudiatur: Cur similiter dari non poterūt merita condigna opposita? Imò ita videntur dari de facto quoties electoribus proponūtur duo æquè digni Episcopatu, vel alio beneficio. Tunc enim singuli sunt digni, qui eligantur: & per consequens quilibet meretur non solùm de congruo, sed de condigno, quòd relinquatur aduersarius, & ipse assumatur. Hæc ille. Quæ mihi non probantur. Primò enim, nemo potest mereri impossibile. Nam impossibile nihil est; & meritum non est nihili meritum. Atqui est impossibile, vt vterq; exaudiatur: quia impossibile est vt idem simul fiat, & non fiat: ergo non possunt id mereri. Secundò, si vterque per sua merita meretur exaudiri: ergo meritum vtriusque præualet merito alterius, & vterq; vincit, & vincitur circa vnum, & idem. At hoc est euidēter impossibile & plenum contradictionis. Nam victoria vnius meriti supra aliud in eo consistit, quòd vnum sit æstimabilius altero, & propter ipsum fiat, quod petitur, neq; ab alterius precibus, aut meritis impediatur, sed alterum eius virtuti cedat tanquam potētiori. Est autē euidenter impossibile vtrumque meritum esse æstimabilius altero, & vtrumq; cedere alteri tanquam potentiori, & æstimabiliori. Tertiò, merita vtriusque Christi essent æqualia, quia infinita simpliciter, inquit idem auctor, sect. cit. At quando duæ causæ æquales mutuò se impediunt tota vi, neutra alteri præualet. Ergo in casu proposito neutrius Christi merita alterius meritis præualerent, sed vim suam mutuò suspenderent. Similiterque cùm duo iusti petūt à Deo contraria: si eorum preces sunt æqualis apud Deum valoris, neuter meretur præ alio exaudiri. Et cùm duo æquè digni proponūtur pro Episcopatu, vel alio Beneficio: neuter meretur alteri præferri: sed electori liberum est eligere quem volet è duobus æqualiter dignis. Cùm enim in obiecto non sit ratio prælationis, non potest esse ratio eligendi vnū præ alio ex parte meritorum. Et impossibile est vtrumque mereri præferri alteri. Nam si vn⁹ meretur præferri alteri, alter non debet ipsi præferri: ergo id non meretur. Adde quòd alioqui quidquid fieret, fieret cōtra meritum, & ius alterius, essetque impossibile electori vitare iniustitiam, quidquid faceret.

Non satisfacit etiam quod respondet Ysābert. q. 1. de Incarn. d. 5. a. 9. hypothesim esse impossibilem: Quia (inquit) si darentur duo Christi, haberet quisque voluntatē suam efficacem conformem diuinæ, à qua non posset discordare: ideóque non possent velle efficaciter opposita: & ad illa meritum quisq; suū ordinare. Similiterq; quia non poterat Christus quicquā velle, nisi rationabiliter; nō potuit velle efficaciter incarnationem Verbi, vel omnium personarū diuinarum, cum omnibus, & singulis hominibus, illamque à Deo mereri. Non satisfacit, inquam, quia præsens difficultas non est de merito quoad effectum, id est, quidnam reipsa potuerit Christ⁹ mereri efficaciter, posita eius ordinatione, & Dei acceptatione: sed de merito quoad valorem, & sufficientiam: id est, ad quid valorem sufficientem habuerint Christi merita, quantùm est de se, ita vt illud meruisset, si accessisset ordinatio, & acceptatio diuina:

Alterā responsio inutilis.

Quamuis autem non posset Christus ordinare sua merita ad aliquod præmium repugnãs voluntati efficaci alterius Christi: quæstio integra superest, vtrum meritum Christi habeat valorem sufficientem ad præmium illud obtinendum, ita vt obtineret de condigno, & ex æqualitate, si ad illud ordinaretur. Idemq; dico de infinitis vnionibus hypostaticis.

83. Vera solutio Thesaurus meritorum Christi cur inexhaustus? Aliter ergo respondendum est obiectioni propositæ, nimirum vt thesaurus meritorum Christi dicatur infinitus, & inexhaustus, non esse necessarium ipsum mereri potuisse omne præmium possibile, non obstante quouis impedimento possibili, quod nunquam erit, neq; rationabiliter timeri potest: sed sufficit, quòd valeat ad præmium simpliciter infinitum, & increatũ, propter infinitam maiestatem, & dignitatem personæ diuinæ operãtis, superetque valore, & æstimabilitate omne præmium purè creatum: adeóque valeat, & superabundet ad omnia peccata remittenda, quoad culpam, & pœnam: & ad obtinenda omnia gratiæ beneficia, quæ secundum ordinem rerum constitutum à Deo possunt in æternum communicari creaturis intellectualibus, quas omnes Deus Christo, vt capiti subiecit, quemadmodũ ait Apostolus ad Ephes. 1. v. 21. & sequentibus. Non est autem timendum, ne sit alius Christus: qui si daretur, non esset Christi pedibus subiectus, sicut Paulus affirmat Deum subiecisse omnia sub pedibus Christi. *Ephes. 1. v. 22.* Similiter non est timendum ne thesaurus meritorum Christi exhauriatur per quantamcunque remissionem peccatorum, & infusionem gratiarum. Hæc enim quantumcumque multiplicentur, sunt purè creata, & longè minoris æstimationis, quàm Christi merita, & satisfactiones: quæ sunt infinitæ simpliciter in altissimo genere, siue ordine infinitatis, nempe diuino: ita vt sint condigna præmio increato, & vel ipsam incarnationem alterius mereri potuerint. Incarnatio autem superat infinitè quæcũque dona gratiæ creatæ, seu distributiuè, seu collectiuè sumpta. Non est tamen necesse vt Christus quolibet opere suo potuerit mereri condigne productionem infinitorum Christorum, quorum quilibet esset ipsi æqualis in esse, & in omnibus operationibus, quæ tamen fingantur omnes cum ipsis personis se habere per modum vnius præmii possibilis: & alia id genus imaginabilia. Quãuis Suar. disp. 4. sc. 4. §. *Superest igitur difficultas*, existimet probabilè esse, Christum, etiam quolibet opere meritorio, meruisse omnia præmia possibilia, etiam collectiuè: id est, quodlibet eius opus meritorium valuisse de se ad illa omnia condignè, siue ex æqualitate. Quamuis enim, vt idem rectè notat eadem sect. non sit necessaria æqualitas physica rei ad rem inter meritũ condignum, & mercedem: alioquin Christus per suas operationes non potuisset condignè mereri, ne vnam quidem vnionẽ hypostaticam, quod est falsum, & contra communem sententiam; neque iusti possent mereri condignè, vt Deus velit sibi dare augmentum gratiæ, quia vnio hypostatica, & actus ille Dei sunt physicè nobiliores actibus Christi liberis, & operibus iustorum: sed tantùm requiratur proportio moralis, in eo cõsistens, quòd tale opus prudenter censeatur dignum tali præmio: non video tamen quomodo talis sit proportio æqualitatis inter quodlibet Christi meritũ, & infinitas vniones hypostaticas, atque effectus inde sequutos. Maximè cùm Suarez ibidem fateatur vnicam vnionem hypostaticam esse intensiuè æquale præmium vnico Christi merito: sed ait meritum nihilominus extensiuè latiùs patere, quantùm paterent infiniti actus meritorij, si eos Christus exerceret: quia, inquit, infinitus influxus diuinæ hypostasis dat illi tantam amplitudinem moralem, quantam haberent infiniti actus. Verùm non apparet cur præmium illud non sit extensiuè æquè amplum, ac meritum. Sed potiùs sicut vnica vnio hypostatica non est æqualis extensiuè infinitis vnionibus hypostaticis: neque Verbi hypostasis dat illi tantam amplitudinem: sic influxus moralis hypostasis in vnum Christi meritum non dat illi tantam amplitudinem meritoriam, quantam haberent infiniti actus meritorij eiusdem Christi.

Nec obest, quòd vnumquodque Christi meritũ sit infinitũ simpliciter in genere meriti: nam est tantùm infinitum intensiuè, vt suprà diximus: & non est necesse vt meritum infinitũ simpliciter intensiuè dumtaxat, mereatur omnia præmia possibilia collectiuè: sed sufficit, quòd valeat ad aliquod præmiũ simpliciter infinitum, sibi proportionatum. Atque ita singula Christi merita sunt simpliciter infinita, quia valent condignè ad vnionẽ hypostaticam, quæ est præmium simpliciter infinitum ipsis proportionatum, & eiusdem ordinis, nempe diuini. Multóque magis valent ad omnia bona purè creata, creaturis communicabilia (quæ sunt longè inferiora) propter dignitatem excellentissimè infinitã, communicatam eius meritis ab hypostasi Verbi, atque ab ipsa diuinitate, naturæ humanæ operanti vnitã. Idcóque non potest timeri prudenter, ne per talium bonorum multiplicationem tandem exhauriantur Christi merita. 84.

85. Argumẽ. a contrariæ sententiæ. Obiicit Suarez 1. Potentia infinita simpliciter in agendo, vel mouendo, non solùm potest facere quemcunque perfectissimum effectum in illo ordine: sed etiam potest facere quamcunque effectuum multitudinẽ. Ergo & meritum simpliciter infinitum sufficiẽs est ad quodcunque præmiũ, etiamsi ex plurium collectione consurgat. Comparatur enim meritum ad præmium per modum principii effectiui in suo ordine. Secundò, perfectio huius meriti prouenit præcipuè ex dignitate personæ operantis. Sed hæc dignitas tanta est, vt vel formaliter, vel eminenter contineat quidquid perfectionis est in quolibet præmio possibili, vel præmiorum collectione. Ergo & meritũ tam est perfectum in suo ordine, vt eminenter æquiualeat cuicunque

cunque collectioni præmiorum, etiamsi in infinitum procedatur. Tertiò, potuisset alioquin exhauriri vnum Christi meritum per præmium Incarnationis v. g. Patris æterni: quod est falsum: quia ille actus est diuisibilis in plures gradus: & quilibet gradus est dignus eo præmio: quia infinitè dignificatur à Verbo. Item quia durat aliquo tempore, & quælibet pars durationis, est digna eodem præmio. Item si est actus amoris Dei super omnia, sufficeret actus inferior v. g. temperantiæ. Ergo ille nobilior valet ad plus merendum, quàm Patris Incarnationem. Item sufficeret actus remissior, & remissior in infinitum. Ergo ille intensius ad plus valet. Quartò, si tres personæ diuinæ assumerent eandem humanitatem, & per eam operarentur; actus illius non essent magis meritorij, quàm nunc sint actus Christi: quia tres personæ diuinæ non sunt quid perfectius, aut melius, quàm vna. Vnde non magis actum dignificarent. Ergo è conuerso, plures actus eliciti à Christo, non sunt magis meritorij, quàm vnicus ab eadem persona elicitus. Ergo cum æqualitate possunt quocunque actu obtineri omnia præmia, quæ possunt pluribus. Probatur prima consequentia: quia plus confert ad valorem, & quantitatem huius meriti, dignitas personæ, quàm entitas actus. Ergo si plures personæ adiunctæ eidem actui simpliciter non augent valorem, quem vna sola confert, quia vnaquæque continet formaliter vel eminenter quidquid perfectionis est in omnibus; etiam plures actus procedentes ab eadem persona, simpliciter non augebunt valorem vnius actus ab eadem persona. Multò enim magis continet ipsa persona quidquid ex entitate actus adiûgi potest. Hæc Suares.

Soluitur primum argum. Ad primum Respondeo verum illud esse de potentia infinita simpliciter in agendo, tam extensiuè, quàm intensiuè, & omnimodè illimitata. Secus verò si esset intensiuè solùm infinita. Non enim est necesse, vt valeat ad simul producendos quoscunque effectus possibiles, etiam intensiuè infinitos. Et sicut ignis infinitus valeret quidem ad producendum calorem infinitum, sed non ad producẽdos simul omnes calores possibiles: & si esset tantùm infinitus in longum, posset quidem producere infinitum in longum in aëre viciniori, sed non infinitum secundum latitudinem, & profunditatem: & vltra possent produci alij, & alij calores infiniti in longum in aliis partibus aëris remotioribus. Sic meritum simpliciter infinitum intẽsiuè non debet propterea valere ad omnia præmia possibilia collectiuè, sed tantùm ad ea, ad quæ vim habet proportionatam, & condignam, tam extensiuè, quàm intensiuè.

86. Diluitur secundum. Ad secundum, nego consequentiam. Neque enim dignitas meriti est ipsa dignitas Verbi, aut illi æqualis: sed est moralis effectus hypostasis, & diuinitatis dignificantis opera Christi, quatenus propter illam sunt magis æstimabilia. Neque vt se diuinitas habet ad perfectionem præmiorum omnium possibilium, ita se habet dignitas vnius meriti ad collectionem quorumcunq; præmiorum. Diuinitas enim cum sit primum rerum omnium principium, continet omnia formaliter, vel eminenter. At vnum meritum non continet cætera omnia, & inter illa est inæqualitas perfectionis, vt supra dictum est. Neque diuinitas, extensiuè saltem, tam influit moraliter in vnum Christi meritum, atque in omnia.

Ad tertium, fateor aliquod Christi meritum esse potuisse, quod exhauriretur per præmium Incarnationis Patris, aut Spiritus sancti: quod etiam docet ex parte August. Bernal. disp. 55. de Incarnat. sect. 1. nu. 16. post Albertinum, quem citat, & alios recentiores. Vbi etiam fusiùs id confirmat, & rationes contrarias refutat. Nec obest quod ille actus esset diuisibilis, & durans aliquandiu. Nam vt omittam quærere an sint absolutè possibiles actus spirituales indiuisibiles, æquè ac animæ, vel Angeli; & instantanei, ac sine duratione: intensio, vel duratio non notabilis, sed pene nulla, & moraliter, aut naturaliter ineuitabilis, non auget valorem meriti, qui moraliter expenditur, & non mathematicè secundum partes proportionales in infinitum diuisibiles iuxta Aristotelem. Neque est necesse, aut adeo probabile, quòd quilibet actus possibilis Christi cuiuscunque virtutis, etiam infimæ, & cuiuscunque intensionis, vel durationis, etiam minimæ, ex. gr. vnicus actus solius temperantiæ circa scyphum aquæ, aut vini temperatè bibendum valeret condignè plusquam ad vnicam vnionem hypostaticam Patris, aut Spiritus sancti. Esto, actus virtutum perfectiorum ad aliquid amplius valuerint, & præcipuè actus charitatis. Existimo autem Christum reipsa meruisse semper per actus charitatis erga Deum elicitos, aut imperatos: operabatur enim modo excellentissimo, & ad actus tẽperantiæ, religionis, aliarumq; virtutũ adiũgebat influxum charitatis, sicut hortatur nos operari omnia ex charitate. Respondetur tertio argum.

Ad quartũ respondeo actus illos fore magis meritorios extensiuè, sicut tres personæ sunt extensiuè quid perfectius vnâ, & perfectiùs extensiuè sanctificarent humanitatem, eiusque opera similiter perfectiùs extensiuè dignificarẽt. Quælibet enim hypostasis suâ conferret dignitatem naturæ assumptæ, eiusque operibus, illius dignitatis capacibus. Satisfit quarto argum.

SECTIO IX.

An Christus satisfecerit ex iustitia?

Respondeo Christum satisfecisse ex iustitia verè & propriè dicta. Ita Thomistæ communiter, fauente D. Thoma quæst. 1. artic. 2. ad 2. Suar. disput. 4. sect. 5. Valent. quæst. 1. punct. 5. quæsito 5. Probari solet 87. Christus satisfecit ex iustitia propriè dicta.

primò ex Scriptura, quæ de Christi satisfactione, loquitur sæpius, vt de opere iustitiæ, 1. Corinth. 1. *Empti estis pretio magno.* Et 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso Christi sanguine empti estis.* Apocal. 5. vers. 9. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Emptio autem, & redemptio significant actum iustitiæ: & Scripturæ verba in proprio sensu, quoad fieri potest, accipienda sunt. Sed huic probationi obest, quod, vt alibi notauimus, nomen emptionis, & redemptionis hic metaphoricè accipiendum est. Ad idem probandum adducitur etiam illud Apost. ad Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ.* Sed verba sequentia ostendunt iustitiam ibi sumi pro sanctitate, *vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.* Aptius est illud Psalm. 84. vers. 11. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt,* &c. Quibus verbis fit mentio iustitiæ in redemptione, seu reconciliatione generis humani. Iustitiæ, inquam, specialiter sumptæ, vt distinctæ à misericordia, veritate, seu veracitate, & aliis specialibus Dei virtutibus, seu attributis. Et Psalm. 97. *Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.*

Probatur ex Patribus. Secundò probatur efficaciùs ex Patribus. In concil. Ephes. tom. 6. seu parte 6. cap. 7. refertur homilia Procli Cysiceni de natiuitate, in qua sic ait: *Necessarium erat vt huiusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad amussim iustitiæ exequaret.* S. August. lib. 13. de Trinit. cap. 13. *Non autem Diabolus potentia Dei, sed iustitia superandus fuit.* Et in Enchir. cap. 49. *Vt Diabolus iustitia veritate, non violentia potestatis oppressus, & victus, quoniam ipsum sine vllo peccati merito iniquissimè occiderat, per ipsum,* (Christum) *iustissimè amitteret, quos peccati merito detinebat.* Similia tradunt S. Leo serm. 5. de passione, Cyrill. lib. 1. de fide ad Theodosium cap. *Quod redempti sumus per sanguinem Christi*, Theodoret. Dialogo 2. & alii.

87. Cõditiones requisitæ ad actum iustitiæ. Tertiò probatur ratione. Quia neque alteritas, neque ratio debiti, neque æqualitas, & si quæ alia requiruntur ad iustitiam, desunt Christi satisfactioni. Pro quo nota, Vt aliquid sit opus veræ & perfectæ iustitiæ multa requiri. Primò, vt sit opus vnius ad alterum. Secundò, vt vnus habeat ius, alter debitum speciale, id est, strictum, & rigorosum, quod solet appellari debitum iustitiæ. Tertiò, vt sit opus formalis iustitiæ necesse est vt ab operante fiat ex affectu debiti, & quia pertinet ad ius alterius. Quartò, vt sit opus perfectæ iustitiæ necessarium est vt soluatur æquale, id est, quod & quãtum ius per se postulat ita vt nihil illius desit, aut remittatur. De aliis conditionibus, quas aliqui requirunt, dicemus inferiùs in solutione obiectionum.

Iam quòd satisfactio Christi hæc omnia habeat, patet. Primò, quia Christus fuit alter ab eo, cui satisfecit. Nam satisfecit, vt natura humana constans, per operationes ab ea elicitas, Deo vt natura diuina constanti. Christus autem sic consideratus, distinguitur à Deo realiter. Hypostasis autem Verbi diuini non satisfecit, sed tantùm nobilitauit actiones, quibus Christus, vt natura humana constans, satisfecit. Secundò, Deus verè ius habet vt non offendatur à creaturis, & vt exigat pœnam ab illis, aut satisfactionem, si offendatur. Christus autem, licet per se non teneretur satisfacere, aut pœnam pati, cùm esset innocens; suâ tamen, & Dei voluntate, debitum nostrum suscepit. Tertiò, Christus, qui perfectissimè operabatur, non caruit affectu debiti, & iuris diuini seruandi. Quartò, soluit etiam pœnam æqualem debitæ, & exhibuit satisfactionem, quantam debuissent homines, si præstare potuissent. Quamuis enim si pœna Christi consideretur physicè, nulla proportio sit inter illam, & supplicia damnatorum, quæ tamen pro peccatis iustè debita fuissent: & si considerentur opera Christi secundum multitudinem, excedantur à peccatis contra Deum admissis, vel admittendis: attamen si consideretur Christi dignitas, & maiestas pœna, quam subiuit, existit infinitè grauis ex conditione patientis: ita vt secundum rectam æstimationem plus sit Christũ fuisse passum, quæ passus est, quàm omnes homines fuisse passuros, quæ passuri erant. Itẽ si considerentur Christi actiones per hypostasim diuinam nobilitatæ: satisfactio Christi est immensa, & maior quàm offensæ contra Deum admissæ, vel admittendæ: quia secundum rectam æstimationem plus erat Deum ita coli, adorari, obediri, laudari, & amari; quàm omnium hominum culpis offensum iri.

Nulla ex his defuit satisfactioni Christi.

Aduersus hæc multa opponunt Vasq. d. 7. & 8. Mærat. disp. 7. & Delugo d. 3. & 4. Ac primò contendunt generatim non esse iustitiam propriè dictam inter Deũ, & homines: adeoque nec inter Christum, & Deum. Sed nos contrarium ostendimus, eorumque argumentis respondimus Tom. 1. d. 17. sect. 2. 3. & 4. Et tomo 3. d. 27. sect. 4. breuiter eandem sententiam confirmauimus. Cumq; Scriptura tam frequenter & constanter Deo iustitiam tribuat: debet omnino intelligi in sensu proprio, nisi quid aliud manifestè prohibeat: iuxta communem regulã Scripturam interpretandi, quæ nisi teneatur, nihil ex Scriptura vi verborũ certò haberi potest. At nihil prohibet esse in Deo iustitiã propriè, id est, affectum rectum, & conuenientẽ circa iustum & debitum, vt debitum est: siue loquamur de iis, quæ debentur iuri diuino à creaturis: siue etiam de iis, quæ deben- 88.

Contraria sententia.

tur creaturis à Deo. Plurima enim debentur Deo à creaturis, quæ Deus potest pro iure suo exigere: vt obedientia erga ipsius leges, submissio & cultus maiestatis ipsius, satisfactio vel pœna pro offensis, &c. Deus quoque ea debet creaturis quorum ipse se liberè debitorem constituit. Neque ipsius maiestati repugnat debitum non ex necessitate, sed ex ipsius libera voluntate profectum. Circa quod debitum creaturæ ius habeant, ortum ex Dei promissione libera, alto ac supremo eius dominio semper subiectum, quemadmodum iura particularium circa propria bona subsunt alto dominio Principis, aut reipublicæ, in ordine ad bonum commune. Posito autem quòd creaturæ aliquid debeant Deo, circa quod Deus habeat verũ ius; cõuenit rectæ rationi, vt Deus illud velit & exigat, quia debitum est: non minùs quàm conueniat homines exigere quæ sibi ab aliis debentur. Posito etiam quòd Deus aliquid debeat creaturis ad quod ipsæ habeant verum ius, conueniens est vt Deus velit illi debito satisfacere, etiam propter formalem rationem debiti. Hic autem affectus est affectus iustitiæ strictè & propriè dictæ, vt suppono ex dictis in tract. de iustitia: ergo iustitia propriè dicta non debet Deo negari tanquam illi disconueniens.

89. Debeantne homines Deo satisfactionem pro peccato?

Secundò opponit idem Vasques disput. 7. cap. 4. num. 28. Homines pro peccato in Deum commisso non debebant satisfactionem Deo ex iustitia. Ergo nec Christus pro eis soluens potuit ex iustitia satisfacere. Siquidem Christus idem onus subiuit satisfaciendi Deo, quod homines habebant: neque potest esse maior obligatio fideiussoris, quàm primi debitoris. Probat antecedens, quia obligatio satisfaciendi alteri ex iustitia, proprie oritur ex iustitia violata. Sed homines peccantes peccato superbiæ v. g. vel intemperantiæ, aut alio, non peccarunt propriè contra iustitiam erga Deum, alioqui sequeretur homines in quouis peccato contra duplicem virtutem specialem peccare, ac proinde quodlibet eorum peccatum in duplici specie constitui: alterâ contra temperantiam, aut humilitatem, &c. alterâ contra iustitiam erga Deum, violando ius illius, quod est absurdum. Confirmatur quia, vt idem Vasques ait disput. 2. cap. 3. num. 20. & sequentibus, iniuria propriè, quæ fit contra iustitiam, semper fit in damnum illius cui infertur, siue in bonis pecuniæ, siue in bonis famæ & honoris, siue in bonis etiam vitæ. At creaturæ non possunt Deum lædere in bonis suis, vllumque damnum illi inferre.

Peccata sunt verè Deo iniuriosa.

Respondeo negando primum antecedens. Ad cuius probationem dico peccata superbiæ, & intemperantiæ, & similia, esse contra iustitiam quatenus fiunt contra ius Dei. Quod si fiant sine aduertentia iuris diuini, sunt iniuriæ tantùm materialiter. Sin autem cum aduertentia, id est, scienter & liberè; sunt iniuriæ formaliter, habentque duplicem malitiam: alteram oppositam humilitati, aut temperantiæ, &c. alteram oppositam iustitiæ, quæ reddit vnicuique quod eius iuri debitum est. Quod non modò non esse absurdum, verùm etiam esse de fide putat Lorca disp. 11. de peccatis, & disp. 36. de Gratia. Lorca. Quoniam, inquit, tota Scriptura id significat, & nihil magis est in ore omnium fidelium, omniumque Ecclesiæ Doctorum. Et quidem certissimum est peccata frequentissimè in Scriptura, nomine iustitiæ & iniquitatis appellari.

90. Ad confirmationem respondeo non esse de ratione iniustitiæ vel iniuriæ quòd alter patiatur damnum, vel detrimentum in bonis suis, sed satis esse quòd ius ipsius violetur. Nam omnis violatio iuris est iniuria. Iuris, inquam, resistentis & vigentis. Deinde licet Deus non possit lædi in bonis internis; potest in externis, vt sunt fama, honor, reuerentia, & obedientia debita, quæ possunt Deo subtrahi, vel imminui, per prauas hominum voluntates. Estque planè incredibile quod ait Vasques loco proximè citato, ne illa quidem peccata, quæ directè fiunt in Dei contumeliam & iniuriam, habere propriam rationem iniuriæ & offensæ contra iustitiam. Etenim Deus, non minùs quàm homo, est Dominus suæ famæ, & honoris. Si ergo iniuria fit homini infamando, vel inhonorando directè illum: quomodo non fit Deo? Item, si quis non modò legem Principis violaret, sed etiam verbis contumeliosis illam contemneret, peculiarem & propriè dictam iniuriam in Principem committeret, maximè si eo præsente id faceret, vt Vasques ibidem fatetur. Ergo qui simili modo legem Dei contemneret, iniuriam propriè illi faceret. Item, si Regi iniuriam facit, qui vult & conatur honorem regium alteri communicare: ergo & Deo, qui alium pro Deo colit, aut rationem vltimi finis in eo constituit. Ergo Deus non est absolutè incapax iniuriæ propriè dictæ, respectu creaturæ. Posito autem quòd sit capax, reperitur sufficiens ratio iniuriæ in omnibus aliis peccatis, eo ipso quòd lædunt ius Dei præcipientis, aut prohibentis; nosque subtrahunt, quoad vsum & subiectionẽ actualem, perfectissimo dominio quod Deus in nos habet.

91. An sponsio contulerit aliquid satisfactioni Christi?

Tertiò, opponit Vasques disput. 7. cap. 4. num. 31. Christus non aliter satisfecisset pro hominibus si non spopondisset, quàm satisfecit spondens pro nobis. Atqui si non spopondisset, non satisfecisset ex iustitia, quia non habuisset debitum, sine quo non est iustitia: ergo non satisfecit ex iustitia. Respondet Suares disp. 4. sect. 5. negando minorem: quia ad operandum ex iustitia, non est semper necessarium operari ex debito, & propria & rigorosa obligatione iustitiæ, sed interdum satis est operari ad constituendum proprium ac verum mediũ iustitiæ intuitu ipsius iustitiæ, etiam si absque obligatione fiat. Ratio est quia vt actus sit

proprius alicuius virtutis, satis est vt in obiecto eius reperiatur honestas illius virtutis,& quòd intuitu illius honestatis fiat: Quod totum fieri potest sine obligatione. Vt si aliquis vellet pro aliquo debitum soluere, formaliter intendens ne creditor patiatur iniuriam,& vt debita æqualitas illi seruetur; reuera faceret actum habentem iustitiæ honestatem erga creditorem, & non tantùm charitatis aut misericordiæ erga eum quem debito liberat. Sic ergo Christus licet ipse debitum non haberet, poterat Deo ex iustitia satisfacere pro hominum debito, ex affectu resarciendi iniuriã Deo factã, soluendo quod illi debitum erat. Hæc Suares. Verùm licet affectus iustitiæ possit quidẽ versari circa debitum alienum: fieri tamen nequit vt aliquod opus sit æquè obiectũ iustitiæ respectu operãtis,& æquè soluatur ex iustitia, si liberaliter ab illo soluitur,& nõ ex debito iustitiæ: vt fit ab eo qui sine pacto sponte soluit debitum alienum: qui non soluit ex debito iustitiæ, nisi subeat locum debitoris, per expressam aut tacitam conuentionem. Quare similiter Christus non æquè soluisset ex iustitia, nisi locum hominum peccatorum subiuisset.

Respondetur affirmatiuè. Meliùs ergo responderur negando maiorem. Sicut enim ille qui simpliciter offert aliquid dandum alteri ad aliud recipiendum, non habet eandem vim quam ille qui dat ex conuentione: ita si Christus operatus esset sine conuentione cum Deo de satisfactione exhibenda pro hominibus liberandis, non habuisset eandem rationem, neque eandem conditionem, quam habuit posita conuentione. Non enim habuisset obligationem & debitum illam exhibendi, quod debitum contraxit vi pacti in fauorem hominum initi, neque Deum obligasset ad tollendam offensam intuitu satisfactionis exhibitæ.

92. Quomodo Christus satisfecit pro anteris.

Instabis quia Christus non aliter satisfecit pro iis, qui ante Incarnationem extiterunt, quàm pro iis qui post; sicut illis, æquè ac istis meruit quidquid gratiæ consequuti sunt: & tamen nulla præcesserat sponsio, vel conuentio, quæ esse non poterat antequam Christus esset.

Respondeo fuisse in Dei mente & decreto æterno sponsionem suo tempore cum Christo ineundam, certissimè præuisam, & acceptatam à Deo, qui eius intuitu, per solutionem anticipatam, dedit anteris gratias pro quibus Christus erat suo tempore merita sua oblaturus, velut pro mercede soluta per anticipationem. Et quamuis sponsio reipsa non præcesserit remissionem peccatorum, & collationem gratiarum factam anteris: præcessit tamen opera quibus Christus pro illis satisfecit, & meruit, postquam sponsionem à Deo sibi oblatam acceptauit, seque pro illis debitorem constituit, ad faciendum id omne cuius intuitu fuerat facta solutio per anticipationem. Quare pro illis etiam Christus satisfecit ex iustitia, æquè ac pro posteris, cum hac tantummodo differentia, quòd in prioribus, retributio præcessit tempore merita Christi: in posterioribus, merita Christi præcesserunt retributionem.

Quartò opponit Vasques satisfactionem ex iustitia debere esse ad alterum, quia eiusdem ad seipsum iustitia esse nõ potest, vt docent omnes cum Aristotele 5. Ethic. cap. 1. 2. & 6. Sed Christus non erat alter à Deo cui satisfaciebat. Nam satisfecit præcipuè per hypostasim, & diuinitatem, quæ dignitatem, & valorem infinitum eius operibus communicabat; & satisfecit Deo vt Deo, id est, naturæ diuinæ, & consequenter tribus personis, ratione naturæ communis, cuius mandatum & ius homines violauerant. At hypostasis & diuinitas Verbi non distinguitur realiter à natura diuina. 93. Satisfactio Christi quomodo fuit ad alterum?

Respondeo Christum satisfecisse per naturam humanam, vt principium liberum operationum quibus satisfaciebat, quæ natura distinguitur realiter à Deo, cui satisfaciebat: sufficereque ad iustitiam vt sit ad alterum in natura, quamuis non in supposito, id est, ex parte hypostasis, quæ non satisfecit, quia ad extra nihil agit (satisfactio autem est operatio satisfacientis) sed tantùm mortuo modo, & non libero, dignificauit operationes naturæ humanæ per modum causæ formalis extrinsecæ, aut circumstantiæ moraliter considerabilis in actibus naturæ ipsi vnitæ. Confirmatur responsum, quia non minùs religio & obedientia sunt ad alterum, quàm iustitia. Sed Christus vt homo exercuit veros actus religionis, & obedientiæ erga Deum: ergo, &c. Item si per impossibile Christus peccasset per blasphemiam, verè Deum offendisset iniuriosè, agendo contra ipsius ius. Inter quos autem potest esse iniuria, potest esse iustitia. Item si duæ naturæ creatæ essent vnitæ eidem supposito,& altera alteram mutilaret, ageret iniustè. Ergo ad iustè vel iniustè agendum sufficit diuersitas naturarum, quarum est ius, & quarum est agere iustè vel iniustè.

Instat Vasques ibidem, iustitiam debere esse ad alterum in bonis, siquidem neque inter supposita distincta vera ratio ad alterum reperitur, quando bona sunt communia ei, cui satisfactio exhibetur. Ideoque Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 6. ait inter patrem, & filium nondum emancipatum, iustitiam esse non posse, quia filius non emancipatus est aliquid patris, non ratione tantùm seminis decisi, nam id quoque conuenit emancipato; sed quia quidquid est filii, est patris; vnde in bonis non sunt alter & alter. Atqui in bonis diuinitatis & humanitatis non fuit distinctio secundum valorem: quia talis valor erat Dei, cui satisfactio exhibebatur. Eodem pertinet quod ait Delugo disput. 4. num. 7. iustitiam requirere distinctionem dominiorum non subordinatorum, & alioqui non esse sufficienter ad alterum. 94. Fueritne ad alterum etiam in bonis? Aristot. De Lugo.

Respondeo valorem illum operum huma-

nitatis fuisse donatum humanitati in vnione hypostatica, quæ est radix huius valoris. De bonis autem sibi datis potest vnus alteri satisfacere. Neque ille valor in re ipsa aliud est, quàm ipsæ Christi operationes magis æstimabiles, eò quòd sint à natura Verbo vnita. Illæ autem operationes erant bona Christi propria: ad Deum verò tantùm pertinebant secundum ius altum: & dominium supremum atque vniuersale quod habet in omnes creaturas, quod non obest iustitiæ, & alteritati ad eam requisitæ: sicut inter Regem & subditos est vera iustitia, non obstante dominio alto Regis circa eadem bona. Quare non est verum, quod ait auctor postremò citatus, requiri distinctionem dominiorum non subordinatorum. Aristoteles verò intelligendus est de filio non emancipato, quoad ea bona circa quæ non est quasi emancipatus, quia non sunt facta ipsius iuris per donationem, aut laborem militarem, officium, aut beneficium &c. vt sunt ea quæ vocantur bona castrensia. Nam quoad ista potest esse iustitia & iniustitia inter patrem & filium. Quoad alia verò quæ sunt ipsius patris, non est iustitia ipsius circa sua. Filius tamen circa eadem potest esse iniuriosus: peccat enim vero peccato furti contra iustitiam, teneturque restituere si possit, quando inuito patri pecuniam surripit, aut quid aliud. Idemque verum est de seruo respectu Domini.

95. Quomodo satisfecit Christus pro iniuriis sibi factis.

Dices offensas aliquas fuisse factas ipsimet Christi humanitati, vt peccata crucifigentium, pro quibus satisfacere non potuit nisi idem secundum naturam sibimetipsi satisfecerit. Respondeo Christum pro illis ipsis offensis Deo satisfecisse prout erant eius iniuriæ, & ad eum pertinebant: vt autem pertinebant specialiter ad humanitatem, non fuit opus vt pro illis satisfaceret, sed vt eas liberaliter condonaret. Sicut etiam non satisfecit pro peccatis, vt sunt offensæ & iniuriæ inter homines: vt Ioanni Baptistæ, pro homicidio Herodis: Paulo, pro Iudæorum vexationibus iniustis: huic aut illi, pro latrocinio circa eius bona commisso: sed ipsi debent alii aliis condonare, vel satisfactionem aut pœnam iustè possunt exigere. Ideoque Rei non minùs suspenduntur post confessionem, & reconciliationem cum Deo, ac si non essent Deo reconciliati: quia Dei condonatio circa offensam prout ad se pertinet, reliquit ius hominum integrum circa eandem offensam vt ad ipsos pertinentem. Reliqua à Vasque opposita disput. 8. & 9. pertinent ad sectionem sequentem de iustitia rigorosa.

His autem omnibus addi potest Christum subeuntem locum hominum peccatorum, non satisfecisse ex iustitia præcisè ob peccatum; si satisfactio, quam exhibuit, non debebatur ex iustitia vi peccati præcisè. Atqui non debebatur: quia fuit tanta, vt meritum peccati excederet infinitè. Non tenemur autem satisfacere per bona ordinis superioris, pro bonis ordinis inferioris: vt satisfacere pro læsione in bonis fortunæ, per dispendium honoris & vitæ.

Satisfactio Christi debebatur ex iustitia.

Respondeo negando maiorem. Quamuis enim non deberetur ex iustitia tanta præcisè, sed excesserit meritum peccati: debebatur tamen satisfactio personæ diuinæ: neque poterat peccati meritum adæquari per minorem satisfactionem, quàm personæ alicuius diuinæ. Satisfactio autem, quamuis excedens, debetur ex iustitia, si non potest satisfieri sine excessu, & si excessus ille non est tam considerabilis, quàm ius offensi, quod reparari debet, vt diximus in tractat. de iustitia. Adeo vt interdum etiam opus sit satisfacere per bona ordinis superioris, pro valde graui offensa facta in bonis ordinis inferioris.

96. Christus satisfecit ex iustitia commutatiua.

Concludo itaque Christum satisfecisse Deo ex vera & propria iustitia, eaque commutatiua, in qua tantum pro tanto redditur ad seruandum ius priuatum seu particulare personarum: tantum scilicet bonum, quantum fuit malum illatum, aut bonum ablatum. Ex qua etiam virtute Deus peccata punit, quando malum pro malo rependit ad læsionem sui iuris reparandam. Nam iustitia vindicatiua est pars commutatiuæ, vt suo loco ostendimus. Ex eademque compensat bona iustorum merita præmio conuenienti in mercedem proposito, & sub conditione onerosa promisso, do vt facias, &, facio vt des.

Suaris opinio non esse in Deo iustitiam commutatiuam, refellitur.

Non enim verum puto quod ait Suares disp. 4. sectione 5. §. *Omnium igitur*: in Deo non esse iustitiam commutatiuam, sed hæc omnia præstare ex iustitia distributiua. Etenim Deus in his omnibus non habet rationem iuris cuiusdam fundati in titulo communitatis, propter quem eius membra debent illius bonis, aut malis, id est, oneribus participare secundum proportionem geometricam; quod est officium iustitiæ distributiuæ: sed seruat ius particulare, siue creaturarum, reddendo illis quantum merentur, seruata proportione arithmetica: siue etiam ius suum, exigendo satisfactionem, vel pœnam, pro offensa debita iuri suo læso resarciendo. Vnde meritò S. Thom. 2. 2. q. 61. art. 4. ad 1. sic ait: *Forma diuini iudicii, attenditur secundum rationem commutatiuæ iustitiæ, prout scilicet recompensat præmiis merita, & suppliciis peccata.* S. Thom.

97. Argumentis Suaris respondetur.

Neque valent argumenta quibus ad id asserendum motus est Suares. Nam licet Deus non teneretur acceptare satisfactionẽ Christi, nisi ad summum ex promissione: promissio tamen inducit obligationem iustitiæ cõmutatiuæ, si fiat ex animo dandi ius ad rem: præsertim si fiat sub cõditione onerosa, quamuis onus quod exigitur posset alio titulo exigi à promittente. Sufficit enim quòd nõ velit alio titulo solùm exigere, sed istũ etiam adiũgat. Dixi, *si fiat ex animo dãdi ius*: quia si promittẽs simpliciter, & liberaliter, velit tãtũ se obligare ex fidelitate, aut ex veracitate: pendet hoc ab eius arbitrio. Neq; magis dedecet Deum

obligatio iustitiæ commutatiuæ orta solum ex libera ipsius voluntate, quàm obligatio fidelitatis aut veracitatis orta ex hypothesi quod simpliciter aliquid promiserit. Neque enim propterea Deus subiicitur iuri & dominio creaturæ: neque ius eius amplissimum & supremum minuitur aut ligatur indecenti vinculo: sed tantùm Deus ex summa rectitudine suæ naturæ, quæ non potest nisi rectè & conuenienter omnia agere, tenetur facere id quod iustū est, & ex libera sua promissione debitum creaturæ: cuius tamen omne ius non desinit contineri sub altissimo, & vniuersalissimo iure Dei, qui, si opus esset, posset super eo dispensare, aut ei derogare: vt principes possunt derogare iuribus subditorum propter bonum commune. Quamdiu tamen non derogatur, valet ius creaturæ; neque potest ei Deus irrationabiliter derogare, quia non potest agere irrationabiliter. Quoniam verò totum hoc debitum in Deo oritur ex libera eius promissione, eiusque obligatio non subest vllius creaturæ coactioni, sed viget tātùm ex naturali necessitate rectitudinis diuinæ naturæ, quæ nihil iniustum, aut indecens agere potest: Idcirco D. Thom. & sancti Patres dicunt, interdum Deum non creaturis, sed sibi ipsi potiùs debere & obligari.

SECTIO X.

An Christus satisfecerit ex rigore iustitiæ?

98. Christus satisfecit ex rigore iustitię quoad æqualitatē sed non ex omni alio capite.

RESpondeo, Christum satisfecisse ex rigore iustitiæ quoad æqualitatem inter offensam, & satisfactionem quam exhibuit; sed non ex omni alio capite: aliqua enim gratia facta est non modò peccatori, sed etiam ipsi Christo satisfacienti, quatenus saltem ipsius opera fuerunt gratis à Deo acceptata in satisfactionem, cùm tamen posset Deus aliis titulis solis & sufficientibus ea exigere.

Prior huius responsi pars patet ex dictis de condignitate: ostendimus enim Christi satisfactionem fuisse tantam, quanta fuit offensa: imò maiorem & superabundantem. Quòd si Dei acceptatio fuit necessaria: id non fuit ad valorem eius supplendum, quasi de se inæqualis & minoris: sed vt reipsa sortiretur effectum. Sicut in emptione, & venditione, acceptatio iusti pretij necessaria est, non ad supplendum illius valorem, supponitur enim esse iustum, id est, tantum, quanti res valet, & quidem in rigore, si est summum pretium, id est, quanti res maximè vendi potest: sed requiritur solùm ad contractum perficiendum, qui pendet à libera voluntate vendentis.

Posterior pars eiusdem responsi, quæ plus habet difficultatis, probabitur examinando quinque conditiones, quæ ad iustitiam omni ex parte rigorosam requiri solent. Quas omnes Christi satisfactioni defuisse contendunt aliqui recentiores cum Vasque disp. 8. & 9. sed illis non assentior; defuit enim solùm tertia conditio, & quinta ex parte, vt patebit ex sequentibus.

Vasquez.

99. Prima cōditio requisita ad satisfaciēdum ex rigore iustitiæ, vt fiat satisfactio ex bonis propriis.

Prima conditio est, vt satisfactio quæ fit propriè & ex rigore iustitiæ, fiat ex bonis propriis debitoris, & non ex gratis acceptis à creditore ipso. Quam conditionem necessariam censent Capreolus, Caietanus, & alii quos citat & sequitur Vasq. disp. 8. cap. 1. Ratio eiusdem Vasquis est, quia inquit, si aliquis non esset soluendo, & ipse creditor misericordia motus ei, aut alteri pro eo, donaret copiam argenti, ex qua integrè pro se aut pro alio soluere posset: talis solutio aut satisfactio non esset ex rigore iustitiæ, sed potiùs haberet rationem gratuitæ condonationis. Perinde enim est, atque eiusdem æstimationis apud homines, creditorem remittere totum debitum suo debitori, & ex suis bonis dare illi aut alteri pro eo, quantùm opus est vt debitum persoluatur: eò quòd vtrumque æqualis est commoditatis debitori, sicut etiam æqualis est damni creditoris ac proinde vtrumque æqualis misericordiæ & liberalitatis opus erga debitorem censetur.

Videtur illa cōditio defuisse Christo.

Sic igitur argumentor: Christus satisfecit non quatenus Deus, sed quatenus homo. Atqui ex propriis bonis humanitatis non potuit satisfacere, sed ex donis solùm gratis acceptis à diuinitate, cui, tanquam creditori hac in causa, exhibebat pro nobis satisfactionem: ergo Christus non potuit perfectè & ex rigore iustitiæ satisfacere.

100. Explicatio quorundam eiusque refutatio.

Huic argumento non possunt aptè respondere quicumq; docent Christum fuisse decretum primò vt redemptorem, neque fuisse venturum Adamo non peccante. Nam quod ait Suares disp. 4. sect. 6. §. *Verùm conditio illa*, sufficere, si solutio non fiat ex eadem omnino re, sed ex aliis acquisitis labore & industria debitoris: Quia iam debitor aliquid de suo habet vnde debitum soluit. Vt si quis centum Petro debeat, & ab illo accipiat decem quibus negotiari possit & lucrari quidquid necessarium est ad soluendum prius debitum, atque etiam illa decem; erit, inquit, perfecta iustitia: quia nec totum debitum, nec pars eius, neque formaliter, neque virtute, fuit gratis remissum, sed solùm antecessisse videtur quædam mutuatio, quæ non repugnat perfectioni, id est, rigori iustitiæ, si postea compensetur. Hoc, inquam, non satisfacit argumento proposito. Quia Christus nihil habuit, vel lucrari potuit, vnde æqualiter satisfaceret, seclusa vnione hypostatica, & influxu eius morali dignificante ipsius opera. Quare semper satisfecit per ipsummet bonum sibi donatum à Deo, cui tanquam creditori satisfaciebat.

101. Vera explicatio quomodo illa cōditio nō defuerit Christo.

Iuxta contrariam verò sententiam, quam sequent. disputatione tuebimur, responderi potest, gratiam vel liberalitatem creditoris non obesse rigori iustitiæ, nisi gratia hæc vel liberalitas formaliter, aut virtualiter, detur ad hunc finem, vt alius possit satisfacere. Alioqui enim si donatio & solutio sunt planè disiunctæ, non solùm tempore, sed etiam habitudine, quia videlicet vna non

ordinatur ad aliam; tunc non includunt, ne quidem virtualiter, moralem debiti remissionem; nec vna officit alteri, quia in illam non influit. Atque ita Petrus, verbi gratiâ, qui debet centum Paulo, & ab eodem prædium absolutè donatum accepit; potest ex eodem vendito, vel ex ipsius fructibus satisfacere Paulo in rigore iustitiæ, reddendo quidquid debet. Sic ergo Christus cuius humanitati absolutè donata est vnio hypostatica ex primaria intentione diuina, sine respectu ad satisfactionem pro peccatis, potuit ex eiusdem fructibus, id est, ex operib' suis ab illa nobilitatis, satisfacere Deo in rigore iustitiæ, reddẽdo quidquid offensa merebatur. Quare cõditio prædicta nõ obfuit rigori iustitiæ satisfactionis Christi.

102. Instabis, quia Christus satisfecit per actus liberos, quos gratis accepit à Deo dãte auxilium congruum & efficax eo fine vt satisfaceret, atque etiam eo solo fine fuit passibilis & mortalis vt morte sua satisfaceret. Ergo satisfecit per aliquid sibi donatum à creditore eo fine vt satisfaceret. Quin etiam, quia omnes actus, quibus satisfecit, erant supernaturales, fuerunt specialiter à Deo, imò & totaliter secundum moralem æstimationem. Perinde enim æstimatur dare auxilium congruum & efficax, ex præscientia, & affectu absoluto, vt sit efficax; ac dare ipsum actum. Deus autem cum Christo sic se gerebat, quidquid sit de aliis iustis.

Respondeo, huiusmodi actus, seu potiùs auxilium & concursum ad illos, non fuisse gratis donatum Christo, sed ex debito connaturali vnionis hypostaticæ, vi cuius ei debebatur, quidquid ad decentem eius statum, & operandi modum pertinebat. Esse autem mortalem & passibilem non f it donum gratuitum, sed naturalis conditio naturæ assumptæ. An vero Deus efficaciter prædefiniuerit actus liberos Christi, dicemus alibi. Adhuc tamẽ Christus aliquid de suo cõferret liberè cõcurrendo, quod propter dignitatem vnionis hypostaticæ est infinitè æstimabile.

Aliter huic difficultati respondent aliqui recentiores, sufficere ad rigorem iustitiæ vt exigatur quidquid exigi potest à debitore. Sed hæc responsio non placet: quia si propter debitoris impotentiam non potest exigi satisfactio æqualis offensæ; non est condigna & rigorosa satisfactio, quantam scilicet per se loquendo meretur talis offensa. Sicut solutio non est perfecta, & rigorosa, quæ non est æqualis: quamuis propter impotentiam debitoris non possit amplius ab eo exigi.

103. Secunda conditio est, vt satisfactio in rigore iustitiæ fiat ex bonis quæ non sint sub dominio physico & morali ipsius creditoris. Alioqui manet inæqualitas, nec plus habet quàm ante, ille cui satisfit, si satisfactio illi fiat de suo. Hanc conditionem Vasques disp. 8. cap. 4. contendit defuisse satisfactioni Christi: eo quòd omnia Christi opera erant Dei, magis quàm ipsius Christi. Deus enim multò magis Dominus est bonorum operum

Secunda conditio satisfactionis ex rigore iustitiæ, vt non fiat de bonis quæ sint in dominio creditor

humanitatis Christi, quàm humanitas ipsa, aut Christus secundum humanitatem.

Respondeo cum Suare disp. 4. sect. 6. differentiam esse inter satisfactionem, & restitutionem. Restitutio enim versatur in rebus datis & acceptis, quia per eam reparatur damnum illatum alteri in bonis suis: vnde in ea multùm pendet æqualitas ex dominio quod restituens habet, vel in alterum transferre potest. At satisfactio versatur in actionibus, & non consistit in translatione dominii alicuius rei, sed in hoc solùm quòd tãtum submissionis & honoris impendatur, quantum iniuriæ illatum fuit. Ad quod sufficit dominiũ peculiare quod quisq; habet in actus suos liberos, quatenus eos elicit ex potestate ad vtrumlibet, ac per illos se liberè impẽdit, submittitque offenso. Et quamuis omnes Christi actus liberi essent sub dominio Dei: erant tamen etiam sub peculiari dominio Christi, quatenus ab illo vt Domino suæ libertatis eliciebantur. Sicut enim peculiari ratione procedebant ab humanitate per libertatem propriam illius, & liberi illi erant quatenus ab illa prodibant: sic etiam Christi humanitas peculiare dominium in illos habebat, ratione cuius, ex illis, & per illos, poterat Deo satisfacere ex rigore iustitiæ: Non quidem transferendo in Deum peculiare illud dominium, quod transferri non potest, alioquin oportuisset actus illos à Deo ipso vitaliter elici, vt eliciuntur ab humanitate: sed per illos Deo se submittendo, & tantum honoris exhibendo, quanta fuerat offensa illata. Atque ita satisfactio Christi optimè respondit offensæ. Nam actus peccati: quatenus est res aliqua, est similiter sub dominio Dei. Quatenus verò est à creatura liberè contra debitum, & ex dominio libertatis ipsius: cedit in iniuriam Dei. Sic ergo satisfactio Christi, licet secundum suam entitatem esset sub dominio Dei, cuius sunt omnia creata: quatenus t men liberè procedebat ex peculiari dominio Christi in suos actus liberos, valebat ad satisfaciendum Deo. Quod autem Vasques in contrarium obiicit, omnem satisfactionem ex iustitia esse restitutionem, fuit alibi refutatum.

Non defuit Christo illa conditio.

Dici etiam potest, quòd humanitas Christi poneret actus suos sub dominio Dei, quatenus illos liberè ponebat in esse, ac proinde in dominio actuali Dei, cùm antea essent tantùm in potentia.

Tertia conditio est, satisfactionem iustitiæ rigorosæ debere fieri ex bonis non debitis alio titulo ipsi creditori, vel quæ non possint exigi alio titulo. Alioqui enim creditor facit gratiam debitori, si sit contentus ea satisfactione, quam poterat totam alio titulo exigere. Hanc conditionem, vt necessariam, ponunt S. Thomas, Scotus, Richardus, Ioan. Medina, & alii quos refert & sequitur Vasques disp. 8. cap. 6. Videtur autem defuisse satisfactioni Christi. Nam omnia Christi opera erant Deo debita, vel saltem poterant ab eo exigi alio titulo, putà gratitudinis, obe- 104.

Tertia conditio, vt satisfactio fiat ex non debitis alio titulo.

Videtur defuisse Christi satisfactioni.

dientiæ, religionis &c. imò Christus non poterat cōdignas gratias agere pro beneficiis à Deo acceptis, quidquid ipsius causâ faceret.

Responsio Suaris non sufficit.

Respondet Suares sect. citata dupliciter. 1. Sufficere si fiat ex non debitis alio titulo iustitiæ: quòd autem sint debita alio titulo obedientiæ, gratitudinis, aut misericordiæ, non minuere perfectionem iustitiæ, quia sunt debita diuersi generis. 2. Id adhuc intelligendū esse de satisfactione finita. Nam infinita sufficit ad explendos quoscumque titulos. Verùm distinctione vtendum potiùs arbitror. Vel enim illi diuersi tituli cadunt super diuersa debita: vt si quis titulo emptionis debeat centum, & titulo mutui, vel gratitudinis, aut voti, debeat alia centum. Vel cadunt super vnum & idem debitum, cuius formalem tantùm obligationem augent: vt si quis vouerit, aut iurauerit, se redditurum alteri centum quos illi debebat: aut si quis à Petro acceperit pecuniam, vt Romam eat pro negotiis suis conficiendis, & simul etiam accipiat à Paulo pro eodem itinere ad sua negotia curanda: simulque possit vtraque gerere. In primo casu non potest quisquam satisfacere ex debitis alio titulo, seu iustitiæ, seu alio quouis. Quia si aliquid debetur omnino alio titulo: qui conuertit illud in satisfactionem alterius, derogat alteri obligationi sufficienti, quam habet ad soluendum illud: atque eidem obligationi, & debito naturali quod habet, surripitur, & subtrahit illud, cuius ex tali obligatione debitor est: ac denique nihil pro illa obligatione soluit. Hoc autem est illicitum, & per se turpe. Estque hæc doctrina vera, etiam tunc cùm satisfactio est infinita: nam si tota quanta est, & secundum suam totam infinitatem debeatur pro vno debito; non valet ad explendum aliud debitum, pro quo creditor nihil acciperet, ac proinde maneret inæqualitas ea ex parte. In secundo autem casu potest quis satisfacere ex re debita duplici titulo, etiam iustitiæ; vt patet in exemplo allato. Ratio est, quia illi tituli non multiplicant debitum, neque rem diuersam exigunt. Quare per vnam & eandem omnibus satisfit. Christus autem licet haberet à Deo præceptum moriendi, & offerendi seipsum in sacrificiū, deberetque mori ex obedientia, & religione: Hoc tamen ipsum præcipiebatur, & exigebatur in satisfactionem. Quare illi tituli non cadebant in debitum diuersum, vt non posset eadem actione omnibus illis satisfieri.

105. Addo quamuis habuerit Christus præceptum moriendi, & debitum alia multa præstandi: non tamen omnes illius actus fuisse debitos ex iustitia, vel ex honestate, & quouis alio titulo: sed habuisse liberam omnino potestatem iuris ad multa: quemadmodum homines, & Angeli, licet à Deo habeant quidquid habent, & quidquid sunt, æquè ac Christus: nihilominus non debent simpliciter quidquid possunt, sed habent liberam potestatem iuris ad multa, ita vt nullo modo peccent, si non agunt multa quæ possunt agere, quæque bona & honesta quidem sunt, sed consilii tantùm, & supererogationis. Vt patet ex 1. Corinth. 7. v. 25. & sequentibus, & ex sensu Ecclesiæ omniumque Catholicorum distinguentium opera bona, in opera præcepti, & in opera consilii, ac supererogationis. Quæ autem talia sunt, non cadunt sub obligationem, ne quidem honestatis. Alioqui non essent consilii tantùm, sed præcepti: essetque illicitum & turpe illa prætermittere, quod tamen est contra Apostolum loco citato. Quare falsum est debuisse Christum alio titulo opera omnia, quibus Deo satisfecit. Multa enim huiusmodi opera supererogationis Deo exhibuit.

Probatur argumento efficaci defuisse hanc conditionem

His tamen non obstantibus manet adhuc vis integra argumenti propositi: quia Christus, quamuis reipsa non debuerit, potuit tamen ea omnia debere solo alio titulo, etiam iustitiæ. Poterat enim Deus ab illo exigere vt moreretur solo titulo religionis, ad protestandum supremum eius dominium vitæ & mortis: vel in gratiarum actionem eorum quæ à Deo acceperat: vel in testimonium obedientiæ, sicut Deus ab Abrahamo exegit sacrificium filii. Et similiter alia omnia, quæ fecit Christus, poterant præcipi à Deo & exigi in gratitudidinem, obedientiam, submissionem iustam strictéque debitam. Ergo quòd ea non exegerit, & satisfactioni locum reliquerit, gratiæ fuit: ac proinde talis satisfactio non fuit ex rigore iustitiæ, quia fuit ex bonis quæ poterant exigi solo alio titulo, etiam iustitiæ: & Deus cessit iure suo, non exigendo.

Cōceditur defuisse aliquatenus.

Respondeo verum id esse, atque omnino fatendum satisfactionem Christi defecisse ex isto capite à summo rigore iustitiæ. Qui tamen defectus eò minor fuit, quòd reipsa Christi opera non erant debita solo alio titulo: & illa cessio, seu potiùs non-vsus iuris diuini, non fuit facta specialiter eo fine vt satisfactioni locus relinqueretur; sed ex benignitate generali quam Deus seruat cum omnibus creaturis intellectualibus, non exigendo quidquid ab illis potest honestè fieri, neque omnibus titulis quibus posset exigere.

Obiectio diluitur. 106.

Dices: quidni potuit Christus operibus quomodocunq; debitis satisfacere rigorosè? Si enim nos possumus per opera aliunde præcepta & debita mereri: quidni & satisfacere? cum in satisfactione non sit opus transferre dominium rei alicuius, sed submittere se offenso.

Respondeo 1. Merita nostra, & satisfactiones, non esse ex rigore iustiæ, sed habere plurimū liberalitatis & misericordiæ. 2. Euidens esse quòd submissio debita, seorsim, & integrè, alio titulo, non sufficiat ad satisfaciendum rigorosè pro re alia: vt si v. g. debeatur tota pro vna offensa, non sufficiat ad satisfaciendum simul pro alia.

Altera instantia.

Instabis cum Delugo disp. 4. n. 29. non obesse rigori iustitiæ quòd tale opus possit exigi alio titulo, modò reipsa non exigatur. sicut si pepigi cum Petro vt scribat mihi

quotquot libros ab eo petiero: si ille vnum è manuscriptis mihi suffuretur, satisfaciet ex rigore alium similem scribendo, quem ab ipso non petiero, quamuis petere possem, & exigere illum alio titulo.

Respondeo negari non posse quin etiam tum gratia fiat, cùm aliquis contentus est ea solutione, quam alio titulo poterat exigere, & ea non obstante pœnam sumere de fure, aut aliquid nullatenus debitum postulare.

107. Quarta conditio est, vt satisfactio sit ad alterum, non modo in natura, sed & in bonis quibus satisfit. Quam conditionem necessariam esse iustitiæ rigorosæ, & satisfactioni Christi defuisse contendit Vasques disp. 7. cap. 7. Sed de illa sufficiunt quæ diximus sectione præcedenti, in obiectione. 4. Vbi Vasquis argumentis respondimus. Eius autem loco substitui potest alia quam assignat Delugo disp. 4. num. 8. vt scilicet fiat satisfactio ab ipso debitore personaliter, non ab alio. Ratio est, quia illa satisfactio non est ex perfecto rigore iustitiæ, quæ non explet omne debitum, tam quoad substantiam, quàm quoad circumstantias: eget enim gratia, & fauore, in eo quod non explet. At satisfactio, quæ fit per alium, non explet omne debitum. Nam satisfactio respicit offensam, & fit per submissionem & exhibitionem honoris pro offensa. Honor autem est testificatio meæ opinionis de excellentia aliena. Quæ testificatio non potest supleri per alium; quia testificatio opinionis alienæ, non est testificatio meæ. Et tamen debetur ipsa in indiuiduo. Quare sicut non explet omne debitum restituendi, tam quoad substantiam, quàm quoad circumstantias, ille qui pro equo alieno ablato reddit pecuniam æquiualentem, aut superabundantem; quia debet ipsum equum extantem in indiuiduo: sic non expletur debitum totum satisfaciendi, nisi offesor satisfaciat per seipsũ immediatè, vel mediatè, id est, per alim ex suo mãdato, quod moraliter idem est. Hæc autem conditio defuit Christi satisfactioni, quia peccator nõ satisfecit per seipsum, sed Christus pro ipso. Verum de hac conditione quid sentiendum sit patebit ex sequẽti, in illam enim coincidit ex parte, eodemque nititur fundamento.

Vasquez.

Quarta conditio, vt satisfactio sit ad alterum: & fiat ab ipso debitore.

108. Quinta conditio est, inquit Vasques disp. 9. sect. 1. post Medinam, & alios quos citat, perfectam satisfactionem ex rigore iustitiæ talem esse debere, vt creditor non possit iure eam non acceptare, sed contentus manere debeat saltem negatiuè, id est, non possit iustè satisfactionem aliam exigere, & debitum necessariò extinguatur. Ratio est, quia alioqui gratiam facit si acceptat, & minuitur iustitiæ rigor. Item quia satisfactio ex perfecto rigore iustitiæ, explet omne debitum, tam quoad substantiam, quàm quoad circumstantias. Si autem explet omne debitum, non potest amplius exigi, quia iustitia non exigit nisi quod debitum est, & quia debitum est. Item hoc ipso tollitur planè inæqualitas & iniuria, debitumque satisfaciendi extinguitur. Debiti enim solutio est illius extinctio. Atqui Deus poterat iure non acceptare satisfactionem Christi. Nulla enim necessitas eum cogere poterat, vt propter Christi satisfactionem peccatoribus reconciliaretur, & eos non puniret personaliter vt peccata ipsorum merebantur. Item poterat, vt supra diximus, omnia Christi opera solis aliis titulis sufficientibus exigere, vel acceptare.

Quinta conditio, vt non possit non acceptari.

Probatur Christo defuisse.

Respondeo Deum quidem citra pactum potuisse non acceptare satisfactionem Christi, vt bene probat obiectio: hoc tamen pactum non derogare perfectæ & rigorosæ iustitiæ satisfactionis, respectu satisfacientis, quia non fuit necessarium ad augendum valorem & dignitatem satisfactionis, sed tantùm ad contractum iustitiæ mutuo consensu celebrandum. Perfecta autem & rigorosa iustitia non postulat vt vnus possit alium cogere ad contrahendum: sed tantùm vt in contractu, quamuis mutuo consensu liberè inito, seruetur perfectè æqualitas. Neque desinit pretium v. g. esse iustum in rigore, licet egeat acceptatione, & consensu venditoris, sine quo emptio non potest perfici. Nego igitur Maiorem obiectionis sumptam vniuersaliter. Ad cuius primam probationem dico acceptationem satisfactionis de se condignæ, & æquiualentis, non esse gratiam factam satisfacienti, impedientem rigorem iustitiæ erga illum: sed esse tantùm applicatiuam rei in actu primo potentis, & de se sufficientis ad satisfaciendum ex perfecta iustitia. Sicut acceptatio pretii iusti, & sufficientis, non est gratia impediens perfectionem & rigorem iustitiæ in emptione & venditione, sed est applicatio rei ad illam sufficientis. Ad secundam respondeo satisfactionem ex perfecto rigore iustitiæ explere quidẽ omne debitum, si applicetur: secus verò non explere, nec tollere inæqualitatem, quia non operatur, defectu acceptationis, vt conditionis necessariæ.

Id tamen non obest rigori iustitiæ.

Dices cum Vasque supra, discrimen esse inter emptionem & vẽditionem, contractusque similes, & inter satisfactionem: quòd ad illos quidem requiratur cõsensus mutuus, qui non impedit perfectionem & rigorem iustitiæ: debet enim vterque contrahentium liberè dare & accipere, nec vllum habet debitum ante liberum consensum. At in satisfactione non requiritur consensus eius cui satisfit, sicut iniuria ei illata est sine ipsius consensu, debitumque satisfaciendi contractum est sine consensu offendentis, ex natura ipsa offensæ: sed si inæqualitas per injuriam illata perfectè resarciatur, hoc ipso desinit iniuria, neque potest ab offenso retineri. Atqui oblata æquali satisfactione explente omne debitum, tollitur omnino inæqualitas: ergo &c. Confirmatur exemplo ejus qui detraxit famæ alterius, & postea honorem illi restituit. Talis enim restitutio non potest ab eo non acceptari: quia explet & tollit omne 109.

Obiectio.

Confirmatur.

debitum restituendi famam, quam læsit. Et qui ex contractu debet alteri centum, totidemque exhibet; hoc ipso debitum extinguit, nec potest creditor aliud exigere.

In restitutione non requiritur acceptatio, secus in satisfactione.

Respondeo differentiam esse inter restitutionem, & satisfactionem: quòd restitutio, saltem si fiat eiusdem rei, quæ fuit ablata, aut in specie & numero debita, non requirit consensum eius cui restituitur. Eo enim ipso dãnum perfectè reparatur, siue vt dici vulgò solet, inæqualitas tollitur. At in satisfactione, quæ non est damni reparatio, sed submissio pro offensa, sæpe liberum est offenso eligere genus satisfactionis, aut etiam illam licet sufficientem repudiare, & pro satisfactione pœnam condignam exigere. Maximè verò id locum habet, quando vnius pœna, vel satisfactio, acceptatur pro alio. Quod si inter ipsos homines est locus liberæ acceptationi satisfactionis condignæ: multò magis Deum inter, & Christum pro hominibus satisfacientem. Quia ius Dei est magis liberum, & independens, quàm sit vllum ius hominum. Exemplum huius electionis inter homines est: si quis Principem offendit, eique offerat submissionem & obsequia æquiualentia: non tenetur Princeps acceptare, sed potest eum punire corporaliter.

110. Instantia tripartita.

Instabis, quia manet adhuc difficultas, cur requiratur potiùs consensus in satisfactione, quàm in restitutione? & quomodo satisfactio quæ explet omne debitum satisfaciendi, tam quoad substantiam, quàm quoad omnes circumstantias, non extinguat debitum satisfaciendi ex natura sua: sicut restitutio explens omne debitum restituendi, extinguit idem debitum? Omnis enim debiti solutio plena, & perfecta omni ex parte, est illius extinctio. Neque valet exemplum allatum. Ideo enim potest repudiari alia satisfactio, quia pœna corporalis est in specie debita per leges, quæ non potest offensoris arbitrio mutari. Quare sicut non perfectè restituit qui reddit pecuniam pro equo, quem debet in indiuiduo: sic &c. Ratio est quia non explet debitum quoad circumstantiam.

Satisfit primę parti instantiæ.

Ad primam partem instantiæ respondeo rationem cur satisfactio requirat consensum, potiùs quàm restitutio, esse quia satisfactio propriè sumpta, vt distinguitur à restitutione, respicit inhonorationem personæ, eiusque reparationem per submissionem, aut pœnam quæ in honorem illius redundet, & tantum illi afferat honoris, quantus fuit contemptus, vel inhonoratio. Pertinet autem sæpissime ad honorem personæ, vt eligere possit hanc aut illam satisfactionem, aut pœnam loco illius: neque propterea gratiam facit cùm hanc præ alia æquali eligit & acceptat, sed iure suo vtitur; & nihilominus rigidè agit cum satisfaciente, si ęqualem prorsus exigit summæ satisfactioni, quam poterat exigere. At restitutio respicit damnum in rebus illatum per ablationem boni, aut illationem mali, restituendo bonum quod ablatum est, aut refundendo bonum æquale malo illato, vt tollatur inæqualitas iniuriæ. Ad hoc autem impertinens est quòd vnum præ alio eligatur, sufficitque reponere rem eandem in statu, in quo antea erat. Aut si id non est necessarium, vt interdum non est: sufficit reddere aliquid æquiualens bono ablato, vel malo illato. Dices si offensus habet ius eligendi satisfactionem, idque pertinet ad eius honorem reparandum: ergo satisfactio quæ illi offertur non est perfectè rigorosa: quia non explet omne debitum, nimirum non explet debitum respondens illi iuri ampliori. Nam ius ad multa, non expletur per vnum. Respondeo ius ad multa diuisim tantùm, id est, ad hoc aut illud, expleri per vnum, cum eligitur seu acceptatur: & aptum esse expleri omnino per illud vnum, antequam acceptetur, quamquam expletio in actu secundo non fiat sine acceptatione, & electione istius, præ alio.

Ad secundam partem instantiæ respondeo satisfactionem quæ eget acceptatione non explere debitum, nisi acceptetur, & applicetur ad actum secundum, id est, ad vsum satisfaciendi, ab eo, à quo pendet acceptatio. Sola enim voluntas & applicatio satisfacientis non sufficit. 111. Ad secundam.

Ad tertiam, dico locum esse acceptationi liberæ satisfactionis, non solùm quando Princeps pro pœna lege imposita aliquid aliud acceptat, & tanquam Princeps, in lege quodammodo dispensat, quam alioqui poterat iubere seruari, si vellet: sed etiam in aliis in quibus nulla pœna, vel satisfactio determinata, est lege præscripta. Nempe quandocumque ad dignitatem & honorem offensi reparandum id pertinet. Atque ita pater, coniux, herus, magister, potest non acceptare aliquod obsequium æquiualens offensæ à filio, sponsa, famulo, & discipulo, vt pœnam exigat: quia mauult cum ratione malè ei esse, à quo malè affectus est, & ita illum in ordinem redigere, suumque in eo ius exercere. Quod euidens est posse illos rationabiliter facere, saltem si aliunde compensent talia obsequia. Ad tertiam.

Dixi acceptationem non minuere rigorem respectu satisfacientis; non autem simpliciter, aut respectu offensoris: quia secus dicendum est quando satisfactio alterius pro illo acceptatur, qualis fuit satisfactio Christi pro peccatoribus, quæ licet fuerit perfectè rigorosa ex hoc capite, de quo nunc disputamus, respectu Christi satisfacientis: secus tamen respectu peccatoris pro quo satisfecit. Nam illa satisfactio in qua necessariò remittitur aliquid debitori, fitque illi fauor & gratia circa debitum, non est perfectè rigorosa respectu debitoris. At in Christi satisfactione fieri debuit necessariò gratia homini, qui erat debitor. Gratia enim fuit quòd Christi passio & satisfactio acceptaretur, vt eum à pœna, & à satisfactione propria liberaret. Sed erga Christum rigor seruatus est: quia nihil debiti fuit illi remissum: & non fit gratia satisfacienti, quando tantum soluit, quã- 112. Acceptatio Dei non minuit rigorem satisfactionis ex parte Christi.

tum debetur: licet intuitu illius gratia fiat debitori: & non modò aliquid debiti, sed totum planè debitum ei remittatur propter satisfacientem, qui exhibet opus condignum tali gratia, & remissione, debitori facta.

113. Imò, inquies, etiam ipsi Christo gratia facta est, quando in caput, & mediatorem redemptionis fuit à Deo constitutus, aut acceptatus. Poterat enim Deus non acceptare, aut non constituere, neque ad id vllo ex capite tenebatur. Quare hoc fuit beneficium Dei gratuitum, etiam respectu Christi. Ac sicut fit Christo gratia, & minuitur rigor iustitiæ, in eo quòd Deus acceptauit in satisfactionē opera, quæ poterat alio titulo solo exigere: sic minuitur quādo gratis dedit Christo esse mediatorem redemptionis, voluitque vt eius opera nobis prodessent ad satisfactionē, quæ poterat alio solo titulo acceptare.

Soluitur obiectio. Respondeo non esse gratiam seu fauorem, sed potiùs esse onus, imponere alicui obligationem satisfaciendi pro alio, ad soluendum rigidè quidquid debet, explendumque omne debitum formaliter, aut æquiualenter, etiam quoad circumstantiam personæ, quæ licet formaliter non possit expleri per alium, quia alius non potest esse ipsemet reus: potest tamen expleri æquiualenter, reddendo aliquid æquale gratiæ quæ reo fit in eo quòd satisfactio alterius pro illo acceptatur. Quare Christo facta non est gratia in eo quòd Deus ipsi imposuit onus satisfaciēdi pro peccatoribus, aut quòd ipse tale onus acceptarit. Tametsi facta est magna gratia eius humanitati, quādo illi data est vnio hypostatica, per quam fuit sufficiens ad condignè satisfaciendum. Atque etiam Christo ipsi gratia facta est, cùm Deus acceptauit in satisfactionem eius operationes, quas poterat aliis solis titulis exigere, vt in tertia conditione exposuimus.

Dices, fieri gratiam satisfacienti pro alio quando eius interest vt pro illo satisfaciat, idque in illius commodum cedit: vt si, v. g. filii interest pro patre satisfacere. Cessit autem in Christi gloriam quòd pro hominibus satisfecerit, iuxta illud Philipp. 2. v. 6. *Propter quod & Deus exaltauit illum* &c. Et Isaiæ 53. v. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam* &c. 114. Instantia repellitur.

Respondeo id se habere per accidens ad satisfactionem, vt satisfactio est, id est, subitio pœnæ, vel exhibitio submissionis ab alio debitæ. 2. Dico id non minuere rigorem iustitiæ respectu satisfacientis: quia nihil propterea debiti actualis aut possibilis illi remittitur, ex eo solo quòd gloria, vel aliud commodum, satisfactionem eius sequatur. Non fit, inquam illi gratia minuens rigorem solutionis & satisfactionis, quia commodum illud non computatur in solutionem, & ad illam impertinenter se habet.

Instabis, quia sicut Deus liberè acceptauit Christi satisfactiones, ita potuit plures exigere: v. g. vt 60. annos viueret in pluribus laboribus & doloribus, quàm vixit. Ergo fecit illi gratiam, & remisit aliquod debitum, quando fuit contentus illis satisfactionibus quas re ipsa acceptauit, & non plures exegit. 115. Alia instantia.
Respondeo potuisse plures exigere, non ex debito iustitiæ, sed ex supremo dominio, ex quo solo poterat ea omnia exigere quæ Christus fecit. Vnde non est in hoc alia gratia, quàm ea de qua diximus in tertia cōditione. Ex iustitia verò sola non potest exigi nisi æquale per se loquendo: & interdum, per accidens, id sine quo non potest haberi æquale, magis considerabile, quàm sit ille excessus, vt dixi in tract. de iustitia. Electio verò huius aut illius æqualis præ alio, non est gratia, vt suprà monuimus.

DISPVTATIO TERTIA,

De motiuo Incarnationis. An Incarnatio fuerit facta tantùm ad redimendum genus humanum: vel ita vt Christus non venisset, si homo non peccasset?



DE motiuo Incarnationis disputat S. Thom. qu. 1. art. 3. & 4. Docetque primò, Tametsi potuit non existente peccato Deus incarnari: magis tamen assentiendum esse illorum sententiæ qui dicunt incarnationem non fuisse futuram, si homo non peccasset. Ea enim quæ ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Scriptura traduntur, per quam diuina voluntas nobis innotescit. In Scriptura verò vbique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur. Secundò, Quamuis Christus venerit ad omnia peccata hominum delenda, & pro illis omnibus pretium sufficiens exhibuerit: principaliùs tamen venisse ad tollendum originale, quàm actuale peccatum. Illud enim, per quod totum genus humanum inficitur, maius est; non intensiuè quidem (quia peccatum actuale plus habet de ratione voluntarii) sed extensiuè, quolibet peccato actuali, quod est proprium singularis personæ. Et bonum gentis diuinius & eminentius est, quàm bonum vnius: vt dicitur 1. Ethic. cap. 2. Hæc D. Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus fusius explicabitur.

SECTIO I.

Præsupponuntur quædam circa modum quo Deus Incarnationem decernere potuit.

1. *Deus potuit multis de causis decernere incarnationem.*

SVppono primò, Deum potuisse multis de causis Incarnationem velle & decernere. Nam præter seipsum & gloriam suam, quæ est finis primus in intentione omnium operum diuinorum, iuxta illud Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*: multa alia potuerunt esse motiua Deo extrinseca, & ex parte ipsius obiecti, de quibus motiuis hoc loco disputamus. Potuit enim Deus velle Incarnationem, 1. Propter intrinsecam & absolutam ipsius bonitatem & amabilitatem, quâ superat cætera omnia à Deo creata. Est enim Christus per seipsum amabilior omnibus aliis creaturis, etiam Angelis & hominibus simul sumptis, siue in esse gratiæ, siue in esse gloriæ consideratis. 2. Propter aliud, puta, ad suam bonitatem, sapientiam, potentiam, & alias perfectiones manifestandas, quæ multò magis elucent in hoc opere, quàm in omnibus aliis: ad decus Vniuersi, quod summè nobilitatur, cùm in aliqua sui parte ad fastigium diuinitatis euehitur: ad bonum speciale creaturarum intellectualium, vt haberent caput, regem, pastorem, sponsum, mediatorem gratiæ & gloriæ, exemplar sanctitatis, atque etiam redemptorem supposito peccato: ac denique propter alias rationes quæ possunt facilè cogitanti occurrere.

2. *Voluntas potest multipliciter tendere in varia motiua.*

Suppono secundò, cùm multæ rationes expetibilitatis occurunt in vno & eodem obiecto, posse volũtatem pro sua libertate diuersimodè circa illas se habere. Potest enim vel vnam tantùm, vel plures simul expetere. Et rursus potest plures simul expetere, vel per modum vnius causæ totalis, ita vt earum nulla seorsim sufficienter moueat voluntatem ad bonum illud prosequendum. Vel secundò, ita vt vna quidem sufficiat, sed aliæ non sine illa. Vel tertiò, ita vt singulæ sufficiant, sintque tot causæ totales, quot rationes: & quælibet seorsim ac se sola sufficienter moueat, moueretque licet aliæ deessent, aut mouere desinerent. Quòd enim voluntas possit moueri simul à pluribus motiuis totalibus, patet experientia. Nam potest quis moueri vt eat in forum, & aliquid emendi causâ, & amici visendi gratiâ: ita tamen vt iret nihilominus, licet alterutra ex his causis deesset. Item potest Romam petere vt curiam Romanam videat, & vt opimum aliquod beneficium consequatur: ita tamen vt alterum ex his motiuis ei sufficiat. Ratio est, quia cùm multæ sint obiecti rationes quæ singulæ sufficiunt vt obiectum expetatur, eæque simul cognoscantur ab intellectu, & proponantur voluntati: potest voluntas simul in illas secundum vim cuiusque tẽdere. Cùm autem quis simul eodem actu

actu aliquid expetit propter plura motiua totalia, ille actus est virtualiter multiplex: quia multis æquiualet, quibus voluntas tenderet efficaciter in obiectum propter singula motiua. Et licet motiua sint inæqualia in perfectione,& amabilitate,potest nihilominus vnumquodque mouere sufficienter, & independenter ab alio, tum simul, tum seorsim,ac fine aliis. Potest enim voluntas pro sua libertate, relicto motiuo nobiliori, tendere ad id,quod ignobilius est, sed sufficiens tamen. Item, in tali modo volendi aliquid propter plura motiua totalia, affectus efficax, & re, aut ratione distinctus, circa vnum motiuum, est independens ab affectu circa aliud; ita vt quamuis illud abesset, voluntas tamen tenderet efficaciter in obiectum, quod vult; quamuis non actu tam extenso,seu amplo formaliter, aut virtualiter, atque cùm plura motiua totalia complectitur.

3. Inter actus diuinos est distinctio virtualis, & subordinatio.

Suppono tertiò,ex dictis 1.part.disp.14. sect.6.quamuis Deus vnico actu simplicissimo, qui est ipsamet eius substantia, omnia intelligat,& velit:illum tamen esse virtualiter multiplicem, propter æquiualentiam ad actus creaturarum, tam intellectus, quàm voluntatis realiter diuersos inter se: ita vt propter hanc amplitudinem virtualem possit à nobis inadæquatè concipi, & per conceptum in plures distingui. Ac sicut inter illos est virtualis distinctio, ita etiam est interdum virtualis subordinatio, quatenus æquiualent pluribus actibus distinctis creaturarum,quorum vnus alium præsupponit: vel quatenus sunt similes actibus creaturarum tendentibus in plura obiecta, cum aliquo ordine in modo tendendi. Quanquàm tunc potiùs est ordo ex parte obiectorum, quàm ex parte actuum, vt alibi diximus, si actus tendit indiuisibiliter re & ratione in vtrumque obiectum,vt connexum.

4. Ordo prioritatis inter actus diu. est duplex.

Est autem duplex generaliter ordo prioritatis inter actus diuinos. Vnus est ordo necessitatis,siue ex parte subiecti: secundum quem vnus magis exigitur à subiecto,& maiori necessitate illi conuenit: vel à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Quo pacto actus essentiales intelligendi, & volendi circa Deum,& possibilia, sunt priores actibus non necessariis, seu contingentibus, & liberis circa res creatas: & scientia media rei futuræ sub conditione, est prior scientiâ visionis eiusdem rei, quia est prior subsistendi consequentia: Sequitur enim quòd, si Deus sciat Petrum ex. gr. negaturum esse Christum, ancilla eum interrogante; sciat, quòd si Petrum ancilla interroget, Christum negabit. Sed non sequitur, quòd si Deus sciat conditionatè Petrum conuersum iri ad pœnitentiam, si tali modo praueniatur: sciat etiam absolutè, quòd reipsa praeuenietur, & conuertetur. Fieri enim potest, vt non ponatur talis conditio: quo in casu stabit scientia conditionata talis obiecti, fine scientia absoluta eiusdem. Alter est ordo causalitatis, seu virtualis dependentiæ vnius ab alio, per æquiualentiam, & correspondentiam ad actus distinctos creaturarum, habentes talem subordinationem. Et hic iterum triplex est. Primus est inter actus ipsos intellectus adinuicem comparatos. Nam quando Deus cognoscit vnum propter aliud, cognitio istius est prior, id est, priùs tendit in hoc obiectum, quàm in illud: quia istud est illi causa, seu medium, & ratio cognoscendi. Sicque cognitio essentiæ diuinæ per seipsam, & possibilium per essentiam, priùs tendit in essentiam diuinam, quàm in possibilia. Secundus est inter actus ipsos voluntatis adinuicem collatos. Nam similiter quando Deus vult vnum propter aliud, voluntas priùs tendit in istud, quàm in aliud: quia istud est alteri motiuum, & causa seu ratio volendi. Sicque intentio finis v.g. est prior virtualiter electione mediorum quæ propter ipsum appetuntur: vt volitio prouehendi homines ad gloriam, est prior electione horum, & illorum mediorum, per quæ Deus statuit nos ad illam promouere. Tertius est inter actus intellectus, & voluntatis permixtim comparatos: quando scilicet inter illos est virtualis dependentia, & præsuppositio. Sic cognitio proponens diuinæ voluntati obiectum, in quod tendit, est prior virtualiter actu, quo voluntas in illud idem tendit: quippe quæ non fertur in incognitum, sed requirit cognitionem, vt conditionem necessariam ad volendum. Et scientia visionis est prior actu voluntatis, quo statuit aliquid ex aliquo præuiso. Ex. gr. quia Deus non statuit damnare, & punire in æternum, nisi præuiso peccato, & malo statu finali, id est, quia præuidit; præuisio peccati est virtualiter prior voluntate damnandi & puniendi. Et si non statuit efficaciter saluare nisi ex præuisis operibus, aut bono statu finali: hæc præuisio est prior efficaci voluntate saluandi. Et si non decreuit incarnationem, nisi præuiso peccato Adami, eius præuisio est prior tali decreto.

5. Ordo causalitatis inter actus diu. vnde sumatur? Nô sumitur ab ordine rerum.

Ab hac virtuali præsuppositione, & dependentia debet sumi generaliter ordo causalitatis inter actus diuinos: ita vt vnus alio prior sit, prout hic illi præsupponitur, & virtualiter ab illo pendet. Non autem, vt perperam existimauit Caiet. qu. 1. art. 3. ab ordine rerum ipsarum intellectarum, aut volitarum à Deo: ita vt ordo naturæ præsupponatur generaliter in Dei cognitione, vel intentione, ordini gratiæ: & ordo gratiæ, ordini vnionis hypostaticæ: vel ea, quæ sunt priora à parte rei, sint etiam priora in Dei cognitione, & voluntate: Nam Deus, qui liberè vult, quæcunque vult efficaciter extra se, vult sæpe causas propter effectus; vt propter Christum, eius progenitores: & naturalia, propter supernaturalia; vt reddere alicui sanitatem, aut prolem dare, propter preces sanctorum: potuit etiam velle ordinem hypostaticum propter ordinem gratiæ, id est,

velle incarnationem propter hominum salutem; atque reipsa voluit prima, vel secunda intentione.

Neque ex proportione ad finē.

Neque etiam, vt vult Scot. in 3. dist. 19. quæst. vnica, sumendus est generaliter ille ordo ex proportione rerum ad finem, quasi Deus priùs vnumquodque velit, prout illud eius gloriæ magis proportionatum est, magisque ad illam potest per se conducere. Nam diuina voluntas, quæ libera est in volendo bona creata propter suam gloriam, potest ex illis eligere, quæ vult, & velle minus, relicto maiori, aut priùs tendere in id, quod minùs est proportionatum suæ gloriæ, & propter illud expetere aliud magis proportionatum. Sicque non repugnat, Deum voluisse suam gloriam per hominum salutem: & hominum salutem per redemptionem; & redemptionem per incarnationem Verbi, quæ fuerit medium vltimò electum, id est, propter alia, & dependenter ab illis: quamuis incarnatio sit medium de se propinquius, & magis proportionatum gloriæ Dei, quàm salus hominum, & redemptio, quia multò magis facit ad Dei gloriam: Planeque Deo liberum fuit sic ordinare decretum incarnationis, vt multi probabiliter censent reipsa ordinasse. Potuit etiam è contrario, vt alii malunt, intendere primò Christum ad suam gloriam, & propter Christum velle Angelos, & homines creare, & beatificare: præuisoque istorum lapsu, velle per Christum eos redimere. Quæ controuersia non potest ex sola proportione eiusmodi rerum ad finem decidi, sed reuelatione Dei significantis per Scripturam, aut traditionem, quid priùs, vel posteriùs intenderit.

6. Neque ex cōnexione rerum per se, vel ex intentione hominum.

Neque etiam, vt volunt Gab. Vasq. 1. p. disput. 82. cap. 5. & 6. & aliqui recentiores eum secuti, debet ille ordo generaliter sumi ex connexione, & ordine rerum, quem habent obiecta inter se, vel ex natura rei, vel ex intentione hominum operantium. Quia, vt diximus loco supra citato, Deus antecedenti voluntate potest multa subordinare, & reipsa subordinauit ante omnium creaturarum intellectualium ordinationem, quæ alioqui non habebāt ordinem inter se, id est, non exigebant à parte rei, vt vnum fieret à Deo propter aliud. Quid enim exigebat v. g. vt Deus primum hominem in gratia, & sanctitate supernaturali crearet, & caput omnium posterorum constitueret ad illam eis communicandam originaliter, si Deo paruisset? Quid etiam exigebat, vt antecedenti voluntate gloriam omnibus Angelis, & hominibus desideraret, & præpararet media sufficientia, quæ reipsa præparauit? Cúmque homines, & Angeli, possint, pro sua libertate, subordinare aliqua respectu suæ voluntatis, quæ neque in seipsis, neque per aliorum voluntatem, habent talem subordinationem: Deus, qui multò magis liber est ad omnia, quæ extra se vult, potest similiter aliqua subordinare, quæ neque ex natura sua, neque per hominum, aut Angelorum voluntatem, habent subordinationem: neque enim pendet in liberè volendo, à voluntate Angelorum & hominum: neque eius voluntas alligatur necessariò ordini rerum naturalium: quasi non possit v. gr. velle causam propter effectum: sicut reipsa propter Christum voluit Beatam Virginem, eiusque alios progenitores.

Singulariter autem notandum est circa huiusmodi subordinationem actuum diuinorum, & prioritatem causalitatis virtualis, nō esse in illo priori rationis, quo vnus actus præsupponitur alteri, id secundum quod non præsupponitur illi, & sine quo, per mentem abstracto, stat ille actus, qui dicitur esse alteri virtualiter præuius. Sic v. g. quia intentio finis abstrahit ab his, aut illis mediis determinatè, quorum nullum in particulari necessarium est: electio, & determinatio vnius medii præ alio, est posterior intentione finis: ita vt intentio concipienda sit velut abstrahens ab hoc aut illo medio determinato: cuius electio, & determinatio potest vel à pura Dei voluntate, & mero beneplacito, vel ex aliqua occasione aliunde data pendere. Sic v. gr. potuit Deus prima intentione decernere Christum venturum, quoad substantiam incarnationis, abstrahendo ab hoc, aut illo medio, & modo: vt, veniretne passibilis, aut potiùs impassibilis: de quo ratione post decernere potuit ex occasione alterius non præuisi pro illo priori rationis, id est, à cuius præuisione non pependit intentio, sed pependit electio. Fieri etiam potuit vt Deus vi primæ intentionis decernentis incarnationem, inclinaretur antecedenti voluntate ad Christum mittendum modo impassibili, nisi talis occasio, peccati scilicet Adami, occurrisset: cuius præuisio fuit causa cur decerneret mittere Christum in carne passibili.

7. Prioritas illa non est sine virtuali præsuppositione.

Suppono quartò, sensum quæstionis præsentis non esse, quid Deus circa Christum decernere potuerit: vel an, & quod aliud decretum habiturus fuerit, si hoc non habuisset: De quo, cùm nihil sit reuelatum, non potest, nisi diuinando disputari. Sed quæstio est, quid Deus reipsa decreuerit, & quale fuerit decretum, quod Deum circa Christum habuisse cognoscimus per certam, aut magis probabilem reuelationem. An scilicet in eo decreto volitio incarnationis pependerit omnino à præuisione peccati; eamque præsupposuerit velut motiuum, & causam, sine qua incarnatio non fuisset decreta? De qua controuersia inter Theologos celeberrima, quid probabilius videatur explicandum superest.

8. Exponitur status quæstionis.

SECTIO II.

... sententia proponitur, & probatur ex Scriptura.

9. 1. Concl. Christus venit ad redimēdos homines.

HIs ergo presuppositis, dico primò, Christum reipsa venisse ad redimēdum genus humanum. Est conclusio de fide, expressa sæpius in Scriptura. *Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat*: Luc. 19. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret*: ad Galat. 4. *Iesus Christus venit in mundum peccatores saluos facere*: 1. Timoth. 1. Propter quæ & similia innumera meritò hæresis damnati sunt contrarium sentientes, affirmantesque venisse Christum, non vt hominem à peccato liberaret, sed vt suam charitatem erga illum ostenderet, ipsumque tanquam Doctor instrueret, & viam veritatis monstraret: vt de Petro Abailardo testatur S. Bernardus epist. 190. Seruitus autem peccati & Diaboli, à qua Christus nos liberauit, non erat tantùm macula peccati, aut pœna pro eo ferenda, & à Diabolo infligenda; sed status ille miserrimus in quo, propter peccatum, diuinæ gratiæ auxiliis destituti, & eiusdem peccati merito à Deo quasi dimissi, & permissi tentationibus atque incursibus Dæmonis pro ipsius voluntate, eramus sine dubio passim succubituri & vincendi. Propter quod Paulus 2. Timoth. 2. ait peccatores teneri captiuos à Diabolo ad ipsius voluntatem, vt fusiùs exponit Vasques disp. 1. capite primo, post Bernardum epistola citata.

Seruitus hominum sub peccato & diabolo quid sit?

10. 2. Concl. Redemptio hominum fuit causa totalis cur venerit.

Dico secundò, Redemptionem hominum fuisse quidem totalem causam & sufficientem propter quam Christus venerit: probabilius tamen esse quòd non fuerit vnica, neque prima, neq; omnino necessaria, ita vt vi præsentis decreti Christus non venisset si homo non peccasset: sed potiùs Deus sufficienter & efficaciter Christum expetiuerit aliis de causis peccato prioribus, & ab illo independentibus. Prima pars est communis Theologorum, & patet ex plurimis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum testimoniis, quæ referemus & expendemus paulò post. Etenim Scriptura & sancti Patres atque Concilia Oecumenica loquuntur sæpissime de redemptione tanquam de causa sufficienti, propter quam Christus simpliciter venerit, illique solitariè, ac seorsim ab aliis, tribuunt eius aduentum, etiam quoad substantiam, & non tantùm quoad modum veniendi in carne passibili.

Sed non fuit vnica, neque prima, neque omnino necessaria.

Secunda verò pars conclusionis, quòd scilicet causa illa non fuerit vnica, neque prima, neque omnino necessaria, est Alexandri Alensis 3. parte, qu. 2. membro 13. Alberti magni in 3. dist. 20. art. 4. Scoti & vniuersæ eius scholæ in 3. distinctione 7. quæst. 3. & dist. 19. qu. vnica, & plurium aliorum quos refert & sequitur ex parte Suarez disp. 5. sect. 5. Quibus adde Feuardentium ad cap. 14. lib. 5. S. Irenæi, Salmeron. ton o 15. disput. 3. assert. 5. Ysambert. disp. 7. au qu. 1. de Incarnat. art. 2. & sequentib. Martin. Perez disput. 14. de Incarnat. Et ex Patribus disertè eam tenet Rupert. Abbas lib. 3. de Gloria filii hominis, & lib. 16. de Trinit. cap. 20. fauent etiam Irenæus, Cyrillus Alexandrinus, & alii infra citandi.

11. Probatur 1. ex Scriptura, quæ docet Christū fuisse decretum vt Pastorem & Ducem hominum & Angelorum.

Probatur autem primò ex Scriptura; quæ variis locis tradit alias causas incarnationis generaliores & priores peccato. Christus enim in Scriptura insinuatur nobis tanquam à Deo expetitus & decretus vt dux & pastor ouium, id est, hominum & Angelorum, Ioan. 10. v. 11. & Luc. 15. v. 4. vbi Christus seipsū comparat pastori centum oues habenti, quarum vna, id est, natura humana aberrauerit. At ratio ducis & pastoris non pendet à peccato, sed generalior est: & Christus est pastor Angelorum qui nunquam peccauerunt, nec minùs esset pastor hominum si non peccassent: Quamuis supposito peccato voluerit, vt bonus pastor, pro ouibus animam ponere, & nonaginta nouem relictis, errantem quærere. Item Christus insinuatur decretus vt mediator vitæ supernaturalis, id est, gratiæ & gloriæ: *Ego veni vt vitam habeant & abundantius habeant*. Ioan. 10. vers. 10. Habere autem vitam non per se supponit nec postulat redemptionem. Et Angeli, ac primi parentes in prima iustificatione habuerunt vitam gratiæ, sine redemptione. Item insinuatur vt sponsus Ecclesiæ quæ homines & Angelos comprehendit: Genes. 2. vers. 24. iunctis Apostoli verbis Ephes. 5. vers. 32. Vbi affirmat Apostolus coniugium Christi cum Ecclesia, per coniugium Adami & Euæ fuisse præfiguratum. Additque S. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 7. in corpore, & 3. parte quæst. 1. art. 3. ad 5. non modò per coniugium Adami & Euæ incarnationem Christi fuisse significatam, sed insuper fuisse cognitam ab Adamo, cùm de Eua recens formata dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo Patrem*, &c. Atqui rationi sponsi accidentaria omnino est redemptio: & coniugium Adami & Euæ fuit prius tempore, quàm peccatū: & sancti Angeli non peccauerunt, quorum tamen Christus sponsus etiam est. Nam quòd Ecclesia, cuius Christus est caput & sponsus, comprehendat etiam Angelos, docet Apostolus ad Ephes. 1. vbi de Deo loquens sic ait; *Constituit*, Christum scilicet, *ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius; qui omnia in omnibus adimpletur*. Hæc Paulus. Qui certè nomine Ecclesiæ hîc comprehendit, non solùm homines ad salutem vocatos, sed etiam Angelos. Alioquin qua ratione esset

Itē vt spōsum Ecclesiæ complectentis homines & Angelos.

S. Thom.

G 2

Ecclesia plenitudo Christi? Nam Ecclesia hominum non potest dici plenitudo Christi, postquam Deus Angelos ei subiecit, vt Paulus ibi affirmat. Cùm igitur Christus sit caput & sponsus Ecclesiæ Angelorum, æquè ac hominum, manifestum est, rationem sponsi & capitis simpliciter non præsupponere peccatum, quod in Angelis non est, vt neque etiam fuit in Adamo tempore sui coniugij. Qui certè si notam habuit incarnationem, non habuit sine reuelatione diuina. Quæ reuelatio non ei frustra facta est, sed vt ad amorem & gratitudinem erga Deum excitaretur. Quare simul debuit ei reuelari aliqua causa finalis incarnationis quę ad ipsum pertineret. Hæc autem non fuit redemptio eiusdem à peccato: quia peccati proprij reuelatio valebat potiùs ad excitandam tristitiam & deiectionem animi, quàm ad illum affectum amoris & gratitudinis. Debuit ergo alia ratio incarnationis reuelari, putà, ipsiusmet sanctificatio & glorificatio, & aliæ id genus causæ quæ in ipsius bonum cedebant, & tamen à peccato abstrahebant.

11. *Docet etiã Scriptura iustitiam originalem fuisse datã propter Christum.* Rursus Apostolus verbis suprà relatis ex Ephes. 1. significat Angelos, & primos parentes ante peccatum, fuisse propter Christum sanctificatos. Ait enim Christum adimpleri omnia in omnibus, etiam in Angelis, id est, omnia esse ipsius, & propter ipsum, & per ipsum. Quare & sanctificatio, & glorificatio Angelorum, & primorum parentum, pertinet ad ipsum, sicut & ipse est caput omnium. Quamuis enim Angeli fuissent subiecti Christo post ipsius conceptionem aut resurrectionem, & primi parentes, post peccatum: attamen Christus non diceretur adimpleri omnia in omnibus, si Angeli in sua sanctificatione & glorificatione non fuissent illius capitis membra, & primi parentes primam suam sanctificationem non essent per eum consequuti. Neque verum esset generaliter quod ait Paulus ad Ephes. 1. vers. 3. *Benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus, in Christo*, si prima illa benedictio, quam in Adamo accepimus, non fuit in Christo. Atqui si sanctificatio Angelorum, & primorum parentum in statu innocentiæ, fuit per Christum vt mediatorem, necesse est, Christum fuisse decretum ante peccatum Adæ præuisum. Nam præuisio peccati supponit permissionem Dei, id est, decretum, quo Deus statuit permittere vt primus Parens à iustitia originali excideret propria voluntate. Hæc autem permissio supponit iustitiam illi collatam, seu decretum de illa conferenda: quæ si ex Christi meritis illi collata est, & ideo ad hunc effectum prædestinatus est Christus; prædestinatus est ante præuisum peccatum. Quare peccatum non fuit sola nec prima ratio cur Christus veniret, neque etiam necessaria, quia id quod priùs alio prædestinatum est, & efficaciter decretum, etiamsi deficeret id quod est posterius, nihilominus futurum esset, quia non pendet ab illo vt sit.

12. *Et Christũ fuisse à Deo intentum & decretũ ante omnes creaturas.* Vlteriùs, Scriptura significat Christum fuisse à Deo intentum & decretum ante omnes creaturas, fuisseque primò electum, & primogenitum inter prædestinatos, cæterorumque finem, & causam exemplarem. At hæc falsa essent, si Christus fuit solum, vel primò, decretus vt redemptor: ergo, &c. Maior probatur his Scripturæ testimoniis, Coloss. 1. v. 14. *In quo* (Christo) *habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens*. Huc vsque Paulus. Vbi cùm vocat Christum *primogenitum omnis creaturæ*, loquitur de Christo quatenus homine, vt exponit Concilium Sardicense, in epistola ad omnes Episcopos, & Ephesinũ tomo seu parte 1. ca. 4. & 5. & tom. 4. cap. 26. Vbi, de Christo sic affirmat: *Christus, vt Verbum, dicitur vnigenitus: vt homo, primogenitus.* Similique modo Paulum exponunt Chrysostomus, Hieronymus, & Anselmus, ad locum citatum, & multi alii Patrum: fauentque verba quæ sequuntur ibidem, *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, primogenitus ex mortuis*, vbi manifestè sermo est de Christo secundum humanitatem. Item ad Rom. 8. v. 29. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quod etiam de Christo vt homine interpretantur Chrysost. Hieron. Anselm. ibidem, & fere omnes alii Patres Græci & Latini. Confirmaturque ex verbis supra relatis Concilij Sardicensis & Ephesini, & ex August. lib. contra epistolam fundamenti cap. 37. affirmante, imperitè, & impiè quæri fratres Christo, nisi ex eo quòd in homine apparere dignatus est. *Concilium Sardic. Ephesinũ. Chrysost. Hieronym. Anselm. August.*

13. Ex his igitur sic argumentor, & minorem propositi argumenti confirmo: Finis est qui primò cadit sub voluntatem operantis, vt is propter quem cætera sub eandem cadunt. Sed Christus fuit expetitus vt finis reliquarum creaturarum: ergo fuit primò, & ante illas expetitus. Ergo & ante Angelos, & Adamum. Et consequenter ante permissionem peccati, quæ non fuit decreta nisi præuiso Adamum peccaturum, & à gratia casurũ, si Deus non impediret. Item, Christus est causa exemplaris, & finalis prædestinationis, & electionis aliorum. Ergo est primò electus & prædestinatus tanquam causa cæterorum. Ergo priùs, quàm peccatum præuideretur, & quàm esset eius permissio, quæ posterior fuit electione, & prædestinatione Adami ad gratiam & gloriam, à qua Adamus per peccatum excidit, in ęternum ea cariturus, nisi per Christum reparatus fuisset. Tertiò, intentio prima & absoluta, seu antecedens atq; efficax alicuius rei, id est, non ex

occasione alterius præsuppositi, est saltem virtualiter eorum omnium, sine quibus res non potest haberi. Atqui redemptor non potest esse sine peccato à quo redimat: ergo si Deus efficaciter, primò & ante cætera omnia, ac proinde antecedenter & absolutè, & non occasione alterius præsuppositi, voluit Christum vt redemptorem; voluit peccatum. Sed Deus non potest velle peccatum; neque potest velle per se primò permissionem peccati, non præsupposito peccato aliunde futuro: quia deberet velle peccatū, propter permissionem. Ergo non potuit velle Christum vt redemptorē primaria illa intentione, quâ illum expetiuit ante cætera omnia.

14. Argumentū ex omnibus præcedentibus collectum.

Sic igitur breuiter colligi potest tota hæc probatio ex Scriptura. Christus fuit à Deo intentus & decretus propter alias rationes per se independentes à peccato, & de se sufficientes ad mouendam voluntatē diuinam, dignissimasque vt eam mouerent, & quarum aliquæ priùs eam mouerunt efficaciter, quàm præuideretur peccatum. Ergo redēptio non fuit prima causa, neq; vnica totalis, vel omnino necessaria vt Christus veniret vi decreti quod reipsa Deus habuit circa incarnationē.

SECTIO III.

Confirmatur eadem sententia Patrum authoritate, & ratione.

15. Probatio secunda ex Patribus. Irenæus.

PRobatur secundò ex Patribus. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 33. initio, affirmat Christū præextitisse hominibus, ordine nimirū intētionis diuinæ. Nā manifestè nō præextitit ordine executionis, *Quoniā*, inquit, *futurā circa filiū Dei humani generis dispositionē in semetipsum fabricator omniū Verbū præformauerat, prædestinante Deo primū hominē animalem* (id est, primum parentē nostrum Adamum) *videlicet, vt à spiritali* (id est, à Christo) *saluaretur: Cùm enim præexisteret saluans, oportebat & quod saluaretur, fieri, vt non vacuum sit saluans.* Hæc Iræneus. Qui, quidquid dicat Lessius disp. de Prædestinatione Christi, num. 24. manifestè affirmat Adamum, primum hominem animalem, factùm esse propter hominem spiritalem, Christum scilicet; adeoque Christum fuisse priorem in intentione diuina. Quare frustra hæc ille de Verbo diuino explicare conatur: manifestum enim est Verbum diuinum, secundum se non posse dici *hominem spiritalem.*

16. Cyrillus Alexand.

Cyrillus Alexand. lib. 5. Thesauri cap. 3. sic contra Arianos arguit; *Si, vt hæretici dicunt, vt nos produceret Deus, filium produxit; erit ipse propter nos factus, non nos propter ipsum. Cur ergo nobis non aget gratias qui propter nos est? Erit etiam ipse sic gloria nostra, vt fœminæ vir. Non enim vir creatus est propter fœminam, sed fœmina propter virum.* Et inferius: *Si propter nos filius factus est, primi nos erimus apud Deum. Sic enim Deus nos primò, deinde filium propter nos intendisse videbitur.* Hæc Cyrillus. Quæ contra Christum ab Arianis retorqueri facilè potuissent, si sensisset Cyrillus Christum non nisi propter hominum redemptionem fuisse decretum, & prædestinatum. At quòd ita non senserit patet ex cap. 8. eiusdem libri, vbi sic habet: *Præfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes saluamur, idque ante initium mundi in præscientia Dei. Vt cum ordine diuino benedictio maledictionem antecesserit: & damnationem in mortem vitæ pollicitatio: & Diaboli seruitutem, adoptionis libertas: possit natura humana superatis malis quæ interim acciderunt, in pristinam, per gratiā Christi (qui fundauit eā bonis in bonis) dignitatem recurrere.* Ac deinde vtens exēplo architecti, qui, timens ne suū ædificium ruinam aliquando patiatur, iacit firmissimum fundamentum, vt superstructa, si ruinam patiantur, possint reparari fundamento seruato; addit, *Eodem modo creator noster Christū nostræ salutis fundamentū, etiam ante initium mundi, fundauit, vt si præuaricatione caderemus in ipso rursus renouaremur.* Hucusq; Cyrillus.

D. August. lib. 1. de Nuptijs & concupiscentia cap. 21. ait coniugium, etiam in statu innocentiæ si homo non peccasset, futurum fuisse Sacramentum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Ergo coniunctio illa fuisset, quamuis peccatum non fuisset. Ergo Christus non fuit tantùm decretus propter peccatum, & redemptionem à peccato. Et lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 23. censet absurdum esse dicere, non fuisse futuras hominum generationes, nisi Adam peccasset: quasi peccatum necessarium fuerit vt illæ essent. Ex quo loco Rupertus suprà sic argumentatur: Si teste Augustino absurdum esset dicere, Adamo non peccante generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homines, vt nascerentur, peccatum fuisset necessarium; quid de isto capite & Rege omnium electorum Angelorum & hominum sentiendum, nisi quòd & ipse maximè omnium necessarium non habuerit peccatum, vt homo fieret ex hominibus, delicias suæ charitatis cum illis habiturus? Hæc Rupertus. 17. Augustin. Rupert.

S. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 18. dicit absurdum esse existimare homines non esse factos nisi pro restauratione perditorum Angelorum, *ita vt nisi ab illa beatitudine illi Angeli cecidissent, homines ad illam non ascenderent. Si quis enim dixerit quia tantùm lætabuntur electi homines de Angelorum perditione, quantùm gaudebunt de sua assumptione, quoniam absque dubio hac non esset nisi illa fuisset, quomodo poterunt ab hac peruersa gratulatione defendi?* Qui discursus sancti Anselmi æquè cōcludit, absurdum esse existimare Christum non esse factum, & beatitudinem adeptum, nisi pro restauratione perditi generis humani per peccatum Adami. Sic enim, iuxta discursum Anselmi, tantùm lætaretur de Adami peccato, & humani generis perditione, quantùm gauderet de sua assump- 18. Anselmus.

tione: quia absque dubio hæc non esset, nisi illa fuisset. Sentit ergo Anselmus Christũ nõ debere peccato Adæ suã prædestinationem.

19. August. Author libri de Spiritu & anima, cap. 9. apud August. tom. 3. *Propterea*, inquit, *Deus homo factus est, vt totum hominem in se beatificaret, &c. Vt siue homo ingrederetur intus per intellectum, siue egrederetur extra per sensum, in Creatore suo pascua inueniret. Pascua foris, in carne Saluatoris: & pascua intus in diuinitate creatoris.* Quæ ratio, & aliæ similes à Patribus afferri solitæ, æquè locum habent secluso peccato. Nam licet Adam eiusque posteri non peccassent, erant nihilominus toti, id est, in corpore & in anima, beatificandi.

20. S. Thom. Denique, vt alios præteream, S. ipse Thomas, licet contrarium sentiat quæst. 1. a. 3. non parum tamen fauet 2. 2. quæst. 2. art. 7. in corpore, cùm ait mysterium Incarnationis fuisse Adamo reuelatũ ante ipsius peccatum; quod idem tradunt Hieronym. in c. 5. epist. ad Ephes. circa illa verba, *Sacramentum hoc magnum est*, August. lib. 9. de Genesi ca. vlt. Prosper de Promissionibus parte 1. cap. 1. & Bernardus serm. 2. de Septuagesima. Similiterque Angelis fuisse reuelatum initio suæ creationis docet Bernardus & plures alij relati à Suar. lib. 7. de Angelis ca. 13. n. 13. & sequentib. affirmantes peccasse Angelos occasione incarnationis. Non fuit autem illis reuelatum hoc mysterium sine aliqua causa ad ipsos pertinente: & non expediebat peccatum ipsis reuelari, vt de Adamo supra expendimus: ergo &c. Vlterius idem S. Doctor 1. parte q. 98. a. 1. in corpore, censet futurã fuisse hominum generationem in statu innocentiæ ad multiplicationem humani generis. Alioquin, inquit, peccatum hominum fuisset valde necessarium, ex quo tantum bonum consequutum est. Atqui magis absurdũ est, peccatum fuisse necessarium vt Christus esset, qui solus maius bonum est, quàm generatio hominum. Et paulò post addit, animam rationalem fuisse per se intentam à natura, non tantùm in specie, sed & in multiplicatione secundum indiuiduum. Vnde concludit, hunc numerum animarum fuisse futurum, etiamsi non esset peccatum. At longè maior fuit ratio, vt Christus propter suam perfectionem, quâ infinitè superat animam rationalem, per se intenderetur, & esset futurus, etiamsi non esset peccatum: ergo non debet contrarium asseri sine certa reuelatione, quæ nulla est.

Hieronym. Augustin. Prosper Aquit. Bernardus. S. Thom.

21. Tertia probatio ex ratione. Prima. Probatur tertiò rationibus Theologicis. Primò enim, Deus, qui pro sua sapientia infinita perfectissimè omnia intelligit, & vim motiuorum expendit exactissimè, debet concipi (nisi aliud obstet) velle modo perfectissimo ea quæ vult, nimirum propter motiua nobilissima, præsertim obiecto intrinseca (quæ certè non debent facilè & sine graui ratione excludi à Dei voluntate) & iuxta vim eorumdem motiuorum, ita vt totaliter & sufficienter eam mouerint, quæ ita mouere digna sunt, adeo vt Deus illa secundum cuiusque dignitatem & sufficientiam expetiuerit. Atqui præter rationem redemptionis sunt aliæ in Christo nobiliores, & sufficienter mouere Deum dignissimæ, maximéque ipsa intrinseca & absoluta Christi perfectio & excellentia, quâ superat cætera creata, magisque valet ad Dei gloriam, & ad potentiam, sapientiam, & bonitatem eius manifestandam, quàm omnes puræ creaturæ simul sumptæ: ergo non debet illa ratio excludi à Dei voluntate, sed potiùs censeri debet primò illam mouisse efficaciter, nisi obstet grauis aliqua ratio, quæ nulla est, vt patebit ex solutione obiectionum.

Secundò, si Deus creauit homines & Angelos vt per se amabiles, & ad gloriam suam in illis manifestandam; ac propter homines creauit mundum corporeum, imò & Christum ipsum propter eorum salutem & redemptionem, vt volunt Aduersarij: Certè maior ratio fuit vt Christum etiam per se intenderet, aut propter gloriam suam manifestandam expeteret, ad eumque cætera omnia, & homines ipsos, atque Angelos referret. Christus enim est per se amabilior cæteris omnibus, magisque facit ad gloriam Dei manifestandam, & dignior est, vt propter ipsum cætera facta sint, ad eúmque velut ad finem referantur, & ipse tandem ad Deũ velut ad finem vltimum, iuxta illud Pauli, *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* 1. Corint. 3. v. vltimo. 22. Secunda ratio.

Tertiò, non est adeo conueniens dicere Christum non fuisse per se à Deo expetitum, sed tantùm ex occasione peccati, atque ita esse tantummodo bonum occasionatum, vt loquitur Scotus, id est, ortum ex occasione, & quidem mala & pudenda, quamque Deus voluisset non esse: Vnde consequenter voluisset potiùs non esse Christum, quàm esse: non est, inquam, id adeo conueniens, quàm dicere, Christum fuisse per se primò à Deo expetitum: Et quamuis sine indecentia potuerit Deus pro sua libertate decernere Christum primò vt redemptorem, & solùm post præuisionem peccati: id tamen quia minus conueniens est Christi dignitati, non debet asseri sine grauiori fundamento. Tertia ratio.

23. Quarta ratio. Quartò, non parum detrahitur excellentiæ Christi, quando negatur fuisse per se intentus & expetitus, subtrahunturque illi Angeli quoad suam iustificationem & glorificationem, ac primi parentes in prima sanctificatione; vt subtrahuntur necessariò ab Aduersarijs: alioqui enim Christus non fuisset tantùm decretus, aut primò propter redemptionem, sed ob aliam rationem priorem & vniuersaliorem, quippe pertinentem ad Angelos, & ad primos parentes in eo statu, in quo non erat peccatum, nec locus redemptioni quæ peccatum supponit. Et verò si Christus non fuit decretus, seu non venit vt caput influens gratiam & gloriam, sed venit tantùm vt redimeret homines à peccato, neque aliud officium exer-

teret: consequens esset, vt non influat virtutem hominibus iustificatis ad hoc vt mereantur. At hoc est contra Trident. sess. 6. cap. 16. ante medium. Probatur sequela, quia iusti vt sic non redimuntur, neque illis influere gratiam seu virtutem ad merendum, est redimere. Si verò etiam grati & iusti egent Christo mediatore non reconciliationis aut redemptionis (non enim sunt inimici aut captiui) sed amplioris gratiæ: quantò magis Angeli, & primi parentes ante peccatum, vt fierent ex non sanctis sancti? Habent enim per se disproportionem ad illam sanctitatem supernaturalem, magis quàm homines iusti & sancti habeant ad gratiam vlteriorem.

Concil. Trident.

24. Quintò, ex eodem Trident. sess. 6. cap. 7. Christus est causa finalis nostræ iustificationis, & consequenter prædestinationis, ad quam tendit iustificatio, vt etiam docet Apost. Ephes. 1. *Elegit nos in ipso*, inquit, id est in Christo, *ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem Filiorum per Iesum Christũ in ipsum.* Et Rom. 8. v. 29. *Quos præsciuit*, inquit, *& prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ergo est prius in Dei intentione, quàm hominum prædestinatio ad gratiam & gloriam. Ergo & priùs quàm peccatum Adami, per quod tum ipse, tum eius posteri exciderant à gratia & gloria in perpetuum, nisi reparati fuissent à Christo vt redemptore. Atqui ex sententia multorum aduersariorum Adamus, alijque electi fuerant ad gloriam prædestinati, etiam efficaciter & absolutè, ante præuisum peccatum Adæ: ergo & Christus multò magis, cùm sit finis propter quem alij omnes fuerunt prædestinati.

Quinta ratio.

Sexta ratio. Sextò, non minùs decuit extolli naturam innocentem, quàm separari naturam peccatricem: Et Christum decerni vt mediatorem gratiæ & gloriæ naturæ innocentis, quàm vt mediatorem reconciliationis naturæ peccatricis. Item gloria animæ Christi est maioris dignitatis, magisque Deo amabilis, quàm gloria omnium Angelorum & hominum simul iuncta, vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 20. art. 4. ad 1. Ergo verisimile est, hanc gloriam per se magis esse à Deo expetitam, quàm gloriam Angelorum & hominum: & potiùs ob Christi gloriam fuisse alios prædestinatos, quàm Christum propter gloriam aliorum: Ita vt reliquorum vocatio, iustificatio, & glorificatio ad gloriam Christi velut ad finem ordinetur: quemadmodum de nostra iustificatione docet expressè Trident. cap. cit. cùm ait, causam finalem illius esse gloriam Dei & Christi: & de ipsa prædestinatione idem significat Apostolus verbis paulò ante relatis ex Rom. 8. v. 29. Finis autem est priùs in intentione, quàm medium: & quatenus est finis, non expetitur propter medium, sed medium propter ipsum.

S. Thom.

25. Propter quæ omnia concludendum est ordinem signorum rationis in decreto diuino hunc fuisse, vt post scientiam possibilium, & conditionatam seu mediam futurorum sub conditione, quæ subsistendi consequentiâ prior est decretis Dei liberis, voluerit primò Deus Christum propter gloriã suam, & propter intrinsecam ipsius perfectionem & amabilitatem, quæ fuit prima ratio ex parte obiecti, propter quam Deus illum expetiuerit & decreuerit, subordinata tamen priori rationi ex parte Dei, nempe gloriæ ipsiusmet Dei, ad quam vltimò refert quidquid extra se vult. Fuit autem prima illa voluntas implicitè & virtualiter voluntas adiunctorum, seu mediorum necessariorum vt Christus modo conuenienti veniret. Quare vi illius primæ voluntatis voluit Deus in secundo instanti rationis alias creaturas intellectuales, & hoc Vniuersũ, veluti Christi regnum & domicilium, cum dependentia & ordine intentionis, quatenus hæc propter Christum fuerunt expetita, velut propter caput & Principem creaturarum, speciatimque Angelorum & hominum, quos etiam propter Christum ad gratiã & gloriã ordinauit, & in gratia creare constituit. Deinde præsciẽs per scientiam mediam Adamum in gratia creatum, ab ea casurum, si permitteretur tentari & labi, decreuit permittere. Tum, præuiso post permissionem peccato Adami absolutè futuro, decreuit eum à peccato liberare per condignam satisfactionem: quam cum homo præstare non posset, voluit iterum efficaciter incarnationem in eum finem: statuitque insuper Christum venturum passibilem & mortalem, atque reipsa passurum & moriturum, vt morte sua pro peccatis hominum satisfaceret.

Ordo signorum rationis in Decreto incarnationis.

SECTIO IV.

Referuntur & refutantur quæ responderi solent argumentis propositis.

26. AD Scripturæ loca, quibus ostendimus Christum fuisse decretum propter motiua generaliora, quàm sit redemptio, & à peccato independentia, cuiusmodi sunt ratio pastoris hominum & Angelorum, mediatoris vitæ supernaturalis, id est, gratiæ & gloriæ: capitis & sponsi totius Ecclesiæ, ex Angelis hominibusque compositæ: Responderi solet, motiua illa non fuisse à Deo expetita secundum omnem suam amplitudinem, & secundum eam considerationem quã non pendent à peccato: sed tantùm secundum quod pertinent ad officium redemptoris, aut ex eo sequuntur: ita vt omnia sint cum illa restrictione intelligenda: Christus fuit decretus vt pastor hominum & Angelorum, per redemptionem, aut per aliquid ex ea sequutum, cuiusmodi est dignitas & dominium Christi super Angelos, quod mor-

tis suæ merito solùm assequutus est: vt mediator, vt caput, & sponsus, similiter per redemptionem.

27. Refellitur prima euasio. Sed contra: Primò, Scripturæ verba, de se generalia, sunt generaliter intelligenda, vt sonant, & in tota sua amplitudine, quantùm fieri potest, ita vt non voluntariè, nec sine necessitate, id est, valde graui & omnino cogente fundamento restringantur: nempe vel propter alia Scripturæ loca, quæ ad id cogunt, vel propter Ecclesiæ definitionem, aut manifestam absurditatem. Nihil autem tale hîc reperitur. Secundò, Parabola illa Christi Luc. 15. v. 4. significat propriè, & simpliciter sumpta vt verba sonant (Scripturæ autem verba debent sumi in sensu proprio quantùm fieri potest) Angelos & homines ad Christum pertinuisse ante lapsum naturæ humanæ in Adamo. Christus enim se comparat homini qui habet centum oues, & si perdiderit vnam (habet autem antequam perdat) dimittit nonaginta nouem in deserto (erat ergo cum illis antequam dimitteret, id est, relinqueret illas in deserto) & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam. Id est, vt sancti Patres interpretantur, reliquit Angelos in cœlo, vbi nimirum alioqui fuisset cum illis, velut in aula sua conuersatus, cum gloria & maiestate conuenienti, vt hominem ex ouili suo fugitiuum, & peccato perditum recuperaret. Si autem Angeli, & homines ante peccatum, pertinebant ad Christum: ergo Christus fuit decretus ante peccatum. Neque enim poterant ad Christum pertinere, nisi Christus esset vel in re ipsa, vel in Dei decreto. Tertiò, Illa Pauli verba Ephes. 1. v. 3. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus, in Christo*, generaliter, vt debent, quantùm fieri potest, intellecta, significant benedictionem, quam in primo parente habebamus ante peccatum, per iustitiam originalem nobis omnibus in eo collatam, fuisse propter Christi merita. Ergo iam tum Christus erat decretus, & non tantùm ratione post, ex præuisione peccati. Quod autem Vasques disp. 10. cap. 10. nu. 128. ait, Paulum non esse intelligendum de benedictione quæ in statu innocentiæ collata fuit primis parentibus, quia quod postea subdit Apostolus, *In quo habemus redemptionem*, &c. non indicat nouum beneficiũ, sed radicem eorum omniũ quæ dixerat, vt quasi anacephaleosi quadam omnia in vnum congregaret: Hoc, inquam, planè voluntariè dictum est, & parum accommodatè ad textum, in quo potiùs sigillatim ac distinctè enumerat Apostolus per inductionem benedictiones comprehensas in illa propositione generali, *Benedixit nos in omni benedictione*. Nempe, inquit, *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti: Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum: gratificauit nos in dilecto filio suo: In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum: In quo etiam & nos sorte vocati sumus*, &c. Quibus verbis quinque diuersa gratiæ beneficia cōmemorantur: electio: gratificatio, id est, gratiæ infusio: adoptio, quæ vltra gratiæ infusionem, importat fauorem Dei extrinsecum, adoptantis & acceptantis ad æternam hæreditatem: remissio peccatorum per sanguinem Christi, quæ differt à gratiæ infusione: & vocatio, qua Deus nos inuitat ad huiusmodi bonorum participationem.

Vasques.

Ad alia Scripturę loca, quibus ostendimus Christum fuisse à Deo intentum & decretum ante omnes creaturas, fuisse primò electum, & primogenitum inter prædestinatos, cæterorumque finem, & causam exemplarem, respondet Vasques cap. citato nu. 125. & post eum Delugo disp. 7. nu. 10. & 11. Christum dici in Scriptura primogenitum omnis creaturæ Coloss. 1. ad Rom. 8. & alibi, non quia priùs prædestinatus est; sed quia dignitate cæteris antecellit. Sicut Exodi 4. v. 22. dicitur, *Filius meus primogenitus Israel*, id est, excellentia & nobilitate exaltatus super alios populos. Quod verò subdit Paulus Coloss. 1. *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa*, hoc, (inquit Vasquez) omnes expositores referunt ad Christi diuinitatem. Et, *in ipso*, idem est ac, per ipsum. 28. Secundum effugium refutatur. Vasquez. Delugo.

Sed contra Primò, vox primogeniti propriè sumpta significat primum ordine generationis, non autem primum ordine dignitatis. Debent autem Scripturæ verba propriè sumi, quantum fieri potest. Neque aliter sumitur Exod. 4. v. 22. Alioquin in eadem periodo sumeretur æquiuocè, contra exigētiam comparationis, & intentionem Dei manifestam. Sic enim loquitur: *Hæc dicit Dominus, filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi, dimitte filium meum vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Atqui Deus interfecit primum ordine generationis, tum Pharaonis, tum reliquorum Aegyptiorum. Propter quod etiam statuit sibi in posterum offerri à filiis Israel omne primogenitum, id est, omne quod aperit vuluam, vt dicitur Exod. 13. v. 12. Ergo Israel dicitur eodem sensu filius primogenitus, id est, primus ordine generationis: nimirum quia fuit primus populus, quem Deus sibi specialiter adoptauit, dans illi legem, & ceremonias, & speciale fœdus cũ illo iniēs, vt constat ex eod. lib. Exodi, prȩsertim cap. 19. v. 5. Deinde illa expositio nō conuenit Pauli verbis ad Rom. 8. v. 29. *Quos præsciuit*, &c. affirmantis Christum esse primogenitum per modum causæ exemplaris, cui cæteri prædestinati conformes fiant. Causa enim exemplaris non ordine solùm dignitatis, sed causalitatis & intentionis in mente artificis, præire debet suis effectibus. Tertiò, quod ait Vasques, illud Apostoli Coloss. 1. *In ipso condita sunt vniuersa*, intelligendum esse de Christo secundum diuinitatem, non adeo consonat verbis sequentibus, *Primogenitus ex mortuis*, id est, primò suscitatus & glorificatus in corpore, saltem ordine intentionis. Nam Christus secundum diuinitatem non est à morte suscitatus. Et quamuis Paulus inter-

dum loquatur permixtim de Christo secundum naturas eius diuersas: Non tamen debet asseri hæc permixtio, & veluti æquiuocatio, vbi non est necessaria. Falsum verò est omnes expositores ita intellexisse. Nam Rupertus, Ambros. Catharinus & alij quidam aliter intelligunt. Sed neque nos in ea vim argumenti ponimus, quod de diuinitate fatemur à pluribus exponi: sed in Pauli verbis sequentibus, quæ ipsa Concilia & sancti Patres supra relati exponunt de humanitate. Sufficiunt enim ad probandum quod intendimus, Christum scilicet, quà hominem, fuisse primogenitum & primò intentum.

29. Tertium effugium. Nihilo melior est alia responsio alterius auctoris supra citati disp. 7. de Incarnat. nu. 12. aientis, Deum aliquo modo cætera voluisse ex affectu Christi tanquam *finis cui*, respectu omnium creaturarum, vel finis etiā *cuius gratiâ* aliquo modo, non quidem efficaciter, sed per simplicem affectum dilecti. Sicut, inquit, voluntas dandi nobis auxilia, oritur in Deo ex voluntate nostræ beatitudinis. Non quidem semper ex intentione efficaci beatitudinis, sed ex affectu aliquo, complacentiæ scilicet, & desiderij nondum efficacis. Et hoc satis est vt dicatur Deus dare auxilia propter beatitudinem. Et paulò post num. 21. addit Christum fuisse primum prædestinatum, etiam respectu primorum parentum: quia Deus mundum creauit ex speciali affectu erga Christum, non directè, sed indirectè: quatenus affectus erga bonum illud, quod resultare debebat ex aduentu Christi redemptoris, fecit vt Deus crearet mundum, neque impediretur quo minùs illum crearet, à præuisione peccati, quod per scientiam mediam cognoscebat imminere, si mundum crearet. Illa itaque ipsa creatio erat, inquit, effectus prædestinationis Christi. Oriebatur enim, saltem indirectè, ex speciali affectu erga Christum. Et quidem licet ille affectus non esset formaliter voluntas absoluta (id est, efficax) de aduentu Christi: erat tamen virtualiter, & æquiualenter; quia nolle impedire peccatum imminens, eò quòd præuideretur sub conditione peccati futurus Christus, erga quem Deus specialiter afficitur, perinde se habet quoad efficaciam, ac si esset voluntas absoluta circa Christum. Tam enim infallibilem connexionem habet illa prior voluntas cum Christi aduentu, quàm si esset absoluta formaliter. Hæc ille.

30. Reiicitur & impugnatur argumento efficaci. Sed contra: Vel affectus ille Christi, ex quo Deus cætera voluit, fuit tātùm simplex complacentia de Christo possibili: vel fuit aliqua inclinatio voluntatis, & desiderium circa ipsum vt existeret. Si primum: malè comparatur ille affectus cum voluntate nostræ beatitudinis, quæ non est simplex complacentia de illa vt possibili, sed est desiderium vt fit, quamuis sit inefficax pro illo priori rationis, quo præcedit electionem mediorum, & præuisionem boni status finalis. Malè item vocatur postea ab eodem auctore, *Christi prædestinatio*, si est tantùm simplex complacentia; quia prædestinatio non est pura & simplex complacentia de gloria vt possibili, sed est destinatio & voluntas ad illam perducendi. Et denique nulla esset ratio asserendi Deum fecisse mundum ex illa simplici complacentia erga Christum, potiùs quàm erga infinitas alias naturas intellectuales æquè vnibiles hypostasibus diuinis, in quarum vnionum possibilitate Deus æquè sibi complacet, atque in Christo vt possibili, quia sunt æquè bonæ & amabiles, dignæque simplici approbatione complacentiæ. Si secūdum: sic argumentor: Qui desiderat affectu primario & antecedente, id est, non ex præsuppositione alicuius, aliquid esse; & tamen ita affectus est secundum voluntatem, vt non velit illud esse, nisi per vnum aliquod medium determinatum: Ille in tali affectu desiderat illud medium. Voluntas enim finis est voluntas mediorum necessariorum non aliunde præsuppositorum. Atqui Deus affectu primario, & ante cætera omnia, ac non ex præsuppositione alicuius alterius, nominatimque peccati nondum permissi & præuisi absolutè futuri, desiderauit Christum esse: & tamen ita affectus fuit, vt non vellet Christum esse nisi per medium redemptionis & peccati; vt vult Aduersarius: ergo Deus in tali affectu desiderauit redemptionem & peccatum. Sed absurdum est & impossibile, Deum desiderare peccatum affectu licet inefficaci: quia sicut velle efficaciter peccatum, est actus turpis, & indecens; ita & velle & desiderare quamuis inefficaciter: est enim illud etiam turpe & disconueniens obiecto: quare hæc responsio, si eo sensu intelligatur, continet absurdum & impossibile.

Respondebit Aduersarius id quod ait numero 13. Deum non voluisse positiuè & directè peccatum propter Christum, sed quasi indirectè ex affectu Christi remouente prohibens, quatenus præsciens sub conditione peccatum futurum si mundum crearet, & inde sibi orituram occasionem mittendi Christum in redemptorem; affectus erga Christum, licet non mouerit Deum ad permittendum peccatum vt vtile ad Christi gloriam, conduxit tamen retardando affectum odij diuini erga peccatum, ne impediret eius permissionem, fecitque vt Deus non destiterit à mundo creando propter peccatum præscitum, sed potiùs illud permiserit, quia præuidit eximiam eius reparationem. 31.

Sed contra: primò, cùm illud Dei desiderium sit affectus positiuus, quomodo dici potest Deum per illud non velle positiuè id quod vult, nempe tum Christum vt finem, tum medium necessarium ad illum finem, quod est peccatum? Secundò, Voluntas primaria & antecedens, atque hoc sensu absoluta finis, id est, non ex alio præsupposito, quamuis alioqui non efficax, & non absoluta eo sensu quo interdum absoluta sumitur pro efficaci, siue vt gallice loquimur, resoluta, id est, non permissiua oppositi quantum est de

se, quæque vult omnia impedimenta perrumpere: illa, inquam, voluntas fertur directè in finem, & in omnia media necessaria. Ergo si peccatum fuit medium necessarium, Deus directè voluit peccatum. Tertiò, si affectus ille erga Christum retardauit affectum odij diuini erga peccatum, fecitque vt Deus illud permitteret, & eo non obstante mundum crearet, quia præuidit eximiam eius reparationem: ergo affectus ille mouit Deum ad permittendum peccatum; quia fuit ratio quare permisit, & quare voluntas diuina impedimentum peccati superauit in mundi creatione. Rursus affectus ille mouit Deum ad permittendum peccatum tanquam necessarium, vt ea occasione Christus veniret. Ergo mouit Deum ad permittendum peccatum vt vtile ad Christi gloriam, id est, vt medium valens & conducens, imò & necessarium, ad illum finem. Quare responsio illa non subsistit.

32. Quartò, si, vt addit idem auctor num. 21. affectus ille erga Christum fuit Christi prædestinatio, ideoque in eius opinione Christus fuit primus prædestinatus, etiam respectu primorum parentum: ergo fuit, vt ante dicebamus, non solùm complacentia de Christi gloria vt possibili; sed voluntas Christum glorificandi. Imò si propriè sumatur prædestinatio, vt distinguitur à reprobatione, illique opponitur, debuit esse voluntas efficax, & non tantùm simplicis desiderij inefficacis, quod Deus etiam erga reprobos habuit. Siue autem fuerit voluntas efficax, siue simplicis desiderii; quia fuit prima & non ex alio præsupposito, debuit esse voluntas mediorum necessariorum, adeóque peccati, si quidem fuit medium sine quo voluntas diuina non erat disposita ad Christum glorificandum, vt author ille opinatur. At est absurdum & impossibile Deum velle peccatum siue efficaci voluntate, siue affectu etiam desiderij. Maximè verò si, vt idem ait, affectus ille, quamuis non formaliter, erat tamen virtualiter, & æquiualenter voluntas absoluta de aduentu Christi, id est, voluntas efficax, sic enim ipse absolutam intelligit. Nam turpissimum est, Deoque indignissimum, velle peccatum affectu æquiualente voluntati absolutæ & efficaci peccati. Qui affectus in Deo esse non potest quin formaliter agat indecenter. Nam exercere scienter & liberè talem affectum notum vt æquiualentem, est formaliter velle aliquid malum & indecens notum vt tale: adeoque est formaliter malè agere per voluntatem, seu malè velle.

33. Quarta euasio. Ad testimonium quod ex Irenæo retulimus respondet idem auctor num. 15. Irenæum vel loqui de Christo volito priùs per affectum simplicem voluntatis antecedentis; vel meliùs de Christo vt Deo, seu de Verbo. Verùm prima responsio non potest stare in opinione huius Doctoris, vt iam satis ostendimus. Secunda verò non conuenit verbis Irenæi, qui immediatè ante verba ab Aduersario relata, sic habet. *Prædestinante Deo primum animalem hominem, videlicet vt à spiritali (homine scilicet) saluaretur. Cùm præexisteret saluans, oportebat & quod saluaretur fieri, vt non vacuum sit saluans.* Ergo per saluantem intelligit Irenæus hominem illum spiritalem, à quo primus homo animalis saluatus est. At Christus quà Deus, seu quà Verbum, non est homo spiritalis: ergo non intelligit Christum vt Deum, vel vt Verbum, sed vt hominem, & vt secundum Adam, reparatem quod primus Adam perdidit. Quòd si opponas eundem Irenæum lib. 5. cap. 14. initio sic loqui, *Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset: Et si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.* Quibus verbis videtur clarè asserere, Christum non fuisse venturum si homo non peccasset. Respódeo, Irenæum, vt Feuardentius celebris eius interpres ibidem exponit, loqui de carne & sanguine simili nostræ carni & sanguini, non modò quoad substantiam, sed etiam quoad statum passibilem & mortalem: solúmque asserere, Verbum Dei nequaquam fuisse assumpturum huiusmodi carnem & sanguinem, nisi &c. Vt suæ carnis passione, & sanguinis effusione carnem nostram saluaret, & sanguinem iustorum inquireret, id est, in sensu Irenæi, figuram suæ mortis in iustorum occisione priùs exhibitam, adimpleret patiendo in carne sua, & sanguinem suum fundendo. Quo etiam sensu carnis vocem vsurpat Apostolus Hebr. 5. v. 7. *Qui in diebus carnis suæ,* &c. id est, vitæ suæ mortalis & passibilis. Reiicitur. Feuardent.

34. Quinta euasio. Ad locum Cyrilli relatum ex lib. 5. Thesauri cap. 8. respondent Vasques disp. 10. num. 122. & Delugo disp. 7. num. 17. Cyrillum paulò ante ponere manifestè in Deo præscientiam peccati, antequam Christum decerneret. Quare quando subiungit, Christum fuisse præfundatum ante nos, intelligit fuisse præfundatum in præscientia & decreto diuino ab æterno, antequam nos caderemus in tempore. Quia verò huic expositioni obest comparatio Dei cum architecto, quá Cyrillus mentem suam clariùs exponit. Respondent, sensum esse quòd Deus Christum adeo firmum fundamentum constituit, vt si post peccatũ originale remissum, iterum laberemur, possemus in illo resurgere. Qui sensus (inquit Vasques) patet ex his Cyrilli verbis, *Vt si præuaricatione caderemus, in ipso rursus renouaremur.* Verùm neque hæc responsio satisfacit. Nam Cyrillus apertè dicit nos omnes in Christo, præfundato ante nos in præscientia Dei, ita superædificari, vt cùm ordine diuino benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, & Diaboli seruitutem adoptionis libertas (id est, vnico verbo gratia & iustitia nobis in Adamo collata præcesserit peccatum Adami) possit natura humana superatis malis quæ interim acciderunt, (id est, peccatis quæ post ipsum sequuta sunt) in pristi- Non satisfacit.

nam; per gratiam Christi qui fundauit eam bonis in bonis (nempe in bonis illis ante peccatum collatis,) dignitatem recurrere, id est, possit recuperare benedictionem illam, & vitam supernaturalem, & adoptionis libertatem, quæ ordine diuino præcessit maledictionem, & mortis damnationem, & Diaboli seruitutem. Atque ita recurrere ad pristinam dignitatem quam in Adamo adepti eramus, per gratiam Christi qui nos in ea fundauerat. Quare Cyrillus non tantùm asserit, quod aiunt auctores supra citati, quodque verum est, Deum tam firmum in Christo fundamentum iecisse, vt possimus resurgere à peccatis in quæ post remissionem peccati originalis relabimur, quæque Deus ab æterno futura esse præsciuit, & propterea fundamentum tam firmum esse voluit, vt in eo possimus rursus & rursus renouari: verùm etiam affirmat, quod intendimus, nos in Christo fuisse fundatos per gratiam originalem, nobis eius beneficio in Adamo collatam, quæ peccatum eius & maledictionem præcessit. Cætera quæ D. Augustino, & aliis nostris probationibus respōdent Aduersarij, leuiora sunt. Nobis autem nō vacat omnia persequi: & ex dictis potest de illis facilè iudicari.

SECTIO V.

Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ ex Scriptura & Patribus.

35. **Contraria sententia.** **Fundamentum huius sententiæ.** Contrarium vt conuenientius aut probabilius sentiunt D. Thom. quæst. 1. art. 3. Thomistæ communiter ibidē, D. Bonauent. Richard. Marsilius, & alij quidam in 3. dist. 1. quos plurimi recentiores sequuntur. Fundamentum eorum primum & præcipuum est, quia licet Christus de se fuerit prius expetibilis, quàm cætera omnia, & propter Dei gloriam, & propter intrinsecam ipsius perfectionem; potueritque multis aliis titulis expeti independenter à peccato, vt summum decus vniuersi, vt rex & caput creaturarum, vt mediator gratiæ Angelorum & hominum: Nihilominus quia Dei voluntas libera fuit, nec semper rationes supremas efficaciter appetit; potuit illis rationibus omissis eum tantùm expetere occasione peccati, ob finem redemptionis. Quid autem fecerit reipsa, non tam ratione, vel coniecturis inuestigandum est, quàm ex diuina reuelatione per Scripturam, vel Patrum traditionem accepta. Neque enim meliùs possunt nobis Dei decreta libera innotescere, quàm per ipsiusmet reuelationem. Atqui Scriptura, & sancti Patres non aliam tradunt causam incarnationis, quàm redemptionem, & occasionem peccati: Imò alias omnes interdum excludunt: ergò, &c. Minorem probant sequentibus Scripturæ, & Patrum testimoniis.

36. **Prima eius probatio ex Scriptura.** Primò adducunt ea Scripturæ loca in quibus incarnatio assignatur peccato & redemptioni: vt Matth. 1. v. 21. *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Vbi notant nomen à principaliori officio solere imponi. Item Matth. 18. Et Luc. 19. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et 1. Timoth. 1. *Christus venit in hunc mundū peccatores saluos facere.*

Responsio. Respondeo primò, argumentationem vitiosam esse, quando ex assertione vnius infertur negatio alterius non repugnantis, neque incompossibilis. Non repugnat autem vt Christus fuerit decretus vt redemptor, & ob alias causas etiam principales & totales, cum redemptione bene conuenientes: Neque enim si sit redemptor, desinet esse opus Dei præstantissimum & amabilissimum, & rex & caput Angelorum & hominū, & mediator gratiæ & gloriæ, & sponsus Ecclesiæ. Ergo ex eo quòd locis citatis asseratur decretus vt redemptor, malè infertur nullam aliam fuisse causam totalem propter quam decerneretur. Respondeo secundò, alias causas vniuersaliores, & à peccato independentes assignari in aliis Scripturæ locis, vt superiùs ostendimus: quæ licet de facto reperiantur in Christo coniunctæ cum redemptione: tamen vt abstrahunt à redemptione habent amabilitatem & vim mouendi sufficientem, proponunturque locis citatis præcisè, & secundum se, quasi Deum mouentes, & quidem aliquæ ratione priùs quàm peccatum absolutè præuideretur, & necessitas redemptionis ex peccato sequuta. Verùm licet aliæ causæ non exprimerentur in Scriptura; non tamen deberent à nobis excludi, maximè illæ quæ sunt intrinsecæ, & per se mouere dignissimæ. Possunt enim facile intelligi Deum mouisse ex ipsa rei natura, quamuis Deus id expresè non reuelasset: Neque vt mouisse prudenter asserantur, opus est expressa reuelatione, sed potiùs vt asserantur non mouisse. Fuit autem ratio specialis cur Scriptura locis relatis in obiectione, & alibi sæpius nobis proponat & commendet motiuum redemptionis; tum propter specialem vim, quam habet illa ratio vt ostendat Dei benignitatem, quæ erga indignos & ingratos tanta extitit: tum etiam quia Scriptura hominibus loquitur, qui maximè mouentur ea consideratione ad Dei amorem, ad gratitudinem, ad peccati horrorem, ad spem, & charitatem, aliasque virtutes, ad quas excitādas diuinæ reuelationes diriguntur. Ob eandemque causam Angelus sancto Ioseph reuelauit Matth. 1. sufficientem & maximè sensibilem rationem cur Christus esset vocandus Iesus. At non oportuit vt totum diuinum consilium ei patefaceret, neque vt magis principalem aut primariam rationem explicaret. Addo, nomen *saluatoris, & salutis*, non significare tantùm redemptionem à captiuitate, & à morte, quam quis incurrerit: sed & statum bonum gratiæ & gloriæ. Quo sensu gratia & gloria sanctorum Angelorum, vocatur salus Angelorum. Et potest,

quis à peccato saluari per præseruationem à peccatis incurrendis, vt sancti Angeli & Beata Virgo; æquè ac per redemptionem & liberationem à peccatis incursis. Et quanquam reipsa verum est, Christum saluasse populum suum non tantùm ab incurrendis, sed etiam ab incursis; nomen tamen IESV generalius quid significat, & per se non pendet à peccato. Addo prætereà Isaiam cap. 9. vers. 6. commemorantem Christi nomina, proferre alia quæ nullam habent connexionem necessariam cum peccato: *Vocabitur*, inquit, *nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Et cap. 7. vers. 14. *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, id est, nobiscum Deus. Quæ omnia nomina verè ei conueniunt, sed diuerso respectu. Denique falsum est nomina semper à primaria vel magis principali ratione sumi, etiam cùm à Deo ipso imponuntur. Nam v. g. Genes. 5. vers. 2. primum hominem vocauit Adam, quasi dicas, *terrenum*, quia de terra formatum, cùm tamen hæc consideratio non sit præcipua in homine.

27. 2. Probatio bimébris. Secundò, opponunt ea Scripturæ loca in quibus aliæ rationes videntur excludi, ita vt incarnatio assignetur redemptioni tanquam soli causæ totali & sufficienti. Matth. 9. v. 12. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Non veni vocare iustos sed peccatores.* Ioan. 3. v. 17. *Non enim misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ecce, inquiunt, totam causam incarnationis filij Dei, vt mundus perditus saluaretur per ipsum. Quod confirmant ex parabola de centum ouibus Luc. 15. sicut enim Pastor ille non reliquisset nonaginta nouem, nisi centesima aberrasset: sic Filius Dei non descendisset de cœlo, nisi homo peccasset. Item ex parabola patrisfamilias Marc. 12. mittentis filium suum, quia Agricolæ seruos ab eo ante missos occiderant: quem non misisset, nisi illi seruos occidissent, fuissetque necessarium mittere, vt saltem eius reuerētia mouerentur: *quia*, inquit, *verebuntur filiū meū.*

Respōdetur primo mébro. Ad primum Respondeo, Christum, vt medicum curantem ab infirmitatibus, non fuisse opus valentibus, sed malè habentibus: at officium medici non esse munus Christi adæquatum, neque primam aut solam considerationem propter quam venerit. Christus etiam non venit vocare iustos ad pœnitentiam, & conuersionem, quâ non indigent; sed peccatores. Est enim ibi sermo de vocatione ad pœnitentiam & conuersionem, vt patet ex verbis præcedentibus eodem capite.

Ad secundum. Ad secundum Respondeo, ex eo quòd Filius Dei venerit, non vt iudicet, id est, condemnet, sed vt saluet mundum perditum, & damnationi obnoxium, malè inferri hanc esse totam & solam causam cur venerit. Neque enim necessarium est omnes rationes cur venerit, ibi explicari; & aliæ supra à nobis allatæ, & in Scriptura non rarò expressæ, non obsunt quo minùs Christus, præuisa necessitate redemptionis, decretus fuerit vt redemptor, veneritque ad saluandum hominem perditum. Ad priorem confirmationem Respondeo, per pastorem illum intelligi debere eum qui de seipso ait Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*, &c. Christum scilicet, quà hominem, & non præcisè quà Verbum: vt sic enim non ponit animam suam. Quare illa parabola nobis potiùs fauet. Significat enim Christum fuisse pastorem & caput Angelorum & hominum, ante peccatum. Sufficit autem ad similitudinem, quam Christus vtraq; parabolâ intendit, dicere Christum non fuisse venturum ad laboriosam vitam, passionique & morti expositam vt ouem errantem reduceret, & vineam suam repeteret, nisi homo peccasset, & nisi agricolæ suo muneri defuissent. Alioqui enim acturus erat vitam immortalem, gloriosam, & Angelicam, in cœlo potiùs, & frequentius cum Angelis, quàm in terra cum hominibus conuersaturus. Quamquam licet Iudæi Dei seruos, id est, Prophetas ante à Deo missos non occidissent, Christus venisset nihilominus ad redemptionem & satisfactionem perfectam Deo exhibendam, vel propter solum peccatum originale, vt fatentur Aduersarii.

Opponunt tertiò varia Patrum testimonia, quorum aliqua tantùm affirmant Christum venisse redemptionis vel salutis hominum causâ; vt illud symboli Nicæni, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*, & alia plurima à Vasque relata disp. 10. cap. 5. Ad quæ respondendum est, vt ad priora Scripturæ loca respondimus, ex assertione vnius, malè inferri negationem alterius non repugnantis. Alia verò, cæteras causas incarnationis positiuè excludere videntur: Cuiusmodi est illud Irenæi lib. 5. contra hæreses cap. 14. *Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*, &c. Et Athanasii serm. 3. contra Arianos, inter medium & finem, *Indigentia hominum anterior est, quàm illius natiuitas, quâ sublatâ, carnem non induisset.* Et Nazianzeni oratione 4. de Theologia, fere initio, *Quæ causa fuit naturæ humanæ, quam nostri causa subiit? Nonne nostra salus? Quid enim aliud dicemus?* Et Ambros. lib. de Sacram. dominicæ Incarn. cap. 6. *Quæ erat causa incarnationis, nisi vt caro quæ per se peccauerat, per se redimeretur?* & Augustini serm. 8. de verbis Apostoli, *Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. Si homo non perisset, filius hominis nō venisset.* Et serm. 9. initio, *Nulla fuit causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ causa.* Et Leonis serm. 3. de Pētecoste, fere initio. *Si homo in suæ honore naturæ mansisset*, &c. *Creator mundi creatura non fieret.* Vbi Vasques ponderat illa postrema verba, *Creatura non fieret*, quæ, inquit, de carne solùm passibili non possunt explicari: & Gregorii magni lib. 4. in lib. 1. Regum cap. 1. *Non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessēt eum venire nō oporteret.* 28. Tertia probatio ex Patribus. Irenæus. Athanasius. Nazianz. Ambros. August. Leo Papa. Gregor.

Citatur

Citatur quoque à Vasque disp. 10. cap. 4. n. 46. Cyrillus Alexand. ex variis locis. Sed nihil expressi profertur, & ipse non obscurè contrarium affirmauit verbis relatis sectione præcedenti. Alia quæ citantur à Lessio
Lessius. in disput. de Prædestinatione Christi, ex Petro Chrysologo, & paucis aliis, minùs vrget.

39. Ad quæ omnia Respondeo, Patres citatos loqui de Incarnatione prout nunc facta est in carne passibili & mortali, cuius causam fatemur fuisse peccatum, sine quo Christus non venisset mortalis & passibilis, quandoquidem homines ipsi, si non peccassent, futuri erant omnes immortales & impassibiles. Alioqui enim Irenæus & Augustinus sibi ipsis contradicerent, aliis locis supra relatis. Et manifestè aliæ multæ causæ afferri possunt, præter peccatum seu redemptionem, incarnationis sumptæ simpliciter. Addo, nomen *salutis*, quo Irenæus & Nazianz. vtuntur, patere latiùs, quàm redemptionem à peccato, vt suprà monuimus. Ac si pauci inter Patres contrarium senserunt ex proprio sensu, sine reuelatione diuina, vel propter minùs bonam illationē & Scripturæ interpretationem; non propterea sententiam nostram non fore probabiliorem, aliorum Patrum testimoniis, & Scripturæ authoritate, & rationibus fortioribus nixam.

40. Quarta probatio: sed inutilis. Vasquez. Profertur etiam à Vasque disp. 10. cap. 4. num. 48. prosa quædam ecclesiastica, sic alloquens Beatam Virginem: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tali digna filio*: Et quod canitur in benedictione Cerei Paschalis, *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte delendum erat*: Sed prosa illa nunquam fuit recepta ab Ecclesia Romana, & nullius est momenti. Posterior locus non affirmat necessarium fuisse peccatū vt Christus veniret simpliciter, sed vt Christus moreretur, quod non diffitemur. Verùm instat Vasques, peccatum ibi commendari per prosopopeiam, & laudari. Si autem necessarium tantùm fuit vt Christus moreretur, nihil laudis inde posset habere, sed potiùs summæ crudelitatis notari, quòd tam diræ mortis causa extitisset. Respondeo, non commendari quòd fuerit causa mortis simpliciter, sed quòd fuerit occasio mortis adeo gloriosæ, totque virtutibus heroicis illustris, quamque triumphus resurrectionis, & exaltationis sequutus est. Perinde ac si quis, post vrbem glorioso & vtili triumpho recuperatam, diceret, necessarium fuisse prodi hostibus vrbem, vt tam gloriosa vtilique victoria recuperaretur.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta ex ratione desumpta.

41. Gabr. Vasques disp. 10. c. 9. hanc vnam opponit rationem. Si Christus vi decreti diuini fuit venturus Adamo non peccante; vel venturus fuit passibilis, vel impassibilis. Non passibilis: quia si peccatum non fuisset, cæteri homines fuissent impassibiles: ergo multò magis ipse Christus: fatenturque omnes ipsum non venisse vt passibilem & mortalem, nisi propter peccatum. Non etiam impassibilis: quia cùm decretū illud fuerit efficax & venisset reipsa, impassibilis, si fuisset decretus talis.

Diluitur primum argum. ex ratione petitum. Respondeo: Deum illo priori signo rationis, quo Christum decreuit propter ipsius excellentiam, & alias rationes abstrahentes à peccato, non determinasse modum quo veniret, passibilis, an impassibilis, quorum neuter determinatè necessarius erat vt veniret. Et licet Christus ob alias causas, quàm propter peccatum, potuerit venire passibilis: credibilius tamen est non fuisse decretum absolutè passibilem, nisi propter peccatum: ac potiùs Deum, ante peccatum præuisum, habuisse affectum desiderii simplicis, aut conditionati, vt Christus veniret impassibilis, nisi propter peccatum aliud necessarium esset: Quia scilicet impassibilitas erat conuenientior, & veluti connaturalior illius excellentiæ, & maiestati infinitæ. Sicut ante peccatum permissum & præuisum, habuit desiderium vt omnes homines essent immortales & beati. Ostendimus autem sect. 1. exemplis familiaribus posse priùs decerni aliquid quoad substantiam, & deinde de modo absolutè determinari, cuius determinandi nasci potest aliqua occasio; ita vt voluntas, quæ alioqui modum alium elegisset, & conditionatè iam aliis prætulerat, ad istum se absolutè determinet ob talem occasionem. Cætera quæ in argumenti sui confirmationem prosequitur Vasques, leuiora sunt, & ex dictis facilè solui possunt.

42. Secundum soluitur. Secundò, Valentia quæst. 1. punct. 7. in tertia probatione suæ sententiæ, objicit magis commendari diuinam bonitatem ergà peccatores, si Christus non fuit venturus nisi in redemptionem. Etenim plus aliquantò pro eis fecit, si ita misit filium in redemptionem peccatorum, vt aliter missurus non fuerit. Respondeo 1. nihil inde sequi. Nam Deus non facit necessariò quidquid magis suam bonitatem ostendit, sed eligit liberè quidquid extra se facit. 2. Nihil à nobis detrahi de bonitate & charitate ergà peccatores, cùm asseramus, eorum redemptionem fuisse causam totalem, & se sola sufficientem & efficacem; adeo vt ob eam solam venisset Christus, licet omnes aliæ defuissent, & propter eam decretus fuerit pari affectu, quo volunt Aduersarii, quamuis sine exclusione aliorum motiuorum. 3. Non minoris esse bonitatis & charitatis velle Christum propter salutem Angelorum & hominum nondùm inimicorum, quàm propter redemptionem peccatorum & inimicorum; sed potiùs illud esse maioris charitatis, vt in simili docet S. Thom. D. Thom.
2. 2. quæst. 27. art. 7. Ac denique affectum Dei fuisse meliorem, Deumque magis suam bonitatem simpliciter ostendisse, si Christum voluit propter suam excellentiā, & vt decus Vniuersi, & caput hominum & Angelorum,

aliaque motiua, expetendo vnumquodque vt totale & sufficiens, prout fert eius dignitas & amabilitas; quàm si ob vnicam redemptionem expetiuisset. Atque vt commendetur charitas & bonitas ergà peccatores, non est minuenda erga alia motiua, præsertim erga Christum ipsum, in quo multa fuerunt amabiliora redemptione. Redemptio enim in actibus liberis & meritoriis consistit: quibus longè præstantiores sunt actus beatifici diuinæ visionis, & excellentissimi amoris erga Deum clarè visum, ipsaque Christi dignitas substantialis, & gloria supernaturalis, quæ maior est, quàm cæterorum omnium Beatorum.

43. Lessius. Tertiò, Lessius disp. de Prædestinatione Christi, sect. 1. n. 4. 6. & sequentibus, opponit has rationes. Prima: Nostra sententia videtur excogitata, vt Christus statuatur etiam author salutis Angelorum. Sed hoc non congruit Apostolo Hebr. 2. Vbi probat Christum debuisse constare carne & sanguine, quia illi, qui per eum sanctificandi erant, his constabant. At Angeli non constant carne & sanguine. Itẽ, *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes*, id est, ex Adamo, vt ibidem ait Apostolus. At Angeli non trahunt originem ex Adamo: ergo non erant sanctificandi per Christum. Item ibidem, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, Græcè ἐπιλαμβάνεται, id est, quasi iniecta manu apprehendit, & tenet ne ruat in interitum, vt Ribera & alij in hunc locum exponunt; sensusque est, non debuisse Christum Angelis assimilari, quia ad eos saluandos non venit. Addit Vasques disp. 15. nu. 12. & disp. 49. n. 21. vbi contendit, primos parentes ante peccatum, & Angelos non fuisse sanctificatos per Christum: Omnia merita Christi ita consummata fuerunt morte ipsius, vt non nisi prout coniuncta morti, effectum habuerint, & ab illa efficacitatem acceperint. At Christus non est mortuus pro Angelis, neque illis, aut primis parentibus in statu innocentiæ, & ante præuisum peccatum, potuit gratia decerni propter mortem Christi, quæ non fuit decreta & præuisa nisi post peccatum præuisum.

Vasques.

Respondetur tertio argumento. Respondeo cum Cornelio à Lapide in caput secundum epistolæ ad Hebr. n. 132. & in primum caput ad Ephes. n. 46. hunc locum Pauli non obstare sententiæ eorum qui opinantur Christum sanctificasse Angelos, seu gratiam illis fuisse collatã propter Christi merita: quia Paulus non loquitur ibi de iis omnibus qui per Christum sanctificantur quomodocumque, sed tantùm de iis qui sanctificantur per consummationem passionis & mortis (de qua immediatè ante loquitur) & per redemptionem. Qui omnes quia erant passibiles & mortales, valde fuit conueniens vt Christus illis assimilaretur, tanquam minoribus fratribus, & maiori misericordia auxilioque indigentibus. Hunc esse verum Apostoli sensum patet ex verbis immediatè præcedentibus vers. 10. *Decebat enim eum per quem omnia, & propter quem omnia* (id est, Deũ) *authorem salutis eorum* (id est, Christũ) *per passionem consummare* (sic enim legendum est, non consummari, sicque habet vulgata, & Græcum τελειῶσαι) *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur* (per passionem scilicet) *ex vno omnes*. Sermo ergo est de iis tantùm propter quos decuit Christum consummari per passionem, id est, propter quos Christus fuit decretus & venit passibilis, quos fatemur fuisse homines peccatores. Quod autem additur de apprehensione, meliùs & communiùs exponitur de assumptione naturæ humanæ, per incarnationem facta.

Ad confirmationem Vasquis diceret aliquis, quod ipse significat respondeti debuisse, Deum in priori rationis decernentem gratiam Angelis propter merita Christi, abstraxisse ab illa conditione consummationis per mortem, illi simpliciter non necessaria, de qua in posteriori rationis determinauit post peccatum præuisum, vt suprà diximus de modo veniendi in carne passibili. Ac licet Christus non sit mortuus pro Angelis à peccato redimendis, vt aiunt sancti Patres ibidem à Vasque relati: mori tamen potuisse pro illis sanctificandis, vt meritum mortis ipsius ad gratiam & gloriam Angelis promerendam valeret, eosque suo sanguine emeret, id est, suos nouo titulo faceret, tametsi non redimeret à captiuitate, quam non incurrerant. Verùm hæc responsio non satisfacit loco Pauli iam allato, & omnino falsa est. Si enim Angeli fuerunt sanctificati propter merita Christi, vt efficacia scilicet, & consummata ac perfecta merita; fuerunt illa priùs præuisa vt talia, qui enim vult aliquid propter aliud, priùs præuidet illud. At si merita Christi respectu Angelorum fuerunt consummata per mortem Christi, ita vt mors fuerit eorum consummatio, non fuerunt præuisa ante mortem præuisam, & consequenter nec ante peccatum præuisum, cuius præuisio fuit causa decreti mortis Christi, æquè ac mortis Adami & reliquorum hominum. Negandum ergo potiùs est, Christi merita respectu Angelorum fuisse per mortem consummata, sed Christum per actus heroicos charitatis erga Deum, adorationis, orationis, & similes independentes à peccato, eis meruisse. Quod arbitrariè non asseritur, vt ait Vasques, sed deducitur ex locis quibus ostendimus Christum fuisse caput & primogenitum, & pastorem ac mediatorem, etiam respectu Angelorum ante peccatum. 44. Angeli non fuerunt per Christi mortem sanctificati.

Instabis, quia iuxta eorum sententiam, qui volunt prædestinationem fuisse factam antecedenter ad præuisionem meritorum, Deus primaria intentione voluit electis antecedenter & efficaciter gloriam propter media & merita nondum determinata. Ergo similiter potuit decernere gratiam Angelis propter Christi merita nondum determinata. 45. Instantia repellitur.

Respõdeo negãdo antecedens. Nã authores

illius sententiæ non dicunt, neque possunt rectè dicere, voluisse Deum pro illo priori gloriam electis propter merita. Neque enim merita fuerunt causa gloriæ in intentione, sed solùm in executione, iuxta eorum sententiam: vt videre est apud Suar. lib. 1. de Prædest. cap. 8. & seqq. & lib. 5. cap. 5. Bellarm. lib. 2. de Gratia & libero arbitrio cap. 10. & seqq. aliosque celebriores huius sententiæ patronos.

46. Quartum argum. Lessius.

Secunda ratio Lessii supra num. 6. hæc est: Si nostra sententia vera esset, verè & propriè dici posset, filium Dei non assumpsisse carnem nostrâ causâ, sed solùm qualitatem carnis: quia propriè non dicitur causa, illud sine quo res fieret æquè ex vi causæ alterius iam positæ. Vnde sequeretur, nos non teneri agere gratias Deo pro filii incarnatione, & infinita illa diuinitatis exinanitione quâ ipsam carnis substantiam sibi vniuit; sed solùm quòd passibilitatem carnis assumpserit, & sua passione nos redemerit.

Verè dicitur Verbū assumpsisse carnem nostrâ causâ.

Respondeo primò, causam nostram latiùs patere, quàm redemptionem. Etenim venire ad nos sanctificandos & glorificandos, est etiam venire nostrâ causâ, & hoc sine peccato & redemptione esse potuit. Secundò, dico sequelam nullam esse. Cùm enim iuxta nostram sententiam Christus non tantùm vt passibilis, sed etiam quoad substantiam fuerit decretus efficaciter propter redemptionem, velut causam totalem, & se sola sufficientē; sequitur Dei filium verè ac propriè sumpsisse carnē nostrâ causâ, & causa ipsius redemptionis. Ad confirmationem sequelæ Respōdeo, quando effectus fit ob multa motiua totalia, vnumquodque esse verè & propriè causam illius finalem & totalem. Nec verum est tunc effectum æquè futurum esse, licet alia causa deesset. Quamuis enim simpliciter esset futurus: non tamen esset æquè futurus ex parte causæ, si propter vnam solam esset futurus, ac si ob plures totales: sed effectus quodammodo magis fit, quando à pluribus causis totalibus & sigillatim sufficientibus ac totaliter influentibus fit, difficiliúsque impediretur fieri.

47. Quintum argum. Lessius.

Tertia ratio eiusdem Lessii n. 8. est huiusmodi: Quando intentio & finis operis est occultus, ex nulla re meliùs deprehendi potest, quàm ex modo executionis, vt in omnibus operibus humanis constat. Fingere autem subesse alium finem primarium qui non possit deprehendi ex rei executione, est diuinare in incertum. Atqui omnia quæ apparent in executione huius mysterij, indicant illud institutum esse ad salutem hominum, & ad satisfactionem pro nostris peccatis: ergo non est alius finis magis principalis. Minorē probat 1. ex natura assumpta, quæ est humana, non Angelica, quamuis nobilior & vniri aptior, diuinæque conformior: nimirum quia non Angelus, sed homo saluandus erat. 2. Ex persona assumente, qui est Filius non Spiritus sanctus. Nimirum vt imago Patris increata repararet imaginem creatâ: & vt filius Dei naturalis accerseret filios adoptiuos. Alioquin erat potiùs vniendus Spiritus sanctus in quo sistit processio ad intra. 3. Ex tempore, quo totum fere genus humanū idololatria, & omni peccatorum genere oppressum, satis intelligebat se non posse per naturam, neque per legem, à peccatis resurgere. 4. Ex eo quòd Angeli multis ante millibus annorum iam erant glorificati. Atqui non erant glorificandi ante Christum, si per eum glorificantur: quemadmodum homines non fuerunt ante illum glorificati, sed post ipsius mortem, & meriti consummationem. 5. Denique ex passibilitate, paupertate, humilitate, & omnibus aliis circumstantiis.

Respondeo 1. Alios fines Incarnationis non ita esse occultos, quin partim ex ipsa natura rei, partim ex Scriptura satis deprehendi possint. 2. Executionem non semper respondere intentioni primariæ, quæ potest ex aliquo accidenti frustrari effectu, & aliò detorqueri. Sic intentio primaria Dei erga omnes homines, fuit eos saluandi: Executio tamen in multorum damnatione terminatur. 3. Quando sunt plures fines totales eiusdem operis, vt sunt incarnationis, licet eius intentio quoad omnes fines sit efficax, & non possit frustrari effectu, non est tamen necessarium omnes & singulas circumstantias executionis cuilibet fini appropriari, & propter illum expeti. Sufficit enim vt aliis non repugnent, quamuis vni magis conueniant, & possunt aliquæ fini minùs principali magis conuenire. Sic passibilitas, paupertas, & humilitas, magis conueniunt fini redemptionis; sed non repugnant aliis, quia Christus passibilis, pauper, & humilis, non desinit esse per se amabilissimus, infinitæ excellentiæ persona, summa Dei gloria ad extra, decus Vniuersi, caput hominum & Angelorum, mediator gratiæ & gloriæ. Neque repugnabat (quamuis minùs conueniebat) Christum citra peccatum venire passibilem, pauperem, & humilem, ad Deum sua passibilitate & humilitate glorificādum, ad exemplum virtutum, & alios fines vtiles. Aliæ verò circumstantiæ allatæ à Lessio multò minùs probant Christum venisse solùm vt redemptorem. Valent enim ad alios fines vniuersaliores, & à peccato independentes. Et quamuis simul valeant ad peccati remedium: vitiosè tamen excluduntur à Lessio alii fines, ad quos non minùs valent, & sine peccato valerent. Quando enim circumstantiæ, & modus executionis, valent ad multos fines; malè vnus eligitur, & alii excluduntur, argumento ab illis desumpto. Porro valere has circumstantias ad alios fines, & propter illos eligi potuisse, quamuis peccatum non fuisset, manifestum est. 48.

Quomodo de intentione sit iudicandū ex executione.

Primò enim cōueniens erat naturam humanam assumi præ Angelica, quia illa totius Vniuersi compendium est, continens in se omnes substantiarum gradus, atque ita Deus totum Vniuersum in illa quodammo-

Cōuenientiæ incarnationis, quoad modum quo facta est.

do sibi vniuit. Item Deus per illam Angelis & hominibus assimilatus est. Homines enim ex parte animæ sunt similes Angelis. 2. Conueniens erat vt persona assumens esset filius, quia conueniebat mediam personam sanctissimæ Trinitatis esse mediatorem inter Deum & creaturas intellectuales; atque Angelos & homines adoptari in filios Dei, per filium Dei naturalem, & ei similes fieri per ipsius imaginem naturalem & increatam, ea similitudine de qua dicitur 1. Ioan. 3. v. 2. Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Quæ similitudo, & filiatio adoptiua, Angelis æquè ac hominibus competit. 3. Non deerant aliæ rationes à peccato independentes, cur Christus veniret, non ipso mundi initio, neque omnino in fine, sed eo tempore quo venit. Quas rationes D. Thomas exponit quæst. 1. a. 5. & 6. Vbi præter rationem à Lessio allatam, vt nimirum medicinæ necessitas melius cognosceretur, has addit: quia scilicet decebat Deum seruare ordinem promotionis in bonum, secundum quem ab imperfecto, id est, minùs perfecto, ad perfectum proceditur. Vnde Apostolus dicit 1. Corinth. 15. *Non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Item quia decebat Verbi incarnati dignitatem, vt longa series procerum, & præconum, ipsum præcederet, Patriarcharum, Prophetarum, figurarum, & prædictionum. Nimirum vt tantum illud bonum priùs esset in expectatione diuturna, & non subitò tribueretur, sed cum pompa & celebritate, in qua multa præcederent, hominesque ad illius susceptionem disponerent. Nec tamen debuit idcirco vsque ad mundi finem differri: tum ne feruor fidei, temporis prolixitate tepesceret, & nimia dilatio nimis noceret: tum quia incarnatio erat causa consummationis vltimæ, ideoque debebat illam præcedere, sicut causa præcedit effectum: tum denique vt diuina virtus magis manifestaretur, quæ pluribus modis homines saluauit, non solùm per fidem Christi futuri, sed etiam per fidem præsentis, & præteriti. Hæc D. Thom. qui artic. 5. ad secundum aliam affert rationem ex D. August. epist. 49. quæst. 2. Christum venisse eo tempore, quo futuros esse qui in eum crederent præsciuit. Sed eam meritò ipse improbat, & D. Augustinus retractat in lib. de Bono perseuerantiæ cap. 9. quia multis Christus non prædicauit qui credidissent si prædicasset, vt ipse affirmat Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone* &c. Nec denique obest quòd Angeli erant iam glorificati: nam propterea Christus non desinit esse primogenitus secundum intentionem. Fuisse autem primogenitum omni modo non est necesse, neque verum: nam antequam Christus nasceretur, multi fuerunt sanctificati per gratiam, & facti filii Dei adoptiui, quamuis non nisi per Christum venturum. Qua ratione Angeli, qui non minùs sunt per se simpliciter remoti à gratia & gloria, potuerunt conuenienter per Christum vt mediatorem sanctificari. Cur autem glorificarentur priùs quàm homines, & ante Christi mortem, ratio conueniens fuit, quia cùm non peccassent vt homines, non erant adeo indigni gloria, & differendi vsque ad exhibitionem solutionis pretii pro peccato.

S. Thomas. | S. August.

49. Sextum argumentum diluitur.

Quarta ratio Lessij n. 12. sic habet: Si Christus erat venturus in statu innocentiæ, quali carne erat venturus? Gloriosa, an non gloriosa, qualem habuit Adam? Si gloriosa: quomodo potuisset nasci, & crescere. Caro enim gloriosa est impatibilis. Si non gloriosa: cur gloria fuit dilata, cùm ea non fuerit differēda nisi vt posset pati & subire mortem, vt sancti Patres docent? Rursus, versatus fuisset inter homines in terris, an inter Angelos in cœlis? Si primum: id non erat conueniens, cùm iam esset beatus, & homines non egerent instructione & exemplo, sicut in statu naturæ lapsæ. Si secundum: non debuit assumere naturam humanam, sed Angelicam: cur enim assumeret humanam, nunquam inter homines humano more victurus?

Respondeo, potuisse Christum facilè venire in carne ei simili quam Adam & alij in statu innocentiæ habituri erant, gloria corporis interim dilata, vt inter homines aliquandiu familiariter conuersaretur, eosque sua instructione & exemplo ad maiorem perfectionem promoueret. Quamuis enim his non egerent simpliciter in statu innocentiæ: poterant tamen ijs plurimum iuuari. Neque passio & redemptio fuit vnica causa omnino necessaria cur differretur gloria corporis Christi. Potuit enim esse quam dixi: & insuper quia decebat Christum per omnia assimilari hominibus, quantùm fieri poterat sine indecentia. Quamquam etiam Deo facile erat Christum in carne gloriosa creare, in statu virili & perfecto, sicut Adamum creauit, sine naturali generatione: atque etiam ab initio creationis in cœlo regnātem (quod eius maiestati conuenientius fuisset) & inde cætera regentem, constituere. Neque enim propterea humanitatem frustra assumpsisset, quādoquidem æternùm cum hominibus post hanc vitam seu viam, æquè ac cum Angelis esset in cœlis conuersaturus. Et aliæ duæ rationes cur antea diximus naturam humanam fuisse assumptam præ Angelica, adhuc locum haberent.

50. Septimum argumentum.

Quinta ratio Lessij n. 13. sic ab illo proponitur: Mysterium incarnationis includit humiliationem & exinanitionem diuinitatis, vt loquitur Apostolus Philipp. 2. initio. Ergo nullo modo fuit per se expetendum, vel vt Vniuersum omnibus rerum gradibus constaret: sed solùm ob aliam causam extrinsecam maioris momenti, cui alia ratione consuli non poterat. Vt si Rex fie-

An mysterium Incarn. includat humiliationem Verbi.

ret seruus, aut rusticam duceret in sponsam. Id enim per se dedecet. Neque fieri debet, nisi bonum maioris momenti exigat: puta ad regnum, aut magnam eius partem à ruina liberandam. Nec obest, quòd mirabiliter extollatur humanitas. Nam etiam rustica per coniugium Regis extollitur: & non minùs dedecet per se Creatorem fieri creaturam; Dominum, seruum. Adde, quòd opus incarnationis non pertinet proprie ad perfectionem Vniuersi creati. Vel enim vnio naturæ cum Verbo consideratur vt est quædam creata perfectio, non inuoluens ipsam diuinitatem: vel prout inuoluit diuinitatem. Posteriori autem modo non pertinet ad gradus rerum creatarum, sed quid sublimius est: quia vniones rerum pertinent ad ordines rerum, quarum sunt vniones. At priori modo illa vnio non est magna perfectio, neque gradum rerum constituit, sed est modus quidam: modi autem sunt paruæ admodum entitatis, nec possunt per se aliquem gradum rerum constituere: quia non differunt realiter à rebus quibus insunt, sed sunt ipsa res certo modo se habens, vel absolutè, & ad se, vel in ordine ad aliud. Denique non magis pertinet ad complementum Vniuersi vt Deus fiat homo, quàm ad complementum regni, & perfectionem, ac decus, vt filius Regis induat habitum rustici.

57. Respondetur 1. indirectè.

Respondeo 1. Argumentum Lessij in ipsum retorqueri posse. Nam si per se indecorum erat vt Verbum diuinum naturam creatam assumeret, neque decenter fieri potuit, nisi ob aliquam causam extrinsecam maioris momenti, cui alia ratione consuli non poterat: ergo non debuit incarnari propter peccatum, cui Deus sine indecentia poterat facilè alia ratione consulere, vel ex pura misericordia, vel admixta iustitia non adeo rigorosa, sed qualem creaturæ exercere potuissent: & aliunde auertendo incommoda quæ nasci poterant ex tali modo consulendi peccato. Quemadmodum in exemplo Lessij, Rex indecorè faceret, si seruus fieret, aut rusticam duceret, potens aliâ viâ regnum periculo facilè liberare. Deinde si incarnatio fuit per se Verbo indecora, non debuit fieri propter satisfactionem: quia non fuit indecorum Deo carere satisfactione, vel sine cōdigna satisfactione parcere hominibus. Quare non fuit conueniens, vt propter maiorem satisfactionem subiret aliquid indecorum, & quod grauius sit, quàm carere maiori satisfactione; quæ non tanti momenti erat. Verùm vt rectè ait Ambros. in cap. 1. epist. 1. ad Timoth. *Humilitas ista non ad diminutionem eius proficit, sed ad gloriam: & non solùm eius, verùm etiam in ipsum credentium. Dignitas est enim seruum esse potentis.* Et S. Leo epist. 10. ad Flauian. cap. 2. *Natiuitas temporalis illi natiuitati diuinæ, & sempiternæ nihil minuit, nihil contulit.* Et serm. 5. de Natiuit. cap. 2. *Exinanisse se dicitur, tanquam se propria virtute exinanierit: dum in ea humilitate quâ nobis consuluit, non solùm Patre, sed etiam seipso* (secundum hominem) *factus est inferior. Nec aliquid illi hac inclinatione decessit: cui cum Patre & Spiritu sancto, hoc quod est, commune est: vt hoc ipsum intelligamus ad omnipotentiam pertinere, quod secundum nostra minor est, secundum propria minor non est.* Et serm. 8. de eadem solemnit. cap. 1. *Formam serui*, inquit, *sine suæ detrimento maiestatis accepit: vt in sua nos proueheret, non ipse in nostra deficeret.* Et Fulgent. lib. de Incarnat. & Gratia Iesu Christi cap. 2. *Illa igitur exinanitio vnigeniti Dei susceptio fuit formæ seruilis, non amissio vel diminutio Deitatis. Diuina quippe natura nec minui potest aliquatenus, nec augeri: quia immutabilis manens, hoc habet semper esse quod est. Nam si Deus ille verus & summus, qui propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius paupertate nos diuites essemus, plenitudinem suam (quod nefas est) exinanitus amitteret, aut aliquid mutabilitatis, in illa formæ seruilis acceptione sentiret: non dixisset B. Ioannes Euangelista de Verbo incarnato, Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.*

Quare Respōdeo 2. directè non esse verum diuinitatem ipsam per incarnationem fuisse exinanitā: neq; physicè, quia nihil inde amisit, aut passa est incōmodū: neque moraliter, quia sicut Dei maiestas nō minuitur moraliter per blasphemias hominū, sic &c. Sicut lux solis non inficitur cœno quod illustrat, & Deus secundū præsentiam intimā suæ essētiæ est in rebus vilissimis, ac fœdissimis, in ipso inferno & in dānatis, absq; vlla exinanitione, vel indecentia. Atque vt rectè dicit Anselm. lib. de Meditatione redempt. generis humani cap. 3. *Diuina natura humiliari, aut laborare non eguit, nec potuit. Hæc omnia naturam humanam, vt ad hoc restitueretur, propter quod facta erat, necesse erat facere.* Cōtrà verò per se valde conuenit diuinæ bonitati, vt se summè cōmunicet, non modò per naturam, & gratiam, sed etiam per vnionem hypostaticam, id est, per assumptionem naturæ creatæ in vnitatem personæ, tribuēs illi ipsummet esse diuinum substantiale: quod opus Dei maximum est, & nulli creaturæ communicabile. Neque satis piè dictum videtur, Christum non esse per se amabilem, & expetibilem sed solùm in ordine ad redemptionem. Et quamuis non esset per se expetibilis, sed propter aliud, non desunt alia motiua extrinseca, propter quæ decenter appetatur æquè, ac propter redemptionem: putà ad regnum Beatorum Deo acquirendum, ad filios ei adoptandos, ad Deum ipsum summè honorandum, & dignè Deo, per actus naturæ assumptæ. Enimuero, vt supra diximus, actus redemptionis (qui liberi fuerunt) non sunt in Christo præcipui: actus enim beatifici, quibus Deum summè amat, præstantiores sunt,

Ambros.

Leo.

52. Quod verò objicitur ex Philipp. 2. dictum est de Christo, non vt Deo, sed vt homine. Pauli enim verba sunt: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen &c.* Quæ verba non possunt de Christo, vt Deo intelligi, nisi per idiomatum communicationem. Nam Christus, vt Deus non fuit obediens, quia, vt talis superiorem non habet, cui teneatur obedire. Et tamen Paulus de illo, qui se exinaniuit, & humiliauit, ait factum fuisse obedientem vsque ad mortem. Loquitur ergo de Christo vt homine. Item Deus non exaltauit Christum, vt persona diuina est, nec potuit illum exaltare, aut nomen maius, quam haberet, illi donare. Sed exaltauit Christum hominem Deum, qui semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: quia fuit missus in similitudinem carnis peccati, vt ait Paul. ad Rom. 8. v. 3. id est, quia venit passibilis, & mortalis, & cum qualitatibus similibus illis, quæ nobis insunt in pœnam peccati: licet veram carnem peccati, id est, peccato infectam non habuerit. Quo eodem sensu D. August. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 32. sic ait: *Non fuisset caro Christi in similitudinem carnis, nisi caro ista fuisset peccati.*

Exponuntur Pauli verba Philip. 2.

53. Neq; par est ratio de rege qui seruus fieret, aut rusticam in vxorem duceret. Nam bonus regis status pendet à cõditione, quam subit, & à coniugio, quod contrahit. Secus autem bonus Dei status à creaturis. Neque Deus fit creatura & seruus intrinsecè, ac propriè, sed tantùm per idiomatum communicationem. At Rex fieret propriè, & verè seruus. Negari etiam non potest, quin Christus, qui est totum opus incarnationis, pertincat propriè ad Vniuersi creati perfectionem, tanquam apex, & caput creaturarum. Vnio verò hypostatica non potest esse, neque intelligi, quin personam diuinam, & humanitatem inuoluat. Neque est tam paruæ entitatis, ac Lessius imaginatur, cùm sit ipsamet extrema, substantialiter, & seipsis vnita. Et quamuis distingueretur ab extremis velut modus adueniens humanitati, eique inhærens, vt Less. & alij plerique affirmant: esset adhuc valde magna perfectio, constituens formaliter naturam humanam in statu hypostatico nobilissimo, & plane diuino, id est, constituens mirabile suppositum ex naturis diuina & humana substantialiter vnitis in hypostasi Verbi. Quod dum facit, constituit nouum gradum rerum, nempe substantiarum mirabiliter compositarum ex natura creata, & diuina hypostasi.

SECTIO VII.

Respondetur aliis Recentiorum quorumdam argumentis.

Aduersus nostram sententiam alia multa opponunt eruditi quidam recentiores, quæ quia longum esset persequi, & pleraque forent importunè repetenda, sufficiet præcipua refutare: quorum primum istud est: Vt vera esset, inquiunt, nostra sententia, oporteret quòd incarnatio ipsa non sit substantialiter, & in se, à Deo destinata in gratiam hominum, seu quòd Christus, vt homo Deus, non sit talis constitutus substantialiter in gratiam, & salutem Ecclesiæ. At hoc non potest dici: quia repugnat Scripturæ, Conciliis, & Patribus, vt nos ipsi fatemur. Maior verò probatur, quia vt dicatur primum esse simpliciter decretum incarnationis, oportet vt non sit æquè secundum, & posterius illis, quorum comparatione simpliciter dicitur primum. Si enim esset æquè secundum, & posterius illis; cur simpliciter diceretur illis prius? Atqui si verè & propriè incarnatio substantialiter est decreta in salutem hominum, decretum saluandi homines, est prius destinatione incarnationis. Quandoquidem hic prioritas est causalitas finalis, aut causalitati coniuncta. Et sicut dicitur in nostra sententia Deus priùs destinasse Christum, quia illius gratiâ voluit Ecclesiam, & cætera omnia: ita si Christum voluit propter Ecclesiam, destinauit priùs Ecclesiam, quàm Christum. 54.

Primum argum.

Respondeo, concessa minore primi argumenti, nego maiorem. Quamuis enim Christus fuerit prima intentione antecedenter destinatus propter se: potuit consequenter, ex occasione alterius præsupponentis hanc intentionem, iterum destinari propter bonum Ecclesiæ, & redemptionem hominum. Id est, quamuis Christus antecedenti intẽtione Dei, & nullam aliam præsupponente ex parte obiectorum creatorum, adeóq; simpliciter prima in illo ordine, fuerit destinatus propter se, & propter illum voluerit Deus creare homines, & constituere illi regnum Ecclesię triumphantis: tamen præuiso quòd homines ad regnũ illud destinati, essent lapsuri in peccatum, potuit consequenter ad illam præuisionem moueri eorũ amore ad Christum mittendum: & quidem velut motiuo sufficienti circa ipsam substãtiam incarnationis, vt dicemus paulò post. Ad probationem maioris Respondeo, tametsi consequenter modo, iam dicto, incarnatio substãtialiter decreta fuerit in salutem hominum: & decretum saluandi homines fuerit eatenus prius decreto incarnationis, vt volitæ consequenter propter illud motiuum: tamen decretum mittendi Christum propter illud motiuum, supponit præuisionem peccati hominũ; & consequenter præsupponit decretum creandi homines; quorum creatio

Christus licet per se primò intentus, potuit iterum intendi propter Ecclesiam.

decreta fuit propter Christum opus Dei excellētissimum, & primogenitum omnis creaturæ, vt dicitur Coloss. 1. vers. 15. ac proinde supponit Christum ratione priùs decretum. Vnde à primo ad vltimum, decretum illud mittēdi Christum propter hominum redemptionem, supponit Christum ratione priùs decretum independenter à præuisione peccati. Quare concessa maiore secundi argumenti propositi, minor neganda est.

55. Sed aduersus hanc solutionem instant aduersarii: quia, inquiunt, si verum esset Incarnationis destinationem in gratiam Ecclesiæ, esse tantùm secundam: non posset stare veritas ab omnibus concessa, & certa: quòd scilicet Deus actu veræ charitatis erga Ecclesiam destinauit Incarnationem, substantialiter, & per se sumptam. Sequela probatur: Nam affectus charitatis Dei erga Ecclesiam, conquiescit vltimò in Ecclesia, vt dilecta propter se. Ille enim tantùm diligitur vera charitate, qui propter se, & non propter aliud diligitur. Ergo ille affectus charitatis nullum habet priorem affectum, vt sic, qui causalitatem finalem in ipsum exerceat. Ergo non est secunda intentio in eo sensu, quo hæc vox vsurpatur in ista quæstione. Antecedens, & secunda sequela, sunt manifesta. Prima verò probatur: nam affectus, erga quem alius causalitatem finalem exercet, non est affectus finis vltimi: esse enim sub alio fine, & ab illius motione pendere, non est esse vltimum. Ergo affectus, qui est veræ charitatis in Ecclesiam, nulli affectui est secundus, in ordine finalis causalitatis. Sed destinatio Incarnationis ad salutem Ecclesiæ, est affectus charitatis erga illam. Ergo non est secunda quædam intentio, quod erat probandum.

Illa intētio fuit ex affectu charitatis erga Ecclesiam.

Respondeo, sequelam malè deduci, & non bene probari. Licet enim Deus ex affectu charitatis erga Ecclesiam destinauerit substantialiter incarnationem: & ille affectus charitatis, præcisè sumptus, sistat in Ecclesia, vt dilecta propter se: tamen secundum ordinem virtualem, seu prioritatem rationis, præsupponit decretam esse Ecclesiam: & consequenter præsupponit etiam decretum esse Christum, propter quem, velut primogenitum omnis creaturæ, voluit Deus creare homines, & Angelos, & constituere ex illis Ecclesiam. Sicut affectus charitatis erga ipsum Christum, præsupponit affectum Dei erga suam ipsius gloriam, propter quam Deus voluit Christum, & cætera omnia creata producere. Ratio est, quia affectus charitatis erga aliquem, non excludit alium affectum, quo ipse constituatur in esse obiecti amabilis ex charitate. Et ille affectus præsupponitur amori charitatis, vt offerens illi obiectum.

56. Secundum argum. Secundum illorum argumentum est huiusmodi: Si nostra sententia vera esset, non posset verè dici, quòd Deus simpliciter ex dilectione humani generis dederit filium suum mundo, contra illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*. Probatur sequela: nam Deum dare filium suum, est quasi è suo sinu illum educere. Fit autem præcisè hæc eductio ipsa incarnatione. At Deus non ex dilectione humani generis è suo sinu eduxisset, quem ante omnem affectum erga humanum genus decreuisset efficaciter educere. Nam si, ex. g. Rex, filio suo iam in Italiam profectionem parante ob alias causas, conscius huius consilii, mandaret vt Italiam armis tueretur: non posset iure Italiæ exprobrare, aut commemorare vt beneficium: Ego filii mei charo conspectu me priuaui ad vos tuendos. Ratio est, quia ille modus loquendi innueret Regem non iam profecturo filio mandasse vt Italiam tueretur, & dumtaxat quasi calcar iam currenti addidisse: sed potiùs quòd nullo priore motiuo destinasset filij profectionem. Nam in his locutionibus debet designari prima originalis causa.

Respondeo, Deum verè ex dilectione humani generis filium è sinu suo eduxisse, & in mundum misisse, si, vt nos asserimus, ex illius amore, tanquam motiuo sufficienti, & totali, impulsus fuit, vt filium suum mitteret: quamuis sit aliud motiuum totale, & sufficiens, propter quod etiam ratione priùs voluerit mittere. Similiterque si filius regis, in exemplum allati, non vellet in Italiam proficisci, nisi de patris voluntate, ab illaque omnino penderet, vt proficisceretur: & pater vt Italiæ laboranti succurreret, decerneret eum mittere in Italiam, motus eius amore, vt totali, & sufficienti motiuo: posset verè tanquam magnum beneficium commemorare, quòd illius amore filij sui conspectu priuare se voluerit, ac reipsa priuauerit. In eo verò peccat exemplum allatum, quòd supponit filium regis sua voluntate decernere efficaciter profectionem; & patrem tantùm mandare illi, vt quandoquidem vult in Italiam proficisci, armis eam tueatur. Nam vt exemplum appositum esset, supponendum erat patrem absolutè, & efficaciter decernere filii profectionem ex amore succurrendi Italiæ, tanquam motiuo sufficiente, & totali, quamuis non solo, sed adiuncto alteri præcedenti. — Verè dicitur Deus dedisse filium ex charitate erga homines.

Instant, quia hoc etiam dato, non posset rex verè dicere, Misi filium meum in gratiam vestri: sed tantùm posset dicere, eo affectu volui salutem vestram, vt quamuis sua voluntate non fuisset ad vos profecturus filius meus, eum tamen compulissem. Sicut Paulus de Tito proficiscente loquitur. 2. Corinth. 8. *Gratias ago Deo, qui dedit eandem solicitudinem in corde Titi: quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cùm esset solicitior, sua voluntate profectus est ad vos*: id est, addidi tantùm pondus meæ exhortationis Tito, qui iam sua voluntate proficisci decreuerat. 57. Soluitur instantia.

Respondeo, hanc instantiam laborare eodem vitio, quo argumentum præcedens: & malè comparare duas voluntates Pauli, & Titi, cum vnica voluntate Dei: Quasi pater æternus filium tantummodo hortatus sit;

52. Exponuntur Pauli verba Philipp. 2. Quod verò objicitur ex Philipp. 2. dictum est de Christo, non vt Deo, sed vt homine. Pauli enim verba sunt: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen &c.* Quæ verba non possunt de Christo, vt Deo intelligi, nisi per idiomatum communicationem. Nam Christus, vt Deus non fuit obediens, quia, vt talis superiorem non habet, cui teneatur obedire. Et tamen Paulus de illo, qui se exinaniuit, & humiliauit, ait factum fuisse obedientem vsque ad mortem. Loquitur ergo de Christo vt homine. Item Deus non exaltauit Christum, vt persona diuina est, nec potuit illam exaltare, aut nomen maius, quam haberet, illi donare. Sed exaltauit Christum hominem Deum, qui semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: quia fuit missus in similitudinem carnis peccati, vt ait Paul. ad Rom. 8. v. 3. id est, quia venit passibilis, & mortalis, & cum qualitatibus similibus illis, quæ nobis insunt in pœnam peccati: licet veram carnem peccati, id est, peccato infectam non habuerit. Quo eodem sensu D. August. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 32. sic ait: *Non fuisset caro Christi in similitudinem carnis, nisi caro ista fuisset peccati.*

53. Neq; par est ratio de rege qui seruus fieret, aut rusticam in vxorem duceret. Nam bonus regis status pendet à côditione, quam subit, & à coniugio, quod contrahit. Secus autem bonus Dei status à creaturis. Neque Deus fit creatura & seruus intrinsecè, ac propriè, sed tantùm per idiomatum communicationem. At Rex fieret propriè, & verè seruus. Negari etiam non potest, quin Christus, qui est totum opus incarnationis, pertineat propriè ad Vniuersi creati perfectionem, tanquam apex, & caput creaturarum. Vnio verò hypostatica non potest esse, neque intelligi, quin personam diuinam, & humanitatem inuoluat. Neque est tam paruæ entitatis, ac Lessius imaginatur, cùm sit ipsamet extrema, substantialiter, & seipsis vnita. Et quamuis distingueretur ab extremis velut modus adueniens humanitati, eique inhærens, vt Less. & alij plerique affirmant: esset adhuc valde magna perfectio, constituens formaliter naturam humanam in statu hypostatico nobilissimo, & plane diuino, id est, constituens mirabile suppositum ex naturis diuina & humana substantialiter vnitis in hypostasi Verbi. Quod dum facit, constituit nouum gradum rerum, nempe substantiarum mirabiliter compositarum ex natura creata, & diuina hypostasi.

SECTIO VII.

Respondetur aliis Recentiorum quorumdam argumentis.

ADuersus nostram sententiam alia multa opponunt eruditi quidam recentiores, quæ quia longum esset persequi, & pleraque forent importunè repetenda, sufficiet præcipua refutare: quorum primum istud est: Vt vera esset, inquiunt, nostra sententia, oporteret quòd incarnatio ipsa non sit substantialiter, & in se, à Deo destinata in gratiam hominum, seu quòd Christus, vt homo Deus, non sit talis constitutus substantialiter in gratiam, & salutem Ecclesiæ. At hoc non potest dici: quia repugnat Scripturæ, Conciliis, & Patribus, vt nos ipsi fatemur. Maior verò probatur, quia vt dicatur primum esse simpliciter decretum incarnationis, oportet vt non sit æquè secundum, & posterius illis, quorum comparatione simpliciter dicitur primum. Si enim esset æquè secundum, & posterius illis; cur simpliciter diceretur illis prius? Atqui si verè & propriè incarnatio substantialiter est decreta in salutem hominum, decretum saluandi homines, est prius destinatione incarnationis. Quandoquidem hic prioritas est causalitas finalis, aut causalitati coniuncta. Et sicut dicitur in nostra sententia Deus priùs destinasse Christum, quia illius gratia voluit Ecclesiam, & cætera omnia: ita si Christum voluit propter Ecclesiam, destinauit priùs Ecclesiam, quàm Christum. 54. Primum argum.

Respondeo, concessa minore primi argumenti, nego maiorem. Quamuis enim Christus fuerit prima intentione antecedenter destinatus propter se: potuit consequenter, ex occasione alterius præsupponentis hanc intentionem, iterum destinari propter bonum Ecclesiæ, & redemptionem hominum. Id est, quamuis Christus antecedenti intêtione Dei, & nullam aliam præsupponente ex parte obiectorum creatorum, adeóq; simpliciter prima in illo ordine, fuerit destinatus propter se, & propter illum voluerit Deus creare homines, & constituere illi regnum Ecclesię triumphantis: tamen præuiso quòd homines ad regnū illud destinati, essent lapsuri in peccatum, potuit consequenter ad illam præuisionem moueri eorū amore ad Christum mittendum: & quidem velut motiuo sufficienti circa ipsam substātiam incarnationis, vt dicemus paulò post. Ad probationem maioris Respondeo, tametsi consequenter modo, iam dicto, incarnatio substātialiter decreta fuerit in salutem hominum: & decretum saluandi homines fuerit eatenus prius decreto incarnationis, vt volitæ consequenter propter illud motiuum: tamen decretum mittendi Christum propter illud motiuum, supponit præuisionem peccati hominū; & consequenter præsupponit decretum creandi homines; quorum creatio Christus licet per se primò intentus, potuit iterum intendi propter Ecclesiam.

decreta fuit propter Christum opus Dei excellẽtissimum, & primogenitum omnis creaturæ, vt dicitur Coloss. 1. vers. 15. ac proinde supponit Christum ratione priùs decretum. Vnde à primo ad vltimum, decretum illud mittẽdi Christum propter hominum redemptionem, supponit Christum ratione priùs decretum independenter à præuisione peccati. Quare concessa maiore secundi argumenti propositi, minor neganda est.

55. Sed aduersus hanc solutionem instant aduersarii: quia, inquiunt, si verum esset Incarnationis destinationem in gratiam Ecclesiæ, esse tantùm secundam: non posset stare veritas ab omnibus concessa, & certa: quòd scilicet Deus actu veræ charitatis erga Ecclesiam destinauit Incarnationem, substantialiter, & per se sumptam. Sequela probatur: Nam affectus charitatis Dei erga Ecclesiam, conquiescit vltimò in Ecclesia, vt dilecta propter se. Ille enim tantùm diligitur vera charitate, qui propter se, & non propter aliud diligitur. Ergo ille affectus charitatis nullum habet priorem affectum, vt sic, qui causalitatem finalem in ipsum exerceat. Ergo non est secunda intentio in eo sensu, quo hæc vox vsurpatur in ista quæstione. Antecedens, & secunda sequela, sunt manifesta. Prima verò probatur: nam affectus, erga quem alius causalitatem finalem exercet, non est affectus finis vltimi: esse enim sub alio fine, & ab illius motione pendere, non est esse vltimum. Ergo affectus, qui est veræ charitatis in Ecclesiam, nulli affectui est secundus, in ordine finalis causalitatis. Sed destinatio Incarnationis ad salutem Ecclesiæ, est affectus charitatis erga illam. Ergo non est secunda quædam intentio, quod erat probandum.

Illa intẽtio fuit ex affectu charitatis erga Ecclesiam. Respondeo, sequelam malè deduci, & non bene probari. Licet enim Deus ex affectu charitatis erga Ecclesiam destinauerit substantialiter incarnationem: & ille affectus charitatis, præcisè sumptus, sistat in Ecclesia, vt dilecta propter se: tamen secundum ordinem virtualem, seu prioritatem rationis, præsupponit decretam esse Ecclesiam: & consequenter præsupponit etiam decretum esse Christum, propter quem, velut primogenitum omnis creaturæ, voluit Deus creare homines, & Angelos, & constituere ex illis Ecclesiam. Sicut affectus charitatis erga ipsum Christum, præsupponit affectum Dei erga suam ipsius gloriam, propter quam Deus voluit Christum, & cætera omnia creata producere. Ratio est, quia affectus charitatis erga aliquem, non excludit alium affectum, quo ipse constituatur in esse obiecti amabilis ex charitate. Et ille affectus præsupponitur amori charitatis, vt offerens illi obiectum.

56. *Secundum argum.* Secundum illorum argumentum est huiusmodi: Si nostra sententia vera esset, non posset verè dici, quòd Deus simpliciter ex dilectione humani generis dederit filium suum mundo, contra illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Probatur sequela: nam Deum dare filium suum, est quasi è suo sinu illum educere. Fit autem præcisè hæc eductio ipsa incarnatione. At Deus non ex dilectione humani generis è suo sinu eduxisset, quem ante omnem affectum erga humanum genus decreuisset efficaciter educere. Nam si, ex. g. Rex, filio suo iam in Italiam profectionem parante ob alias causas, conscius huius consilii, mandaret vt Italiam armis tueretur: non posset iure Italiæ exprobrare, aut commemorare vt beneficium: Ego filii mei charo conspectu me priuaui ad vos tuendos. Ratio est, quia ille modus loquendi innueret Regem non iam profecturo filio mandasse vt Italiam tueretur, & dumtaxat quasi calcar iam currenti addidisse: sed potiùs quòd nullo priore motiuo destinasset filij profectionem. Nam in his locutionibus debet designari prima originalis causa.

Respondeo, Deum verè ex dilectione humani generis filium è sinu suo eduxisse, & in mundum misisse, si, vt nos asserimus, ex illius amore, tanquam motiuo sufficienti, & totali, impulsus fuit, vt filium suum mitteret: quamuis sit aliud motiuum totale, & sufficiens, propter quod etiam ratione priùs voluerit mittere. Similiterque si filius regis, in exemplum allati, non vellet in Italiam proficisci, nisi de patris voluntate, ab illaque omnino penderet, vt proficisceretur: & pater vt Italiæ laboranti succurreret, decerneret eum mittere in Italiam, motus eius amore, vt totali, & sufficienti motiuo: posset verè tanquam magnum beneficium commemorare, quòd illius amore filij sui conspectu priuare se voluerit, ac reipsa priuauerit. In eo verò peccat exemplum allatum, quòd supponit filium regis sua voluntate decernere efficaciter profectionem; & patrem tantùm mandare illi, vt quandoquidem vult in Italiam proficisci, armis eam tueatur. Nam vt exemplum appositum esset, supponendum erat patrem absolutè, & efficaciter decernere filii profectionem ex amore succurrendi Italiæ, tanquam motiuo sufficiente, & totali, quamuis non solo, sed adiuncto alteri præcedenti. *Verè dicitur Deus dedisse filium ex charitate erga homines.*

Instant, quia hoc etiam dato, non posset rex verè dicere, Misi filium meum in gratiam vestri: sed tantùm posset dicere, eo affectu volui salutem vestram, vt quamuis sua voluntate non fuisset ad vos profecturus filius meus, eum tamen compulissem. Sicut Paulus de Tito proficiscente loquitur. 2. Corinth. 8. *Gratias ago Deo, qui dedit eandem solicitudinem in corde Titi: quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cùm esset solicitior, sua voluntate profectus est ad vos*: id est, addidi tantùm pondus meæ exhortationis Tito, qui iam sua voluntate proficisci decreuerat. 57. *Soluitur instantia.*

Respondeo, hanc instantiam laborare eodem vitio, quo argumentum præcedens: & malè comparare duas voluntates Pauli, & Titi, cum vnica voluntate Dei: Quasi pater æternus filium tantummodo hortatus sit,

filius verò iam ante sua voluntate venire decreuerit. Et Paulus quidem meritò sic loquebatur, ad commendandā Corinthiis Titi erga illos charitatem, & beneuolentiam. Sed si Paulus efficaciter decreuisset illum mittere ex beneuolentia erga Corinthios, velut motiuo totali: potuisset verè dicere Titum sua voluntate, & iussione profectum esse: quamuis motiuum illud solum non fuisset, sed Paulus simul Dei gloriam, aut quid aliud, tanquam motiuum sufficiens intendisset. Cæterùm in his loquendi modis, ad veritatem, & proprietatem sermonis, sufficit veram aliquam, & totalem causam assignare, vt dicatur id illius gratiâ factum esse: quamuis non possit verè dici, quòd illius solius gratiâ factum sit. At nunquam Deus affirmat se solius generis humani gratiâ Christum misisse, nullumque aliud motiuum habuisse: sed è contrario, non semel alia motiua commemorat in Scriptura, vt sectione 2. ostendimus.

58. *Tertium argum.* Tertium argumentum aduersariorum est huiusmodi: Repugnat Scripturæ, & communi sensui Patrum, qui dicit hanc propositionem non esse veram in sensu maximè proprio, Deus concepit propositum mittendi filium suum ex amore humani generis: sed tantùm hāc esse veram, Deus fuit confirmatus in proposito mittendi filium suum ex charitate in genus humanum. Aut, quòd non dedit Deus filium suum mundo, quia diligebat mundum: sed tantùm, quòd illius donationem, factam alia de causa, confirmauit ex dilectione mundi. At hoc est in contraria sententia: Ergo, &c. Antecedens est certum Ioan. 3. *Si Deus dilexit mundum.* Minoris verò prima pars probatur. Nam, quàm est verum, propositum incarnationis ob alios fines in Deo esse, priusquam eum impellat consideratio humani generis ad hoc ipsum propositum efficiendum: tam est verum, considerationem humani generis confirmare tantùm Deum in illo proposito. Hęc enim est propria definitio motiui confirmantis tantùm in voluntate suscepta, quod accedit voluntate iam habente propositum. Si enim adhuc influit in propositum, quod reperit iam existens; quid ei restat faciendum, nisi vt hoc propositum confirmet? Secunda verò pars eiusdem minoris probatur: Quia executio externa, & voluntas efficax exequendi, pro eodem moraliter reputantur. Itaque eodem modo solemus loqui de donatione externa, ac de donatione interna: seu de voluntate faciendi externam donationem, & de illius executione. Sed voluntas donandi mundo filium Dei præcedit in contraria sententia, propter alios fines, in quibus Deus non diligit, vt sic, homines: &, vt contendimus, affectus charitatis erga homines, in contraria sententia, confirmat tantummodo Deum in voluntate, quam priùs habuit donandi filium suum. Ergo & in executione dicendum est, quòd donationi iam factæ ex aliis titulis, accedit donatio ex charitate, Sed accedens secunda donatio est tantùm confirmatio primæ donationis. Ergo non Deus donasset filium suum ex dilectione, sed ex dilectione confirmasset tantùm eius donationem. Idque clariùs liquet, si supponamus priùs tempore Deum executum esse primum decretum: id est, priùs tempore donasse filium, quàm habuerit secundum decretum, quo voluit, ex charitate erga homines, vt illis prodesset. Tunc enim illud secundum decretum non posset verè dici esse aliud, quàm complacentia quædam in primo decreto, & confirmatio donationis prius factæ. Neque in eo casu posset Deus verè dicere hominibus, Ex vestri dilectione dedi vobis filium meum, vt esset homo: quia ante omnem erga homines dilectionem filius Dei esset homo.

Respondeo, concessa maiore, nego minorem: ad cuius probationem dico, dupliciter posse aliquem confirmari in suo proposito ex aliquo motiuo. Primò, ita vt illud per se solum non moueat sufficienter, & totaliter voluntatem, sed illam tantùm corroboret in proposito concepto ex alio motiuo, & partiali quodam influxu firmiorem reddat, magisque propensam ad exequendum propositum. Secundò, ita vt vi sua sufficienter & totaliter moueat, adeo vt moueret omnino, & efficaciter ad executionem, quamuis aliud motiuum deesset: fitque per accidens quoad istius influxum, & efficaciam, quòd aliud simul, aut ratione priùs moueat. De priori potest solùm verè dici quòd confirmet. Posteriùs verò non confirmat solummodo, sed tam verè, & simpliciter est causa totalis executionis, quàm verè totaliter, & sufficienter mouet per se voluntatem ad exequendum. Atque ita supposito quòd Deus ex motiuo charitatis erga homines, filium suum dederit, aut dare decreuerit, tanquam ex motiuo totali, & per se sufficienti, vt nos asserimus: potest verè dici, quòd non solùm fuerit confirmatus, vi istius motiui, in proposito concepto ratione priùs vi alterius motiui, etiam sufficientis: sed quòd verè, & propriè conceperit propositum mittendi filium suum ex amore humani generis: quódque dederit filium suum mundo, quia diligebat mundum. Estque conueniens Deum ita loqui, ad commendandam vim illius motiui, & quantùm apud ipsum valuerit charitas erga genus humanum, quæ totaliter, & sufficienter eum mouit ad tam excellens beneficium ei conferendum. *Propositũ Incarnat. quomodo fuit ex amore hominum?*

Ad priorem confirmationem minoris propositionis Respondeo, definitionem motiui tantùm confirmantis, non esse, quòd accedat quomodocunq; voluntate iam habente propositum: sed quòd accedat, vt causa tantùm partialis, & de se insufficiens, si solummodo confirmat, id est, si non valet, neque operatur nisi ad confirmandum. Quamuis autem motiuum charitatis erga genus huumanum repererit propositum incarnationis ratione priùs conceptum ex alio motiuo: valuit nihilominus ad mouendum totaliter & suffi- 59.

cienter, adeóque non confirmauit solùm, & per modum accessorii dumtaxat se habuit: sed mouit principaliter, & totaliter, & independenter in sua efficacia ab altero motiuo.

Ad posteriorem confirmationem Respondeo, si Deus priùs tempore executus esset decretum donandi filium, quàm habuerit secundum decretum, quo voluit ex charitate erga homines, vt illis prodesset; non posset verè dici donasse primò ex charitate erga homines. Quia decretum illud nondum existens, non influxisset in illam donationem. Sed hoc decretum tempore subsequens malè comparatur cum decreto antecedente donationem, & potente in illam totaliter influere. Neque bene infertur non posse istud exercere vim suam circa donationem nondum factam, ex eo, quòd illud non potuit esse causa donationis ante ipsum factæ.

60. Quartum argum.

Quartum argumentum: Per incarnationem Creator, & Dominus fit seruus, & creatura. Hoc autem continet quandam demissionem maiestatis infinitæ, non acceptabilem per se, nec nisi, necessitate humani generis id postulante, incarnatio facta esset non indigna Deo, quæ alioquin indigna esset. Maior proposito est certa: minor probatur 1. ex Apost. Philip. 2. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, &c. id est, assumens naturam humanam. Ex quibus verbis Apostoli sic argumentantur: Christus, vt Paulus ibi affirmat, semetipsum exinaniuit per eam actionem, per quam factus est similis aliis hominibus, & inuentus est homo. Atqui per ipsam humanæ substantiæ assumptionem est factus substantialiter, & propriè similis aliis hominibus, & per eam præcisè inuentus est homo; neque fuit necesse vllam aliam operationem superaddi, vt inueniretur homo. Itaque per eius naturæ operationem se exinaniuit, per cuius operationem accepit substantiam naturæ humanæ. Sed eam accepit per operationem solius personæ diuinæ: Ergo, &c. Item, accipere formam serui, est illam induere, cùm antea sine illa esset. At non potest dici quòd humanitas, cùm antea esset sine forma serui, eam induerit. Ergo exinanitio, de qua loquitur Apost. non potest intelligi de humanitate, sed de ipso Verbo assumente humanitatem. Probant secundò, ex Patribus affirmantibus Verbum non modò adiectiuè, & denominatiuè secundum humanitatem, sed etiam propriè, directè, & secundum se, fuisse humiliatum in incarnatione: imò in illa propria Verbi humiliatione maximè charitatem Dei elucere in hoc mysterio. Dicunt enim assumere naturam humanam, esse ipsam Verbi humiliationem. At assumere naturam humanam directè conuenit Verbo. Neque enim humanitas assumit, sed assumitur. Ille autem se humiliat, qui actiuè se collocat in gradu inferiori. At humanitas non se actiuè collocat in assumptione: Imò nec passiuè collocatur in gradu inferiori, sed maximè exaltatur per hoc præcisè, quòd assumitur. Testimonia Patrum eiusmodi sumuntur ex D. August. epist. 120. & tract. 55. in Ioan. Cyril. lib. 2. de Fide ad Reginas, Leone epist. 83. ad Episc. Palestinæ cap. 7. Hygino Papa. epist. 1. decretal. Chrysost. Theodoret. Oecumen. & Theophyl. in locum Pauli supra citatum. Item Patres asserunt in incarnatione humiliari ipsam diuinitatem, vt loquitur August. lib. de Prædest. Sanctorum cap. 15. At hoc dici non posset, ne quidem per communicationem idiomatum, si humiliata solùm esset humanitas: neque enim fit illa communicatio in nominibus abstractis. Item sancti Patres discernunt humiliationes, quæ adiectiuè quodammodo competunt Verbo, quia fiunt in humanitate, ab illa, quę est directè in Verbo, per ipsam naturæ humanæ assumptionem vt Bern. in serm. de Circumcis. *Verbum diuinum*, inquit, *quod abbreuiatum erat in ipsa carnis susceptione, multò magis breuiatum est in suscepta etiam carnis circumcisione.* Quibus verbis significat Deum etiam per se humiliatum esse in circumcisione, paupertate, contemptu, opprobriis crucis, & aliis: & non denominatione merè adiectiua: alioqui non verè diceret, fuisse magis humiliatum per huiusmodi opprobria, quàm per ipsam carnis assumptionem. Nam humiliatio indirectè solùm in Deum cadens, non potest dici esse maior illâ, quæ directa erat & propria. Atqui Bernardus asserit humiliationem circumcisionis, maiorem fuisse humiliatione assumptionis. Probant tertiò, ratione: quia humiliari, est non esse in eo dignitatis gradu, qui conuenire posset, & per se deberet. Ad Dei autem ipsius in sua natura dignitatem pertinet, vt non solùm natura eius propria, sed etiam associata personaliter, sit in summa maiestate. Et sicut rex violatur directè in legato iniuriosè tractato: multò magis Verbum in natura personaliter vnita; quando subiicitur opprobriis.

Addunt denique non posse hoc argumentum retorqueri, vt nos fecimus sect. praecedenti num. 51. Quia cùm ab illis dicitur, humiliationem incarnationis non fuisse Deo expetendam propter se, sed subuenire humani generis necessitati, potuisse compensare hanc humiliationem, quæ alioqui foret indecens: Non est sensus, quòd absolutè necessarium fuerit ad nostram redemptionem Deum incarnari: quippe qui aliter per omnipotentiam potuisset nos reparare: sed fuisse necessarium eo sensu, quo necessarium vocatur id quod est melius, & conuenientius ad finem. Sic autem negari non potest, quin humiliatio, per se indecens, potuerit compensari. Nam ex omnium consensu, humiliatio crucis est aliquid Verbo per se indecorum, & non assumendum, nisi propter considerationem, quæ compenset illius humiliationis indignitatem. Ac rursus omnes debent dicere, humiliationem crucis factam esse non indignam filio Dei, ex compensatione, propter quam fuit necessaria. At non fuit necessaria

necessitate absoluta, sed alia inferiori. Ergo malè negatur, quòd si humiliatio aliqua contenta in incarnatione fuisset, Deo per se non expetenda, ea non potuerit fieri non indecens propter necessitatem aliquam inferiorem, qua Deus saluti nostræ consuluit.

61. *Retorquetur argum.* Respondeo primò, non posse dici cohærenter loquendo ab aduersariis, quòd Verbum propriè, & secundum se humiliatum sit, & exinanitum in incarnatione, quódque Apost. loco cit. de Christo vt Deo intelligendus sit. Nam illi ex eo probant Verbum non fuisse mutatum per assumptionem humanitatis, quia per illius accessionem non fuit collocatum in meliori, aut deteriori statu: & accessio nouæ formæ non est mutatio, nisi collocet rem in meliori statu, quàm si careret eiusdem generis, & nominis forma: vel etiam (vt cohærenter loquendo dicendum est) in statu deteriori: par enim est ratio vt dicatur mutari, si deterior fit. Rectéque à S. Leone serm. 5. de Natiuit. pronunciatum fuit, *Mutabile est non solùm quod minuitur, sed etiam quod augetur.* Imo ipsi dicunt Scripturam mutationem rerum explicare maximè propriè per hoc, quòd ortui, & interitui sunt obnoxiæ. Rem autem esse capacem vt fiat melior, aut deterior, est signum (inquiunt) quòd ipsa sit capax ortus, & interitus: ipsaque acquisitio noui esse secundarii, est pars aliqua ortus, & vera mutatio: sicut amissio esse secundarii est aliquis interitus. Sic igitur argumentor ex huiusmodi concessione, & verbis aduersariorum: Quod humiliatur, & exinanitur secundum se, collocatur in inferiori, & deteriori statu secundum se. Atqui Verbum non fuit collocatum in inferiori, & deteriori statu secundum se. Ergo Verbum non fuit humiliatum, & exinanitum secundum se. Deinde, si Verbum secundum se est exinanitum, ac proinde factum aliquid minus secundum se, & collocatum in inferiori, & deteriori statu: Ergo Verbum post incarnationem non erat æquale Patri, neq; in æquali statu: & Christus de seipso vt Verbo dicere poterat, *Pater maior me est.* At hoc est contra Apostolum, de Christo dicentem, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,* Philipp. 2. vers. 6. & contra sanctos Patres, qui vnanimi consensu verba illa Christi Ioan. 14. v. 28. *Pater maior me est,* de Christo vt homine intelligunt, contrariamque expositionem, velut Arianam reijciunt, vt videre est apud Maldonat. Tolet, aliosque interpretes huius loci. *Maldonat.* Nec valet quod respondent Aduersarii: Tametsi Verbum non amiserit æqualitatem, amisisse tamen hoc, quòd eius æqualitas esset iam mixta cum inæqualitate, quam sibi adiunxisse est aliqua humiliatio. Nam euidenter implicat contradictionem idem secundum idem, esse æquale & inæquale, vni & eidem. Implicat ergo vt Verbum retineat secundum se æqualitatem cum Patre, mixtam cum inæqualitate secundum se. Sic enim Verbum esset simul æquale, & inæquale Patri secundum se. Bene tamen potest retinere æqualitatem secundum se, mixtam cum inæqualitate secundum humanitatem: quo sensu debet intelligi D. Thom. citatus ab Aduersariis in confirmationem huius responsionis. Eodemque sensu S. Leo serm. 7. de Natiuitate, sic ait de Verbo incarnato: *Deitas quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiæ subiit, nec Dei formam serui forma violauit. Quia summa & sempiterna essentia, quæ se ad humani generis inclinauit salutem* (id est, hominum misereri dignata est) *nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat, esse non destitit. Vnde cùm Vnigenitus Dei minorem se Patre confitetur, cui se dicit æqualem, veritatem in se formæ vtriusque demonstrat: vt & humanam probet imparilitas, & diuinam declaret æqualitas.*

Secundò igitur Respondeo directè, in eo consistere excellentiam maiestatis Verbi diuini, quòd sit incapax cuiuscunque humiliationis, deterioritatis, diminutionis, & exinanitionis secundum se: sed adiectiuè tantùm & denominatiuè possit dici humiliari, & exinaniri, ratione naturæ humilis, & inanis (cuiusmodi est omnis natura creata) quam assumit: Eoque sensu possunt facilè intelligi Patres citati ab aduersariis num. 60. vel etiam ratione iniuriarum, & opprobriorum factorum humanitati, quæ in ipsum redundarunt propter vnitatem suppositi. Per quæ licet directè Verbum offenderetur in sua persona: non ideo humiliabatur, & exinaniebatur: sicut Deus non humiliatur per hominum peccata ipsi directè iniuriosa. Eodem quoque sensu intelligi possunt Apostoli verba in obiectione relata, quòd scilicet Deus Verbum semetipsum exinaniuerit adiectiuè dumtaxat, per assumptionem naturæ humanæ. Nisi potiùs, vt alibi diximus, verba illa intelligenda sunt de Christo vt homine, qui *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens,* id est, accipiens pauperem, humilem, & seruilem specie tenus (nam propriè seruus non fuit) conditionem: *in similitudinem hominum factus,* id est, factus similis aliis hominibus mortalibus, obnoxiisque multis miseriis: *& habitu inuentus vt homo,* id est, nihil differens specie externa à conditione aliorum hominum, cùm alioqui posset, si vellet, & conuenientius esset illius maiestati, venire in carne immortali, & impassibili, corpore dotibus gloriæ ornato, cum potestate regia, & non solùm nobilium hominum, ipsorumque principum, & regum terræ, verùm etiam Angelorum famulatu, & satellitio, ornatuque, & apparatu plusquam regio, & planè diuino. Quo fere sensu eundem locum exponit Velasques in caput Pauli citatum Philipp. 2. Multóque magis huic expositioni cohærent verba immediatè sequentia in textu Apostoli: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quæ manifestè debent intelligi de Christo vt ho-

62. *Verbum non fuit humiliatũ secundũ se.*

mine. Nam Christus vt Deus Verbum, id est, secundum naturam & hypostasim diuinam, non obediuit, neque exaltatus fuit propter mortem crucis, velut in præmium obedientiæ: sed absoluta necessitate est Patri æqualis, & consors eiusdem gloriæ, seu potiùs consubstãtialis in gloria, & maiestate. Et quamuis Scriptura interdum in eodem textu loquatur permixtim de Christo vt Deo, & vt homine: ita vt pars vna textus de illo vt Deo, alia de illo vt homine intelligenda sit: quando tamen nulla necessitas cogit ita interpretari, sensus vniformis, & cohærentior præferendus est, vt fatentur alibi ipsimet Aduersarij.

63. *Soluitur instantia.* Frustra verò huic expositioni opponunt, Christum vt hominem non potuisse seipsum exinanire modo dicto: quia naturâ priùs, quàm eius anima crearetur, & vniretur corpori, introductæ in illud fuerant dispositiones corporis passibilis, & mortalis: ergo earum electio non pependit ab anima Christi. Ergo Christus vt homo non illas assumpsit voluntariè. Ergo non semetipsum exinaniuit per illarum assumptionem. Respondeo enim, priùs quidem naturâ fuisse introductas dispositiones necessarias ad organizationem corporis humani, & ad introductionem animæ: sed non qualitates, quæ potuerunt illis superaddi præternaturaliter, & supernaturaliter, ad reddendum corpus illud gloriosum, & impassibile, cuiusmodi sunt dotes corporis gloriosi, quæ non sunt incompatibiles, neque destruunt, sed perficiunt dispositiones necessarias ad organizationem, & ad animæ introductionem aut conseruationem. Quare potuit à voluntate animæ Christi pendere, vt vel illas haberet, quod magis eius dignitati conueniebat: vel vt illis careret, quod magis nobis expediebat, ad præbendum hominibus humilitatis, & patientiæ exemplum, suaque morte Deo patri pro peccatis satisfaciendum. Christus ergo eligens carere huiusmodi statu glorioso & impassibili, seque ad communem hominum conditionem demittens, imò & infra illam submittens per extremam paupertatem, humilitatem summam, opprobria grauissima, dolores acerbissimos, mortemque ignominiosissimam, semetipsum exinaniuit, & humiliauit directè, & per se, secundum humanitatem: eóque magis, quò maior fuit eius paupertas, humilitas, & ignominia. Consequenter autem Verbum adiectiuè humiliatum fuit, non modò in ipsa carnis mortalis assumptione: sed & multò magis in circumcisione eiusdem carnis veluti peccatricis, & aliis eius humiliationibus vsque ad mortem, mortem autem crucis, quo sensu intelligendus est D. Bernardus loco citato in obiectione.

64. *Respõdetur argumẽtis contrariæ sententiæ.* Atque ex his satis patet quid respondendum sit duobus primis argumentis Aduersariorum sumptis ex Scriptura, & Patribus. Ad tertium desumptum ex ratione, Respondeo, Verbum secundum se semper esse in eo dignitatis gradu, qui ei per se conuenit, & in quo debet esse, neque vllam pati posse suæ dignitatis diminutionem: quamuis naturam se indignam sibi associet personaliter, & in illa patiatur indigna suâ maiestate. Ad quartum dico, argumenti nostri robur in eo consistere, quòd si per incarnationem Verbum humiliaretur, & exinaniretur secundum se, vt volunt Aduersarij: non posset tantum detrimentum vllo bono creato compensari: nihil enim potest illi esse æquale, & comparabile: neque fieret conuenienter propter bonum minus, & non necessarium, id est, propter hominum redemptionem, cui alia via prouideri poterat. Non potest autem contra nos hoc argumentum retorqueri: quippe qui negamus Verbum secundum se humiliatum fuisse, siue in incarnatione, siue etiam in ipsa crucis, aliarumque iniuriarum perpessione: sed dicimus, humanitatem fuisse quidem vna ex parte mirabiliter exaltatam, quatenus Verbo diuino fuit vnita, & ad fastigium diuinitatis euecta: ex alia verò parte seipsam humiliasse, quatenus voluit propter nos carere dotibus corporis gloriosi, dignis tali vnione, illique debitis: esseque nobis, seruis & peccatoribus, similis, & passibilis: deque illa humiliatione intelligi debere illud Apostoli Philip. 2. vers. 7. *Exinaniuit semetipsum*, &c. cui conforme est illud eiusdem 2. Corinth. 8. vers. 9. *Qui cùm diues esset, propter vos egenus factus est, vt illius inopia vos diuites essetis*: id est, cùm iure omnes mundi diuitiæ, regna, imperia, & gloria, ipsius essent; illorum vsu se priuauit, pauperemque, & humilem vitam ducere maluit, vt cœlestes diuitias, gloriamque sempiternam vobis acquireret. Multóque magis humiliauit se, quando voluntariè se subiecit opprobriis, & tormentis, ac tandem morti crucis. Sed humiliatio humanitatis secundum se non est æquale damnum humiliationi Verbi secundum se, si hæc esset possibilis: neque tanti momenti est, vt non potuerit bono aliquo creato compensari, vt nos fatemur fuisse compensatam conuenienter, per hominum redemptionem, & satisfactionem Deo exhibitam.

Addo denique, quòd si, iuxta Aduersarios, Verbum fuit humiliatum secundum se: & tamen hæc humiliatio potuit sufficienter compensari redemptione hominum, vt ipsi volunt: nulla est ratio, cur non etiam compensari potuerit gloriâ, quam ex opere tam mirabili Deus assecutus est (quod solum maius est incomparabiliter creatione Angelorum, & hominum, totiusque Vniuersi) & ex obsequiis Christi, quæ Deo longè gratiora sunt & gloriosiora, quàm omnia bona Angelorum, & hominum opera simul sumpta, & tota illorum salus, & gloria. Neque respondeant Aduersarij, repugnare vt aliquod motiuum influat in actionem repugnantem illi motiuo: At appetitui propriæ gloriæ directè quæsitæ, repugnat facere actionem, quæ humiliat potiùs, & deprimit Deum, & non est 65.

amorem suum erga illum testaretur. Vellem, aiebat quispiam amico suo, te peste laborare, vt videres, quàm sincerè & constãter te diligo, & quanto affectu tibi succurrerem cum meæ vitæ periculo. Quod desiderium est omnino præposterum & plenum insipientiæ. Ac sicut perabsurdum est, Deoque indignissimum, Deum antecedenti & absoluta, efficacique voluntate sic se gessisse erga reprobos, vt in posteriori rationis media illis eligens, debuerit studiosè vitare congrua, & seligere incongrua; quia hoc est insidiari hominum saluti, & non velle seriò vt saluentur & non peccent, aut vt perseuerent, aliasque ob causas, in Tract. de Prædestinatione fusiùs expositas: sic ille modus decernendi, priori similis, est Deo planè indignus.

67. Præterea, si ex eo quòd Deus decreuit Christum mittere optimo modo, necesse fuit ipsi permittere peccatum Adami, quod sub conditione præuidit, vt illi remedium afferret. Similiter necessarium fuit vi primariæ illius intentionis Deum permittere cætera peccata actualia Adami, & posterorum, vt optimo modo Christum mitteret. Neque enim alius fuit optimus modus, neque melior fuit à Deo præscitus conditionaliter, iuxta Suarem, Adamo & aliis sibi relictis: Alioqui Deus illum impediuisset, & contra suum decretum primarium fecisset. Imò non tantùm debuit ea permittere, sed & vitare studiosè series rerum; in quibus non essent peccaturi, vt paulò ante diximus, quod perabsurdum est. Sextò, denique, non probat Suares, neque per se credibile est, modum redemptionis qui nunc est, in quo, non obstante copiosa Christi redemptione, perit multò maior pars hominum, & infinita scelera committuntur, committenturque in æternum à damnatis, esse optimum modum mittendi Christum, inter omnes modos possibiles, aut specialiter, præ opposito, in quo primi parentes fuissent à Deo suauiter efficaciori gratia præseruati à peccato, & tum ipsi tum omnes eorum posteri indefectibiliter in iustitia originali confirmati: ita vt omnes essent innocentes futuri & infallibiliter saluandi, idque in excellenti gradu gratiæ & gloriæ, per heroicos virtutum actus, & merita excellentissima: omnes quoad intellectum, beneficio fidei, aut scientiæ infusæ vel acquisitæ, instructi magna notitia sapientiæ, misericordiæ, iustitiæ ac bonitatis diuinæ: Et quoad voluntatem omnes amore Dei, charitate in proximum, religione, iustitia, & omni alio virtutum genere eximij: omnes denique in statu illo excellentissimo, à quo in pœnam peccati originalis excidimus. Quis credat, optimum modum mittendi Principem in Prouinciam esse, permittere vt quamplurima grauissimaque scelera in ea committantur, quæ partim Proregis satisfactione eluantur, partim longè plurimorum suppliciis extremis vindicentur: & non potiùs, si facile fieri possit, Regem ea præuenire, & tum per se, tum per Proregem impedire ne committantur? Omitto dicere, plures Angelos & plures homines fuisse possibiles ad maiorem Christi gloriam, imo & plures mundos, seriesque rerum meliores ac meliores esse in infinitum multiplicabiles, æquè ac productionem creaturarum nobiliorum, & nobiliorum in infinitum.

Neque benè à Suar. probatur.

SECTIO IX.

An Christus decretus fuerit priùs aut principaliùs propter peccatum originale, quàm propter actuale?

Cùm Christus, licet multis aliis titulis decretus fuerit, venerit tamen etiam vt redemptor, quæstio est, an vt talis venerit priùs, aut potiùs, propter peccatum originale, quàm propter actuale, id est, vtrum consideratio peccati originalis priùs ratione, aut magis mouerit Deum ad decernendum Christum in redemptorem, quàm consideratio peccatorum actualium? Quæstio autem est, quid fuerit vi decreti quod reipsa Deum habuisse cognoscimus ex Sacris literis: non autem quid simpliciter fieri potuerit? Vel an Deus habiturus fuisset aliud decretum, & quale, nisi istud habuisset? De quo, cùm nihil sit reuelatum, non possemus nisi temerè & diuinando philosophari. Sensus ergo quæstionis est, quo & quali affectu Deus reipsa voluerit hominum redemptionem? 68.

Sẽsus quæstionis exponitur.

Certum est primò inter omnes Theologos, venisse Christum vt nos ab vtroque peccato, originali scilicet & actuali redimeret, & de facto redemisse ab vtroque, vt Scriptura docet Rom. 5. vers. 15. & sequentibus. *Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis*, &c. Et 1. Ioan. 1. *Sanguis filii eius emundat nos ab omni peccato*, & Tit. 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Comparando autem originale cum actuali, variæ sunt Theologorum sententiæ. Quidam enim affirmant, Christum non fuisse venturum siue absolutè, siue vt redemptorem, si non fuisset originale. Probant, quia non fuissent in eo casu actualia, quippe quæ omnia sequuta sunt ex originali, quod si non fuisset, Adam & omnes posteri fuissent confirmati in gratia. Alii quamuis negent futurum fuisse, vt propterea Adam & posteri confirmarentur in gratia, admittantque futura fuisse peccata actualia, quamuis non fuisset originale; negant tamen, Christum venturum fuisse propter actualia, si non fuisset originale. Vnde censent Christum venisse magis propter originale, quàm propter actuale: Quia existente originali sine actualibus, venisset: at existentibus actualibus sine originali, non venisset. Fundamentum eorum est, quia primum & totale motiuum decreti de Christo redemptore fuit lapsus totius naturæ humanæ in peccato originali, cui Deus voluit 69.

Christus venit propter vtrũque peccatum.

1. Sententia.

2. Sẽtẽtia.

naturæ humanæ miseria, & semen atque radix omnium aliarum miseriarum animæ & corporis. Quare sicut alia motiua priora redemptione mouerunt singula efficaciter iuxta suam dignitatem, vt sect. 3. diximus: sic, &c. Aequum enim est existimare, Deum circa motiua vtraque eundem modum & ordinem conuenienter appetendi seruasse. Vnde licet Deus non permisisset, neque præuidisset absolutè fore peccata actualia (vt si propter Christum decretum in redemptorem propter originale, voluisset efficaciter & omnino ea impedire) misisset nihilominus Christum in redemptorẽ propter originale præuisum & permissum. Ex quo sequitur, decretum efficax & sufficiens mittendi Christum in redemptorem, non pependisse à permissione & præuisione absoluta peccatorum actualium: siquidem eâ non existente, Christus tamen venisset vt redemptor propter peccatum originale.

73. *Grauis difficultas duplex.*

Grauis tamen difficultas est, quomodo Christus potuerit decerni vt redemptor pro peccato originali independenter à permissione & præuisione omnium peccatorum actualium. Nam Christus genus humanum redemit ab originali per mortem suam: quare debuit illa à Deo permitti & præuideri. Et consequenter debuit permitti & præuideri causa ipsius efficax, id est, peccata actualia crucifigentium. Quare illa saltem debuerunt permitti ad hoc vt Christus decerneretur vt redemptor pro originali. Rursus quia ad peccata illa vitanda debuit crucifigentibus præberi à Deo auxilium sufficiens propter eiusdem Christi redemptoris merita in morte ipsius consummata; videtur mors Christi præsupponi ad id quod ipsa præsupponit. Præsupponitur enim ad peccatum crucifigentium, tanquam dans illis complementum ad potentiam physicam vel moralem non peccandi, id est, obtinens illis auxilium sufficiens ad vitandum peccatum, quod si non possent vitare, non peccarent propriè loquẽdo, moraliter scilicet & culpabiliter. Et tamen præsupponit idem peccatum crucifigentium veluti causam efficientem sui ipsius. Est ergo prior & posterior, & pendens ac non pendens respectu eiusdem, quod est impossibile.

74. *Quomodo Christus per mortẽ suam nos redemit ab originali?*

Respondeo, Christum redemisse genus humanum ab originali per mortem suam, non physicè sumptam, prout erat à crucifigentibus, sed moraliter, id est, per actum liberum quo efficaciter mori voluit pro peccato. Qui actus fuit postea morte ipsa physicè sumpta consummatus, quatenus illa fuit à Christo seipsum liberè immolante in sacrificium propitiatorium pro peccato, & voluntatem suam efficacem consummante, ad eum modum quo actus interni dicuntur consummari per externos ad quos tendunt efficaciter. Sed tota bonitas formalis & imputabilis est in actu interno libero. In externo verò solùm denominatiuè ab interno, id est, externus denominatur bonus & imputabilis ab interno. Potuit autem aliquis actus Christi volentis & acceptantis mortem efficaciter, atque ipsius consummatio vt erat à Christo, præuideri à Deo independenter à permissione peccati actualis, etiam ipsorum crucifigentium. Quia quòd Christus velit simpliciter mori pro peccato originali, non pendet necessariò ab vllo peccato actuali. Poterat enim mori alia ex causa: nimirum vel per actum vehementem amoris Dei, vt aliqui putant Beatam Virginem obiisse: vel per actũ doloris de offensa Dei in peccato originali commissa, similis illi de quo dicebat, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matt. 26. v. 38. vel per voluntariam sanguinis effusionem, qualis in horto Luc. 22. Deo id ab illo exigente in sacrificiũ & satisfactionem: vel denique aliqua de causa naturali, vt morbo, & similibus. Poterat etiam reipsa emittere liberè spiritum sine alterius peccato, sua ipsius vi & opera, qui fuit idem hostia, & sacerdos semetipsum sacrificans. Sicut autem pro illo priori rationis, pro quo Deus decreuit efficaciter Christum propter se, & propter alias causas independentes ab omni peccato, non est Deus cõcipiendus præuidisse & decreuisse modum passibilem in quo reipsa venit, sed decreuisse & præuidisse Christum venturum simpliciter, abstrahendo à circumstantiis de se non necessariis, quæ ratione posteriùs fuerunt ex alia occasione determinatæ: ita pro illo priori, pro quo Deus Christum decreuit vt redemptorem pro originali per mortem suam, non est concipiendus præuidisse & definiuisse circumstantias mortis quæ ex aliis occasionibus fuerunt determinatę & permissæ. Sufficit enim concipere, Deum præuidisse Christum velle mori pro peccato originali, & mortem acceptare, vndecunq; ipsa cõtingeret, atq; reipsa moriturum & semetipsum immolaturum in sacrificium pro peccato originali. Et hoc per se non supponit peccatum crucifigentium, vt paulò ante ostendimus, vnde non est ratione posterius tali peccato.

Ex quo etiam patet solutio secundæ difficultatis, cui Respondeo in forma, Mortem Christi physicè sumptam, & cum tali circumstantia, id est, ipsam occisionem prout reipsa fuit iniustè illata scienter & liberè à crucifigentibus, præsupponere peccatum crucifigentium, veluti causam efficientem mortis cum tali circumstantia. Moraliter verò sumptam, id est, quoad actum quo Christus voluit efficaciter mori pro peccato originali, aut mortem acceptauit simpliciter quoad substantiam, vndecumque contingeret, atque etiam mortem ipsam prout à Christo sibimetipsi causandam in Dei honorem & sacrificium pro peccato originali, præcessisse auxiliũ sufficiens datũ crucifigentibus, vt à peccato crucifigendi abstinerent. In quo non est circulus, neque contradictio: quia mors Christi sumpta eodem modo, non est causa & effectus, prior & posterior, pendens & non pendens: sed sumpta physicè cum tali circumstantia, est posterior: sumpta mo- 75. *Mors Christi dupliciter consideranda.*

raliter & quoad substantiam, vt à Christo causatam, est prior in Dei præuisione & decreto. Mors autem sumpta physicè, & sumpta moraliter, non sunt vnum & idem, sed tam differunt, quàm actus internus, & externum eius obiectum. Mors quoque sumpta simpliciter quoad substantiam, id est, quoad simplicem separationem animæ à corpore, differt à modo hoc aut illo, qui est causa talis separationis, possetque esse sine illo. Christus denique vt causa illius, differt à crucifigentibus, & non pendet necessariò ab illis & ab eorum peccato. Quare pro illo priori rationis potuit Dei decretum ab illis abstrahere, atque ita non fuit præsuppositio eiusdem ad seipsum, vel mutua dependentia secundum idem.

76. *Prima instantia cōtra solutionem.* Dices, Deum non præuidisse actum qui reipsa non fuit, neque propter illum, vt meritorium, auxilia gratiæ contulisse crucifixoribus. Atqui non fuit actus Christi quo mortem in confuso acceptaret vndecunque contingeret, sed ab ipso instanti conceptionis, & deinceps, acceptauit mortem crucis determinatè sibi propositam, tum per reuelationem, tum per scientiam infusam & beatificam, quá nouit ab initio quæcumque ad ipsius statum pertinebant: ergo: &c.

Respondeo negando minorem: nam Christus habuit affectus moriendi non tantùm restrictos & limitatos ad circumstantias prædictas, sed & generaliores seu ampliores, dignos scilicet ipsius voluntate excellentissima, maximéque indifferenti ad omnem Dei voluntatem, & pronissima, plenissiméqué determinata ad omnem modum ei placendi & obsequendi. Decuit enim Christum, cor tam latum & amplum, ex quo tales affectus prodirent; quales è cordibus Sanctorum sæpe prodeunt.

Secunda instantia. Instabis, quia huiusmodi merita non fuerunt efficacia apud Deum, nisi consommata per mortem illam, quam reipsa Christus subiit. Nam vt alia nulla Christi mors fuit, ita nec vlla alia Christi merita consummauit. Ergo mors illa præsupponitur auxiliis gratiæ datis crucifixoribus ad non peccandum, & eorum peccato. Ergo præsupponitur suæ causæ, quia peccatum seu violentia iniusta crucifixorum fuit causa mortis Christi. Secunda sequela manifesta est. Prima verò probatur, quia meritum, vt efficax, est causa præmij, & non aliter. Ergo vt tale debet esse prius præmio, vel in executione, vel saltem in præuisione præmiantis.

Respondeo, verum esse quòd mors quoque physicè præuisa fuerit in illo signo rationis. At non cum tali circumstantia, nempe quòd per crucifixionem, cum pluribus grauissimisque peccatis crucifigentium coniunctam, inferenda esset. A qua circumstantia meritum Christi, eiusque consummatio non pendebat pro illo priori rationis, cùm posset Christus sine illa mori, si Deus aliter determinasset: Et pro illo priori non erat determinatio ad talem circumstantiam, sed erat solùm determinatio & præuisio mortis quoad substantiam, id est, quoad separationem animæ à corpore, in Dei gloriam, & satisfactionem, à Christo liberè factam pro peccato, abstrahendo à modo illo quo reipsa mors etiam aliunde contigit per crucifixores, quem modum Deus in alio signo rationis determinauit, præsciens conditionatè quid Iudæi erga Christum facturi essent, si ipse permitteret, id est, non impediret, decernensque permittere. Simili modo, quo alibi diximus incarnationis circumstantiam qua Christus reipsa venit in carne passibili, non fuisse decretam in primo signo rationis quo Deus voluit efficaciter Christum propter seipsum, & propter alias rationes abstrahentes à peccato; sed ratione post, ex occasione peccati Adæ, præsciti & permissi.

Vrgebis: quia pro illo etiam priori signo rationis merita Christi pendebant quoad efficaciam, & consummationem, à morte illa per quam reipsa fuerunt consummata, & à qua in tempore pependit eorum consummatio. Pependit autem à crucifixione, & morte iniustè, sceleratéque illata: ergo, &c. 77. *Tertia instantia.*

Respondeo, non pependisse omnia à morte illa vt iniusta & peccaminosa, quasi peccatum & iniustitia crucifigentium merita Christi omnia consummauerit, sed à morte illa substantialiter sumpta quoad separationem animæ à corpore, in Dei gloriam, & peccatorum satisfactionem acceptata & obita, atque ab ipso Christo sibi illata, vt seipsum sacrificante, voluntariéque spiritum emittente in honorem & cultum Dei, debitamque satisfactionem pro peccatis in eum commissis. Fuit autem per accidens, tum illi morti substantialiter sumptæ, atque etiam cum actione Christi sufficiente per se vt moreretur simpliciter pro peccato: tum Dei decreto pro illo signo rationis considerato; quòd per iniustam crucifixionem ex malitia Iudæorum contigerit: ideóque ab illis non pependit secundum illam considerationem.

Dixi, non pependisse omnia, &c. Quia non nego Christum quoque meruisse acceptando & subeundo circumstantiam humiliationis, quam tali genere mortis, doloris & ignominiæ pleno, passus est, traditus in manus peccatorum, & cum iniquis & sceleratis reputatus: vt significat Isaias cap. 53. in fine, & Apostolus ad Philipp. 2. v. 8. & 9. Assero tamen Christum aliunde meruisse sufficienter auxilia crucifixoribus, & omnia Christi merita non habuisse illam circumstantiam pro obiecto, neque ab illa pependisse obiectiuè, aut efficienter, vel alio genere causalitatis: sed ab illo solùm actu, quo Christus ipse liberè animam suam posuit, & seipsum in sacrificiū obtulit, iuxta illud Ioan. 10. v. 17. & 18. *Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Et Hebr. 10. v. 5. & sequentibus, *Ideo ingrediens mundum dixit, Hostiam & oblationem noluisti,* 78.

corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, ecce venio: nempe vt meipsum pro peccato sacrificem, Sacerdos ipse & hostia à meipso immolata, & occisa. Sacrificium enim fit per liberam actionem & immutationem hostiæ, factam ab ipso sacrificante. Plura de hac difficultate dicemus sequenti disputatione, cùm agemus de meritis sanctorum Patrum Veteris Testamenti, & Beatæ Virginis circa Incarnationem.

SECTIO X.

Vtrum si fuissent peccata actualia, non existente originali, Christus venisset propter illa?

79. 3. Conclus. Non existente originali, Christus venisset propter actualia, ex hypothesi quòd illa essent valde multiplicata.

DIco tertiò, In contraria hypothesi probabili, & à multis asserta, quòd nõ existente originali fuissent tamen peccata actualia; si ea fuissent, vt nunc sunt, multiplicata, ita vt multò maiorem partem generis humani inficerent, Christum fuisse venturum vt redemptorem vi præsentis decreti, id est, vi affectus quem reipsa Deus habuit pro huiusmodi peccatis actualibus. Ratio est, quia hæc quoque summa miseria est totius naturæ. Nam quod tam multis conuenit, toti moraliter tribuitur: maximè cùm peccata actualia sint longè plura, & pleraque deteriora, quàm originale, sintque causa maioris miseriæ & damnationis æternæ, nempe non modò pœnæ damni, sed & sensus, id est, tormenti acerbissimi. Quare si Deus in decreto & affectu, quem reipsa habuit, attendit ad dignitatem motiuorum, voluitque principalius Christum in redemptorem propter illud peccatum quod fuit maius, vt per se probabile est, & asseritur à D. Tho. (D.Thom.) quæstione 1. art. 4. & Opusculo 10. art. 28. dicendum est, Deum voluisse Christum efficaciter vt redemptorem pro peccatis huiusmodi actualibus, quæ multò plura & maiora fuerunt, quàm peccatum originale. Nam licet peccatum originale fuerit maius extensiuè ex parte subiecti, quia fuit totius naturæ, Christo & Beata Virgine exceptis: Fuerit etiam tantò deterius, quòd Adæ posteros tanto bono priuauit, & tot actualium peccatorum causa fuit, malorumque æternorum quæ in plurimis ex peccato sequuntur: Attamen originale in quolibet vnicum est, vel est ipsum peccatum Adæ moraliter ad omnes transfusum, quatenus omnes posteri, speciali priuilegio carentes, sunt propter illud Deo inuisi & odiosi. At actualia sunt innumera in multis, & simpliciter multò maior est numerus actualium, quàm originalium. Atque ita loquendo de formali extensione, quæ præcipua est, & maioris considerationis, quàm subiectiua: peccatum actuale est maius extensiuè, quàm originale: etenim inter eos qui vsum rationis habent, paucissimi sunt qui non peccent mortaliter, & plurimi illorum innumera pene mortalia committunt, quorum omnium numerus excedit longè numerum peccatorum originalium. Intensiuè autem peccatum actuale est maius originali prout à posteris participatur, vt docet S. Thom. qu. 1. art. 4. (D. Thom.) quia plus habet de voluntario, & vehementius Deum offendit, commissum per propriam cuiusque voluntatem & malitiam: Vnde etiam maiori pœna punitur, nempe sensus & damni simul. Si verò spectetur peccatum originale prout actu commissum ab Adamo, fuit quidem illud grauissimum, propter considerationes paulò ante commemoratas: Verumtamen Adamus valde confusè tot mala ex peccato suo sequutura apprehendit. Cúmque malitiæ formalis grauitas pendeat à cognitione; non fuit tanta malitia illius peccati, licet maxima fuerit: atque est omnium simul actualium, quæ postea commissa sunt, & plurima cum perfecta cognitione, & cum affectu malitiæ valde intenso. Cùm igitur totus effectus, id est, cumulus peccatorum actualium, sit radice ipsa, id est, peccato originali, deterior: voluit Deus mederi ei quod deterius est, æquè ac ipsi radici. Quare sicut voluit mittere Christum in redemptorem propter peccatum originale, tanquam motiuum sufficiens: ita, & propter peccata actualia.

Confirmatur, quia Deus decreuit Christum in redemptorem ex affectu pio & efficaci subueniendi miseriis hominum. Miseria autem maior est in actualibus, formaliter loquendo; & perinde est diuino affectui commiserationis, quòd miseria oriatur ex peccato originali, vel ex actualibus. Quare si Deus vi sui affectus noluit relinquere sine remedio miseriam originalis: ergo neque actualis. Nec magnus esset ille miserendi affectus, quo quis te vellet quidem à leuiori vulnere per alium infligendo liberare, sed non à morte quam tu ipse tibi consciseres.

80. Contraria opinio Vasq.

Contrarium sentit Vasques disp. 13. cap. 2. num. 12. Cuius fundamentum est, quia sublato motiuo, propter quod Deus decreuit mittere redemptorem, non fuisset illud decretum. At peccatum originale fuit motiuum, propter quod Deus reipsa decreuit mittere redemptorem, vt patet ex dictis assertione secunda: ergo, &c. Addi potest, quòd omnia peccata actualia fluunt quodammodo ab originali, & non fuissent sine illo: ergo illo sublato Christus non venisset, vt redemptor.

Respondetur illius argum.

Ad primum Respondeo distinguendo maiorem. Sublato motiuo, propter quod solum tanquam totale & sufficiens decreuit redemptorem, concedo. Secus nõ. Si enim plura fuerunt totalia & sufficientia, sublato vno sufficeret aliud. At peccatum originale non fuit solum motiuum totale & sufficiens, vt suprà ostendimus.

Instabis, quia sancti Patres affirmant absolutè Christum non venturum, si Adam non peccasset. Ergo sine illo motiuo nullum aliud fuit sufficiens, fuitque istud causa sine qua non. Respondeo, Sanctos Patres loqui de statu rerum qualis nunc est, secundum quem si Adam non peccasset, Deus alia peccata non permisisset, vt diximus assertione prima.

81. Ad secundum Respondeo, non facere ad rem. Nam siue reipsa peccata actualia non fuerint permissa nisi dependenter ab originali, siue non, de quo supra diximus: disputamus iam ex suppositione, quòd nimirum non existente originali, essent tamen actualia, & quidem valde multiplicata, vt nunc sunt. Et quærimus quid vi affectus & decreti diuini circa illa futurum esset? Decreti, inquam, reipsa existentis, & nobis manifestati.

At, inquies, quomodo fuisset idem decretum quod nunc est, sublata parte vna obiecti illius; nam Deus reipsa decreuit mittere redemptorem etiam propter originale primò & principaliter.

Respondeo, futurum illud decretum idem, non quoad omnia, sed quoad illam quasi sui partem, seu rationem, independentem à peccato originali. Vt vice versa potuit esse sine peccato actuali, quoad alteram partem, quâ tendit in originale independenter ab actuali.

82. 4. Conclus. Christus non fuit decretus vt redéptor, propter sola venialia, vel mortalia actualia vnius aut paucorum. Suarez. Vasq.

Dico quartò, si non existente peccato originali fuissent tamen peccata actualia, sed vnius aut paucorum: vel etiam solùm venialia (& certè non fuissent tam multa, ac nunc sunt, si peccatum originale non esset) probabilius est, Christum non fuisse venturum vt redemptorem vi præsentis decreti, eo genere redemptionis ad quod reipsa decretus fuit. Ita Suar. disp. 3. sect. 6. Vasques supra, & alij communiter. Fauentque sancti Patres quando communiter non aliud motiuum decreti redemptionis afferunt, quàm lapsum totius naturæ. Ratio verò est, quia Christus reipsa non aliter fuit decretus vt redemptor, quàm per mortem, iuxta illud Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam*, &c. At non apparet, neque adeo conueniens fuit Christum, propter venialia, quibus aliter ipsi iusti mederi facile poterant, aut propter actualia vnius aut paucorum, fuisse vi decreti diuini præsentis subiectum morti & priuatum dono immortalitatis, quo cæteri fruituri erant.

83. Opinionis contrariæ arguméta.

Neque verò id satis probant quæ in contrarium solent obiici. Primum est, Parabola drachmæ & ouis perditæ, Lucæ 15. quâ Christus videtur innuere se venisse vel propter vnius animæ redemptionem, vt significat conclusio parabolæ, *Dico vobis, Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Et Paulus ad Galat. 2. v. 20. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et ad Hebr. 6. vers. 6. dicitur peccator rursus crucifigere Filium Dei in semetipso; nimirum quia ponit causam sufficientem vt iterum crucifigatur. Secundò, Christus idem videtur significasse viro sanctissimo Carpo, in visione quadam, quam refert S. Dionysius in Epistola ad Demophilum: & Chrysost. hom. 3. in acta Apostolorum ad illa verba, *& dederunt eis sortes*, idem affirmat, cùm sic ait: *Vnius animæ perditio tantam habet iacturam, vt nulla ratio possit æstimare. Etenim si vnius animæ salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo, tantaque pateretur*, &c. Tertiò, Præuiso peccato originali Deus decreuit efficaciter Christum in redemptorem. Et quamuis propter Christi merita Deus voluisset, vt facile poterat, impedire ne posteri inficerentur peccato originali: Christus venisset nihilominus propter peccatum vnius Adæ, & Euæ complicis. Quidni ergo venit vi præsentis decreti propter peccatum actuale mortale vnius aut paucorum? Chrysost.

84. Respondetur 1. argum.

Ad primum Respondeo, Gregorium magnum, & alios communiter, per drachmam, & ouem perditã intelligere totam naturam humanam, ad quam quærendam Christus venerit. Conclusionem verò parabolæ tantùm significare gaudium esse magnum in cœlo, non modò super tota natura humana restaurata, vel multis eius indiuiduis; sed etiam super vnico ad salutem reuerso. Paulus autem solùm indicat Christum singulari affectu pro singulis mortuum esse, & tantùm eius mortem singulis profuisse, ac si pro illis solis mortuus esset. Peccatores verò illi, de quibus loquitur ad Hebr. 6. ideo dicuntur rursus Christum crucifigere in semetipsis, quia secundum Baptismum introducere volebant, quasi primus vnicus non sufficeret, ac proinde neque vnica Christi mors per ipsum repræsentata, vt Chrysostomus & Cyrillus exponunt. Vel quia, vt Anselmus ait, tollitur per peccatum mortale vita gratiæ, per quam Christus in nobis viuebat, atque ita quodammodo mortem Christo in semetipsis inferunt, quicunque aliquod peccatum mortale committunt.

85. Ad secundum.

Ad secundum Respondeo, Christum visione illa significasse Carpo, se, quoad affectum, paratum esse mori pro illo peccatore, si Deus ita decreuisset: sed non apparet, neque probabile est Deum sic ordinasse.

Quòd si instes, affectum Christi fuisse conformem Dei ordinationi, adeóque Deum ordinasse seu decreuisse ipsum in redemptorem, etiã pro singulis efficaciter & totaliter. Respondeo, Christi affectum fuisse superabundantem, & paratũ ad maiora, quàm Deus reipsa exegerit & ordinauerit. Idem respondẽdum est verbis Chrysostomi relatis, nẽpe tãtam esse vnius animæ salutem, vt propter illã Christus fieret homo, tantaque pateretur, quantum est ex vi sui affectus, si Deo ita decernere placuisset. Quòd si Chrysostomus plus intendit, alij Patres non ita loquuntur, neque illius sunt sententiæ.

Ad tertium Respondeo, Christum venturum vi decreti præsentis in eo casu: quia tota natura lapsa esset in Adamo, haberetque debitum contrahendi peccatum originale, posita naturali generatione, quam Deus decreuerat non impedire. Vnde venisset, non propter vnius aut paucorum salutem, sed omnium, quos à tanta miseria in Adamo incursa liberasset.

Dixi autem in fine conclusionis, *eo genere redemptionis, ad quod reipsa Christus decretus fuit*, nempe per mortem: quia nō nego Christum vi præsentis decreti, quo Deus voluit Christum convenienti modo vt ducem & pastorem, fuisse aliter ouibus suis prouisurum, & pro leuibus, aut paucis illis peccatis satisfacturum per actus aliquos humiliationis; quamuis pro illis non debuerit mori vi præsentis decreti.

86\. 5. Conclus. Christus fuit decretus priùs propter originale, quàm propter actuale: principaliùs verò propter actuale, quàm propter originale.

Dico 5. in hypothesi rerum quæ nunc est, Christum fuisse decretum vt redemptorem ratione priùs propter peccatum originale, principaliùs verò propter actuale. Hæc assertio respondet directè quæstioni propositæ in titulo sectionis præcedentis. Prima pars illius probatur, quia decretum Christi vt redemptoris propter actualia, supponit peccata actualia à Deo permissa & præuisa. Peccata verò actualia, vel omnia, vel plurima, supponunt ex parte potentiæ auxilium sufficiens ad ea vitanda. Quod auxilium non datur nisi propter merita Christi vt redēptoris; nam omnes gratiæ collatæ post peccatum originale dantur beneficio Christi vt redemptoris. Ergo illa peccata, eorumque præuisio, supponunt Christum iam decretum vt redemptorem propter peccatum aliud prius actualibus. Nimirum propter peccatum originale, à quo etiam pependit actualium permissio, vt probauimus in prima assertione. Ergo decretum Christi vt redemptoris propter actualia, supponit Christum decretum in redemptorem propter originale.

87\. Probatur Christum fuisse decretum principaliùs propter actualia peccata.

Secunda verò pars eiusdem assertionis probatur: quia, vt suprà diximus, Deus principaliùs mederi voluit miseriæ maiori, & magis indigenti remedio redemptionis, vt D. Thom. affirmat quæst. 1. art. 4. in corpore. Atqui miseria peccatorum actualium fuit maior, & magis indigens remedio redemptionis, & satisfactione, propter finem ad quem remedium & satisfactio referebantur. Fuit, inquam, maior, quia, vt ante diximus, maior est grauitas totius cumuli peccatorum actualium, maiorique pœnæ addicit, quàm peccatum originale. Magis quoque indiget remedio redemptionis, & satisfactione, propter finem ad quem remedium & satisfactio referebantur. Etenim satisfactio eò referebatur, vt offensa & iniuria Deo facta repararetur. Remedium verò eò spectabat, vt homines liberarentur à miseria peccati, & restituerentur gratiæ, & amicitiæ Dei: sicque perfectum finem beatitudinis æternæ consequi possent ad Dei gloriam, quæ erat vltimus finis remedii & satisfactionis. Atqui Deus vehementiùs offenditur peccatis actualibus: & homines priùs afficiuntur per actuale, saltem collectiuè sumptum, quàm per originale: est enim illud grauius, & numerosius; atque non solùm priuat gratia & gloria, sed & æternis sensus cruciatibus subjicit: Deoque magis inuisos & inimicos reddit. Ergo ex parte Dei grauior erat ratio satisfaciendi illi pro peccatis actualibus, quàm pro originali. Et ex parte hominum maior erat necessitas vt liberarentur à miseria peccatorum actualium, quàm solius originalis.

Ojicies ex D. Thoma q. 1. art. 4. peccatum originale fuisse maius extensiuè, quia fuit totius naturæ, & quod est totius, est grauius quàm quod est partis. Sicut è contrario bonum gentis diuinius est, & eminentius, quàm bonum partis, vt dicitur 1. Ethic. cap. 2. Item peccatum originale est radix & causa omnium actualium, ideóque est deterius, & Deus illi principaliùs, tanquam radici morbi, remedium afferre debuit. 88. Aristot.

Soluuntur argum. contrar. Ad primum Respondeo 1. Peccatum actuale, licet per accidens, esse quoque ferè totius naturæ, cùm multò maior pars hominum illo inquinetur: Neque minùs Deum offendere, aut hominibus nocere, eò quod per accidens sic extenditur per propriam cuiusque voluntatem, & non ex debito naturæ, vt originale. 2. Peccatum totius naturæ esse quidem grauius, quàm peccatum partis, cæteris paribus: at non aliter. Potest enim aliunde superari hic excessus: vt superatur ab actualibus numero & intensione. Sicque etiam bonum aliquod partis potest esse præstantius aliquo bono gentis: licet cæteris paribus, bonum gentis sit eminentius, & bonum commune sit priuato præferendum. Neque enim vita v. g. exponenda est pro bono communi leuissimo, puta ne publico ærario surripiatur obolus.

Ad secundum Respondeo, peccatum originale esse quidem tantò deterius, quòd cæterorum causa fuit, vt probabiliter supponimus. Sed, vt suprà diximus, Adam valde confusè tam graue malum apprehendit: neque tantùm malitiæ formalis fuit in illo vnico peccato, quantùm in cumulo omnium actualium. 89. Potueritne Christus decerni propter peccata hæresis committenda circa decretum incarnationis?

Superest difficultas, vtrum si futura tantùm fuissent peccata actualia hæresis, circa incarnationem decretam vt futuram, multiplicata in plurimis & ferè omnibus naturæ humanæ indiuiduis: Christus decerni potuisset vt redemptor pro illis, tanquam motiuo totali & sufficienti decernendi Christum vt redemptorem? Ratio dubitandi est, quia Christus re ipsa decretus est in redemptorem pro omnibus hominum peccatis, etiam pro talibus peccatis hæresis. Multi enim reipsa peccarunt multipliciter contra decretum incarnationis. In contrarium verò est, quòd inde sequitur idem esse prius & posterius. Quia talia peccata supponunt incarna-

tionem esse decretam in redemptionem: & vice versa, decretum Christi in redemptorem pro talibus peccatis, supponit illa peccata tanquam mouentia Deum ad decernendum Christum in redemptorem pro illis. Ergo peccata illa supponuntur illi decreto, & illud simul præsupponunt. Supponuntur, inquam, illa peccata quoad actualem existentiam, ei quod simul præsupponunt secundum actualem ipsius existentiam, quod implicat, loquendo de prima existentia simpliciter, id est, non iteratò data. Neque sufficit recurrere ad diuersum genus causæ. Nam ratio quæ probat non posse idem esse prius & posterius quoad existentiam in eodem genere causæ; probat pariter non posse in diuerso genere causæ. Tota enim ratio implicantiæ in eo est, quòd idem naturâ priùs existat, quàm existat; seu pendeat & non pẽdeat ab eodem secundum existẽtiam.

90 Resolutio quæstionis. Respondeo, Deum non potuisse decernere totaliter & sufficienter incarnationem, & Christum in redemptorem, propter ea peccata quæ præuidebat esse futura contra decretum incarnationis, posito quòd illa peccata præsupponerent obiectiuè decretum Incarnationis vt existens, & à Deo cõsiderarẽtur vt talia: ita vt, quà talia, mouerẽt Deum ad decernendum; id est, Deus Christum in redemptorem decerneret propter illa peccata vt extitura cõtra decretum existens, quod vt tale præsupponunt obiectiuè. Sic enim esset mutua præsuppositio decreti & peccatorum, secundum existentiam: quod implicat, vt bene probatum est in obiectione.

Dixi, *posito quòd illa peccata considerentur à Deo vt talia*: Quia non nego potuisse Christum decerni totaliter in redemptorem propter illa peccata abstractiùs considerata: putà, supponendo Deum in priori rationis decreuisse Christum vt redemptorem pro hominum peccatis, quæcunque & qualiacunque illa forent, abstrahendo à specialibus eorum differentiis. In quo casu differentiæ illæ se haberent per accidens ad decretum, neque ab illo præsupponerentur, quia vt tales non mouerunt Deum ad decernendum, siquidem non fuerunt consideratæ vt tales in priori instanti decreti.

Ad rationem dubitandi Respondeo, Christum re ipsa non fuisse decretum pro talibus peccatis, tanquam pro motiuo totali, quippe quæ non adeò multiplicatur in indiuiduis naturæ humanæ, vt malũ totius naturæ censeri possint. Deinde dato quòd fuissent motiuum totale; mouissent Deum abstractiùs considerata, & non specialiter considerata vt præsupponunt actualem existentiam decreti diuini. Vt sic enim, neque totaliter, neque partialiter, potuerunt esse causa seu motiuum illius decreti. Alioqui peccata illa secundum suam existentiam (mouent enim Deum vt extitura, id est, vt existentia suo tempore) præsupponerentur existentiæ decreti, quod ipsa præsupponunt iam existere, secundum eam considerationem quâ mouent Deum ad decretum ponẽdum: quod est impossibile. 91 Soluitur ratio dubitandi.

DISPVTATIO QVARTA,

De aliis causis Incarnationis, & præcipuè de meritoria.


VC vsque diximus de causa finali, seu de motiuo Incarnationis. Sequitur modò vt de aliis eius causis disseramus. Et de materiali quidem, & formali, id est, de extremis vnionis, deque ipsa vnione hypostatica, quæ per modum causæ materialis & formalis se habent in effectione huius mysterij, tametsi non sunt propriè materia, & forma, dicemus inferiùs disp. 5. & duabus sequentibus. Iam verò de efficiente, quæ duplex est: physica scilicet, & moralis, seu meritoria: ad quam reuocari potest dispositiua, quæ moraliter tantùm potuit esse præerequisita. De his verò breuiter agit S. Doctor quęst. 2. art. 10. & 11. Quorum priore, docet vnionem hypostaticam fuisse quidem factam per Dei gratiam, sumendo gratiam pro voluntate Dei aliquid gratis dante: quia natura humana indiget voluntate gratuita, vt eleuetur in Deum, cùm hoc superet illius facultatem: præcipuéque vt eleuetur ad esse personale diuinum. Non tamen eguisse gratia habituali, vt ea mediante vniretur Verbo hypostaticè: quia quòd natura habeat esse in supposito suo, non fit mediante aliquo habitu. In posteriori affirmat nulla Christi merita potuisse præcedere vnionem hypostaticam. Tum quia Christus non fuit purus homo antequam vniretur: sed à principio suæ conceptionis fuit verè filius Dei, vtpote non habens aliam hypostasim quàm filii Dei: ideóque omnis operatio illius hominis subsecuta est vnionem. Tum etiam quia gratia non potest cadere sub meritum: quę est merendi principium: ergo multò minùs Incarnatio cadit sub meritum, quę est principium gratiæ. Tum denique quia Incarnatio Christi est reformatiua totius humanæ naturæ, ideóque non cadit sub meritum alicuius hominis singularis: quia bonum alicuius puri hominis, non potest esse causa boni totius naturæ. Ex congruo tamen meruerunt sancti Patres incarnationem, desiderando, & petendo. Congruum enim erat, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant. Huc vsque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs declarabitur.

SECTIO I.

Quænam fuerit causa efficiens Incarnationis?

1. *Deus solus potuit efficere physicè Incarnationem.*

Espondeo, longè probabilius esse solum Deum fuisse, atq; etiam esse potuisse, causam physicè efficientem Incarnat. ita vt physica eius effectio nulli creaturæ communicari potuerit, neque principaliter, neque instrumentaliter; naturaliter, aut obedientialiter. Ratio præcipua est, quia vnio hypostatica, cùm sit apex omnipotentiæ diuinæ, videtur esse tantæ eminentiæ, vt omnem vim creatam excedat. Est enim valde credibile per se, Deum posse aliquid quod nulla creatura possit. Si autem est aliquid tale: ergo maximè id quod summum est in Dei omnipotentia. Confirmatur, quia iuxta veram sententiam D. Thomæ, aliorumque plurimorum, nulla creatura potest creare propriè, ne quidem instrumentaliter & obedientialiter. Ergo neque vnire Verbum hypostaticè naturæ creatæ, quæ actio nobilior ac difficilior iure æstimatur.

Dixi autem, *neque principaliter & naturaliter, neque instrumentaliter & obedientialiter*, quorum prius certius & clarius est. Etenim esse creaturam quæ vi naturali, & veluti causa principalis possit Deum aliquatenus innouare, id est, efficere vt nouo modo se habeat, vtque natura aliena in ipso subsistat, ipsumque in compositionem veram & realem adducere, & velut in ordinem creaturarum redigere, est per se incredibile, & non 2. *Idque constat de causa principali & naturali.*

decet diuinam excellentiam. Quin potiùs, sicut nulli puræ creaturæ connaturalis esse potest vnio hypostatica terminatiuè, quippe quæ omnem ordinem purarum creaturarum transcendit: sic neque effectiuè, seu vis illam efficiendi, quæ nobilior est quàm vis sola terminandi.

De instrumentali verò & obedientiali negant aliqui.

De instrumentali verò & obedientiali existimat Suarez disp. 10. sect. 1.5. *Quocirca*, non repugnare, Deum assumere creaturam vt instrumentum physicum ad efficiẽdam vnionem hypostaticam; sicut, inquit, assumit ad alios effectus supernaturales, nẽpe ad transsubstantiationem, & iustificationem. Quia neque ex parte modi, neque ex parte termini, est maior repugnantia. Et licet hoc opus sit altius & excellentius; tamen instrumentaria virtus creaturę est quodammodo infinita: quia non est naturalis potentia, sed obedientialis, cuius efficacia possibilis non mensuratur ex naturali perfectione creaturæ, sed ex infinita virtute omnipotentiæ Dei, suppositâ non repugnantiâ ex parte actionis vel effectus. 2. Addit, esse pium & probabile quòd de facto Beata Virgo effectiuè attigerit instrumentaliter ipsam vnionem hypostaticam: Tum quia id facit ad maiorem Virginis dignitatem, & vt veriùs ac magis propriè dicatur concepisse Deum: tum etiam quia Deus pro sua suaui prouidentia, & omnipotentiæ manifestatione, solet vti creaturis suis vt instrumentis, quando commodè potest, præsertim quando instrumentum est accommodatum, & quasi propinquum effectui, sicut erat Beata Virgo fœtui suo vniendo hypostasi diuinæ. Ac denique quia id significant sancti Patres, Hesichius hom. 2. de Beata Virgine, cùm eam vocat instrumentum incarnationis eius qui omnia produxit: Ambrosius epist. 82. longè post initium, aiens, per Beatam Virginem iunctam fuisse carnem humanam Deo: & Bernardus lib. 5. de Consideratione, cap. 10. dicens, Beatam Virginem fuisse mulierem, quæ tria illa sata Euangelica commiscuit, carnem scilicet, animam, & diuinitatem, tamque bene fermentauit, vt ne diuisione quidem facta carnis & animæ, caro vel anima diuideretur à Verbo. Addit 3. licet de facto nulla alia creatura cõcurrerit ad primam huius mysterii effectionem, præter Beatam Virginem: nam actio Gabrielis stetit in annunciatione diuinæ voluntatis, & petitione consensus Beatæ Virginis: de aliis verò Scriptura, nec sancti Patres quidquam indicant, neque est ratio prudenter dubitandi: Nihilominus quoad iteratam quandam incarnationis effectionem partialem, aut totalem, dici posse, alias causas concurrisse in duobus. Primò, in nutritione Christi. Etenim non est improbabile Christi humanitatem, tanquam instrumentum, vniuisse hypostaticè partes alimenti, quas per nutritionem sibi aggenerabat, cùm vitam hanc mortalẽ viueret: quia vis huiusmodi instrumentaria non repugnabat Christi humanitati, quæ in hoc genere

An B. V. concurrerit physicè instrumentaliter ad vnionem hypost.

Hesichius.

Ambros.

Bernard.

habuit summam quandam participationem diuinæ omnipotentiæ. Secundò, in mysterio Eucharistiæ probabile est, verba consecrationis efficere physicè corpus Christi vt vnitum Verbo: quia efficiunt illud prout est in rerum natura, atque adeo prout Verbo vnitum est: maximè quia vi verborum ponitur Corpus vt subsistens; ergo vt vnitum personæ diuinæ: ergo ex vi verborum efficitur ipsa vnio, eo modo quo efficitur ipsum corpus. Hæc Suares, qui, quod ait hîc esse probabile de corpore Christi, absolutè affirmat in Tract. de Eucharistia.

3. Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

Sed ad primum Respondeo, non esse verum quod supponit, sacramenta assumi ad physicè efficiendam transsubstantiationem, & iustificationem, vt ostendemus tractatu sequenti, disputando de Efficacia sacramentorum. Potentia autem obedientialis creaturarum non est ad omnia, neque solùm metienda est ex omnipotentia diuina: sed nihil aliud est quàm aptitudo & capacitas naturæ creatæ ad opera supernaturalia, cum concursu causæ supernaturalis, ad illa eleuantis: quæ aptitudo finita est, sicut & ipsa natura; neque in omnibus creaturis est æqualis, sed possunt quædam assumi ad nonnulla ad quæ aliæ non possunt, vt ostendimus 1. p. disputando de Visione Dei, & 1. 2. in tract. de Gratia, atque iterum confirmabimus inferiùs disp. 21. sect. 6. & sequent.

Vide Tom. 1. disp. 7. sect. 1. & 2. & Tom. 2. disp. 33. sect. 3. & infrà disp. 21. sect. 6.

Ad secundum Respondeo non esse pium, neque facere ad Beatæ Virginis dignitatem, quod impossibile & nihil est: Beatamque Virginem verè ac propriè Dei matrem esse, modò concurrerit ad Christum producendum, vt matres aliæ concurrunt ad fœtum suum formandum. Aliæ verò matres non producunt subsistentiam corporis vel animæ: sed materiam præsupponunt, quam solùm organizant & disponunt ad animam rationalem recipiendam: deinde animam rationalem, priùs natura à solo Deo creatam, vniunt corpori perfectè disposito. Vtrumque autem Beata Virgo præstitit erga Christum Dei filium. Quare verè & propriè mater illius est. In eumque sensum intelligendi sunt Patres relati à Suare; vel potiùs loquuntur de consensu, & concursu morali Beatæ Virginis circa ipsam vnionem hypostaticam. Adde, quòd ille concursus instrumentalis nihil faceret ad matris denominationem. Nam mater, vt mater, non est causa instrumentalis, sed principalis.

Ad tertium: Nego talem vim humanitatis Christi fuisse, vt materiam alimenti, quod sibi aggenerabat, posset physicè vnire hypostasi Verbi diuini: neque consistit nutritio vel aggeneratio in productione subsistentiæ, sed in vnione partium nutrimenti ad partes viuentis, cum conuersione in earum substantiam: quæ conuersio fit per introductionem eiusdem formæ. Nego pariter verba consecrationis producere physicè corpus Christi. Nam moraliter tantùm agunt. Et quamuis corpus physicè producerent, non

producerent vt vnitum: quia vi verborum non ponitur corpus vt subsistens, sed subsistentia Verbi ponitur tantùm per concomitantiam, vt docet Trident. sect. 13. cap. 3. & nos fusiùs exponemus in Tract. de Eucharistia.

SECTIO II.

An aliqua causa dispositiua Incarnationem praecesserit?

4. *Perfecta dispositio ex parte corporis praecessit Incarnationem.* SVppono ex parte corporis praecessisse dispositiones, quae ad organizationẽ, & animae introductionem, necessariae fuerunt: quae dispositiones tantò meliores effectę sunt, quantò ad formam nobiliorem, & ad perfectius compositum ordinabantur. Sicut enim priùs natura fuit creari animam, quàm hypostaticè vniri: sic etiam priùs natura fuit corpus esse organicum substantialiter, quàm hypostaticè assumi. Fit autem organicum substantialiter per formas partiales substantiales carnis, neruorũ, ossium, &c. quae vt introducãtur, praerequirũt dispositiones necessarias in materia ex qua educi debent. Ergo seruato naturae ordine, priùs in vtero Beatae Virginis materia fuit disposita & organizata ad corpus humanum, id est, aptum animae rationali, constituendum, quàm corpus illud à Verbo assumeretur. Facta est autem tota haec dispositio & organizatio in instanti, id est, tota simul & sine successione, per virtutem infinitam Spiritus sancti, concurrente obedientialiter, & minùs principaliter, Beata Virgine virtute sua à Spiritu sancto eleuata, vt docent communi consensu Theologi cum D. Thom. q. 33. probantque ex Conciliis & sanctis Patribus, quorum testimonia vide apud Suarem Tom. 2. in 3. p. disp. 11. sect. 2.

5. Verùm hae dispositiones remotè tantùm ad incarnationem tendebant: neque id ex natura sua, secundum quam terminabantur ad animae receptionem & constitutionem hominis; sed ex diuina ordinatione, quae eas ad incarnationem, vt ad finem vlteriorem & supernaturalem referebat. *Status quaestionis.* Neque de illis dispositionibus in pręsenti sermo est; sed vtrum aliqua dispositio, vltra eas quae ad hominis generationem necessariae sunt, praecesserit assumptionem humanitatis ad Verbum. Idque vel ex ipsa rei necessitate, vel ex congruitate & ordinatione Dei. Sunt enim qui existimãt, naturam humanam, cùm sit adeo Verbo improportionata, tamque diuersi ordinis, non potuisse, aut non debuisse assumi hypostaticè, nisi eleuatam praeuia aliqua dispositione supernaturali, quam vocant gratiam vnionis.

6. *Prima opinio. Gabriel, Suarez.* Ac primò, Suarez disp. 10. sect. 2. tribuit Gabrieli in 3. dist. 2. sensisse, quòd praecesserit aliqua dispositio physica necessariò connexa cum vnione hypostatica, atque illam exigens connaturaliter, quemadmodum vltima dispositio ad generationem hominis, exigit animae rationalis creationem, & vnionem cum materia disposita. Sed hanc opinionem apud Gabrielem non reperio: & cuiuscunque sit, falsa est & improbabilis. *Non praecessit dispositio physicè exigens Incarnationem.* Absurdum enim est existimare, possibilem esse qualitatem, aut aliam rem creatam, cui connaturaliter debeatur vnio hypostatica, quaeque ipsam exigat vi propria, sicut dispositio physica exigit formam. Quod facilè sibi persuadebit quisquis attentè considerabit infinitam Dei eminentiam supra quamcunque creaturam possibilem, quae non potest non esse diuersi ordinis à Deo, & infinitè inferioris: cùm tamen forma, & dispositio physica ad formam, eiusdem ordinis esse debeant, & connexionem naturalem habere, vt patet ex communi philosophorum acceptione & definitione dispositionis physicae.

7. *Secunda opinio. Alensis.* Secundò, Alensis parte 3, quaest. 7. membro 2. art. 1. & quaest. 12. membro 1. art. 1. putat praecessisse dispositionem physicam, non quae necessariò & connaturaliter hypostaticam vnionem exigeret, sed quae necessariò ab ipsa praesupponeretur, ita vt sine illa humanitas non posset assumi. Ratio eius est, quia non potest à Deo assumi alia natura, quàm rationalis. Vnio autem creaturae rationalis cum Deo, est eleuatio ipsius supra statum cuiuscumque creaturae: ergo non potest conuenire talis vnio creaturae rationali per principia naturalia ipsius, sed per donum aliquod gratis ei collatum, nempe gratiam habitualem. *Non praecessit etiam necessariò gratia habitualis.* At haec sententia est quoque improbabilis. Nam humanitas per se immediatè, id est, proximè, & secundum se, fuit vnita Verbo, & non per aliud intermedium. Ergo fuit per se immediatè vnibilis, siue apta & potens obedientialiter vniri. Ac si per seipsam non habuit potentiam obedientialem ad vnionem immediatam, non potuit illam habere per aliquid aliud: cùm illa potentia non sit aliud, quàm natura ipsa humanitatis, quae natura seipsa formaliter est id quod est, & potest seipsa recipere quidquid potest recipere, ac per aliud non potuit accipere vt esset formaliter passiuè potens vniri Verbo, si per seipsam non erat potens.

8. *Instantia repellitur.* Dices, sicut materia potest quidem immediatè vniri formae, sed tamen eget dispositionibus naturaliter praerequisitis, sine quibus forma non potest introduci, neque materia est proximè apta recipere: sic &c. Respondeo, vnionem hypostaticam tam alti esse ordinis, vt nulla res purè creata possit habere rationem dispositionis connaturalis respectu illius, vt paulò ante diximus. Et quemadmodum nulla res naturalis est dispositio connaturalis ad gratiam & ad dona supernaturalia gratiae, quia sunt diuersi ordinis & improportionati: sic neque dona gratiae sunt dispositio connaturalis ad vnionem hypostaticam, quae est ordinis superioris, & plus supereminet gratiae, quàm gratia naturae. Adde, quòd difficile est imaginari, qualis esset illa

dispositio ex parte corporis, quod fuit immediatè assumptum hypostaticè, æquè ac anima rationalis.

Altera instantia.

Instabis, non posse naturam eleuari ad gratiam supernaturalem sibi improportionatam sine aliquo intermedio: multóque minùs ad vnionem hypostaticam. Respondeo, potentiam obedientialem naturæ, quæ est ipsamet natura, prout respicit Deum operantem extraordinariè, & non per modum causæ primæ ex debito naturæ, esse immediatè ad gratiam, & ad vnionem hypostaticam. Ac si necessariò requireretur intermedium, vt natura eleuaretur ad gratiam, & ad supernaturalia: vel illud intermedium esset aliquid naturale, vel aliquid supernaturale. Si primum: egebit alio intermedio, & istud alio, & sic in infinitum. Si secundum: ergo natura eleuatur ad aliquid supernaturale sine intermedio, quandoquidem hoc ipsum est supernaturale, & natura ad illud eleuatur per se proximè, non interiecto alio intermedio.

9. *Argumento Alensis satisfit.*

Ad fundamentum ergo Alensis respondeo negando consequentiam. Talis enim vnio potest conuenire creaturæ rationali per se immediatè, non per principia quidem naturalia ipsius, quâ talia; sed per potentiam obedientialem, quâ eleuatur immediatè ad statum hypostaticum. Hæc autem potentia obedientialis est ipsamet eius natura, comparata & coniuncta, non cum causis connaturalibus, sed cum Deo supernaturaliter ei coniuncto per modum causæ concurrentis extraordinariè, & supra naturæ exigentiam, ad illum effectum supernaturalem. Addo, argumētum Alensis posse in ipsum retorqueri. Nam illud intermedium, seu gratia habitualis, eleuabitur quoque supra omnem ordinem creaturarum, quādo attolletur ad vnionem hypostaticam. Ergo egebit alio intermedio, & non poterit talis vnio ei conuenire per principia naturalia ipsius, sed per donum aliquod gratis ei collatum, & sic in infinitum.

10. *Tertia sententia D. Thom. S. Bonauent. Paludan. Gabriel. Suarez.*

Tertiò, D. Thom. in 3. dist. 2. q. 2. a. 2. Bonauent. ibid. art. 3. q. 2. Paludanus q. 2. a. 3. Gabriel q. vnica a. 2. & alii à Suare suprà relati, existimarunt præcessisse moralem aliquam dispositionem ex decentia & libera Dei ordinatione: quatenus sicut ex parte corporis præcessit pulchritudo eximia, & optima quædam complexio, vt decens corpus hypostaticè vniendum: sic ex parte animæ, priùs naturâ fuit illi infusa gratia habitualis perfectissima, & alia dona supernaturalia, quibus decebat ornari animam assumendam à Verbo. Cùm enim anima priùs natura extiterit, quàm sit vnita; potuit etiam naturâ priùs ornari gratiâ in ordine ad vnionem. Ac decuit priùs ita ornari, vt magis apta redderetur tam excellenti vnioni. Neque existimandum est, Deum aliquid omisisse quod faceret ad conuenientem Verbi coniunctionem cum natura humana.

Probabile est præcessisse gratiam.

Hæc sententia probabilis est. Potuit enim Deus conuenienter seruare hunc ordinem causalitatis inter gratiam & vnionem hypostaticam, ornando animam Christi gratia, velut dispositione morali ad vnionem. Non tamen est certa & plusquam probabilis quia potuit etiam Deus conuenienter seruare ordinem contrarium, ornando animam Christi gratiâ & aliis donis supernaturalibus, propter vnionem hypostaticam, velut ex ea sequentibus, illique debitis, connaturali exigentia. Sicut in Beatitudine gloria corporis sequitur ex animæ gloria, quæ est illius quodammodo causa & radix, saltem moralis. Conueniens enim fuit Christum suo iure accipere gratiam, & illa alia dona. Hæc igitur nostra est resolutio propositæ quæstionis, quæ non potest meliùs declarari & confirmari, quàm respondendo argumentis contrariis.

11. *Existimant aliqui debuisse necessariò vnionem hyp præire gratiæ infusioni.*

Ac primò, sunt qui dicunt, debuisse necessariò naturæ ordine præcedere hypostaticam vnionem: quia, inquiunt, priùs natura in substantiis est subsistere, quàm habere accidentia: priùs, inquam, non causalitate, quia accidentia non pendent à subsistentia, quippe quæ non est ratio subiecti, neque præbet substantiæ vt possit recipere vel producere accidentia: sed priùs ex parte subiecti, quia substantia illam priùs quodammodo, & magis exigit, tanquam modum substantialem sibi magis intimum, & veluti magis connexum, atque necessarium ad suum intrinsecum complementum. Est enim subsistentia modus magis intrinsecus formæ subsistenti, quàm omne accidens ipsius. Vt ex eo confirmatur, quòd cùm sit aliqua substantia quæ non habet accidentia, vt Deus; tamen nulla est quæ non habeat subsistentiam. Ob eamdemque causam prior in Deo est productio personarum, earumque constitutio substantialis, quàm cognitio contingentium, & decreta Dei libera. Prior, inquam, non secundum causalitatem, quia Deus non cognoscit, neque liberè decernit per productionem personarum, earumque hypostases: sed ex parte subiecti, quatenus Deus priùs & magis exigit constitutionem personarum, & omnia sibi substantialia, quàm contingentia quasi accidentaria. Cùm ergo priùs naturâ sit in substantiis subsistere, quàm accidentibus informari: anima priùs assumpta fuit ad subsistendum, quàm accidentibus informata: quia in quo signo rationis debuisset anima habere subsistentiam, in eodem fuit vnita hypostaticè. Loco enim subsistentiæ propriæ, habuit diuinam, quæ propriam exclusit, seu impediuit.

12. *Refelluntur.*

Respondeo, subsistentiam propriam & connaturalem esse quidem priorem naturâ, ordine prioritatis sumpto ex parte subiecti, id est, ex parte exigentiæ, & connexionis, aut identitatis magis necessariæ, quàm accidentia substantiæ aduenientia. Secus autem subsistentiam supernaturalem & alienam, qualis est hypostasis Verbi respectu naturæ humanæ. Vnde non sequitur priùs necessariò debuisse

Vnio hypostatica non habet eandem prioritatẽ naturæ, quàm propria subsistentia.

debuisse illam assumi hypostaticè, quàm accidentibus informari, si hoc intelligatur de prioritate ex parte subiecti. Falsumque est id quod additur in obiectione, quòd scilicet in quo signo rationis debuisset humanitas habere subsistentiam propriam, in eodem fuit vnita Verbo & habuit diuinam. Nam hoc est dicere, hypostasim Verbi & vnionem hypostaticam exigi à natura humana, magis quàm accidentia ei connaturalia; & tam exigi ab humanitate, tamque illi necessariò cõnexam esse, aut identificatam, atque esset propria & naturalis subsistentia: quod est euidenter falsum, & sine errore dici nequit. Sequeretur enim hypostaticam vnionem non esse beneficium gratiæ, respectu humanitatis, quia quod datur ex naturæ exigẽtia, non est gratia: & hypostasim Verbi non minùs esse debitam & necessariò connexam humanitati, quàm propriam subsistẽtiam. Nam esse in eodem priori naturæ ex parte subiecti, hoc significat, iuxta definitionem illius prioritatis. Sin autem loquãtur aduersarii de alio ordine prioritatis naturę, qui dicitur causalitatis: falsum pariter est, subsistẽtiam naturalem esse priorem accidentibus illa prioritate: quippe quæ non est illorum causa, vt fatentur aduersarii in obiectione. Ergo non bene ex eo inferunt, fuisse necessariò prioritatem causalitatis in vnione hypostatica respectu gratię, & accidentium, animæ Christi infusorum. Aequiuocantur verò, aut malè argumentantur, si ex eo quòd sit prioritas ex parte subiecti inter hypostasim & accidentia (quod tamen falsum esse ostẽdimus de hypostasi aliena & supernaturali) inferãt, debere necessariò esse prioritatẽ causalitatis inter illa. Quasi verò vna prioritas sit alia: aut quidquid magis exigitur à subiecto, sit causa aliorum quæ non tam necessariò exiguntur.

[13] Alii censent saltem reipsa vnionem hyp. debuisse præire gratiæ infusioni.

D. Thom.

Secundò, D. Thomas q. 7. a. 13. mutans sententiã quam tenuerat in 3. dist. 2. q. 2. a. 2. ait hypostaticam vnionem præcessisse naturæ ordine gratiam habitualem triplici de causa. Primò, quia principium vnionis est filius, principium verò gratiæ habitualis est Spiritus sanctus. Atqui filius est prior origine, quam Spiritus sanctus: ergo & vnio prior fuit infusione gratiæ. 2. Gratia habitualis causatur ex præsẽtia diuinitatis, quæ præsentia maximè fit in Christo per vnionem hypostaticam. Ergo vnio est prior. 3. Gratia datur ad agendum. Actiones autem sunt suppositorum, & ea supponunt. Christus autem est suppositum per vnionem naturæ humanæ cum hypostasi Verbi: ergo &c.

Sed probant tantùm hoc fuisse congruum.

Sed hæ rationes ostendunt tantùm congruitatem aliquam, non necessitatem: vnde non obsunt nostræ assertioni. Quodque assumitur in prima, *Spiritum sanctum esse principium gratiæ*, debet intelligi appropriatiuè, non exclusiuè, quasi non etiam Filius & Pater sint illius principium per potẽtiam communem tribus personis, per quam etiam sunt principium incarnationis effectiuum, licet Filius solus sit principium illius terminatiuum, seu quasi passiuum. Quod verò sumitur in secunda, gratiam scilicet causari à præsentia diuinitatis, non probat necessitatem præsentiæ per vnionem hypostaticam. Nam si præsentia diuinitatis est conditio necessariò prærequisita ad infusionem gratiæ, & ad alias operationes diuinas; illa præsentia non est præsentia vnionis hypostaticæ, sine qua plurimi sanctificantur, & multi ante illam fuerunt sanctificati; sed præsentia substantiæ per indistãtiam à loco in quo operatur. Quod denique dicitur in tertia ratione, actiones esse suppositorum, verum est, si intelligatur, quòd supposita sint subiecta denominationis actionum & accidentium. Non autem si intelligatur, quòd supposita secũdum propriam rationẽ suppositorum sint vel principia, vel subiecta, actionum aut accidentium. Ad hoc enim sufficit & per se confert singularis natura existens, non autem ratio subsistentiæ. Sicut etiam formis accidentariis ad actionem propriæ virtutis nihil confert inhærentia: adeoque accidens, per se actiuum, non minùs ageret extra subiectum, quàm in subiecto; vt fit in Eucharistia: quia inhærentia non est illi ratio, neque conditio, ad agendum, sed propria vis actiua.

Argumentum Vasquii ad probandum gratiam non potuisse præcedere vnionem.

Tertiò, Vasques disp. 21. cap. 6. num. 51. censet, gratiam habitualem non posse intelligi prius natura donatam humanitati, quàm hypostaticam vnionem: quia, inquit, si intelligeretur priùs donata, deberet intelligi priùs donata ex solo affectu adoptionis. At non potest sic intelligi, quia hoc ipso quòd simul sit cum vnione hypostatica, non constituit hominem illum filium adoptiuum. Verùm hæc ratio infirma est. Facilè enim intelligi potest, gratiam habitualem fuisse priùs donatam, non ex affectu adoptionis, sed vnionis hypostaticæ & naturalis filiationis, ad decorandam humanitatem, vt esset congruentior vnioni. Et quemadmodum, iuxta Vasquem, gratia habitualis posteriùs data est, quàm vnio hypostatica, non ex affectu adoptionis, sed nimirum ad perficiendam naturam, reddendamque congruentiorem Verbo: sic potuit gratia habitualis priùs dari ad eundem finem, sine affectu adoptionis. [14]

Infirmatur.

Instantia repellitur.

Instabis, Quia gratia constituit filium Dei eum in quo est. Ergo si priùs naturâ fuit gratia in humanitate Christi, quàm vnio hypostatica; fuit naturâ priùs filius Dei: non naturalis, quia hoc habet per vnionem hypostaticam: ergo adoptiuus.

Respondeo, Infusionem gratiæ non constituere formaliter filium Dei, sed dispositiuè & præsuppositiuè; id est, constituere aptum & proportionatum adoptioni subiectum, cui illa aliunde non repugnat. Filiatio verò adoptiua est quid consequens tantùm & morale, quod cum naturali Christi filiatione, facta eodem instanti temporis, locum habere non potuit. Etenim ille qui est reipsa filius naturalis, non est adoptiuus. Christus autem primò instanti suæ creatio-

nis fuit filius naturalis per hypostasim Verbi. Et prioritas gratiæ non esset prioritas existentiæ, seu præcessio durationis; sed præcisio & prioritas tantùm naturæ, seu depédentiæ & causalitatis; eo sensu, quo vltima dispositio dicitur esse prior forma simul existente, & eodem instanti introducta. Filiatio, inquam, adoptiua nõ est formaliter ipsa gratiæ infusio & informatio, sed est extrinseca denominatio à voluntate Dei adoptantis, & acceptantis ad hæreditatem vitæ æternæ, præsupposita gratia sanctificante, vt probauimus in tract. de Gratia & Iustificat. Idque multò magis verum est in sententia quorundam aliorum qui cum Lessio lib. 12. de Perfectionibus diuinis cap. 11. num. 74. & sequentibus, existimant nos constitui Dei filios propriè & formaliter per donum aliquod increatum, id est, per inhabitationem & possessionem ipsiusmet Spiritus diuini viuificantis & regentis animas nostras: quæ possessio & viuificatio fiat quidem mediante gratia & charitate, vt vinculo quo spiritus Dei nobis vnitur, & in nobis permanet: & non per ipsam formaliter & præcisè, neque per vllum aliud donum creatum.

15. *Argumentum Suaris quo concedit fuisse impossibile gratiã præcedere.* Quartò denique Suares disp. 10. sect. 2. §. *Atque hinc fit*, putat non modò probabilius esse, Deum priùs naturâ vniuisse animam hypostaticè, quàm gratiam infudisse; sed omnino id necessarium fuisse, & contrarium planè impossibile. Quoniam, inquit, vt aliqua sit vera dispositio, necesse est vt ex se præsupponi possit secundum existentiam, ad id, ad quod esse dicitur dispositio, vt sic mouere possit seu determinare agés ad formam inducendam. Hunc autem modum præsuppositionis non potest habere gratia habitualis respectu vnionis hypostaticæ, quia ante illam non habet subiectum accommodatum in quo possit inhærere, neque extrinseca ordinatio Dei potest hoc mutare non conferendo subsistentiam, quia ille ordo naturæ est intrinsecus ipsis rebus quæ omnino eædem & eodem modo manent. Ergo ex sola extrinseca ordinatione non potest vnum esse priùs alio in ratione dispositionis, nisi in ipsis rebus secundum se sit sufficiés fundamentum talis ordinis. *Cõfirmatur quadrupliciter.* Confirmatur, Quia fieri nullo modo potest, quin subsistentia sit magis intrinseca naturæ, quàm accidentia. Nec fieri etiam potest quin accidentia, quantùm est ex se, subsistentiam præsupponãt. Qui ordo immutari non potest, quia natura subsistentiæ & accidentium semper eadem manet, & in eo solùm ordo ille consistit, quòd vnum sit priùs naturâ quàm aliud. Confirmatur 2. Quia si Deus immutaturus esset hunc ordinem, quid aliter esset facturus, quàm nunc fecit? Si autem nihil aliter faceret; neque habitudo moralis in ratione dispositionis alia esset. Si verò aliquid esset aliter operaturus; declaretur quid illud sit? quod certè fieri non poterit. Confirmatur 3. Quia si Deus ordinem illum immutasset; nihil in hoc negotio diuersum esset, nisi denominatio extrinseca sumpta ex Dei voluntate ordinãte vnum ad aliud, quæ nõ potest variare habitudiné formæ & dispositionis, vel causæ & effectus; quia hæc habitudo non consistit in sola ordinatione agentis extrinseci; sed in aliqua causalitate physica, vel morali, quæ in rebus ipsis existat. Confirmatur 4. Quia si Deus potuit facere, vt gratia habitualis esset dispositio ad vnionem, vnde constare potest id non fecisse? Si enim congruentiis agendũ est, non minores afferri possunt ad affirmandum. Conueniens enim fuit, gratiam inferiorem ordinari ad superiorem. Et sicut Beata Virgo disposita fuit per gratiam & qualitates supernaturales, vt esset mater Dei: sic decuit humanitatem prædisponi. Vtque si Rex ducturus esset vxorem conditionis inferioris, priùs eam nobilitaret, & ornaret quoad fieri posset: sic &c. Sicut denique corpus fuit priùs optimè dispositum & ornatum optima complexione & pulchritudine, vt vniretur: sic anima debuit priùs conuenienter disponi, & ornari gratia sanctificante, aliisque donis supernaturalibus.

16. *Soluitur argumentum Suaris.* Ad primum argumentum Respondeo negando minorem, cum eius probatione. Nam humanitas Christi, secundum se, est subiectũ satis accommodatum accidentibus, quibus hypostasis non est ratio subiecti. Neque enim in Christo inhærent Verbo diuino, sed soli humanitati. Sufficitque illam existere, vt possit esse subiectum accidentium. Existeret autem, quamuis non vniretur Verbo: & naturâ priùs existit, quàm illi vniatur: priùs, inquã, ordine causalitatis: quippe quæ ad illam vnionem concurrit: præsertim verò iuxta sententiam Suaris & aliorum, qui cum ipso dicunt vnionem illam distingui modaliter, & recipi in humanitate. Ac sicut in eo casu quo Deus sua potentia absoluta conseruaret humanitatem aut aliam naturam creatam sine vlla subsistentia (quod fieri posse censent nonnulli cum Delugo disp. 12. num. 93.) Deus posset conferre gratiam tali humanitati priùs tempore omni subsistentia: sic in casu proposito potuit naturâ priùs conferre gratiam habitualem animæ Christi in ordine ad vnionem hypostaticam, intuitu gratiæ illius velut præuiæ dispositionis effectã. Ac licet iuxta naturalem ordinem subsistentia propria & connaturalis sit prior naturâ quàm accidentia, prioritate se tenẽte ex parte subiecti: secus tamen aliena & supernaturalis, vt suprà ostendimus. Et quamuis esset: Deus tamen quoad causalitatem non tenetur seruare illum ordinem, sed potest eum pro sua libertate mutare. Cùm autem Deus ordinem illum mutaret, non mutarentur quidem naturæ rerum & essentiæ, neque res essent aliæ, quàm nunc sunt; sed mutaretur ordo & dependentia moralis inter illas: Qui ordo pendet à Dei voluntate agente vnum propter aliud, aut alio præsupposito. Quemadmodum quãdo Deus infundit gratiã habituale propter contritionem vt dispositionem moralem, non mutat naturam cõtritionis &

gratiæ: sed ponit tamen ordinem, & dependentiam moralem gratiæ à contritione, vt à dispositione. Qui ordo non esset si Deus vtramque independenter produceret: aut ordine contrario gratiam primò infunderet, & propter illam atque cum illa ad contritionem eliciendam concurreret.

17. *Respondetur eius confirmationibus.* Ex his patet responsio ad tres priores confirmationes. Dicendum enim est, Deum in eo casu priùs secundum ordinem causalitatis moralis infundere gratiam habitualem, tumque eodem instanti temporis dare vnionem hypostaticam intuitu gratiæ præexistentis & ornantis subiectum vniendum.

Ad postremam Respondeo me idcirco asseruisse in conclusione id non constare, sed vtrumque esse tantùm probabile, quia Deus vtrumque ordinem potuit conuenienter seruare. Quamquam exemplum Beatæ Virginis, & Regis, longe differt à re proposita. Nam Beata Virgo fuit priùs tempore disposita, neque facta est mater Dei per aliquid substitutum loco propriæ ipsius subsistentiæ. Idemque dico de Regis vxore ignobili. Corpus quoque secundum naturalem ordinem debuit priùs organizari, id est, fieri corpus humanum vltimò & perfectè dispositum, tum per accidentia, tum per formas substantiales partiales & organicas, ad recipiendam animam rationalem. Quia sicut ex parte animæ priùs fuit ipsam creari & existere, quàm assumi hypostaticè: ita etiam ex parte corporis priùs fuit ipsum habere esse, secundum quod assumptum fuit. Fuit autem assumptum, quà humanum. Quare Suari non assentior eadem sectione affirmanti priùs natura fuisse corpus vnitum hypostaticè, quàm vltimò dispositum: Quoniam, inquit, priùs natura debebat subsistere, quàm recipere huiusmodi dispositionem accidentalem; & cùm in illo instanti non subsisteret subsistentiâ propriâ, debebat subsistere diuinâ, quæ fuit in eodem ordine & signo rationis, quo fuisset humana. Respondeo enim, vel Suarem loqui de prioritate causalitatis: & hoc verum non est, quia subsistentia propria humanitatis non esset causa huiusmodi dispositionis accidentalis. Vel de prioritate ex parte subiecti: Et hoc sensu falsum est hypostasim Verbi fuisse in eodem ordine & signo rationis in quo fuisset humana, vt ostendimus suprà num. 12. Hoc enim est dicere hypostasim Verbi tam necessariò exigi à natura Christi humana, quàm propria ipsius accidentia, & naturales dispositiones: quod euidenter à veritate alienum est.

SECTIO III.

An fuerit aliqua causa meritoria incarnationis? & primò, Vtrum Christus eam meruerit, aut mereri potuerit?

18. *Status quæstionis.* QVæstio esse potest de Christo, vel totaliter sumpto pro composito ex natura humana, & hypostasi Verbi: vel partialiter pro humanitate, aut pro anima considerata in priori quàm vniretur. Item de incarnatione, vel quoad substãtiam, vel quoad circumstantias tantùm. Suppono præterea meritum esse duplex, vnum de condigno, habens æqualitatem cum mercede. Alterum de congruo quod non habet condignitatem seu æqualitatem, sed decentiam quãdam, & conuenientiam operis cum retributione quæ maior est. His præsuppositis,

Dico 1. Christum inadæquatè sumptum secundum humanitatem, aut secundum animam solam, non meruisse, neque mereri potuisse de condigno suam incarnationem. Patet, quia humanitas, vel anima, præcisa ab hypostasi Verbi, non habuit, neque habere potuit actiones infiniti valoris, & æquales beneficio incarnationis. Infinitudo enim actionum Christi petitur ab vnione hypostatica, quæ in præsẽti suppositione excluditur. 19. *1. Conclus. Christus inadæquatè sumptus non potuit mereri condignè suam Incarnationem.*

Dico 2. Humanitatem Christi, vel animam, consideratam in priori quàm vniretur hypostaticè, non meruisse de congruo incarnationem; mereri tamen potuisse, saltem quoad circumstantiam. Ratio primæ partis est, quia humanitas Christi, eiusque anima, non accepit vnionem hypostaticam dependenter à suis operibus, vt docent communiter Theologi. Ad quod probãdum adducunt Vasques disp. 21. c. 1. & Suar. disp. 10. sect. 3. conclusione 2. quædam Scripturæ, & D. Augustini testimonia quæ apud ipsos videri possunt. Efficacius est quod aiunt D. Augustinum comparare gratiam vnionis respectu Christi, cum prima gratia nobis data; quòd sicut hæc nobis datur nullis præcedentibus meritis nostris: sic illa Christo data est nullis præcedentibus ipsius meritis. Et quidẽ valde conueniens fuit præcedere naturâ vnionem hypostaticam, vt omnia opera gratiæ facta à persona iam diuina, & operante vt tali, essent meriti infiniti. 20. *2. Concl. Neque etiã de cõgruo illam meruit; potuit tamen mereri, non quoad substantiã, sed quoad circunstantias.* *Vasques. Suarez. S. Augustin.*

Secunda pars conclusionis, Quòd scilicet mereri potuerit, patet, quia potuit Deus priùs infũdere gratiam animæ Christi, quàm illam vnire hypostaticè, vt ostendimus sectione præcedenti. Imò non tantùm priùs natura, sed etiam tẽpore. Licet enim certum sit, animam, aut humanitatem Christi, non præcessisse tẽpore vnionem hypostaticam, nec priùs tempore vnionem cum Verbo meruisse; vt de ipsius anima sensit Origenes; & de humanitate siue homine illo qui est Christus, Photinus & Nestorius damnati in Cõcilio Ephesino, & in sexta Synodo generali: Potuit tamen Deus priùs tẽpore vtramq; creare & donis gratiæ ornare. Et anima Christi, vel humanitas, in priori tẽporis gratia habituali ornata, potuit etiam priùs exercere actus supernaturales, & ad illos à Deo eleuari, ac per illos mereri de cõgruo vnionem, saltem quoad circumstantias, dandam intuitu illorum actuum præexistentium. Potuit etiam Deus eodem instanti tẽporis, quo facta est anima Christi & vnita Verbo, naturã priùs ornare animam Christi gratia habituali, & cum illa concurrerẽ ad actus supernaturales, qui eam 21.

disponerent ad vnionem hypostaticam: sicut Angelos in primo instanti suæ creationis disposuit ad gratiã sanctificantẽ per supernaturalẽ & liberum eorum consensum, disponendo eodem instanti temporis, & sanctificando. Sicut etiam peccatores iustificat vi contritionis, vt dispositionis & meriti congrui, eodem instanti quo peccator conteritur.

22. Contraria sententia. Aduersus hoc postremum sentiunt Vasq. disp. 21. cap. 6. Et Suares disp. 16. sect. 3. §. *Ex quibus tandem*. Fundamenta Vasquis sunt, quòd gratia habitualis non potuit naturâ prius infundi animæ Christi; alioqui fuisset gratia adoptionis. Neque potuit eadem anima, naturâ priùs quàm vniretur, habere per auxilium gratiæ operationes aliquas; quia nullum opus potuit esse in Christo, quod non esset infinitè dignum & meritorium. Ad hanc autem infinitam dignitatem necesse est vt opus nitatur vnione ipsa, tanquam principio, vt ita sit opus humanitatis deificatæ. Item nullum opus potuit esse in Christo, quod non infinitè placeret Deo, tanquam hominis iusti, & filii, non adoptiui, sed naturalis. Ergo omnia opera supponebant vnionem vt natura priorem ex parte efficientis. Addit Suares, non posse ne de potentia quidem absoluta existere humanitatem separatam ab omni subsistentia propria: vel aliena. Cùmque ex natura rei subsistentia prior sit, quàm operatio, nulla ratione posse hunc ordinem mutari, quia est prorsus intrinsecus, & quasi essentialis. Vtque non potuit Deus facere, vt humanitas in proprio supposito priùs naturâ operaretur, quàm subsisteret; quia non potest facere, quin subsistentia sit magis intrinseca, & ex natura sua anterior operatione: Sic &c. Denique non potuit hæc subsistentia propria impediri per vnionem ad Verbum alio modo, quàm de facto impedita est. Ergo si de facto non intelligitur talis ordo naturæ, quo operatio humanitatis præcedat vnionem, nulla ratione est ille possibilis.

23. Satisfit argumentis contrariæ sententiæ. Ad primum Respõdeo, Gratiam illam non futuram fuisse adoptionis, sed ordinatam ad naturalem filiationem, & vnionem hypostaticam, per modum dispositionis, vt ostendimus sect. præcedenti, num. 14.

Ad 2. Nego antecedens cum eius probatione. Respondeo enim, illud opus elicitum ab humanitate natura priùs, quàm Verbo vniretur, non fuisse futurum infinitè dignum, & meritorium: quia non dignificaretur ab hypostasi Verbi consequenter tantùm se habente ad illud opus. Dignitas enim meriti non sumitur ex præmio, ita vt ex eo meritum fiat maius, & dignius meritum; sed tota eius dignitas, & valor antecedenter ad præmium se habet, velut illius causa.

Ad tertium Dico similiter illud opus non infinitè placiturum Deo, quia non esset infinitæ bonitatis moralis, & dignitatis: quippe quod solùm procederet à natura antecedenter ad vnionem, & statum filii naturalis.

Ad quartum Respondeo primò, ex natura quidem rei subsistentiam propriam, & connaturalem esse natura priorem ex parte subiecti, siue prioritate necessitatis, & exigentiæ, quàm operationem accidentalem: secus autem subsistentiam alienam, & supernaturalem, cuiusmodi est hypostasis Verbi respectu humanitatis. Secundò, dico illum ordinem prioritatis, id est, maioris connexionis, aut exigentiæ ex parte subiecti inter naturam, & hypostasim propriam, non impedire absolutè prioritatem causalitatis inter operationem eiusdem naturæ, & subsistentiam alienam: id est, non impedire quin propter aliquam operationem humanitatis ei communicetur hypostasis Verbi loco propriæ subsistentię. Licet enim ex parte subiecti subsistentia naturalis sit prior, id est, magis exigatur, & sit magis necessariò connexa, vel potiùs identificata naturæ, quàm vlla operatio accidentalis eiusdem naturæ: hoc tamẽ non facit, vt aliena subsistentia pari necessitate exigatur, adeoque sit etiam prior ex parte subiecti: neque vt Deus absolutè debeat priùs illi dare subsistentiam alienam, quàm concurrere ad vllam eius operationem: adeo vt de potentia absoluta non possit illam assumere hypostaticè depẽdenter ab aliqua eius operatione. Quo autem modo Deus aliter se gessisset, & alium ordinem moralem posuisset inter gratiam vel operationes gratiæ, & vnionem hypostaticam, si voluisset hanc ab illis præcedi, ostendimus sect. præcedenti, num. 16.

Dixi in tertia parte conclusionis, *saltem quoad circumstantiam*, quia probabilius existimo non esse congruitatem inter opera gratiæ & incarnationem quoad substantiam. Etenim ordo vnionis hypostaticæ non minùs est superior & improportionatus ordini gratiæ, quàm ordo gratiæ sit superior ordini naturæ: imò potiùs infinitè magis. Ergo sicut, propter improportionem naturalium cum supernaturalibus, nullus actus naturalis potest mereri de cõgruo beneficia gratiæ: sic neque opera gratiæ possunt mereri de cõgruo beneficium incarnationis. Quare nec anima Christi mereri potuit in casu proposito substantiã incarnationis, sed tantùm aliquam circumstantiam, putà vt ipsa potiùs quàm alia assumeretur, aut quid simile, iuxta ea quæ dicemus inferiùs de Beata Virgine, & de Sanctis veteris Testamẽti. Si tamen Deus intuitu huiusmodi operum incarnationem ipsam quoad substantiam promitteret; congruum esset, imò & debitum vt eam exhiberet. Sed congruitas illa esset ratione promissionis, & non ratione operis præcisè, de qua cõgruitate loquimur. Consentiunt hac in parte recentiores aliqui, quorum confusè meminit Delugo disp. 8. nu. 24. fauetq; Suares disp. 18. sect. 3. §. *Sed quamuis hæc*, vbi sic habet: Sicut natura & gratia sunt ordinum diuersorum; ita etiam gratia habitualis, & gratia vnionis. Et sicut natura est in ordine inferiori, & gratia in superiori: ita etiam gratia vnionis est in ordine longè excellen-

24. Probatur, Christum non potuisse mereri substantiam Incarn.

Delugo. Suarez.

tiori, quàm gratia habitualis. Imò quia gratia vnionis includit intrinsecè & formaliter ipsam personam diuinam: magis superat omnem gratiam creatam, quàm omnis gratia creata superet naturam, quia est inter illa longè maior distantia. Est enim illa inter ens per essentiam, & ens per participationem: hæc verò, inter duo entia per participationem. Hæc Suares.

25. Contraria sententia. Contrarium sentit Delugo suprà nu. 25. post Vasquem, & alios plures, qui tamen fere omnes id supponunt tantùm sine examine. Quare non moueor eorum numero. Vnus enim aut alter qui rem examinauerit, præferendus est pluribus sine discussione obiter affirmantibus. Ad fundamentum autem nostrum respondet primò, illud in nos retorquendo: quia, inquit, si aliquid probat, videtur etiam probare nec Christum ipsum potuisse mereri per actus supernaturales, de congruo, aut de condigno, aliam vnionem hypostaticam pro alia humanitate: sicut actus naturales ita sunt improportionati ad merendam gratiam, vt nec etiam homo iustus possit per actus naturales mereri gratiam. Verùm hæc retorsio non valet, & sequela illa non bene deducitur ex nostra assertione, propter discrimen quod inter illa duo intercedit. Nam actus naturales non euehuntur supra naturæ ordinem, quamuis fiant à iusto. At actus supernaturales naturæ Verbo vnitæ euehuntur ad statum diuinum ordinis hypostatici, & infinitè dignificantur à persona operante.

Refutatur primum illius responsum.

Respondet secundò, & directè, maiorem quidem distantiam esse inter gratiam habitualem, & gratiam vnionis, in genere entis, seu in perfectione entitatiua: minorem tamen in genere proportionis & habitudinis vnius ad aliud. Quia, vt ait n. 28. vtraque est intra idem genus supernaturalitatis: & licet intra illud genus sit maxima distantia vnius ab alio; adhuc cum illa distantia potest esse communicatio & habitudo mutua inter illas. Sicut in eadem republica ciues etiam infimi habent maiorem communicationem & vnitatem cum ciue opulentissimo eiusdem ciuitatis, quàm alii ciues diuites alterius reipublicæ. Nam hæc vnitas & habitudo non fundatur in æqualitate perfectionis; sed in conuenientia, & in eo quòd omnia pertineant ad idem corpus, siue ad eundem ordinem rerum, quamuis intra illum maximè distent. Quòd autem vnio hypostatica, & gratia habitualis, pertineant ad eundem rerum ordinem, colligitur, tum ex eo quòd vtraque faciat conciues eiusdem cœlestis ciuitatis, in qua Christus est caput, reliqui autem iusti sunt membra illius reipublicæ; caput autem & membra debent habere aliquam proportionem inter se: tum etiam potissimè & à priori, quia vtraque ordinatur ad eundem finem, scilicet ad eandem beatitudinem visionis Dei. Tam enim gratia habitualis, quàm vnio hypostatica, est radix ordinans subiectum, in quo est, ad videndum clarè Deum. Et quamuis vnio hypostatica exigat excellentiorem visionem, hæc tamen differentia non extrahit ad alium ordinem. Hæc Delugo.

Contra quæ insto, 1. Quia ratio vnionis non tantùm magis distat physicè in genere entis, & perfectione entitatiua; sed etiam moraliter in genere æstimabilitatis, secundum quam attenditur proportio meriti ad præmium. 2. Non sufficit quòd vtraque, nempe gratia vnionis, & gratia habitualis, sunt in eodem genere supernaturalitatis, id est, entis supernaturalis: Alioqui sufficeret pariter, quòd natura & gratia sint in eodem genere entis creati seu participati. 3. Non sufficit etiam, quòd inter illas possit esse aliqua communicatio & habitudo mutua. Nam etiam naturæ & gratiæ communicatio est, & mutua habitudo, nempe obedientialis ex parte naturæ ad gratiam, sicut est obedientialis ex parte gratiæ seu naturæ ad hypostasim. 4. Non sufficit etiam quòd ordinantur ad idem corpus mysticum, & ad eundem finem visionis beatificæ. Nam etiam natura & gratia ordinantur ad constituendum vnum corpus Vniuersi, cuius Christus est caput & Dominus, & ad eundem finem gloriæ Dei. Neque ille ordo ad idem corpus mysticum, & ad visionem beatam, qui gratiæ conuenit potiùs ex Dei ordinatione, quàm ex rei natura, tollit eminentiam moralem æstimabilitatis vnionis hypostaticæ supra gratiam, multò maiorem, quàm sit gratiæ creatæ supra naturam. Cùmque omnium consensu alius sit ordo vnionis hypostaticæ, alius gratiæ, alius naturæ; quorum primo Deus se perfectiùs communicauit quàm secundo; & secundo, quàm tertio: falsum est differentiam illam non extrahere ad alium ordinem, nempe ad ordinem ipsum diuinum substantialiter, infinitè supereminentem gratiæ, & naturæ creatæ. Alias rationes huius proportionis conatur reddere Suares, quæ leuiores sunt, & bene refutantur à Delugo n. 26. & 27. 26. Impugnatur secundum.

27. D. Thom. Dices, ex D. Thom. q. 2. a. 11. in fine corporis, congruum esse vt Deus exaudiat eos qui sibi obediunt. Ergo sancti Patres petendo, & desiderando, meruerunt de congruo incarnationem. Ergo & Christus eam mereri potuit de congruo, per opera quæ naturæ ordine præcederent vnionē hypostaticam.

Respondetur obiectioni. Respondeo 1. Eodem argumento probatum iri, opera naturalia hominis seruantis legem naturæ, mereri de cōgruo gratiam, eam petendo & desiderando. Quia scilicet talis obedit Deo, quantùm potest & nouit. Congruum autem est, vt Deus exaudiat eum qui sibi obedit. 2. Respondeo, congruitatem ex parte operis, de qua hîc loquimur, requirere aliquam proportionem inter meritum & præmium: quæ cùm sit multò minor inter opus supernaturale puræ creaturæ, & vnionem hypostaticam; quàm sit

inter naturam & gratiam: non potest esse inter illa proportio congruitatis. Seruus qui Regis voluntati obediret, non propterea mereretur de congruo, petendo & desiderando, fieri regni consors. Addo, S. Thomam eodem art. 11. ad 3. negare Beatam Virginem meruisse de congruo incarnationem, sed solùm matris dignitatem. Ergo quod dixerat in corpore articuli, sanctos Patres ex congruo meruisse incarnationem, desiderando & petendo, intellexit de incarnatione non quoad substantiam, sed quoad circumstantias, quod fieri posse non negamus.

S. Thom.

SECTIO IV.

Aliæ duæ assertiones de merito Christi, respectu suæ Incarnationis.

28. 3. Concl. Christus non potuit mereri suam incarnationem simpliciter. Probatur, quia principium meriti non potest cadere sub meritum.

DIco tertiò, Christum adæquatè sumptum, aut animam eius coniunctam hypostasi Verbi, non meruisse de condigno, neque mereri potuisse suam incarnationem: siue quoad prædestinationem, siue quoad eius exhibitionem, simpliciter, ita vt omnem eius prædestinationem, aut omnem exhibitionem meruerit, aut mereri potuerit. Ratio est, quia principium meriti non potest cadere sub meritum. At vnio hypostatica, non modò vt prædestinata, sed etiam vt exhibita & tradita executioni, est principium omnium meritorum, quibus Christus deberet condignè mereri incarnationem suam, si posset eam mereri: ergo &c. Maior admittitur communiter à Theologis, & à nobis alibi probata fuit in Tract. de Gratia, disp. vlt. sect. 13. n. 137. & seq. traditurque à D. Thoma 1. 2. quæst. 114. art. 5. & 9. Nimirum, quia causa meritoria non causat per modum finis, qui mouet agens ad sui prosecutionem, non quia est, sed vt sit: ideoque sufficit, vt apprehendatur tanquam possibilis, ad hoc vt desideremus, & conemur eum obtinere: & illius causalitas non supponit ipsum existere, sed potiùs tendit ad existentiam illi dandam. Meritum, inquam, non causat per modum finis, sed per modum causæ efficientis: vnde etiam à Trident. sess. 6. cap. 7. initio, causa meritoria iustificationis recensetur inter eius causas efficientes, cùm ait, causam illius efficientem principalem esse Deum: meritoriam, Christum: instrumentalem, sacramentum Baptismi. Causa verò efficiens operatur, non vt sit, sed quia est, vel in reipsa, si physicè causat: vel saltem moraliter, quatenus acceptatur vt præsens, quia futura est, & eapropter influit in effectum, si moraliter tantùm operatur. Ita vt illius esse præsupponatur eius effectui, vel vt reipsa existens, vel tanquam præuisum, & præsuppositum, velut aliunde futurum. Quare meritum causat per suum esse, saltem vt futurum absolutè, & præuisum, ac præsuppositum vt tale. Ergo non pendet à suo effectu, neque ab illo primum accipit esse, quandoquidem illi præsupponitur secundum suum esse. Ac proinde effectus meriti non potest esse eiusdem meriti principium, & causa efficiens: neque id, quod est principium meriti, potest cadere sub idem meritum, tanquam illius effectus & merces. Alioqui præsupponeretur secundum esse, ei quod præsupponit: & penderet immediatè ab aliquo pendente à se secundum idem esse.

Manet ergo probata propositio maior argumenti propositi, principium scilicet meriti non posse cadere sub meritum. Minor verò eiusdem argumenti clara est. Merita enim Christi habent moralem suam infinitatem ab vnione hypostatica, non solùm vt præuisa, sed vt reipsa exhibita. Neque enim opera Christi sunt infiniti valoris, ex eo solùm quòd Deus præscit humanitatẽ Christi fore vnitam Verbo, sed ex eo quòd opera illa reipsa processerunt ab humanitate vnita hypostaticè. Quare vnio illa non modò secundum prædestinationem, sed etiam secundum executionem fuit principium meritorum Christi, ac proinde non potuit cadere sub ipsius meritum. Consentiunt Vasques disp. 21. cap. 5. & sequentibus, Medina q. 2. a. 11. ad 5. & 6. Delugo disp. 8. sect. 2. & alii communiter.

Hypostasis Verbi vnita humanitati est principiũ morale meritorum Christi.

Vasques. Medina. Delugo.

29. Contraria sententia.

Dissentiunt verò Suarez disp. 10. sect. 4. vbi cõtendit Christum non potuisse quidem mereri prædestinationem suæ incarnationis: secus tamen executionem, licet eam de facto non meruerit: & Aegidius Conink lib. 1. de Actibus supernaturalibus disp. 8. dub. 7. in fine, vbi docet, per absolutam Dei potentiam fieri potuisse vt Christus mereretur assumptionem suæ naturæ humanæ ad vnionem hypostaticam, per actus postea elicitos: ac proinde censet cum Suare, potuisse mereri executionem incarnationis suæ: de prædestinatione verò ipse non loquitur. Eorum argumenta hæc præcipua sunt. Primò, non potuisse Christum mereri prædestinationem suæ incarnationis, probat Suares, quia causa meritoria, cùm habeat moralem quamdam efficientiam, supponi debet secundum actualem existentiam, saltem in præuisione præmiantis. Ergo non potuit aliquid esse ex Christi meritis, nisi illa supponantur vel præuideantur saltem vt futura. Sed merita futura supponunt incarnationem futuram, & futuritio incarnationis supponit eius prædestinationem, vi cuius futura est: ergo non possunt esse causa meritoria propter quam simpliciter sit futura & prædestinata incarnatio. 2. Potuisse tamen mereri eius executionem probat, quia gratia antiquorum Patrum, propter merita Christi præuisa, multo ante tempore illis data est. Ergo quamuis incarnatio ordine temporis vel naturæ eadem merita præcesserit, nihilominus propter illa præuisa potuit exiberi. Sufficit enim ad rationem meriti, vt mercedem antecedat in sciẽtia remunerantis. Neq; respõdeas differentiã esse, quia ipsa incarnatio totius meriti principium est, non autem gratia Patrum antiquorũ. Etenim

Primum illius argumentum.

incarnatio, non vt exhibita, sed tantùm præuisa, meriti etiam præuisi principium intelligitur. Ergo licet incarnatio illa, vt prædestinata, non potuerit cadere sub tale meritum, tamen vt reipsa facta, optimè potuit. Tertiò, Non implicat contradictionem velle Deum ita conferre humanitati gratiam vnionis, vt non omnino absolutè donet, sed quasi sub conditione, & dependenter à futuris operibus, & in præmium eorum: atque adeo, vt licet tempore vel naturâ præeat vnio, non sit per modum gratiæ gratis datæ, sed per modum solutionis anticipatæ. Vt si Rex tribueret militi arma & equum in stipendium futuri laboris & militiæ, & quasi in præmium meritorum eodem equo & armis futurorum.

Secundum argumentum.

30. Vlteriùs, licet principium meriti, secundum eam rationem vel conditionem, quâ principium meriti est, non possit cadere sub idem meritum, quatenus causa meritoria est, seu ratio aliquid faciendi: eadem tamen res sub alia ratione, siue sub alio statu, potest cadere sub meritum. Atque ita incarnatio, quæ prout est tantùm prædestinata, est principium meritorum vt futurorum, potest esse præmium eorumdem prout in tempore traditur executioni. Et vt sic est principium meritorum actu existentium. Atque ita sub alia & alia ratione est principium, & præmium meritorum. Quintò denique addit Aegidius, mercedem habere rationem finis, respectu mercenarij; & meritum rationem medij. Mercenarius enim vult laborem propter mercedem, & laborat vt illam consequatur. Contra verò, respectu retribuentis, meritum solet habere rationem finis, & merces rationem medij. Rex enim v.g. vult militis laborem, & propter illum proponit mercedem: neque tantùm proponit vt laboret; sed etiam præcipuè quia videt eum probabiliter laboraturum, si merces promittatur. Nisi enim hoc ita sciret, nullo modo promitteret, quia putaret se id frustra facturum. Idque commune est omni eligenti medium aliquod propter finem. Ideo enim illud adhibet, quia scit se eum assequuturum si illud adhibeat. Atque ita finis, & opus meritorium, præscita sub conditione futura, mouent voluntatem ad promissionem mercedis & electionem medij. Sicut autem desiderium operis alieni, præuisi sub dicta conditione futuri, potest me mouere vt mercedem ei promittam: ita potest me mouere vt de facto eamdem, quando scio hoc esse necessarium, vel valde vtile, vt alterum moueam ad operandum. Si autem homo potest prudenter dare alteri mercedem, quia putat probabiliter ipsum laboraturum si det: multò magis Deus, qui certissimè præscit quidquid futurum est. Quo in casu mouebitur vt det, quia videt opus sub hac conditione futurum. Hæc illi.

Tertium argum.

Quartum argum.

31. Ad quæ Respondeo, quòd si, iuxta Suarem, potuit Christus mereri executionem suæ incarnationis; potuit etiam mereri efficacem eius prædestinationem. Nam si Christo in tempore data est vnio propter ipsius merita; decreuit Deus ab æterno efficaciter dare illi vnionem in tempore propter ipsius merita: quæ merita non minùs fuerunt causa decreti seu prædestinationis æternæ & efficacis, quàm executionis temporaneæ: cùm vtrumque sit propter Christi merita; & non tantùm Deus det, sed etiam dare voluerit vnionem propter illa: quemadmodum iusti, qui merentur in tempore consecutionem gloriæ per propria merita, merentur etiam vt Deus ab æterno eos elegerit efficaciter ad gloriam propter eadem merita. Neque minùs est electio efficax ad gloriam propter merita, quàm collatio ipsa seu exhibitio gloriæ: idemque est motiuum diuinæ voluntatis liberè eligentis efficaciter, seu volentis ab æterno exequi; & exequentis in tempore. Merita autem non operantur nisi mouendo voluntatem retribuentis vt velit retribuere. Atque hoc ipsum docet expressè Suares disput. 4. sect. 4. col. 255. *Et confirmatur*: vbi dicit, idem esse mereri aliquod præmium, & mereri voluntatem necessariam illud dandi. Ponere autem in Deo duplex decretum efficax, vnum ante merita præuisa, alterum post & propter illa, circa id quod in tempore non datur nisi ex meritis; vanum est & superfluum: Et quamuis ita esset, mererentur saltem iusti decretum secundum, seu prædestinationem consequentem vt vocant.

Sententia Suaris non satis sibi cohæret.

32. Secundò, vt rectè ait Suares, & nos suprà confirmauimus ex Trident. sess. 6. cap. 7. merita operantur per modum causæ efficientis, adeoque supponi debent secundum actualem existentiam, saltem in præuisione præmiantis: ergo priùs debuerunt merita Christi præuideri existere, quàm operarentur: at non potuerunt præuideri existere, nisi ratione, & veluti causalitate, priùs essent absolutè futura. Ideo enim Deus præscit res esse futuras liberè quia futuræ sunt, vt Iustinus, Origenes & alii Patres loquuntur. Non fuerunt autem futura nisi vi vnionis hypostaticæ actu exhibitæ, à qua habent vt futura sint: Ideo enim futura sunt, quia humanitas actu vnita Verbo, ea operabitur, & actu operatur suo tempore: Ergo prius ratione, & veluti causalitate, est exhibitio vnionis hypostaticæ, quàm merita Christi præuideantur futura. Ergo vnio hypostatica non potest exhiberi simpliciter propter merita Christi futura, cùm potiùs eius exhibitio præsupponatur naturâ priùs & causalitate meritis Christi futuris vi illius. Verùm enim non est quod respondet Suares, incarnationem non vt exhibitam, sed tantùm vt præuisam, esse principium meriti etiam præuisi. Nam incarnatio non est principium meriti, nisi eo modo quo illud operatur. Non operatur autem, vt præuisa tantùm, sed vt exhibita, & actu existens, atque influens actu in merita. Et hoc prius velut præsupponitur Dei præuisioni. Ideo enim quia humanitas hypostaticè vnita tali tempore meretur, præuidit Deus ab æterno

Et destruit suum fundamentum, quòd scilicet causa meritoria operetur per modum efficientis. Iustin. qu. 58. ad Orthodoxos. Origenes lib. 7. in epist. ad Rom. *Vide 1. p. disp. 9. sect. 4.*

ipsam merituram, & tale meritum esse futurum: Cùm vniuersim præscientia rerum liberè futurarum præsupponat ordine rationis, & quasi causalitatis, ipsarum existentiam, etiam respectu Dei, vt ostendimus in 1. parte, disputando de Scientia Dei.

33. Malè asserit sufficere diuersitatē ordinis intentionis, vt incarnatio, quā præuisa, sit causa sui ipsius vt exhibita.

Tertiò, si diuersitas ordinis intentionis sufficit, ad hoc vt idem, quà præuisum, mereatur seipsum vt traditum executioni: ergo homo per suum primum meritum posset mereri ipsummet primum meritum. Quod non minùs absurdum est, quàm si quis diceret, homines per suum primum peccatum vt præuisum, mereri ipsummet primum peccatum vt traditum executioni in pœnam eiusdem peccati. Cúmque omne meritum, siue bonum, siue malum, mereatur per suam ipsius entitatem vt liberam, seu dignitatem moralem, vel actu positam, vel præuisam vt actu ponendam, non autem per ipsam præuisionem Dei, quæ non est meritoria, neque facit, vel auget valorem operis meritorij, sequeretur idem, & secundum idem mereri seipsum, ac nullam penitus esse distinctionem inter meritum & mercedem, quod est impossibile. Quia meritum est causa efficiens mercedis, debetque illi necessariò præsupponi naturâ priùs, vt inducens remunerantem ad illam exhibendam. Probatur sequela: Quia entitas & dignitas, seu bonitas aut malitia actus in executione, est planè illa ipsa quæ est in Dei præuisione; neque enim Deus præuidit ab æterno esse futurum, nisi illud ipsum quod existit eo tempore, pro quo ante futurum erat. Denique si fieri potest quod ait Suares: quare negat, Christum reipsa meruisse suam incarnationem. Cùm alioqui gloriosius sit habere aliquid ex merito condigno, quàm sine merito, cæteris paribus: & nulla fuerit ratio, Christum priuandi hac gloria? Nam quod ait Suares, ideo id non esse factum, quia ex natura rei meritum debet esse prius præmio: non satisfacit. Vel enim intelligit priùs existentia & executione, vel priùs præuisione solùm & intentione. Si primum: ergo non debuit mereri gratiam Patribus Veteris Testamenti. Si secundum: non obest, quia iuxta Suarem, & rei veritatem, merita Christi fuerunt priùs in præuisione & in intentione Dei, quàm incarnatio in executione.

34. Satisfit argumentis contrariis.

Ex his patet solutio duorum priorum argumentorum Suaris. Ad tertium Respondeo, Christum in eo casu non meriturum primam donationem conditionatam, & incarnationem vt donatam sub conditione, quæ vt sic est principium meriti, eique necessariò præsupponitur in casu allato, ac proinde non potest ab illo pendere: sed meriturum tantùm donationem secundam absolutam, & plenam possessionem post meritum, vel continuationem incarnationis, quod non est contra conclusionem nostram, & paulò inferiùs fieri posse demonstrabitur. Idemque dico de milite cui arma data sunt sub conditione. Is enim non meretur equum & arma, vt sibi primò data sub conditione laboris, sed vt data absolutè, & plenè sui iuris iam facta in præmium laboris, cuius exhibitio est natura prior tanquam causa illius donationis absolutæ, & plenæ possessionis.

Ad quartum: Iam ostensum est incarnationem esse principium meritorum Christi vt executioni traditam, & non tantùm vt prædestinatam. Ad quintum, alibi responsum fuit, posse quidem regem intendere militis laborem sub conditione futurum tanquam finem, & dare militi absolutè mercedem veluti medium propter illum finem: Sed in eo casu meritum & mercedem se habere tantùm materialiter, id est, non exercere causalitatem meriti & mercedis in genere causæ efficientis, ad quam meritum, quà tale, pertinet; sed potiùs causalitatem finis & medij, propter modum diuersum, quo se habent in intentione agentis, qui in eo casu dat quidem militi absolutè pecuniam propter laborem, veluti finem probabiliter saltem speratum; ita vt spes illius finis assequendi eum mouerit efficaciter ad donandum absolutè, sicut mouet ad alia media absolutè ponenda; sed non veluti propter meritum: alioqui enim hæc donatio esset tacitè saltem conditionata, & nulla labore non posito suo tempore. Licet enim rex possit absolutè donare pecuniam, desiderando laborem vt finem & motiuum donationis: non tamen vt causam meritoriam donationis absolutæ: quia si donatio non est absoluta nisi propter meritum, vt meritum, id est, vt causam moraliter efficientem: supponit meritum naturâ priùs existere in reipsa, vel in præuisione præmiantis, quæ præuisio est naturâ vel ratione posterior. Ideo enim verè præuidentur merita, quia sunt suo tempore: illaque est prima & vniuersalissima ratio cur à Deo ipso præuideantur, vt alibi ostendimus. Quare donec meritum naturâ priùs existat & præuideatur existere, donatio est necessariò tacitè saltem conditionata. Et miles quidem illam non meretur, quippe labori suo præuiam & naturâ priorem: supponimus enim laborem pendere à tali donatione: Sed meretur tantùm donationem absolutam, & plenam possessionem mercedis, naturâ posteriorem labore, vt suprà dixi de equo & armis sub conditione donatis.

Soluitur obiectio.

35. Posset etiam quispiam bis simul idem donare, id est, duplici titulo, quorum posterior esset causa secundæ donationis, seu potiùs confirmationis donationis factæ alio titulo: vno absolutè, ex liberalitate mera, vel ex spe assequendi aliquid: altero conditionatè, intuitu futuri meriti, quo posito saltem in præuisione præmiantis donatio conditionata transibit in absolutam, & iam incipiet possidere titulo meriti. Sed tunc res primò donata absolutè ex liberalitate, vel spe, non penderet vt sic à merito. Neque enim meritum est illius principium & causa, quin potiùs illa donatio absoluta est principium & causa meriti, si supponamus mereri

militem per rem illam, vt sibi absolutè donatam.

36. Christus potuit mereri condignè incarnationem alienam.

Dixi in conclusione, non meruisse Christum, neque potuisse mereri incarnationem suam: quia si sermo sit de aliena, certum est Christum potuisse illam mereri de condigno, accedente Dei acceptatione. Opera enim illius erant valoris sufficientis, vt propter illa Pater, aut Spiritus sanctus, aut etiam Filius, alteri vniretur. Imò etiam quia vnio ad Patrem vel ad Spiritum sanctum non erat principium meritorum Christi, sed tantum vnio ad Verbum; poterat Christus per vnionem ad Verbum mereri vnionem suæ humanitatis ad Patrem & ad Spiritum sanctum, si sua opera in eum finem ordinasset, & Deus acceptasset. Et præsupposita vnione ad Patrem, si eam prius accepisset, potuisset per illam mereri vnionem, quam nunc habet ad Verbum. Verùm supposito quòd vnicam vnionem habuerit, vti reipsa habuit, non potuit illam simpliciter, & omni ratione mereri, vt in conclusione dictum est.

37. Contra quod tamen obiici possunt duo Scripturæ loca, quibus videtur asseri, Christum reipsa meruisse suam incarnationem. Primus habetur Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vbi de vnctione Incarnationis sermo est, vt plerique SS. Patrum & Interpretum exponunt. Secundus habetur Apocal. 5. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & honorem.*

Satisfit obiectioni.

Respondeo cum Vasque disput. 11. cap. 7. & Patribus ac Interpretibus, particulam, *propterea*, non significare, loco Psalmi citato, causam meritoriam, sed finalem: ita vt sensus sit, Propterea vnxit te Deus vnione illa ineffabili, vt diligeres iustitiam, & odio haberes iniquitatem. In posteriori loco Apocal. accipere diuinitatem, idem est, atque, vt Deum laudari & adorari, id est, accipere in vera hominum æstimatione. Christus autem morte sua meruit illam adorationem, & nominis sui exaltationem, vt docet Apostolus Philipp. 2. v. 8. & sequentibus. Potuit etiam meruisse secundum quid ipsam acceptionem diuinitatis & vnionem hypostaticam, vt mox patebit.

38. Potuit Christus mereri incarnationẽ suam secũdum quid, vt quoad iteratam eius donationem.

Dixi præterea in eadem conclusione, Christum non meruisse, neque potuisse mereri incarnationem suam simpliciter, id est, ita vt omnem eius prædestinationem aut executionem meruerit: quia si sermo sit de iterata eius prædestinatione, vel datione nouo titulo, potuit ipsa cadere sub meritum Christi fundatum in Incarnatione prius donata aliò titulo. Simili modo quo prima gratia habitualis, gratis donata, posset iterum dari eodem instanti nouo titulo propter actum meritorium ab eadem gratia cooperãte productum. In quo casu gratia illa bis daretur, & bis produceretur physicè, vel moraliter, duplici actione totali. Primò, à solo Deo gratis & independenter ab actu. Tum secundò, dependenter ab actu, & vi illius vt causæ meritoriæ. Sic in physicis non implicat lumen A, producere lumen B: & lumen B, reproducere lumen A, non modò tempore diuerso, sed & eodem instanti, posita duplici actione totali, quarum vna producatur lumen A, independenter à lumine B: posteriori producatur iterum natura posterius, & dependenter à lumine B, & vi illius, quòd sicut potest eodem instanti producere naturaliter aliud lumen simile sibi, ita potest absolutè determinari à Deo ad producendum lumen A, supposito quòd non repugnet idem bis simul tempore produci: vt verè non repugnat, & fit reipsa in mysterio Eucharistiæ, quando simul tempore multis in locis consecratur.

39. Et quoad continuationem,

Item, si sermo sit de continuatione incarnationis, seu permanentia in tempus futurum in perpetuum, potuit Christus illam mereri, quia permanentia illa non est principium meriti. Loquor de permanentia seu duratione post meritum. Nam illa quæ est eodem instanti quo fit meritum, est causa meriti, & illi natura prius præsupponitur. Effectus enim causæ efficientis est ab illa vt existente eo instanti quo operatur. Duratio autem pro illo instanti, est existentia pro illo eodem instanti. Similiterq; potuit Christus mereri extensionem incarnationis, quæ fiebat quando Christus partes alimenti sibi aggenerabat in nutritione: quæ partes Christo aggeneratæ, vniebantur hypostaticè. Atque etiam multiplicationem seu extensionem localem vnionis hypostaticæ, quæ fit quando Christus vi verborum ponitur sub speciebus Eucharisticis, per reproductionem corporis eius & sanguinis vniti Verbo per concomitantiam. Ac denique si quæ noua vnio hypostatica facta esset in resurrectione Christi ad formas aliquas partiales in morte corruptas, vt censent aliqui Theologi: potuisset Christus per mortem suam, & merita præcedentia, illam mereri: deberetque censeri illam de facto meruisse, æquè ac extensionem quæ fit in sacramento. Christus enim meruit suam resurrectionem. Sacramenta etiam habent, quidquid habent, ex Christi meritis, & eorum virtute operantur. Continuatio quoque, & vnio aggeneratiua, licet aliunde deberetur ratione primæ vnionis factæ in incarnatione: probabiliter tamen à Christo per meritum etiam obtenta fuit, cùm id facilè & sine miraculorum multiplicatione fieri potuerit: Atque ita censet Suares factum esse disp. 10. sect. 4. Iterata verò datio incarnationis primo instanti quo facta est, quasi vnio in primo instanti incarnationis bis physicè facta fuerit, id est, humanitas bis fuerit vnita Verbo eodem instanti, duplici actione totali, atque ita bis ex parte causæ: Hæc, inquam, iteratio multiplicat miracula sine necessitate, cùm non sit necessarium, neque adeo intersit, habere nouo titulo. Quare non censeo fuisse illo instanti iteratam

Et quoad extensionem,

Ac probabile est illam meruisse.

propter Christi merita. Idemque censent sancti Patres, & præcipuè August. locis à Suare & Vasque suprà relatis, affirmantes, vnionem hypostaticam fuisse Christo datam nullis eius præcedentibus meritis, sicut gratia prima simpliciter nobis donatur nullis omnino præcedentibus meritis nostris. Gratia verò prima simpliciter, id est, prima vocatio, datur nobis reipsa omnino & omni ratione sine merito nostro: ergo & vnio hypostatica Christo data fuit simpliciter sine vllo ipsius merito.

40. Vltima Cócl. Christus meruit circumstátias Incar.

Dico quartò & vltimò, Christum potuisse mereri, & reipsa meritum esse omnes circumstátias incarnationis suæ, siue tempore antecedentes, siue concomitantes, siue subsequétes, quæ non fuerunt per se necessariæ ad incarnationem, & fuerunt peculiare beneficium, siue respectu humanitatis ipsius Christi, siue respectu aliorum. Ita Vasques disp. 21. cap. 8. n. 74. Ad probationem suppono primò, circumstantias incarnationis alias fuisse tempore antecedentes, vt quòd fuerit prædicta per Prophetas, repræsentata per figuras legis antiquæ, annunciata per Angelum. Aliæ verò concomitantes: vt quòd incarnatio facta sit operâ Spiritus sancti, tali loco & tempore, ex Virgine de stirpe regum, consentiente cum magna humilitate, & mirabilibus gratiæ donis ornatâ. Aliæ denique fuerunt subsequentes: vt adoratio Magorum, exultatio & canticum Angelorum, visitatio pastorum. Suppono secundò, hæc omnia dupliciter spectari posse. Primò, vt pertinent ad incarnationem, suntque aliquod beneficium humanitatis, quatenus in bonum eius redundant. Secundò, prout pertinent ad aliorum sanctificationem vel bonum, non spectata habitudine ad incarnationem. Quod, vt ait Suar. disput. 10. sect. 4. est spectare circumstantias incarnationis materialiter, non formaliter vt circumstantiæ incarnationis sunt, & ad illam referuntur. Suppono tertiò, non omnes circumstantias incarnationis fuisse beneficium peculiare, siue respectu humanitatis Christi, siue respectu aliorum; vt quòd in fœno iacuerit, noctu natus sit loco & tempore incommodo, contemptus à Iudæis, quæsitus ad mortem ab Herode. Et hæ, quia non sunt bonum aliquod, quod sit materia meriti, reiiciuntur à præsenti quæstione. De aliis verò circumstantiis fauorabilibus, & meriti capacibus, controuersia est. Nam Cabrera qu. 2. a. 2. disp. 11. §. 6. absolutè negat. Suares verò vtitur distinctione, ex communi, inquit, sententia.

Variæ fuerunt circumstantiæ incarnationis,

Et variè possunt cósiderari.

Neq; fuerút omnes beneficium peculiare.

Cabrera.

41. Opinio Suaris.

Docet enim, Christum non meruisse circumstantias concomitantes: quia, inquit, hæ circumstantiæ, sicut & executio incarnationis, antecedunt meritum, saltem naturæ ordine, & ideo ex natura rei non cadunt sub illud, nec sunt multiplicanda miracula sine necessitate. Item quia hæ circumstantiæ, per modum vnius coniunguntur cum ipso mysterio, quatenus cum illo coniunguntur ad constituendum in rerum natura Christum in statu, in quo possit operari & mereri: Nam ad hoc necessariæ sunt: & ideo non magis cadunt sub meritum eius, quàm ipsamet incarnatio.

De circumstantiis verò tempore antecedentibus negat similiter. Quia, inquit, ratio allata id probat à fortiori de circumstantiis multò anterioribus merito. Addit tamen se id intelligere de his circumstantiis formaliter sumptis, vt pertinent ad incarnationem: nam materialiter, & prout pertinuerunt ad sanctificationem Beatæ Virginis, & aliorum eius progenitorum, & Sanctorum Veteris Testamenti, ait collatas fuisse ex Christi meritis.

De circumstantiis verò subsequentibus affirmat, Christum illas meruisse, quia in eis non procedit ratio facta, cùm sint posteriores incarnatione, & non est alia quæ obstet.

Sed contrà: primò, non satis cohærenter affirmat Suares, circumstantias antecedentes non cecidisse sub Christi meritum formaliter sumptas, secus autem materialiter vt pertinebant ad aliorum sanctificationem. Nam ratio quâ nititur, si bona est, æquè probat neutro modo cecidisse. Si enim, vt ait Suares, circumstantiæ illæ fuerunt natura priores incarnatione, æquè aut magis quàm circumstantiæ concomitantes, fueruntque necessariæ ad constituendum Christum in statu principij potentis ad merendum: non ceciderunt reipsa sub Christi meritum, quia principium meriti non cadit sub meritum, sed illi præsupponitur plenè & sufficienter constitutum in esse principij completè potentis ad merendum. Atqui, iuxta Suarem, circumstantiæ illæ fuerunt natura priores, & necessariæ vt constituerent Christum in statu principij potentis ad merendum. Constituerunt autem per suam ipsarum entitatem seu quidditatem: ergo illa non cecidit sub Christi meritum, siue hoc, siue illo respectu. Nec vlla ratio solida reddi potest à Suare, cur hanc distinctionem applicuerit circumstantiis tempore antecedentibus, & non applicuerit concomitantibus. 42.

Non bene negat Christum meruisse circumstantias antecedentes formaliter sumptas,

Deinde, non bene affirmat Suares circumstantias concomitantes, & antecedentes tempore, fuisse natura priores, & necessarias ad constituendum in rerum natura Christum in statu, in quo possit operari & mereri. Nam antecessio sola, vel concomitantia temporis, non dat illis hanc naturæ prioritatem & necessitatem, sed si aliqua eam habuit (vt certè habuit, v. g. circumstantia operæ Spiritus sancti, seu Dei, facientis vnionem hypostaticam, sine cuius influxu omnino fieri non potuit) eam habuit aliunde, nempe ex eo quòd talis circumstantia necessaria fuerit ex parte causæ & primi principij ad incarnationem, vel ad meritum. At euidenter falsum est, omnes circumstantias concomitantes & antecedentes habuisse talem necessitatem, vt patet inductione. Quòd enim incarnatio 43.

Malè item affirmat circumstantias concomitantes, & antecedentes tépore, fuisse natura priores merito.

fuerit prædicta per Prophetas, repræsentata per figuras, per Angelum annunciata, facta ex Virgine de stirpe regum, summè Deo grata &c. Hæc, inquam, & similia sunt non-necessaria, & accidentaria vnioni hypostaticæ, quæ plane eadem esset inter hanc numero humanitatem & Verbum, quamuis non essent hæ circunstantiæ antecedentes, aut concomitantes, æquè ac si non fuissent adoratio Magorum, visitatio pastorum, & aliæ subsequentes. Quare hæ circumstantiæ non sunt natura priores, neque necessariæ ad principium meriti, quod completè constituitur ex humanitate & hypostasi Verbi vnitis. Quod verum etiam est de ipsa Christi matre sumpta, nō modò cum gratiis & ornamentis physicis, vel moralibus, quibus eximiè decorata fuit: sed etiam simpliciter quoad substantiam. Nam illa quoque non fuit per se necessaria ad vnionem hypostaticam huius numero humanitatis, quæ sine matre potuit à solo Deo creari, & vniri Verbo. Et quamuis reipsa vnio hypostatica facta fuerit interuentu Beatæ Virginis, & aliorum eius progenitorum, à quibus humanitas Christi accepit esse: Christus tamen fuit in Dei intentione decretus efficaciter, & præuisus quoad substantiam quâ est principium sufficiens meriti, independenter ab illa interuentione. Hoc autem satis fuit vt Deus propter illam, eiusque merita per se independentia à prædicta interuentione, potuerit velle circumstantias illas fauorabiles, concomitantes licet, vel etiam anteriores tempore, æquè ac subsequentes. Nam præcessio temporis non hoc impedit, vt patet de gratiis collatis Patribus Veteris Testamenti.

44\. *Vera sententia.* Cùm ergo solidum non sit huius opinionis fundamentum, & è contrario Christus in Dei intentione & decreto æterno habuerit independenter ab illis circumstantiis vim completam & sufficientem ad illas ipsas merendas, æquè ac circumstantias tempore posteriores: dicendū est illas meruisse, cùm nulla alia ratio obstet, & hoc magis pertineat ad Christi dignitatem, & amplitudinem causalitatis meritorum eius: Nec dubium sit quin Christus pro illis circumstantiis anterioribus aut concomitātibus se Deo obtulerit: Quæ oblatio sufficiebat ad meritum condignum; cúmque non penderet ab illis circumstantiis vt principio meriti, sed ab humanitate Verbo vnita, quæ sine illis æquè fuisset; poterat illis applicari vt meritum, id est, vt causa illarum meritoria, cuius intuitu Deus iam illas posuisset: ita vt tantùm fuerint obiectum & effectus tum Christi merentis, tum Dei retribuentis, quippe qui priùs tempore dedit, quia Christus pro illis erat se oblaturus: quod est dare propter oblationem futuram, velut ob causam meritoriam: secus autem si dedisset tantùm vt Christus pro illis se offerret, quod esset dare propter oblationem velut causam finalem, vt nimirum Deus illam tali medio assequeretur.

Obiiciunt aliqui recentiores, ex dictis sequi potuisse, Christum mereri, & reipsa meruisse ipsam anticipationem gratiæ collatæ Patribus antiquis, quod est contra omnes Theologos, & satis refutatur ex ipso nomine anticipationis: qui enim anticipat solutionem mercedis, non tenetur tunc soluere, potestque dicere: Nō tenebar dare nisi post meritum; verumtamen ex liberalitate anteuerto. Vnde generatim de ratione meriti est, vt possit tempore præcedere mercedem. Et similiter de ratione mercedis est, vt possit subsequi meritum ordine temporis. Estque impossibile, vt id quod tempore posterius alio esse nequit, possit esse illius merces, & vt talis promitti. Hinc etiam fit, vt Deus possit quidem dare præmium per anticipationem, pro merito solùm præuiso, & nondum existente: quia potest præmiare supra condignum: at non potest inferre pœnam per anticipationem pro peccato nondum commisso, quia non potest punire supra condignum. Porro id sequi quod intendunt Aduersarij, patet, inquiunt, quia ab illa anticipatione non dependit Christus, vel eius merita. Potuit enim idem esse, & idem operari, sine Patribus, & sine anticipatione, & Christus pro illa se obtulit Patri, voluitque illam compensare suis obsequiis erga Deum. 45.

Respondeo, huic argumento satisfieri posse per illud ipsum, quod alia occasione respondent iidem recentiores, cùm ab illis quæritur, quomodo potuit Christus mereri Patribus antiquis, & Beatæ Virgini, vt essent illius progenitores. Nimirum mercedis anticipationem, siue mercedem vt anticipatam, non posse quidem cadere sub meritum, omni ex parte rigorosum, & nihil habens admixtum liberalitatis. Secus autem si iustitiæ admisceatur aliqua liberalitas, & Deus statuat, aut promittat anticipare mercedis solutionem, contentus sola præuisione meriti. Hic autem ordo est possibilis, vt Deus priùs ordinet absolutè merita Christi in aliquo conceptu, seu præuisione, & hac antecedenti ordinatione meritorum, qualis in illius præuisione stare potest antecedenter, velit gratuitò, ex meritis ita ordinatis, determinare quædam, quæ in tempore erunt priora illis meritis, at non fuerunt priora in præuisione. Potuit, inquam, Deus hac antecedenti ordinatione meritorum Christi, non consideratorum cum omnibus circumstantiis, quæ in illorum executione interuenerunt, velle dare quidquid gratiæ daturus est vnquam toti humano generi: Ac rursus illam ordinationem dandi gratiam potuit ex liberalitate, ita moderari, vt daret aliquibus gratiam ante Christi merita completa, & executioni tradita: Itemque velle, vt illa gratia inseruiret, tam ad suscitanda motiua, per quæ ipse amplius incitaretur ad exequendam incarnationem iam ordinatam (nimirum bona opera sanctorum Patrum, illo intuitu facta) quàm ad determinandas eas circumstantias ortus Christi, quæ non inuoluebantur in antece-

Retorquetur obiectio.

ipsius termini. Ergo esset prior & independens non modò ab actione, sed etiam à termino, nempe à sua causa. Et similiter illa causa debet esse prior & independens ab effectu, & ab omnibus quæ dependent ab effectu, inter quæ numeratur ipsamet causa iterum ab illo producta. Ergo debet esse independenter à seipsa, id est, potest intelligi sine seipsa, quod ex terminis repugnat. Hæc Delugo.

48. Non loquitur cohærenter. Ad quæ Respondeo primò, hæc non satis cohærere cum eo quod idem auctor eadem disput. num. 56. permittit, & disput. 7. de Eucharistia num. 21. admittit, posse de potentia absoluta eundem effectum dependere simul à duplici causa adæquata. Si enim ita est, non repugnat effectum accipere à secunda causa adæquata ipsummet suum esse, quod simul iam nunc habet vi alterius causæ: quodque iam nunc supponitur habere, si vna ex illis causis agat post aliam, quod non repugnat magis quàm vtramque simul agere.

Satisfit primo eius argumēto. Deinde ad primum argumentum Respondeo, posse aliquem noua actione, & nouo titulo, accipere id quod alia actione vel alio titulo iam supponitur habere: quod tam in physicis, quàm in moralibus verum est. Et quod iam meum est vno titulo, vel vna actione; potest fieri magis meum non formaliter, sed causaliter, ita vt magis mihi deuinctum sit, & difficiliùs adimi possit. Sic iuxta multos gloria prima respondet gratiæ primò infusæ, titulo hæreditatis; & contritioni gratiâ formatæ, titulo meriti. Sic Christi gloria, debita illi titulo hypostasis, debebatur illi etiam titulo gratiæ sanctificantis, & deberi poterat titulo etiam meriti bonis ipsius operibus. Et Regis filius potest suis egregiis facinoribus mereri à patre regnum, sibi alioqui debitum titulo successionis. Lex autem citata intelligenda est, quòd non potest quis accipere validè rem suam ab alio non habente ius ad illam. Secus enim potest ab illo accipere nouo titulo. Vel quòd non possit magis suam formaliter facere: secus autem causaliter. Quia non minus potest aliquid fieri magis tuum causaliter, quam fieri non tuum, seu tibi auferri pluribus titulis totalibus. At hoc secundum fieri potest. Nā vt ait S. Thom. qu. 22. Supplementi, art. 6. ad 2. potest aliquis pluribus de causis totalibus esse exul, aut esse excommunicatus, id est, priuari patria, vel bonis communibus Ecclesiæ. Et damnati priuantur gloria tot titulis seu causis totalibus, quot habent peccata mortalia in exitu ex hac vita.

Ad secundum. Ad secundum, Respondeo falsum esse, nihil eum accipere, qui non habet plus quàm antea, & non fit ditior. Accipit enim in casu posito illud idem esse, noua actione, aut nouo titulo.

Ad tertiū. Ad tertium, Respondeo actionem non causari, sed terminum. Quando autem idem reproducitur à suo effectu, atque ita mediatè à seipso (quod fieri posse concedit etiam idem auctor disp. illa 8. nu. 71.) est prius, vt primò existens vi alterius causæ, effectu suo, atque etiam mediatè seipso, vt reproducto ab effectu suo. Et effectus similiter est prior ipso, non simpliciter, sed vt reproducto à se. Verùm non propterea causa vel effectus pendet à seipso immediatè: neque etiam potest intelligi sine seipso: quia in casu posito non potest intelligi causa sine iis omnibus quæ pendent ab effectu: quandoquidem ipsa est vnum ex illis quæ ab eo pendent, ratione secundæ productionis. Neque etiam effectus potest intelligi sine iis omnibus quę pēdent à causa quam reproducit: quia ipsemet ab illa pendet, ratione primæ suæ productionis.

Sed obiicit idem qui supra num. 82. naturæ prioritatem dicere realem distinctionem, vel ex natura rei, seu modalem, inter prius & posterius. Debet enim, inquit, prioritas naturæ versari inter ea quæ realiter vel ex natura rei differunt. Atqui non est distinctio realis eiusdem ad seipsum: ergo non potest idem esse priùs & posterius seipso. Esset autem, si reproduceretur à suo effectu: ergo, &c. 49.

Diluitur obiectio. Respondeo, hæc non cohærere cum dictis ab eodem auctore paulò ante, num. 71. posse mediatè idem reproduci à seipso: verbi gratia posse Petrum reproducere Paulum, & Paulum posse postea Petrum mortuum reproducere. Nam Petrus primò & secundò productus, non distinguitur realiter à seipso: & tamen est prior seipso mediatè, & causa mediatè sui ipsius in casu posito. Illi ergo, æquè ac nobis, fatendum est naturæ prioritatem non dicere realem distinctionem inter causam mediatam seu remotam, & effectum ab illa positum mediante alio ab ipsa producto. Neque verum est quod addit vniuersim: Quidquid est priùs natura posse intelligi sine posteriori: posteriùs autem non posse intelligi sine priori. Nam v.g. causa vt causans, est prior natura effectu: & tamen sine illo non potest esse, neque intelligi, vt talis. Sic in diuinis Pater est prior origine filio, sine quo tamen non potest concipi.

SECTIO V.

An Sancti, qui Christum præcesserunt, meruerint Incarnationem, aut eius circumstantias?

50. Non meruerunt S. Patres, neque mereri potuerunt Incarnat. Respondeo, non meruisse, neque mereri potuisse Incarnationem, sed aliquas tantùm eius circumstantias. Prima pars patet ex dictis sect. 3. quia scilicet eorum opera non habuerunt, neque habere potuerunt proportionem condignitatis, aut congruitatis, cum incarnatione. Adde, quòd secundum ordinem & modum, quo

Deus reipsa decreuit dare gratiam & auxilia sanctis Patribus ad merendum, incarnatio fuit causa sine qua non, & principium in Dei decreto necessariò præsuppositum tali collationi gratiarum & auxiliorum. Quippe quia Deus nulli ea dare decreuit nisi propter Christi merita. Ergo merita omnia sanctorum Patrum supponunt incarnationem, tanquam principium sui remotum, per se ac necessariò præsuppositum. Ergo non potuerunt eam mereri, quia principium meriti non potest cadere sub meritum cuius est principium. Hæc postrema ratio probat in ordine rerum à Deo posito, impossibile fuisse vt eam mererentur. Prior verò generaliùs probat id esse absolutè impossibile, ex defectu condignitatis & congruitatis, qui nisi obstaret, potuissent sancti mereri incarnationem per gratias sibi datas ex mera Dei liberalitate, independenter ab incarnatione, vt sine dubio dari absolutè potuerunt.

51. Secunda pars responsi, quòd scilicet meruerint aliquas circumstantias, probatur: Quia hæ circumstantiæ non fuerunt principium meriti sanctorum Patrum, vt nec meriti ipsius Christi: neque sunt paris dignitatis cum Incarnatione ipsa, vel tantæ æstimationis, vt opera sanctorum Patrum, quoad dignitatem, aut congruitatem, prorsus excessisse censeri debeant: sed potiùs habuerunt illa proportionem condignitatis cum quibusdam saltem leuioribus circumstantiis; & cum aliis, congruitatem. Quod de singulis exactè definiri à nobis nequit, sed moraliter de vnaquaque comparata cum suo merito iudicandum est. Probatur secundò, inductione. Nam Scriptura Genes. 22. vers. 18. significat Abraham, immolantem filium suum, meruisse suâ obedientiâ vt ex semine ipsius Christus nasceretur, *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Et 2. Reg. 7. vers. 12. Dauid pro bona voluntate ædificandi templum Domino magnificentissimum, accepit hanc promissionem remuneratoriam, *Suscitabo semen tuum post te*, &c. *Et stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* Quæ verba de Christo interpretatur Apostolus Hebr. 1. vers. 5. Similique modo Isaias, Daniel, & alij sancti, petendo incarnationis accelerationem, potuerunt illam impetrare atque mereri de congruo: Et Beata Virgo meruit esse Mater Dei, vt sequenti sectione probabitur.

Meruerunt tamen aliquas circũstantias.

Dixi, aliquas circumstantias, non omnes: Quia non meruerunt, verbi gratia, vt defectu diuersorij Christus nasceretur in stabulo, turbaretur Herodes, & fureret in eius natiuitate, damnaretur à Pilato, affligeretur & crucifigeretur ab his numero hominibus, & similia, quæ non sunt beneficia specialia, neque materia meriti, sed potius inuoluunt peccatum alicuius.

Non meruerunt omnes.

Quòd si obicias, Ex parte principii nostrorum meritorum, & Patrum, supponi non modò hanc humanitatem vnitam, sed hanc natiuitatem, hanc passionem, & alias actiones, quibus Christus nobis & Patribus antiquis meruit omnem gratiam. Hæc verò natiuitas, hæc passio, & aliæ actiones, pendent necessariò ab hoc tempore, aliisque circumstantiis, adeóque supponuntur ex parte principij, & non potuerunt cadere sub meritum sanctorum Patrum, saltem simpliciter & absolutè: quare non potuerunt mereri accelerationem, & alia quæ suprà diximus. 52.

Respondeo, Natiuitatem non supponi simpliciter vt principium meriti, neque etiam supponi passionem, cum omnibus circumstantiis quibus reipsa contigit; sed affectus internos voluntatis Christi in quibus meritum formaliter consistit, & per quos nobis, & Patribus meruit gratiam & auxilia quibus meremur, consummandos morte ipsius prout à Christo futura erat. Hoc enim Dei voluntati satis fuit pro illo signo rationis, ad decernendam gratiam sanctis Patribus. Huiusmodi autem affectus, licet re ipsa non fuerint sine talibus circumstantiis, atq; etiam interdum aliquas pro parte obiecti habuerint: possunt tamen abstractiùs considerari, & aliqui reipsa fuerunt in Christo affectus meritorij, non ex se & necessariò alligati huiusmodi circunstantiis, ne quidem obiectiuè, ita vt earum existentiam nullo modo præsupponerent. Illi verò affectus qui obiectiuè præsupponebant circumstantias vt existentes, non potuerunt vt tales, id est, secundum illam specialem differentiam & considerationem mereri illas circumstantias. Quia non potest vnum & idem præsupponere & præsupponi alteri secundum existentiam primò & simpliciter datam, vt ostendimus disp. 3. nu. 89. meritum autem causat per suam existentiam, pertinetque ad genus causæ efficientis, vt diximus num. 28. huius disp. & fusius alibi probauimus. Quare nõ assentior quibusdam affirmantibus Christum per gratiarum actionem meruisse antiquis Patribus beneficia quę illis meruit: quatenus omnia sua merita obtulit in gratiarum actionem pro beneficiis iam collatis Patribus antiquis, adeóque pro illis etiam circumstantiis de quibus nunc sermo est. Nam illæ circunstantiæ supponebantur existere ab actu, quo attingebantur obiectiuè, & cui obiiciebantur tanquam præteritæ. Si enim Christus gratias pro illis agebat, gratiarum actio supponebat beneficium iam esse collatum; ergo talis actus secundum eam considerationem non potuit esse meritum talis beneficij: quia si esset causa illius meritoria, supponeretur illi quoad existentiam: ergo supponeretur quoad existentiam ei quod supponit existere, ac sibi ipsi consequenter, quod est impossibile.

Responde tur obiectioni.

Vide Tom. 1. disp. 41. sect. 13. nu. 137. & seq.

53. Respondent, talem actum supponi quoad existentiam non in executione iam posita, sed ponenda suo tempore, & præuisa à remunerante, qui priùs tempore exequitur beneficium propter actum, quem præuidet fore suo tempore à Christo exercendum. Supponit ergo beneficium in executione iam positum, velut obiectum: & supponitur illi, non quoad suam existentiam iam actu positam, sed ponendam, non vi eiusdem beneficii, sed vi humanitatis Christo vnitæ, quæ est principium meriti.

Refutatur euasio. Sed contrà: Primò, Quòd meritum non sit actu positum sed ponendum, non tollit mutuam dependentiam in existentia inter meritum & mercedem, vt ostendimus suprà contra Suarem nu. 32. & 33. Deinde, si Deus priùs tempore exequitur beneficium propter actum quem præuidet, vt propter causam meritoriam; debet ratione priùs illum præuidere secundum eam considerationem, quà Deum mouet ad beneficium exequendum. Ergo si mouet quatenus est gratiarum actio de beneficio iam accepto, mouet quatenus supponit beneficium iam esse acceptũ: actus enim ille supponit suum obiectum. Ergo supponit beneficium iam esse aliunde acceptum, ratione priùs, quàm sit ille actus meritorius, qui necessariò præsupponit obiectum in quod tendit.

54. Contraria sententia. Consentit in vtraque parte responsi supra dati Vasques disput. 22. cap. 4. & disp. 23. cap. 5. cum plurimis quos citat. Dissentiunt verò ex parte Suares & Delugo. Nam hic disput. 8. sect. 4. num. 33. distinguit circumstantias incarnationis, quæ sub meritum sanctorum Patrum cadere potuerunt, in tres præcipuè. Prima est, quòd Christus natus sit ex eorum progenie. Secunda est, circumstantia loci. Tertia est, circumstantia temporis. Ac duas quidem priores fatetur eos meruisse. De tertia ait se valde dubitare, quia meritum in ratione meriti includit temporis durationem, & per consequens hoc meritum includit hanc durationem. Quod confirmatur, quia eadem operatio voluntatis, habens maiorem durationem, censetur duplex meritum: ergo in ratione meriti non includit solùm entitatem præscindentem à duratione, sed includit durationem, & per consequens hoc meritum includit hanc durationem. Ergo non potuerunt præuideri hæc Christi merita, vt hæc sunt, nisi præuideantur cum hac duratione. Ergo vt sic præuisa, sunt priora, etiam quoad durationem, gratiis Patribus collatis ad merendum, eorumque meritis. Ergo non potuit circumstantia temporis, seu duratio meritorum Christi cadere sub meritum sanctorum Patrum.

Circumstãtiæ triplices incarn.

55. Respondeo primò, Meritum, in ratione meriti, abstrahere ab instantaneo, & à durãte. Poterat enim Christus mereri per actus instantaneos. Actus autẽ instantanei non durant, quia non perseuerant in esse præaccepto. Quare non est verum generatim, quod ait auctor ille, meritum in ratione meriti includere temporis durationem. Secundò, Duratio meriti durantis, vt & rerum aliarum quæ durant, id est, permanent in esse, distinguitur in extrinsecam & intrinsecam. Intrinseca est formaliter ipsamet res permanens in esse, id est, non desinens esse. Extrinseca verò est duratio temporis realis vel imaginarii, cum quo res permanens in esse comparatur, velut ei correspondens. De priori duratione non est hic sermo, sed de posteriori. Quæritur enim an sancti Patres meruerint vt Christus, eiusque merita, essent aliquanto tempore, antequam alioqui fuissent, id est, an meruerint accelerationem incarnationis? Merita autem Christi non includunt hanc durationem extrinsecam, vt ex terminis patet: si enim includeretur, non esset extrinseca. Neque habent necessariam connexionem ex natura sua cum hac vel illa duratione, seu differentia temporis extrinseci. Nam res aut actio meritoria, quæ nunc existit, potuit eadem cum tota sua duratione intrinseca existere vno sæculo ante, & tamdiu durare, id est, in esse suo perseuerare, ac nunc durat; puta, hora integra.

Quare non est verum quod idem auctor ait, non potuisse præuideri, hæc Christi merita, vt hæc sunt, nisi præuiderentur cum hac duratione, extrinseca scilicet, de qua est quæstio. Nam hæc substantia seu entitas indiuidua, & existentia ac duratio intrinseca horum Christi meritorum, est independens ab hac hora temporis realis vel imaginarij, neque cum illis est aliter necessariò connexa, sed potiùs est de se indifferens ad hanc vel illam differentiam temporis extrinseci. Neque ab illa differentia habet vt sit magis aut minùs meritoria, sed ex propria substantia & duratione intrinseca. Ergo malè infertur, merita Christi vt sic præuisa, id est, secundum illam differentiam temporis, esse priora gratiis & meritis sanctorum Patrum. Nam quod se habet indifferenter & impertinenter ad meritum, non debet necessariò præuideri, præuiso merito, neque est tale, vt meritum sine illo præuiso Deum mouere nequiuerit ad volendum conferre gratias Patribus; adeóque sit de complemento principij talium gratiarum. Atqui differentia hæc aut illa temporis extrinseci se habuit indifferẽter ad Christi meritum, vt iam ostendimus: ergo, &c. Quare nulla est ratio cur sancti Patres non potuerint mereri, vt tum incarnatio, tum Christi merita, priùs existerent, quàm alioqui extitura fuissent: sicut mereri potuerunt vt fierent hoc in loco, nempe in Iudæa, potiùs quàm in alio: & vt ex hac progenie Christus originem sumeret, potius quàm ex alia.

Neque fauet Aduersario D. Augustinus ab eo citatus num. 34. in fine. Tantùm enim vult sanctus ille Doctor aduentum Christi fuisse opus diuinæ voluntatis & misericordiæ. Nam hominum peccata merebantur potiùs vt non veniret: neque bona eorum 56.

credendo & amando: At verò gratia potest hoc saltem modo attingere vnionem hypostaticam, quod sufficit ad meritum de congruo.

58. Refutatur affirmans sententia. Sed ad hæc dico primò, distinctionem illam inter prædestinationem incarnationis, & executionem, friuolam esse & inutilem quoad meritum, vt ostendimus sect. 4. assertione 3. num. 31. & sequentibus. Quare si sancti Patres non potuerunt mereri prædestinationem incarnationis, quia illa secundum Dei præsentem ordinationem est principium meriti sanctorum Patrum: neque etiam potuerunt mereri eius executionem: quia executio incarnationis, id est, incarnatio non vt solùm prædestinata, sed vt existens suo tempore, est principium omnis meriti sanctorum Patrum. Respondeo secundò, D. Thomam articulo citato probare, sanctos Patres non meruisse incarnationem tribus rationibus, quarum secunda æquè concludit non meruisse de congruo. Nimirum quia principium meriti non potest cadere sub meritum: quod tam verum est de merito de congruo, quàm de condigno. Quare non concedit vniuersim de merito de congruo, quod negat de condigno, quia alioqui sibi apertè contradiceret. Quòd si Patres petebant à Deo simpliciter incarnationem, de qua tamen certissimi erant, & non potiùs suum illius desiderium Deo exprimebant, aut accelerationem, vel aliam circumstantiam postulabant: non propterea erat congruitas inter huiusmodi orationem & incarnationem: sed potiùs sicut nulla oratio facta solis naturæ viribus habet congruitatem cum gratia: sic, &c. Neque sufficit Dei ordinatio. Nam si ex se non habent congruitatem opera gratiæ creatæ cum vnione hypostatica, non habent illam ex Dei ordinatione. Quemadmodum licet Deus ordinauerit dare gratiam non ponentibus obicem, & sequentibus lumen naturale; non propterea opera naturalia censentur habere congruitatem cum gratia. Non sufficit etiam quòd posita ordinatione diuina futuræ incarnationis, nulla possit esse conuenientior via, aut dispositio ad illius executionem, quàm per iustitiam coram Deo, & orationes ac bona opera ab illa procedentia. Nam similiter posita ordinatione diuina euehendi homines ad statum gratiæ è statu purè naturali, nulla potest esse conuenientior via aut melior dispositio ex parte ipsorum, quàm iustitia naturalis, & bona opera ab ipsa procedentia, seruando totam legem naturæ: & tamen hæc non sufficit ad merendum de congruo primam vocationem seu prima auxilia gratiæ. Nec denique sufficit posse attingere obiectiuè vnionem hypostaticam per fidem, spem, orationem, & amorem supernaturalem: Nam posse quidpiam attingere obiectiuè, non sufficit ad fundandam proportionem inter meritum & præmium.

59. Meruerintne SS. Patres prædestinationē circumstātiarum incarnat. Secundum dictum Suaris, quòd scilicet sancti Patres non meruerunt prædestinationem circumstantiarum, licet aliquarum executionem de facto meruerint, sic ab illo probatur: quia Deus ante præuisa omnium hominum merita prædestinauit & incarnationem fieri, & tali tempore & modo fieri, & ex tali gente, tali matre, aliisque circumstantiis. Ideóque res ita disposuit, vt illo tempore, & in illa gente esset opportuna dispositio ad tale mysterium suscipiendum. Confirmatur, inquit, quia dici nequit meruisse Beatam Virginem, etiam de congruo, suam electionem vt esset mater Dei: & Ioannem Baptistam, vt esset præcursor; & Dauid, & Abraham, vt essent Christi progenitores; alioquin pari ratione dici posset populum Iudaicum meruisse vt Deus ipsum eligeret in populum peculiarem, contra illud Deuteron. 9. *Neque enim propter iustitiam*, &c. Deinde sancti Patres ante omnia sua merita fuerunt præuenti speciali gratia & vocatione, quæ ex speciali eorum electione processit. Ergo electio præcessit omnia merita, & fuit causa omnium meritorum. Rursus, per illam specialem gratiam ordinabantur vt congruè se disponerent ad incarnationem. Ergo illa gratia supponebat incarnationem ad hæc munera, quæ sunt circunstantiæ incarnationis. Ergo hæc electio non cecidit sub meritum de congruo, sed potiùs ipsum meritum ab illa processit.

60. Refellitur sententia negans. Ad primum Respondeo, Deum quidem simul tempore, seu æternitate, hæc omnia prædestinasse: at non sine ordine rationis & quasi causalitatis, qui etiam fuit in executione. Ac si Beata Virgo non fuit electa efficaciter in matrem Dei, nisi præuiso ipsius consensu, & dispositionibus ac meritis de congruo, vt probabilius puto cum Vasque suprà; dicendum est omnino Beatam Virginem meruisse suam electionem in matrem Dei. Quod enim in tempore non datur nisi propter merita; non fuit à Deo volitum efficaciter nisi propter merita. Et sicut merita sunt causa executionis; ita & volitionis, seu electionis æternæ. Voluntas enim habet idem motiuum, cùm eligit seu decernit efficaciter, & cùm exequitur. Idemque dico de aliis exemplis in obiectione allatis. Parum autem efficaciter probat Suares ex Deuteron. 9. non fuisse populum Iudaicum electum ex meritis in populum peculiarem. Nam ibi non est sermo de electione ex meritis in populum peculiarem; sed de ingressu in terram promissionis, quam Deus ait se illis dare propter suam promissionem, factam eorum progenitoribus; licet ipsi propter sua peccata in deserto commissa, & duritiem ceruicis, mererentur ea priuari; vt ex ipso textu manifestum est. Alibi verò sæpius Scriptura significat Deum sibi hunc populum specialiter adoptasse propter merita progenitorum, Abrahæ, Isaac, & Iacob.

61. Ad secundum Respondeo præcessisse electionem antecedentem, non efficacem, sed simplicis affectus seu desiderij, quæ non impedit quin sancti Patres meruerint efficacem & consequentem electionem, factam post præuisa merita. Quemadmodum ante media electis collata, præcessit intentio dandi gloriam conditionata & inefficax, quæ in signo rationis post præuisum consensum, & merita futura, transiuit in absolutam & efficacem vi eorumdem meritorum. Et electio quidem antecedens & conditionata non cecidit sub meritum, sed fuit eorum principium: secus autem posterior absoluta & consequens. Cæterùm vt ostendimus sect. 4. assertione 3. quisquis meretur à Deo executionem alicuius beneficij, meretur pariter efficacem voluntatem, quâ Deus illud exequi voluit ab æterno. Adeóque meretur efficacem illius prædestinationem. Et contrà, qui non meretur prædestinationem eius beneficij quod Deus statuit non conferre nisi ex meritis, non meretur quoque eius executionem. Quare si sancti Patres non meruerunt, vt ait Suares, prædestinationem circumstantiarum incarnationis; neque meruerunt earum executionem: & vice versa, si meruerunt executionem; meruerunt & prædestinationem.

SECTIO VI.

An Beata Virgo meruerit vt esset Mater Dei?

62. Beata Virgo meruit de cōgruo vt esset mater Dei. Vasques. Suares.

RESpondeo, Beatam Virginem id meruisse, non de condigno simpliciter, sed de congruo. Prima pars, quòd meruerit, est communis Theologorum & sanctorum Patrum, quorum plurimos referunt Vasques disput. 23. cap. 2. & Suares disput. 10. sect. 8. Ecclesia quoque tempore Paschali sic canit: *Quia quem meruisti portare*, &c. Ac licet nomen meriti sumatur interdum impropriè ab Ecclesia & Patribus, tribuaturque rebus libera actione carentibus, vt quando Ecclesia sic canit, *O fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem*! & quando Cyprianus lib. 3. epistola 8. dicit, *Infantes lachrymis suis promereri gratiam Dei*: Nihilominus quando dicunt aliquem quidpiam mereri vitæ sanctitate, & bonis operibus; de merito propriè intelligendi sunt. Sic autem de Beata Virgine loquuntur Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alij à Suare, & Vasque relati. Nec obest quòd interdum alibi videntur meritum negare Beatæ Virgini. Loquuntur enim tunc de merito profecto ex solis naturæ viribus, vt expressiùs ait Fulgentius libro 1. de Incarnatione & Gratia Iesu Christi capite septimo. (Fulgent.)

63. Non meruit maternitatem simpliciter de condigno.

Secunda pars, quòd non meruerit simpliciter maternitatem de condigno, est Suaris disp. citata sect. 7. & Vasquis disp. 23. cap. 2. qui eandem communem esse testatur. Ratio præcipua est, quia si meruisset simpliciter maternitatem, vel id fuisset per opera subsequentia maternitatem, & ab illa trahentia vim merendi; vel per opera antecedentia & præsupposita. Non primum: alioqui principium meriti cecidisset sub meritum. Non etiam secundum: quia dignitas matris Dei est tantæ excellentiæ & æstimationis moralis, vt excedat omnia merita Beatæ Virginis purè consideratæ sine maternitate, quantumuis heroica & excellentia; ita vt non possint habere proportionem æqualitatis cum illa, sed conuenientiæ tantùm & congruitatis. Accedit enim quodammodo ad ordinem vnionis hypostaticæ, & habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, cuius mater est, vt ait S. Thom. prima parte quæst. 25. artic. 6. ad 4. fuitque ratio finalis, propter quam Deus exemit Beatam Virginem à peccato originali, & gratijs excellentissimis illam præuenit, nulli alteri puræ creaturæ concessis. (S. Thom.)

64. Potuit tamen eam mereri secundum quid.

Dixi non meruisse simpliciter maternitatem, ac ne quidem potuisse mereri de condigno, vt ratio facta bene concludit. Secundum quid autem, & nouo titulo potuisset Beata Virgo mereri de condigno maternitatem per opera eam subsequentia, si Deus eam duplici titulo illi dare voluisset; primò quidem, ex mera sua liberalitate, aut præuijs meritis de congruo; quæ vt sic data & præsupposita fuisset sufficiens principium meritorum subsequentium: tum secundò ex meritis subsequentibus, quæ cùm sint à persona quodammodo infinitæ dignitatis, trahunt ab illa parem moralem dignitatem & vim meritoriam, adeóque sunt satis proportionata ad merendum nouo titulo dignitatem maternitatis. Simili modo, quo merita Christi trahunt moralem dignitatem infinitam à persona merente, potueruntque mereri nouo titulo ipsam incarnationem.

65. Obiectio bipartita. Suares.

Obiicies primò, Beata Virgo fuit digna vt esset mater Dei; id enim affirmant sancti Patres, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, & alij apud Suar. disput. 10. sect. 7. Ecclesia quoque in oratione quadam de Beata Virgine dicit, *Vt dignum filii tui habitaculum effici mereretur*. Hanc autem dignitatem habuit formaliter per gratiam & sanctitatem eximiam, quam habuit ante maternitatem; & hanc sanctitatem magna ex parte acquisiuit per merita de condigno. Licet enim primas omnino gratias, & merè præuenientes, acceperit sine vllo merito; & gratiam primam sanctificantem, sine merito de condigno; deinceps tamen illam auxit mirabiliter per merita condigna, ad eum modum quo iusti merentur de congruo augmentum gratiæ & gloriæ. Ergo Beata Virgo magna

ex parte meruit de condigno, vt esset digna Dei maternitate. Ergo habuit merita digna ipsa maternitate, quod est illam meruisse de condigno, accedente saltem ordinatione diuina, quæ ordinatio non defuit. Alioqui ne de congruo quidem illam meruisset. Deinde Beata Virgo meruit condignè id quod maius est, nempe augmentum gratiæ & Beatitudinem. Ergo & id quod minus est, nempe maternitatem. Minus enim est ventre Deum concipere, quam mente, iuxta illud Luc. 11. *Beatus venter qui te portauit* &c. *Quinimo Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Vnde August. tract. 10. in

Augustin. Ioan. *Et mater mea, quam appellastis fœlicem, inde fœlix, quia verbum Dei custodiuit, non quia in illa Verbum caro factum est.*

66. Aliquorum opinio contraria. Gabriel. Almain. Bonauent. Marsil.

Propter hæc argumenta recentiores quidam censent Beatam Viginem meruisse etiam de condigno maternitatem, quod probabile censet Gabriel in 3. dist. 4. quæst. vnica art. 3. dub. 3. & Almainus quæst. 1. dub. 3. Bonauētura verò ibidem art. 2. q. 2. & Marsil. q. 5. in tertium Sentent. art. 3. dub. 3. conclus. 2. & 3. meritum dignum illi tribuunt, non condignum, quam tamen differentiam non satis explicant.

Respondetur primæ parti obiectionis. Vasq.

Sed ad primum Respondeo cum Vasque disp. 23. cap. 3. num. 17. particulam, *digna*, ibi sumi pro apta & idonea, licet sine proportione æqualitatis, & condignitate meriti. Quo etiam sensu dicitur in oratione Feriæ 3. post Dominicam Passionis, *Nostra tibi Domine sint accepta ieiunia, quæ nos expiando, gratia tua dignos efficiant.* Quis enim dicat ieiunia nostra mereri de condigno vt expiemur à peccatis, & Dei gratiam consequamur? Aut esse æqualia remissioni peccatorum nostrorum, & beneficio iustificationis?

67. Responsio quorundam ad 2. partem obiectionis.

Ad secundum, respondet Vasques num. 15. concedendo antecedens & negādo consequens. Quia qui potest maius, non ideo potest minus, nisi sit intra eandem speciem. Nam maius est ratiocinari, quàm volare; & tamen non sequitur, potest quis ratiocinari, ergo potest volare. Idemque veram causam cur Beata Virgo non potuerit mereri de condigno maternitatem, hanc esse putat n. 13. quia meritum de condigno debet esse opus suapte natura dignum tali remuneratione. At merita Beatæ Virginis facta ex statu adoptionis, & gratiæ auxiliis, erant eiusdem speciei cum meritis aliorum iustorum, quæ non sunt digna maternitate ex natura sua: Alioqui omnes sancti veteris Testamēti meruissent esse matres Dei: sed tantùm digna sunt augmento gratię & gloriæ: ergo &c.

Suar. Suares quoque disp. 10. sect. 7. §. *Dices, posset tamen*, affirmat, causam cur Beata Virgo non meruerit de condigno maternitatem, non esse inæqualitatem operum, sed defectum promissionis diuinæ sub conditione operis, quæ si accessisset, Beata Virgo meruisset de condigno.

68. Non satisfacit.

Sed vterque à veritate aberrare hac in parte mihi videtur, & minùs æstimare, quàm par sit, dignitatem matris Dei; quæ si est minùs æstimabilis quauis gratia adoptionis, quomodo verum est, quod ait S. Thom. suprà citatus, illam esse vnum ex tribus omnipotentiæ diuinæ summis operibus, quibus maius seu melius in suo genere dari non potest, & esse dignitatem quodammodo infinitam? Et quod ait Ambros. lib. 2. de Virginibus sub initium, *Quid nobilius Dei matre* &c. aliique Patres, qui similimodo loquuntur, & mirificè illam dignitatem extollunt? Quomodo item verum est quod aiunt Patres, & Theologi, Deum propter hāc dignitatē dedisse B. V. exceptionē peccati originalis, & alias gratias singulares, nulli alteri puræ creaturæ concessas, eò quòd status ille quodammodò illas exigeret debito conuenientiæ seu congruitatis? Quomodo denique verum est quod admittit Suares, & refert ex S. Bernardino Senensi serm. 51. Beatam Virginem, actu illo, quo consensit Angelo nuncianti Incarnationem, plus meruisse, quàm omnes homines & Angelos omnibus suis actibus, quia nimirum illo meruit maternitatem? Hinc enim sequitur necessariò, maternitatem esse quid maius tota gratia, & gloria, quam omnes Angeli & homines promeriti sunt. Et quidem plus est esse veram matrem Regis, quam esse tantùm filiam eius adoptiuam.

Maternitas B. V. est maximæ dignitatis.

Quare ad argumentum propositum respondendum potiùs est negando antecedens. Ad cuius probationem dico, Christum Luc. 11. non comparasse matris suæ fœlicitatem cum eorum fœlicitate qui verbum Dei audiunt & custodiunt: sed tantùm voluisse impedire ne attentio, verbis ipsius debita, ad matris suę consideratione auerteretur. Quasi diceret; Quinimò, non illud nunc agitur, an beata sit mater quæ me portauit; sed agitur de audiendo verbo Dei, quod qui audiūt, & custodiunt, beati sunt. Augustinus verò non ita intelligendus est, quasi Beata Virgo non fuerit aliquo modo, & quidem excellenti, beata, ex eo quòd Christum pepererit; Id enim Scripturæ repugnaret Luc. 1. *Beata es quæ credidisti, quia perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino*: sed quòd Beata Virgo non fuerit completè beata ex hoc solo beneficio, sed quia insuper per fidem & bona opera, audiendo & custodiendo verbum Dei, æternam gloriam adepta est, quæ fuit consummatio fœlicitatis ipsius. 69. Vera responsio.

Quod autem dicit Vasques, meritum de condigno debere esse opus suapte natura dignum retributione; si per *dignum*, intelligit *æquale*, nihil proficit; cùm in ipsius opinione non desit æqualitas operibus Beatæ Virginis, imò excedant maternitatem. Sin autem intelligit (vt verè intelligit) debere opus suapte natura referri ad tale præmium, in eoque consistere totam rationem meriti de condigno, & nullo modo in ordinatione aut promissione diuina, falsum hoc est, & à nobis refutatum in Tract. de Gratia, disput. vltima, de Merito. 70.

quam Deus vt talem potuit alia multiplici via producere, potuitque eandem, vt talem, absolutè prædefinire, & præuidere ab æterno, pro aliquo signo rationis, abstrahendo à circumstantia non necessaria, sumendi hanc humanitatem ex Beata Virgine, quam circumstantiam potuit determinare in posteriori rationis, præuisis meritis congruis Beatæ Virginis, in eadem humanitate, & Christo absolutè spectato fundatis. Neque enim ista circumstantia fuit necessaria ad principium meriti, vt supra diximus de tempore, aliisque circumstantiis.

Instabis, quia licet non fuerit necessaria, tamen reipsa Christi meritum ab illa pependit: nam Christus non meruit nisi per humanitatem acceptam à Beata Virgine. Ergo Beata Virgo fuit principium remotum, & mediatum meritorum Christi. Ergo si meruerunt ei maternitatem, meruerunt suum principium remotum, & mediatum. Atqui tam est impossibile principium meriti mediatum cadere sub idem meritum, quàm principium immediatum: rationes enim implicatiæ, sumptæ ex mutua dependentia, siue ex prioritate naturæ, & ex eo quòd omne meritum postulat pro præmio aliquid aliud, præter id, quod merens iam censetur habere, & quo fiat ditior: rationes, inquam, illæ parem vim habent circa principium mediatum, & immediatum. Et alioqui S. August. non bene probaret contra Pelagianos primam gratiam non cadere sub meritum, quia est principium omnis meriti, neque enim omnis gratia prima est immediatum principium meriti: nam v. g. prima vocatio ad fidem est tantùm principium remotum iustificationis, & meriti, quod post illam exercetur ab homine iusto.

77. Quibus actibus meruerit Christus Beatæ Virgini, & suis progenitoribus?

Propter hoc argumentum quod fusiùs exponit Delugo, disput. 8. sect. 6. respondet ipse sect. sequenti, num. 85. reiectis aliis quibusdam modis respondendi improbabilibus, Christum meruisse Beatæ Virgini, & aliis suis progenitoribus, per actus factos paulò ante passionem, eo tempore, quo à Deo conseruabatur independenter ab illis, & supra exigentiam causarum naturalium, putà post illam summam tristitiam, quæ mortem illi naturaliter attulisset, nisi Deus maiore vi eum conseruasset, de qua ipse dicebat Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Verùm, non est opus eò recurrere, sed potiùs dicendum, merita Christi, quibus meruit Beatæ Virgini maternitatem, & aliis, vt essent sui progenitores, pependisse ab hac humanitate, secundum se sumpta, & simpliciter: cui per accidens fuit, quòd reipsa esset accepta à tali matre, talibusue progenitoribus. Quod autem ad meritum per accidens se habet, non est illius principium mediatum, vel immediatum: ideóque non sequitur principium meriti cecidisse sub idem meritum: sed tantùm conditionem aliquam, aut circumstantiam personæ, accidentalem ad meritum, cecidisse sub meritum: quod non est inconueniens, nec contra hoc procedit argumentum à Delugo propositum, de cuius robore, & veritate potest ex dictis alibi facilè iudicari.

Dices, Beatam Virginem, & alios Christi progenitores non se habuisse per accidens ad principium meriti, nempe ad hanc Christi humanitatem; quippe cuius fuerunt causa per se. Respōdeo, esse per accidens ad Christi merita, & ad eius humanitatem, vt illa operantem, quòd fuerit accepta à Beata Virgine, & à talibus progenitoribus, à quibus non pependit in eo signo rationis, in quo Deus simpliciter prædefiniuit incarnationem secundum se, id est, hanc humanitatem vnitam Verbo, eiúsque merita simpliciter, vt ab illa pendentia, quæ aliis mediis, & modis esse potuerunt, ac reipsa fuissent, nisi Deus occasione eorundem meritorum simpliciter præuisorum, has circumstantias executionis elegisset in posteriori signo rationis, post intentionem, & præuisionem ipsorum simpliciter. Dico igitur Beatam Virginem influxisse quidem, vt causam per se, in Christi Domini humanitatem reipsa: sed eius humanitati, & meritis ab ea exercitis, fuisse per accidens quòd ipsa influxerit. Aequè enim fuisset hæc humanitas, & operata fuisset, quamuis Beata Virgo non influxisset. 78. Quomodo B. V. non fuerit principium meritorum Christi?

Instabis, quia non potuit præuideri hæc humanitas futura, nisi virtute alicuius causæ: & non fuit præuisa, nisi futura virtute illius causæ, per quam reipsa est. Respondeo, causam aliam, præter Deum absolutè necessarium, non fuisse determinatam, & præuisam pro illo priori rationis intentionis diuinæ, abstrahentis, & independentis à mediis non necessariis, quorum electio, & determinatio fuit naturà posterior, sicut in nobis electio mediorum est posterior intentione finis. Fuit itaque Beata Virgo causa per se reipsa, sed per accidens applicata, & non necessariò, sed ex libera electione Dei, post, seu propter Christi merita simpliciter præuisa.

Superest quærere, per quænam merita præuisa Christus meruerit Beatæ Virgini, & patribus antiquis, gratias, quibus illi instructi circumstantias incarnationis mereri potuerunt? Respondent aliqui, Christum illis inter alia meruisse per gratiarum actionem, ita vt Deus hæc beneficia illis contulerit, quia præuidebat id Christo gratum fore, & Christum suum grates illi acturum. Sicut nos solemus alicui benefacere, quia scimus hoc eius parenti, vel domino, vel alteri nobis amico, gratum esse futurum, & ipsum nobis gratias acturum. Neque obest, inquiunt, quòd gratiarum actio de beneficio accepto, præsupponit beneficium esse acceptum: quasi idcirco non possit esse causa meritoria eiusdem beneficii, ne præsupponatur ei, quod præsupponit. Quia non repugnat, id quod præsupponitur, aut importatur tantùm obiectiuè, præsupponere natura priùs, vt causam 79. Meruerit ne Christus per gratiarum actionem beneficia prius collata?

sui finalem, aut efficientem, illud cuius obiectum est. Sic enim omnis finis, qui fit ab operante, præsupponitur ab illo, vt obiectum suæ cognitionis, & intentionis, non tantùm vt possibilis, sed vt futurus sub spe certa, vel probabili opinione, communiter saltem loquendo. Et tamen causatur ab illa cognitione, & intentione, estque naturá posterior in genere causæ efficientis: & desiderium rei futuræ cognitæ, vt talis certissimè, mouet desiderantem ad eius prosecutionem, & est causa moralis vt res fit. Sic etiam voluntas Dei efficax, vt aliquid fit, habet pro obiecto illud ipsum, vt fit. Sic denique meritum, cùm sit formaliter propter mercedem, habet illam pro obiecto, & quidem vt futuram: & tamen est causa illius meritoria, neque illam supponit aliunde futuram. Hæc illi.

Respondetur negatiuè.

Verùm ex dictis supra num. 52. & 53. constat esse impossibile Christum meruisse beneficia illa per actionem gratiarum de illis, vt talem. Quia impossibile est idem secundum realem suam, & actualem existentiam præsupponi, & præsupponere respectu eiusdem, loquendo de existentia primò, & simpliciter data, id est, non iteratò data per reproductionem: idque siue in eodem, siue in diuerso genere causæ. Cùm autem nos alicui benefacimus, quia hoc alteri gratum erit, & gratias aget: particula, *quia*, denotat causam finalem, sensusque verus est, quia intendimus, & volumus illi gratificari, seu consequi, vel fouere, vel augere ipsius amicitiam, & bonam gratiam.

80. Satisfit argumentis contrariis.

Neque obsunt alia argumenta vel exempla allata. Ad primum enim Respondeo, non quamcunque præsuppositionem obiectiuam repugnare: sed eam tantùm quá obiectum præsupponitur necessariò, vt existens actui, quem præsupponit existentem, vt causam suæ existentiæ. In quo est mutua dependentia, & mutua præsuppositio vtriusque secundum existentiam, quæ est impossibilis. Ad secundum Respondeo, cognitionem, & intentionem agentis propter finem illum, prout sunt priores & causæ executionis, non præsupponere obiectum, vt existés actu, sed vt possibile existere per talia media, si applicentur. Quod enim mouet ad desiderandum, & prosequendum finem à nobis efficiendum, non est finis ipse vt existens; sed bonitas eius, vt possibilis haberi, seu fieri à nobis per talia media; vel cognita vt extitura conditionatè, si illa media applicentur. Quare actus illi, quatenus sunt causæ, & priores effectu, sunt ita resoluendi: Cognosco me posse consequi finem illum per talia media, vel assecuturum si applicem: & volo, seu desidero illum consequi, motus illius bonitate, ita possibilis, aut futuri conditionatè, motus, inquam, ad ipsum intendendum, & desiderandum. Volo denique media applicare vt consequar, & vt absolutè futurus sit.

81. Ad tertium Respondeo similiter, Dei voluntatem efficacem non præsupponere obiectum, vt existens, sed vt possibile existere, si Deus velit; potiúsque tendere ad dandam illi existentiam. Neque Deus hoc vult, quia erit: sed contrà, hoc erit, quia Deus vult. Actus autem voluntatis non præsupponunt obiectum, nisi quatenus præit in cognitione, suaque bonitate, vel malitia, mouet ad volendum, aut nolendum. Et actus practici voluntatis non supponunt esse suum obiectum, sed potiùs dant illi esse. Ad quartum idem dicendum est de operante meritoriè respectu mercedis, quam velut finem, aut velut effectum intendit practicè per actum meritorium. Neque enim actus ille supponit mercedem existere, sed ad hoc tendit vt existat.

Aliter respondet Delugo disp. 27. n. 34. & sequentibus, vbi docet Christum per gratiarum actionem non potuisse quidem mereri gratiam antiquis Patribus, quia gratiarum actio supponit donum pro quo gratiæ aguntur: ergo non potest esse meritum illius doni; nam meritum, saltem in præuisione, debet antecedere ad præmium, ita vt præmians ex visione meriti moueatur ad dandum præmium. Inde verò concludit, alia tantùm duplici via Christum illis mereri potuisse. 1. Per merita à Christo ipsis peculiariter non applicata, sed ex se sufficientia, vt eis prodessent. 2. Per merita, quæ à Christo ipsis specialiter applicarentur per orationem, vel alio speciali modo. Potest enim oratio fieri pro præteritis obtinendis. Sicut Ecclesia orat pro iam defunctis, vt liberentur à pœnis inferni, ne absorbeat eos tartarus; cùm tamen hoc in ipso mortis instanti factum sit. — Examinatur alia responsio.

Verùm hic secundus modus incurrit incommodum allatum à Delugo contra gratiarum actionem. Nam oratio pro beneficio præterito, non minùs supponit beneficium præteritum, quàm gratiarum actio de eodem. Deinde vanum, & inutile videtur orare pro accipiendo beneficio iam accepto: neque potest hoc prudenter cadere in mentem illius, qui certissimè sciat se accepisse, vt Christus sciebat. Neque etiam Ecclesia id facit: sed orationes illæ referuntur ad tempus mortem antecedens, & iudicium particulare de animabus illis. Solet enim Ecclesia in suis orationibus publicis, & in officio diuino respicere vt præsens, id quod præteritum est. Nec obest quod opponit Delugo, hinc sequi posse, similiter orari pro sanctis vt saluentur, si oratio referatur ad tempus ante quod mortui sunt. Respondeo enim ita esse, si Ecclesia non esset certa de eorum beatitudine, vt non est certa de statu talium defunctorum. 82.

Quare reiecto illo merendi modo velut impossibili, dico Christum meruisse matri suæ sanctissimæ, & patribus antiquis, per alios actus non præsupponentes existentiam gratiarum, quas illis merebatur. Idque partim per actus non specialiter illis applicatos

à Christo, sed ex se sufficientes, vt eis prodessent, & vt propter eos Deus illis conferret beneficia, quæ contulit: partim etiam per actus specialiter illis applicatos sine mutua præsuppositione meriti, & mercedis, quoad existentiam. Potuerunt enim illis aliter applicari, quàm per gratiarum actionem, vel orationem de præterito: puta, per sui oblationem pro illis, abstrahendo à beneficio accepto, vel præterito: aut per specialem Christi commendationem illorum apud Deum, aut particularem, & eximium Christi affectum erga eos futurum independenter ab huiusmodi beneficijs, ex Christi electione, & beneplacito antecedente. Et hactenus de causa efficiente, dispositiua, & meritoria Incarnationis Dominicæ dictum sit.

DISPVTATIO QVINTA.

De modo vnionis hypostaticæ, siue de termino formali Incarnationis.



DE modo vnionis hypostaticæ tractat S. Thomas quęst. 2. deque illo septem pręcipuè docet ad pręsentem disput. spectantia, omissis aliis quæ alibi commodiùs explicabuntur. Primum est, Vnionem Verbi incarnati non potuisse fieri in natura diuina: quia ex duabus naturis secundum suam rationem perfectis non potest fieri vnum per se: sed factam esse in persona Verbi, & in hypostasi diuina, ad constituendum vnicum suppositum ex natura diuina & humana. Secundum, Hypostasim Christi esse quidem in se omnino simplicem, sicut est natura Verbi: personam tamen Christi esse compositam, inquantùm vnum in duobus subsistit: nam persona Christi subsistit in duabus naturis. Ter-

tium, Vnionem Dei & hominis factam esse non secundum essentiam & naturam, neque etiam secundum accidens: sed secundum subsistentiam siue hypostasim: vt docet fides Catholica, contra Euthychetem, & Nestorium, eorumque sequaces. Quartum, Vnionem illam esse aliquid creatum, quia est relatio quædam realis in natura humana existens, per cuius immutationem talis relatio nascitur. Quintum, Vnionem differre ab assumptione: quia vnio est relatio naturæ diuinæ & humanæ, secundum quod conueniunt in vna persona. Assumptio verò est actio, secundum quam aliquid dicitur assumens: aut passio, secundum quam dicitur aliquid assumptum. Item assumptio dicitur sicut in fieri: vnio autem, in facto esse. Et vnio, cùm sit relatio æquiparantiæ, æqualiter se habet ad extrema. Assumptio verò, cùm sit actio, vel passio, diuersimodè se habet ad agens & patiens, & ad diuersos terminos. Et ideo assumptio determinat terminum à quo, & ad quem: dicitur enim assumptio, quasi ab alio ad se sumptio. Vnio autem nihil horum determinat. Vnde indifferenter dicitur, quòd humana natura est vnita diuinæ, & è conuerso. Non autem dicitur diuina natura assumpta ab humana, sed è conuerso: quia humana natura adiuncta est ad personalitatem diuinam, vt scilicet persona diuina in natura humana subsistat. Sextum est, Vnionem duarum naturarum in Christo esse maximam vnionum, non ex parte eorum quæ coniunguntur, sed ex parte eius in quo coniunguntur. Nam vnitas personæ diuinę, in qua vniuntur duæ naturę, est maxima. Septimum, Gratiam vnionis non posse dici naturalem Christo, quasi causatam in illo ex principiis humanæ naturæ: sed tamen posse dici naturalem, quasi prouenientem in naturam humanam Christi causante diuina natura ipsius: atque etiam quatenus à natiuitate illam habuit: quia ab initio conceptionis fuit natura humana diuinæ personæ vnita. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Vtrum actio Incarnationis fuerit tantùm vnitiua humanitatis cum Verbo?

1. *Hoc mysterium factum est per veram actionem.*

SVppono 1. In hoc mysterio efficiēdo veram aliquam, & realem actionem interuenisse. Quotiescunque enim fit aliquid de nouo, per aliquam actionem fit. Ergo cùm Verbum caro factum est, per aliquam actionem tale factum est. Quatuor autem actiones ad hoc mysterium efficiendum concurrerunt eodem temporis instanti, sed cum aliquo naturæ ordine. Prima fuit, organizatio corporis. Secunda, creatio animæ Christi, quam organizatio corporis naturaliter exigebat. Tertia, vnio corporis cum anima. Quarta, vnio corporis, & animæ, siue humanitatis cum hypostasi Verbi, quæ saltem ex parte corporis fuit naturâ posterior vnione cum anima, vt ostendemus alio loco.

2. *Actio Incarnationis formaliter est vnitio Verbi cum humanitate, quæ actio potest variè considerari, & appellari;*

Suppono 2. Actionem incarnationis præcisè & formaliter sumptam, id est, actionem, vi cuius per se proximè, & immediatè Verbum homo factum est, esse vnitionem hypostasis Verbi cum humanitate, constante ex corpore, & anima physicè vnitis. Quemadmodum enim per vnitionem caloris cum subiecto, fit calidum: sic per vnitionem Verbi cum humanitate, Verbum factum est homo, siue humanatum, id est, humanitate affectum. Hæc autem actio potest variè considerari, indeque varias appellationes sortiri. Nam 1. prout est effectio vnionis substantialis inter hypostasim Verbi, & naturam humanam, potest dici vnitio, & compositio. 2. Prout est affectio naturæ humanæ, adiungens illi hypostasim Verbi, efficiensque vt in illo subsistat, potest dici personalizatio naturæ humanæ. 3. Prout respicit Verbum, & quodammodo illud afficit, adiungens illi naturam humanam, potest dici Incarnatio

Verbi,

Damasc. lib. 1. de fide c. 13.

Verbi, vel vt significantiùs loquitur Damascenus, ἐνανθρώπησις, id est, inhumanatio. 4. prout est actio verbi nō modò vt agētis (quod tribus personis Trinitatis commune est) sed etiam vt terminantis humanitatem, & illam sibi vnientis, potest dici assumptio, vel vt loquitur Paulus Heb. 2. apprehēsio. Significat enim apprehensio actionem quodammodo ad agentem reflexam, per quam aliquid sibiipsi adiungit, & ad se sumit. Atque ita assumptio Verbi propria est. Nam Pater, & Spiritus sanctus non adiungunt sibiipsis humanitatem. Natura quoque humana non potest dici assumens, sed assumpta: quia non agit, sed patitur solùm, & assumitur.

His præmissis, sensus quæstionis est, vtrum actio Incarnationis, præcisè sumpta, fuerit actio tantùm vniens humanitatem Verbi: vel etiam produxerit ipsam humanitatem? De Verbo enim dubium esse non potest, an illud quoque produxerit, vel ipsius hypostasim: cuius alia productio non est, neque esse potest, quàm absolutè necessaria, atque inuariabilis Patris æterni generatio.

3. Actio incarnationis fuit tantùm vnitiua, non autem productiua humanitatis.

Respondeo, Actionem incarnationis fuisse tantùm vnitiuam, & non productiuam humanitatis. Ita S. Thom. Alens. Scot. Durād. & alii quos refert & sequitur Suar. disp. 8. sect. 1. Probatur 1. ratione sumpta ex D. Thom. quæst. 4. a. 2. vbi docet illud quod assumitur debere præintelligi assumptioni; sicut quod mouetur localiter, præintelligitur motui. Atqui humanitas assumitur per actionem Incarnationis. Ergo humanitas illi præsupponitur. Ergo non fit per illam, sed per aliam actionem præsuppositam assumptioni, seu incarnationi. Minor est euidens: Maior autem probatur, quia id quod assumitur, vnitur alteri. Vniri autem præsupponit natura priùs esse rei, quæ vnitur, cùm vnio sit vsus quidam, siue exercitium, & actus secundus, qui necessariò supponit primum, naturâ saltē, vel ratione priùs, cum fundamēto in re. Quod etiam de formis accidētalibus verum existimo, quidquid dicat Suar. sect. cit. §. *Secunda sententia*. Quocirca idem S. Doctor in 3. dist. 5. quæst. 3. art. 1. & 2. meritò ait id quod assumitur præexistere assumptioni, non tempore sed naturâ, seu secundum nostrum modum intelligendi. Probatur secundò ex eodem D. Thom. quæst. 6. a. 3. vbi affirmat, animam Christi eodem modo, & eodem genere actionis fuisse creatam, quo aliæ animæ rationales. Atqui aliæ animæ rationales non creantur per vnitionem, aut actionem incarnationis, sed per productionem ex nihilo, natura priorem vnitione cum corpore: vnde etiam quando separantur à corpore, existunt vi eiusdem actionis, quâ fuerunt primò creatæ. August. quoque Epist. 99. ad Euodiū versus finem, & Hieron. Apolog. 2. contra Ruffin. aliquantò post initium, significant animam Christi fuisse productam ex nihilo, simili modo, quo aliæ creantur. Verba D. August. hæc sunt: *Ita sibi creauit animam Dei filius, vt cæteris creat*. Ex quo sic argumentor: Animæ nostræ creantur actione naturalis ordinis, & vera creatione: Atqui actio Incarnationis non est actio naturalis ordinis, sed planè supernaturalis: neque etiam est creatio, quia non est actio ex nihilo, sed ex aliquo præsupposito, tanquam materia, & subiecto, iuxta sententiam eorum omnium, qui affirmant vnionem esse modum à parte rei distinctum; & in humanitate receptum, atq; ex illa eductum: iuxta nostram verò & probabiliorem multorum aliorum sententiam, est simplex modificatio extremorum: non autem productio rei ex nihilo: cuiusmodi debet esse creatio. Ergo, si anima Christi creatur vt nostra (quemadmodum verè ait S. August.) non fit per ipsam Incarnationem. Tertiò, vbi sunt diuersi termini, qui fiunt, & quorum vnus potest fieri sine alio: sunt & diuersæ actiones: nam actiones distinguuntur arguitiuè penes terminos: & fieri vnius termini, non est formaliter fieri alterius: ac sicut esse vnius non est formaliter esse alterius: ita positio vnius in esse non est formaliter positio alterius. Sed anima Christi, vel humanitas, secundum propriam substantiam, & eius vnio ad hypostasim Verbi, sunt diuersi termini, quorum prior esse potuit, & fieri sine posteriori. Ergo actiones, quæ ad illos tendunt, sunt diuersę. Quare per aliam actionem facta est anima, vel humanitas Christi: per aliam vnio hypostatica, quæ est propriè Incarnatio.

Contrarium sentiunt moderni quidā Thomistæ, qui vt faciliùs excludant existentiam creatam ab humanitate Christi, dicunt illam productam fuisse, non in se, sed in Verbo, per eandem actionem, quā fuit vnita hypostaticè, ita vt Incarnatio non fuerit actio merè vnitiua, sed etiam productiua humanitatis. Ita refert Suar. disp. 8. sect. 1. initio. Sed illi primò contradicunt apertè D. Thomæ locis supra citatis, & quæst. 6. a. 4. ad. 3. vbi affirmat priùs carnem fuisse vnitam animæ, quàm Verbo: quia ex vnione ad animā, habet quòd sit vnibilis Verbo in persona. Quod si verum est; priùs natura fuerunt caro, & anima Christi, priúsq; extitit humanitas per vnionē carnis, & animæ, quàm fuerit vnio cum Verbo. Ergo non est facta per illam vnionem, vel actionem vniēdi pręcisè, sed per aliam natura priorem. Secundò, si anima, vel humanitas Christi producta est in Verbo, non aliam accipiendo existētiam, quàm ipsam existentiam increatam Verbi: ergo neq; anima Christi fuit creata, neq; humanitas generata. Illud enim non creatur, neq; generatur, quod accipit tantùm existentiam increabilem, & ingenerabilem, cuiusmodi est existentia Verbi. Tertiò, productio rei est productio existētiæ ipsius, siue rei vt existentis: facit enim, vt quod priùs erat solū possibile, iā sit actu extra causā: & ab esse tātùm possibili, id est, à posse esse, trāsfert illud ad esse actuale, id est, ad esse actu: ita vt producere aliquid, nō sit aliud, quàm efficere, vt actu sit. Ergo si existentia

4. Contraria sententia.

humanitatis est ipsa Verbi existentia: productio humanitatis erit productio existentiæ Verbi, quod est impossibile: nam existentia Verbi neque producitur, neque produci potest in Incarnatione, sed per æternam generationem existit. Quartò, falsum est euidenter humanitatem existere formaliter per existentiam Verbi, & non habere propriam existentiam distinctam ab existentia Verbi. Existere enim nihil est aliud, quàm esse actu extra nihil. Vnumquodque autem seipso formaliter est extra nihil, & est actu, si est: & si non est actu ipsummet extra nihil, impossibile est, vt ponatur, & existat, quidquid aliud extra ipsum, vel ab illo distinctum, ponatur, aut existat. Non enim ideo ipsum est formaliter, quia aliud est: nèc ponitur, si aliud tantùm ponatur. Si autem ipsum simul cum alio ponatur; non ideo est actu formaliter, quia aliud ponitur, sed quia ipsummet ponitur in rerum natura. Atqui humanitas Christi est distincta à Verbo, & actu est in rerum natura, estque entitas actualis creata, ac non tantùm possibilis, & creabilis. Ergo existit seipsa formaliter, habetque creatam existentiam, siue actualem entitatem distinctam ab existentia Verbi: imò impossibile est, vt actu sit per solam Verbi existentiam. Confirmatur, quia in Christo non est confusio, sed distinctio naturarum, & actualium entitatum, vt contra Eutychianos à Conciliis definitum est. Et Angeli ac Dæmones cognoscebant naturaliter quidditatiuè, & intuitiuè, humanitatem Christi esse in rerum natura: adeóque cognoscebant illam, vt existentem, hoc est, eius existentiam. Et tamen non cognoscebant naturaliter ipsam Verbi existentiam increatam. Ergo cognoscebant illam existere per aliam existentiam, nempe creatam, & naturalem, quæ est ipsamet humanitas, prout est actu posita extra causas. Plura de his videri possunt apud Vasq. disp. 71. c. 2.

Res non possunt existere formaliter per aliud.

5. Prima obiectio.

Obiiciunt 1. Thomistæ illud epistolæ Sophronii approbatæ in VI. Synodo generali art. 11. vbi de Christi humanitate loquens, *In ipso*, inquit, hoc est, in Verbo, *& non in se habuit existentiam.* Item illud S. Leonis Papæ epist. 11. ad Iulian. *Natura nostra non sic assumpta est, vt priùs creata, post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur.* Addunt simile testimonium Fulgentii lib. de Incarn. & gratia, cap. 3. vbi ait ipsam acceptionem carnis fuisse conceptionem virginalem: & vnam fuisse in vtero Virginis conceptionem diuinitatis, & carnis. Acceptio autem carnis fuit incarnatio, & conceptio Virginalis fuit humanitatis productio. Ergo &c.

Fulgent.

Ad primum Respondeo, mentem Concilii solùm esse concludere contra Nestorium, humanitatem Christi non priùs tempore extitisse, quàm Verbo fuerit vnita: & non in se, separatim à Verbo, vnquam extitisse: sed semper in ipso existentiam suam habuisse, velut in supposito, quo ipsius existentia terminabatur, atque vltimò complebatur. Porro existere in alio, non est existere per existentiam ipsius formaliter, vt malè instat Didac. Aluar. disp. 14. de Incarn. conclus. 2. Nam accidentia, & formæ substantiales materiales existunt in materia, vel in subiecto, ex quo educuntur: & tamen habent existentiam propriam.

6. Quo sensu Patres dicant humanitatem fuisse ipsa assumptione creatã?

Ad secundum & tertium Respondeo similiter, sanctos Leonem, & Fulgentium tantùm contendere contra hæreticos, non priùs tempore animam Christi fuisse creatam, aut carni vnitam, quàm Verbo: vt ex verbis eorum antecedentibus, & sequentibus clarum est. Cúmque dicunt fuisse naturam ipsa assumptione creatam, & ipsam acceptionem carnis fuisse conceptionem virginalem, & vnam fuisse conceptionem diuinitatis, & carnis: intelligunt moraliter, non physicè: eò quòd licet non fuerit vna, & eadem simplex actio, & indiuisibilis: fuit tamen vna moraliter, ob simultaneam coniunctionem, & ordinationem, seu tendentiam ad vnum terminum totalem, ac subordinationem aliquam inter se. Nam organizatio corporis, perfecta illo instanti, tendebat naturaliter ad creationem animæ rationalis, eamque exigebat. Et ambo naturaliter tendebant eodem instanti ad vnionem mutuam, & generationem compositi naturalis ex corpore, & anima naturaliter vnitis, quæ tunc etiam facta est. Ambo quoque debebant eodem instanti naturaliter subsistere propria, & naturali subsistentia, cuius loco diuinam acceperunt, ad quam diuinitus ordinabantur: atque ita ex omnibus illis actionibus partim naturalibus, & partim supernaturalibus, factus est Christus, constans anima rationali, & corpore vnitis naturaliter inter se, & supernaturaliter cum hypostasi Verbi: in quem (Christum scilicet) velut terminum totalem, & vltimum, omnes illæ actiones desierunt, & propter illum possunt per modum vnius actionis totalis cõsiderari. Vnius, inquam, moraliter, non physicè, cùm sint ad terminos physicè diuersos, partim naturales, & partim supernaturales. Nam organizatio facta in instanti, & vnio corporis & animæ cum Verbo, fuerunt supernaturales: reliqua fuerunt naturalia.

7. Secunda obiectio.

Obiiciunt 2. eandem actionem indiuisibilem posse esse vnitiuam, & productiuam rei, quæ vnitur: vt apparet in accidentibus, quæ eâdem actione educuntur ex subiecto, & illi vniuntur. Fiunt enim dependenter à subiecto: dependent autem per vnionem, & inhæsionem. Ergo actio Incarnationis potuit esse indiuisibiliter vnitiua, & productiua humanitatis. Imò reipsa talis fuit. Primò, quia humanitas facta est dependenter à Verbo: pendet enim ab illius existentia, & existit in illo, atq; ab eo dependet in existẽdo quemadmodum accidẽtia dependent in esse à subiecto, in quo sunt. Ad quod non sufficit actio solùm vnitiua cum Verbo: nã anima rationalis vnitur corpori, à quo tamen non pendet. Secũdò, quia anima Christi eâdẽ actione, qua

creata est, facta est subsistens. Ergo eadem actione fuit vnita Verbo. Patet consequentia, quia nunquam fuit subsistẽs, nisi per hypostasim Verbi sibi vnitam. Antecedens verò probatur: Quia creatio terminatur ad rem subsistẽtem, sicut eductio ad rem inhærentẽ: vt docet S. Thom. 1. p. q. 45. art. 4. Et quemadmodum forma educta, eadem actione, quâ educitur, inhæret subiecto, habetq; modum suum cõnaturalem existendi, neq; priùs est, quàm inhæreat: sic res creata, eadẽ actione, quâ creatur, subsistit cõnaturaliter, vel accipit modum supernaturalem subsistẽdi. Confirmatur, quia anima nostra non priùs est existens, quàm subsistẽs. Ergo non priùs natura accipit existentiam, quàm subsistentiam; sed eadem indiuisibili actione, quâ creatur, & fit existens, fit etiam subsistens. Atqui anima Christi habuit subsistentiam eodem instanti naturæ, & rationis, quo nostra: ergo nõ priùs fuit creata vt existens, quàm vnita Verbo: sed eâdem actione fuit creata, & vnita. Tertiò, si humanitas Christi fuit producta naturâ priùs quàm vnita Verbo, B. V. non fuit verè, ac propriè mater Dei. Nam illius actio terminata fuit ad aliquid, quod non est Deus, prout ab illa fit. Et quemadmodum creatio animæ rationalis non est productio hominis, sed actio naturâ prior hominis productione, quæ consistit formaliter in vnitione animæ cum corpore: & productio præcisa caloris non vniti subiecto, non esset effectio calidi, sed caloris: sic productio præcisa humanitatis non vnitæ Verbo, non est productio filii Dei. Atqui tota actio Beatæ Virginis stetit in humanitate producta natura priùs, quàm vniretur Verbo, quæ vnio postea à solo Deo supernaturaliter facta est: Ergo &c.

3. Huic obiectioni respondet Vasq. d. 71. n. 13. Illa tantùm eâdem actione simul vniri, & produci posse, quorum esse est inesse, & ideò per creationem in suo esse naturali produci non possunt. Quales sunt formæ accidentariæ, & substantiales corruptibiles. Quæ responsio mihi non satisfacit. 1. Quia esse huiusmodi formarum non est inesse actu, sed esse aptas inesse. Habent enim esse actu, quãuis non actu insint, vt patet ex mysterio Eucharistiæ, in quo accidentia quæ remanent, vel omnia, vel aliquod saltem non inhæret vlli subiecto, & tamẽ retinet idem esse, quod antea habebat. Deinde Vasq. non satisfacit argumento supra proposito, quòd nimirum quidquid vnitur, naturâ priùs debeat esse, quàm vniatur. Cùm omnis vnio sit vsus vnibilitatis rei, quæ vnitur, & modus se habendi, sine quo res esse potest, non vice versa. Potest enim esse res sine vnione absolutè loquendo: sed non vnio sine re quæ vnitur.

Actio eductiua accidentium est naturâ prior ipsorum vnione. Aliter ergo respondendum est, actionem eductiuam accidentium esse diuersam, & naturâ priorem eorundem vnitione cum subiecto, quamuis semper cõiuncta, & naturaliter inseparabili. Nam priùs naturâ est accidens esse, quàm vniri, & inhærere: potestq; illud esse supernaturaliter sine vnione, & inhæsione, vt patet in speciebus Eucharisticis, cum è contrario sit impossibile vniri accidens, & inhærere, nisi sit. Quare vnio pendet ab esse accidentis, atq; illud supponit essentialiter. Accidens verò non pendet propriè ab vnione, & inhæsione, neq; illam præsupponit, licet illã naturaliter, & necessariò exigat, velut connaturalem modum essendi, cum quo necessariò & naturaliter inseparabilem habet cõnexionem. Pendet nihilominus accidens à subiecto, etiam quoad esse, velut à materia eductiuè concurrente, ex qua scilicet extunditur naturâ priùs, quàm eidem inhæreat: & dependenter ab eadem materia conseruatur, siue per eandem actionem, vt fit in illis, quæ à Deo solo fiunt, vel concurrente causa secunda, à cuius influxu continuo pendeant, vt lumen, & actus vitales: siue per diuersam, vt fit in aliis pendentibus solùm in fieri à causa secũda, & non in conseruari. Tunc enim actio, quâ conseruantur, à Deo solo est totaliter in genere causæ efficientis; concurrente tamen subiecto, quia semper est eductiua: differtq; à priori actione, tum causæ primæ cõcurrentis cum secunda, tum etiam causæ secundæ concurrentis cum prima, & partialiter tãtùm influente.

Atque hanc duplicem actionem circa accidentia agnoscere debent illi omnes, qui dicunt, formarum omnium, siue accidentalium, siue substantialium, causalitatem esse vnitionem, ita vt vnio cum materia, vel subiecto, sit verus illarum effectus: & cõsequenter sit naturâ posterior. Minùs verò cohærenter negat illam Suares disp. 8. sect. 1. §. *Secunda sententia*, motus hac ratione: quia, inquit, cùm forma accidentalis non fiat, nisi per eductionem de potentia subiecti: non potest alia actione fieri, & alia vniri. Nam vel illa actio, quâ fit, est cum materiali concursu subiecti, vel non. Si non: ergo est creatio. Si sic: ergo illa actio quantumuis præcisè, & formaliter sumpta, pendet essentialiter à subiecto, eique vnitur. Ergo vi illius terminus illius fit in subiecto, & vnitur subiecto. Ergo non est necessaria actio vnitionis distincta. Hæc Suar. Ad quæ dico, actionem illam non esse sine cõcursu materiali subiecti eductiuo, (quamuis ipsamet non educatur, neque fiat, neque vniatur subiecto, vt putat Suar. sed sit causa ipsa agens aliquid aliud) Veruntamen esse priorem altero cõcursu subiecti, qui est concursus vnitiuus, posterior naturâ concursu eductiuo, & formâ eductâ ex subiecto, quæ per vsum suæ vnibilitatis cõcurrit ad vnionẽ: ideóq; post actionem eductiuam est opus actione vnitiua. Est verò impossibile id quod Suar. ipse in Methaphys. & alii pleriq; docẽt, vnitionem esse actionẽ, quâ fit forma materialis, tam substantialis, quàm accidẽtalis: & tamen eandem vnitionem esse causalitatem formæ circa materiam, & compositũ. Nam si est actio, quâ fit forma, est prior illa. Si autẽ est ipsius causalitas, est posterior, maximè in sententia Suaris, existimantis causalitatem causarum physicarum esse aliquid ab eis di- *Suar. disp. 15. Metaphys. sect. 4. n. 3. & sect. 6. n. 6. & 7.*

stinctum, & vi earum existens.

9. Ad primam rationem in obiectione allatam Respondeo, humanitatem non pendere ab hypostasi Verbi in existendo, sed in subsistendo: id est, non pendere vt à dante existentiam per vnionem: sed vt à terminante illam, & supplente aliquatenus vicem propriæ subsistentiæ, velut in genere causæ formalis. Sicut enim res, quæ subsistit, non pendet propriè in esse à propria subsistentia, quæ potiùs supponit rem esse, veluti modus quidam illius, & in eo consistit formaliter, quòd res vi sua, id est, ratione naturalis suæ perfectionis, & sufficientiæ existat per se incommunicabiliter, & independenter à subiecto, aut sustentante, vel terminante ipsius existentiam: ita neque pendet ab eo, quod supplet tantùm vicem propriæ subsistentiæ. Nec par est ratio accidētium, quæ naturaliter fiunt, & fouentur semper, seu conseruantur concurrente subiecto, innituntur que ipsi nō tantùm velut terminanti eorum existentiam, & vltimo complenti per modum connaturalem inhærentiæ, sed velut eductiuè concurrenti ad fieri, & conseruari.

Humanitas non pendet ab hypostasi Verbi in existēdo, sed in subsistendo.

Dixi, humanitatem non pendere propriè ab hypostasi Verbi in existendo: quia vt rectè notat Suar. disp. 8. sect. 1. dependentia propria est, quando res vna pendet ab alia, tanquam à propria, & per se causa, influente in eam illud esse, penes quod dicitur pendere ab illa: vltra quam alia, sed impropria, potest dici dependentia (& magis propriè, connexio necessaria) quando res aliqua sic cum alia connexa est, vt licet ab illa non accipiat propriè esse: tamen ita illam requirit ad existendum (quamuis à posteriori, & cōsequenter) vt sine illa, neque naturaliter esse possit, neque ei debeatur conseruatio in esse, si tali re vel modo careat, nisi supernaturaliter suppleatur. Sic accidens pendet impropriè ab inhæsione, & natura substantialis à subsistentia: & vt aliqui addunt, materia ab aliqua forma substantiali, quia sine omni non potest existere naturaliter, id est, non debetur illi existentia secundum exigentiam eius propriam, vel aliarum causarum naturalium. Ratio est, quia res vt esse naturaliter possint, non tantùm requirunt proprias, & per se causas: sed etiam conditiones aliquas, aut dispositiones, vel modos intrinsecos, propter suam indigentiam, & imperfectionem naturalem. Et hoc sensu potest admitti, existentiam humanitatis pēdere impropriè ab hypostasi Verbi.

Dependētia propriè quid sit?

10. Ad secundum, nego creationem terminari formaliter ad rem, vt subsistentem: solùm enim terminatur ad existentiam rei ex nihilo productæ: subsistentia verò est modus quidam existentiæ eiusdem rei sufficientis ad standum per se, re vel ratione saltem distinctus, & naturâ, vel ratione posterior creatione. D. Thom. autē loco citato non aliud dicit quàm creari cōuenire propriè subsistētibus; quia creari est quoddam fieri: & fieri ordinatur ad esse rei. Vnde illis propriè conuenit fieri & creari, quibus cōuenit esse. Quod quidem cōuenit propriè subsistentibus, siue simplicibus, siue compositis. Illi enim propriè conuenit esse, quod habet esse, & quod est subsistens in suo esse. Formæ autem & accidentia non dicuntur entia quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est. Vnde sicut sūt magis inexistētia vel coëxistētia quàm entia: ita magis debent dici concreata, quàm creata. Ad exēplum eductionis antea dictum fuit. Ad confirmationem Respōdeo, animam nostrā priùs natura, vel ratione existere per creationem, quàm subsistere propria vi, habereque vltimum terminum & complementum naturale suæ existentiæ, sine quo potest esse supernaturaliter, & terminari alieno supposito. Falsum est autē quod additur, hypostasim Verbi respectu humanitatis habere eundem ordinem prioritatis naturæ, vel rationis, quem habet propria subsistentia, vt ostendimus disp. 4. sect. 2.

Ad tertium Respōdeo, matrem dici non ex eo quòd producat subsistētiam, aut subsistēs, quà tale (quod nō magis necessariū est, quàm vt producat ipsam animam rationalem: neque illud fit in naturalibus generationibus: nam subsistētia materiæ, & animæ rationalis sunt à sola virtute diuina) sed quòd materiā generationis subministret, corpus disponat, & organizet, illique perfectè disposito vniat animam, fœtumque modo quodam peculiari alat, & foueat in vtero. Quod totum Beata Virgo præstitit erga filium Dei. Nam purissimum sanguinem subministrauit generationi Christi, eiusque corpus organizauit concurrente Spiritu sancto, & eleuante Beatam Virginem ad eiusmodi organizationem, quæ vt communiter creditur, facta est in instanti. Deinde animam à Deo creatam coniunxit corpori per naturalem generationem, per quā extitit humanitas iuncta hypostasi Verbi eodem instanti, virtute diuina: Ac denique fœtum illum diuinum in vtero fouit, & aluit.

Denominatio matris vnde sumatur?

SECTIO II.

Vtrum vnio hypostatica sit terminus formalis Incarnationis; & quis sit terminus à quo eiusdem actionis?

Prænotandum est, terminum actionis esse id, ad quod intrinsecè, & essentialiter tendit actio. Actio autem tendit intrinsecè, & essentialiter ad id, quod per ipsam fit, aut ponitur in rerum natura: Ideóque terminus actionis est aliquid per ipsam effectum, aut positum, & naturâ posterius, atque ab illa pendens, ipsamq; præsupponens. Diuiditur autem in totalem, & formalem. Quæ diuisio non habet locum in illis actionibus, quarum terminus est aliquid omnino simplex, & simpliciter factū: cuiusmodi est creatio Angeli, vel animæ rationalis: sed in actionibus, quarū terminus est aliquod totum, id est, non omnino simplex, aut simpliciter factum, sed quodámodo vi actionis cōpositum, aut modificatū. Tunc enim terminus totalis est totū illud quod fit, aut ponitur vi actionis. Formalis verò propriè loquēdo est ille, quo con- 11.

Quid sit terminus actionis?

stituitur formaliter terminus integer, & totalis, productus, aut positus per actionem, quatenus per eam producitur, aut ponitur. Hic enim est vsus communis illius vocis apud philosophos, & theologos, vt testatur Vasq. disp. 19. cap. 2. vbi præterea monet, non esse vtendum nominibus prout libet, more, inquit, Nominalium, qui arbitratu suo varias nominum acceptiones assignant, vt cùm de re aliqua controuertitur, vim argumentorum pro hac, aut illa parte facilè eludant.

12. His præsuppositis, dico primò terminum formalem Incarnationis, id est, vnionis naturæ humanæ cum Verbo, esse ipsam vnionem eiusdem naturæ cum Verbo. Ita Scot. in 3. dist. 1. quæst. 1. & Durand. dist. 5. q. 2. vbi docent hanc actionem terminari formaliter ad relationem: nam per relationem intelligunt ipsam vnionem, quæ est transcendentalis quædam relatio. Idem expresse docent Valentia quæst. 2. punct. 5. Suar. disp. 8. sect. 3. dubit. 1. Tanner. quæst. 3. num. 169. & alii recentiores. Probatur, quia terminus integer, & totalis, productus aut positus per Incarnationem, siue actionem vnitiuam naturæ humanæ cum Verbo, est totum compositum existens vi talis vnitionis, id est, compositum ex natura humana, & Verbo diuino. Sicut enim terminus integer, & totalis siue adæquatus generationis, est compositum genitum, vi illius existens: sic terminus totalis vnitionis est totum cōpositum, quod vi illius positum est. Sed vnio est id, quo formaliter constituitur compositum vt tale: & in mysterio, de quo agimus, vnio naturę humanæ cum hypostasi Verbi, est id quo formaliter constituitur totum constitutum ex natura humana, & hypostasi Verbi. Ergo vnio illa est terminus formalis Incarnationis. Maior propositio, quòd nempe Christus, seu totum existens per vnionem ex natura humana, & hypostasi Verbi, sit terminus totalis Incarnationis, est communis theologorum: patetque exemplo termini totalis aliarum actionum, & definitione termini totalis, qui est totum id, quod per actionem fit, quodque constituitur in ratione effectus talis actionis, per terminum eius formalem. Minor autem ex terminis ipsis est manifesta: & confirmatur, quia diuinitas vel hypostasis Verbi, vt sic & simpliciter sumpta, non constituit formaliter compositum ex ipsa, & ex humanitate, sed tantùm prout vnitur, & coniungitur realiter humanitati. Prout autem vnitur, est ipsa vnio, considerata quatenus se tenet ex parte Verbi. Idemque dico de humanitate, quæ similiter non constituit, nisi prout vnitur: vt sic autem est ipsa vnio, quatenus se tenet ex parte humanitatis. Suppono enim ex dicendis sect. 7. vnionem illam non differre realiter ab extremis vnitis, sed esse ipsa extrema taliter se habentia ad inuicem, seipsisque immediatè cōiuncta: quēadmodū actiones non differunt ab agentibus, cōtactus à tangentibus, & similia. Vnde sequitur terminum formalem, qui est vnio adæquatè sumpta, non distingui realiter à termino totali, qui est extrema inter se vnita, seu cōpositum ex partibus vnitis. Differt nihilominus conceptu & modo loquendi: quia terminus totalis concipitur & exprimitur per modum concreti, & suppositi constantis ex natura humana, & hypostasi Verbi: terminus verò formalis concipitur, & exprimitur per modum abstracti, & proportione ac virtualiter respondet ei, quo formaliter aliquid constat: licet reipsa propter indistinctionem modi à re modificata, sit ipsum totum, & extrema identicè, seipsis ita se habentia, & vnita formaliter per seipsa, non per aliud distinctum in re.

Terminus formalis incarnationis est vnio hypostatica.

Contrarium sentit Vasq. loco sup. citato, contendens terminum formalem Incarnationis esse ipsam humanitatem. Primò, quia terminus formalis productionis, est id, quod est forma producti. Sed humanitas est forma Verbi facti hominis per incarnationem, siue incarnati, & humanati. Et quamuis non constituat Verbum hominem, nisi mediante vnione: illa tamen vnio non est forma producti, sed tantùm conditio sine qua non. Secundò, in resurrectione hominis, anima erit terminus formalis, non vnio. Et in æterna Verbi generatione terminus formalis est essentia diuina, non relatio personalis: quibus duobus exemplis conuincitur, non esse necessarium, vt ipse terminus formalis productionis producatur, & nouiter fiat: sed sufficit ipsum esse formam producti. Anima enim non producitur in resurrectione; nec essentia diuina, in æterna generatione. 13.

Humanitas non est terminus formalis incarnationis.

Ad primum Respondeo, terminum formalem productionis esse id, quod est forma producti, quatenus productum est, siue id, ratione cuius terminus totalis dicitur productus. Humanitas autem vt sic, non est forma Verbi incarnati, & vniti naturæ humanæ, vt talis: sed humanitas, vt vnita, id est, vnio humanitatis cum Verbo. Christus enim non constituitur per humanitatem purè, & simpliciter consideratam, neq; per hypostasim similiter, sed per vtramque substantialiter vnitam: adeo vt hoc ipsum, siue humanitati, siue hypostasi, vt constituenti, non sit accidentale, sed substantiale penitùs: quia non cōstituunt nisi vt substantialiter componentia: neq; possunt concipi constituere, nisi ita concipiantur. Quare non est verum quod addit Vasq. vnionem esse tantùm conditionem. Nam quod est conditio tantùm, est aliquid extrinsecum, & sine illo res concipi potest. Vt actio v. g. bene concipitur sine approximatione, concipiendo dumtaxat aliquid existere & poni vi alterius. At verò vnio adeo est necessaria partibus componentibus, quà componentibus; vt sine illa tales concipi non possint. Quare vnio est de cōceptu quidditatiuo partium, vt componentium. Ergo non est extrinseca tantùm conditio, sed aliquid intrinsecum, & substantiale.

Adde, quòd sicut humanitas est forma quo- 14.

dammodo Verbi vt humanati & incarnati: sic hypostasis Verbi est forma quodammodo humanitatis, vt deificatæ, & subsistentis: seu Christi vt suppositi diuini. Ergo sicut humanitas est terminus formalis secundum Vasq. quia est forma producti: hypostasis quoque debebit esse terminus formalis, quia est forma, & quidem potior, ac nobilior eiusdem producti. Neque satisfacit quod respondet Vasq. hypostasim esse potiùs subiectum, cui adiungitur humanitas: eò quòd Incarnatio eò tendit vt Deus fiat homo, non vt homo fiat Deus. Non satisfacit, inquam, quia neutrum propriè subiectum est: impropriè verò vtrumque est æquè subiectum cui alterum adiungitur. Sicut enim adiungitur humanitas hypostasi, sic & hypostasis humanitati, quam quodammodo informat, seu afficit per modum formæ cōstituentis illam per se formaliter in esse suppositi. Ac sicut Incarnatio eò tendit, vt Deus fiat homo per susceptionem naturæ humanæ: ita etiam eò tēdit vt homo fiat Deus, id est, vt humanitas subsistat per diuinam hypostasim. Nam Verbum caro factum est, vt caro fieret Deus, inquit Ambros. lib. 1. de Virginibus.

15. *Terminus formalis resurrectionis est vnio animæ cum corpore.* Ad secundum Respondeo, terminum formalem in resurrectione hominis nō esse animam rationalem, quæ præexistit resurrectioni, & non fit per talem actionem: sed vnionem animæ cum corpore, quæ vnio tunc fit, & sine illa anima rationalis neque informat, neque constituit compositum. Cùm autem vrget Vasq. vnionem illam non esse formam producti totalis, sed animam: nihil proficit. Etenim anima rationalis, per seipsam considerata, non est actu forma: sed tantùm potentiâ, potestque sine actu suo, & sine materia existere. Est verò actu forma per actualē cōpositionem substantialem, per quam constituitur forma actu, & actus materiæ, atque pars compositi. Prout verò anima secundum primum suum esse substantiale fit, non fit vt forma materiæ, aut pars compositi actu: sed per actualem compositionem fit actu forma materiæ, & compositi. Vnio ergo substantialis ipsius formæ, est maximè formalis terminus eius actionis, per quam fit substantia totalis, & completa: estque forma ipsius compositi, vt talis. Similique modo calefactio non habet pro termino formali purum calorem. Nam quamuis calor fieret, non esset calefactio, nisi calor induceretur in subiectū, eique coniungeretur. Et hoc est formale calori, prout constituit calidum.

16. Similiter essentia diuina non est terminus formalis generationis Verbi, vt Vasques supponit, sed filii proprietas, realiter producta à Patre, & logicè veluti adiuncta, seu potius identifica essentiæ, vt explicauimus in tract. de Trinit. Manifesta verò est abusio vocum, si quis actionis alium terminum constituat, quàm id, quod per illam est. Nam manifestè in id quod agitur, terminatur & fertur actio. Cúmque formalis terminus productionis sit id quod est formale in termino totali producto, vt producto: necessarium est ipsum produci proximè, & immediatè, tanquam id, à quo totalis terminus denominatur productus, & quo mediante producitur: sicut necessarium est id cognosci, quod est formale in obiecto totali cognito, & quo mediante cognoscitur materiale. Quare cùm essentia diuina non producatur in æterna generatione, nec anima rationalis in resurrectione: non sunt terminus formalis actionis, quæ ad illas vt sic non tendit, sed potiùs illas præsupponit: neque constituunt formaliter productum vt tale; sed illud, quod per tales actiones producitur immediatè, aut ponitur, & ratione cuius terminus totalis dicitur produci, aut poni in rerum natura.

Quæres, quis sit terminus à quo eiusdem actionis vnitiuæ humanitatis cum Verbo: id est, terminus à quo receditur formaliter, & præcisè per illam actionem, ac vi illius introducitur oppositus? 17. *Quis sit terminus à quo Incarnationis?*

Respondeo, & dico secundò esse negationem formalem vnionis hypostaticæ, quæ respectu Verbi se habuit per modum priuationis, quatenus Verbum extitit prius tempore, quàm vniretur humanitati, vnde fuit aptum vniri, & nondum vnitum; ex parte verò humanitatis se habuit per modum simplicis negationis: quia nunquam fuit humanitas Christi, quin fuerit vnita Verbo: & tamen non fuit vnita, cùm non fuit humanitas, id est, quando nondum existebat. Humanitas inquam: quia materia quoque ipsa, ex qua humanitas facta est, præextitit tempore ipsius vnioni. Probatur conclusio: quia terminus positiuus nullus hîc assignari potest; neque alius negatiuus, aut priuatiuus, nisi iam explicatus: vt patebit ex refutatione aliarum opinionum.

Humanitas non est terminus à quo, nec hypostasis Verbi, neque subsistentia humana. Primò enim, dici nequit quod ait Caiet. ad art. 8. quæst. 2. in fine, humanitatem esse terminum à quo. Nam terminus à quo actionis alicuius, & terminus ad quem, debent esse oppositi, & incompossibiles: ita vt vnus alterum excludat, & vi actionis abiiciatur terminus à quo, dum acquiritur terminus ad quem. Atqui humanitas non excluditur, neque abiicitur in Incarnatione, sed potiùs vnitur, & assumitur, manetque in termino totali. Secundò, eodem argumento probatur, neque Verbum, aut eius hypostasim, fuisse terminum à quo: quia vtrumque manet cum termino ad quem, componens Christum cum humanitate, cui vnitur. Tertio, dici etiam nequit subsistentiam creatam humanitatis fuisse terminum à quo. Nam subsistentia creata non præcessit in natura humana, quæ fuit eodem instanti temporis producta, & vnita hypostaticè. Atqui terminus à quo debet præcedere tempore terminum ad quem, quia debet relinqui, & excludi per accessum termini ad quem. Quartò, dici quoque non potest terminum à quo huius actionis esse propriè non-hominem, vt sentit Vasq. disp. 19. c. 3. n. 43. Cùm enim, inquit, per hanc actionem fiat Deus homo, *Neque etiam non homo.*

non tamen homo fiat Deus,& ita Deus comparetur veluti subiectum, cui aduenit forma, quia reipsa est suppositum, cui aduenit natura:sequitur terminum à quo huius actionis esse non-hominem, id est, negationem hominis in supposito diuino. Qui terminus à quo è regione opponitur termino ad quem eiusdem actionis. Nam terminus formalis est homo, aut humanitas in Verbo: ei autem opponitur non esse hominis, aut humanitatis in Verbo. Hæc ille.

18. Ad quæ dico, negationem humanitatis esse quidem terminum negatiuum & à quo actionis illius, quâ fit humanitas, & per quam transit à non esse ad esse: sed non actionis vnitiuæ, quâ coniungitur Verbo: quia per illam non transit humanitas de non-esse ad esse, sed potiùs naturâ priùs supponitur illi actioni secundum se, si secundum se immediatè assumitur, vt sentit Vasq. aut secundum partes suas, si, vt alij volunt, secundum illas immediatè assumitur. Quidquid autem dicatur, alia est actio productiua humanitatis secundum se, quæ dicitur generatio: alia vnitiua eiusdem humanitatis cum Verbo, quæ dicitur incarnatio, vel inhumanatio, per quam humanitas non transit simpliciter de non esse ad esse; sed de non esse vnitam Verbo, transit ad esse vnitam. Similiterque Verbum transit de non esse vnitum, ad esse vnitum. Illud autem non esse vnitum formaliter est negatio vnionis hypostaticæ: quare negatio vnionis hypostaticæ est terminus à quo incarnationis, & non negatio humanitatis. Ad confirmationem Vasquis, Respondeo, Deum fieri hominem per humanitatem vnitam vt sic: eandemque vt talem esse terminum formalem. Vnde ex opposito terminus à quo negatiuus, est negatio humanitatis vt vnitæ, siue negatio vnionis cum Verbo. Reliqua eius argumenta, quatenus nobis nocent, fuerunt superiùs impugnata.

19. Quintò denique, dici nequit, quod probabilius putat Suar. disp. 8. sect. 3. dubit. 2. terminum à quo esse negationem vnionis virtualiter præexistentem in humanitate, naturâ priùs, quàm vniri concipiatur: quæ negatio virtualis in eo consistit, quòd, inquit, humanitas priùs naturâ intelligi potest existens, quàm vnita. Et vt sic intellecta, antequam intelligatur in ea facta aliqua mutatio, vel actio, non intelligitur ab illa humanitate exclusa negatio vnionis hypostaticæ: ideoque humanitas in illo priori sic concipitur, ac si careret vnione: non conceptu negatiuo, qui falsus esset: sed præcisiuo, in quo non est falsitas. Statim verò ac in secundo signo naturæ intelligitur fieri vnio in humanitate, intelligitur etiam excludi carentia vnionis. Et hoc satis est ad rationem termini à quo priuatiui.

Neq; etiã negatio vnionis virtualiter præexistẽs in humanitate.

Sed contra: quia terminus à quo debet excludi per terminum ad quem, vt suprà diximus. Atqui negatio virtualis vnionis non excluditur per vnionem. Nam eâ licet positâ in re, potest humanitas naturâ priùs intelligi existẽs, quàm vnita, conceptu præcisiuo, quo non intelligatur eius vnio. Secundò, aliud est præscindere solùm ab vnione: & aliud, concipere negationem vnionis in natura, id est, concipere naturam carere vnione; qui conceptus falsus est: quia cùm non sit carentia vnionis reipsa; malè concipitur esse; id est, malè concipitur naturâ non esse vnita in re, cùm sit vnita. Si autem negatio non est; quomodo est terminus à quo? & quomodo verè excluditur per teminum ad quem?

20. Opponit Suares: Si incarnatio fuisset ab æterno, non habuisset terminum à quo, quem assignauimus: ergo non assignauimus terminum à quo incarnationis adæquatum, & per se simpliciter, ac necessariò cum illa connexum. Item creatura ab æterno producta, verè diceretur facta ex nihilo: & tamen nihilum non præcessisset, nisi virtualiter. Item si aër creetur lucidus, verè dici potest, de non-lucido, virtualiter scilicet, factus esse lucidus.

Ad primum Respondeo, incarnationem in eo casu non habituram terminum à quo; vt neque haberet generatio, quæ esset ab æterno: nullus enim terminus abiiceretur in eo casu per positionem termini ad quem. Aristot. autem lib. 1. Physic. ideo posuit tria principia cuiuscunque generationis; priuationem vt terminum à quo, materiam, vt subiectum, & formam, vt terminum ad quem; quia existimauit mundum, & generationes esse ab æterno: nullamque ex illis esse, antequam non præcesserit materia priuata, id est, carens forma, quàm accipit. Simpliciter tamen, & absolutè ad aliquid accipiendum, non est necesse eius carentiam præcessisse in recipiente: vnde non est necessarium quamcunque effectionem habere terminum à quo. Ad secundum dico, creaturã in illa hypothesi non fore ex nihilo, vt termino à quo, sed ex nihilo subiecti: vel etiam esse ex nihilo hoc sensu, id est, ex se nihil esse, sed habere esse liberè à Deo. Ad tertium Respondeo, aërem lucidum in tempore creatum, dici posse factum de non lucido lucidum, hoc sensu, quòd cùm antea non esset, neque lucidus esset: iam simul esse, & lucidum esse acceperit. Consentit nobis hac in parte Delugo disp. 11. sect. 2.

Diluitur obiectio.

SECTIO III.

Vtrum vnio Verbi incarnati facta sit in natura, vel in hypostasi?

21. Respondeo, vnionem illam factam fuisse immediatè in hypostasi Verbi cum humanitate: non autem in natura diuina, quæ non fuit vnita humanitati, nisi mediante hypostasi Verbi: neque cum subsistentia creata naturæ humanæ, quæ per talem vnionem exclusa, siue impedita fuit. Ita D. Thom.

Vnio facta est immediatè in hypostasi Verbi, non in natura diuina.

quæst, 2, art. 1. & duobus sequentibus: Suar. Vasq. Medin. ibid. aliique communiter circa eundem articulum.

Prima pars, quòd hæc vnio facta sit immediatè in hypostasi Verbi, non autem in natura diuina, probatur primò, ex Scriptura, iuncto discursu theologico. Nam Scriptura soli Verbo, seu filio, vt distincto à Patre, & à Spiritu sancto, tribuit constanter, & vbique esse incarnatum, passum, mortuum, sepultum, &c. Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Hebræor. 1. *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* Idemque habet symbolum Apostolicum, & Nicænum. Atqui si vnio non esset facta immediatè ad solam hypostasim Verbi, sed ad ipsam quoque naturam, seu essentiam diuinam: quamuis Verbum solum contulisset hypostasim; tamen ratione naturæ Deus absolutè, & communiter fuisset incarnatus, natus, passus, & mortuus. Ergo & Pater, & Spiritus sanctus, quod hæreticum est. Probatur sequela: quia ea quæ conueniunt naturæ absolutè, id est, sine relatione ad intra, & sine oppositione originis inter personas, conueniunt tribus personis, sicut creare, velle, intelligere, & similia: quia non possunt ab aliqua earum excludi, nisi propter oppositionem originis. Dixi autem, sine relatione ad intra, & sine oppositione originis inter personas: quia valde notandum est, non quæcunque conueniunt naturæ diuinæ immediatè, conuenire tribus personis: sed ea quæ conueniunt naturæ immediatè, & non sunt relationes, vel in relatione fundata. Ex. gr. Paternitas conuenit quidem naturæ immediatè: sed non Filio, & Spiritui S. quia est relatio.

Probatur ex Scriptura.

22. Neque dicas, naturam non simpliciter, sed prout est in Filio, esse vnitam, vt loquitur concil. Rhemense: sicut eadem natura, prout est in Filio, est communicata, & non prout est in Patre. Et intellectus generat in Patre, non in Filio: Vnde non sequitur extensio denominationis ad omnes personas. Respondeo enim, sensum Cōcilij esse, quòd natura diuina sit vnita mediatè, prout pertinet ad Filium, cuius hypostasis vnitur immediatè, denominatque solum filium vnitum secundum illam: ita vt proprietas Filij sit medium vnionis, & causa denominationis vniti. Neque potest rectè aliter intelligi, quòd natura vniatur secundum se, & tamen vniatur tantùm, prout est in Filio. Non potest etiam aliter reddi ratio, cur denominatio vniti & incarnati non extendatur ad alias personas, cùm neque sit relatio originis, neque in illa fundetur, si sit immediatè in natura diuina. Alia vero est ratio de denominationibus relatiuis ad intra, vel in relatione fundatis: cuiusmodi sunt generare, vel generari, communicare, aut communicari, &c. Hæc enim propter oppositionem relatiuam non possunt omnibus personis conuenire, sed vni aut duabus, in ordine ad aliam, cui opponitur talis ratio relatiua, aut in relatione fundata.

Refutatur euasio.

Atque ita generare, & communicare essentiam, conuenit Patri in ordine ad Filium: generari verò, & accipere essentiam per communicationem, conuenit Filio in ordine ad Patrem. Similiterque spirare conuenit solùm Patri, & Filio, in ordine ad Spiritum sanctum: Spirari verò, & accipere essentiam per communicationem spiratiuam, conuenit tantùm Spiritui sancto in ordine ad Patrem, & Filium. At vnio cum natura humana nullam habet relationem, vel oppositionem ad intra, non magis, quàm creatio, conseruatio, aut gubernatio: neque in ea fundatur, posito quòd immediatè, & secundum se vniatur natura diuina. Ergo non esset ratio, cur denominatio vniti, incarnati, passi, & mortui, non conueniret tribus personis.

23. Non etiam dicas, actus esse suppositorum: ideóque incarnari, nasci, & reliqua, conuenire tantùm illi supposito diuino, quod personauit, & hypostasim contulit. Respondeo enim actus esse suppositorum denominatiuè, id est, tribui toti supposito, quamuis ab vnica illius parte fiant, aut in ea sola recipiantur. Sed quemadmodum alii actus ad extra, qui sunt immediatè ab essentia diuina, sunt communes tribus personis, illasque denominant: sic vnio cum humanitate, si fieret immediatè cum essentia diuina, esset communis tribus suppositis diuinis, illaque denominaret: cæteraque prædicata, quæ in illa vnione fundantur, vt nasci, pati, mori, resurgere, similiter essent communia tribus, & non propria solius Filij, qui licet plus conferret, quàm Pater, & Spiritus sanctus, quippe qui conferret hypostasim suam vltra essentiam: non impediret tamen prædictam communicationem, & denominationem aliarum personarum, fundatam sufficienter in vnione immediata essentiæ diuinæ cum humanitate.

Altera euasio refellitur.

Probatur secundò efficaciter ex Conciliis, quæ non modò semper affirmant vnionem factam esse secundum subsistentiam, nunquam verò secundum naturam seu essentiam, vt videre est in Synodo V. generali collat. 8. can. 4. & 5. & in Lateran. sub Martino I. can. 8. verùm etiam negāt factam esse secundum naturam seu essentiam. Nam in VI. Synodo generali act. 8. longè ante finem, dicitur Patrem, & Spiritum sanctum, in incarnatione nihil habere commune, præter benignissimam voluntatem. Et in Conciliis Toletanis VI. & XI. in ipsa fidei professione, sic habetur: *Solus Filius assumpsit humanitatem, in eo, quod proprium est Filij, non quod est commune Trinitati.* Ergo non in essentia, quæ est communis. Propter quæ Suar. disp. 12. sect. 2. conclus. 1. meritò dicit, hanc sententiam tam certam esse, vt contraria nullo modo probabilis censenda sit.

Probatur 2. ex Conciliis.

Probatur tertiò ratione: quia duobus tantùm modis coniungi possunt immediatè duæ naturæ ad constituendum vnum ens per se. Primò scilicet, ad constituendam vnam naturam completam, seu perfectam essentiam, id est, vnum totum essentiale: sicut 24.

Probatur 3. ratione.

coniunguntur materia, & forma substantialis. Secundò, ad constituendum vnum totum integrale: sicut duæ guttæ aquæ constituunt totum constans ex vtraque, quando vniuntur: & membra corporis humani constituunt hominem constantem illis, vt partibus. At natura diuina, & humana neutro modo potuerunt vniri immediatè. Non primo: quia, quæ sic vniuntur ad constituendum vnum per se, debent esse naturæ incompletæ in esse naturæ. Atqui naturæ, diuina & humana, non sunt incompletæ in esse naturæ. Ergo nō potuerunt sic vniri ad cōstituendum vnū per se. Christus autem est vnum per se: ergo, &c. Nō etiam secundo modo: quia totum integrale, vnum per se, constituitur ex partibus materialibus, id est, quantitatiuis: vel homogeneis, sicut ex duabus guttis aquæ fit vna: vel heterogeneis, naturaliter ad inuicem, & ad totum ordinatis, ad perfectam ipsius constitutionem, & ad bene esse, vel operari: sicut ex diuersis membris constituitur corpus humanum. Atqui natura diuina non est huiusmodi, respectu humanitatis: neque enim est pars materialis, neque ordinata naturaliter ad humanitatem.

25. Vnio hypostatica non est facta cum subsistentia naturæ humanæ.

Secunda pars conclusionis, quòd vnio non fuerit facta cum subsistentia creata naturæ humanæ, sed potiùs illam excluserit, seu impediuerit, substituendo loco illius subsistentiam increatam Verbi, probatur, quia Christus est vna persona in duabus naturis, sicut definitur in Laterá. cap. 1. de Summa Trinit. & Fide Catholica. Ergo subsistentia vna terminat vtramque naturam, & vnica est in Christo personalitas, ratione cuius duæ naturæ in illa coniunctæ dicuntur esse vnica persona: sicut ex opposito, quia in Trinitate vna est Deitas cum tribus hypostasibus, tres personæ dicuntur, & sunt vnus Deus. Idem sæpius definitum fuit contra Nestorium in Conc. Ephes. & in Chalcedon. act. 1. & in V. Synodo Generali collat. 8. can. 2. & in Symbolo Athanasij sic dicitur: *Sicut anima, & caro vnus est homo,* (adeoque vna persona) *ita Deus, & homo, vnus est Christus.* Scriptura quoque passim de Christo, seu de Verbo incarnato, loquitur tanquam de vnica persona, quam eandem verum Deum, & verum hominem esse pronunciat: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti,* &c. Ioan. 1. *Scimus quia Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus Deum verum, & simus in vero filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna.* 1. Ioan. 3. *Quorum patres, & ex quibus est Christus* (secundum humanitatem) *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Rom. 9. v. 5. Si autem Christus constans ex duabus naturis, diuina & humana, est nihilominus vnica persona, necessarium est, vt illæ naturæ subsistant vna, & eadem personalitate, siue hypostasi: alioquin essent duæ personæ. Nam si in Trinitate sunt tres personæ, non obstante vnitate essentiæ, propterea quòd essentia diuina terminatur tribus personalitatibus: multò magis essent duæ personæ in Christo, si duæ naturæ in illo terminarentur duabus hypostasibus. Porro ex hac vnione naturę diuinæ, & humanæ, in eadem hypostasi Verbi, oritur quòd possint ambę de se inuicem prædicari in concreto substantiuo, vera prædicatione per se, dicendo, Deus est homo: Homo est Deus: & non tantùm adiectiuè, Deus est humanatus: aut, Homo est deificatus.

26. Hæresis Nestorij, & Theodori Mopsuesteni.

Contra hanc secundam partem conclusionis errarunt Nestor. & impius Theodorus Mopsuestenus, affirmantes, vnionem factam esse inter personam Verbi, & personam Christi, eamque tantùm accidentalem, & secundum affectum, quatenus Christus, qui purus homo de virgine Maria natus erat, quam idcirco *Θεοτόκον* vocare renuebant, meruit vitæ sanctitate, vt diuinitas se illi coniungeret speciali quadam ratione secundum affectum maiorem, quàm cæteris iustis. Vnde Christū aiebant esse instrumentum, & templum diuinitatis, & hominem Deiferum, & Emmanuelem hoc sensu. Addebantque, Christum propter affectualem cum Verbo coniunctionem, & singularem cum illo amicitiam, accepisse illius vicem, & auctoritatem, atque ita gessisse, & aliquo modo fuisse illius personam, moraliter scilicet: physicè enim distinguebant subsistentiam humanitatis à subsistentia Verbi: atque ita Christum & Verbum duas esse personas asserebant: quidquid interdum dissimularent Nestoriani quidam post condemnationem Ecclesiæ factam in Conciliis Ephes. Chalcedon. & V. Synodo Generali. Clarissimè vero & distinctissimè explicatur hæc hæresis à D. Thom. quæst. 2. art. 6. his verbis: Alia fuit (inquit) hæresis Nestorij, & Theodori Mopsuesteni, separantium personas. Posuerūt enim aliam esse personam Filij Dei, & filij hominis, quas dicebant sibi inuicem esse vnitas, primò secundum inhabitationem, inquantùm Verbum Dei habitauit in illo homine, vt in templo. Secundò, per vnitatem affectus, inquantùm voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei. Tertiò, secundum operationem, prout scilicet dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum. Quartò, secundum dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur filio Dei, exhibetur filio hominis, propter coniunctionem ad Filium Dei. Quintò, secundum æquiuocationem, id est, communicationem nominum, prout scilicet dicimus illum hominem esse Deum, & Filium Dei. Manifestum est autem omnes istos modos accidentalem vnionem importare. Hucúsque S. Thomas.

Sed hic error manifestè repugnat Scripturæ. Nam si Christus fuit tantùm vnitus Deo, 27.
aut Verbo, secundum affectum, non est verè Deus, nec Verbum caro factum est: sicut alij iusti non sunt verè Deus, nec Verbum, aut Deus factus est Mater Dei, quamuis secundum affectum specialem illi coniunctus

fuerit. Neque sufficit maior affectus erga Christum, aut maior affluentia bonorum gratiæ, quæ differunt tantùm ab aliis iustis secundum magis, aut minus, nec possunt Christum constituere verè, & propriè Deum. Ideoque Nestoriani renuebant Christum sic appellare, sed hominem Deiferum. At hoc repugnat apertè Sacris literis, quæ de Christo sic loquuntur: *Hic est verus Deus, & vita æterna*, 1. Ioan. 5. & Roman. 9. vers. 5. *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Et Ioan. 20. vers. 28. *Dominus meus, & Deus meus*. Et alibi sæpe Scriptura non minùs affirmat Christum esse Deum, quàm esse hominem: vtrumque autem æquè propriè intelligendum est. Adde, affectum Dei erga creaturas esse cõmunem toti Trinitati æquè, ac voluntatem: & dona gratiæ ab illa tota procedere per communem potentiam. Quare si Verbum Christo coniunctum est tantùm secundum affectum, & dona gratiæ, non magis Verbum coniunctum est, & incarnatum physicè, & realiter; quàm aliæ personæ, quibus non minùs conuenit ille affectus voluntatis, & effectus gratiæ. Dicere autem quòd Christus Verbum specialiter repræsentauerit, illamque esse causam, cur Verbum specialiter dicatur incarnatum; est incarnationem in mera repræsentatione, & figura constituere: cùm tamen Ioannes cap. 1. asserat simpliciter, & propriè, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Dici etiam nequit, Christum fuisse specialiter instrumentum Verbi ad facienda opera mirabilia, quæ fecit: cùm omnia eius opera æquè processerint à tota Trinitate, quippe concurrente per vnam, & eandem omnipotentiam tribus personis communem.

28. Hæresis Eutychetis.

Contra priorem verò partem conclusionis errauit Eutyches damnatus in Concilio Chalcedon. act. 1. & 2. passim: & act. 5. in secunda definitione fidei. Et in V. Synodo Generali collat. 8. can. 8. aliisque pluribus Conciliis. Siue tantùm existimauerit duas naturas ita fuisse immediatè vnitas, vt ex duabus per compositionem vna natura resultauerit, vtráque in suo esse integrâ manente, factáque solum mutatione in vnione, ad eum modum, quo ex anima & corpore, vna natura humana constituitur. Quo pactò hæresim Eutychetis exponunt à Castro verbo *Christus*, hæresi 4. & Vasq. disp. 14. cap. 1. num. 29. ob verba quædam libri falsò tributi Gelasio Papæ. Siue potius asseruerit humanitatem fuisse conuersam in diuinitatem, vt referunt Leo Papa epist. 10. ad Flauianum, Vigilius lib. 1. & 2. contra Eutychetem, August. lib. de Hæresib. hæresi 72. (vel potius auctor ipso recentior, qui hoc, & alia quædam addidit in appendice ad finem huius libri. Augustinus enim viginti fere annis mortuus est, ante hæresim Eutychetis) Theodoretus lib. 4. Fabularum hæreticarum in fine: & in Dialogo *Inconfusus*, Nicephorus lib. 18. cap. 45. & Euthymius in Panoplia parte 2. tit. 20. Quam verè fuisse sententiam Eutychianorum, sed diuersimodè ab illis explicatam, doctè probat Cardinalis Perronius lib. 2. de Eucharistia in Theodoreto, siue auctore 24. cap. 8. & 13. & in Gelasio seu auctore 25. aliisque locis. Siue denique, vt dicunt alij, voluerit, vnionem diuinitatis cum natura humana factam esse per confusionem, mixtionem, & transmutationem duarum naturarum in vnam tertiam, vt contingit in productione mixti ex elementis substantialiter transmutatis.

29. Refutatur in omni sensu quo à variis explicatur.

Verùm primus modus explicandi hunc errorem manet satis refutatus ex dictis pro prima parte conclusionis. Secundus verò, & tertius planè absurdus est, æquè ac quartus additus ab Apollinari affirmante partem aliquam diuinitatis, ab ea decisam, fuisse conuersam in humanitatem. Etenim si humanitas conuersa est substantialiter in diuinitatem, Christus non est verus homo. Si autem diuinitas conuersa est in humanitatem, Christus non est verus Deus, & si ambæ conuersæ sunt in aliud tertium, Christus nec homo, nec Deus est, sed est illud tertium: quemadmodum mixtum nec terra est, nec aqua, nec aër, aut ignis, sed aliud quippiam. At hæc omnia repugnant apertè Scripturæ. Deinde terminus à quo conuersionis, siue id quod conuertitur in aliud, debet desinere esse id quod est, vt fiat illud in quod conuerti dicitur: & terminus ad quem, id est, illud in quod conuertitur aliud, debet fieri, vt id quod est terminus à quo, vere dicatur in illud conuerti, & fieri illud ipsum per conuersionem. Præterea debet aliquid esse commune vtrique termino, quod maneat in conuersione. Ex gr. quando aqua in aërem conuertitur, desinit esse aqua, & fit aër manente communi materia, & aliquibus accidentibus. Atqui natura diuina est planè incorruptibilis, & improducibilis: est enim à se, & nulli causæ subest, siue vt destruatur, siue vt fiat: nihilque magis ipsi repugnat, quàm destrui, aut fieri. Ergo nec ipsa potest conuerti in humanitatem, vel in aliquid aliud, quia sic diuinitas deberet destrui, & desinere esse: nec humanitas potest in ipsam conuerti, quia sic deberet diuinitas fieri. Tertiò, si diuinitas conuersa est in humanitatem: ergo tota, quia est impartibilis, & simplex omnino. Ergo tota desiit esse, & nihil illius remansit. Ergo Christus est pura creatura, nihilque illi ad salutem nostram confert diuinitas, quæ ampliùs non est. Similiter si humanitas conuersa est in diuinitatem, Christus est purè Deus: adeóque neque nasci potuit, neque pati, & mori. Denique si diuinitas secundum se immediatè vnita est, quocunque modo ex illis tribus, quibus hæresis Eutychiana refertur à variis: sequitur Filium non magis fuisse incarnatum, quàm Patrem, aut Spiritum sanctum: quia natura diuina communis est, & non magis ad Filium pertinet, quàm ad Patrem, & ad Spiritum sanctum. Hoc autem est contra Scriptu-

ras supra citatas.

30. Opponit sibi hoc loco Delugo disp. 9. nu. 23. videri de facto vnionem hypostaticam fuisse ordinatam ad componendam aliam tertiam naturam compositam ex vtraque. Natura enim est principium, & radix motus, & quietis eius, in quo est, &c. vt definit Arist. 2. Physic. cap. 1. Per hanc autem vnionem resultauit principium diuersum operandi: quia licet naturæ humanæ non debeantur operationes, & actus supernaturales: Christo tamen debentur illi actus, atque habitus, à quibus producuntur. Ergo id, quod fuerit principium, & radix talium operationum, erit natura in Christo. Id autem non est sola natura humana, cui soli non debentur: ergo est compositum ex vtraque natura; atque adeo illud compositum erit natura resultans ex vtraque.

Exponitur Aristotelica definitio naturæ.

Omissa eiusdem auctoris responsione, quia minùs mihi satisfacit, dico, naturam ab Aristot. loco cit. definiri principium, & causam motus, & quietis eius in quo inest primò, ac per se, & non secundum accidens, id est, vt Hurtad. Conimbric. aliique ibid. exponunt, de cuius primo, & essentiali conceptu est, tanquam pars essentiæ totius. Hoc enim significat particula, *Eius, in quo inest primò*, id est, cuius pars est primaria, & essentialis, componens cum alia: cuiusmodi est materia, & forma in compositis naturalibus. Vnde Aristot. ibid. addit, *Natura aut subiectum est, aut subiecto inest*: id est, natura est aut materia, aut forma substantialis: *Id autem quod ex his est compositum, natura quidem non est, sed est, & constat naturâ, vt homo.* Hæc Aristot. Similiter ergo compositum resultans ex duabus naturis Christi, non est vna natura, sed constat diuersis naturis mediatè vnitis. Frustra ergo obiicitur definitio illa Aristotelis, ad probandum ex duabus Christi naturis fieri vnam: cùm manifestum sit hanc definitionem non conuenire toti composito resultanti ex duabus naturis, diuina & humana, vnitis in hypostasi Verbi. Neque verò quodcunque principium operationis coniunctum, & constitutum ex pluribus, vna natura est.

31. Dices, quidquid sit de illa naturæ acceptione, & definitione Aristotelis, sumendo latiùs naturam pro essentia, vt metaphysicè sumi solet, videtur quòd ex duabus naturis in Christo facta sit vna per compositionem. Nam omne ens vnum per se habet vnam essentiam. Christus autem est ens vnum per se. Respondeo negando maiorem, si sumat terminum, *vnam*, pro vnica. Nam ens per se vnum constare potest ex rebus habentibus diuersas essentias: vt homo constat sanguine aliisque humoribus, quorum essentiæ sunt diuersæ inter se, & ab essentia naturæ rationalis, manentque illâ per mortem destructâ: neque cum illa constituunt vnicam essentiam vnius generis, & differentiæ.

SECTIO IV.

Refutantur aliæ sententiæ contrariæ.

Contra eandem partem conclusionis sensit Durand. in 3. dist. 1. quæst. 2. & dist. 5. quæst. 1. ad 2. affirmans, naturam humanam priùs fuisse vnitam subsistentiæ communi naturæ diuinæ, & deinde proprietati Filij: & Capreol. in 3. dist. 1. qu. vnica art. 1. conclus. 4. docens humanitatem fuisse quidē primò vnitam proprietati Verbi: deinde tamē secundariò, sed immediatè subsistentiæ communi, quam putat esse ipsam existentiam diuinam, per quam existat humanitas. Item Franc. Victoria & Domin. Sot. asserentes humanitatem fuisse vnitam subsistentiæ communi, prout modificatæ, & determinatæ proprietate relatiua Filij, vt ex ipsis refert Vasq. disp. 26. cap. 2. Denique Nominales volunt rationem terminandi non esse solam proprietatem relatiuam, vel rationem absolutam essentiæ seu naturæ diuinæ: sed totam Verbi entitatem secundum se totam, quæ vtramque rationem includit. 32. Durand. Capreol.

Vnio hypostatica non est facta in subsistentia communi & essentiali, vel absoluta, vel vt modificata.

Tres primæ opiniones nituntur falso fundamento, quòd detur subsistentia communis in Deo, vltra tres relatiuas: quam sententiam falsam esse ostendimus disp. 6. sect. 2. & 1. p. disp. 26. sect. 2. & 3. Et quamuis vera esset, pugnat contra Concilia supra citata, dicere vnionem factam esse in illa subsistentia: quia sic facta esset in aliquo communi, & non in eo solùm, quod Verbi proprium est. Deinde si, vt vult Durand. vnio facta est primariò ad subsistentiam essentialem, & absolutam, & secundariò ad proprietatem Verbi: ergo licet Verbum specialiori modo factum sit homo, negari tamen non potest, quin vi primariæ vnionis Deus communiter, id est, natura diuina communis, subsistens essentiali, & absoluta subsistentia, factus sit homo. Sicut enim Verbum fit homo, quia vnitur secundum se humanitati in hypostasi propria: ita Deus fit homo, si verè vnitur secundum se humanitati in subsistentia propria, & essentiali Deitatis. Atqui Deus ita sumptus est quid commune tribus personis. Ergo tres personæ communiter sunt incarnatæ. Quidquid enim conuenit huic Deo simpliciter, & communiter sumpto, conuenit tribus personis: & tam commune est hic homo, id est, compositum ex tali vnione, quàm hic Deus. Ergo cuicunque communicatur hic Deus, communicatur hic homo. Ergo sicut Pater, & Spiritus sanctus sunt hic Deus ratione huius communicationis; sunt etiam hic homo. Confirmatur, quia Deus est hic homo tam secundum se, quàm in omnibus personis, in quibus existit: retinet enim in omnibus vnionem cum humanitate. Sed Pater, & Spiritus sanctus sunt hic Deus. Ergo pariter sunt hic homo.

33. Iisdem argumentis impugnatur opinio Capreoli dicentis è contrario vnionem fuisse primò factam ad proprietatem Verbi, & secundò ab subsistentiam communem, immediatè etiam. Victoria verò, & Dominicus Sotus & aliqui recentiores eos sequuti, vim eorumdem argumentorum non effugiunt, cùm dicunt naturam humanam in Christo terminari subsistentia absoluta, vt modificata, & determinata per proprietatem relatiuam secundæ personæ: ideoque illam solam esse incarnatam. Sicut (inquit Mæratius disput. 16. col. 5. num. 3.) sola persona Patris generat, quia vis generandi conuenit naturæ diuinæ, non secundum se, & præcisè spectatæ, sed vt contractæ veluti, ac modificatæ per relationem paternitatis.

Sed contra: si subsistentia illa absoluta, vt modificata, & determinata per proprietatem personalem Filii, terminat naturam humanam: ergo vel ipsa terminat ratione sui, vel ratione proprietatis tantùm, vel ratione vnius totius, ex vtraque conflati. Si dicatur terminare solùm ratione proprietatis personalis, & non vi propria: ergo reuera non terminat: quia non ipsa ex vi propria, & secundum se, fungitur munere terminantis: sed tantùm secundum proprietatem. Si autem dicatur terminare vi propria: ergo vel immediatè terminat vi propria, vel non. Si terminat immediatè: redit sententia Durandi, & non conuenienter asseritur, quòd subsistentia absoluta, vt modificata, & determinata per Verbi diuini proprietatem, terminat naturam humanam. Quod enim per se immediatè terminat aliud, non terminat vt formaliter modificatum aliquo alio, sed simpliciter ratione sui. Superest ergo vt subsistẽtia absoluta modificata per proprietatem personalem fortasse dicatur terminare naturam humanam, quia cum proprietate constituit vnum terminum. At hoc modo subsistentia absoluta non rectè dicitur terminare, vt modificata: sed potiùs vnum ex duobus conflatum terminat naturam. Et iam qua parte subsistentia absoluta terminat immediatè, redeũt argumenta contra Durandum facta, cum quo hæc opinio conuenit eatenus. Necessarium enim est, vt Deus per se immediatè factus sit homo, non autem solùm ratione Verbi: & per consequentiam, vt Pater, & Spiritus sanctus dicantur vnus homo cum Verbo.

34. *Refutatur euasio.* Nam exemplum quod affert Mæratius, nihil proficit. Essentia enim diuina non generat, neque generatur, vt ait Lateran. cap. *Firmiter*. Sed Pater est, qui generat, & Filius qui generatur: vterque per suam proprietatem immediatè, & mediatè solùm per essentiam. Quia debet necessariò esse distinctio realis inter principium generans, & terminum genitum: & inter producens, & productum realiter: alioqui non esset in diuinis realis distinctio ratione productionis, seu relationis originis: propterea quòd in diuinis omnia sunt vnum, quantum fieri potest. Si autem distinctio necessaria est, propter realem productionem, ac vi illius formaliter: ergo maximè inter id quod maximè producit, quodque est maximè relatio originis, seu productio actiua; quæ est causa formalis distinctionis, & oppositionis realis. Ergo si essentia maximè producit, modificata solùm, & contracta per proprietatem Patris, vt ferrum per figuram sigilli ferrei (quemadmodum nonnulli imaginantur) essentia diuina maximè distinguitur à filio realiter: quod falsum est. Adde quòd si essentia diuina verè generat. Et quidem maximè, vt isti volunt: quomodo potuit Lateranense Concilium absolutè sic definire, *Essentia non generat?* Nam explicare Concilium hunc in modum, Essentia non generat, sola, concedo: Cum proprietate, nego: planè incongruum est. Sic enim dici posset solem non illuminare, ignem non calefacere, leonem non rugire: quia sola, & sine Dei concursu hæc non faciunt, vel etiam sine qualitate distincta. Quis autem dicat Concilia in fidei definitionibus sic statuere, & ita loqui absolutè, sol non illuminat? Neque meliùs Concilij verba exponunt illi qui dicunt sensum illius esse, quòd essentia non generat, *vt quod*, sed *vt quo*. Etenim id quod generat *vt quo*, maximè generat, & verissimè: ergo Concilium negat generare, id quod verissimè, & maximè generat, quodque est ipsamet virtus agendi: perindeque facit ac si definiret calorem non calefacere.

35. *Diluitur obiectio.* Obiicies primò, non sufficit naturam esse improductam ad hoc vt pater dicatur improductus, sed oportet hypostasim quoque esse improductam. Ergo non sufficeret naturam esse incarnatam ad hoc vt Pater diceretur incarnatus, sed oportet eius quoque hypostasim esse incarnatam. Respondeo negando paritatem: quia terminus ille, *improductus*, est terminus negatiuus, negans omnem bonum, & verum sensum, quo quippiam possit esse, & dici productum: iuxta id quod dicunt logici, negationem esse malignantis naturæ, & tollere quidquid post se inuenit. Est autem euidens totum aliquod in bono sensu denominari productum, dummodo aliqua eius pars verè, ac formaliter producta sit.

Altera obiectio. Obiicies secundò, argumentum supra factum in nos retorqueri posse: quia verè, & realiter Deus est incarnatus, & accepit humanitatem: & duæ naturæ, diuina, & humana, sunt vnitæ in vna hypostasi, vt loquuntur Concilia supra citata. Vnde 1. Ioan. 3. dicitur Deus animam suam pro nobis posuisse: & 2. Corinth. 5. *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi.* Ergo quidquid essentialiter, & formaliter est Deus fuit incarnatum. Sed aliæ personæ sunt Deus: ergo sunt incarnatæ. Respondeo, Deum esse incarnatum non secundum naturam immediatè, & per se, sed in persona Verbi, & in eo, per quod Verbum distinguitur realiter ab aliis personis: ideóque cæteras personas non esse incarnatas, quia illud non conuenit Deo, nisi ratione

ratione Verbi, & quatenus Verbum est, realiter quidem non distinctum à natura diuina, sed tamen distinctum realiter ab aliis personis: & secundum id, quo ab aliis distinguitur, vnita est ei natura humana. Simpliciter autem nunquam concedendum est, naturam per se primò, & immediatè ratione sui, fuisse incarnatam: neque id vsquam asseritur in Scriptura, & Conciliis, sed potiùs oppositum. Quo sensu intelligẽ id quod aiunt Damasc. lib. 3. de Fide cap. 11. & Nicetas lib. 3. Thesauri cap. 11. Nusquam auditum esse, quòd diuinitas homo facta sit, aut incarnata, neque id posse sine errore asseri.

Damasc. Nicetas.

36. Vrgebis, quia sicut natura diuina verè dicitur fuisse incarnata, mediatè saltem, ratione Verbi, propter identitatem Verbi cum natura: ita cùm aliæ personæ habeant identitatem cum natura, poterunt dici fuisse mediatè incarnatæ, ratione naturæ incarnatæ in Verbo. Habent enim identitatem immediatam cum natura, & mediatam cum hypostasi Verbi. Respondeo, differentiam esse: quia non ita se habet persona ad personam, sicut natura ad personam. Nam persona, comparata cum natura, non est quid realiter diuersum: sed persona, comparata cum persona, est aliquid distinctum realiter: Deinde natura est in qualibet persona, vt eius ratio, & quidditas: persona verò non sic est in persona. Tertiò, natura identificatur immediatè cum hypostasi Verbi, in qua immediatè fit vnio hypostatica: aliæ verò personalitates mediatè solùm, nempe natura communi mediante: nam immediatè distinguuntur realiter: ratione cuius distinctionis non possunt dici fuisse vnitæ per vnionem factam immediatè in eo solo, à quo realiter distinctæ sunt. Præualet enim hæc distinctio, & impedit denominationem vniti. Sicut licet natura diuina sit idem re cum paternitate generante, & cum fœcunditate voluntatis spirante; non potest dici quòd filius generet aut quòd Spiritus sanctus spiret; quamuis proprietates Filij, & Spiritus sancti sint idem re cum natura immediatè, & mediatè cum virtute generandi, & spirandi.

37. Superest vltima sententia Nominalium, quæ omnino reijcienda est, vt Conciliorum doctrinæ repugnans. Nam Concilia Toletana VI. & XI. in ipsa fidei professione affirmant solum filium assumpsisse humanitatem in eo, quod proprium Filij, non quod est commune Trinitati, id est, non in essentia, quæ est communis tribus personis, sed in proprietate filij. Quare, velint, nolint Nominales, admittenda est distinctio rationis inter naturam, & proprietatem Filij: dicendumque aliquid esse in Filio commune, & aliquid proprium. Et in VI. Synodo generali, actione 11. in epist. Sophronij, quæ approbatur actione 13. docetur manifestè distinctionem esse rationis inter essentiam diuinam, & proprietates personales, his Verbis: *Et iuxta quod Deus, idipsum existit vnumquodque*: id est, vnaquæque persona, quatenus Deus est, siue secundum deitatem, vnum & idem est cum aliis personis, quia non differunt secundum diuinam essentiam. *Dum seorsim consideratur*, id est, dum præcisè concipitur persona diuina, quatenus Deus est, siue secundum Deitatem, *ipsa intelligentia, quod non separabile, separante*, id est, separante per conceptum præcisiuum intellectu nostro, id quod realiter non potest separari, nempe Deitatem à proprietate personali, à qua non potest auelli realiter: *Vt Pater & Filius, & Spiritus sanctus aliud, & aliud, & aliud non dicantur*, id est, ita vt non dicantur differre essentia, quamuis differant proprietatibus. Quia enim vox, *aliud*, significat diuersum in essentia: non possunt dici aliud & aliud: sed tantùm alius, & alius, id est, alia, & alia persona.

Est distinctio virtualis, seu rationis inter essentiam, & proprietaté Verbi.

Eadẽ distinctio apertè supponitur ab eodẽ Concilio Generali VI. actione 8. sub finem, affirmante Patrem, & Spiritum S. in incarnatione nihil habere cõmune, præter benignissimam voluntatem. Hinc enim sequitur non totam entitatem Verbi secundũ se totam, id est, quoad essentiã, & proprietatẽ, terminasse vnionem: alioqui Pater, & Spiritus S. habuissent aliquid commune in illa terminatione, nempe essentiam, quæ ipsis ęquè ac Filio cõuenit. Si autem Filius terminauit secundum proprietatem, non secundum essentiã: est manifestè præcisio, & distinctio rationis inter essentiam, & proprietatẽ. Quia id quod affirmatur, seu includitur in affirmatione, pręscinditur ab eo quod non affirmatur, seu non includitur in affirmatione, sed ab illa excluditur. Estq; euidenter impossibile duo verè cõtradictoria prædicari de aliquo, sine aliqua distinctione reali, vel rationis. Atqui affirmatur de proprietate, quòd terminet: idemq; nõ affirmatur, sed negatur de essentia. Ergo impossibile est essentiã non distingui à proprietatibus saltem ratione. Item in Concilio Florent. sess. 18. §. *Diuina substantia*, Ioan. Theologus, Ecclesiæ Latinæ doctrinam exponens, approbatam à Marco Theologo nomine Gręcè Ecclesię, toto Concilio tacitè consentiẽte, imo etiam expresse locis mox citãdis ex sess. vlt. sic ait: *Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur. Nam persona ex substantia proprietatibusque consistit: quæ tametsi ratione ac secundum nostram intelligentiam (vt supra dictum est) differant: ipsa tamen substantia cum personis communicat, proprietates verò nequaquam communicabiles sunt.* Et sess. vltima in confessione Fidei, missa à Latinis ad Græcos, sic dicitur. *Ne substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre, credere videamur: necnon ne quispiam credendo sanctum Spiritum ex solo Patre procedere; tres in partes vnicam illam diuinam substantiam diuidi mente concipiat, idcirco Verbum, ex Filioque, necessarium in Symbolo duximus esse, &c.* Quibus verbis significant Patres Ecclesiæ Latinæ, se nolle quidẽ videri credere, substantiam diuinam distingui in re

38. Probatur ex Conciliis.

à personis: secus autem quòd distinguantur ratione. Et eadem sess. in literis vnionis, id est, in fidei definitionibus, sic dicitur: *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo dedit gignendo, præter esse Patrem*: Vbi Concilium manifestè distinguit tum essentiam communem à paternitate, affirmans illam dari Filio, non istam: tum etiam ipsa attributa essentialia. Qui enim propriè loquitur, (vt faciunt Concilia in fidei definitionibus) & dicit, *omnia*, dicit multa. Qui autem dicit multa, dicit distinctionem aliquam, sine qua impossibile est esse multa. Ex his facile apparet verum esse, quod initio diximus, contrariam sententiam Conciliorum doctrinæ repugnare.

39. Exponitur Concilium Rhemense.

Obijciunt 1. illud Concilij Rhemensis sub Eugen. III. *In Theologia inter essentiam, & personam, ratio non distinguat*. Verùm, vt alibi respondimus, locus ille Concilij, secundum veram illius mentem acceptus, nocet magis, quàm faueat Aduersarijs. Nam vt rectè ait Vasq. 1. p. disp. 120. cap. 1. & 2. error Gilberti Porretani in eo Concilio damnati in eo erat, quòd diceret essentiam, & personam in diuinis distingui, non solùm secundum rationem mathematicam, quæ per mentem præscindit, & distinguit ea, quæ non sunt in re distincta: vt lineas, & superficies, & extensionem quamlibet, à re extensa: & numerum, à rebus numerabilibus: verùm etiam secundum Theologiam, seu rationem Theologicam, distinguentem ea solùm, quæ à parte rei sunt distincta. Sic enim auctor ille accipiebat, & opponebat inter se Mathematicam, & Theologiam: vt rectè ostendit Vasq. loco citato, testimonio Otthonis Frisingensis, auctoris illius temporis, qui acta illius Concilij scripsit: necnon ex varijs locis S. Bernardi, qui eiusdem Concilij auctor præcipuus, & quasi mens fuit. Concilium itaque Rhemense verbis relatis damnat solùm, & prohibet distinctionem Theologicam iuxta sensum Porretani, id est, distinctionem in re inter essentiam, & personam diuinam: distinctionem verò mathematicam, id est, distinctionem solùm rationis, seu præcisionis, non damnat, neque prohibet, sed omnino permittit, & tacitè saltem approbat. Quare eius auctoritas nocet potiùs Nominalibus, quàm faueat.

40. Soluitur aliud argum. Nominal.

Obiiciunt 2. Vbi non est vnum, & aliud in re, nō potest vnum vniri in re mediatè, & alterum immediatè. At in Verbo nō est vnum, & aliud in re, quia est res simplicissima. Ergo &c. Confirmatur, quia vniri mediatè, est vniri per aliud, tanquam medium. Ergo si non est aliud in re, non est medium in re. Ergo vnio non est mediata in re. Ergo in re est immediata: atque ita tota entitas Verbi vnitur immediatè humanitati. Respondeo 1. Eodem argumento probari pariter, quia in Patre non est vnum, & aliud, Patrem non posse communicare Filio essentiam, nisi communicet illi suam proprietatem, quod hæreticum est: & similiter Filium non posse produci à Patre secundum suam proprietatem relatiuam, nisi producatur secundum essentiam; quod etiam est hæreticum. Quare maior propositio, eo sensu, quo proponitur in obiectione, est erronea, & fidei repugnans.

Respondeo 2. Sufficere quòd sit vnum & aliud virtualiter, & æquiualenter in re: id est, sufficere amplitudinē illam entitatis Verbi diuini, & æquiualentiam ad multa, quam vocamus distinctionem rationis fundamentalem, (id est, fundamentum formandi conceptus diuersos, & multiformes) & distinctionem virtualem in re sufficere, inquam, ad hoc, vt ratio secundum quam formaliter, quà talem, sit vnio humanitatis cum Verbo, sit entitas Verbi, quatenus habet vim terminandi hypostaticè, secundum quam æquiualet hypostasibus creatis. Quemadmodum anima rationalis, quæ virtualiter, & per æquiualentiam multiplex est, vegetandi vim habens, vt animæ plantarum; & sentiendi, vt animæ brutorum; & intelligendi, ac volendi, vt Angeli: intelligit formaliter, quatenus æquiualet Angelis per vim intelligendi à se indistinctam: sentit, quatenus æquiualet animæ brutorum, per vim sentiendi; & vegetat, quatenus æquiualet animæ plantarum, per virtutem vegetandi. Atque etiam secundum aliquos vnitur ossibus vegetantibus tantùm, & non sentientibus, vt vegetans tantùm formaliter, quà talis, per se, & immediatè: & vt rationalis iis solùm partibus corporis, quæ ratiocinio proximè inseruiunt. Imò Cajet. & alij quidam, sed pauci, & non sequendi, censent nulli corporis parti vniri, quà rationalem; seu quatenus mens est. Putant enim vt talem corpori supereminere: & sicut actus intelligendi non communicantur materiæ, ipsam informando: ita neque formam intelligendi, vt talem ei communicari: quia actus non est abstractior à materia, quàm forma, secundum quod actus ab illa prouenit.

Ad confirmationem, Respondeo esse aliud in re virtualiter, sensu suprà explicato: & hoc sufficere ad vnionem aliquo modo mediatā. 41.
Nec obest, quòd vnio, de qua loquimur, est actualis, & formalis, ac non tantùm virtualis; quasi verò propterea medium debeat esse aliud in re formaliter, & actualiter, vt illa vnio sit mediata in re, id est, fiat actu, mediante alio in re actu, & formaliter distincto. Sufficit enim, quòd fiat mediante alio virtualiter distincto in re, id est, fiat formaliter, & secundum se cum Verbo quatenus æquiualente hypostasi creatæ, ad terminandum hypostaticè, quam vim non habet formaliter, prout est natura. Vnde Verbum non terminat quà natura formaliter, sed quà hypostasis. Sicut idem Verbum non producitur formali & actuali productione, quà natura formaliter, sed quà Filius, ratione proprietatis relatiuè oppositæ Patri producenti.

Obiicies 3. Si diuinitas non est vnita secundum se, & immediatè: ergo Christus non est Deus formaliter, & intrinsecè, ac per se. Pater, quia componitur solùm intrinsecè ex natura humana, & hypostasi Verbi. Consequens Altera obiectio.

autem est hæreticum. 2. Deus non poterit dici incarnatus, passus, mortuus: vel similiter poterit dici Pater incarnatus, & passus: quod iampridem fuit damnatum in Patropassianis. Probatur, quia si mediata vnio cum natura sufficit ad communicationem idiomatum cum natura: sufficeret ad eandem communicationē cum Patre, & Spiritu sancto identitas eorundem cum natura diuina. Confirmatur, quia quæ non conueniunt essentiæ diuinę secundum se, non possunt illi tribui, quamuis conueniant alicui proprietati. Atq; ita essentia neque generat, neque generatur, nec dici potest generare, vel generari: licet Pater generet, & Filius generetur. Ergo similiter quãuis Filius incarnetur, & patiatur; non poterit Deus dici incarnari, & pati, si hoc tantum Filio conuenit ratione proprietatis.

42. Ad primum Respondeo, nomē *Christus* significare personam compositam ex duabus naturis, diuina, & humana, vnitis in hypostasi Verbi, quarum quælibet æquè componit intrinsecè personam illam, licet natura diuina non vniatur immediatè humanitati. Aliud enim est componere immediatè Christum, & aliud vniri immediatè humanitati. Ad secūdum Respondeo, denominationes, quæ fiunt in concreto, cadere in totum suppositum. Natura autem diuina cum subsistentia Verbi, & cum natura humana constituit vnum suppositum. Quare illi, vt constituenti tale suppositum, & subsistenti in persona Verbi cum natura humana, potest tribui in concreto denominatio incarnati, passi, & mortui: nō autem Patri, & Spiritui sancto, qui non constituunt tale suppositum, sed potius illi relatiuè opponuntur: vnde sicut à se excludunt Filij relationem, seu hypostasim; ita & affectiones, & denominationes in illa peculiariter fundatas. Ad probationem dico aliam esse rationē de vnione mediata, per quam natura Verbi, vt subsistens in eadem personalitate cum natura humana, constituit cum illa vnum & idē suppositum, sicut tres hypostases diuinæ cōstituunt cum essentia vnum Deū in illis subsistentem tripliciter: & aliam, de sola identitate mediata Patris, & Spiritus sancti cum hypostasi Filij, quę omnino per accidēs se habet ad Christi cōstitutionē. Denominationes verò prædictæ fundantur in vnitate personæ, propter quam Deo tribuuntur & homini, vt subsistenti in eadem hypostasi: & non sumūtur à natura diuina, (alioqui possent de tribus personis dici) sed à natura humana subsistente in Verbo, à qua toti supposito communicantur, adeoque naturæ diuinæ, non simpliciter, sed vt subsistenti cum humana in eadem hypostasi Filij: quæ natura humana est ratio, & radix talium denominationum.

Cur Pater & Spiritus S. non dicuntur incarnati & passi?

Ad confirmationē Respondeo, ea quæ conueniūt proprietati, non posse quidem tribui essentię in abstracto: secus tamen in cōcreto. Potest enim dici Deum generare, & Deum generari: iuxta illud Symboli Nicæni, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum*, &c. Similiterque denominationes nati, passi, mortui, & similes, nō tribuuntur Deitati in abstracto; sed Deo in concreto, sumpto pro Filio incarnato, id est, pro Christo. Dicunt tamen Concilia, naturam Verbi esse incarnatam; quia id nihil aliud significat, quàm esse vnitam humanitati: quod etiam de illa absolutè sumpta verum est mediatè: quia scilicet subsistit in eadem hypostasi, cui humanitas immediatè vnita est, & est pars eiusdem suppositi.

SECTIO V.

Refutantur alia argumenta quorundam Recentiorum.

Præcedenti doctrinæ aduersantur etiam eruditi quidam recentiores, qui cōtendunt vnionem hypostaticam fuisse adæquatam ex parte Verbi, tam secundum naturam ipsam immediatè vnitam, quàm secundum hypostasim, se tota quoque infinitè & immediatè vnitam, immediatione rationis. Ac primò quòd natura diuina immediatè vnita fuerit, probant, quia alioqui non posset dici, quod ait Paulus, omnem plenitudinem diuinitatis habitare in Christo corporaliter, id est, vniri in illo naturæ corporeæ. 2. Christus non esset Deus quantus est, si ne quidem formaliter esset Deus. Non est autem formaliter Deus, nisi diuinitate vnita humanitati. 3. Merita Christi non sunt simpliciter infiniti valoris, si ea operans non est formaliter Deus. 4. Non solent, neque debent vsurpari propositiones, in quibus prædicatum non conuenit propriè subiecto, licet eius significatum identificetur cum aliquo propriè conueniente subiecto. Ex. gr. dici nequit, quòd Beati videant omnia Dei consilia: etiam si verum sit, quòd videant essentiam Dei, quę identificatur cum omnibus Dei consiliis. Non dicitur etiam, quòd Ethnici Philosophi cognouerint Trinitatem; licet cognouerint verum Deum, qui reipsa est Trinitas. Nec dicitur quòd Deus generet per voluntatem, licet intellectus ab ea non distinguatur. Atqui Patres & Concilia dicunt, quòd humana natura iuncta est diuinæ. Ergo non tantùm vnita est alicui identificato cum natura diuina. Minorem probant ex S. Leone in epist. ad Flauian. August. serm. 58. de Verbis Domini, Damasc. lib. 4. de Fide cap. 4. & ex Cōcilio Rhemensi, cuius hæc verba sunt: *Natura diuina est incarnata; sed prout est in filio.* Quorum sensus non est, quòd natura vniatur, non secundum se, sed prout idētificatur hypostasi Verbi. Nā absurda est, & inaudita hæc propositio, Natura diuina, sed prout est in filio, est distincta à Patre: & tamen verum est quòd hypostasis filij, quæ est idem cum natura, distincta est à Patre. Ergo vt vera sit hæc propositio Rhemensis, *Natura diuina incarnata est, sed prout est in filio*, non sufficit, quòd natura diuina dumtaxat identificetur hypostasi filij.

43. Prima pars contrariæ sententiæ. Coloss. 2. vers. 9.

44. Deinde verò quòd hypostasis Verbi fuerit vnita totaliter, & adęquatè humanitati Christi, probant primò, Quia si quemadmodum

Secunda pars sententiæ contrariæ.

anima Christi Deum non cognoscit adæquatè, ita nec humanitas vnitur hypostasi adæquatè, sequitur nos posse eodem modo loqui de vnione hypostatica, ac de cognitione, quam habet anima Christi de Deo. Consequens est absurdum. Sequela probatur: Nã quia anima Christi non habet virtutem infinitam, & Deo æqualem, non potest Deum comprehendere cognoscitiuè, vt affirmat Concil. Basileense sess. 22. Sed propter defectum comprehensionis Doctores sacri dicũt, quòd videntes Deum, plenam diuinitatis naturam non vident, vt loquitur August. lib. 9. de Trinit. & Beda in 1. epist. Ioan. cap. 3. Ergo similiter si Verbum non est adæquatè vnitum hypostaticè, non posset dici, quòd omnis plenitudo diuinitatis in Christo inhabitet corporaliter, contra Paulum Coloss. 2. v. 9. Neq; enim plus habitat, quàm vnitur. Itẽ sicut non potest dici, humanitas Christi videt Deũ, quantus est: ita nec posset dici, Christus est Deus quãtus est: nõ enim est Deus aliter, quàm vnitate suppositi, siue vnione hypostatica formaliter, quæ non attingeret Deum, quantus est. Consequens est absurdũ, & contra Apostolum Philip. 2. v. 6. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Denique sicut Cyril. catechesi 6. dicit Deum communicantem se Beatis pro cuiusque captu, se dimetiri; & solum Spiritum sanctum, quia est Deus, scrutari profunda Dei: ita deberet dici, quòd Deus pro captu naturæ humanæ se dimensus est per vnionem hypostaticam. At contra, Ioannes Baptista, loquens de Christo, vt de cœlo venit, id est, vt per vnionem hypostaticam constitutus est, ait Deum non dedisse illi spiritum ad mensuram. Et Christus ipse Patrẽ alloquens Ioan. 17. v. 10. *Omnia tua*, inquit, *mea sunt.* Non habebat autem illa formaliter vt homo, nisi per vnionem hypostaticam.

45. Secunda eius confirmatio.

Probant 2. quia vnio hypostatica (inquiunt) in eo consistit quòd humana Christi natura sit propria Verbi, quia ineffabili modo est ei subiecta, & Verbũ ei dominatur. At dici non potest, quòd Verbum secundũ aliquas tantùm partes sui virtuales habeat subiectam naturam humanam Christi. Nam Verbum omnino, & adæquatè cõtinet, ac sub se habet naturam illam assumptam. 3. Si vera esset cõtraria sententia, nõ essent actiones elicitæ ab humanitate Christi, meriti simpliciter infiniti. Quia non dignificantur, nisi quantùm pertinent ad Verbum. Atqui pertinerent diminutè tantùm, si non ad adæquatam eius maiestatem pertinerẽt: quod non esset, si illa maiestas diminutè, & imperfectè esset communicata humanitati. 4. Hypostasis Verbi integrè, & adęquatè sumpta, constituit Christũ. Ergo vnitur adæquatè humanitati. Sequela probatur. Nam quidquid componit cum alio vnum tertium, illi alteri vniatur necesse est, tam propriè, & formaliter, quàm componit. Nam omne compositum, quà tale, est vnum; & quando extrema distincta faciunt vnum, necesse est vt adunentur, & vniantur. Et sicut constituunt compositum adunatione: ita & vnione inter se. Ergo si Verbum adæquatè constituit vnum cum humanitate, adæquatè etiam ei vnitur. Antecedens Aduersarij concedunt. Ex hac autem concessione, & probatur conclusio, & soluuntur eorum argumenta: quorum potissimum est, quia vt natura humana Christi vniatur personæ Verbi secundum aliquem gradum illius personæ, oportet in illa humanitate esse aliquid virtutis vnitiuę, quam exerceat circa illum gradum hypostasis. Ergo vt circa plures, oporteret esse plus virtutis. Ergo vt circa infinitos virtualiter, debet esse virtus infinita. At finita humanitas non potest habere virtutem infinitam. Responderi enim potest, 1. Indirectè, inde sequi personam Verbi adæquatè sumptam non constituere Christum: quia vt humanitas cum illo constituat, requiritur aliqua virtus. 2. Et directè respondetur, aliquos esse vsus rerum, quasi passiuos, ac neutros circa infinita, qui non arguunt virtutem infinitam in rebus habentibus illos vsus. Talis est vsus vnibilitatis ex parte naturę humanæ. Requiritur enim aliqua quidem perfectio in natura assumpta: nam nisi esset ens, assumi non posset: sed non requiritur perfectio cum ea proportione, vt quò persona assumens est potentior, eò plus requiratur virtutis in natura assumpta. Nam ex D. Thom. Opusculo 3. cõtra Græcos, & Armenos cap. 6. §. *Est autem*, Assumens superat perfectione assumptum, & sibi illud subordinat. E contra verò, assumi est subiici, & subordinari assumenti. Itaq; quò potentia assumentis magis vincit imbecillitatẽ naturę assumptæ, eò minùs requiritur perfectionis in natura assumpta. Addunt alia esse exẽpla, in quibus exercitium aliquod simile virtutis apprehendimus in rebus, quæ tamen vt illud exercitium habeant circa plura, & plura in infinitum, non debet crescere earum virtus. Ita obiecta corporea aliquo modo afficiunt sensus, & carnales hominum, & cœlestes Angelorum, vt loquitur August. id est, necessarium est obiecta occurrere, vt in eorum occursu excitetur virtus visiua hominum, & Angelorum, & tamen malè aliquis imaginaretur adeò posse augeri numerum Angelorum v. g. occurrentium alicui obiecto, putà Soli, vt videre illud non possent. Quæ imaginatio per se videtur incredibilis. Nullum enim est experimentum, quòd res vel tenuissima, quò à pluribus videtur, eò minùs perfectè videatur. Est itaque vsus virtutis, quà obiecta determinant potentiam videntẽ, quasi passiuus: & in eo potiùs consistit, quòd facultates cognoscentes, in obiectorum occursu, ex illis exprimant suam cognitionem. Quanquam igitur exercitia virtutis productiuæ, vel etiã subiectiuæ, vt ad maius obiectum extendantur, debeant cum proportione crescere: attamen non sunt tales omnes vsus quasi passiui: cuiusmodi est vsus vnibilitatis, qui est in humanitate respectu Verbi. Hæc illi.

August. lib. 12. de Trinit. cap. 7.

46. Verbũ non fuit adæquatè vnitum immediatè.

Ad quæ Respõdeo primò negando sequelã trium priorũ argumentorũ: nam vt verè dicatur plenitudo diuinitatis habitare in Christo

corporaliter, sufficit, quòd tota physicè, & realiter in illo sit, & tota vnitur eius humanitati mediatè, vel immediatè, præsertim cùm illa mediatio sit tantùm rationis. Id etiam sufficit vt Christus sit formaliter Deus, & vt eius merita sint infiniti valoris, tanquam operationes personæ diuinæ seipsam totam impendentis in Dei honorem, & obsequium. Præterquam quòd natura diuina est de conceptu intrinseco hypostasis Verbi, quæ vnitur immediatè humanitati: adeóque quatenus etiam vnitur illi immediatè, Christum formaliter Deum constituit.

Ad quartum dico, vt aliquid verè & propriè dicatur vnitum esse alteri, sufficit esse vnitum mediatè, etiam realiter: & multò magis ratione solùm, id est, mediante aliquo ratione tantùm distincto, vt contingit in vnione hypostatica Verbi cum humanitate. Nam in continuo v. g. omnes eius partes verè, & propriè dicuntur esse vnitæ, & omnes simul vnum totum constituunt: quamuis nō omnes vniantur immediatè, sed aliquæ mediantibus aliis. Neque similia sunt exempla in obiectione allata. Nam videri propriè non dicitur id quod latet, & quatenus latet. Vt enim alibi dicemus cum Molina 1. p. qu. 28. art. 2. disp. 3. Proprium est nostrorum actuum animæ extrinsecè denominantium aliquid visum, cognitum, apprehensum, &c. vt solùm supponant pro re cognita quoad id præcisè quod de illa percipitur. Vnde qui visu solam aliquam partem montis attingit, non dicitur verè, & propriè totum montem videre. At verò vniri propriè dicitur id quod alteri mediatè, vel immediatè coniungitur. Sicut in exemplo allato, pars montis, quæ videtur, verè, & propriè dicitur esse vnita omnibus aliis partibus vlterioribus, quæ non videntur. Similiter non verè dicitur producere formaliter & præcisè, vt tale, id quod non influit per se vt tale in rem productam: quo pacto diuina voluntas, vt distincta virtualiter ab intellectu, non generat. Dicitur tamen verè vniri alteri, id quod illi coniungitur secundum se vt tale, quamuis mediante alio, re vel ratione distincto. Sicut in corpore humano caput verè dicitur esse vnitum non solùm collo, verùm etiam pectori, & omnibus aliis partibus corpus humanum constituentibus.

Vide infra disp. 17. sect. 1. n. 3.

47. Quod verò attinet ad Cōcilium Rhemense, sensus illius est, vt supra dixi, quòd natura diuina sit incarnata mediatè, prout pertinet ad filium, cuius hypostasis immediatè vnitur humanitati, atque ex illa denominatio vniri redundat in filium solum, & in naturam diuinam prout in illo existentem: non autem in alias personas diuinas: quia attributa quæ naturæ diuinæ conueniunt, ratione alicuius proprietatis personalis, non tribuuntur aliis personis, quibus illa proprietas non conuenit, vt diximus supra num. 21. & fusiùs in tract. de Trinit. præcipuè disput. 31. sect. 1.

48. Ad secundam partem sententiæ aduersariorum, & argumenta in fauorem eius allata, Respōdeo primo, humanitatem Christi vniri adæquatè hypostasi diuinæ, mediatè, vel immediatè secundum rationem, non minùs quàm ipsi toti naturæ diuinæ: quod sufficit, vt verè dicatur omnem plenitudinem diuinitatis in ipso inhabitare, & Christum esse æqualem Deo, & non accepisse spiritum ad mensuram; & quæcunque sunt Patris, esse Christi, ratione naturæ diuinæ, quam totam illi communicat. Deus enim in Christo inhabitat, & Christi est, secundum id omne, quod illi mediatè, vel immediatè communicat: potestque dicere Christus verè, & propriè hoc totum sibi datum esse, & totum illud suum esse. Ad secundum Respondeo, vnionem hypostaticam non consistere in qualicunque subiectione naturæ humanæ, aut dominio Verbi (quod cuiusmodi sit non satis explicant Aduersarij) sed in eo quòd natura humana physicè, & substantialiter vniatur hypostasi Verbi diuini, & ratione illius vnionis dicatur fieri Verbi, & Christum cum illo componere. Quæ vnio non fit sine concursu physico ipsius humanitatis: & si distinguitur à parte rei, vt plurimi existimant, educitur ex ipsa, & in eadem, vt subiecto recipitur. Non apparet autem, quòd humanitas, cùm sit perfectionis, & virtutis finitæ, possit ex parte sua præbere concursum infinitum, qui esset necessarius vt Verbo immediatè vniretur adæquatè, tam secundum naturam diuinam, quàm secundum hypostasim. Nam illa vnio non minùs debet esset infinita, quàm esset visio, qua Deus adæquatè videretur à Beato.

Fuit tamen vnitum adæquatè immediatè, aut immediatè.

Ad tertium Respondeo, merita Christi dignificari ab eo toto, quod Christus est: & tam naturam humanam, quàm eius actiones meritorias, pertinere adæquatè ad totam Verbi diuini maiestatem: quippe quæ tota, mediatè, vel immediatè vnita est humanitati, & cum illa constituit personam operantem. Ad quartum dico, aliud esse hypostasim Verbi vniri adæquatè humanitati, & aliud, vniri adæquatè immediatè. Primum est verum: vnitur enim illi adæquatè partim mediatè secundum rationem, partim immediatè: atque ita etiam Christum adæquatè constituit, quippe qui constituitur ex omnibus suis partibus seu componentibus, mediatè, vel immediatè vnitis inter se: sicut totū continuum constituitur ex omnibus eius partibus; tametsi aliæ aliis mediatè vniuntur. Secundum autem falsum est, & malè cum primo confunditur ab Aduersariis. Malè etiam retorquetur argumentum contra illos factū. Nam propter vnionem mediatam non plus virtutis requiritur, quàm necessarium sit ad vnionem immediatā: quippe ad quam solam terminatur influxus physicus humanitatis finitæ. Quemadmodum si daretur continuum aliquod infinitum, quælibet eius pars nō vniretur infinitè alteri proximæ: neq; magis influeret in vnionē cum illa, & cum aliis, quàm si continuum finitum esset. Probabilius autē

49.

N 3

Nullus influxus virtutis finitæ potest esse infinitus.

existimo nullum influxũ realem, & physicũ, simpliciter infinitum, posse dari à virtute finita, cuiusmodi est virtus humanitatis Christi. Quare si obiecta concurrunt aliquo reali, & physico influxu, cum potentiis videntibus, siue per specierum impressionem, siue per aliam determinationem, vt docent ipsimet Aduersarii: probabilius censeo non posse infinitè influere cum potentiis infinitis simul præsentibus ad videndum: Quamuis tam facilè concurrant, vt nõ appareat eorum influxum minui sensibiliter, propter multiplicationem videntium, quanta solet illis occurrere: vt neque apparet ignem minùs calefacere, siue multos, siue paucos, æquè præsentes, aut æquè distantes. Sicut autem experimur non posse ignem æquè calefacere magis distantes, aut suam vim extendere ad quamcunque distantiam, sed in illo, & aliis agentibus naturalibus, datur certa distantia, & sphæra actiuitatis, vltra quam agere non possunt: Ita experimur obiecta visibilia, si nimis distant, minùs perfectè videri, eóque imperfectiùs, quò distantia maior est; & non posse videri ad quamcunq; distantiam: quod etiam de Angelis docent alibi recẽtiores illi quos modò impugnamus. Affirmant enim, & probant ex Scriptura, Angelos non videre ad quãcunque distantiam, sed ea tãtùm, quę sunt ipsis debitè proposita, & sufficienter præsentia: propter quod egent motu locali, & accessu, vt aliqua videant, quæ alioqui non possunt intueri.

SECTIO VI.

An vnio hypostatica sit aliquid creatum & distinctum ab extremis vnitis? Ac primò præmittuntur aliqua de distinctione modali.

50. Sententia Modistarum.

VLtra realem distinctionem & rationis, multi recentiores contendunt cũ Suare disp. 7. Metaphys. sect. 1. & 2. admittendum esse tertium genus distinctionis, quàm vocant mediam, & modalem, & ex natura rei, & realem minorem: quàm à reali maiori, seu reali simpliciter ita distinguunt, vt velint realem maiorem, seu realem simpliciter esse illam, quæ est à parte rei inter rem, & rem, id est, inter duas res, quæ possunt saltem per diuinam potentiam mutuò ab inuicem separari, & existere separatim. Modalẽ verò, seu realem minorem esse illam, quæ est inter rem, & modum, id est, inter duo, quorum vnum potest quidem existere sine alio, & ab eo separari, saltem de potentia Dei absoluta: sed non vice versa. Hoc enim signum illius distinctionis tradit Suar. sect. illa 2. num. 8. & probat, quia, inquit, si alterum ex illis duobus tale est, vt per potentiam Dei absolutam non possit sine alio conseruari: magnum argumentum est illud essentialiter esse tantùm modum quendam, & non veram entitatem. Quia si esset vera entitas, non posset habere tam intrinsecam dependentiam ab alia entitate, vt non posset Deus illam supplere sua infinita potentia. Ergo solùm potest id prouenire ex eo quòd illud extremum in sua intrinseca essentia, non est entitas, sed tantùm modus.

A distinctione verò rationis eam distinguunt, quia distinctio modalis est verè actu à parte rei in extremis ipsis, quæ dicuntur distingui. At distinctio rationis non est actu à parte rei in extremis ipsis, quæ dicuntur distingui ratione: sed ad summum est in rebus virtualiter, per æquiualentiam eiusdem rei simplicis ad multa; & fundamentaliter, quatenus illa virtualis æquiualentia, & amplitudo rei simplicis, præbet intellectui fundamentum formandi de illa conceptus varios, & difformes, à quibus per denominationem extrinsecam dicitur res distingui ratione, & dicuntur esse multi eiusdem rei conceptus obiectiui, ratione distincti.

Ad modalem hanc distinctionem probandam supponit Suar. sect. 1. num. 17. in rebus creatis, præter entitates earum, quasi substantiales, vel radicales, inueniri quosdam modos reales, qui & sunt aliquid positiuum, & afficiunt ipsas entitates per seipsos, dando illis aliquid, quod est extra totam essentiam, vt indiuiduam, & existentem in rerum natura. Cuiusmodi est actualis inhærentia accidentis in subiecto. Nam quod nouam entitatem propriam non afferat (inquit paulò post) vix potest in dubitationem venire; quia si esset noua omnino entitas: non posset esse actualis vnio inter accidens, putà inter quantitatem, & subiectum; sed ipsa potius indigeret, quo vniretur subiecto, & quantitati, sicut quantitas ipsa indiget inhærentia, quà subiecto vniatur. Quòd si inhærentia non indiget alia vnione vel inhærentia, quâ vniatur, vel inhæreat; ideo est, quia ipsa non affert propriam entitatem, quæ inhæreat, & vniatur; sed tantùm est quidam modus, qui per se est ratio vnionis, & inhærentiæ. Cuius signum est, quia hæc inhærentia per nullam potentiam esse potest, nisi actu coniuncta illi formæ, cuius est inhærentia: & quòd hæc numero inhærentia non potest afficere, seu potiùs vnire, nisi hanc numero formam, cui est veluti affixa: qui modus afficiendi nunquam reperitur in formis, vel in rebus, quæ habent ex se proprias entitates. Idem autem est de inhærentia qualitatis, vel de vnione formæ substantialis cum materia, & de subsistentia respectu naturæ, de præsentia, motu locali, actione, seu dependentia termini ab agente, & similibus. Dantur ergo in entitatibus creatis modi aliqui afficientes ipsas, quorum ratio in hoc videtur consistere, quòd ipsi per se non sufficiunt constituere ens, seu entitatem in rerum natura; sed intrinsecè postulant, vel actu afficiunt entitatem aliquam, sine qua esse nullo modo possunt, & quibus per se immediatè vniuntur sine vllo modo intermedio, vt addit Suar. num. 18. in fine.

51. Fundamẽta illius sententiæ.

52. Iam verò modos illos distingui actu à parte rei à rebus modificatis probat Suar. sect. 1. num. 3. quia res possunt esse sine modis à parte rei, quamuis modi sine rebus esse non possint. Si autem duo ita separantur in re, vt vnum existens maneat, & non aliud: necesse est, vt saltem modaliter distinguantur. Primò, quia impossibile est, vt idem sit, & non sit. Ergo si hoc non existit, quod antea existebat, & aliquid manet existens; non possunt esse in re idem omnino; alioquin idem simul existeret, & non existeret. Secundò, quando hæc duo ita separantur, aliquid positiuum est, quod in re tollitur ab alio, & desinit esse, sumendo latè, aliquid, vt distinguitur contra nihil, pro omni re, vel modo reali. Illud ergo positiuum postquam separatur, non est: ergo quando erat, distinctum aliquo modo erat ab eo quod existens manet. Tertiò, non minus est impossibile separari idem omnino à seipso, destructo altero extremo, quàm conseruato vtroque. Sed non potest idem à seipso separari, manente vtroque extremo, ergo neque poterit altero non manente. Ergo quoties fieri potest talis separatio, supponitur in re distinctio. Hæc Suar. qui pro sua auctoritate, & eruditione singulari doctrinam istam de modali distinctione, maximè promouit.

53. In qua doctrina verum est quod ait res habere varios se habēdi modos reales, & positiuos, sine quibus ipsæ esse possunt, quāuis modi sine illis esse non possint, ne de potētia quidē absoluta. Est enim prorsus inintelligibile, & impossibile, esse inhærentiam sine aliquo, quod inhæreat: esse vnionem sine extremis, quæ vniantur: esse extensionem sine entitate aliqua extensa: esse præsentiam, aut motum localem sine aliquo præsente, vel moto localiter. Quamuis ex opposito accidens possit esse, & non inhærere, vt in Eucharistia: esse forma, & non vniri, vt anima rationalis extra corpus: esse corpus, & non esse extensum, vt corpus Christi in Eucharistia indiuisibiliter positum: esse mobile, & non moueri localiter, aut non esse præsens huic aut illi loco determinatè, vt experientiâ manifestum est. Sed non puto verum esse quod ait, res non posse constitui formaliter tali, vel tali modo se habentes intrinsecè, nisi per aliquid, quod à parte rei ab illis distinguatur. Nam eius argumenta id non satis efficaciter probant, vt ostendemus sect. 8. Contrà verò, puto euidentibus argumentis conuinci, res ipsas posse seipsis tali, vel tali modo se habere formaliter, sine additione vllius rei, vel reculæ à parte rei distinctæ: quamuis talis se habendi modus non sit illis essentialis, sed contingens. Quod ostendo multis exemplis, & inductione facta per ea omnia, quæ modaliter distingui censentur ab auctoribus contrariæ sententiæ.

Verum est, res habere varios se habendi modos, sed sine distinctione in re.

De modo inhærentiæ.

54. PRimum sit illud ipsum, quod in exemplum attulit primo loco Suarez, nempe inhærentia accidentium. Si enim accidens formaliter seipso, id est, sua ipsius entitate inhæret: non inhæret tātùm per aliquid distinctū à se: imò illud distinctum est superfluum accidenti, & inutile, vt det illi formaliter id quod accidēs iam per seipsum habet formaliter, quatenus distinctū ab illo addito. Atqui omne accidens seipso formaliter, id est, sua ipsius entitate inhæret: ergo &c. Maior est euidens quoad primam partem. Quoad secundam verò probatur, quia si accidens, totum quantum est, inhæret seipso formaliter: non eget alio distincto, à quo accipiat inhærere formaliter: & superflua est, atque inutilis forma distincta, vt res per illam habeat formaliter, id quod per seipsam formaliter habet: quemadmodum superflua est, & inutilis existentia distincta, per quam res existat formaliter, si res per seipsam formaliter existit, & actu est in rerum natura. Ac licet modus inhærentiæ distinctus fingatur superaddi accidenti, toti per se inhærenti: non propterea accidens magis inhæret, quippe quod iam per se totum inhærebat: neque potest magis inhærere formaliter, quàm si totum, & omni sui parte inhæreat. Quare multiplicantur tantùm inhæsiones diuersorum, quando loco vnius ponuntur duæ, vna accidentis, & altera modi superuenientis, siue ab eo distinguatur siue non: sed vnius inhærentia non facit, vt alterum magis inhæreat. Deinde admisso modo illo inhæsionis distincto, accidens, quatenus per se formaliter inhæret, aliter se habet, quàm si non inhæreret. Et tamen quatenus per se formaliter inhæret, non inhæret formaliter per aliquid à se distinctum. Ergo res potest aliter se habere seipsa formaliter, & non tantùm per aliquid à se distinctum. Ergo ruit præcipuum fundamentum aduersariorum, quòd res non possint aliter se habere tali, vel tali modo intrinsecè, nisi per aliquid distinctum in re.

Inhærentia accidentium non distinguitur ab illis in re.

55. Minor verò primi argumenti propositi probatur, quia tota entitas cuiuscunque accidentis est seipsa formaliter educta è subiecto, ipsique tota incumbit, & innititur, tanquam sustentanti, quippe quæ tota est impotens ad per se existendum. Ergo tota inhæret per seipsam formaliter, & immediatè; quia tota per se formaliter est in alio, indigens subiecto naturaliter, atque illi innitens. Et quemadmodum accidens est totum formaliter, & immediatè ens ab alio, quia secundum se totum immediatè, & non tantùm secundum aliquid distinctum producitur, & pendet à Deo, ita vt non tantùm producatur aut pendeat à Deo immediatè, modus nescio quis dependentiæ (de quo infra) & accidens tantùm mediatè per illum: sed ipsummet accidens secundum suam ipsammet entitatem à Deo fit, quippe quod secundum se totum creatura est, indigens Deo à quo fit, & ens omni ex parte ab alio, ac nullo modo, nullaque ratione à seipso: Sic etiam accidens secundum se totum, & im-

mediatè est ens in alio, & pendens naturaliter à subiecto: ita vt non tantùm sit in subiecto, vel pendeat ab illo per modum inhærentiæ à se distinctum: sed etiam per seipsum formaliter, quia per se formaliter indiget subiecto, ipsique vt sustentanti innititur totum quantum est.

De modo extensionis.

56. Neque extensio à re extensa. SEcundum exemplum sit extensio cuiuslibet rei extensæ: siue quantitatis, si ea distinguitur ab aliis rebus materialibus, & extensis, siue qualitatis, aut ipsius materiæ, vel cuiuscunque formæ, aut accidentis materialis. Quæ extensio est modus aliter se habendi intrinsecè, quando res de non extensa fit extensa, vel fit magis, aut minùs extensa, vt naturaliter contingit in rarefactione, & condensatione. Et tamen euidens est res illas extendi formaliter seipsis sine aduentu formæ aut modi distincti in re. Sic enim argumentor: Illud non est extensum formaliter per aliquid à se distinctum, quod per se formaliter, & vt distinctum ab illo, est extensum. Sed res quælibet extensa, est per se formaliter extensa, vt distincta à quouis alio: ergo non est extensa formaliter per aliquid à se distinctum. Maior est euidens: nam quod est tale formaliter per aliquid aliud, non est tale formaliter per se solum, & vt distinctum ab illo: Ex gr. quod est formaliter lucidum per lucem à se distinctam, non est lucidum formaliter per se solum, & seorsim sumptum à luce. Minor verò probatur, quia si res esset extensa formaliter per aliquid distinctum à se, putà, per modum extensionis distinctum ex natura rei; deberet ille modus constare partibus positis aliis extra alias; quæ vt educerentur, & vt inhærerent subiecto, deberet subiectum natura priùs in genere causæ materialis habere partes suas alias extra alias, ex quibus partes modi educerentur, ipsisque inhærerent. Est enim impossibile, per aduersarios, vt sint sine subiecto, quod modificant: & non possunt illi vniri & inhærere, nisi vbi ipsum intimè præsens est. Quare vt partes modi, extensiuè positæ aliæ extra alias, inhæreant partibus subiecti, debent partes subiecti natura priùs esse aliæ extra alias. Atqui hoc ipso quòd partes sunt positæ aliæ extra alias, subiectum est extensum localiter: nam esse extensum localiter nihil est aliud, quàm habere partes extra partes in ordine ad locum. Ergo subiectum est extensum per se formaliter, & quidem natura priùs, quàm causet materialiter, & subiectet modum distinctum extensionis, qui frustra, & inutiliter illi affingitur, vt det illi effectum formalem, quem iam habet, quemque necessariò præsupponitur habere, vt modum illum distinctum recipiat.

57. Confirmatur tripliciter. Confirmatur, quia quidquid causat, debet habere natura priùs omnes conditiones necessarias ad causandum. Vna verò ex his conditionibus est propinquitas vel indistantia, in qua causare potest: & subiectum non potest causare materialiter accidens aut modum à se distinctum, nisi sit illi intimè præsens, & in eodem loco in quo causandum est. Extensio autem non potest causari ne per diuinam quidem potentiam, vt dicunt aduersarii, nisi in partibus diuersis spatii: ergo subiectum debet natura priùs esse in partibus diuersis spatii, secundum partes sui diuersas, à quibus causentur diuersæ partes modi extensionis, quæ aliter causari non possunt, imò ne quidem in maiori, vel minori spatio, vt ipsi imaginantur, debentque dicere consequenter ad sua principia.

Confirmatur 2. quia partes subiecti debent esse necessariò vbi sunt partes formæ, aut modi accidentalis: alioqui partes illæ formæ, aut modi accidentalis, essent alicubi sine subiecto, quia essent alicubi, vbi nihil esset subiecti. Atqui si subiectum, vt distinctum ab extensione, non esset extensum; non esset secundum se, id est, per suam entitatem formaliter, & per diuersas eius partes, vbi sunt partes diuersæ extensionis: ergo partes illæ extensionis essent alicubi sine subiecto. Si verò partes subiecti, sunt vbicunque sunt partes extensionis, sunt extensæ formaliter per seipsas, quia per se formaliter sunt aliæ extra alias in ordine ad locum: ita vt non modò concretum, seu constitutum ex re, & modo extensionis, sit extensum formaliter, quemadmodum solum concretum ex subiecto & calore, est calidum formaliter; sed & ipsamet res, quæ subest modo extensionis, & prout ab illo distincta, ac præcisè considerata, sit extensa formaliter, quia habet partes extra partes in ordine ad locum: in quo consistit formaliter esse extensum: quemadmodum existere formaliter consistit in eo quòd res sit actu in rerum natura, & omnis alius modus distinctus, est ad hoc superfluus.

Confirmatur 3. quia si extensio vniretur alicui subiecto, quod vt ab ea distinctum est, non esset extensum; subiectum illud, vt ab ea distinctum, esset inextensum, & in indiuisibili positum. Ergo extensio, quæ necessariò, & essentialiter, iuxta doctrinam aduersariorum, constat partibus positis aliis extra alias, vniretur subiecto posito in indiuisibili, & non habenti partes suas alias extra alias. At hoc implicat, quia partes subiecti debent correspondere partibus formæ in eodem loco: alioqui partes formæ essent vbi nihil esset subiecti, & vnirentur illi vbi non est, quod est euidenter impossibile: Ergo implicat extensionem esse formam distinctam à subiecto extenso, eo modo quo volunt aduersarii: ita vt nihil sit extensum formaliter nisi componatur ex duobus: ex re extensa, velut subiecto; & ex modo extensionis, veluti forma superaddita. 58

Confirmatur 4. quia extensio, si est modus distinctus, est quoque ipsa extensa: constat enim partibus aliis extra alias posi-

tis. Vel igitur est extensa per alium modum superadditum: vel per seipsam formaliter. Si primum: abitur in infinitum, quia de isto modo redibit eadem quæstio, & de aliis deinceps. Si secundum: ergo esse extensum generatim loquendo, non est habere modum distinctum. Deinde, ideo dicitur extensio esse formaliter extensa per seipsam, quia per seipsam habet partes extra partes in ordine ad locum. Atqui res extensa habet similiter partes suas extra partes in ordine ad locum, vt suprà ostendimus: ergo ipsa quoque est extensa formaliter per seipsam. Denique quidni possit à Deo conseruari res cum suis partibus aliis extra alias sine illo modo ab ipsis distincto? Et quidem eo desinente res non posset in instanti confluere tota in indiuisibile: alioqui partes remotiores, vel transirent in distans, non pertransito medio: vel eodem instanti essent, & non essent in eadem parte spatii. Ergo maneret necessariò aliquandiu extensa sine extensione, quod implicat.

De Figura.

59. Neque figura à re figurata.

TErtium exemplum sit figura: quæ est modus se habendi intrinsecus rei figuratæ: & tamen non distinguitur à re figurata, tanquam res aut recula ipsi superaddita. Nam figura formaliter in eo consistit, quòd res extensa claudatur vndique vno, aut pluribus terminis. Vno, inquam, vt in circulo fit, vel in globo: quorum ille clauditur vndique vnica linea, iste vnica superficie: vel pluribus, vt fit in triangulo, in quadrato, in pentagono, hexagono, & similibus figuris. Atqui res quæuis extensa localiter, & vndique terminata, seipsa formaliter, & intrinsecè terminatur: ergo seipsa formaliter est figura. Maior est ipsa definitio figuræ. Minor probatur, quia quælibet res est seipsa formaliter vndique terminata hoc ipso, quòd eius partes non vlteriùs tendunt, sublato, reipsa, vel per mentem, quocunque alio, re, vel ratione distincto. Ergo superfluus est modus distinctus, vt sit aut intelligatur esse vndique terminata formaliter. Ac si modum distinctum habet; quemadmodum partes illius modi vndique terminantur seipsis, quatenus non vlteriùs protrahuntur: sic & partes rei figuratæ terminantur seipsis formaliter, eo ipso quòd non vlterius protenduntur. Item quælibet res est figuræ circularis, aut rotundæ, eo ipso formaliter, quòd ab eius centro ad circumferentiam omnes lineæ ductæ sunt æquales inter se. Atqui res circularis, aut rotunda hoc habet per seipsam formaliter, & haberet, aut intelligeretur habere, quamuis ab ea realiter, vel per intellectum remoueretur modus ille distinctus rotunditatis circularis, aut globosæ, qui frustra ei affingitur ad hunc effectum formalem illi præstandum. Tam enim sunt æquales inter se lineæ rei circularis, aut globosæ; quàm lineæ modi: ac necessariò etiam lineæ rei, & modi debent esse æquales inter se.

Confirmatur, quia si talis modus datur: non tantùm ipse rotundus est, sed etiam res, cui inhæret, & ex qua educitur. Nam partes extremę ipsius rei non minùs distant æqualiter ab eius centro, quàm partes extremæ ipsius modi distent æqualiter à centro ipsius modi: & lineæ vtriusque, ductæ à centro ad circumferentiam, non sunt minùs æquales inter se. Imò natura priùs res debet per seipsam formaliter ita esse disposita in ordine ad locum, vt possit esse subiectum talis modi distincti, illumque causare materialiter, vt suprà dicebamus de extensione. Neque tantummodò concretum ex re, & modo illo est rotundum formaliter: sed & ipsum subiectum à modo condistinctum, & præcisum, atque naturâ priùs illi præsuppositum in tali dispositione, in qua sola potest esse causa illius modi. Quod signum euidens est, rem non esse rotundam formaliter per modum illum distinctum: quia quod constituitur tale, per formam distinctam, non habet illum effectum formalem naturâ priùs quàm formam recipiat, neque seorsim sumptũ à tali forma. Ex. g. id quod cõstituitur calidum per caloré à se distinctũ, non est calidum naturâ priùs quàm calorem recipiat, neque seorsim sumptum à calore. Denique figura fit sæpissime per solam detractionem, & separationem partium, vt fit in arte statuaria: & ex quadrato v. g. secto per diametrum, fiunt duo triangula. Atqui sola destructio, vel separatio non est productiua alicuius entitatis, aut entitatulæ: quâ etiam, vel reipsa, vel per mentem detractâ, erunt æquè, aut concipientur esse duo triangula. 60.

De Actione.

QVartum exemplum sit actio, quam Suar. & alii modorum distinctorum assertores volunt esse entitatulam intermediam inter agens, & effectum: eamque, si sit eductio, esse in subiecto: si sit creatio, esse in termino, ab eoque pendere essentialiter; licet sit illo prior, vt via ad illum ponendum in esse. Quæ doctrina primò sibi contradicere videtur. Nam inde sequitur terminum creationis esse priorem seipso, quia est prior creatione priore se. Sequitur etiam creationem esse priorem, & posteriorem termino suo, prioritate veræ & realis dependentiæ in existendo. Priorem quidem, quia est via ad ponendam illius existentiam: posteriorem, quia pendet ab illo, vt existente, quippe in quo recipitur, & ex quo aliquo modo educitur: modi enim, iuxta sententiam modistarum, educuntur ex rebus modificatis, suntque illis ita affixi, vt sine illis sustentantibus, ne quidem per absolutam Dei potentiam esse possint. Secundò, si actio est modus distinctus ab agente: ergo ponitur in rerum natura vi agentis, neque enim à seipso est. Vel ergo ponitur vi agentis immediatè, vel mediante alio modo. Si secundum: de isto idem quæretur, & proce-

61. Neque actio ab agente.

detur in infinitum. Si primum: ergo poni ab agente non dicit in suo conceptu necessariò modum distinctum intermedium: quandoquidem modus ipse actionis est ab agente sine modo distincto intermedio. Deinde si modus actionis potest esse ab agente immediatè: quidni & terminus, qui est illi magis proportionatus, & sæpissime vniuocus, vt calor calori, ignis igni, lumen lumini?

62. Refutatur euasio. Dicent actionem esse modum, & non rem: eumque non produci, *vt quod*, sed *vt quo*. Verùm neutrum horum satisfacit. Non primum: quia figura, extensio, & motus localis, ac præsentia in loco, sunt tantùm modi, per aduersarios: & tamen illi fiunt per actionem ab ipsis distinctam. Ergo quòd actio sit modus, non impedit, quin debeat fieri per actionem distinctam. Non etiam secundum: quia quidquid secundum se, & vt distinctum à quolibet alio, est ab agente: est eatenus aliquid, quod est ab agente: atq; ita est ab agente *vt quod*. Minus verò satisfacit quod aliqui respondent, actionẽ non propriè fieri. Nam quidquid est extra Deum, pendet verè, & propriè à Deo in fieri, & conseruari, secũdum esse totum, quod habet distinctum à Deo. Ergo si actio est modus distinctus à termino, pendet vt talis verè, & propriè à Deo in fieri, & conseruari.

Deinde sicut id, quod est immediatè in subiecto aliquo, non minùs est verè ac propriè in subiecto, imò magis, quàm id quod tantùm mediatè: sic actio, quæ secundum aduersarios est immediatè ab agente, est ab illo magis verè, & propriè, quàm terminus, siue effectus, qui est ab illo tantùm mediatè. Esse autem ab agente, est ab illo fieri, seu vi illius existere: Ergo &c. Confirmatur, quia cùm agens à passo remouetur, definitque in illud agere, quæro cur eius actio desinat? Respondebunt, quia agens non potest illam continuare propter nimiam distantiam à passo. Ergo quando eam continuabat, præstabat aliquid, quod iam non præstat erga illam. Hoc autem, iuxta doctrinam aduersariorum, non potest esse aliud, quàm aliqua entitatula: ergo continuabat, seu conseruabat suam actionem per aliam entitatulam. Si autem actio eget alia entitatula, vt conseruetur ab agente: ergo etiam vt ab illo fiat: & hæc iterum egebit alia, & sic in infinitum. Atque hoc quidem argumentum manifestiùs, & efficaciùs probat in causis liberis, quæ debent agere seipsis, & à seipsis determinari ad agendum, ex potestate indifferenti ad oppositum: non autem recipere aliunde modum illum actionis sibi impressum.

63. Tertiò, si actio est modus, qui fiat immediatè à causa, quæ agit: vel est vi illius ex eo præcisè, quòd causa est: vel non. Si primum: ergo quandiu est causa, est actio, seu modus ille causalitatis agentis: quia est totum id, vi cuius præcisè ponitur, & nihil aliud requiritur in vllo genere causæ, vt fit. Si secundum: ergo iuxta doctrinam aduersariorum, requiritur aliquod medium præter existentiam. Nam causalitas potest non esse, causa licet existente. Ergo vt causalitas sit, & ponatur in esse, opus est aliquo alio, cuius defectu non est causalitas, quandocunque causa existit. Quartò, illud ipsum formaliter debet esse producens, quod est aptum esse producens: effectus enim non producitur formaliter ab alio, quàm ab eo, à quo formaliter erat aptus produci. Sed causa vt distincta à quocunque alio, est formaliter apta producere: quippe quæ formaliter est vis, & potentia completa producendi. Ergo causa formaliter producit, vt distincta à quocunque alio. Ergo producens non est aliquid aliud constitutum ex causa, & ex modo actionis distincto. Ex iis quæ diximus de actione, patet quid de aliis causalitatibus sentiendum sit. Supersunt alia quatuor, quæ ab aduersariis censentur distingui modaliter ex natura rei: vnio, subsistentia, præsentia, & motus localis. Verùm de vnione dicemus sect. sequenti: nunc de aliis agendum superest.

De Subsistentia.

QVintum ergo exemplum sit subsistentia, quam Suares, & alii, quos impugnamus, volunt esse entitatulam distinctam à re subsistente, vt colligi putant ex mysterio Incarnationis, in quo natura humana priuata est modo illo sibi connaturali, & loco illius accepit hypostasim Verbi, in qua subsistit. Sed contrà, primò, Natura diuina non subsistit per modos ex natura rei distinctos à se: nam tres hypostases relatiuæ personarum diuinarum, non distinguuntur in re à natura. Ergo subsistentia, ex vi sui conceptus generalissimi, non est modus ex natura rei distinctus à re subsistente. Et reddenda est ratio, cur natura creata, quæ est seipsa incommunicabilis pluribus sibi identificatis, non possit subsistere seipsa per simplicem vsum indistinctum suæ sufficientiæ, & aptitudinis ad existendum vi sua, id est, ratione suæ perfectionis naturalis, sine subiecto, aut supposito distincto, cui innitatur, vel à quo terminetur hypostaticè, atque ita seipsa vltimò compleri, & terminari in esse suæ existentiæ: cùm tamen natura diuina, quæ est communicabilis tribus sibi identificatis, ad quæ quodammodo sese diffundit, sit nihilominus subsistens, & vltimò conclusa, & terminata, atque vlteriùs incommunicabilis in sensu composito, prout est sic modificata, absque vllo modo ex natura rei distincto. Maximè cùm ratio subsistentiæ dicatur in eo consistere generatim, quòd sit vltimus terminus, & vltimum complementum naturæ substantialis, redens illam in sensu composito, id est, simul cum tali modificatione, ineptam vlteriùs terminari, & communicari alteri, vt terminanti hypostaticè, vel sustentanti. Secundò, illud debet subsistere 64. Neque subsistentia à re subsisten[te].

per se, quod est aptum per se subsistere. Alioquin aliud est aptum subsistere, & aliud subsistit: & non est idem, quod potest subsistere, & quod subsistit: quod est apertè impossibile. Atqui natura substantialis est apta per se subsistere: ergo per se subsistit. Ergo non subsistit per modum ex natura rei distinctum: nam subsistere per aliquid à se distinctum, non est subsistere per se: & contradictio est in terminis dicere, quòd res subsistat per se, & tamen subsistat per modum à se distinctum. Vt si quis diceret rem existere per se, & tamen existere formaliter per aliquid à se distinctum, id est, habere formam, seu rationem formalem existentiæ per aliud à se distinctum. Tertiò, si subsistentia in rebus creatis est modus ex natura rei distinctus: ergo iuxta conditionem aliorum modorum, essentialem omnibus modis, est entitatula tam imbecilla, vt rei, tanquam subiecto inhæreat, & ne diuina quidem potentia possit ab illa auelli. Ergo subsistentia innititur, & incumbit naturæ. Ergo natura subsistit formaliter per aliquid, quod ipsa sustentat, & fulcit. Vt si diceres, fundamentum stare, & subsistere per parietes, qui ipsi innituntur. Et si munus subsistentiæ est sustentare, vt quidam aduersariorum imaginantur: omnino hoc est fulcrum, & sustentaculum facere id quod imbecillius est, egetque tanquam fulcro naturá ipsâ, quæ tamen dicitur stare, & subsistere formaliter, per talem reculam imbecillam sibi innixam, ab illaque sustentari. Et contra rationem asseritur, entitatulam illam tam imbecillam, vt neque per Dei omnipotentiam sustentari queat sine fulcro subiecti, sustentare tamen subiectum suum, id est, naturam substantialem, quæ est res vera, & solida, modo illo perfectior, & à qua modus ille pendet essentialiter, iuxta doctrinam aduersariorum.

De Motu locali.

65. Neque motus à mobili. SExtum exẽplum sit motus localis: quem iidem volunt esse modum, siue entitatulam distinctam ex natura rei à mobili: cuius partes sint in continuo fluxu, & simul incompossibiles, atque ita affixæ spatio, in quo sunt, vt neque per Dei omnipotentiam alibi esse possint. Contra quod primò sic argumentor: Moueri localiter est transire ab vno spatio ad aliud successiuè. Ergo id quod per seipsum formaliter, id est, per suammet entitatem, vt distinctam à quocunque alio, transit ab vno spatio ad aliud successiuè, mouetur per seipsum formaliter, vt distinctum à quocunque alio. Sed mobile per seipsum formaliter, id est, per suammet entitatem, vt distinctam à quocunque alio, transit successiuè ab vno spatio ad aliud: ergo mobile mouetur per seipsum formaliter, id est, per suammet entitatem vt distinctam à quocunque. Maior est ipsa definitio motus localis. Minor probatur: quia ipsum mobile, secundum suam entitatem, vt distinctam à quolibet alio, relinquit spatium, in quo antea erat, & modò est in alio, & alio deinceps, quãdiu motus localis durat. Ergo ipsum mobile transit ab vno spatio ad aliud successiuè secundum suammet entitatem, vt distinctam à quolibet alio. Probatur antecedens: quia non tantùm constitutum ex mobili, & modo superaddito, erat antea in loco A: sed ipsummet mobile præcisè sumptum, quatenus distinctum à modo illo, ibi erat, & natura prius ibi esse debuit, vt modus ille, qui non potest alibi educi, educeretur ex mobili tanquam subiecto. Et similiter non tantùm constitutum ex mobili, & modo, est postea in loco B: sed & ipsum mobile secundum suam entitatem, vt distinctam à modo, cui etiam ibidem præsupponitur, vt modus ex illa ibi educatur. Ergo mobile secundum se, & vt distinctum à quouis alio, est modò in vno loco, modò in alio. Ergo secundum se, & vt distinctum à quouis alio, transit ab vno loco ad alium. Hoc autem est moueri formaliter. Ergo mobile mouetur formaliter secundum se, vt distinctum à quolibet alio. Ergo non mouetur formaliter per aliquid à se distinctum: & ille modus distinctus est superfluus, & inutilis ad hoc vt mobile dicatur per illum formaliter moueri, habeatque per illum formaliter id, quod habet per seipsum, & quidem naturá priùs, vt paulò ante ostendimus.

Secundò, sine ratione dicitur, & non alia de causa, quàm ad tuendam opinionem malè anticipatam, motum localem esse entitatulam distinctam, cuius partes sint de potentia absoluta inter se incompossibiles, quæque vi diuina non possint alibi esse. Nam nullum ens physicum, & positiuum, habet oppositionem contradictoriam cum alio distincto: neque enim positio vnius est negatio alterius: neque opponuntur contradictoriè ens, & ens: sed ens & non ens. Ergo nisi aliunde sit contradictio (vt est in actibus oppositis intellectus, & voluntatis, ex parte obiecti) non implicat, vnum ens esse simul cum alio. Ergo saltem per diuinam omnipotentiam simul esse possunt. Ergo partes motus, quæ sunt reales, physicæ, & positiuæ, id est, quæ sunt ens, & ens, possũt esse simul per diuinam omnipotentiam: maléque id negatur ab aduersariis ea solùm de causa, ne si hoc dicatur, res loco immotà, existensque immobiliter in eodem spatio, censeri tamen debeat moueri localiter, accipiendo in eodem loco varias partes motus localis successiui, à quibus partibus volunt mobile dici moueri formaliter. Eademque sola de causa dicunt partes motus localis, & præsentias locales ita vni spatio esse affixas, vt per absolutam Dei potentiam alibi esse non possint. Quod est sine ratione sufficienti valde restringere Dei omnipotentiam: imò & contra rationem. Nam res potest moueri localiter extra cœlos, vbi nullum est spatium reale. Quomodo ergo partes mo- 66.

tus localis sunt affixæ essentialiter partibus spatii quod non est? Et quamuis spatium, per quod mouetur, sit reale, cur potius vni parti spatii sunt affixæ, quàm alteri: cùm frequenter partes spatii realis, puta aëris, aut aquæ, sint homogeneæ, id est, eiusdem, planè rationis? Idemque dico de partibus spatii imaginarii, si est reale, vt aliqui falsò imaginantur. Præterea si partes motus localis sunt in continuo fluxu, & inter se incompossibiles, debet motus localis constare ex indiuisibilibus, quod Suares, & alii aduersarii negant. Nam nulla pars vniri potest alteri non existenti: siquidem vnio actualis est necessariò inter duo extrema actualia, id est, actu existentia, quando vniuntur. Atqui vna pars motus localis non est, quando altera existit: ergo non potest illi vniri. Ens autem, quod caret omni vnione, caret omni compositione. Et quod caret omni compositione, est simplex, & indiuisibile. Ergo partes motus localis sunt indiuisibiles. Atque ita motus localis constat ex indiuisibilibus.

67. Tertiò, res quæ mouetur localiter, potest tardiùs, aut velociùs moueri. Quando autem mouetur velociùs, quæro per quid formaliter moueatur velociùs, siue quid sit illa velocitas? Respondebunt, iuxta sua principia, esse modum motus, seu entitatulam afficientem motum, quæ sine motu locali esse non potest, sed motus localis potest esse sine illa, potest enim esse tardior. Sed contra: Contendo ipsam quoque velocitatem esse motum aliquem localem, quia successiuè afficit subiectum per partes transeuntes, & incompossibiles, & cõstituit mobile in variis partibus spatii successiuè. Ergo si motus fiat velocior, & velocior; superueniet priori velocitati alia entitatula; & isti alia, & sic in infinitum, quò magis, ac magis fiet motus velocior. Hoc autem est absurdum, & contra sensum communem: nam moueri velociùs non est formaliter multiplicari entitatulas illas, & addi modos modis, qui si adderentur rei in eodem loco, maneret tamen immota: & videre rem moueri velociùs, non est videre addi illas entitatulas plures, ac plures: sed videre rem tempore breuiori spatium æquale transire. Sicut videre rem moueri simpliciter, non est videre entitatulam, cuius partes incompossibiles successiuè fluant, ac momento sint, & desinant; sed est videre mobile transire successiuè ab vno spatio ad aliud, & singula suâ ipsius entitate implere successiuè. Quod omnino sufficit ad motum localem benè concipiendum, sicuti est reipsa, rationem sensui accommodando, qui in eo non fallitur: quidquid verò superadditur, est inutile, & fictitium, vt iam ostendimus.

De Præsentia locali.

68. SEptimum exemplum sit præsentia localis: quam aduersarii volunt esse modum intrinsecum realem, & positiuum, ex natura rei distinctum à re locata: quia res sine tali præsẽtia esse potest, quamuis præsentia non possit esse sine re: & potest præsentia talis variari, re tamen in se inuariata. Verùm ille modus distinctus meritò reiicitur tanquam superfluus à multis recentioribus, inter quos sunt Toletus lib. 3. Physic. cap. 3. quæst. 3. Aegid. Conink tom. 1. de Sacram. quæst. 75. num. 68. & 69. vbi in eandem sententiam citat Aristotelem 8. Physic. tex. 59. affirmantem, mobile nihil sibi intrinsecum mutare in motu locali, id est, nihil intrinsecum distinctum acquirere. Si enim tale aliquid acquireret, verè aliquid in ipso mutaretur. Neque sensus Aristotelis est, mobile nihil mutare intrinsecum suæ substantiæ, acquirendo hunc modum accidentalem, distinctum ex naturâ rei. Quia neque per alios motus alterationis, & augmentationis, mutatur ipsa mobilis substantia secundum se. Et tamen hoc tanquam peculiare motui locali tribuit Aristot. verbis supra relatis. Qui etiam lib. 3. Phys. textu 4. affirmat, motum nihil esse præter res ipsas, quæ mouentur: vt iuxta vim textus Græci legendum est. Quare iuxta doctrinam Aristotelis, motus localis nihil est aliud, quàm ipsum mobile, quod localiter mouetur. Si verò motus localis nihil est, præter ipsum mobile, quod mouetur: par est ratio vt præsentia in spatio nihil sit, præter rem ipsam in spatio constitutam. Iisdem enim argumentis vtrumque conuincitur, vt patebit ex sequentibus.

Neque præsentia localis à re locata.

Tolet.

Conine.

Aristot.

Aristoteli accedit D. Thomas 1. p. q. 110. art. 3. c. dicens mobile secundum locum non esse in potentia ad aliquid intrinsecum, inquantum huiusmodi: sed solùm ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum. Et 12. Metaphys. lect. 7. versus finem, *Quod mouetur, inquit, secundum alios motus, id est, generationem, & corruptionem, augmentum, & diminutionem, & alterationem, necesse est quòd aliter, & aliter se habeat secundum aliquid, quod in ipso est: scilicet secundũ substantiam, quantitatem & qualitatẽ. Sed quod mouetur secundum loci mutationem, habet quidem se aliter, & aliter secundum locum, qui est extrinsecus locato, sed non secundum substantiam, vel secundum aliquam intrinsecam dispositionem substantiæ.* Accedunt etiam eidem sententiæ Scot. in 2. dist. 2. quæst. 6. §. *Ad propositum*: Gabr. q. 2. a. 2. conclus. 4. Gregor. q. 2. a. 2. & plures alii affirmantes Angelos esse in loco per suam ipsorum substantiam.

D. Thom.

Scot.

Gregor.

Gabriel.

Probatur primò, quia si res quælibet per seipsam formaliter est in loco, eo solo, quòd est realiter indistans à spatio reali, vel imaginario, in quo est; falsò, & inutiliter fingitur esse in loco formaliter per modum aliquem à se distinctum à parte rei. Sed quælibet res per seipsam formaliter est in loco, eo solo præcisè, quòd est realiter indistans à spatio reali, vel imaginario, in quo est. Ergo falsò, & inutiliter fingitur esse in loco forma-

69. Probatur ratione.

formaliter per modum aliquem à ſe diſtinctum à parte rei. Maior probatur: quia quod eſt tale formaliter per ſeipſum, falsò, & inutiliter fingitur eſſe tale per aliquid à ſe diſtinctum. Nulla enim res eget formâ vel modo diſtincto, vt per illum formaliter habeat idipſum, quod habet per ſeipſam, & ſine illo. Quare ſi res quælibet per ſeipſam formaliter eſt in loco, non eget forma, vel modo diſtincto, vt per eum formaliter conſtituatur in loco. Minor verò, quòd ſcilicet res quælibet ſit per ſeipſam formaliter in loco, eo ſolo, quòd eſt realiter indiſtans à ſpatio reali vel imaginario, in quo exiſtit, probatur, quia eſſe in loco iuxta Ariſtot. eſt eſſe intra ſuperficiem alicuius corporis ambientis immobilem, aut immobiliter conſideratam: vel iuxta alios, eſſe in loco generaliter eſt eſſe in aliquo ſpatio reali, vel imaginario, veluti intimè illud replendo. Sed res quælibet eſt per ſeipſam formaliter intra ſuperficiem corporis quo ambitur, aut in ſpatio, quod replet, eo ſolo, quòd ipſamet eius entitas eſt realiter intra illam ſuperficiem, vel eſt indiſtans ab illo ſpatio reali vel imaginario. Eſt autem intra illam ſuperficiem, vel in illo ſpatio, per ſeipſam: imò impoſſibile eſt, vt ſit formaliter per aliud, id eſt, ſit ibi, quia res alia, vel modus aliquis ab illa diſtinctus ibi eſt, niſi etiam ipſamet ſecundum ſe ibidem ſit. Ita vt licet modus illi præterea aduenire fingatur: non tantùm per modum illum, ſed ipſa quoq; ſecundum ſe ſit intra ſuperficiem, vel in ſpatio illo, æquè ac ipſe modus. Quod ſignum manifeſtum eſt non conſtitui rem in loco formaliter, per modum illum diſtinctum. Nā quod conſtituitur tale formaliter per aliquam formam diſtinctam, non eſt tale ſine huiuſmodi forma, & vt præcisè ſumptum ab illa. Ex. gr. aër, qui eſt lucidus per lumen à ſe diſtinctū, non eſt lucidus vt præcisè ſumptus à lumine; ſed ab illo præciſus, & ſeparatim ſumptus, perinde ſe habet, ac ſi lumen non eſſet. Idque non minùs verum eſt, de conſtituto formaliter in eſſe tali, per aliquem modum diſtinctum. Nam ſi res non eſt talis formaliter, niſi per illum modum: præcisè ſumpta ab illo modo non eſt talis.

Quælibet res eſt præſens ſeipſa.

70. Ratio à priori eſt, quia impoſſibile eſt effectum formalem haberi ſine forma, cùm nihil aliud ſit, quàm forma ipſa vt communicata ſubiecto, vel compoſitū ipſum ex ſubiecto, & forma. Quare ſi aliquod ſubiectum in ſeipſo habet aliquam conditionem, etiam vt diſtinctum à quauis forma ſuperaddita: neceſſarium eſt, ſubiectum illud non habere eam conditionem formaliter per talem formam. Atqui v.g. corpus conſtitutū in aliquo ſpatio, etiamſi illi ſuperadditus ſit aliquis modus præſentiæ, tamen vt diſtinctum à tali forma vel modo, verè & propriè replet ſpatium, in quo eſt: & non tantùm compoſitum ex corpore, & tali modo. Nam corpus illud, vt ita diſtinctum, eſt verè intra illud ſpatiū: & verè nō eſt in alio ſpatio, ſed in illo ipſo, in quo fingitur illi aduenire modus ille diſtinctus. Imò priùs natura debet eſſe in illo ſpatio, quàm modum ibi recipiat: quia cauſa materialis debet eſſe naturâ priùs ſuo effectu, & quidem in ea conditione, in qua poteſt cauſare materialiter effectum ex illa educēdum. Modus autem ille educitur è corpore, velut è ſubiecto & cauſa materiali, iuxta doctrinam Aduerſariorum: & non poteſt educi, ne per potentiam quidē abſolutā Dei, niſi intra tale ſpatium, iuxta eorundem doctrinam. Quare ſicut agens debet eſſe naturâ priùs in ea propinquitate loci, ex qua poteſt agere in ſubiectū: ita corpus illud debet eſſe naturâ priùs in ea parte ſpatij, in qua ſola poteſt modum illum cauſare & recipere.

71. Confirmatur, quia ſublato per abſolutam Dei potentiam, vel per intellectum, tali modo præſentiæ diſtincto, manēte corpore immoto, corpus eſt verè, & realiter, ac poſitiuè præſens per ſeipſum, id eſt, ſecundum ſuam ſubſtantiam, & entitatem totam, illi eidem ſpatio, in quo antea erat. Quod ſignum manifeſtum eſt non eſſe in ſpatio illo formaliter per modum. Alioqui enim modo illo realiter, aut per mentem, ſublato, impoſſibile foret corpus eſſe, aut concipi eſſe in ſpatio. Cùm enim, vt ſupra dixi, & fatentur omnes philoſophi, effectus formalis nihil aliud ſit quàm ipſa forma vt communicata ſubiecto, vel compoſitum ſeu conſtitutum ex ſubiecto & forma, euidenter implicat effectum formalem alicuius formæ eſſe, aut concipi ſine ipſa forma: v.g. eſſe, aut concipi album, vt tale, ſine albedine.

Confirmatur ſecūdò.

72. Malè autem reſpondent Aduerſarij corpus ſeipſo formaliter eſſe quidē indiſtās à ſpatio, & præſens negatiuè, id eſt, non diſtans: & in eo caſu, quo Deus modū præſentiæ tolleret, aut impediret ne ille educeretur è corpore indiſtante, fore adhuc corpus præſens ſpatio negatiuè: modum verò præſentiæ diſtinctum neceſſarium eſſe, vt per illum formaliter cōſtituatur præſens poſitiuè. Nam contra: Primò, malè dicitur corpus nō eſſe præſens ſpatio poſitiuè, quandoquidē eſt illi præſens per realem poſitionem ſuæ ſubſtantiæ, & per ſuā ſubſtantiā realiter in illo exiſtentē, quę ſine dubio poſitiua eſt. Secundò, hęc reſpōſio deſtruit fundamentum propter quod ipſi putāt neceſſarium eſſe modū præſentiæ diſtinctū. Nimirū quia, inquiūt, corpus poteſt exiſtere, & non eſſe in tali ſpatio, atq; ab illo recedere: Ergo id, per quod cōſtituitur in hoc loco, à quo recedere poteſt, diſtinctū eſt ab ipſo, quia non poteſt à ſeipſo recedere. Hoc enim argumentum, ſi quid valet, æquè probat indiſtantiam illam corporis per ſeipſum, quam vocant negatiuam, diſtingui à corpore. Quia corpus poteſt exiſtere, & non eſſe indiſtans ab hoc ſpatio, poteſt enim ab illo recedere. Ergo id per quod conſtituitur indiſtans negatiuè, debet eſſe diſtinctum ab illo, quia non poteſt à ſeipſo recedere. Tertiò, hoc effugium nihilo melius eſt, quàm ſi quis ad eludendam vim argumenti, quo efficaciter probatur exiſtentiam non diſtingui ab eſ-

Refutatur euaſio.

sentia posita extra causas, quia res seipsa formaliter existit, eo ipso quòd est actu in rerum natura: responderet rem quidem existere negatiuè per seipsam; sed modum existentiæ distinctum necessarium esse vt existat positiuè. Quasi verò non existat positiuè eo ipso quòd per se formaliter posita est extra causas, & existit actu extra nihil, & extra puram possibilitatem essendi. Corpus autem seipso est similiter in spatio, quod occupat & replet per suammet substantiam. Quartò, ineptè vocatur hæc indistantia negatiua. Nam omnis negatio est alicuius entis, seu positiui negatio, tanquam formæ oppositæ & incompatibilis. At dici non potest cuiusnam entis, seu formæ sit illa negatio.

73. Neque enim dici potest illam esse negationem modi positiui præsentiæ, cuius respectu, & comparatione indistantia corporis per seipsum vocetur indistantia negatiua. Etenim omnis negatio tollitur formaliter per positionem formæ, cuius est negatio. At indistantia corporis per seipsum à spatio, nō tollitur per modum positiuum præsentiæ, sed ambo sunt simul, ac necessariò esse debent in sententia Aduersariorum. Neq; enim desinit corpus esse præsens spatio per seipsū, quando modus positiuus illi aduenit in eodē spatio: imò necessariò ibi esse debet, vt modus præsentiæ ex illo educatur, & in illo cōseruetur.

Dici etiam nequit esse negationē distantiæ. Tum quia non est maior ratio, cur indistantia sit negatio distantiæ, potiùs quàm distantia sit negatio propinquitatis. Tum etiam quia negari nō potest, quin corpus per se præsens loco aut spatio sine modo præsentiæ distincto (impediente absoluta Dei potentia ne resultet) vel conceptum sine illo, verè, & propriè, & assertiuè, ac positiuè occupet locum, & repleat sua entitate reali, & positiua, spatium in quo est: aut verè concipiatur illud occupare, & in illo esse realiter, & positiuè: quare talis indistantia seu præsentia corporis per seipsum est quid positiuum; Tū deniq; quia negatio nō potest amitti, nisi per positionem formæ negatiuè oppositæ. At hęc indistantia à spatio, quam vocant negatiuā, potest perire sine acquisitione vllius formæ. Perit enim hoc ipso, quòd corpus localiter motum acquirit aliam indistātiā per seipsum ab alio spatio. Quare neutra potest vocari mera negatio. Neque dicas, corpus localiter motum acquirere nouum modū positiuū pręsentiæ. Tum quia potest absolutè Deus impedire ne resultet modus ille distinctus. Tū etiā quia nō perit per se primò, & immediatè per aduentum illius modi, sed per hoc, quòd corpus secundū se nō est ampliùs in spatio, quod antea occupabat: sed iam aliud replet successiuè, aut in quiete, per suam ipsius substantiā.

74. *Idem probatur ab absurdis quę sequūtur ex sententia contraria.* Probatur secundò nostra conclusio ab absurdis & incommodis, quæ sequuntur ex cōtraria sententia. Nam ex illa sequitur tot esse modos præsentiæ in re qualibet, quot in illa formæ substantiales aut accidentales existunt, ex. gr. quot habitus, aut species in intellectu, & memoria, quæ sunt innumerabiles: imo etiā quot sunt modi cuiuslibet rei, excepto ipso modo præsentiæ, qui tamen cū nō minùs sua entitatula repleat spatiū, quàm quilibet alius modus, nō video cur non egeat alio modo præsentiæ, æquè ac alij. Respondent Aduersarij, quia cùm ipse sit formalis præsentia, participat per se effectum suum formalem: & cùm sit essentialiter determinatus ad hoc numero spatium, neque per vllam potentiam possit alibi esse: non eget alia forma per quā determinetur vt sit in tali spatio. Sed hoc ipsum videtur incredibile, dari scilicet entitatulā essentialiter affixam huic parti spatij imaginarij, quæ realiter nihil est: vel huic parti spatij realis, quod sępissime est vniforme, & homogeneū, id est, eiusdē rationis quoad omnes sui partes: idq; tāta necessitate, vt impossibile sit de potētia Dei absoluta inde auelli cum suo subiecto, aut alibi produci: modosque illos, & entitatulas toties variari, mometoq; oriri, & interire, quot sunt partes motus, quibus mobile in alio, & alio spatio successiuè constituitur, quæ partes infinitæ sunt iuxta doctrinā Aristotelis. Deinde sicut ille modus eo ipso, quòd per sę implet spatiū, satis constituitur præsens formaliter, estque sua ipsius præsentia in spatio, nec alio modo indiget vt sit præsens, vel ad effectum formalem præsentiæ habendum: quidni etiam res aliæ, quæ non minùs per seipsas, implent formaliter spatium in quo sunt?

Sequitur præterea nō posse nos virtute naturali mouere Christum positū sub speciebus eucharisticis. Quia vt illū moueremus localiter, oporteret nos illi dare nouum modum præsentiæ corporeum indiuisibiliter positū, & supernaturalem saltem quoad modum: cuius modi productio superat nostram facultatem naturalem: nihil enim possumus supernaturale producere solis viribus naturalibus. Et quando homo fertur equo, aut naui vento impulsa, vel impetu fluuij vehitur, sequitur, equum, aut nauem, siue fluuiū, aut ventū, quo impellitur, producere entitatulā spiritualem in anima, per quam constituatur formaliter præsens successiuè spatiis, quę decurrit. Per se autem absurdū videtur posse naturaliter res materiales formam illā spirituală producere. 75.

Sequitur etiā fore, vt si Deus homini Romę dormienti daret modū præsentiæ, seu entitatulā, quam Parisiis habuit: homo ille quiescēs Romæ, indeq; immotus, foret præsens, non Romæ, vbi est, sed Parisiis, vbi non est: quo nihil potest fingi absurdius. Neque sufficit respondere, suppositionem esse impossibilē. Tum quia parum probabiliter id respondetur de modis eiusdē corporis. Tum etiā quia hæc suppositio, quāuis esset impossibilis, euidenter ostendit verū cōceptum quòd aliquis sit Romæ, non esse quòd modū, & entitatulā quādam distinctam recipiat, quam licet alibi reciperet, non propterea Romæ esset: sed quia per suam entitatem est in eodē spatio, in quo est Roma: quo posito, & sublato quouis alio per diuinam potentiā, aut per intellectū, non potest non esse Romæ, aut verè intelligi non ibi esse: & quidquid aliud ponatur,

nisi hoc sit, non est Romæ: ac nisi hoc intelligatur, non intelligitur esse Romæ.

76. Contraria sententia non sibi cohæret.

Probatur tertiò, quia Aduersarij parum cohærenter loquuntur, quando affirmant præsentiam localem esse modum à parte rei distinctum; & tamen fatentur vi argumentorum adacti, existentiam non distingui ab essentia actuali, neque durationem à re durante. Nam eodem planè argumento, quo probatur existentiam non distingui ab essentia actuali, æquè probatur non distingui præsentiam à re præsente. Argumentum illud est, quia existere nihil est aliud, quàm esse actu in rerum natura: quælibet autem res seipsa formaliter, & non per aliud est actu in rerum natura. Et deinde essentia actualis, citra illam existentiam modalē, & vt ab illo distincta, ac seorsim sumpta, existeret: componeret enim cum illa ens actuale ex vtraque parte: imò priùs naturâ existeret, quàm modum existentiæ superuenientem reciperet: causa enim materialis, ex qua aliquid educitur, naturâ priùs esse debet, & quidem in ea conditione seu dispositione, quæ necessaria est, vt ex ea aliquid educatur. Non potest autem quippiam è subiecto educi, nisi ipsum existat. Ergo &c. Simili, inquam, argumento conuincitur, præsentiam localem non distingui modaliter à re locata. Nam similiter esse in loco, nihil est aliud, quàm esse actu in spatio: quælibet autem res seipsa formaliter, & non per aliud est in illo. Deinde res citra illam modalem præsentiam, & vt ab illa distincta, præsens esset: imò priùs naturâ deberet esse præsens, quàm modum illum præsentiæ reciperet: quia priùs naturâ debet esse in ea cōditione, quę necessaria est vt modum illum recipiat & materialiter causet. Sicut enim priùs natura debet esse agens, vbi agere potest, & esse sufficienter propinquum patienti: sic naturâ priùs debet esse causa materialis, vbi pati & recipere possit. Non potest autem pati & recipere modum illum, nisi in tali differentia spatij, quia nusquam alibi esse potest, neque alibi educi, vel recipi, iuxta sententiam Aduersariorum: Ergo naturâ priùs causa illius materialis debet esse in illa differentia spatij. Sed res locata est causa materialis illius, siquidem ex illa educitur, vi agentium naturalium: ergo naturâ priùs debet ibi esse, quàm modum illum recipiat. Similiter sicut efficaciter probant, durationem non distingui à re durante, quia duratio est permanentia rei in esse: res autem permanet seipsa formaliter eo ipso quòd non desinit esse. Sic præsentia ad locum est inexistentia rei in loco: res autem inexistit formaliter seipsa, eo ipso, quod non est extra locum. Quare pari euidentia conuincitur, præsentiam in loco non distingui à re præsente. Et quemadmodum vt aliquid existat in hoc vel illo tempore, non est opus reali modo distincto, quo formaliter sit in tali tempore: sed seipso formaliter est in illo, hoc ipso, quòd existit simul cum illo: sic vt res aliqua, siue corporea, siue spiritalis, sit in tali, vel tali loco, nihil aliud requiritur; quàm intima ipsius inexistentia in spatio. Nam hoc ipso quòd intra tale spatium est, aut esse concipitur, licet per diuinam potentiam, vel per intellectum omnes illi modi auferantur, aut præscindantur, necessariò tamen res est, & concipitur esse in tali loco.

Denique neque ratione, neq; experimento constat modum præsentiæ distinctum produci. Non ratione quidem, vt liquet ex iam dictis, & ampliùs liquebit ex solutione argumentorum, quæ in fauorem illius afferuntur ab Aduersariis. Non etiam experientiâ. Nam illa per sensus haberetur. At nullus experitur per sensus talem modum produci: Sed potiùs simpliciter videt corpus nunc esse in hoc loco, postea in alio, hoc ipso quòd illo concluditur secundum se, quódque ipsius entitas intra illum existit: absque eo quòd aduertat quidquam noui produci, siue in corpore, siue in loco. Et certè corpus non magis eget modo distincto, vt sit coniunctum, & præsens loco; quàm ipse locus, vt sit coniunctus, & præsens corpori: sicut non magis egeo modo distincto vt sim intra domum, quàm domus egeat modo distincto vt me contineat. Quare frustra exclamant aliqui esse inimaginabile, & concipi non posse, quomodo corpus mutet locum, nisi aliquid noui in illo, vel in loco producatur. Nam si potest id sensu ipso percipi, neque aliud ab illo percipitur, vt iam ostendimus: quidni possit æquè per intellectum, & imaginationem concipi. Imò sic omnes imaginantur naturaliter, & intelligunt, æquè ac sentiunt exteriùs, illis solùm exceptis, qui contraria opinione sunt præoccupati. 77. Neque ratio, neque experientia fauet contrariæ sententiæ.

Meliùs ergo sentiunt, qui de loco vt de tempore, & de *vbi*, vt de *quando*, cum proportione philosophantur. Primò enim, sicut tempus cœleste, quo aliorum durationem mensuramus, bonum quidem, & philosophicum est, sed non necessarium vt res dicantur aliquando esse: tempus verò primarium, & vniuersale, ratione cuius per se primò, quidquid est, aliquando esse concipimus, est tempus illud imaginarium, quod ab æterno, & in æternum necessariò fluens imaginamur. Ita locus ab Aristotele definitus *superficies corporis ambientis*, &c. bonus quidem, & philosophicus est: sed extrinsecus, & non necessarius vt res alicubi esse dicatur. Locus autē vniuersalis, ratione cuius quidquid est, siue corporeum, siue spiritale, dicimus esse alicubi, est spatium imaginarium, quod necessariò permanens, & vsquequaque in infinitum patens imaginamur. Secundò, sicut spatium fluens imaginarium, non est positiuum, reale, & actuale; sed merè imaginarium, ac proinde tempus imaginarium, sine quo tamen rerum duratio à nobis concipi, & explicari nequit: ita nec spatium permanens imaginarium, est reale, positiuum, & actuale; sed merè imaginarium, ac locus imaginarius, sine quo tamen vbicationem 78. Vera sententia de præsentia locali.

rerum vniuersalem, & primam concipere nequimus. Tertiò, sicut forma prædicamenti *Quando*, abstrahit ab existentia in tempore imaginario diuisibili, & extenso, quæ propriè duratio vocatur; & ab inextensa, seu momentanea, quæ proprium nomen non habet: itemque à finita, & infinita: ita forma prædicamenti *Vbi*, abstrahit à diuisibili, & indiuisibili; finito, & infinito. Quartò, sicut forma prædicamenti *Quando*, non est modus à re distinctus, sed ipsamet res, prout seipsa implet tempus imaginarium, vel secundum se totum, vel secundum aliquam ipsius differentiam: ita forma prædicamenti *Vbi*, quæ vbicatio dicitur, non est modus à re distinctus, sed res ipsa, prout seipsa spatium implet imaginarium, vel secundum se totum, vel secundum aliquam ipsius differentiam. Quintò, sicut quando res transit per durationem, vel aliter, ab vna temporis differentia in aliam, non deperditur modus realiter distinctus, neque nouus acquiritur; sed res seipsa vtramque temporis differentiam implet, hoc ipso, quòd vtrique coëxistit: ita cùm transit per motum localem, vel aliter, ab vna loci differentia in aliam, non perdit, neque acquirit modos realiter distinctos; sed vtrique seipsa præsens est, eo ipso, quòd intimè, & quasi penetratiuè vtrique coëxistit. Cùm autem locus variè sumatur ab Aristotele, & aliis, pro communi, proprio, reali, imaginario, frustra laborant aliqui omnia, quæ de loco dicuntur, vni accommodare.

79. Soluitur prima obiectio contrariæ sententiæ. Obijciunt modistæ primò, multa verè dici de præsentia, quæ non possunt verè dici de substantia rei præsentis, vel aliis eius accidentibus. Ergo distinguitur ab illis à parte rei. Respondeo, consequentiam non valere, quia ad diuersitatem prædicationis, quæ sine dubio est opus rationis, sufficit ratione distingui penes aliquod connotatum, vel aliter, & inadæquatè concipi ea, de quibus fit prædicatio. Sic licet in homine non distinguantur à parte rei esse animal, & esse rationale; multa de illo verificantur, vt est rationalis, quæ non sunt vera de illo præcisè vt est animal: vt quòd ratiocinetur; quòdque vt sic conueniat cum Angelis, & differat à brutis: & licet in Deo intellectus, voluntas, & omnipotentia sint realiter vnum & idem simplex & indiuisibile à parte rei: verum tamen est dicere, quòd intellectus generet filium & non spiret Spiritum S. Contra verò voluntas spiret, & non generet: omnipotentia autem neque generet, neque spiret. Pater quoque, & essentia diuina sunt idem. Et tamen Pater generat, essentia non generat.

80. Secunda obiectio. Obijciunt 2. motum localem esse motum realem. Ergo debet habere terminum realem. Hic autem non potest esse alius, quàm aliquis modus distinctus præsentiæ localis. Ergo &c. Item non potest concipi quomodo res, quæ non erat præsens huic spatio, fiat illi præsens, nisi vel in ea, vel in spatio fiat aliqua mutatio. Ergo cùm non fiat in spatio, debet fieri in ipsa re. Ad primum Respõdeo, motum localem habere terminum realem intrinsecum: nempe, quòd corpus fit præsens realiter loco, in quo per motum constituitur: sed nego terminum esse modum intrinsecum, in re distinctum à corpore. Habet prætereà terminum realem extrinsecum, quando acquirit locum realem, & physicum, id est, fit præsens alicui corpori ambienti: Sed nego locum illum esse modum intrinsecum mobilis. Ad secundum Respondeo, vt res fiat præsens spatio sufficere vtrumque coniungi, & indistare. Possunt autem coniungi, & indistare per seipsa. Neque magis res locata eget modo distincto, vt fiat indistans à loco, quàm locus illo egeat, vt fiat indistans à re locata: essentque ambo indistantia per seipsa, sublato quouis modo distincto.

Obijciunt tertiò: rem esse indifferentem vt sit in hoc aut illo spatio: ergo eget aliquâ forma vel modo, per quem ad illud determinetur. Respondeo, si sermo sit de determinatione actiua, rẽ nõ alia egere, quàm vt vi sua, vel aliena, constituatur secundum suam entitatem in tali spatio. Si autem de formali: res per ipsammet entitatem suam tam est determinata vt sit realiter præsens tali spatio, posito quòd ipsius entitas in illo constituatur; vt eo solùm posito, & quocunque alio re aut ratione sublato, impossibile sit rem non ibi existere, & illi spatio realiter ac verè præsentem esse. Tertia obiectio.

Obijciunt 4. Illa sunt distincta in re, quorum vnum potest esse sine alio. Sed corpus secundum suam substantiam, quantitatem, & alia accidentia, potest esse sine præsentia in tali spatio: Ergo hæc præsentia distinguitur à corpore præsente. Confirmatur: quia corpus potest acquirere aliquam præsentiam, dum mouetur localiter, & aliam perdere. Ergo distinguitur præsentia, tam quæ acquiritur, quàm quæ deperditur, à corpore, quod idem manet. Respondeo, in hoc argumento, & similibus, vsurpari modum loquendi improprium, & vulgarem magis quàm philosophicum, cùm termini abstracti contra rectum vsum loquendi, & contra rationem vsurpantur. Quando enim dicitur in minori propositione, Corpus potest esse sine hac præsentia; dici deberet, Corpus potest esse non præsens huic spatio: & non est sensus, qui tamen videtur indicari, Corpus potest amittere aliquam entitatulam vel modum præsentiæ. Quare in hunc modum distinguenda est minor, & neganda consequentia argumenti propositi. Similiter quando corpus dicitur acquirere præsentiam, impropria est locutio, dicendumque est potius corpus fieri præsens spatio: quod non fit per productionem alicuius rei, vel modi, sed per ingressum in tale spatium: idque aliquid esse aliud, quàm productionem modi alicuius seu præsentiæ distinctæ, facilè sensus communis assequitur, & euidẽter patet ex suppositione paulò ante facta. Si enim ingredi in aliquod spatium esset producere vel habere aliquem modum distinctum constituentem in tali spatio 81.

ſequeretur, quòd ſi modus corporis conſtituti Romæ transferretur in corpus exiſtens Pariſiis, corpus illud immotum manens, & quieſcens Pariſiis, foret Romæ.

81. Retorquetur argumentum.

Adde, hoc argumentum, & alia prædicta, æquè probare, ſi quid roboris habent, durationem diſtingui à re durante, & creationem à conſeruatione, & relationem à fundamento proximo. Quod tamen Suar. & alii pleriqꝫ aduerſariorum meritò negant, ideoque parum cohærenter philoſophantur. Nam v. g. quod dicunt rem conſtitui poſſe in variis locis, & recedere ab illo, in quo iam exiſtit, ideoque id, quo formaliter conſtituitur in tali loco, à quo poteſt recedere, eſſe diſtinctum ab illa: quia non poteſt recedere à ſeipſa. Hoc ſimiliter probaret, durationem diſtingui ab exiſtentia, & creationem à conſeruatione, & relationem à fundamento proximo: quia res poteſt exiſtere & non durare: poteſt creari, & non conſeruari: poteſt eſſe fundamentum proximum relationis, & non referri ad aliud, defectu termini ad quem referatur. Sic etiam quemadmodum res creatæ ſunt indifferentes vt ſint in hoc aut in illo loco: ita ſunt quoque indifferentes vt durent tali vel tali tempore. Item quòd dicunt, non poſſe intelligi quomodo res fiat præſens huic ſpatio, cui antea non erat præſens, niſi fiat aliqua mutatio in illa, vel in ſpatio: quódque res eſſe poſſit ſine tali præſentia, ideóque diſtinguatur ab illa: & quòd multa verè dicantur de præſentia, quæ de re ſola verè dici non poſſunt. Hæc ſimiliter in aduerſarios poſſunt ita retorqueri: Intelligi nequit, quomodo res de non durante fiat durans, & de non conſeruata, fiat conſeruata, ſine aliqua mutatione. Res poteſt eſſe, & non durare: poteſt creari, & non conſeruari: fundamentum eſſe poteſt, & non referri: multa de relatione, duratione, conſeruatione verificantur, quæ non verificantur de ſolo fundamento, vel de re ſola, quæ durat, & cõſeruatur. Ergo hæc omnia diſtingui debent, ſi præſentia localis diſtinguitur.

82. Quarta obiectio.

Obiicit quartò Delugo diſp. 5. de Euchariſt num. 103. & 111. Non poteſt eſſe denominatio realis abſque forma aliqua reali, à qua proueniat: neque noua denominatio ſine noua forma. Si enim res omnes eodem modo ſe habent, ſemper eodem modo denominant. Quid enim aliud eſt denominatio formalis, niſi propoſitio, quâ de rebus loquimur, & res ſignificamus? Si ergo res omnes ſunt, quæ priùs, & eodem modo: denominationes erunt eædem. Rurſus denominatio vbicati non eſt à forma extrinſeca. Nam ſemotis omnibus extrinſecis, res erit vbi erat antea, & poterit moueri localiter per ſpatium imaginarium acquirendo nouum, & nouum vbi. Ergo præſentia localis eſt aliqua noua forma intrinſeca vbicato.

Reſpondeo negando maiorem, intellectam de forma diſtincta in re, & non de ſimplici modo ſe habendi indiſtincto, qui ſufficere poteſt ad nouam denominationem. Et quamuis ſint eædem res omnes, quæ priùs, ſufficit vt non ſint omnes eodem modo. Dicitur autem res eſſe vbicata ſine forma intrinſeca diſtincta, per hoc ſolùm formaliter, quòd ſua entitate replet intimè ſpatium reale, vel imaginarium, in quo eſt, aut eſſe concipitur, ad differentiam vbicationum percipiendam: quæ licet ſecundum ſe à tali ſpatio non pendeant, neque ad illud referantur intrinſecè: tamen non poſſunt à nobis concipi, & diſtingui, ſine reſpectu, & comparatione ad ſpatium reale, vel imaginarium, conſideratum vt immobile.

De Duratione.

83. Probatur duratione non diſtingui à re durante.

IDem Auctor ſubtilis & eruditus, diſp. 8. de Incarn. n. 102. videns ſine dubio argumenta, quibus aliorum modorum diſtinctio probatur, æquè concludere durationem rerum creatarum diſtingui à re duráte (quod tamen Suar. diſp. 50. Metaphyſ. ſect. 2. & alii pleriq; Modiſtarum cenſent, & meritò, eſſe impoſſibile, euidenterque demonſtrari oppoſitum) affirmat durationes diſtingui modaliter à rebus durantibus: & diſtingui inter ſe per diuerſum tempus imaginarium, cui ſic alligantur, vt ne per diuinam quidem potentiam poſſint eſſe in alia eius parte. Vnde etiam vult omnes durationes eſſe ſucceſſiuas, & in continuo fluxu poſitas, propter correſpondẽtiam ad nouas, & nouas partes temporis imaginarii fluentis, & ſucceſſiui. Quæ opinio fuit iam ſatis refutata diſp. 4. ſect. 5. n. 56. & ea omnia, quæ contra diſtinctionẽ modalem motus, & præſentiæ localis, iam diximus, poſſunt illi æquè validè applicari. Tantùm addo eundem Auctorem diſp. 8. de Euchar. n. 34. & 35. tradere, vel admittere principia, quibus illa diſtinctio durationis, & aliæ modales diſtinctiones conuincuntur eſſe ſuperfluæ. Docet enim actualem extenſionem partium in ordine ad locum, non eſſe aliquod accidens, quale ab aliis ponitur, diſtinctum ab vbicationibus partium, quod idem numero perſeueret, quando corpus localiter mouetur: ſed eſſe ipſaſmet vbicationes partium. Nam, inquit, eò præciſè quòd intelligatur caput in hoc loco, & collum in alio, & ſingulæ partes in diuerſis partibus ſpatii, ablato quocunque alio accidente, intelligitur extenſio localis partium. Eodemque modo, inquit, ſitus non eſt aliquod accidens poſitiuum phyſicè diſtinctum ab vbicationibus omnium partium animalis, & loci. Sedere enim hominem, v. g. nihil eſt aliud, quàm partes hominis eſſe in talibus locis taliter diſtantibus inter ſe, & ſedem eſſe in tali loco. His quippe poſitis, & ablato quolibet alio accidente poſitiuo, intelligitur homo ſedere. Hæc ille. At, inquam ego, præterquamquòd incredibile videtur extenſionem rei extẽſæ, putà marmoris, deperdi per ſolum motum localem, & toties variari intrinſecè, quoties locus variatur & vbicatio: quæ extenſio ſi diſtinguitur, extenſa eſt, & debet vniri ſubiecto naturâ priùs extenſo, cùm non poſſit vniri ſubiecto indiuiſibili,

aut indiuisibiliter posito, sed eius partes natura priùs supponant partes subiecti extensas, id est, positas alias extra alias, é quibus, educantur, quibusue vniantur, & inhæreant. Similiterque per motum localem siue à vento, siue ab aqua fluminis impellentis nauim, siue ab equo, aut quouis alio causatum, infinities variari & produci extensionem rerum plurimarum, tam artificiosè dispositam, tantoque labore, tam diuturno tempore, & tanta industria primò factam, vt vestium statuarum, picturarum, & similium: quod per se incredibile & absurdum esse mihi videtur. Hoc, inquã, prætermisso, & pluribus aliis quæ contra illam sententiam dici possent: contendo, per eundem philosophandi modum, debere cohærenter loquendo reiici distinctionem aliorum modorum. Nam si extensio non est accidens positiuum distinctum ab vbicatione, quia ex eo precisè, quòd intelligatur caput in hoc loco, & collum in alio, ac singulæ partes in diuersis partibus spatii, ablato quocunque alio accidente, intelligitur extensio localis partiũ: ergo neq; duratio est accidens positiuum distinctum ab existentia rei durantis: quia eo ipso, quòd intelligitur res existens non desinere, sed existere in hac, & illa differentia temporis, ablato quocunq; alio distincto, intelligitur res durare formaliter, id est, permanere in esse. Similiter extensio non est accidens positiuè distinctum à re extensa: quia eo ipso, quòd partes rei intelliguntur esse vna in hoc spatio, alia in illo, putà entitas substantialis capitis in spatio superiori, collum in inferiori, & sic de aliis, intelligitur homo esse extensus. Et motus vel præsentia localis non est accidens positiuum distinctum à mobili, vel à re locata: quia eo ipso, quòd res secundum suam substantiam est in spatio, illudque implet, seipsa, est præsens illi localiter, & hoc ipso, quòd implet seipsa diuersa spatia successiuè, mouetur localiter.

SECTIO VII.

Probatur, vnionem hypostaticam esse quidem aliquid creatum, sed non distingui ab extremis.

84. *Vnio hypostatica est aliquid creatum.* His præmissis dico primò, vnionem hypostaticam esse aliquid creatum, non strictè, prout creatio significat productionem alicuius rei ex nihilo: sed latè prout sumitur pro facto liberè à Deo, virtute suæ omnipotentiæ, atque ab illo pendente. Probatur; quia vnitio hypostatica non est productio alicuius rei ex nihilo, sed est simplex modificatio, quæ præsupponit duo extrema naturâ priùs existentia: Quare vnio hypostatica non propriè, & strictè creatur. Idque multò magis dicendum est in eorum sententia, qui volunt, vnionem illam esse modum à parte rei distinctum eductum, ab humanitate, & in ea sola receptum. Nam quod propriè creatur, fit ex nihilo subiecti. Attamen vnio hypostatica fit quodammodo, quatenus ponitur vi actionis Dei liberæ, existitque de nouo in rerum natura, qua de causa terminus totalis eiusdem actionis verè dicitur factus, Galat. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Eodemque sensu potest dici creatus, & creatura, non pura quidẽ, neque ratione Verbi, aut hypostasis diuinæ: sed ratione humanitatis, & vnionis in illa factæ. Consentiunt D. Thom. quæst. 2. art. 7. Suar. disp. 7. sect. 5. & alii communiter.

Dico secundò, vnionem hypostaticam non distingui realiter ab extremis vnitis, sed tantùm virtualiter, esseque ipsa extrema tali modo se habentia per simplicem vsum, & exercitium suæ vnibilitatis, quæ non per aliquid distinctum in re, sed per seipsa immediatè vniuntur. 85. *Non distinguitur realiter ab extremis.* Probatur primò, quia extrema vnibilia per se, non indigent formaliter, vt vniantur, nisi vsu suæ vnibilitatis: qui non debet esse ab ipsis in re distinctus, sicut actio non distinguitur ab agente, quod per se agit, nec passio à patiente, quod per se recipit, nec sessio à sedente, nec alii vsus, & exercitia, à potentiis, quarum sunt immediatè. *Probatur primò.* Argumenta enim quæ demonstrant hæc non distingui, idem probant de vnione. Neque enim v.g. minùs abiretur in infinitum, si quidquid vnitur, per vnionem distinctam vnitur: quàm si quidquid agit, per actionem distinctam agit, & si quidquid recipit, per aliquid distinctum recipit. At hypostasis Verbi, & natura humana, sunt per se vnibiles: Verbum quidem, ex infinita sufficientia, nullius alterius indigente, vt formaliter vniri possit: natura verò humana; per potentiam obedientialem, per quam apta est terminari à Verbo hypostaticè. Neque apparet quid ex parte corporis interponi possit, quod sit aptius vniri Verbo per se, quàm anima rationalis.

86. *Confirmatur.* Confirmatur, quia materia & forma substantialis, accidens & subiectum, & generaliter omnis actus & potentia naturalis, vniuntur ad inuicem per se immediatè, vt docent Aristot. 8. Metaphys. sect. 16. & S. Thom. ibid. & 1. 2. quæst. 110. art. 1. ad 2. vbi sic habet: *Inter materiam & formam non cadit aliquod medium, quia forma per seipsam informat materiam vel subiectum,* & quæst. 49. art. 1. c. *Quædam sunt, inquit, in quibus nihil est medium inter habens, & id quod habetur: sicut inter subiectum, & qualitatem, vel quantitatem, nihil est medium. Quædam inter quæ est sola relatio, vt habere socium vel amicum* &c. Et lib. 2. contra Gent. cap. 71. affirmat animam immediatè vniri corpori: nec oportere ponere aliquod medium, quasi animam corpori vniens; eò quòd anima vnitur corpori, vt forma eius: forma autem vnitur materiæ absque omni medio. Per se enim competit formæ, quòd sit actus corporis, & non per aliquid aliud. Vnde nec est aliquid vnum faciens ex materia & forma, nisi agens quod potentiam reducit ad actum. Hucusq; D.

Thom. Nimirum quia quilibet actus per se & sine vllo superaddito, est actus potentiæ: & vicissim potentia est per se potentia ad actum. Ergo & ille per se informat, & ista per se recipit, non per aliud quocunque modo distinctum in re. Ac sicut v.g. calor, qui est per se naturalis potentia ad calefaciendum, per se immediatè calefacit, id est, calorem producit in subiecto, non autem per modum vel formam interpositam inter ipsum & calorem productum: Ita potentia passiua per se immediatè recipit, & forma per se immediatè afficit materiam à qua recipitur: nec eget aliquo distincto vt afficiat: sicut materia non eget alio quo mediante recipiat, estque impossibile vt quicquid recipit, per aliud intermedium recipiat. Sanè Aristot. lib. 1. Physic. enumerans principia rerum naturalium, non meminit huius vnionis intermediæ, quæ tamen si distinguitur in re à materia & forma, erat numeranda inter principia corporis naturalis in facto esse, æquè ac potiori iure, quàm priuatio numeretur inter principia eiusdem corporis in fieri. Nam hæc minùs est necessaria, & minùs considerabilis, quàm vnio substantialis distincta in re à materia & forma: magisq; ab illis distinguitur, & numerum cum illis facit, quàm priuatio distinguatur à materia. De quo argumento plura videri possunt apud Tiphan. lib. de Hypostasi cap. 45. num. 8. & sequentibus, vbi variis Aduersariorum effugiis occurrit.

87. Secunda probatio. Secundò, vniri alteri est adhærere physicè alteri, eique connecti: & vniri immediatè, est adhærere immediatè. Ergo si natura humana adhæret Verbo immediatè, vnitur illi immediatè. Atqui natura humana adhæret Verbo immediatè: quippe quod illam terminat immediatè: hæc autem terminatio est adhæsio humanitatis ad Verbum. Ergo natura humana vnitur Verbo immediatè. Ergo non mediante entitate, vel entitatula distincta, quæ sit modus vnionis. Illa enim entitatula esset medium interpositum inter Verbum, & naturam humanam, quod solum immediatè vniretur Verbo, natura verò humana tantùm illo mediante.

Respondet Tannerus q. 3. de Incarn. dub. 4. Naturam humanam vniri Verbo immediatè, quia non vnitur illi, mediante altero extremo: quamuis vniatur mediante vnione distincta. Sed contra: euidens est non vniri immediatè ea, inter quæ mediat aliquid distinctum vt vniantur, quidquid illud sit, & cui extrema vniri debent, nec nisi mediante vnione cum illo, vniuntur ipsa inter se: adeò vt sola vnio extremorum cum illa entitatula, sit immediata: extremorum autem inter se, sit tantùm mediata. Sic autem res in præsenti se habet, vt patebit ex sequenti argumento.

88. Tertia probatio. Tertiò enim, si entitatula illa interponitur inter Verbum, & humanitatem, tanquam vinculum vtriusque, & nexus à parte rei distinctus; debent humanitas, & Verbum, vt inter se vniantur, vniri illi entitatulæ. Nisi enim vtrumque illi vniatur, non poterunt per illam vniri, sed manebunt disiuncta à se inuicem. Vel ergo vniuntur illi per se immediatè, vel mediante alia entitatula, & modo distincto vnionis. Si secundum, itur in infinitum, & impossibile est vnionem vnquam perfici. Si primum: Ergo vniri formaliter non est recipere modum distinctum vnionis, ita vt sine illo mediante, non possit fieri vnio: quandoquidem extrema vniuntur illi entitatulæ, sine modo distincto intermedio. Deinde si extrema possunt per se immediatè vniri entitatulæ: cur non possunt per se quoque, & immediatè vniri inter se? Quandoquidem ratio formalis vnionis non postulat de se modum distinctum: & extrema supponuntur esse per se apta vt vniantur. Sanè argumenta præcipua, quibus Aduersarij probare conantur vnionem distingui, vel nihil probant, vel probant de omni, vt videbimus paulò post. Quare cum necessariò, & euidenter conuincantur fateri, esse impossibile omnem vnionem (etiam illam, quæ fit cum entitatula intermedia) distingui à parte rei: non est cur asserant, extrema ipsa non posse inter se vniri sine media entitatula: quasi vnio sine aliquo distincto intermedio fieri nullo modo possit.

Neque valet responsio, quam adhibent huic argumento, vnionem vniri extremis per se immediatè, quia non vnitur *vt quod*, sed *vt quo*, id est, non est aliquid quod vniatur, sed quo extrema vniuntur. Contra enim: ostensum iam est vnionem ipsam, si est aliquid distinctum ab extremis, vt volunt Aduersarij, debere necessariò vniri extremis, quia alioqui non possunt extrema vniri inter se. Ergo est aliquid quod vnitur, & non tantùm quo alia vniuntur. Ergo vnitur vt quod, & non tantùm vt quo. Neque minùs ipsa secundum se, id est, secundum suam entitatem, aut entitatulam qualemcunque, quâ distinguitur ab extremis, vnitur, & adhæret ipsis extremis, quàm extrema vniantur, & adhæreant eidem entitatulæ, aut inuicem sibi ipsis.

Quartò, incredibile est dari aliquam entitatulam creatam, aut etiam possibilem esse, tantæ perfectionis, vt naturaliter & essentialiter constituat Deum, & Dei filium naturalem, velut effectum formalem sibi connaturalem, ita vt aliter esse nequeat de potentia absoluta, id est, non possit esse talis entitatula sine tali effectu. Atqui huiusmodi esset illa entitatula ab Aduersariis asserta. Nam secundum illos non potest esse, quin modificet humanitatem; neque potest eam modificare, quin vniat hypostaticè, ita vt de potentia absoluta aliter esse nequeat. Nam si posset absolutè esse sine Verbo sibi coniuncto, & incarnato, ruit præcipuum argumentum Aduersariorum, impossibilem esse transitum à contradictorio in contradictorium, sine acquisitione, vel deperditione alicuius positiui distincti. Ponamus enim entitatulam illam 89. Quarta probatio.

cum humanitate, cui identificatur realiter, aut potiùs necessariò inhæret, existere separatim à Verbo. Ergo iam fit transitus humanitatis ab vnita ad non vnitam sine deperditione positiui distincti: quia neque perit Verbum, neque humanitas, neque entitatula. Item supponamus rursum coniungi: ergo fit transitus à non vnita ad vnitam, sine acquisitione noui positiui distincti. Præterea illa entitatula, cùm partim corpus, partim animam afficiat, magnam deberet habere varietatem, esseque partim corporea, partim spiritalis. Si enim est spiritalis ex parte corporis: quomodo potest illi per se immediatè adhærere, cùm anima rationalis, quæ magis illi proportionata est, non possit tamen per Aduersarios corpori adhærere, & vniri, sine modo vnionis intermedio? Sed etiam, si materialis est, quomodo potest Verbo immediatè adhærere, cùm anima rationalis, quæ Verbo magis proportionata est, non illi adhæreat sine modo intermedio? Item si est materialis, quomodo potest identificari realiter animæ spiritali? Et si est spiritalis, quomodo potest identificari realiter corpori? Modi autem, iuxta Suar. & alios, identificantur realiter rei modificatæ: quia non distinguuntur ab illa realiter, & simpliciter, id est, distinctione reali maiori: quo autem modo non distinguuntur ab illa realiter, identificantur cum illa realiter: quia, quæ non sunt distincta, sunt idem eo omni modo, quo distincta non sunt. Præterea vnio illa corporis cum Verbo, se tenens ex parte corporis, cum sit materialis, debet esse extensa, & constare variis partibus, quibus totum corpus adæquatè vniatur Verbo diuino. Et illæ partes vnionis debent esse vnitæ inter se. Ergo per aliam vnionem distinctam iuxta doctrinam Aduersariorum. Nam potest absolutè quælibet illarum esse sine altera: sicut potest absolutè loquendo pars vna corporis Christi esse vnita Verbo sine alia: & reipsa in passione, & morte, sanguis fuit à corpore separatus, & in varias guttas diuisus, manente cuiusque vnione cum Verbo. Ergo tot erunt vniones vnionis, & modorum modi, quot sunt partes corporis, & sanguinis vniti, atque vnionis per illud totum extensæ. Et rursus quilibet horum modorum habebit modum præsentiæ localis distinctum. Tot autem multiplicare modos, & omnia modis & modorum modis peragere in Philosophia res valde ludicra videtur, inquit meritò Vasq. licet alioquin modorum distinctorum assertor, Tom. 1. in 3. p. disp. 32. cap. 4. num. 21.

Quintò, humanitas secundum se immediatè pendet à Verbo, vt terminante substantialem ipsius existentiam: ita vt Verbum diuinum terminet illam immediatè sua ipsius hypostasi: & eius terminatio immediatè attingat humanitatem. Hæc autem terminatio est ipsa vnio hypostatica: ergo Verbum & humanitas vniuntur secundum se immediatè, vnum per modum terminantis seipso immediatè; & alterum, per modum terminati.

Confirmatur: quia sunt aliquæ res vnibiles, quæ necessariò vniuntur per se, & immediatè, quamuis res eædem possint existere separatim, deque illis fieri possit argumentum Aduersariorum, Impossibile est fieri transitum à contradictorio, &c. Quod argumentum, quia non concludit de illis, non cogit vt in aliis vnio distincta ponatur. Probo antecedens exemplo partium extensionis. Nam si partes extensionis non vniuntur immediatè inter se, ac per se, sed aliquid in eis producitur à parte rei distinctum, quo vniantur: non est maior ratio cur in altera tantùm producatur aliquid, potiùs quàm in vtraque, quando par est vtriusque natura, & conditio: vt dum aqua aquæ vnitur, vel aër aëri, gluten glutini. Nam agens necessarium agit similiter in subiecta, æquè apta, & disposita. Partes autem extensionis in exemplis allatis, sunt ambæ æquè dispositæ, & aptæ ad vnionem: ergo non est ratio cur in vna potius producat vnionem, quàm in altera, vel quàm in vtraque. Atqui superuacaneum est vt in vtraque producatur vnio: nam vnica vnio est duorum vnio, quæ debet vtrumque attingere, & vtrumque complecti. Vnica verò non potest in vtraque parte extensionis produci. Alioqui vel partes extensionis essent simul penetratiuè: vel vnio illa esset in duobus locis, & educeretur è duobus subiectis. Non potest etiam dici, quòd vnio sit extra vtramque partem: nam vnio per Aduersarios est modus: modi autem per illos ne quidem diuina virtute possunt esse extra suum subiectum, quod modificant. Addo, non tantùm esse superuacaneum, sed & incommodum Aduersariis, dicere, produci duas vniones, vnam in qualibet parte; quæ scilicet producta in vno vnibilium, non tendat immediatè in alterum vnibile; sed in aliam quasi partem vnionis in ipso productam. Nam si vnio tota habet illo modo partes, quarum vna sit in vno vnibili, & altera in altero realiter distincto: non minor est difficultas intelligendi quo pacto duæ illæ partes vnionis coalescant in vnam, quàm intelligendi, quo modo vnibilia ipsa iungantur per se ipsa in vnum: maximè cùm modus partis A, identificatus cum ipsa realiter, & modaliter tantùm ab ea distinctus, vt volunt Aduersarii, non minùs differat realiter ab altero modo partis B, similiter illi identificato: quàm pars A, differat realiter à parte B. Sicut sessio Petri tam realiter differt à sessione Pauli, quàm Petrus ipse differt à Paulo. Denique dici non potest, quòd vnio tantùm producatur in vna parte: tum quia non est maior ratio de vna, quàm de altera, vt suprà dixi: tum etiam quia vna pars continui non minùs verè, ac propriè vnitur alteri, quàm hæc illi: ergo debet esse vtraque intrinsecè vnita: adeoque vnio deberet in vtraque produci, & non tantùm in altera: alioqui enim esset diuersi-

90. Retorquetur argumentũ Aduersariorũ.

tas, æquiuocatio, & improprietas, vt ostendam paulò post.

91. Similiterque cùm Verbum diuinum sit vnitum humanitati non minùs verè, ac propriè, quàm humanitas Verbo: deberet in Verbo, æquè ac in humanitate esse entitatula producta, per quam formaliter vniatur. At hoc de Verbo sine errore dici nequit: ideóque omnes auctores contrariæ sententiæ dicunt in sola humanitate produci. Verbum autem diuinum terminatiuè tantùm ad illam se habere. Sed hoc etiam sine incommodo dici nequit. Primò, quia hinc sequitur Verbum diuinum vniri tantùm extrinsecè per vnionem existentem in sola humanitate, quæ sola per illam intrinsecè vnitur, & formaliter afficitur. Hoc autem falsum est: quia tam propriè Verbum est vnitum humanitati, quàm humanitas Verbo: aut pars vna continui, quàm altera ipsi coniuncta. Atqui si vnum tantùm esset intrinsecè vnitum, alterum verò extrinsecè solùm, & denominatiuè ab vnione existente in alio: esset diuersitas, analogia, & improprietas: vt est in illis, quorum vnum dicitur sanum à sanitate sibi intrinseca, vt animal: alterum denominatiuè à sanitate sibi extrinseca & existente in alio, vt pulsus, aut medicina. Secundò, quia si vnio solùm terminatur ad Verbum sine ipsius adhæsione ad illam entitatulam, & ad humanitatem illa mediante: quomodo Verbum vnitur physicè humanitati, cui tantùm indistans, & intimè præsens est? Quomodo item Pater & Spiritus sanctus non æquè terminant vnionem illam, cùm sint illi æquè præsentes, & indistantes, ac Verbum? Sin autem Verbum adhæret illi entitatulæ; ergo non tantùm illam terminat, sed circa illam habet vsum suæ vnibilitatis: qui vsus non est aliquid intermedium, aut distinctum à Verbo: alioquin aut Verbum non vniretur: aut deberet adhærere illi intermedio, & circa illud habere vsum suæ vnibilitatis, quod nisi fiat per simplicem vsum indistinctum à Verbo, itur in infinitum: De isto enim redit eadem quæstio, an Verbum illi per se formaliter adhæreat, an per aliquid distinctum; & sic deinceps. Idemque argumentum fieri potest de humanitate: quæ debet ipsa quoque adhærere illi entitatulæ distinctæ, vt illa mediante adhæreat Verbo diuino: nisi enim illi adhæreat, non adhæret per illam Verbo.

Si vnio distingueretur, deberet recipi in Verbo, æquè ac in humanitate.

In eo quod diximus vnionem hypostaticam non distingui in re ab extremis, nec esse modum ex natura rei distinctum, consentiunt Gregor. Arimin. in 1. distinct. 28. q. 2. in responsione ad 17. & 18. argumentum. Maior in 3. distinct. 1. qu. 1. Ocham. in 1. dist. 30. quæst. 1. §. *Ad secundum inconueniens*, licet postea victus aliqua difficultate contrarium senserit qu. 4. post 3. conclusionem. Caiet. ad quæst. 2. 2. 7. §. *In hoc articulo cautissimè*: & art. 10. circa ad 1. Valent. qu. 2. p. 5. & Did. Aluar. d. 13. de Incarn. conclus. 1. n. 12. qui addit hanc sententiam esse communem inter Thomistas.

Gregor.

Maior Ocham.

SECTIO VIII.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

Contrarium verò sentit Gab. in 1. dist. 30. qu. 4. art. 2. & in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 1. citans pro se Ochamum & Alensem: sed immeritò; non enim dicunt id, quod illis ipse tribuit: & licet, vt notaui paulò ante, Ochamus vacillauerit circa indistinctionem vnionis: nusquam tamen sensit idem, quod Gabriel, affirmans Verbum, & humanitatem vniri formaliter per qualitatem quandam absolutam, & supernaturalem, quam vocat gratiam vnionis, realiter distinctam ab extremis. Quæ opinio absurda est. Nam substantia non potest constitui intrinsecè, & formaliter per aliquod accidens, sed per aliquid substantiale: ex substantia enim, & accidente non potest fieri, nisi vnum per accidens, & compositum accidentale. Christus autem est compositum substantiale vnum per se. 92.

Vnio hypostatica nõ est qualitas.

Secundò, Suar. disput. 8. de Incarn. sect. 3. Vasq. ibid. disput. 18. Tanner. qu. 3. dub. 4. Delugo disp. 11. num. 2. Less. lib. 12. de perfect. diuin. cap. 6. & alij recentiores, docent vnionem hypostaticam esse modum substantialem, seu entitatulam in humanitate sola productam. Sed hæc sententia Suaris non bene cohæret cum eo, quod ait disp. 18. sect. 3. §. *Sed quamuis hæc*: gratiam vnionis includere intrinsecè, & formaliter ipsam personam diuinam, & ipsum ens per essentiam. Si enim vnio est entitatula distincta ab extremis, & in humanitate sola producta; & consequenter in doctrina Suaris de modis, illi solùm realiter identificata, non includit intrinsecè, & formaliter ipsam personam diuinam, & ipsum ens per essentiam. Argumenta vero Suaris, & aliorum supra citatorum, hæc præcipua sunt. 93.

Neq; modus distinctus in re.

Primum argumentum: Omnis vera actio positiua, & realis habet terminum realem, & positiuum immediatè productum. Sed incarnatio est actio realis, & positiua: ergo &c. Respondeo, non omnem actionem realem, & positiuam, esse productiuam: sed aliquam esse tantùm modificatiuam, cui sufficit habere terminum realem, & positiuum vi sua non simpliciter positum, sed taliter modificatum: vt facile est ostendere de motu locali, extensione, retentione, & similibus, de quibus diximus sect. 6. Quamquam in huiusmodi modis simplicibus taliter se habendi locutio per abstracta est impropria, & causa æquiuocationis, cùm dicitur, vnio ponitur, vnio fit, vnio desinit, vel destruitur. Potiùs enim dicendum est: Extrema incipiunt, aut desinunt esse vnita, & taliter se habere.

Nõ omnis actio realis est productiua.

Dices, relationes diuinas Filij, & Spiritus sancti, verè produci: & ratione illarũ personas Filij, & Spiritus sancti dici esse produ- 94.

ctas. Et tamen illæ relationes sunt tantùm modi essentiæ diuinæ indistincti: ergo malè negamus produci vnionem, eò quòd sit modus indistinctus ab extremis. Respondeo, relationes diuinas non esse modos similes nostris, sed ita esse modos, vt sint etiam æquiualenter, & formaliter res, vnde ratione illarum personæ diuinæ verè dicuntur esse plures res, vt loquuntur sancti Patres, & Theologi communiter, à nobis relati in tract. de Trinit. disp. 25. sect. 12.

Cur relationes diuinæ Filii, & Spiritus sancti producantur, & non alii modi?

Instabis, generationem hominis consistere præcisè, & formaliter in vnitione animæ & corporis, per quam, si nihil distinctum producatur, ruit argumentum, quo probatur Patrem distingui à Filio in diuinis, quia hic ab illo generatur. Item si productio physica, & realis requirit necessariò terminum distinctum, vt patet ex diuinis: ergo & omnis alia actio physica, & realis: nulla enim reddi potest ratio differentiæ. Ergo actio vnitiua, loco-motiua, & quacunque alia ratione modificatiua debet habere terminum distinctum, atque ita modi distinguuntur in re à modificato, quod sæpissime non tantùm est subiectum, sed & causa efficiens modi, quia seipsum actiuè modificat. Ac si modi distinguuntur in re à modificato, actiuè simul, & passiuè se habente, distinguuntur pariter à modificato passiuè tantùm se habente. Rationes enim quæ probant modos non distingui in re; probant de omnibus vel de nullo.

95. Quid producatur in generatione hominis?

Respondeo primò, in generatione hominis naturali & ordinaria, multa realiter produci, propter quæ homo genitus denominatur verè, & realiter productus: videlicet non modò vltimam dispositionem, in qua consummatur alteratio, sed & formas substantiales partiales, & organicas, atque animam ipsam rationalem, quæ creando infunditur, & infundendo creatur. Secundò, quamuis generatio præcisè sumpta, & metaphysicè, quoad id, quod est formaliter, & intrinsecè, consistat in vnitione: plus tamen significatur, & connotatur nomine generationis viuentium: sic enim definitur: Est origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ. Qua definitione importatur manifestè distinctio inter generans, & genitum, sine qua non potest esse origo viuentis, à viuente coniuncto, neque similitudo naturæ: coniunctio enim, & similitudo non potest esse nisi inter duo. Tertiò, quamuis in hominis generatione non producatur vnio, quia est pura modificatio extremorum, & simplex se habendi modus; alia tamen est ratio proprietatum diuinarum Filij, & Spiritus sancti, quæ non sunt tantùm modi, sed, & æquiualenter, ac formaliter res excellentissimæ, vt supra notauimus. Quartò denique, in generatione hominis terminus totalis, qui est filius siue homo genitus, semper distinguitur realiter à generante, & ab vniente, saltem inadæquatè. Neque enim ipse totus, nec ipsius materia (quidquid sit de anima) est causa efficiens vnionis, quæ fit in generatione. Quare nostra sententia non officit distinctioni reali personarum diuinarum, ex quibus similiter procedens distinguitur realiter à producente. Cur autem vera, & realis productio requirat terminum distinctum à producente, & non quæuis alia actio purè modificatiua, vt motio localis suiipsius, extensio, sessio, & similes, ratio hæc est: quia productio dat simpliciter esse rei productæ. At modificatio pura non dat simpliciter esse rei, sed tantùm rem habentem iam esse, facit tali quopiam modo se habere.

Secundum argumentum: Impossibile est de eodem verificari duo contradictoria, nisi facta in illo aliqua mutatione intrinseca, vel extrinseca: Si enim manet idem quod antea, non potest de illo verè negari, quod antea verè affirmabatur. Nam ex eo quòd res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est. Atqui de humanitate vnita Verbo affirmatur verè, quòd sit vnita, & de eadem per se considerata, ac non assumpta (sicut potuit non assumi) negaretur verè, quòd esset vnita. Ergo est vnita per aliquam mutationem intrinsecam, aut extrinsecam. Non sufficit autem extrinseca loci, vel temporis: quia humanitas posset esse tali loco, & tempore, & non esse vnita: idemque dico de quibusuis aliis extrinsecis. Non sufficit etiam mutatio intrinseca per priuationem propriæ subsistentiæ: quia non est idem formaliter humanitatem esse priuatam propria subsistentia, & terminari diuina. Deinde hæc priuatio non fit nisi consequenter ad positionem modi incompossibilis in humanitate. Et incarnatio, cùm sit actio positiua, debet habere terminum positiuum, nempe modum illum substantialem vnionis incompossibilem cum propria hypostasi. Superest ergo, vt fiat hæc mutatio per productionem talis modi in humanitate. 96. Secundum argumentū Aduersar.

Respondeo, sufficere virtualem mutationem, & modificationem indistinctam, ad verificanda duo contradictoria: vt manifestè patet exemplo Dei, qui ab æterno nouit multa contingenter, quæ potuit non cognoscere, sicut ipsa potuerunt non esse: & multa liberè voluit, quæ potuit non velle, ac loco illorum velle opposita: ex quibus actibus denominatur intrinsecè Deus cognoscens, & volens: ac, si non essent, verè diceretur non esse cognoscens, aut volens tale obiectum: sine vlla tamen reali mutatione facta in ipso Deo, à qua sumatur hæc denominatio intrinseca. Quod enim Deus cognoscat aliquid, aut velit, est vitalis actus, adeóque immanens, & intrinseca perfectio, atque tendentia ipsius Dei in obiectum. Quare denominationes, & propositiones contradictoriæ in eo fundatæ, fundatur in aliquo intrinseco: ac, si necessariò requirunt aliquam mutationem, vt possint verificari: mutatio illa debet esse intrinseca. Non est autem realis, & physica, quia actus diuini nihil reale distinctum addunt: ergo tantùm virtualis, & per æquiualentiam.

Modificatio indistincta sufficit ad verificanda duo contradictoria, vt patet in diuinis.

96. Modificatio Dei per actus liberos non est formaliter ab obiecto.

Dices, esse mutationem realem in obiecto: quia si Deus nouit ab æterno Petrum peccaturum, supponit illum esse peccaturum: & si voluit mundum creare, mundus extitit, prout Deus voluit. Respondeo primò, mutationes illas obiecti esse temporaneas, cùm tamen Deus ab æterno fuerit cognoscens, & volens, Ergo non constituitur intrinsecè cognoscēs, & volens per talem mutationem, sed per actum intrinsecum, qui ab æterno præcessit, & quo Deus carere potuit, vel habere oppositum per mutationem virtualem. Secundò, licet mutatio extrinseca sufficiat ad denominandum extrinsecè, & ad verificanda contradictoria, de aliquo extrinsecè denominato: secus tamen ad denominandum intrinsecè, cuiusmodi est denominatio intelligentis, & volentis. Tertiò, sicut aliud est Solem esse, & Solem à nobis videri, neque à nobis videtur sine actu interno visionis: sic aliud est, Petrum esse peccaturum, & cognosci à Deo esse peccaturum: neque cognoscitur sine actu vitali, & intrinseco Dei, à quo denominatur cognoscens, & non ab ipso peccato. Similiter cùm Deus vult mundum creare: aliud est mundum esse; & aliud, Deum velle vt fit. Neque Deus ideo vult creaturam, quia in illa facit mutationē, siue quia illa aliter se habet ex voluntate, & efficacia diuina: sed potiùs è contrario, quia Deus vult efficaciter creaturam, ideo dat illi esse, seu transfert illam de non esse ad esse; & ideo creatura est: ita vt volitio necessariò præeat tanquam causa existentiæ creaturæ. Quartò, non omnes actus liberi Dei mutant obiectum, aut supponunt realem, & actualem illius mutationem: vt actus scientiæ mediæ, & actus simplicis complacentiæ, vel desiderij inefficacis circa plurima obiecta; defectu conditionis requisitæ ex parte creaturarum.

97. Modificatio indistincta sufficit etiam in creatis ad vitādam contradictionem.

Idem secundò patet in rebus creatis. Nam duratio, seu permanentia in esse, est denominatio intrinseca rei durantis. Et tamen aduenit sine reali mutatione intrinseca. Duratio enim non distinguitur in re à durante, nec conseruatio à creatione, vt Suar. ipse fatetur: tametsi res quæ durat, possit non durare; & quæ conseruatur, possit non conseruari. Imò in eo casu in quo Deus nihil, nisi vnū Angelum creasset, posset ille durare, & non durare, conseruari, & non conseruari; sine vlla reali mutatione neque in Angelo, neque in Deo, neque in vllo alio, quia nihil aliud est, vt supponimus. Patet etiam exemplo motus, & præsentiæ localis, quæ fieri possunt in spatio imaginario, sine reali mutatione, vel ipsius mobilis (quod nihil intrinsecum, à se distinctum acquirit per motum localem, vt affirmat Aristot. & nos supra ostendimus) vel alterius rei mutabilis, quæ nulla est, vt supponimus. Item exemplo extensionis, & figuræ quantitatis, quæ variari potest, sine accessu, aut decessu rei, vel reculæ distinctæ. Est enim extensa formaliter eo solo, quòd eius partes, sunt aliæ extra alias, quocunque alio sublato, re vel ratione distincto: & est v. g. figuræ circularis, eo solo, quòd partes omnes eius extremæ distant æqualiter à centro. Ac denique exemplo actionis, passionis, & aliis similibus, quæ supra ostendimus non distingui in re ab eo quod intrinsecè denominant: Addo, illud argumentum retorqueri posse in ipsum vsum vnibilitatis Verbi, quo necesse est ipsum immediatè vniri illi entitatulæ, vt antea probauimus. Ab hoc enim vsu Verbum denominatur intrinsecè vnitum, & non ab illa entitatula.

Tertium argumentum: Fieri non potest, vt quæ per se iuncta non sunt, euadant iuncta, & vnita nullo à parte rei distincto intercedente. Neque possunt duo extrema ita coniungi, vt ex illis aliquid vnum resultet, nisi saltem alterum illorum aliter se habeat à parte rei. Alioquin enim manent extrema eadem, quæ ante, & omnino eodem modo à parte rei. Idem autem manens idem, semper natum est facere idem. Si ergo extrema manent eadem sine accessione cuiusquam à parte rei distincti, non possunt vniri, & constituere in re aliquid noui. 98. Tertium argum.

Respondeo, fieri posse, vt quæ non sunt vnita, euadant vnita per simplicem vsum suæ vnibilitatis, sine aliquo distincto. Quo pacto necesse est fateri Aduersarios Verbum vniri illi entitatulæ. Tuncque extrema non se habent eodem modo, ac si iuncta non essent: Sed vi causæ efficientis habent vsum, & actū secundum suæ aptitudinis, qui tamen non est in re distinctus ab eo, cuius est vsus, licet vsus, & actualitas vnius importet aliquid aliud, nempe alterum extremum sibi quoque adhærens per vsum suæ vnibilitatis, iuxta naturam, & conceptum vnionis, quæ necessariò duorum est. Sic agens, quà agens, importat terminum vt ipsius vi positum: & contactus, aut tangens, quà tale, importat alterū, quod tangitur, velut immediatè contiguum, sine quo nec esse tale, nec intelligi potest. Ac sine illo importato non est formaliter vnio à parte rei, id est, non est secundum totum suum conceptum formalem sufficientem ad denominationem vniti. Ad vniendum sufficit simplex vsus vnibilitatis extremorum.

Quartum argumentum: Humanitas vt vnita, dicit aliquid præter humanitatem, vt per se constat, & aliquid etiam præter subsistentiam Verbi, quia concipi potest, & esse aggregatum ex humanitate, & Verbo, quamuis humanitas non sit vnita. Et hoc verè à parte rei est, distinguiturque à Verbo, & humanitate, quæ sine illo possunt existere: quia si duo possunt ita separari in re, vt vnum existens maneat, & non aliud, necesse est, vt saltem modaliter distinguantur. Euidēter enim est impossibile vt idem sit, & non sit. Ergo si hoc non existit, quod antea existebat, & aliquid manet existens, non possunt esse in re idē omnino: alioquin idem simul existeret, & nō existeret. Confirmatur, quia, quando hæc duo separantur, aliquid positiuum est, quod in re tollitur ab alio, & desinit esse, sumendo latè aliquid prout distinguitur contra nihil, 99. Quartum argum.

pro omni re, vel modo reali. Talem enim supponimus esse vtrumque eorum, quæ prædicto modo separabilia sunt. Illud ergo positiuum, postquam separatur, non est: ergo quando erat, distinctum aliquo modo erat ab eo, quod manet existens. Confirmatur, quia non minùs impossibile est separari idem omnino à seipso, destructo altero extremo, quàm conseruato vtroque. Ergo quoties fieri potest talis separatio, supponitur in re distinctio. Imò hæc ipsa separatio est distinctio, & diuisio.

Humanitas, vt vnita, quid addat supra humanitatem simpliciter.

Respondeo, humanitatem vt vnitam dicere vnionem super humanitatem, non tanquam rem distinctam, sed tanquam vsum simplicem; quæ vnio verè est à parte rei, estque verè realis, sed non distincta realiter. Quod de Verbo per se immediatè vnito illi entitatulæ, dicere debent Aduersarij. Imò ne quidem concipienda est vnio, velut aliquid ratione præcisum ab extremis, & tanquam ratio, vel formalitas intermedia: sed tanquam modus simplex sic se habendi, absque compositione reali, vel rationis inter ipsam, & extrema: ita vt solùm distinguatur ab extremis præcisione non mutua: quatenus extrema possunt sine illa concipi: sed non ipsa sine extremis. Alioqui enim vnio malè concipitur, & abitur in infinitum: quia hæc ratio præcisa, vel formalitas, debebit concipi iungi extremis per aliam, & sic deinceps in infinitum, vt suprà diximus contra entitatulam in re distinctam.

100. Variæ instantiæ contra Aduersar.

Nec obest, quòd humanitas sine vnione esse possit: seu potiùs esse possit humanitas, & non esse vnita. Nam similiter potest esse Deus, & non cognoscere Petrum peccaturum, posito quòd non peccet; aut non velle mundum creare: potest esse vis agendi, & non agere: potest esse quantitas, & non esse extensa, aut figurata: potest esse mobile, & non moueri: potest esse Verbum, & non vniri illi entitatulæ. Atque vt exemplis vtar à Suare concessis, potest res esse, & non durare: potest creari, & non conseruari: potest esse fundamentū relationis, & non referri: cùm tamē duratio non distinguatur in re à re durante; nec conseruatio à creatione, nec relatio à fundamento. Contra quæ exempla æquè pugnant omnes illæ instantiæ sumptæ ex Suare disp. 7. Metaph. sect. 2. nu. 3. Ad quas dico non inde sequi idem esse & non esse simpliciter: sed, esse absolutè, ac secundum entitatem; & non esse tali modo se habens: Neque verè, ac propriè separari vnum ab alio, quia duo non sunt, nec est vnum, & aliud, sed est vnum simplex tali modo se habens per seipsum, quo modo potest non se habere: sicut Deus seipso tali modo liberè vult, aut cognoscit contingenter, & agens seipso agit, & quantitas seipsa extenditur.

101. Quintum argum.

Quintum argumentum: Si vnio nihil est præter extrema, quomodo ergo fit per incarnationem, cùm non fiant extrema? Et quomodo Christus ratione illius potest dici factus, sicut dicitur ab Apost. Rom. 5. & Galat. 4. Si respondeas fieri vsum: Ergo cùm Verbum diuinum habeat suum vsum, æquè ac humanitas, fiet aliquid in Verbo ipso, & Verbum realiter & identicè erit factum, & creatum, quatenus est idem cum illo vsu: quod est absurdum, & malè sonat.

Quomodo fit vnio, licet non fiant extrema?

Respondeo, fieri vnionem, licet non fiant extrema: sicut fit motus, licet non fiat mobile: & fit figura, licet non fiat quantitas, & fit domus, licet non fiant lapides, calx, & alia materialia præsupposita ædificationi, coniungenti tantùm & disponēti. Fieri, inquam, vnionem, hoc sensu, id est, extrema fieri vnita, cùm antea non essent vnita: non autem quòd fiat tertium quid re vel ratione distinctum, & præcisum ab extremis. Vnio enim malè ita concipitur, & potiùs est ipsa extrema seipsis ita se habentia. Hoc autem sensu verum est de ipso etiam Verbo, quòd factum sit vnitum, sicut Scriptura de illo affirmat factum esse carnem, Ioan. 1. per vnionem scilicet, non per conuersionem: & in Symbolo Nicæno dicitur Filium factum esse hominem, id est, factum esse vnitum humanitati.

Actio non fit.

Dices, si fit ille vsus: ergo etiam actio fit, quod antea negauimus. Respondeo negando consequentiam. Nam actio non existit vi actionis alicuius, sed est ipsum agens exercēs vim suam, & per illam aliquid aliud ponens. Neque agens, cùm agit transeunter, ponit quidquam noui in seipso, sed tantùm aliter se habet ad aliud, efficiendo aut afficiendo illud vi sua. Cætera, quæ hic obiici possunt, diluentur inferiùs dis. 8. sect. 1. n. 6. & sequentibus.

SECTIO IX.

Quid, & qualis sit vnio hypostatica?

102. Vnio hypostatica est vera cōpositio.

Prima conclusio: Vnio hypostatica est vera & propriè dicta compositio realis ex hypostasi Verbi, vt terminante personaliter, & ex natura humana terminata, ad constituendam vnam personam compositam ex natura humana, & ex hypostasi Verbi, Christum scilicet ex vtraque compositum, atque ex duabus naturis in vna subsistentia, & vnitate personæ. Hæc conclusio patet ex dictis sect. 3. Vbi ostendimus hanc vnionem fuisse veram, & physicam coniunctionem humanitatis cum hypostasi Verbi immediatè, ad constituendam vnam personam ex duabus naturis, diuina & humana, vnitis in eadem hypostasi. At omnis vera, & physica coniunctio est vera & realis compositio, vt ex terminis patet: & quidquid fit vnum ex multis per veram, & realem coniunctionem, fit per veram compositionem: adeóque verè, & realiter compositum est.

Probatur ex Conciliis, & ratione.

Confirmatur ex Conciliis, quorum auctoritas præferenda est nonnullis verentibus cum D. Thoma admittere compositionem in hoc

in hoc mysterio. Nam in V. Synodo Generali collat. 8. can. 4. sic dicitur: *Si quis non confitetur vnitatem Verbi Dei ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali, secundū compositionem, siue secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, anathema sit.* Et in Conc. Lateran. sub Martino I. can. 8. sic statuitur: *Si quis non confitetur verè, & propriè secundum compositionem, id est, secundum subsistentiam naturarum vnitionem, ex quibus vnus, & solus extitit Christus, &c. sit condemnatus.*

103. Refutatur euasio Aduersariorū. Malè autē respondent Aduersarii, Concilia citata impropriè loqui. Nam potiùs prudenter, & propriè locuta, præsertim in fidei definitionibus, censenda sunt. Alioquin enim Concilia lites non terminarent, nisi sententiam suam claris, & propriis verbis, atq; vsitato loquendi modo pronunciarent. Deinde Lateran. citatum expressè dicit *verè & propriè*. Adde quòd SS. Patres, vt Athanasius in oratione, *Quòd vnus sit Christus*, Et Damasc. lib. 3. de Fide, cap. 3. 4. & 5. eandem in Christo compositionem disertè prædicant. Patetque ex ipsa definitione vnionis, & compositi. Est enim compositū, id quod constat ex pluribus realiter distinctis, & inter se coniunctis. Vnio verò est coniunctio duorū, vel plurium distinctorum, ad vnum ex illis constituendum: vnum, inquam, non simplici vnitate, siquidem vnio est multorum: sed vnū coniunctione, seu compositione ex multis inter se vnitis. An verò propterea hypostasis Verbi dici possit esse pars Christi, dicemus alio loco: interea videri potest Vasq. disp. 16. cap. 4. vbi refert nonnullos antiquorum ita locutos. An item, & quomodo Verbum diuinum per hanc vnionem & compositionem non mutetur æquè, ac humanitas, exposuimus disp. 1. sect. 4.

Vide infra disp. 7. nu. 31.

104. Vnio hypostatica est substantialis, & naturalis, atque essētialis Christo. Secunda conclusio: Vnio hypostatica est substantialis, atque etiam est Christo naturalis, & essentialis. Prima pars probatur, quia est nexus duarum substantiarum ad constituendam vnam substantiam completam, & vnum ens per se substantiale, videlicet vnum suppositum, quod est Christus, Deus & homo. Quidquid autem est de ratione intrinseca, & constitutione entis substantialis, substantiale est: cùm substantia nonnisi ex substantiis, aut substantialibus constituatur: ex substantia verò, & accidente non fiat nisi ens per accidens.

Secunda pars, quòd hæc vnio sit Christo naturalis, & essentialis, patet, quia vnicuiq; rei naturale, & essentiale est id, ex quo intrinsecè & essentialiter constat. Christus autem cōstat intrinsecè, & essentialiter vnione hypostatica, siue humanitate, & hypostasi Verbi vnitis: sicut homo cōstat intrinsecè, & essentialiter corpore, & anima vnitis, quorū vnio idcirco naturalis, & essentialis homini est. Maior est euidens. Minor probatur, quia vnicuique rei essentiale est id omne, sine quo tanquam intrinsecè inexistente non potest res esse, nec concipi, vt docent Metaphysici. Atqui vnio ita se habet respectu Christi.

Dixi, vnionem hypostaticam esse Christo naturalem, & essentialem, id est, toti composito, non autem partibus seorsim sumptis: nam illis logicè accidentalis est, id est, de illis accidentaliter, seu contingenter prædicatur. Et Verbo quidem est præternaturalis: humanitati autem est supernaturalis, id est, supra vires, & debitum totius naturæ, supráque naturalem ipsius capacitatem, & respectum ad causas connaturales, ac denique ordinis superioris toto ordine naturali, in quo est humanitas. Neque propterea humanitas est in statu violento, quamuis loco propriæ, & naturalis subsistentiæ habeat alienam, & supernaturalem. Quia licet non sit negandum humanitatem habere appetitum naturalem ad propriam hypostasim, vt contra Suarem & Caiet. fusè probat Vasq. disp. 34. cap. 2. propterea quòd hic appetitus nihil est aliud, quàm ipsa naturalis capacitas humanitatis propriæ subsistentiæ: non est tamen existimandum humanitatem habere naturalem inquietudinem, & reluctantiam, seu auersionem diuinæ hypostasis: violentum autem non est, nisi, quod fit ab extrinseco, reluctante passo. Habet enim humanitas potentiam obedientialem ad hypostasim Verbi: & hic status est illi melior, quàm habere propriam subsistentiam, continetque huius perfectionem, & longè amplius. Quocirca sicut materia, licet sit capax aliarum formarum, habeatque ad illas naturalem appetitum, id est, potentiam naturalem ad illas successiuè, aut diuisim recipiendas, non propterea est violenter sub anima rationali, cum qua simul alias recipere non potest, imò melius sub illa est: sic humanitas &c. 105. Non est naturalis aut essentialis partibus Christi. Non est humanitati violenta, & quare.

106. Aliam rationem reddit Vasq. disp. cit. cap. 4. quia ex Aristotele lib. 2. Moral. ad Eudem. violentum est cùm foris quippiam contra internum impetum mouerit, seu aueritur. At priuatio propriæ subsistentiæ non est contra internum impetum humanitatis, quia vis solùm inferri potest, aut causæ efficienti, aut formali, si contra internum impetum effectus illarum impediatur. Materiæ verò nulla vis inferri potest in eo quòd careat aliqua perfectione, quantumuis sibi naturali: quia in materia, & subiecto ad recipiendum nullus est internus impetus, contra quem vis aliqua inferri possit. At humanitas non est causa efficiens, neque formalis suæ subsistentiæ, sed ad illam se habet tantùm per modum materiæ, & subiecti, quia natura est tantùm materia, & subiectum recipiens propriam personalitatem. Ergo &c.

Verùm hæc ratio Vasquis perperam assumit, non esse violentum, nisi quod fit contra impetum causæ efficientis, aut formalis. Nam iuxta communem sensum philosophorum, materiæ primæ violentum esset carere omni forma substantiali, aut non esse extensam. Materia tamen non est causa efficiens aut formalis formę. Vacuū similiter repugnat

naturæ inclinationi in genere causæ finalis, potius quàm efficientis, aut formalis: abhorret enim natura vacuum propter rerum corporearum coniunctionem localem ad multa vtilem, quam amat, & intendit. Quare ratio priùs à nobis reddita melior est. Vt omittam, iuxta multorum sententiam naturam substantialem vi sua habere vsum subsistentiæ propriæ, in genere causæ efficientis, nisi impediatur supernaturaliter. Quod verò ait Vasq. naturam esse illius subiectum, non est verum propriè loquendo. Nam subsistentia non incumbit alteri, neque inhæret tanquam subiecto: sed est modus fundi per se incommunicabiliter, & vltimus terminus existentiæ substantialis, non egentis subiecto & sustentante.

107. *Soluitur obiectio.* Objicies contra conclusionem, sanctos Patres & concilia dicere, vnionem hypostaticam esse naturalem, & esse naturâ, non per gratiam. Respondeo, sanctos Patres, & concilia sic loqui contra Nestorium, sumendo naturam, & naturale, prout opponitur morali: & tantùm velle hãc vnionem factam esse, non per solum affectum, & gratiæ dona; sed per physicam, & realem coniunctionem humanitatis, & Verbi, in eodem supposito. Quo sensu non negamus vnionem hypostaticam posse dici naturalem, id est, physicam, & factam in natura ipsa diuina physicè, & realiter, mediante hypostasi: non autem moraliter solùm secundum affectum, & dona gratiæ creata. Potest & alio sensu dici naturalis humanitati, quatenus illi conuenit à primo eius ortu: Quo sensu Paulus de peccato originali sic ait, *Eramus naturâ filii iræ*, Ephes. 2.

108. *Vnio hypostatica est relatio transcendentalis, terminationis ex parte Verbi, & inexistentiæ ex parte humanitatis.* Tertia conclusio: Vnio hypostatica est modus se habendi ad aliud, & transcendentalis relatio adhæsionis humanitatis ad Verbum vt terminans hypostaticè, & Verbi ad humanitatem, vt terminatam, inexistentem, & dependentem à Verbo, velut à terminante hypostaticè, & concludente ipsius existentiam. Relatio verò categorica in tali vnione fundata, ficta est, & superflua.

Prima pars conclusionis, quòd scilicet vnio hypostatica sit modus se habendi ad aliud, est D. Thomæ quæst. 2. art. 7. Scoti in 3. distinct. 1. quæst. 1. Durandi dist. 5. quæst. 2. Vasq. disp. 18. cap. 3. & patet, quia essentia vnionis non potest concipi sine ordine ad extrema, quæ vnit. Est enim modus se habendi cuiusque extremorum, non absolutè in seipso, vt subsistere naturaliter, stare, iacere, & similia: sed in ordine ad aliud, nempe ad alterum extremum, cui vnitur: sicut actio est modus se habendi in ordine ad effectum; & informatio, vel inhæsio, ad subiectum informationis, vel inhæsionis. Notandum enim obiter, modos rerum esse in duplici differentia: aliquos absolutos, quibus res aliter se habent in seipsis, sine ordine ad aliud: & alios relatiuos, quibus res modificantur in ordine ad aliud.

109. Secunda pars, quòd hæc vnio sit relatio terminationis ex parte Verbi, & inexistentiæ, ac dependentiæ ex parte humanitatis, atque adhæsionis ex parte vtriusque, liquet ex dictis suprà de natura, & veluti effectu formali huius vnionis, quæ in eo consistit, quòd vniat Verbum humanitati immediatè secundum hypostasim terminantem existentiam humanitatis, illamque concludentem quodammodo passiuè, & terminatiuè, dantemque illi formaliter subsistere in Verbo, loco naturalis, & propriæ subsistentiæ, quâ subsisteret in seipsa, seu per seipsam, vi propriæ sufficientiæ, seu naturalis perfectionis non indigentis alieno termino, vel subiecto & sustentaculo. Vnde fit, vt humanitas per illam vnionem constituatur formaliter dependens ab hypostasi Verbi, & in illo existens, vltimòq; cõclusa, & terminata per eius subsistentiam. Verbumque vice versa constituatur terminans, & concludens existentiam humanitatis in seipso, ex propria, & peculiari ratione specifica istius vnionis.

Tertia pars eiusdem conclusionis, quòd non sit ponenda relatio categorica, in vnione fundata, est Scoti, Durandi, & aliorum plurium, qui præter ipsam vnionem nullam relationem hîc admittunt, & meritò, quia præter relationes transcendentales, nulla est vera relatio à parte rei; sed illæ, quæ prædicamentales, siue categoricæ appellantur, nihil aliud sunt, quàm denominationes extrinsecæ, vel relationes secũdum dici, sumptę ex aliqua relatione transcendentali præcedente, vel ex comparatione duorum absolutorum, facta ab intellectu conferente illa inter se, & denominante nomine relatiuo, vel connotatiuo, propter huiusmodi comparationem. Ex. gr. quòd paries sit mihi dexter, est mera denominatio extrinseca, à coëxistentia parietis in parte illa, in qua est mea dextera. Quòd Philippus sit pater Alexandri, præter generationem, quæ fuit vera relatio transcendentalis, nihil aliud est, quàm denominatio sumpta à generatione præterita, connotando filium vi illius existentem, & coëxistentem ei, qui pater eius appellatur. Dicitur enim pater ex eo quòd illum genuerit, & quòd ambo coëxistant. Duo verò alba esse similia, vel duo quãta esse æqualia, nihil aliud est, quàm vtrumque habere albedinem, aut vtrumque v.g. habere palmarem extẽsionem. Hôc enim ipso, quòd vtrumque habet albedinem, aut palmarem extensionem, est simile, & æquale, quocunque alio dempto re, vel ratione distincto. Quare non constituitur simile, aut æquale, per aliquid re, vel ratione superueniens per modum respectus realis: sed vtrumque absolutum est; album, & album; palmare, & palmare: dicitur verò simile vel æquale, nomine comparatiuo, & connotatiuo, propter actum intellectus vtrumque cõparantis. Relationes verò categoricæ, quæ dicuntur aduenire, non modò sunt superfluę, sed & valde importunæ, ac per se incredibiles. Quis enim credat posita vel vnica re in rerum natura, resultare in omnibus aliis,

110. *Non est ponenda vltra illã relatio categorica.*

vbicunque illæ sint, in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, relationes similitudinis, vel dissimilitudinis, per quas sint illi similes, vel dissimiles, excepto solo Deo, qui tamen non minùs est per se dissimilis, aut diuersus à tali creatura, sed multò magis. Et res quælibet, eo solo, quòd est talis naturæ, est seipsa formaliter similis omnibus aliis rebus talem naturam habentibus: & dissimilis omnibus constantibus alia natura: estque planè impossibile, vt non sit illis similis, aut istis dissimilis, sublata licet quacunque relatione, vel formalitate superueniente. Ex quo apertè sequitur relationem illam esse superfluam, vt res sit similis, aut dissimilis: quandoquidem illâ sublatâ realiter, aut per mentem, non minùs est similis, aut dissimilis: & naturâ priùs, quàm resultet talis relatio, est similis, aut dissimilis per seipsam formaliter. Quando autē res habet aliquid per se formaliter, ineptè additur illi alia forma distincta, qua dicatur talis constitui.

SECTIO X.

An vnio hypostatica sit maxima omnium vnionum.

111. Vnio hypostatica est quodámodo maxima materialiter.

Respondeo, vnionem hypostaticam esse maximam omnium vnionū, consideratā materialiter ex parte eius, in quo veluti medio, & vinculo communi vniuntur duæ naturæ, diuina & humana: secus autē consideratā ex parte extremorum, & coniunctionis formalis inter illa, quæ est vnio formaliter. Ita D. Thom. q. 2. a. 9. in c. & ad 2. Vasq. d. 20. cap. 2. & De lugo d. 11. sect. 4. n. 47. Ratio primæ partis est, quia mediū illud est hypostasis Verbi, quæ est maximè simplex, & maximè vna, magisque quàm vllus alius nexus & vinculum, in quo alia vniuntur. Quo autē est simplicior nexus & vinculum, quo aliqua coniunguntur, eò maior est vnio ex parte illius. Ergo vnio hypostatica maior est ex parte eius, in quo veluti medio & vinculo communi fit vnio duarum naturarum in Christo.

112. Quid sit vnio formaliter?

Pro secunda parte conclusionis nota primò, vnionem formaliter esse coniunctionem duorum, vel plurium in vnum. Duo autē possunt inter se coniungi vel mediatè, vel immediatè. Coniunguntur mediatè, quando vtrumque est coniunctum alicui tertio: vt duo lapides cæmento interposito vniuntur, & duæ tabulæ mediante glutino. Immediatè verò coniunguntur, quando inter vnum, & alterum nihil est: scilicet quādo alterū alteri secundum se, & ratione sui coniungitur. Quo modo anima corpori vnitur. Vtraque vnitio terminatur ad vnum quid, siue ex duobus immediatè, siue ex duobus in tertio.

113. Vnde dicatur maior vnio formaliter?

Nota secundò, vnionem formaliter dici maiorem, non ex eo quòd nobilior sit: neque ex eo quòd difficiliùs soluatur, quā ratione potest dici fortior: sed ex eo quòd maior sit vnitas, in quam conueniunt multa per coniunctionem. Sunt enim aliqui gradus vnitatis, & ea quæ coniunguntur, sunt magis, minusque vnibilia, id est, sunt apta vt in maiorem, vel minorem vnitatem conueniant. Quæ aptitudo non est sumenda ex maiori similitudine extremorum: nam duæ formæ substantiales, puta duæ animæ rationales, vel formæ stanni & argenti, sunt magis similes inter se, quàm cum materia: & tamen non possunt coniungi in vnum per se, sicut possunt cum materia: sed est sumenda ex proportione extremorum inter se in ordine ad vnionem. Sic materia & forma substantialis vniuntur magis, quia constituunt vnum per se essentiale: quàm partes integrales, quæ constituunt vnum per se integrale; & quàm subiectum, & accidens, quæ constituunt tantùm vnum per accidens.

Nota tertiò, Christum esse vnum non ipsa sola vnitate subsistentiæ Verbi, quod per se solum non est Christus: sed vnitate compositionis, & coniunctionis naturæ humanæ cum Verbo; quæ vnitas non est tanta, quanta est ipsius Verbi: cùm Verbum sit simplicissimum, Christus verò sit compositus, & sit Verbum incarnatum. Qualis sit vnitas Christi?

114. Vnio hypostatica non est maxima formaliter.

Hoc ergo vnum adæquatè sumptum dico non esse maximè vnum, & vnionem formalem, seu coniunctionem extremorum, ex quibus constat, non esse omnium maximam, vt fatetur S. Thom. locis cit. & docent Vasq. aliique plures ab eo suprà relati. Quia vnio materiæ cum forma substantiali maior est; & compositum, siue vnum ex illis effectum, est magis vnum, quàm compositum ex duabus naturis in Christo, vel ex natura humana, & hypostasi Verbi: licet hæc vnio sit alioqui nobilissima, & fortissima, nullaque vi creata solubilis. Ratio est, quia vnio hypostatica est inter extrema maximè distincta realiter, valde disproportionata, diuersique ordinis, quæ non habent ordinem essentialem, aut naturalē ad huiusmodi vnionem, sed illa Verbo est omnino præternaturalis, humanitati verò est supernaturalis, & gratuita: ex qua vnione existit vnum compositum diuersorum ordinum, & naturarum infinitè differentium, partim creatum, & partim increatum. At vnio materię, & formæ constituit vnum vnius essentiæ, & in vno genere & ordine, & ex duobus, quæ secundum suas essentias incompletas tendunt ad illam coniunctionem, quęque sunt magis apta, & proportionata vt vniantur: ergo, &c.

115. Contraria sententia.

Contrarium docet Suar. disput. 9. sect. 1. post Paludan. Capreol. & alios Thomistas. Ac primò opponit aliqua Patrum testimonia, quæ tantùm loquuntur de perfectione vnitatis ipsius Verbi, vel de nobilitate, insolubilitate, & supernaturalitate vnionis hypostaticè, vt rectè Vasq. ostendit. d. 20. cap. 3. Deinde opponit Suares, compositum quod resultat ex hac vnione, esse magis vnum, quàm omne aliud compositum ex rebus realiter distinctis. Ergo hæc vnio est maxima.

Probat antecedens, quia primò est magis vnum, quàm omne compositum ex substantia, & accidente. Hoc enim est vnum tantùm per accidens: illud verò est vnum per se. Secundò, est etiam magis vnum, quàm omne compositum substantiale ex materia, & forma, vel ex partibus integralibus: quia totum integrale includit infinitam quandam compositionem partium, quæ tantùm copulantur secundum aliquem extremum terminum, & non secundum se totas: materia verò, & forma est minùs simplex quàm Verbum diuinum, & actus minùs perfectus: at verò actus quò perfectior est, eò potest perfectiùs, & intimiùs coniungi alteri extremo, & cæteris paribus, maior simplicitas, & vnitas componentis confert sine dubio ad maiorem vnitatem compositi. Deinde vnitas suppositi, quæ resultat ex natura, & subsistentia, maior est ex suo genere, quàm ea quæ resultat ex materia, & forma. Cuius signum est, quòd illa in Angelis reperitur, non ista. Denique per hanc vnionem fit vt Verbum dicatur homo propriè, & substantialiter. At nulla alia vnio facit aliquid simile.

116. Soluitur argument. contrariæ sententiæ.

Ad primum Respondeo negando antecedens: ad cuius primam, & secundam probationem dico, compositum resultans ex vnione hypostatica, esse quidem magis vnum, quàm compositum ex substantia, & accidente, ob rationem allatam; sed nō magis, quàm omne compositum substantiale, & essentiale ex materia, & forma. Nam vnio non est maior formaliter, ex eo quòd extrema sint simpliciora, sed ex eo quòd sint magis apta, & proportionata ad vnitionem, seu compositionem vnius, cæteris paribus, id est, facta comparatione inter ea, quæ simili modo vnũ sunt vnitate scilicet, vel essentiali, id est, totius essentialis: vel integrali, id est, totius integralis: vel hypostatica, id est, totius hypostatici: vel accidentali, id est, totius quod est vnum tantùm per accidens. Ad tertiam respondeo, vnitatem quidem suppositi ex natura, & propria subsistentia, esse maiorem vnitate compositi ex materia, & forma, quia illa est simplex vnitas (cùm natura, & subsistentia propria, neque realiter, neque modaliter differant) ista verò est composita ex partibus realiter distinctis. Secus autem vnitatem suppositi constituti ex natura creata, & subsistentia increata realiter distincta, & diuersi ordinis, ac planè supernaturalis naturæ creatæ. Ad quartam dico rationem cur Verbum de homine prædicetur, & homo de Verbo, non esse, quòd sit maior formaliter vnio: sed ex eo quòd sint duæ integræ naturæ in eodem supposito constituentes vnum per se, quæ naturæ in concreto de se inuicem prædicari possunt. Partes verò de se inuicem prædicari non possunt, vt materia, & forma. Neque etiam partes humanitatis de Verbo. Vt, Verbum est sanguis, pes, aut manus, licet vera vnio cum sanguine, & aliis partibus humanitatis intercedat. Qua de re plura dicemus inferiùs disp. 8. sect. 2. & 3.

SECTIO XI.

An vnio hypostatica sit maximum omnium donorum?

Respondeo, vnionem hypostaticā, & esse substantiale per illam collatum humanitati, esse maximum omnium donorum. Ita S. Thom. q. 1. a. 1. vbi affirmat communicationem Dei per vnionem hypostaticā, esse omnium maximam: & q. 2. a. 10. ad 1. dicit hanc vnionem esse donum maius gratia, & quacunque Dei similitudine participata. Ratio eiusdem est, quia vnio hypostatica constituit in esse Dei, non per similitudinem tantùm, sed per identitatem, & per ipsam diuinam subsistentiam, atq; naturam personaliter communicatam. Maius autē est ipsa res, quàm similitudo eius participata. Et quantò maior est persona diuina, quàm eius participatio: & filiatio naturalis, quàm adoptiua: tantò maius est donum collatum per hanc vnionem, donis omnibus aliis. Simili modo argumentatur Apost. Hebr. 1. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu?* Confirmatur, quia plus honoris, & reuerentiæ debetur Christo ratione huius vnionis hypostaticæ, quàm vlli puræ creaturæ, ratione cuiuscunque excellentiæ naturæ, gratiæ, vel gloriæ. Vnde Paulus supra; *Et adorent eum*, inquit, *omnes Angeli eius*. Inde etiam fit, vt Christo ipsi debeatur omnis excellentia gratiæ, & gloriæ, & impeccabilitas, ratione eiusdem vnionis, quam hæc omnia veluti quædam proprietates consequuntur.

117. Vnio hypostatica est maximum omnium donorum. Probatur ratione.

118. Altera ratio inefficax.

Aliam huius veritatis rationem vnicam, velut optimam proponit Vasques disp. 20. cap. 4. Quoniam, inquit, maximum bonum nostrum est iustificatio: & hæc fieri potest duobus modis: altero per aliquam Dei similitudinem, altero per ipsam Deitatem. Quorum modorum hic præstantior est, & continens eminenter priorem. Quare vnio hypostatica, quæ iustificat posteriori modo, est maximum omnium donorum. Quod verò iustificatio sit maximum bonum nostrum probat Vasques, quia licet desiderare carentiam beatitudinis, propter gloriam Dei; & in ipsa beatitudine, nihil est maius, & optabilius, quàm iustificatio, & amicitia Dei.

Sed hæc ratio infirmior est. Potest enim facilè, & debet negari antecedens. Ad cuius probationem respōdeo, tam posse desiderari carentiā iustitiæ supernaturalis propter gloriam Dei, quàm carentiam beatitudinis, si ad gloriam Dei pertineat vt aliquis hac, aut illa careat. Estque maius bonum, magisque Deo gratum perfecta beatitudo nostra, quàm sola iustificatio, quæ in beatitudine includitur, & per illam consummatur. Non potest quidem ab aliquo desiderari, vt Deum ode-

nit, aut in peccato. Vt verò careat actibus, & habitibus supernaturalibus, ipsaque Dei amicitia, si id Deo gratum esset, & ad maius bonum expediret, posset desiderari: quo sensu nonnulli interpretantur illud Moisis ad Deum Exod. 32. v. 32. *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Deinde iustificatio non in eo solo consistit, quòd aliquis sit gratus Deo, sed vlteriùs, quòd sit instructus principiis supernaturalibus ad bene operandum. Hypostasis autem, quà talis, secundùm id quod naturæ superaddit, facit quidem gratum Deo: at non est principium effectiuum actuum supernaturalium, quia nihil ad extra operatur.

119. Refutantur contrariæ sententiæ. Marsil. verò in 3. quæst. 3. art. 2. in corollario post 3. conclusionem: Durand. ibid. dist. 2. quæst. 2. Gabriel dist. 1. quæst. 2. art. 29. docent beatitudinem esse maius donum vnione hypostatica: quia beatitudo est summum bonū nostrum, ac proinde maius vnione hypostatica. Item beatitudo, id est, visio, & fruitio Dei non potest communicari brutis: secus autem vnio hypostatica: quæ etiam est ens minùs perfectum & minùs supernaturale. Recentiores quoque nonnulli distinguunt donum secundum se, & modum doni: aiuntque, vnionem esse maximum donum ratione modi, quia per illam communicatur Deus personaliter: at non esse maximum donum absolutè, quia plus est, quòd Deus seipsum det in iustificatione, & glorificatione: tanquam principium effectiuum habituum, & actuum supernaturalium, & tanquam inhabitantem secundùm tres personas, & essentiam ipsam: quàm quòd det esse hypostaticum, quod vt sic, non est principium effectiuum habituum, & actuum supernaturalium: Deus enim non operatur ad extra per hypostases: sed per essentiam, seu per potentiam communem. Addi potest, Eucharistiam esse donum saltem æquale secundum se; imò etiam maius extensiuè: quia Christus totus in eo datur: Christus autem est plus extensiuè, ratione humanitatis, quàm solum esse diuinum, quod datur humanitati per vnionem hypostaticam.

120. Vnio hypostatica est donum maius beatitudine. Ad primum Respondeo beatitudinem obiectiuam esse summum bonum nostrum, quia est ipsemet Deus: sed non summo modo communicatum. Ad perfectionem autem doni plurimum confert modus, quo communicatur, & quo fit eius, cui datur. Formalem verò beatitudinem præcisè sumptam ab obiecto, non esse summum bonum nostrum simpliciter, sed esse possessionem summi boni nostri, id est, esse actus intellectus, & voluntatis, quibus Deum summum bonum nostrum attingimus. Ac ne quidem esse maximum bonum nostrum formale possibile, quasi nulla sit possibilis forma, vel modus se habendi excellentior: sed tantùm esse vltimam perfectionem, & perfectissimam ex suo genere operationem circa summum bonum nostrum obiectiuum.

Ad secundum, Respondeo negando sequelam. Simili enim argumento probaretur vim sentiendi esse quid perfectius vnione hypostatica, quia non potest communicari rebus insensibilibus: secus autem vnio hypostatica, saltem quibusdam, vt alibi dicemus. Quamquam respectu irrationalium non haberet rationem doni, quia doni capaces non sunt. Falsum verò est vnionem illam esse ens minùs perfectum, & minùs supernaturale beatitudine formali. Nam quatenus identificatur Verbo, est ens infinitè perfectius, & magis supernaturale, quàm vlla creatura possibilis. Imo etiam quatenus est vsus & modificatio humanitatis, multò magis excedit vires naturæ, & debitum rerum naturalium, quàm formalis beatitudo, & aliæ res purè creatæ. 121.

122. Donum augetur ex modo quo datur. Ad tertium, iam dixi donum moraliter spectatum augeri in ratione doni ex modo, quo datur, neque posse vnum ab alio separari. Plus autem est, quòd Deus seipsum det substantialiter ad constituendum vnum esse personæ, ita vt per seipsum quasi formaliter perficiat physicè, & actuet, seu terminet ipsum esse creaturæ, & cum illa vnum per se componat: quàm quòd se det, & vniat accidentaliter in iustificatione, & glorificatione, vel communione Eucharistica. Adde vi vnionis hypostaticæ Deum secundum essentiam, & tres personas perfectiùs in Christo, quàm in iustis & beatis inhabitare, illique consequenter ex debito & exigentia veluti proprietatis connaturalis, dari principium effectiuum habituum, & actuum supernaturalium excellentiorum in Christo, quàm in quolibet alio.

Sunt etiam qui putant gratiam habitualem esse maius donum vnione hypostatica, moti præcipuè hoc argumento: quia illud bonum est verè maius, quod Christus eligeret, si ex duobus optio illi daretur: & cuius amissionem præferret priuationi alterius, si alterutro carendum esset. Atqui si daretur illi optio vel amittendæ amicitiæ diuinæ, quæ est per gratiam habitualem, vel vnionis hypostaticæ: Christus eligeret carere potius vnione hypostatica: ergo &c. Respondeo 1. amicitiam Dei erga hominem esse posse sine gratia habituali creata. 2. Amicitiam Dei, abstrahendo ab illa quæ est per gratiam habitualem, vel aliter, sequi ex vnione hypostatica cum humanitate Christi, vel illi coniunctam esse, multò magis quàm cum gratia habituali. 3. Posito, quòd carendum esset gratia solùm habituali, vel vnione hypostatica: Christum electurum potiùs carentiam gratiæ habitualis. 4. Supposito etiam quòd humanitas Christi posset à Deo non amari amore amicitiæ, absque alia occasione à se data, quàm retentione vnionis hypostaticæ, & absque vllo peccato: præferret Christus vnionem hypostaticam soli amicitiæ, quoad æstimationem; quamuis non necessitaretur ad illam eligendam reipsa, posset enim pro sua libertate minus bonum eligere. 123.

DISPVTATIO SEXTA.

De persona assumente.



DE persona assumente disputat S. Thomas tota quæst. 3. Et art. 1. docet propriissimè competere personæ assumere naturam: quia assumptio importat principium actionis, & terminum: dicitur enim *assumere*, quasi aliquid ad se sumere. Huius autem assumptionis persona est principium & terminus. Quia personę propriè competit agere: & vnio facta est in persona, non in natura. 2. Non conuenire diuinæ naturę assumere secundum seipsam; quia licet illi secundum seipsam conueniat esse principium assumptionis, quæ illius virtute facta est: tamen non illi conuenit secundum seipsam esse terminum assumptionis, sed tantùm ratione personæ. 3. Abstracta personalitate per intellectum, posse adhuc intelligi naturam assumentem. 4. Vnam personam diuinam posse assumere naturam creatam sine alia: non ex parte actionis, quippe quæ procedit ex diuina virtute, quæ est communis tribus personis: sed ex parte termini assumptionis, qui est persona. 5. Quamlibet personam diuinam potuisse naturam humanam assumere. Quia quælibet potuit esse principium assumptionis, ratione naturæ, seu virtutis communis; & terminus, ratione propriæ personalitatis. 6. Posse duas aut tres personas diuinas assumere eandem naturam humanam: sed non posse assumere vnam hypostasim, vel vnam personam humanam. Quia talis est conditio personarum diuinarum, vt vna earum nō excludat aliam à communione eiusdem naturę, sed solùm à communione eiusdem personæ. 7. Posse eandem personam diuinam assumere plures naturas humanas: quia potentia personę diuinę est infinita, neque potest limitari ad aliquid creatum. 8. Conuenientissimum fuisse personam Filii incarnari: Quia conueniens fuit creaturam reparari per Verbum, & similitudinē seu exemplar, à quo formata fuerat: & per conceptum æternæ sapientiæ erudiri & proficere ad sapientiam, & consummatam perfectionē suam: & per naturalem Dei Filium, alios adoptari: & denique per Verbum veræ sapientiæ hominem reduci ad Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

An sit proprium personæ diuinæ assumere naturam alienam, ita vt personæ creatæ id communicari non possit?

1. Aliud est assumere, & aliud terminare.

NOta primò, aliud esse assumere; & aliud, terminare solùm naturam alienam. Nam assumere vltra terminationem significat eam fieri per vim, & actionem terminantis, ad se sumentis effectiuè. Quo pacto persona Verbi integrè sumpta assumpsit humanitatem: terminando per hypostasim, & eam sibi adiectiuè coniungendo per virtutem, & actionem naturæ suæ diuinæ. Hæc tamen quæstio tractari solet à Theologis indistinctè, vel solùm in secundo sensu: de quo cùm id negant communiter, à fortiori negant de primo: quia plus est assumere, quàm solùm terminare.

Variæ sententiæ Theologorum.

Nota secundò, tres esse de quæstione proposita sententias in posteriori sensu. Prima affirmat posse hypostasim creatam terminare naturam alienam. Ita Scot. in 3. dist. 1. q. 4. Gabr. ibid. q. 2. art. 3. dub. 5. Maior q. 5. Almain. qu. 2. in fine. Ocham in 3. dist. 1. dub. vlt. Mærat. disp. 17. sect. 3. Bernal. disp. 24. sect. 3. Ysambert. in 3. p. quæst. 3. disp. 1. art. 1. Becan. cap. 4. de Incarn. quæst. 5. eorum fundamenta proponentur inferiùs, & simul refellentur.

2. Secunda sententia est Valent. quæst. 3. de Incarn. p. 6. prope finem, affirmantis nullam quidem substantiam iam creatam terminare posse naturam alienam: secus tamen creabilem. Ratio discriminis est, quia non est necesse subsistentias omnes rerum creabilium esse adæquatas naturis suis æquè ac sunt subsistentiæ iam creatæ. Sed hæc ratio valde infirma est. Primò enim, vnde habet Valent. omnes substantias iam creatas esse adæquatas naturis suis, posito quòd possibiles sint aliquæ inadæquatæ? Secundò, sint omnes adæquatæ naturaliter: cur non possunt excedere supernaturaliter? Quemadmodum licet vnica anima rationalis sit naturaliter adæquata vni corpori informando: potest tamen supernaturaliter plura simul informare, vt vna albedo plures parietes: & vnum corpus plura simul loca implere. Tertiò, sicut substantiæ iam creatæ sunt connaturales naturis iam existentibus, ac proinde illis naturaliter commensæ, seu proportionatæ, & adæquatæ: ita subsistentiæ creabiles sunt connaturales naturis creabilibus, quarum propriæ sunt, ac proinde illis commensæ, & adæquatæ. Quare si subsistentiæ iam creatæ non possunt terminare naturam alienam, quia sunt adæquatæ naturis suis: neque id poterunt subsistentiæ creabiles, ob eandem rationem.

Tertia, & communior sententia est D. Thom. quæst. 3. art. 1. in c. & ad 2. Vbi docet proprium esse diuinæ personæ propter ipsius infinitatem, vt fiat in ea concursus duarum naturarum secundum subsistentiam. D. Thomam sequuntur Caiet. ibid. & Thomistæ communiter. Durand. Henric. & alij quos citant & sequuntur Suar. disp. 13. sect. 1. Vasq. disp. 25. cap. 3. Tanner. qu. 4. n. 11. Delugo d. 12. n. 91. aliique recentiores, quibus in summa rei adhæreo, rationes tamen impossibilitatis, quas aliqui eorum afferunt, non probo. Nam quod ait Caiet. si posset suppositum creatum sustentare duas naturas, posset, & tres, & plures in infinitum: hoc autem requirit perfectionem infinitam: quia posse sustentare naturam alienam perfectio quædam est: & maior, posse plures. Hoc inquam parui momenti est, quia sequela negari facile potest, si de pluribus simul in infinitum sermo sit. Eodemque argumento æquè probaret Caiet. nullam creaturam posse quicquam agere. Deinde perfectio aliqua infinita non repugnat supposito creabili, licet enim nullum purè creatum reipsa infinitum sit: probabilius tamen est infinitum creari posse. 3. Vera sententia affirmatiis. Probatur à variis inefficaciter.

4. Durand. Vasquez.

Secundò, quod aiunt Durand. & Vasq. hanc vim personalitati creatæ neque naturaliter, neque supernaturaliter conuenire posse. Non naturaliter, quia vnaquæque subsistentia creata est finita, & limitata, & adæquata suæ naturæ: & si esset vis huiusmodi naturalis in hypostasi creata, deberet esse aliquod agens naturale, quod eam posset ad actum secundum reducere, ne alioqui maneret otiosa. Non etiam supernaturaliter, quia deberet esse superaddita, vel intrinsecè, & ita esset accidens, & non posset suppositare, ac substantialiter constituere personam: vel extrinsecè tantùm, per solam assistentiam Dei eleuantis ad maiorem effectum, quàm res possit naturaliter. Et hoc etiam fieri nequit, quia huiusmodi assistentia, & eleuatio fieri tantùm potest in genere causæ efficientis. At terminatio personalitatis pertinet potiùs ad genus causæ formalis. Forma autem non potest eleuari ad alium effectum formalem, quàm eum, quem naturaliter præstare potest subiecto sic disposito. Ergo &c.

Hoc inquam parum roboris habet. Neque enim verum est quod vltimò asseritur, assistentiam, & eleuationem fieri tantùm posse in genere causæ efficientis. Nam forma potest per eleuationem informare maius corpus, quàm posset naturaliter. Et cùm naturaliter possit tantùm vnum subiectum adæquatum informare potest supernaturaliter duo, & plura simul, si ponatur simul in locis, & subiectis diuersis. Materia quoque potest adiuta supernaturaliter plus recipere, & sustentare, quàm posset naturaliter. Sic ergo posset creata personalitas plus terminare, quàm possit naturaliter, si nihil aliud obstaret. Et verò si non potest aliquid eleuari nisi in genere causæ efficientis, non potuisset

natura humana eleuari ad vnionem hypostaticam, cuius certè non est causa efficiens, sed materialis, & subiectiua iuxta sententiam Vasquis. Non potuit etiam eleuari ad constituendum Verbum in esse hominis, veluti in genere causæ formalis: quod illi certè naturaliter non conuenit. Quare ratio à Vasque allata nulla est, & in ipsum manifestè retorqueri potest.

5. Suarez. Tanner. Tertiò, Suar. Tanner. & Delugo hanc rationem afferunt, quòd subsistentia est modus naturæ subsistentis: modus autem vnius rei, ab illa realiter indistinctus, non potest nisi rem illam modificare, nec alteri, quàm illi communicare suum proprium effectum formalem. Sed hæc ratio in hunc modum proposita, & si nihil aliud addatur, non satisfacit: quia negari non potest aliquos esse modos, qui modificant in ordine ad aliud, ad quod extendunt suum effectum formalem. Sic enim in præsenti vnio hypostatica, quæ iuxta auctores proximè citatos, est modus in sola humanitate productus, & ab illa non realiter, sed solùm ex natura rei distinctus, eam modificat in ordine ad hypostasim Verbi, quam attingit, & denominat vnitam, communicando illi suum effectum formalem. Vnde restat integra difficultas, cur similiter hypostasis creata non possit alteri naturæ communicari per vnionem, & modificare naturam propriam in ordine ad alienam sibi vnitam? Addendum ergo est, vt hæc ratio valeat, quæ inter omnes probabilior esse mihi videtur, subsistentiam creatam esse modum absolutum naturæ subsistentis, non ordinantem illam ad aliud ex natura sua, vt manifestum est: ideoque non posse nisi illam modificare, illique soli effectum suum formalem communicare: tamque esse impossibile vt naturam alienam modificet, quàm vt fiat modus relatiuus, id est, alterius rationis & essentiæ, quod est planè impossibile: essentiæ enim modorum, æquè ac rerum, sunt inuariabiles. Quæ ratio maiorem vim habet iuxta probabiliorem sententiam, quam secuti sumus disp. 5. num. 64. affirmantem subsistentiam esse modum indistinctum à natura sufficiente ad standum per se, purum, inquam, & simplicem modum quo talis natura completur, & terminatur secundum existentiam. Quemadmodum actio est purus modus agentis, sessio sedentis, & motus mobilis. Quare sicut repugnat quippiam agere, & compleri in ratione formali agentis per merum visum virtutis alterius sibi vnitum; aut sedere per purum & simplicem modum sessionis alterius, aut moueri formaliter per motum mobilis à se distincti: sic repugnat compleri naturam substantialem, siue vltimò terminari formaliter secundum existentiam, per purum & simplicem modum existentiæ rei alterius, sibi vnitum substantialiter. Hanc rationem indicat S. Thom. qu. 3. artic. 1. ad 2. cùm ait, proprium esse diuinæ personæ, propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus duarum naturarum secundum subsistentiam. Nimirum quia diuinæ hypostases non sunt meri visus, & modi similes nostris: sed sunt etiam æquiualenter, & formaliter res excellentissimæ, infinitè nobiliores rebus omnibus creatis, & creabilibus, infinitæ formaliter in suo genere, & identicè infinitæ simpliciter in omni genere perfectionis. Vndè non mirum est, si ratione tantæ perfectionis possint complere, & terminare naturam alienam, quod non possunt hypostases creatæ.

6. Diluitur obiectio. Dices cum Mæratio disp. 17. sect. 2. verba D. Thomæ relata posse intelligi, quòd sit proprium diuinæ personæ vt in ea fiat concursus duarum naturarum secundum subsistentiam non quocunque modo, sed tantùm modo sibi connaturali, vel secundò etiam per assumptionem adæquatè sumptam, id est actiuè efficiendo vnionem hypostaticam, & non tantùm passiuè terminando naturam alienam. Sed contra primam expositionem dico primò S. Thomam sine dubio respondere quæstioni propositæ, secundum sensum, quo proponi solet à Theologis. Atqui non est sensus Theologorum, vtrum id fieri possit à creaturis, modo, seu potiùs vi connaturali: nullus enim Scholasticorum ambigit id fore creaturæ supernaturale. Contra secundam, dico secundò, D. Thomam loco citato affirmare simpliciter, & in terminis proprium esse diuinæ personæ propter eius infinitatem, vt in ea fiat (non autem solùm vt faciat, actiuè scilicet assumendo) concursus duarum naturarum secundum subsistentiam.

7. Altera ratio Tiphani. Aliam huius veritatis rationem reddit Tiphanus lib. de hypost. cap. 67. fundatam, vt ipse putat, in verbis D. Thomæ relatis. Quia, inquit, subsistentia nihil est aliud, quàm totalitas primæ substantiæ, siue esse substantiam indiuiduam totam, id est, non existentem in alio, vt in toto per additionem alterius, cuius sit pars, à quo scilicet perficiatur: hoc enim putat esse de ratione partis propriè dictæ, ideóque negat Verbum esse partem Christi. Est autem proprium personæ diuinæ, ratione suæ infinitæ perfectionis substantialis, vt licet alteri naturæ coniungatur substantialiter, tamen eius totalitas, atque adeo personalitas, eadem semper maneat, nec vllius vnquam naturæ aduentu, atque societate perire possit, eò quòd quicunque ad eam quarumcunque, & quotcunque naturarum creatarum concursus fiat, non euadat substantialiter perfectior; sed contrà, illa vna alias omnes, quæ in eam concurrunt, naturas, sui communicatione reddat infinitè substantialiter perfectiores: ideóque earum omnium extinguat subsistentias, suâ prorsus illæsâ, & eadem omnino remanente. Contra verò persona, & hypostasis creata, non potest aliam naturam assumere, & terminare. Quia cùm sit finita, eiusque ad alteram accessione, & coniunctione cum ea, fiat aliquid substantialiter melius, & perfectius, quàm sit qualibet separata: neutra

hypostasis manet, ideoque neutra alteram assumit (quod enim non est, nec assumit, nec assumitur) sed ex illis duabus naturis, si vniri possunt, constituitur tertia quædam hypostasis vt patet in partibus totius homogenei, v.g. aquæ, vel etiam heterogenei, quæ diuisæ, & vt sunt tota quædam, sunt hypostases propriæ: Cùm primùm autem vniuntur, vnumque aliud totum constituunt, amittunt rationes proprias suppositi, & faciunt, constituuntque quoddam aliud tertium, & nouum. Hæc ille qui hanc suam expositionem confirmat ex eo quod idem S. Doctor addit eodem art. in solutione 1. argum. *Dicendum quòd cùm persona diuina sit infinita, non potest ei fieri additio: sicut in vnione hominis ad Deum, quæ est per gratiam adoptionis, non additur aliquid Deo, sed illud, quod diuinum est, apponitur homini, vnde non Deus, sed homo perficitur.*

8. Et hæc quidem ratio facilis esset, si fundamento solido niteretur, ex eodemque principio posset facile reddi ratio, cur eadem natura creata non possit subsistere propria subsistentia simul, & aliena, creata, vel increata: quia non potest simul totalitatem suam amittere, & retinere: siue esse simul, & non esse in aliquo toto per additionem alterius, à quo perficiatur. Item cur non possit absolutè esse sine propria, vel aliena subsistentia: quia non potest esse, nisi in aliquo toto, vel extra, id est, sine compositione cum alio: & eo ipso, quòd non componit, est tota, adeoque subsistens: loquimur enim de natura completa. Item cur non possit virtute diuina subsistere natura creata simul pluribus subsistentiis propriis? quia non potest esse simul plura tota, id est, plures substantiæ indiuiduæ, & seorsim existentes, non in alio, neque vt inferiori, neque vt subiecto, neque vt toto: Et tamen possit simul subsistere pluribus subsistentiis diuinis, quia quælibet personarum diuinarum eandem naturam creatam assumens retineret suam totalitatem, cùm non perficiatur per additionem naturæ creatæ.

9. Refutatur. Vide T.1. disp.16. sect.1. Sed hoc fundamentum fuit à nobis alibi reiectũ, & iterum reiicietur inferiùs disp. 7. sect. 3. Primò, quia est manifestè contra doctrinã S. Thom. 1. p. qu. 75. ar. 2. affirmãtem animam rationalem subsistere, etiam quando est in toto, & pars actu componens naturam humanam. Secundò, quia verbo tantùm differt à sententia Scoti, communiter reiecta à Theologis, atque etiam à Tiphano, quòd scilicet subsistentia nihil addat naturæ præter negationem existendi actu, vel aptitudine in alio, vt in toto. Tertiò, quia iuxta illam definitionem personæ, & doctrinam Tiphani, essentia diuina esset persona, & non essent in Deo tres personæ, sed vnica: vel essent in Deo tres essentiæ, seu naturæ. Quartò, quia iuxta eandem sententiam non potest reddi ratio, cur ex natura diuina, & humana fiat vnum per se, magis quàm ex duobus liquoribus permixtis, aut arboribus insitis: Curue magis prædicari de se inuicem possint in concreto substantiuo. Ac denique, quia iuxta illam ridiculæ fiunt quæstiones variæ D. Thomæ, & aliorum grauiorum Theologorum, imò etiam Conciliorum definitiones. Quæ omnia fusiùs loco citato persecuti sumus. Neque etiam ille est sensus verborum D. Thomæ à Tiphano relatorum ex 3. part. qu. 3. art. 1. ad 1. & 2. Nam quod priori loco dicit, personam diuinam non perfici per naturam humanam: tantùm dicit eo fine, vt ostendat vnionem hypostaticam non dedecere personam diuinam summè perfectam, neque repugnare infinitæ illius excellentiæ, vt patet ex argumento primo, collato cum eius solutione. Posteriori autem loco docet tantùm non repugnare personæ, quòd plura de illa prædicari possint, vel quòd ita communicetur, vt subsistat in pluribus naturis, *quia etiam*, inquit, *in personam creatam possunt plures naturæ concurrere accidentaliter: sicut in persona vnius hominis inuenitur quantitas, & qualitas. Hoc autem est proprium diuinæ personæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam:* hoc est, sicut in naturam creatam possunt naturaliter concurrere plura accidentia, quæ ab illa sustententur, sintque in eodem supposito, velut in subiecto: ita in personam diuinam, propter illius perfectionem infinitam ad hoc sufficientem, possunt concurrere plures naturæ substantiales, quæ per illam subsistant: plures, inquam, naturæ creatæ, quæ ab illa terminentur secundum existentiam, & vltimò compleantur substantialiter, subsistantq; eadem hypostasi, quâ persona diuina.

Objicit Mærat. in fauorem primæ sententiæ, nullam esse impossibilitatem, neque ex parte vnionis, neque ex parte subsistentiæ creatæ. Neque minùs subsistentiam Verbi esse proportionatam, & adæquatam naturæ diuinæ, quàm subsistentiam creatam naturæ creatæ. Quare si ea proportione non obstante, potest hypostasis Verbi terminare naturam alienam: quidni idem possit hypostasis creata? Respondeo, illam impossibilitatem non clarè quidem, sed tamen satis apparenter ostensam fuisse: neque in omnibus, quæ censentur meliori, & communiori iudicio impossibilia, implicantiam contradictionis posse clarè ostendi: vt in eo quòd oculus corporeus non possit Deum videre: & quòd creatura non possit creare. In re verò vtrinque obscura satius esse iudicamus adhærere D. Thomæ, & communiori sapientum sententiæ. Porro cùm natura diuina necessariò terminetur tribus hypostasibus; sola hypostasis Verbi non est illi adæquata. Et quamuis esset: hoc argumentum nobis non obest, qui non reddimus rationem impossibilitatis ex adæquatione inter naturam, & propriam subsistentiam; sed ex imperfectione subsistentiæ creatæ. 10. Soluitur obiectio.

Opponit 2. Ysambertus artic. supra cit. Omnia, quæ requiruntur ad terminationem Altera obiectio.

personalem naturæ alienæ, siue ex parte naturæ, siue ex parte personalitatis, sufficienter reperiri in personalitate creata. Nam vt aliqua personalitas terminet hypostaticè naturam alienam, hæc tria sufficiunt. 1. Quòd propria personalitas impediatur produci. 2. Vt aliena subsistentia naturæ in tali statu positæ vniatur. 3. Vt hæc aliena subsistentia habeat vim sufficientem ad terminandum etiam naturam alienam, illam vltimatè complendo, vt sic cum illa possit constituere aliquid subsistens per se. Atqui per absolutam Dei potentiam hæc tria possunt habere locum in aliqua natura, & aliqua subsistentia creata, illi naturæ aliena, vt ad se inuicem comparatis in ratione naturæ, & termini substantialis. Nam primò quidem, tam bene Deus potest impedire ne propria subsistentia Petri producatur, vel resultet ex sua propria substantia: quàm de facto impediuit ne propria subsistentia humanitatis Christi produceretur, vel resultaret. Secúdò, vnitio subsistétiæ alienæ cum natura quæ priuatur subsistentia propria, importat solam intimam coniunctionem entitatiuam vnius extremi cum alio, præscindendo à terminatione, de qua mox. Hanc verò coniunctionem Deum facere inter substantiam creatam, & subsistentiam creatam sibi alienam, non magis implicat, quàm illud idem facere inter humanitatem Christi, & personalitatem Verbi: cum subsistentia creata tam sit apta facere aliquam compositionem cum aliqua substantia creata, vt ex duobus præcisè vnitis inter se: quàm personalitas Verbi diuini est ad id apta. Hæc enim est magis simplex, quàm illa. Tertiò denique, quòd subsistentia creata habeat aliquam vim terminándi, patet, quia de facto terminat propriam substantiam. Quòd verò habeat vim sufficientem ad terminandum alienam substantiam creatam, non quidem naturaliter, sed per absolutam Dei potentiam, probatur, quia personalitas creata, est magis adæquata propriæ suæ substantiæ totaliter terminandæ, & complendæ in ratione subsistentis. Quia subsistentia Verbi terminat tantùm inadæquatè naturam diuinam, relinquendo locum aliis duabus personalitatibus Patris, & Spiritus sancti: subsistentia verò creata complet totaliter, & adæquatè propriam suam substantiam. Atqui personalitas Verbi diuini, non obstante illa inadæquata terminatione, & completione essentiæ diuinæ, potest adhuc extraordinariè terminare substantiam creatam. Ergo pari iure personalitas creata, quæ habet vim sufficientem terminandi adæquatè propriam suam substantiam, habebit etiam, vt per potentiam absolutam possit complere, & terminare hypostaticè alienam substantiam creatam. Hæc ille,

11. Refutatur. Quibus Respondeo concessa maiore, negando minorem. Licet enim Deus possit impedire, ne natura creata subsistat propria subsistentia, saltem illam vniendo hypostaticè personæ diuinæ: licet etiam possit duas substantias creatas coniungere, quod etiam interdum naturaliter fit: tamen non potest merum & simplicem modum essendi absolutum vnius substantiæ creatæ, & actualitatem per se standi, vnire alteri substantiæ ad supplendam illius subsistentiam: idque non satis probat tertia pars argumenti allati, quam præcipuè negamus, quæque, si valeret, probaret non modò supernaturaliter, & per potentiam obedientialem posse creatam subsistentiam terminare, & complere naturam alienam creatam: Verùm etiam virtute naturali, Sicut hypostasi Verbi naturale est posse terminare, & complere hypostaticè naturam creatam. Idque eò magis quòd illa valet ad terminandam adæquatè naturam propriam; hæc verò tantùm inadæquatè.

Neque valet distinctio eiusdem auctoris art. 4. disp. cit. §. *Quartò patet*: subsistentiam creatam considerari posse in ratione modi, & in ratione termini, quæ duæ formalitates distinguuntur, inquit, in subsistentia, & vna se tenet ex parte materialis, nempe esse modum: altera ex parte formalis, nempe terminare. Et quamuis primum suppleri non possit, id est, quamuis nequeat subsistentia creata modificare substantiam sibi alienam: sicut nec vna, & eadem numero figura potest duas quantitates realiter à se inuicem distinctas figurare; nec eadem sessio facere vt duo distincti homines sedeant: nec eadem actualis inhæsio, vt duo accidentia realiter distincta diuersis subiectis inhæreant: non sequitur, secundum suppleri pariter non posse: id est, subsistentiam creatam non posse terminare solùm naturam alienam: potest enim terminare, & non modificare: sicut potest Deus supplere speciem impressam, quâ ipse videretur, absque eo quòd Deus inhæreat intellectui Beati. Supplere enim munus illius speciei, non est inhærere subiecto.

Non valet, inquam, quia subsistentia creata, quidquid est supra naturam, est purus modus existendi per se, & modale complementum existentiæ naturæ substantialis aptæ stare per se: maléque in illa distinguuntur prædictæ formalitates, quasi vna illarum sit modus, altera non: tota enim est modus: & quidquid præstat naturæ cuius est, præstat, vt modus: cùm præstet in genere causæ formalis, communicando id quod est. Quare si supplet subsistentiam naturæ alienæ, illamque terminat, supplet, & terminat eam modificando: ac si non potest modificare naturam alienam, vt fatetur auctor citatus, non potest quoque illam terminare hypostaticè, & supplere illius subsistentiam. Neque est simile exemplum allatum: quia Deus non supplet munus speciei in genere causæ formalis: sicuti subsistentia creata modificat, & terminat existentiam naturæ, cuius est, deberetque in eodem genere causæ terminare naturam alienam, si posset illi communicari. 12.

Obijcitur tertiò, nonnullos veterum sensisse, Angelos reipsa assumpsisse hypostaticè Tertia obiectio.

naturam humanam. Senserunt enim aliqui Malachiam, Aggæum, & Ioannem Baptistam fuisse Angelos incarnatos, vt testatur S. Hieronymus in præfat. ad Malach. & in cap. 1. Aggæi ad v. 13. Fuerunt etiam, qui dicerent Antichristum fore dæmonem incarnatum. Et Tertull. lib. 3. contra Marcion. cap. 9. aliisque locis significat Angelos assumpsisse hypostaticè corpora, in quibus Abrahæ, aliisque Prophetis apparebant.

13. Angeli non assumunt corpora hypostaticè.

Respondeo antiquos illos, quorum meminit Hieronymus, fuisse deceptos nomine Angeli, quod in Scriptura tribuitur sanctis prædictis, ratione officij, non autem naturæ. De Antichristo absurdum est id opinari. Nam quamuis id esset possibile: absit vt Deo, tanquam causæ speciali, & supernaturaliter operanti, tale opus tribuatur, tendens ad tam malum finem. Dæmon autem non potest vi naturali assumere hypostaticè, & fieri Antichristus. Multóque minus potest natura humana Antichristi vnire se hypostaticè Angelo. De corporum assumptione facta ab Angelis, diximus alibi suo loco, vbi ostendimus Angelos non assumere hypostaticè, neque informare, vel animare, sed tantùm peculiariter assistere huiusmodi corporibus, ad se repræsentandos in illis, eaque mouere, velut formas assistentes, propriam formam animantem imitantes.

SECTIO II.

An solùm persona diuina possit assumere naturam creatam: an verò etiam natura diuina secundum se?

14. Natura diuina non potest assumere secùndum se immediatè.

RESpondeo, naturam diuinam non posse assumere secundum se immediatè. Ita S. Thom. qu. 3. art. 2. Alens. parte 3. qu. 2. memb. 3. Bonauent. in 3. dist. 5. art. 1. qu. 4. & alij, quos citant, & sequuntur Vasq. disp. 27. cap. 2, & Tanner. qu. 4. de Incarn. num. 16. Probat Vasq. 1. ex SS. Patribus, & Conciliis. Quando enim disputant contra Eutychetem & Nestorium, non meminerunt alterius vnionis, quàm in natura, & in persona: & illam dicunt esse impossibilem, hanc verò possibilem, & reipsa factam. Neque tantùm affirmant illam esse impossibilem, posita hypothesi, quæ nunc est, quòd nempe solus Filius sit incarnatus, & Deus decreuit non alio modo incarnari: sed simpliciter, & absolutè, quia non potuit vnio fieri immediatè in natura communi. Ad quod ostendendum adducit Vasq. testimonia Conciliorum, Toletani VI. & XI. in professione fidei, & S. Anselmi lib. de Incarn. Verbi cap. 4. Sed non satis efficaciter. Meliùs ergo probatur 2. quia natura diuina abstracta à personis non habet subsistentiam, secundum quam possit vniri hypostaticè naturæ creatæ: sed habet tantùm existentiam, secundum quam non potest terminare naturam alienam: neque apparet quomodo aliter possit immediatè illi vniri. Vel enim ita terminaret, vt natura per illam existeret formaliter: & hoc implicat, quia nulla res potest existere formaliter existentia aliena, & extrinsecà, sed intrinsecà solùm, & propria. Vel faceret cum natura creata vnum totum essentiale: & hoc non: quia totum essentiale non fit, nisi ex essentiis incompletis. Aut totum hypostaticum: & hoc etiam dici nequit: quia essentia diuina, præcisa à tribus hypostasibus relatiuis, non est subsistens. Aut totum quoddam integrale: & hoc quoque fieri non potest: quia natura diuina non est pars naturaliter ordinata ad integrandum aliquod totum extensiuum, aut intensiuum. Vel denique alio quopiam modo vnum per se cum natura illa immediatè ad se assumpta constitueret: & hoc est prorsus inintelligibile, neque ab vllo Aduersariorum asseritur.

Dices: natura diuina secundum se sumpta, & præcisa à personalitatibus, est res perfectissima, continens eminenter omnem vsum, & exercitium naturarum creatarum, & per se sufficiens ad similem vsum, modò non inuoluat imperfectionem. Cur ergo, sicut materia, & forma possunt vniri immediatè, & natura integra aquæ potest vniri immediatè naturæ vini, & ignis ferro, & arbor arbori per insitionem, & accidens subiecto, & elementa formaliter vniuntur in mixto, iuxta multorum opinionem, & metalla per mixtionem in vnum transeunt, ex quo sine noua generatione separari queunt, vt experientia constat: cur, inquam, nequeat simili quodam modo natura diuina immediatè vniri creatæ? 15. Soluitur instantia.

Respondeo, has omnes vniones naturarum creatarum inuoluere imperfectionem, vel partis incompletæ essentialiter, & ad aliud naturâ suâ ordinatæ, vt sunt materia, & forma: vel partium quantitatiuarum, quæ inter se permiscentur, aut continuantur: vel accidentis, & subiecti: quorum nihil potest naturæ diuinæ competere.

Contra responsum sentiunt Scotus, Durand. Ricard. Ocham, Gabriel, Caiet. & alii quos citat & sequitur Suar. disp. 13. sect. 1. conclus. 2. & disp. 11. sect. 3. conclus. 1. affirmantes, naturam diuinam secundum se habere subsistentiam absolutam, & essentialem, secundum quam posset naturam creatam assumere, & terminare ipsius existentiam. Sed hanc sententiam refutauimus in tract. de Trinit. tom. 1. disp. 26. sect. 2. & 3. vbi ostendimus, naturam diuinam, præcisam à tribus hypostasibus relatiuis Patris, Filij, & Spiritus sancti non habere subsistentiam communem, & absolutam: quia id quod naturæ diuinæ nomine significamus præcisè à personis, non est res per se solùm vltimò completa, & terminata secundum existentiam, atque incommunicabilis alteri vt terminanti: neque est aliquid imum, & vltimum in existendo, sed potiùs descendit vlteriùs, & communicatur, ac terminatur 16. Contraria sententia.

tribus realiter distinctis: quæ licet singula sint idem re cum natura; tamen non sunt natura sola, sed aliquid amplius, quo vnum differt realiter ab alio. Atqui id quod non est res vltimò per se solam completa, & terminata secundum existentiam, sed est in aliis vt terminantibus, non est subsistens, nec habet sub ea ratione subsistentiam, quæ est modus vltimus complementi existentiæ substantialis: igitur id, quod naturæ diuinæ nomine significamus, non est subsistens, nec habet sub ea ratione subsistentiam. Quod autem non habet subsistentiam, non potest vniri, & assumere secundum illam. Ergo id quod naturæ diuinæ nomine significamus, non potest assumere, & vniri secundum subsistentiam.

17. Huic doctrinæ fauent Concilia & SS. Patres: qui postquam constitit de significatione vocis subsistentia, tres tantùm subsistentias in Deo agnouerunt: relatiuas scilicet, quibus Pater, Filius, & Spiritus sanctus constituuntur in esse trium personarum. Idque conuenienter virtuti vocis: nam subsistere est esse fundamentum, & imum: quale non est id, quod est in alio vt terminante ipsius existentiam, quo modo natura diuina est in Patre, Filio, & Spiritu sancto. Adde, subsistentiam & hypostasim, in natura intellectuali completa, re & ratione idem esse, ac personalitatem. Quare si natura diuina abstracta à personis esset verè subsistens, esset verè persona, & tres personæ diuinæ essent vna persona, sicut sunt vna natura, quod inauditum est.

Argumẽta Caiet. in contrariũ. Opponit Caiet. tres personæ sunt vnus Deus. Ergo sunt hic Deus. Ergo datur hic Deus communis tribus personis. Sed hic Deus dicit hanc Deitatem subsistentem. Ergo datur etiam subsistentia communis tribus personis. Confirmatur ex D. Thom. qu. 3. art. 3. in c. vbi docet, abstracta personalitate per intellectum, posse adhuc nos intelligere naturam diuinam assumentem: nempe, quia adhuc intelligimus subsistentiam communem, & absolutam, atque essentialem, secundum quam potest assumere.

18. Quomodo tres personæ diuinæ sunt hic Deus. Respondeo, nomen, hic Deus, adæquatè sumptum significare constitutum ex Deitate, vna numero, & ex subsistentia triplici realiter, sed per modum vnius confusè concepta, & abstractè significata, velut vna secundum conceptum, seu rationem vniuocam. Eoque sensu tres personæ sunt vnus Deus, & hic Deus. Hic, inquam, & vnicus realiter secundum Deitatem, sed trinus secundum subsistentias, seu personas, quarum communis, & confusus conceptus significatur nomine, Deus, ex parte materialis. Dixi, *adæquatè sumptum*, &c. Nam inadæquatè sumi potest pro singulis personis, siue pro constituto ex Deitate expresè significata, & ex proprietate relatiua vnius personæ confusè significata: Vt cùm dicimus, Pater est hic Deus: Hic Deus generat. Quocunque verò sensu sumatur, nulla est subsistentia realiter vnica, & communis reipsa: sed triplex realiter, & communis tantùm ratione, quando confusè concipitur abstracta à tribus. Sensus autem D. Thomæ loco cit. est, vt liquet ex solutionibus primi, & secundi argumenti, quòd præcisâ per mentem naturâ diuinâ à personalitatibus, adhuc manebit aliquid subsistens identicè: quia in Deo idem est id quod est, & id quo est. Vel quòd manebit in intellectu eius, qui, vt Iudæi, putat Deum vnicum esse in persona æquè, ac in natura: manebit, inquam, in eius intellectu vna personalitas Dei, ad quam secundum ipsius imaginationem poterit terminari assumptio, sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi.

Opponit etiam Suar. disp. 11. sect. 3. dari in natura diuina propriam, & essentialem existentiam absolutam, quam habere concipitur, etiamsi ab ea præscindamus per mentem omnes relationes personales. Natura enim diuina est essentialiter ens à se, id est, vi propria existens, includitque intrinsecè existentiam, vt perfectionem simpliciter simplicem: & prout est prior originibus, ac velut earum fundamentum & radix, est actualis entitas, & vt talis communicatur personis, contrahiturque per relationes, quæ non adueniunt essentiæ, vt dent illi existere formaliter, sed vt terminent incommunicabiliter ipsius existentiam, id est, vt constituant vnum veluti compositum ex essentia, & relatione personali, incommunicabile alteri, vt terminanti. Quæ relationes, cùm ipsæ quoque actu sint, & actu terminent, habent pariter suam intrinsecam existentiam, quâ seipsis formaliter existunt secundum id, quod concipiuntur addere communi essentiæ, & existentiæ, quam terminant. Ideóque in Deo totaliter sumpto est vna existentia absoluta, & tres relatiuæ. Deinde addit Suar. existentiam illam absolutam, & essentialem, ex vi suæ perfectionis præcisè sumptam, esse non tantùm rationem existendi, sed etiam existendi in se, & per se; ita vt diuinitas, quatenus per illam existit modo perfecto, intelligatur per se existere, & non egere aliquo sustentante, neque aliquo alio modo re, aut ratione distincto, vt in se, ac per se existat. Et in hoc sensu subsistere per se: quia natura diuina non est concipienda eo modo imperfecto, quo concipitur existentia naturæ creatæ, puta humanitatis in Verbo, quæ spoliata propria subsistentia non per se existit, sed manet imperfecta, & quasi in potentia, vt per modũ potiùs inexistẽtiæ, quàm per se existentiæ, afficiatur, seu terminetur. Hoc enim repugnat perfectioni infinitæ simpliciter ipsius esse per essentiam, cuiusmodi est esse diuinum absolutum. Nam illud esse, vt sic conceptum, est simpliciter, & in genere entis infinitè perfectum (alioqui Deus non esset simpliciter, & in genere entis infinitè perfectus: quia non habet hanc infinitatem à relationibus personalibus, quæ sunt tantùm

19. Alia argumenta Suar.

tantùm infinitæ secundum quid, & nec solæ, nec alteri finito simpliciter additæ, possunt facere cum illo infinitum simpliciter.) Ergo illud esse includit in suo formali, & essentiali conceptu, non solùm existere, sed etiam modum in se, & per se existendi. Probat consequentiam: Primò, quia ens simpliciter infinitum non potest concipi, vt quippiam essentialiter incompletum, & tanquam id quo aliquid est, non autem tanquam id quod est. Et idem est de substantia infinitè perfecta in ratione substantiæ. Quomodo enim erit substantia infinita, si non est substantia completa? Secundò, quia, si illud esse per essentiam est ex se ens infinitum simpliciter: Ergo est Deus, & non tantùm Deitas. Ergo est in se, & per se existens. De natura enim abstracta, nisi intelligatur per se existens, non potest concretum prædicari. Tertiò, ille modus per se existendi est perfectio simpliciter simplex, quia non repugnat meliori, aut æquali. Si cui enim, maximè communicabilitati essentiæ. At hoc non: quia essentia per se existens potest tribus communicari identicè: & aliud est existere per se, & aliud existere incommunicabiliter. Denique addit Suar. existentiam illam absolutam, & essentialem, quatenus est ratio per se existendi, posse conuenienter dici subsistentiam, quia sancti Patres & Theologi communiter ita loquuntur. Et D. Thom. 1. p. qu. 29. artic. 2. Res, inquit, dicitur subsistere ex eo, quòd per se existit. Et qu. 9. de potentia art. [illegible] ad 13. ait, diuinam essentiam esse secundùm se subsistentem. Similique modo loquuntur Hilar. Hieron. August. & alij Patres. Hæc Suarez.

20\. Sed ad primum Respondeo, naturam diuinam habere suam essentialem existentiam absolutam: & illam esse quidem existentiam per se eo sensu, quo omnis existentia naturæ completæ substantialis dicitur existentia per se, id est, apta vi propria stare, ratione naturalis suæ perfectionis, & sufficientiæ, non indigentis naturaliter alio, vt subiecto, vel sustentante, quemadmodum egent accidentia, & formæ substantiales materiales. Quo pacto natura humana existit per se, etiam cùm est in Verbo. Quo etiam pacto quælibet natura creata substantialis & completa existit per se, considerata præcisè ab actualitate suæ subsistentiæ. Et ipsa essentia diuina, præcisè sumpta ab illa subsistentia communi, quam ponunt Aduersarij, existit per se eodem modo, id est, est apta vi propria stare, & non eget alio, tanquam subiecto, vel sustentante. Quare si hoc esset subsistere, natura diuina subsisteret adhuc, præcisâ illâ communi subsistentiâ. Sed vltra hoc requiritur ad denominationem subsistentis formaliter, vt natura siue creata, siue increata, apta & sufficiens ad standum per se, sit vltimò terminata, & completa secundum existentiam, ita vt quà talis, & in sensu composito, neque sit, neque possit esse in alio, siue vt terminante, siue vt sustentante: atque ita existat in se & per se incommunicabiliter. Quo terminò & complemento, seu modo existendi per se potest natura creata priuari, & loco illius pendere ab alieno supposito. Natura verò diuina, tametsi non potest eo spoliari: non est tamen concipienda illum habere ante personalitates, sed solùm prout tripliciter subsistit in tribus personis. Ante quod non habet existentiam in se, & per se, eo sensu, quo subsistere formaliter definitur esse per se: id est non in alio vt sustentante, vel vt terminante, & vltimo concludente ipsius existentiam aptam per se stare. Nam est reipsa in tribus personis, vt terminantibus, & vltimò concludentibus.

Respondetur argumentis probantibus dari in Deo subsistentiam communem.

Quo sensu natura diuina præcisa à personis existat per se.

Ad secundum Respondeo, nullam in eo esse imperfectionem naturæ diuinæ, quæ à parte rei non est tantùm id quod abstractè concipitur, sed est realiter terminata per vsum triplicem ab ipsa realiter indistinctum: neque propterea naturam abstractè conceptam non esse ens infinitum simpliciter, vel potiùs naturam, & essentiam entis simpliciter infiniti in omni genere entis: quia continet formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices, & eminenter perfectiones secundum quid, inter quas est modus tripliciter subsistendi. Ad rationem autem entis infiniti simpliciter non est necessarium includere formaliter omnes perfectiones secundum quid: alioqui deberet natura diuina includere personalitates, & modos subsistendi incommunicabiliter: quod Suares non admittit, estque contra Lateran. cap. 2. de Summa Trinit. vbi ait, Patrem communicare Filio totam essentiam, cui tamen non communicat paternitatem. 21.

Ad primam probationem consequentiæ Respondeo, ens essentialiter infinitum, seu potiùs essentiam entis simpliciter infiniti, posse concipi vt quid incompletum, non essentialiter, siue in ratione essentiæ, sed in ratione subsistentis. Sicut iuxta Suarem essentia diuina, quamuis infinita simpliciter, debet, ac potest concipi incompleta in ratione suppositi, seu personæ. Idemque dico de substantia infinita in ratione essentiæ, & non completa vt sic in ratione subsistentis, & personæ.

Essentia simpliciter infinita potest concipi vt incompleta in ratione subsistentis.

Ad secundam dico, illud Esse per essentiam infinitum simpliciter, esse quidem Deum identicè, & non adæquatè conceptum, sed præcisè tantùm quoad essentiam, seu deitatem; vltra quam Deus est realiter triplex subsistentia, & tres personæ in vna Deitate, quæ confusè significantur nomine, Deus. Et Deitas abstractè sumpta non est hoc totum formaliter secundum rationem, sed identicè, & secundum rem. 22.

Ad tertiam Respondeo, modum per se existendi, id est, non in alio, vt supposito, non esse perfectionem simpliciter simplicem, cùm repugnet communicabilitati multis personalitatibus, quæ melior est, quàm

Subsistentia nõ est perfectio simpliciter simplex.

incommunicabilitas opposita: vt patet ex eo, quòd communicabilitas pertinet ad quandam illimitationem, & ad naturam bonitatis, quæ est sui diffusiua: Incommunicabilitas verò pertinet ad rationem quandam entis limitati, & restricti. Item per communicabilitatem naturę diuinæ factam multis personis, natura diuina est aliquid quasi superius, & supereminens: cùm personalitates sint quid imum & infimum.

23. *Existentia per se rei subsistentis repugnat communicabilitati.* Neque verum est quod ait Suares, existentiam per se, qualis est rei subsistentis formaliter, non repugnare communicabilitati identicæ, quæ fit tribus personis. Etenim quod descendit vlteriùs, & est in alio, vt subsistente, non est per se subsistens formaliter, neque est imum, & infimum, & veluti basis, quod significatur nomine latino subsistentiæ, & græco hypostasis: quæ perperam distinguit Suares contra communem vsum. Neque aliud est existere per se substantialiter, sumptum pro subsistere, quàm existere incommunicabiliter alteri, vt subiecto, vel vt subsistenti, & terminanti existentiam. Denique existentia illa diuina absoluta non est aliter existentia per se formaliter, neque magis meretur nomen subsistentiæ, quàm natura angelica, vel humana præcisè sumpta, vt paulò ante diximus. Theologi verò communiùs nobis assentiuntur, & SS. Patres idem senserunt, postquam de nomine subsistentiæ constitit, quod aliquandiu apud Patres obscurum fuit, & à multis vsurpatum pro substantia ipsa, vt ab August. Hieron. aliisque à Suare citatis. Deinceps verò Patres & Concilia subsistentiam acceperunt constanter pro hypostasi, & personalitate, ac tres solùm in Deo agnouerunt subsistentias, vt fusè ex eorum testimoniis ostendit Vasques 1. p. disp. 124. & 125. D. Thomas autem priori loco citato loquitur de existere per se, id est, non in alio, vt supposito. Posteriori intelligit essentiam diuinam esse secundum se subsistentem identicè; quod ipsum repetit 3. p. qu. 3. art. 3. ad primum, quia, inquit, in diuinis idem est quo est, & quod est. *Vasques.*

SECTIO III.

An possit vna persona plures humanitates simul assumere?

24. *Conclus. affirmat. S. Thom.* REspondeO affirmatiuè cum D. Thom. quæst. 3. art. 7. & aliis communiter. Ratio est, quia non repugnat neque ex parte humanitatum, quæ sunt omnes assumptibiles, & non habent oppositionem, aut absolutam incompossibilitatem inter se in ordine ad vnionem cum eadem hypostasi: neque ex parte personæ diuinæ, cuius vis terminandi naturas creatas infinita est. Et licet hypostasis cuiusque personæ diuinæ terminet naturam diuinam infinitè in suo genere, & quantùm ipsam terminare potest: non tamen inde fit, vt non possit vlteriùs terminare naturas creatas, siue vnam, siue plures, & infinitas: quasi tota eius vis exhauriatur penitùs, & omni modo vnica terminatione essentiæ diuinæ, sicut vis generandi, & vis spirandi, exhauriuntur vnica generatione, & vnica spiratione. Quemadmodum enim licet voluntas diuina Deum amet infinitè, & quantùm amare potest, non sequitur quòd exhauriatur Dei bonitate, & non possit amare creaturas: similiterque intellectus non exhauritur Dei cognitione, sed ad alia omnia extra Deum se diffundit: sic hypostasis &c.

Difficultas verò est, vtrum in eo casu persona illa diuina, vnita pluribus humanitatibus, esset dicenda vnus homo, an plures? 25.

Personæ vnita pluribus humanitatibus deberet dici plures homines. Qua de re censeo probabilius esse debere dici plures homines, vt sensit D. Thom. in 3. distinct. 1. quæst. 2. art. 5. ad 2. Capreolus in 1. distinct. 4. quæst. 1. art. 1. ad primum, Aureoli, Altisiodorensis lib. 3. tract. 1. cap. 1. quæst. 5. & Vasques in primam partem disput. 155. per totam. Ratio est, quia, vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 39. artic. 3. & fere idem docet Vasques suprà capite 4. vnitas vel pluralitas nominis concreti substantiui ac substantialis, id est, substantiam rei vel aliquid ei substantiale significantis, sumitur ex vnitate vel pluralitate formæ expressè significatæ: adeo vt si illa sit vnica, nomen concretum non possit in plurali vsurpari: secus autem si multiplex sit. Ideoque in Trinitate dicuntur esse tres personæ, quia forma personalitatis, expressè significata nomine personæ, triplex est. Contra verò dicuntur tantùm vnus Deus, quia Deitas est vnica. Et Pater ac Filius dicuntur esse, non duo principia, sed vnicum principium Spiritus sancti, & vnicus spirator, in Concilio Lugdunensi capite vnico de Summa Trinitate & Fide Catholica in sexto, quia vna & eadem virtute & actione spirant. Cuius rei ratio esse videtur, quia huiusmodi concretum significat rem per modum subsistentis & suppositi, præcipuè vt constituitur formali & expresso significato, cuius proinde in pluralitate, aut vnitate nominis, maior habenda est ratio. Sic igitur si vna & eadem persona diuina assumeret plures humanitates, esset multiplex homo, seu plures homines; quia forma expressè significata nomine hominis, nempe humanitas, esset multiplex. Contrà verò, si plures personæ diuinæ assumerent *Probatur ex modo accipiendi concreta substantiua substantialia.* *Concil. Lugdun.*

eandem humanitatem, essent vnus homo, sicut sunt vnus Deus; quia humanitas vnica esset, æquè ac Deitas.

26. *Alia est ratio de nominib. adiectiuis.* De nominibus verò adiectiuis alia est ratio, quia significant formam, vel quasi formam, per modum adiacentis. Vnde, iuxta communem modum loquendi, supponunt pro subiecto vel supposito cui forma tanquam adiacens significatur, ideoque quoad vnitatem aut pluralitatem huiusmodi nominum habetur ratio subiecti, aut quasi subiecti. Quare si illud sit multiplex, nomen potest pluraliter efferri. Secus non, licet formæ sint multæ. Vnde non dicimus, v. g. hominem habentem multas vestes esse multos vestitos, sed vnum vestitum multis vestibus. Nec qui habet multas qualitates dicitur multa qualia vel qualificata, sed vnus qualificatus multis qualitatibus, scientia, virtute, pulchritudine, &c. *Et de concretis substantiuis accidentalibus.* Vltra verò prædicta concreta substantiua substantialia, & nomina adiectiua, quædam sunt nomina substantiua quæ significant formam accidentariam, aut aliquid per modum accidentis, vt artifex, opifex, doctor, creator, gubernator & similia. *Vasquez.* Et hæc, vt rectè notat Vasques disputatione citata capite 8. ex parte sequuntur naturam & regulam adiectiuorum. Quia cùm plures huiusmodi formæ, aut quasi formæ, seu significata accidentaria, vni & eidem subiecto conueniunt; non enunciantur de illo nomina eas significantia in plurali, sed in singulari. Exempli gratia non dicimus hominem callentem multas artes esse multos artifices; vel habentem multas scientias, esse multos Doctores: aut habentem multos filios, esse multos Patres. Ratio est, inquit Vasques, quia huiusmodi nomina significant magis principaliter naturam illam substantialem, cui conuenit talis forma aut quasi forma; quæ si vna est, non debet nomen multiplicari. Dixi, naturam substantialem: non hypostasin aut suppositum quà tale: quia huiusmodi nomina non multiplicantur propter solam pluralitatem hypostaseon aut suppositorum. Vnde non dicimus tres personas diuinas esse tres creatores, tres opifices, tres mundi gubernatores: quia hæc denominatio formæ quasi accidentariæ per modum substantiui, non extenditur vltra ipsam substantiam & naturam rei per se stantis, inquit Vasques loco citato. Quorum omnium summa ratio ex veteri & communi modo loquendi sumenda est. Nominibus enim est vtendum secundum quod sunt ad significandum imposita, & communiter vsurpata.

27. *Contraria sententia.* Contra id quod diximus, personam diuinam assumentem plures humanitates fore plures homines, & ita dici debere, sentiunt D. Thom. quæst. 3. articul. 7. ad 2. vbi retractat id quod docuerat in 3. dist. 1. Marsilius, Gabriel, Almainus, & alij quos refert & sequitur Suares disput. 13. sect. 3. quibus accedunt Delugo disp. 13. num. 17. Tannerus qu. 4. num. 50. & alij recentiores. Ratio D. Thomæ est, quia nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. Cui si opponas cum Scoto in 3. dist. 1. quæst. 3. inde sequi tres personas diuinas posse dici plures Deos, quia iuxta hanc doctrinam, concretum, *Deus*, habere debet vnitatem aut pluralitatem ex vnitate vel pluralitate suppositorum. Respondet Caietanus ad locum D. Thomæ citatum, negando sequelam, quia S. Thom. non affirmat multiplicari concreta, multiplicato supposito: sed tantùm negat multiplicari vnquam nomen ab aliqua forma impositum (quam scilicet expressè significat, vt Deus Deitatem, homo humanitatem, persona hypostasin seu personalitatem) nisi propter pluralitatem suppositorum. Quæ regula, inquit, vera est tam in concretis adiectiuis, quàm in substantiuis, tam substantialibus quàm accidentalibus. Ita vt semper ad pluralitatem concretorum exigatur pluralitas suppositorum. Sed cum hoc stat, quòd pluralitas suppositorum non sufficiat quandoque, & exigatur etiam pluralitas formæ significatæ; nempe in concretis substantiuis: vt patet, inquit, ex prima parte quæstione 39. articulo 3. Et propterea licet vnitas suppositi optimè inferat singularitatem concreti substantiui, quale est homo in casu proposito; non tamen multitudo suppositorum infert pluralitatem substantiui, Deus, respectu personarum diuinarum. Hæc Caietanus. Iuxta quam sententiam, hæc regula duplex statuenda est. Prima: in concretis substantiuis nomen non effertur pluraliter, nisi sint multa supposita, & forma per nomen expressè significata sit realiter multiplex. *Regula circa multiplicationem nominum substantiuorũ & adiect.* Secunda, in concretis adiectiuis habenda est ratio vnitatis aut multitudinis suppositi, vel subiecti, vt nomen in singulari aut in plurali efferatur: quidquid sit de forma, aut quasi forma expressè significata.

28. *Refutatur Caiet.* Contra quæ dico primò, hanc Caietani expositionem esse contra S. Thomam, eo ipso loco quem citat, nempe prima parte, quæstione 39. artic. 3. in corpore, initio, vbi sic habet: *Ea quæ substantiuè essentiam significant, prædicantur de tribus personis, singulariter tantùm, & non pluraliter. Quæ verò adiectiuè essentiam significant, prædicantur de tribus personis in plurali. Cuius ratio est, quia nomina substantiua significant aliquid per modum substantiæ: nomina verò adiectiua significant aliquid per modum accidentis quod subiecto inhæret. Substantia autem, sicut per se habet esse, ita per se habet vnitatem, vel multitudinem. Vnde & singularitas vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam*

per nomen. Accidentia autem, sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem, vel multitudinem. Et ideo in adiectiuis attenditur singularitas & pluralitas secundum supposita. Hactenus S. Thom. cuius verba, vt bene Vasques expendit prima parte, disputatione 155. capite 4. omnino significant vnitatem aut pluralitatem concreti substantiui sumendam esse, iuxta ipsius mentem, ex formæ vel naturæ subsistentis vnitate aut multitudine, velut ex regula seu causa integra & sufficiente; quemadmodum vnitas, aut pluralitas adiectiui, sumitur ex vnitate aut multitudine suppositorum. Probatur, quia eodem modo loquitur de vtrisque. Ergo sicut iuxta Caietanum vnitas adiectiuorum, aut pluralitas, sumitur adæquate ex vnitate aut pluralitate suppositorum: sic vnitas aut pluralitas substantiuorum, ex vnitate aut pluralitate naturæ substantialis. Secundò, Quia vox illa, *attenditur*, id significat: Et alioquin applicatur æquiuocè substantiuis, & adiectiuis, in regula tradita à D. Thoma verbis supra relatis. Tertiò, Ratio ab ipso allata id perspicuè indicat: quia nimirum substantia habet esse per se, ideoque habet per se vnitatem aut multitudinem: At accidens habet esse in subiecto, ideóque habet ex illo vnitatem aut multitudinem. Quartò denique, intentio D. Thomæ id omnino postulat. Nam intentio eius est assignare regulam necessariam, & sufficientem, ad iudicandum de vnitate aut pluralitate nominum diuinorum: alioqui enim non bene probaret cur adiectiua possint multiplicari, non substantiua.

Vasquez.

29. Dico secundò, durum admodum videri, & alienum à communi modo loquendi, dicere quòd in eo casu, quo eadem persona diuina assumeret duas naturas humanas, quarum vna assumpta vocaretur Petrus, alia Paulus: non forent duo homines. Quorum certè vnus de alio negari posset, æquali, aut maiori ratione, quàm Pater in diuinis possit negari de filio, aut de Spiritu sancto, sub nomine personæ. Si autem vnus potest negari de alio sub illo nomine, non sunt vnum sub illo nomine: quia ea quorum vnum potest negari de alio sub aliquo nomine, sunt diuersa seu distincta sub illo nomine: & quæ sunt diuersa, sunt non idem, & non vnum, in eo in quo diuersa sunt.

30. Aliud argumẽtum.

Suares verò disput. 13. sect. 3. ait ideo personam diuinam assumentem plures humanitates non debere dici plures homines, quia ex illis omnibus naturis constitueretur vnum suppositum & vna persona humana. Suppositum autem non dicitur simpliciter plura sub aliqua appellatione, seu forma, licet habeat plures formas, seu rationes, à quibus possit illa denominatio sumi; vt patet inductione. Nã vnus homo est vnus artifex, vnus qualis, vnus vestitus; quamuis habeat multas artes, qualitates, aut vestes. Et in diuinis Pater est vnum principium Filij, & Spiritus sancti, quamuis habeat plures proprietates, seu relationes generandi & spirandi. Vnde colligimus, inquit, nomina concreta non dici pluraliter nisi propter multitudinem suppositorum: licet plura supposita dicantur singulariter aliquid vnum, quatenus in aliqua forma vel ratione conueniunt. Et ita licet plures personæ dicantur vnus homo, si conueniant in vna humanitate assumpta: vna tamen persona non posset dici plures homines propter plures humanitates. Nimirum quia vt aliqua sint vnum sub aliqua ratione, sufficit vt sub illa ratione vniantur. At verò vt sint plura, requiritur vt absolutè & simpliciter diuidantur, & non vniantur ad componendum vnum. Hæc Suares.

31. Responsio prima.

Ad quæ Respondeo 1. Nullam esse rationem cur in concretis substantiuis, & substantialibus, significantibus expresse naturam, non sit habenda ratio multitudinis naturarum ad nomen pluraliter efferendum, non obstante suppositi vnitate: sicut in nominibus concretis substantiuis & substantialibus, significantibus expressè personalitatem, habetur ratio multitudinis personalitatum, ad pluraliter efferendum nomen personæ, non obstante naturæ vnitate, vt patet fieri in diuinis: dicuntur enim tres personæ, quamuis vnica sit natura.

Responsio secunda.

Respondeo 2. Aliam esse rationem substantiuorum substantialium, & adiectiuorum aut substantiuorum tantùm accidentalium, vt suprà ostendimus: Ideoque non valere argumentum ab vno ad aliud. Nomen verò, principij, idcirco non multiplicatur in Patre propter virtutem generandi & spirandi, quia illæ virtutes non distinguuntur realiter in Patre, sed ratione solùm. Vnde non est cur efferatur nomen illud de Patre in numero plurali ex parte formæ expressè significatæ, magis quàm ex parte suppositi. Ideoque hoc exemplum non aptè affertur à Suare ad probandum quod intendit: quasi verò nisi habenda esset ratio vnitatis suppositi in Patre, deberet nomen principij efferri de illo pluraliter ob multitudinem formarum, id est, virtutem generandi & spirandi. Neque valet discrimen vltimo loco à Suare allatum. Quia quæ sunt diuersa sub aliqua ratione, sunt multa in illa; licet sint vnum sub alia ratione. Quare si denominatio debet attendi secundum illam rationem, in qua sunt multa; debent ea numero plurali denominari, non obstante vnitate in ratione alia. Neque propterea dicuntur esse plura simpliciter, & omni ex parte: sed plura secundum illam rationem quæ multiplex est. Sicut tres personæ diuinæ denominantur tres personæ, licet non sint simpliciter & omni ex parte diuersæ seu distinctæ: sunt enim idem ratione essentiæ.

32. Tertium argumentum. Tertiò denique P. Ioan. Delugo disp. 13. num. 17. putat sententiam nostræ contrariam à se conuinci hoc efficacissimo argumento à posteriori; quia si vna persona cum tribus naturis constitueret tres homines: ergo cum duabus animalitatibus, duo animalia. Ergo cum duabus naturis viuentibus constitueret duos viuentes substantiuè. Consequens est falsum, nam in Christo est vna persona cum duabus naturis viuentibus, & non sunt duo viuentes. Alioqui si sunt duo: ergo significato vno, possumus dicere, hoc viuens, nempe Deus, non est illud viuens, scilicet homo. Nam vbi sunt duo, bene potest vnum de alio negari. Ergo dicendum est Christum non esse duos viuentes, sed vnum, vt dicitur in Symbolo Athanasij: *Quia licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus.* Ergo non esset tres homines, quamuis essent tres humanitates. Addi potest, Christum fore duos filios; quia Filius est concretum substantiuum, & substantiale, expressè significans naturam: sunt autem in Christo duæ naturæ.

Soluitur pars posterior argumenti. Sed ad hoc vltimum Respondeo cum Vasque citato disp. 55. n. 36. nomen filij, esse quasi adiectiuum. Est enim filius idem quod, genitus. Vnde non potest efferri pluraliter nisi suppositum multiplicetur. Christus autem est vnicum suppositum. Addi potest, secundum communem loquendi modum nomina patris & filij sumi vt concreta accidentalia, aut quasi accidentalia, quorum multiplicatio sumitur penes multitudinem suppositorum, aut subiectorum: vt diximus num. 22.

33. Soluitur prior eiusdem pars. Ad prius argumentum Respondeo, Christum esse ac verè dici posse duo viuentia, substantiuè & præcisè sumpta, id est duas naturas viuentes subsistentes, quarum vna negari potest de alia sub eodem nomine eodem modo sumpto. Possumusque dicere, Hoc viuens substantiuè & præcisè sumptum pro natura diuina subsistente hypostasi Verbi, non est illud viuens substantiuè quoque & præcisè sumptum, id est, non est natura humana subsistens eadem hypostasi Verbi. Præcisè inquam: quia sumendo nomen viuentis adæquatè, prout de Christo integro dicitur, significando vel ex parte formalis, vel ex parte materialis, totam substantiam Christi, non est Christus duo viuentia totalia, neque potest vnum hoc sensu de alio negari. Qua de causa verum etiam est, & non negandum, quòd Deus sit homo, id est, quòd idem suppositum constans natura diuina, constet etiam substantialiter natura humana. Nomen enim, *Deus*, & nomen, *homo*, vt de Christo dicuntur simpliciter, significant totum illud suppositum; ita vt nomen, *Deus*, ex parte formalis, seu expressè, significet Deitatem; ex parte verò materialis seu confusè, quidquid cum illa constituit hoc integrum suppositum. Nomen autem hominis significat expressè & formaliter humanitatem: reliquum confusè & materialiter. Athanasius verò tantùm asserit Christum non esse duos adiectiuè, vt patet ex his verbis, *Non duo tamen, sed vnus est Christus.* Debebat enim alioqui dicere, *sed vnum est Christus*, substantiuè in neutro genere. Fatemur autem nomina adiectiua non multiplicari nisi propter multitudinem suppositorum.

SECTIO IV.

An plures personæ diuinæ possint assumere simul eandem humanitatem?

Respondeo affirmatiuè, cum D. Thom. qu. 3. a. 6. Caietano, Capreolo, Durando, Oxamò, Gabr. & aliis, quos citant & sequuntur Suares disput. 13. sect. 2. & Vasq. disp. 29. cap. 2. Probatur, quia id non implicat contradictionem, neque ex parte personarum diuinarum, quæ habent æqualem vim terminandi, & possunt simul terminare eandem naturam, sicut terminant reipsa diuinā: neque ex parte humanitatis, quæ licet sit finita, potest tamen obedientialiter terminari finito modo per plures hypostases diuinas, sicut terminatur per vnam: ad eum modum quo natura diuina terminatur naturali necessitate, & absoluta, per tres simul hypostases Patris, Filij, & Spiritus sancti. Nam tres illæ terminationes si fierent, attingerent immediatè naturam humanam, & tres subsistentiæ illam solam terminarent. Vnde natura terminata per vnam subsistentiam, non terminaretur per alteram vt terminata per aliam, id est, vna subsistentia non terminaretur ab alia, quemadmodum neque potest terminari. 34. Conclusio affirmat.

Contrarium sentiunt ex parte Scot. in 3. distinct. 1. quæst. 2. Ricard. ibid. quæst. 1. art. 4. & multò magis Delugo disp. 12. num. 81. vbi præterea citat Albertum, Paludanum, & S. Anselmum. Primò, quia proprium est naturæ diuinæ, propter infinitatem, vt possit tribus subsistentiis terminari. Ergo id non potest conuenire naturæ finitæ. Secundò, si tres personæ assumerent eandem humanitatem, ille homo esset Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ergo per communicationem idiomatum Pater esset Filius, & contra. Tertiò, si posset eadem humanitas terminari simul à duabus personis diuinis; posset quoque simul terminari à propria personalitate, & à diuina; quia eadem est ratio propriæ & alienæ. Quartò, idem effectus non potest simul pendere à pluribus causis totalibus in eodem genere; quia dependentia effectus à causa, est ex indigentia, quæ sublata per vnam causam totalem, non potest tolli per aliam; quia iam non est, nec esse potest. Probatur Maior: quia pendere ab alio, est illo indigere. Item pen- 35. Contraria opinio.

dere rem ab aliquo vt à causa totali, est ita pendere ab illius influxu, vt sine illo res non esset. Atqui humanitas terminata tribus hypostasibus diuinis, penderet ab illis vt à causis totalibus in eodem genere. Quintò, inquit auctor postremò citatus, subsistētia aliena facit naturam subsistere in supposito alieno. Ergo facit eam ibi sistere & terminari. Ergo non potest simul terminari ab alio supposito. Sicut enim repugnat terminari in se, & in alio. Sic etiā repugnat terminari v.g. in supposito Verbi, & terminari in alio supposito Spiritus sancti. Terminari enim est sistere ibi, & non progredi vlteriùs.

36. Satisfit primo eius argumēto. Ad primum Respondeo, proprium esse naturæ diuinæ propter summam ipsius infinitatem vt essentiali & absoluta necessitate exigat terminari tribus hypostasibus distinctis realiter inter se, quibus tamen omnibus & singulis ipsa realiter identificetur: quod est singulariter proprium naturæ diuinæ, & incommunicabile creaturis: secus autem posse terminari obedientialiter, ex libera Dei voluntate, & sine reali identificatione cum hypostasibus diuinis terminantibus.

Ad secundum. Ad secundum, Nego consequentiam. Quia communicatio idiomatum fieret tantùm inter naturam diuinam concretè significatam nomine, *Deus*, & inter naturam humanam concretè significatam nomine, *Homo*, sicut nunc in Christo fit. Itemque inter naturam humanam concretè significatam, & inter singulas & omnes personas diuinas: at non inter personas ipsas inter se. Nam Pater non posset de Filio prædicari: neque ea quæ sunt propria Patris, vt generare, & esse ingenitū: quia si vnio vel potiùs vnitas Filij, & Patris, in eadem natura diuina id non facit: multò minùs id faceret vnio Patris, & Filij, cum eadem humanitate realiter ab vtroque distincta.

37. Soluitur instantia. Dices, in eo casu bonus esset hic syllogismus expositorius: Hic homo est Pater, hic homo est Filius, Ergo Filius est Pater. Respondeo negatiuè, quia terminus, *hic homo*, non distribuitur, id est, non sumitur adæquatè in maiori propositione, neque in minori, pro eo omni quod est hic homo. In eo enim casu, *hic homo*, esset terminus vniuersalis, ratione materialis significati: sicut & nomen, *Deus*, significans Deitatem subsistentem in tribus personis. Quare syllogismus allatus isti similis est: Hic Deus est Pater, hic Deus est Filius, ergo Filius est Pater. In eo ergo casu homo ille esset Pater, Filius, & Spiritus sanctus: quia sicut nunc hic homo Christus, cuius humanitas est vnita Filio, est verè Filius: sic ille cuius humanitas esset vnita Patri, Filio, & Spiritui sancto, esset verè Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Item quæcunque conueniunt Deo vt Deo, possent per idiomatum communicationem de homine illo prædicari propter vnionem naturæ diuinæ cum illo: & quæcunque conueniunt tribus personis specialiter, possent etiam de illo dici, propter vnionem cum illis: sicut non tantùm communia, sed etiam propria Filij, de Christo prædicantur. Ac denique ea quæ naturæ illi humanæ conueniunt, possent tum de Deo vt sic, tum de omnibus & singulis personis enunciari: sicut nunc reipsa enunciantur de Deo, & Filio, ea quæ conueniunt Christi humanitati, vt nasci, pati, mori, &c. At non propterea enunciarentur personæ de personis, neque propria vnius de altera; quia ad hoc non sufficit concursus vnionum suarum personalitatum in eandem naturam assumptam hypostaticè ab omnibus: sed deberet ab illis assumi vna numero natura in vnitate personæ: quod est impossibile.

Ad tertium respondebitur disputatione sequenti, sectione secunda. Vbi ostendemus probabilius esse implicare contradictionem, quòd eadem natura terminetur simul propriâ & alienâ subsistentiâ. Magnumque esse discrimen inter hæc duo: quòd natura humana simul possit terminari triplici subsistentia diuina: & quòd eadem possit terminari simul subsistentia propria & aliena, nempe diuina. 38. Ad 3. Argumentum.

Ad quartum, Nego antecedens cum eius probatione. Neque enim illa multitudo causarum totalium est ex necessitate, vel ex indigentia; sed ex abundantia: Deo plures causas totales determinante ad eundem effectum, quem producere aptæ sunt: non augendo earum virtutem, sed tantùm determinando extraordinariè omnes ad vnum & idem indiuiduum. Falluntur autem, & petunt principium Aduersarij, quando dicunt pendere totaliter ab aliqua causa in aliquo genere, idem esse, atque nullo modo pendere ab alia: vel non posse absque tali causa totali simpliciter existere. Potiùs enim hoc nihil aliud est, quàm influere virtute & actione sufficienti vt res sit, ita vt esset vi talis actionis, quamuis aliæ causæ non influerent. Cætera quæ recentiores quidam opponunt soluentur inferiùs disp. 24. sect. 2. conclusione 3. Addo, in eo casu non fore eundem omnino effectum. Nam licet eadem esset humanitas; illa tamen non est effectus secundum se simpliciter, sed vt vnita & terminata hypostaticè. Tot verò essent vniones, & terminationes, quot personæ terminantes; quarum vnaquæque non terminaret humanitatem infinitè, vel quantùm absolutè terminabilis est, sed finito modo & contemperato, ita vt locum aliis personis relinqueret. Potest enim terminare inadæquatè magis & minùs quodammodo intensiuè eandem naturam, pro Dei libertate. Ad quartū.

Ad quintum Respondeo, sicut natura diuina terminata à Patre, & in illo subsistens, terminatur nihilominus à Filio, & à Spiritu sancto, in quibus æquè subsistit: sic humanitatem subsistentem in Verbo, & ab eo terminatam, posse nihilominus terminari à Patre, vel à Spiritu sancto, & in illis subsistere: Quod verò aliqui respondent naturam diuinam non sistere, seu terminari, in tribus 39. Ad quintū.

suppositis diuinis, sed sistere in seipsa, quia naturam aliquam subsistere per propriam subsistentiam, non est naturam sistere, seu terminari in tali supposito, sed sistere in seipsa; non est verum, si intelligant naturam sistere in seipsa formaliter & præcisè, sine modo subsistendi, id est, sine supposito, & sine eo quod suppositum proprium addit supra naturam. Sin autem intelligunt subsistere tantùm aptitudinaliter, siue esse de se aptam & sufficientem ad standum per se, fierique formaliter subsistentem per modum essendi per se: non ostendunt cur sicut natura diuina sit subsistens formaliter per triplicem modum essendi per se, constituentem tria supposita diuina, in quibus natura sic est modificata & determinata; ita non possit humanitas subsistere denominatiuè per plures hypostases diuinas, à quibus terminetur substantialiter: & cur non possit terminari triplici termino alieno, sicut natura diuina terminatur triplici proprio. Denique hypostasis generatim reddit quidem vltimò sistens, & incommunicabile alteri vt terminanti, id quod cõstituit; sed non naturam talis suppositi, sicut Pater v. g. est quidem incommunicabilis alteri vt terminanti; at non essentia seu natura diuina, quæ vlterius communicatur Filio, & Spiritui sancto, vt terminantibus.

40. Superest quærere vtrum in eo casu quo vna persona assumeret plures naturas, vt diximus fieri posse in priori sectione, vel plures personæ eandem, vt dicimus in præsenti, fieret vnum per se ex tali assumptione?

Plures naturæ simul assumptæ essent plura entia per se.

Respondeo fore plura entia per se, & vnum tantùm collectiuè. Nam in secundo casu essent plures personæ diuersæ realiter inter se, ac ne quidem identificatæ in natura assumpta, quippe quæ realiter ab omnibus illis distinguitur. In quo secus se habet ac diuina essentia, quæ tribus personis est realiter identificata: Propter quod tres personæ sunt vnum per se identicè in essentia, quatenus scilicet tres hypostases, & tres personæ, sunt illa vnica res simplicissima, quæ est substantia, essentia, seu natura diuina, vt ait Lateran. cap. *Damnamus*. In primo autem casu non facerent vnum per se naturæ illæ plures vnitæ eidem personæ; sicut nunc reipsa faciunt natura humana & diuina in Christo. Quia in eo casu plures humanitates non ita essent vnitę inter se, sicut essent vnitæ ipsi naturæ diuinæ, ac sicut nunc reipsa natura humana in Christo est vnita diuinæ. Nam natura diuina, quæ est eadem res cum hypostasi cuiusque personæ diuinæ, vniretur ipsamet identicè secundum hypostasin omnibus naturis assumptis, & eas compleret in esse hypostatico. At natura assumpta non est eadem re cum hypostasi, ideoque vni naturæ assumptæ non ita vniretur natura alia assumpta, sicut naturæ diuinæ. Quoniam naturæ diuinæ vnitur quælibet, tanquam ei quæ est eadem re cum hypostasi: alteri verò naturæ assumptæ non vnitur altera assumpta, tanquam ei quæ sit eadem re cum hypostasi: est enim re diuersa. Vnirentur tamen plures naturæ assumptæ ab eadem persona, alio modo, quia scilicet essent omnes in eadem persona. Sed non esset natura assumpta vna in altera compositiuè seu constitutiuè: quia non est necesse vt in quocumque est persona diuina componens, in eodem sit quoque vt componens natura assumpta, quæ non est de ratione illius, neque eadem re cum illa, sed tantùm accessoriè coniuncta.

Lateran.

41. Eademque de causa naturæ illæ omnes simul sumptæ non facerent vnum per se, sicut natura diuina & humana faciunt vnum per se in Christo, quia vna natura assumpta, putà humana, non faceret cum altera, putà angelica, ens vnius generis, præcisè habens ea quę ad essentiam, vel complementum, vel integritatem talis entis in suo genere intrinsecè requiruntur. Sic enim definitur ens per se à Metaphysicis, nominatim à Suare disp. 4. Metaphys. sect. 3. nu. 6. Cuiusmodi ens, aut est simplex, vt natura Angelica: aut compositum ex multis ad vnam essentiam completam necessariis, vt natura humana constituta ex corpore & anima: vel ex natura & complemento substantiali, vt suppositum, seu totum hypostaticum: vel ex partibus integrantibus, vt totum integrale, putà homo ex variis membris, & partibus sui corporis. At vna natura assumpta non ita se haberet respectu alterius, neque cum illa totum aliquod vel essentiale, vel hypostaticum, vel integrale, constitueret; vt manifestum est. Secus autem diuina hypostasis Verbi, quæ complet substantialiter naturam humanam loco propriæ subsistentiæ: natura verò diuina concurrit quoque ad tale complementum tanquam hypostasi Verbi immediatè identificata, & in illius cõceptu inclusa iuxta probabiliorem sententiam, atque ad Verbi constitutionem intrinsecè pertinens. Quare eatenus saltem facit vnum per se cum natura humana.

Ratio assertionis.

Suarez.

Nota præterea, quòd licet hypostasis inadæquatè tantùm vniatur humanitati vnione immediata, vt paulò ante diximus; totum tamen Verbum vnitur illi adæquatè, mediatè, vel immediatè; quia tota natura Verbi, & tota hypostasis identificatur adæquatè ei quod præcisè vnitur immediatè humanitati, & cum illo Verbum constituit.

DISPVTATIO SEPTIMA,

De natura assumpta, deque modo & ordine assumptionis.



DE argumento proposito disputat S. Thomas quæst. 4. 5. & 6. In quarum prima docet Verbum conuenienter assumpsisse naturam humanam præ aliis, propter eius dignitatem, & necessitatem; indigebat enim reparatione, cùm subiaceret originali peccato: & non assumpsisse personam, neque hominem propriè loquendo, alioquin essent duæ personæ in Christo: neque debuisse assumere naturam humanam abstractam ab omnibus indiuiduis, quia non datur talis, neque dari potest: aut existentem in omnibus indiuiduis, quia sic tolleretur multitudo suppositorum humanæ naturæ, quæ est ei connaturalis. Nam omnes naturæ humanæ, vni personæ diuinæ coniunctæ hypostaticè, essent vnicum suppositum. Hoc etiam derogaret dignitati Filij Dei incarnati, prout est primogenitus in multis fratribus secundum naturam humanam: essent enim tunc omnes homines æqualis dignitatis. Et denique conueniens est, quòd sicut vnum suppositum diuinum est incarnatum, ita vnam solam naturam assumeret, vt ex vtrâque parte vnitas inueniretur. Quamuis autem poterat aliunde quàm ex Adamo naturam humanam assumere; conuenientiùs tamen sumpsit ex illius stirpe. Primò, quia ad iustitiam pertinet vt ille satisfaciat, qui peccauit: & ideo de natura per peccatum corrupta, debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. Secundò, quia hoc etiam pertinet ad maiorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor Diaboli nascitur, quod per Diabolum fuerat victum. Tertiò, quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, cùm de

natura corrupta, & infirma, assumpsit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem est promotum.

In secunda quæst. affirmat Verbum assumpsisse verum corpus: quia fuit verus homo, pro salutè hominum verè passus & mortuus: & non decuit ipsum fingere, cùm sit ipsamet veritas. Corpus, inquam, non phantasticum, vt voluit Manichæus: neque cœleste, vt Valentinus: sed terrestre, & nostro simile: alioqui non fuisset verus homo, neque verè esuriisset, & sitisset, nec etiam passionem & mortem sustinuisset. Ac denique sicut assumpsit verum corpus, ita & veram animam intellectu præditam: tum quia sine illa non fuisset verus homo: tum etiam quia decuit animam assumi, vt quæ primi parentis peccato sauciata fuerat, sanaretur per filium Dei, qui humanæ naturæ sanandæ gratiâ in mundum venerat.

In tertia quæst. asserit 1. Carnem fuisse assumptam mediante anima; & animam mediante spiritu siue mente: quia Verbum assumpsit carnem in ordine ad animam: & animam, propter mentem, seu partem rationalem. Quod enim fuit dignius, fuit causa aliud assumendi. 2. Vtramque tamen simul tempore fuisse assumptam: quia anima Christi non ante fuit creata, quàm vnita. 3. Non prius fuisse carnem assumptam à Verbo, quàm animæ vnitam: quia non debuit ante assumi, quàm esset caro humana, quod factum est anima rationali adueniente. 4. Verbum assumpsisse partes humanæ naturæ mediante toto: quia sicut assumpsit corpus, propter ordinem quem habet ad animā rationalem, ita assumpsit corpus & animam, propter ordinem quem habet ad humanam naturam. 5. Hanc vnionem non fuisse factam per gratiam, sicut per medium; sed sicut per causam efficientem: sumendo gratiam pro voluntate Dei gratis aliquid donante aut faciente. Nam si sumatur aliter pro gratia vnionis, vel pro gratia habituali & sanctificante: gratia vnionis est ipsum esse personale: gratia verò habitualis est effectus quidam consequens ipsam vnionem. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

An conuenienter Verbum assumpserit naturam humanam, potiùs quàm aliam: & vtrum aliam assumere potuerit?

1. **Conclusio affirmat.** RESPONDEO affirmatiuè ad vtramque partem quæstionis. Prior traditur à D. Thom. qu. 4. art. 1. Cuius rationes in textu claræ & faciles sunt. Deque illa sufficiunt quæ diximus disp. 2. sect. 1. Vbi præterea exposuimus quare conueniens fuerit Verbum singulariter præ Patre, & Spiritu sancto, naturam humanam assumere.

Posterior pars responsi probatur, quia potuit saltem assumere naturam Angelicam, vt satis indicat S. Thom. quæst. 4. artic. 1. ad 3. & expressè docent Theologi communiter contra Albertum, sumiturque ex Apostolo Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit:* Vbi iuxta communem interpretationem, quidquid dicat Ribera, sermo est de apprehensione facta per incarnationem. Hæc autem commendatio prælationis gratuitæ naturæ humanæ, vana foret, si angelica non poterat assumi: neque id fuit allegandum, si erat impossibile assumi naturam angelicam. Si enim non est factum quod fieri non potuit, nihil noui est, neque est vllius considerationis. Confirmatur quia natura angelica non est minùs assumptibilis, & terminabilis per hypostasim diuinam, quàm humanitas, vel anima rationalis, quæ, vt infra ostendemus, fuit Verbo vnita per seipsam. Similiterque quæuis alia natura intellectualis creabilis potuit assumi, quia est capax subsistentiæ, potestque Deum attingere per cognitionem & amorem, &

habet omnia quæ ad vnionem hypostaticam requiri iure possunt.

2. *An natura irrationalis assumi possit?* Difficultas verò est 1. An etiam natura irrationalis assumi possit? Qua de re tres sunt sententiæ. *Prima sententia negat absolutè.* Prima negat penitùs assumi posse naturam irrationalem, nisi habeat aliquem ordinem ad rationalem. Quæ exceptio additur propter corpus, sanguinem, & alios humores Christi, assumptos à Verbo propter humanitatem. Rationes huius sententiæ sunt. 1. Quia esse est propter operari: ergo cui non potest communicari operatio, non potest communicari esse. At operatio diuina non potest communicari naturæ irrationali, siquidem, neque Deum videre, neque ipso frui potest: ergo nec illi potest communicari diuinum esse. Secundò, Quod non est capax gratiæ & sanctitatis, non est capax vnionis hypostaticæ. Tum quia ipsa vnio gratum & sanctum reddit: Tum etiam quia quod non est capax minoris doni, non est capax maioris. Atqui natura irrationalis non est capax gratiæ & sanctitatis. Tertiò, Impossibile est Deum facere aliquid indecens. At indecens est Deum vnire sibi naturam irrationalem. Ex eo enim sequerentur multa Deo indecentia, propter idiomatum communicationem, & propter cultum adorationis tali naturæ debitum & exhibendum. Quartò, natura irrationalis non potest constituere personam. Ergo non est capax hypostasis diuinæ, quæ personalitas est, & constituit naturam, quam afficit, in esse personę. Ita Alensis, Bonauentura, Henricus, Picus Mirandulanus, & alij à Vasque relati disp. 30. cap. 1.

3. *Secunda sententia affirmat absolutè.* Secunda sententia affirmat absolutè naturam irrationalem posse assumi: quia est capax subsistentiæ, & non implicat aut dedecet vt loco propriæ, accipiat diuinam, sicut in corpore & sanguine Christi factum est. Ita Vasq. supra cap. 2. vbi quamcunque naturam irrationalem assumi posse affirmat: & *Suar.* Suar. disput. 14. sect. 2. post D. Thom. Scot. Ocam. Durand. Palud. Capreol. Caiet. Almain. & plures alios ab illo citatos. Quod confirmat primò auctoritate D. Augustini lib. de Vera Religione cap. 16. Greg. Nyss. oratione Catechetica cap. 27. & Tertulliani lib. de Carne Christi cap. 4. *August. Greg. Nyssenus. Tertull.* Deinde solutione argumentorum pro prima opinione propositorum: & hac ratione generali: quia res quælibet subsistens naturâ suâ, est obedientialiter capax terminari diuina hypostasi loco propriæ subsistentiæ, vt ex eo patet, quòd res quædam inanimæ fuerunt assumptæ hypostaticè à Verbo, vt sanguis & alii humores corporis Christi. Item ex eo quòd vnio hypostatica terminatur per se proximè ad subsistentiam. Quælibet autem natura substantialis est capax subsistentiæ. Ergo est capax huius vnionis.

4. *Tertia sententia distinguit.* Tertia sententia quorundam recentiorum vtitur distinctione. Dupliciter enim, inquiunt, spectari potest Dei potentia. Primò, absolutè secundum se, & sine ordine ad sapientiam diuinam, cui subest quodammodo, quatenus per eam regitur, & applicatur. Secundò, spectari potest, vt subest sapientiæ. Priori modo non repugnat (ex parte scilicet potentiæ spectatæ absolutè sine ordine ad sapientiam) vt Deus vniatur naturæ irrationali: quia in illa reperitur quidquid ex parte potentiæ requiritur, nempe capacitas subsistendi, quantum est de se, hypostasi aliena: quæ capacitas, per se loquendo, non minùs est in Leone, vel in lapide, saltem ratione materiæ, quàm in corpore, vel in sanguine Christi; cùm materia vtriusque sit eiusdem speciei, & eadem numero sub vtraque forma successiuè esse possit. Posteriori verò modo, nempe ex parte sapientiæ, repugnat Deum vniri naturæ irrationali sine ordine ad rationalem: quia id Deum dedecet. Repugnat autem diuinæ sapientiæ facere aliquid indecens: & quia simpliciter impossibile est Deum facere aliquid indecens, ideo simpliciter impossibile dicendum est, Deum vniri posse tali naturæ.

5. *Quarta sententia præcedentes conciliana.* Ex his tribus sententiis media, quæ communior est, cum aliquo temperamento amplectenda videtur. Dico igitur probabilius esse, ne quidem ex parte sapientiæ repugnare aliquam naturam irrationalem, etiam quæ non habeat ordinem ad rationalem, assumi hypostaticè: non tamen omnem esse huiusmodi, sed de aliquibus id repugnare specialiter. Prima pars huius assertionis probatur auctoritate sanctorum Patrum pro secunda opinione citatorum, qui vt minimum id manifestè docent: necnon D. Thom. in 3. dist. 2. qu. 1. art. 1. quem communiùs sequuntur reliqui Theologi. Ad eandemque confirmandam valet ratio superiùs allata, cum hoc temperaméto accepta: Quòd scilicet ea quæ habent naturalem aptitudinem subsistendi, habent quoque capacitatem obedientialem terminationis hypostaticæ, quantum est ex parte potentiæ absolutæ: cùm possint ipsa, quantum est de se, terminari aliena hypostasi, & spoliari propriâ: Diuinaque hypostasis sit potens ad terminandam quamcunque naturam de se terminabilem, quantum est ex parte potentiæ absolutæ, nisi repugnet ordo sapientiæ.

Posterior verò pars eiusdem assertionis, probatur, quia licet indecentia nulla appareat in quibusdam, putà in sole, in agno, in columba, in pane, vino, & similibus: cùm videamus in Eucharistia species panis, & vini, corpori, & sanguini Christi, eiusque diuinitati fuisse mirabiliter, (quamuis non hypostaticè) coniunctas, & propositas simul cum ipso coadorandas: alia tamen sunt, in quibus satis apertè indecentia apparet, & quæ sine horrore cogitari non possunt, saluâ Dei reuerentia: putà, quod dicere pudor est, stercus & excrementa humana. Quale enim esset hæc Deo vniri hypostaticè, & proponi adoranda, & verè dici posse Deum esse stercus? Nec sufficit, quod respondet Vasq. Deum ab his nihil pati propter vnionem,

Deum ab his nihil pati propter vnionem, sicut nec patitur, aut inficitur propter præsentiam essentiæ per immensitatem. Quamuis enim Deus nullam inde patiatur alterationem, sicut neque pateretur à natura peccato infecta, si illi vniretur (quod Vasq. meritò impossibile esse fatetur) tamen illa coniunctio in vnum ens per se, aut velut formalis affectio, est Deo indecora, & moraliter dedecent, quæ inde consequuntur.

6. Respondetur auctoritatibus Patrum. Huic temperamento non repugnat D. Augustinus loco suprà citato: vbi tantùm affirmat potuisse Deum assumere corpus æthereum, & non tantùm humanum. Alij tamen duo, præcipuè Nyssenus, generaliter loqui videntur, sed non id probant. Quod enim ait Tertullianus, *Stulta mundi elegit Deus*, &c. non probat omnia assumi posse. Alioqui posset assumi natura infecta peccato. Similiter quod Nyssenus asserit, omnes creaturas à Dei infinitate æquè distare, ideóque non magis vnam esse aptam vt assumatur, quàm aliam: non est verum in rigore, & est contra S. Thomam quæst. 4. art. 1. in corp. contraque apertam rationem: atque inde sequeretur naturam peccato infectam æquè posse assumi.

S. Thom.

Ad primũ argumentũ primæ sententiæ. Ad primum autem argumentum primæ opinionis Respondeo primò, esse hypostaticum non esse propter operari, sed propter modum essendi. Secundò, falsum esse consequens, quòd scilicet non possit communicari esse illi, cui non potest communicari operatio, loquendo de potentia absolutâ. Tertiò, licet naturæ irrationali communicari non possit Dei visio, & fruitio; possunt tamen aliquæ aliæ operationes mirabiles, (quas Dionysius, & Damascenus diuinas vocant) eius obedientiali potentiæ proportionatæ: sicut corpus ipsum Christi multa miracula operabatur. Quartò denique, eodem argumento probaretur, neque corpus, & sanguinem Christi, neque alias eius partes materiales, & incapaces visionis diuinæ, potuisse assumi.

7. Ad secundum. Ad secundum Respondeo, gratiam, & sanctitatem posse sumi dupliciter. Primò, pro quacunque forma, aut quasi forma supernaturali, reddente gratum, id est, acceptum specialiter Deo: & sanctum, id est, sacrum, & Deo dicatum. Atque ita natura irrationalis, vnita hypostaticè, esset grata, & sancta; quia vnio ipsa per se præstat hanc gratiam, & sanctitatem. Secundò, sumitur pro forma non tantùm Deo gratum reddente, sed etiam præbente moralem rectitudinem actibus liberis, & meritoriis, in quæ aliquo modo influit, & præparante ad Dei fruitionem: Et hæc forma, licet secundum se, & prout est principium habituale supernaturale talium operationum possit absolutè vniri naturæ irrationali: non tamen posset illi præbere moralem illam rectitudinem in actibus liberis, quorum capax non est: neque præparare ad Dei fruitionem; quam habere non potest.

At hinc non sequitur vnionem hypostaticam cum illa natura impossibilem esse; quia non est coniuncta necessariò cum actibus liberis, vel cum Dei fruitione. Et axioma illud, quod non est capax minoris, non est capax maioris, debet intelligi, quando res sunt eiusdem ordinis, & speciei, cuiusmodi non sunt vnio hypostatica, & libera operatio, vel Dei visio. Nam Angelus v.g. non est capax sensationis, & tamen est capax intellectionis, & visionis beatificæ: & corpus Christi non est capax visionis Dei, & tamen est capax vnionis cum illo.

Ad tertiũ. Ad tertium Respondeo, non esse indecentiam in omnibus naturis irrationalibus, quamuis sit in aliquibus. Quod maximè confirmat exemplum adorandi sacramenti Eucharistiæ. 8.

Ad quartũ. Ad quartum: Hypostasis, & personalitas differunt tantùm connotato naturæ, cuius sunt, quatenus vna eademque subsistentia, si est naturæ intellectualis, dicitur personalitas: si irrationalis, dicitur simpliciter hypostasis, subsistentia, vel suppositalitas: & si vtramque naturam simul afficit, dicitur personalitas, prout afficit naturam intellectualem: hypostasis, prout irrationalem. Eadem ergo subsistentia Verbi, in eo casu, naturam illam constitueret in esse suppositi, non personæ; & ratione illius haberet tantùm denominationem hypostasis, & non personalitatis: respectu verò naturæ diuinæ diceretur personalitas, & constitueret Verbum in esse personæ.

Noua obiectio. His argumentis aliud addunt eruditi quidam recentiores; quo putant efficaciter conuinci, nullam creaturam purè irrationalem posse à Deo assumi hypostaticè. Nimirum quia, inquiunt, traditur tanquam certum à VI. Synodo Generali act. 28. in confessione Fidei Constantinop. missa ad Leonem II. & ab eodem per epistolam decretalem approbata, carnem fuisse assumptam mediante anima rationali. Idemque docent Origenes, Greg. Nazianz. Augustinus, Ruffin. Damasc. locis à Suare relatis disp. 17. sect. 4. initio. Cuius assertionis sensus est, rationem cur Deus corpus humanum assumpsit, esse, quia anima rationali præditum est. Hoc autem Concilia, & Patres tanquam certum tradere non possent, nisi vel ex reuelatione, vel ex rei euidentia haberent, non posse à Deo conuenienter naturam aliam, quàm rationalem assumi: ita vt vel tota sit rationalis & spiritalis; vel si ex parte materialis est, assumatur hæc pars materialis propter alteram rationalem: Nimirum quia tam arcta coniunctio, ex qua fit vt natura assumpta sit propria Dei, sicut natura cuiusque est illius propria, & per vnionem substantialem vnum constituat cum illa suppositum, de quo verè possit enunciari, quòd sit Deus, non conuenit naturæ brutæ, cum qua Deus nullam potest habere communicationem consiliorum, & amicitiæ.

Neque potest, inquiunt, hæc ratio retorqueri contra assumptionem carnis, sangui- 9.

nis, & aliarum partium materialium naturæ humanæ. Nam illæ quoque non fuerunt assumptæ, nisi vt partes naturæ rationalis, & in ordine ad animam rationalem: quæ intentio tollit indecentiam futuram alioqui in eiusmodi partium assumptione. Multóque minùs potest retorqueri contra moralem vnionem corporis, & sanguinis Christi cum speciebus Eucharisticis. Quippe quæ distat infinitè à physica, & substantiali vnione naturæ creatæ in vnitatem suppositi cum Deo; ex qua vnione natura creata ad statum planè diuinum attollitur, redditurque multò excellentiùs, & per se quodammodo adorabilis cultu latriæ.

Hanc igitur indecentiam generalem esse putant & communem omnibus creaturis purè irrationalibus: neque admittunt temperamentum à nobis adhibitum: quia licet indecentia in quibusdam esse videatur: re vera tamen illa non est nisi respectu nostri, quibus aliqua sunt dissentanea & ingrata, vel horribilia: quæque vni apparent talia, non apparent alteri. Respectu autem Dei, nihil tale est: Verissimumque est quod ait Tertull. lib. de Carne Christi contra Marcion. cap. 4. Non esse diuinam sapientiam humano sensu iudicioque metiendam. Nam, inquit, *Si re vera de lupa, aut de sue, aut vacca prodire voluisset, & feræ aut pecoris corpore indutus, regnum cœlorum prædicaret, tua opinio illi censura præscriberet: turpe hoc Deo, & indignum Dei filio, & stultum propterea qui ita credat. Sit planè stultum, si de nostro sensu iudicemus Deum. Sed circumspice Marcion (si tamen non delesti,* id est, si de Scriptura illud non expunxisti & reiecisti) *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* Hæc illi.

Tertull.

Verùm vt ab hoc postremo incipiam, negari non potest Deum, qui suauiter pro sua sapientia omnia disponit, habere rationem horroris sensuum, & rectæ rationis naturæ sensitiuæ in iis, quæ facit in ordine ad homines, & ad aliquos eorum vsus. Vt videmus fecisse in sacramentis instituendis: assumpsit enim res humanis sensibus, & rationi humanę congruentes. Atque, vt ait Dionys. cap. 1. de cœlesti Hierarch. *Non aliter fas erat infirmitati humanæ lucere radium diuinum, nisi sacrorum varietate velaminum opertum, & vestitum iis, quæ nobis sunt familiaria: prouidentiâ paternâ Dei nostræ naturæ se accommodante.* Rectè quoque notauit Cyrill. Alexand. relatus à D. Thoma in cap. 22. Lucæ, voluisse Christum hac de causa corpus suum, & sanguinem dare edendum, & bibendum modo inuisibili, sub speciebus panis, & vini: ne alioquin horrori esset visibilis eius comestio, & potio. Idemque S. Doctor quæst. 4. art. 1. in corp. affirmat, naturam creatam non esse assumptibilem nisi secundum congruentiam ad vnionem hypostaticam; quam congruentiam negat inesse omnibus: imò in fine solutionis secundi argumenti videtur illam soli naturæ rationali concedere, & retractare id quod docuerat in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 1.

Deus naturæ hominũ se accommodat.

posse quamcunque aliam naturam assumi. Itaque potius existimandum est Deum in opere suæ omnipotentiæ præstantissimo, & summo exequendo, id est, in vnione hypostatica, habere necessariò rationem indecentię, quæ esset in communicatione idiomatum, & participatione adorationis, aliisque consequentibus ex tali vnione, respectu quorundam, quibus secundum prudentem hominum sensum, & æstimationem non posset sine indecentia, imò nec sine horrore conuenire. De obiecto autem iusto horroris iudicandum est, non ex sensu corrupto aliquorum, sed ex sensu, & iudicio sapientum.

Ad argumentum verò supra propositum, quo Aduersarij contendunt non modò huiusmodi naturas purè irrationales, sed neque vllam aliam posse assumi hypostaticè: Respondeo, meritò potuisse tradi vt certum à VI. Synodo generali, & à Patribus supra citatis, carnem fuisse assumptam mediante anima rationali, id est, propter animam rationalem, seu quia tale corpus anima rationali præditum est: propterea quod certò id habetur ex iis, quæ de intentione diuina in hoc mysterio Deus ipse per Scripturas manifestauit. Docent enim pluribus locis Verbum Carnem factum esse, vt ille Homo-Deus esset caput hominum, & Angelorum, & in eos vitam supernaturalem influeret per sua merita, essetque princeps, & exemplar Prædestinatorum, Pastor, & Sponsus Ecclesiæ, atque etiam redemptor hominũ supposito peccato. Imò, iuxta Aduersarios, qui hęc nobis obijciunt, prima Dei intentio fuit de illo mittendo, vt redemptore per mortem voluntariè, & meritoriè obitam. Hæc autem vt præstaret, vtque talis esset; debuit natura assumpta esse rationalis, & assumpta fuit quia talis: nam vt talis dumtaxat erat idonea ad merendum, aliaque munia supradicta præstanda. Itaque pars rationalis in illa primò, & principaliter spectata fuit: pars verò materialis, de se incapax istorum munerum, fuit assumpta tantum vt compars rationalis, & in ordine ad illam, cuius erat mereri, & satisfacere, seu voluntariè, & liberè agere, & pati, exempla virtutum præbere, fundare, & regere Ecclesiam, esseque principem prædestinatorum, & caput hominum, & Angelorum, moraliter in eos influens per sua merita. Sed aliud est loqui de vnione hypostatica, qualis reipsa facta est, & ex tali intentione diuina: & aliud loqui de eadem, prout est absolutè possibilis: quo sensu dicimus cum communiori sententia Theologorum, non esse impossibile naturam aliquam irrationalem assumi in vnitatem suppositi ad alios fines diuinæ sapientiæ, quamuis sit incapax communicationis consiliorum, & amicitiæ. Ad illudque probabiliter persuadendum valere exemplum ex mysterio Eucharistiæ desumptum: quia licet vnio specierum Eucharisticarum cum corpore, & sanguine Christi sit longè diuersa ab vnione hypostatica; dat tamen

10. Diluitur obiectio.

tamen illis aliquam participationem supremæ adorationis delatæ Christo sub illis existenti, & cum illis vnum cibum, & potum diuinum constituenti, verè adorabilem, & supremo cultu latriæ dignum, similique modo habendum, quoad cultum externum, quo Christus ipse adoraretur in specie visibili; aut panis, qui ad eundem effectum cibi diuini & sacramentalis constituendi, esset hypostaticè Verbo, aut Christo vnitus, vt aliqui referunt sensisse Rupertum lib. 2. de Diuin. Offic. cap. 2. Nec defuerunt ex antiquis Patribus, qui existimauerint columbam, quæ supra Christum baptizatum apparuit Matth. 3. & nubem lucidam, de qua in monte Thabor exiit illa vox, *Hic est filius meus dilectus*, &c. fuisse hypostaticè vnitas.

11. Secunda difficultas est, an etiam partes, siue integrales, siue essentiales naturæ rationalis, aut irrationalis assumi possint, & vniri hypostaticè?

Quænam partes potuerunt assumi hypostaticè.

Respondeo, posse assumi integrales, atque etiam essentiales illas quæ, naturaliter sunt capaces subsistere per se: idque siue sint in toto, coniunctæ inter se, siue extra totum, & separatæ. Declaratur, & probatur responsum. Primò, partes integrales dicuntur illæ, ex quibus totius integritas coalescit, quamuis sine illis eius essentia possit consistere: cuiusmodi sunt in homine pedes, manus, brachia, &c. Essentiales verò sunt illæ quæ totius essentiam constituunt: vt in eodem homine materia, & forma; siue corpus, & anima rationalis. Illæ verò partes siue hominis, siue rerum aliarum, duplicem statum habere possunt naturaliter, aut supernaturaliter: nempe vel coniunctionis in toto, vel separationis ab inuicem. Item quædam sunt naturaliter capaces subsistentiæ, ac per se stant, neque innituntur alteri vt sustentanti: cuiusmodi sunt partes omnes integrales hominis, & aliorum compositorum naturalium, siue existant simul in toto, siue extra & separatim: huiusmodi etiam est materia prima, & anima rationalis, quæ stant naturaliter propria vi. Aliæ verò sunt, quæ alteri innituntur, nec aliter possunt existere naturaliter: cuiusmodi sunt omnes formæ materiales eductæ de potentia materiæ, & illi velut subiecto innixæ. Priores partes esse capaces vnionis hypostaticæ, siue in statu coniunctionis, siue in statu separationis, docet mysterium Incarnationis, in quo partes omnes Christi substantiales, & ad integritatem, vel ad essentiam pertinentes fuerunt Verbo vnitæ immediatè, manseruntque vnitæ, etiam post separationem à se inuicem, corpus, anima, sanguinis guttæ effusæ, &c. vt ostendemus sect. 4. De posterioribus non apparet quomodo possint vniri hypostaticè, & accipere alienam loco propriæ subsistentiæ: cùm propriam habere non possint. Cùm enim subsistentia sit complementum, & vltimus terminus naturæ substantialis, non cuiuscunque, sed illius tantùm, quæ est apta & sufficiens ad per se standum propria vi: non apparet quomodo possit diuina hypostasis supplere seipsa in accidentibus, & formis materialibus, id quod habere apta non sunt, & esse in illis terminus, seu complementum existentiæ aptæ & sufficientis ad per se standum, cùm eorum existentia non sit talis.

Formæ materiales, nō potuerunt assumi.

12. Dices, huiusmodi formas materiales esse capaces supernaturaliter standi per se, non minùs, quàm accidentia, quæ vi diuina possunt eximi à dependentia subiecti, & per se stare, vt patet in Eucharistia.

Occurritur instantiæ.

Respondeo, accidentia Eucharistica non stare per se, id est, vi propria, seu ratione naturalis suæ perfectionis: sed stare virtute diuina supplente effectiuè concursum subiecti, à quo deberent naturaliter sustentari: neque recipere modum quendam positiuum essendi per se, vt Suar. & alij quidam imaginantur; sed tantùm conseruari per maiorem Dei solius influxum effectiuum: æquiualentem causalitati subiecti, & Dei, quâ prius conseruabantur. At hypostasis diuina non est effectiua ad extra, neque tribueret subsistere, quamuis simili modo influeret in formas illas sibi vnitas, quemadmodum accidentia Eucharistica non subsistunt propriè, & formaliter per illum influxum diuinum. Parum autem cohærenter philosophari mihi videntur illi, qui dicunt formas materiales, & accidentales esse capaces modi positiui essendi per se, quem à Deo accipiunt, cùm extra materiam conseruantur; & tamen negant posse assumi hypostaticè. Quidni enim modum illum supplere possit diuina hypostasis terminando vice illius easdem formas, sicut terminat humanitatem loco proprij, & naturalis modi subsistendi?

Altera instantia.

Instabis: quia nisi formæ materiales substantiales habeant propriam, & partialem subsistentiam: bruta, & alia composita merè materialia subsistent tantùm ex parte materiæ, & imperfectè, quod est absurdum: nam substantiæ completæ, & perfectæ debet esse completa, & perfecta subsistentia, vt sit naturæ proportionata. At subsistentia materiæ solius non est completa, & perfecta subsistentia, cùm sit tantùm subsistentia partis, & sit apta componere cum subsistentia animæ rationalis vnam totalem subsistentiam hominis, & vnum per se. 13.

Bruta subsistunt tantùm ex parte materiæ.

Respondeo, composita merè materialia, non quidem tam perfectè subsistere, atque hominem: sed tamen subsistere perfectè in suo gradu, quatenus habent sufficienter vi materiæ, vt per se stent: quæ subsistentia est quidem partis formaliter, sed denominatiuè est totius. Et est completa, quatenus non exigit complementum

vlterius, quamuis possit illud accipere. Sicut aqua, quæ est in vase, est ens completum, & complete subsistit, licet vniri possit alteri aquæ, & ex vtraque fieri vnum suppositum constans duabus entitatibus, & subsistentiis vtriusque aquæ inter se coniunctis.

14. *Neq; etiã formæ accidentales assumi potuerunt.* Hinc collige quid de formis accidentalibus sentiendum sit: non posse scilicet assumi hypostaticè per se immediatè: quia non sunt capaces subsistentiæ. Porrò in eo, quod diximus, formas materiales non posse assumi hypostaticè, consentit Vasq. disput. 30. cap. 5. contra Suarem disput. 14. sect. 3. De accidentibus verò consentiunt ambo, Vasq. ibid. & Suar. sect. 4. aliique plures, contra Valent. quæst. 4. p. 1. §. *Nihilominus contraria sententia*, affirmantem contrarium non esse impossibile: quia, inquit, in persona diuina est perfectio simpliciter infinita: ergo potest eminenter supplere omnem vim, à qua res aliqua extrinsecè dependeat. Ad quod Respondeo primò, personã diuinam esse quidem simpliciter infinitam ratione naturæ, sed nõ ratione hypostasis, seu proprietatis personalis quoad id quod superaddit essentiæ: secũdum quod etiam non est actiua ad extra, ideoque non potest supplere vires causarum secundarum. Secundò dico non sufficere ad vnionem hypostaticam accidentium supplere illorum dependentiam à subiecto, creando illa, vel conseruando sine concursu subiecti: quod non est Deo impossibile: sed oportere vt accidens loco propriæ subsistentiæ, cuius naturaliter capax sit, terminetur aliena supplente illius defectum. At hoc est impossibile, cùm accidens non sit capax propriæ, & connaturalis subsistentiæ.

SECTIO II.

An Verbum diuinum assumpserit personam, vel assumere potuerit?

15. SVppono ex dictis 1. p. disput. 26. sect. 1. differentiam aliquam esse inter naturam, & personam: quæ differentia nobis per fidem innotuit, ex mysteriis Trinitatis, & Incarnationis. In quorum primo est vnica natura, & tres personæ: in secundo sunt duæ naturæ, & vnica persona. Hæc autem differentia consistit in aliquo positiuo re vel ratione distincto, quod persona, vel suppositum addit supra naturam. Fallitur enim Scotus in 3. distinct. 1. quæst. 1. §. *Ideo propter istum*, & distinct. 6. qu. 1. (à cuius opinione in reipsa non absunt Typhanus, & alij quidam recentiores, quos sequenti sect. impugnabimus) affirmans personam vel suppositum nihil addere supra naturam, nisi duplicem negationem actualis, & aptitudinalis dependentiæ ab alio supposito: ita scilicet, vt natura, quæ dicitur esse persona, vel suppositum, neque pendeat actu, neque apta naturaliter sit pendere ab alio supposito, sed per se seorsim, & solitariè existat connaturaliter. Fallitur, inquam, quia vera, & propria ratio diuinarum personalitatum non consistit in tali negatione, sed in aliquo positiuo, naturæ diuinæ superaddito. Alioqui Verbum terminaret naturam Christi humanam sola negatione: & tres personæ diuinæ constituerentur formaliter, & distinguerentur per negationes; nihilque aliud adderet naturæ diuinæ mysterium Trinitatis, nisi negationes: quæ omnia sunt absurda. Item personalitas est complementum substantiale personæ, constituens naturam in esse substantiali completo, atque perfecto: sed negatio non est complementum substantiale, nihilque addit perfectionis: ergo, &c. Item omnis negatio intrinseca, id est, negatio alicuius exclusi ab intrinseco, debet fundari in aliquo positiuo: sicut v. g. negatio incommunicabilitatis indiuidui, fundatur in hac numero entitate indiuidui. Ergo intrinseca negatio incommunicabilitatis suppositi, qualiscunque illa sit, fundatur in aliquo positiuo, quod est in supposito, vltra naturam de se communicabilem. Adde, quòd illa sententia reddit vanas, & ineptas definitiones Conciliorum affirmantium Verbum diuinum assumpsisse naturam humanam, non personam: hoc est, in sensu Scoti, vniuisse sibi naturam humanam, & non reliquisse illam non-vnitam. Et quod dicitur in quinta Synodo generali collat. 8. can. 5. Dei Verbum carni secundum subsistentiam vnitum esse, & propter hoc vnam eius esse subsistentiam, seu vnam personam, diuinam scilicet, non humanam: hoc est, in sensu Scoti, quia Verbum humanitati vnitum est, & humanitas ab illo pendet, velut à supposito, propter hoc humanitas non habet negationem dependentiæ ab illo, velut à supposito. Quod est dicere, humanitatem pendere à Verbo, propterea quòd ab illo pendet.

Personalitas addit naturæ aliquid positiuum.

Non placet autem quod aiunt aliqui recentiores, argumentum supra factum contra Scotum ex hypostasibus diuinis, parum efficax sibi videri: quia, inquiunt, potest negari consequentia à supposito diuino ad creatum, eò quòd natura diuina non habet à seipsa formaliter negationem communicabilitatis. Quare sicut ex mirabili communicabilitate naturæ diuinæ, non potest colligi similis communicabilitas in aliqua natura creata: sic ex eo quòd natura diuina indigeat aliquo positiuo superaddito, ad hoc vt reddatur incommunicabilis, non potest sumi argumentum probans naturam creatam reddi incommunicabilem per aliquid positiuum superadditum. Contra enim insto, quia neque etiam natura creata habet per 16. *Refutatur euasio.*

seipsam formaliter, & præcisè sumpta, negationem omnimodam communicabilitatis: siquidem potest communicari, non eo modo, quo diuina pluribus personis sibi identificatis: sed eo modo, quo natura humana in Christo fuit communicata alteri personæ distinctæ. Ergo si natura diuina eget aliquo positiuo, quia non est à seipsa formaliter incommunicabilis, eget quoque natura creata propter eandem rationem. Neque respondeas discrimen esse, quia natura diuina est naturaliter communicabilis tribus personis: natura verò creata est naturaliter incommunicabilis: & Scotus loquitur de negatione illius communicabilitatis, naturalis scilicet. Contra enim: si ex naturali communicabilitate naturæ diuinæ, sequitur eam terminari, & compleri in esse hypostatico per aliquid positiuum: idem sequitur ex obedientiali communicabilitate naturæ creatæ. Nam si communicatur supposito diuino, terminatur obedientialiter, & completur per aliquid positiuum, nempe per hypostasim diuinam substitutam loco proprij, & naturalis complementi, & dantem illi aliquod esse, & quasi effectum formalem, loco illius, quem haberet naturaliter per propriam subsistentiam: ergo haberet à propria subsistentia aliquod esse per complementum positiuum. Confirmatur, quia ideo accidentia non possunt vniri hypostaticè, quia sunt incapacia talis modi positiui per se essendi, cuius loco accipiunt alienam hypostasim, à qua compleantur, & terminentur, atque denominentur subsistere adiectiuè.

17\. *Illud positiuum non est existentia, vel proprietates characteristicæ.* Suppono secundò, positiuum illud, quod personalitas addit supra naturam non esse existentiam naturæ substantialis, vel characteristicas eius proprietates accidentarias, vt putant aliqui Thomistæ. Nam humanitas Christi habet propriam existentiam, & accidentia naturæ humanæ propria, & connaturalia. Est enim per seipsam formaliter actu à parte rei, habens propriam existentiam, siue entitatem actualem, & positam extra causas; realiter distinctam ab existentia Verbi, & constituentem cum illa Christum Dominum. Atque vt definiunt Concilia Constantinopol. III. siue VI. Synodus Generalis act. 4. & Lateran. sub Martino I. can. 5. & 9. Vnaquæque natura Christi proprietatem naturarum retinet: & habet diuina, omnia quæ diuina sunt: & humana, omnia quæ humana sunt, absque vllo peccato: Neque in vllo fuit diminuta, vel spoliata vlla naturali proprietate natura assumpta. Et tamen certum est, naturam Christi humanam non habere propriam personalitatem, sed illius loco habere subsistentiam, seu personalitatem Verbi diuini, vt ostendemus paulò post: Ergo personalitas propria naturæ humanæ, non est propria illius existentia, vel accidentia eius connaturalia. Omissis autem pluribus aliorum sententiis (nam in hac re obscurissima Theologi valde diuersa opinantur) probabilius censeo id, quod diximus loco supra citato, positiuum illud, quod suppositum, aut persona addit supra naturam, esse complementum existentiæ naturæ substantialis aptæ naturaliter stare per se, & modum essendi per se, realem, & positiuum, oppositum modo essendi in alio, siue vt terminante hypostaticè, quo pacto humanitas Christi est in Verbo, siue vt subiecto sustentante, quo pacto accidentia, & formæ materiales existunt in subiectis è quibus educuntur. *Sed est modus essendi per se.* Quem modum licet multi putent esse realiter, vel ex natura rei distinctum in creatis à natura: verius tamen puto quod diximus disput. 5. huius tractat. sect. 6. esse modum existendi simplicem, & indistinctum, rei per se existentis, & sufficientis ad standum ... formaliter, id est, ratione propriæ perfectionis, sine dependentia ab alio supposito, vel hypostaticè terminante; aut à subiecto sustentante: quo modo non existit humanitas Christi, quæ pendet à Verbo, vt terminante hypostaticè: neque accidentia, & formæ materiales, quæ non sufficiunt ad standum vi sua, sed egent aliquo, à quo sustententur, habentque pro naturali complemento suæ existentiæ modum essendi in alio.

Suppono tertiò, ad vocum intelligentiam, aliquid esse discriminis, inter personalitatem, suppositalitatem, & subsistentiam, siue hypostasim: & consequenter inter personam, suppositum, & subsistens. 18. *Quomodo differant subsistens, suppositum, & persona.* Nam subsistentia, & subsistens latiùs patent, quàm suppositum; & suppositalitas. Et hæc etiam latiùs, quàm personalitas, & persona. Subsistentia est modus essendi per se, & vltimum complementum existentiæ cuiuscunque substantiæ aptæ, & sufficientis stare per se, id est, independenter à subiecto, vel sustentaculo, vel ab alieno supposito: siue illa sit totum aliquod substantiale, & natura completa, siue tantùm sit pars. Nam ex D. Thom. 1. p. quæst. 75. artic. 2. Anima rationalis, etiam in corpore, est per se subsistens; secus ac animæ brutorum, vt addit ibid. artic. 3. Et quidquid creatur connaturaliter, est subsistens: quia creari connaturaliter conuenit tantùm subsistentibus, id est, non indigentibus subiecto, è quo educantur, & à quo sustententur, quorum etiam magis proprium est esse: nam accidentia, & formæ materiales, & huiusmodi quæ non subsistunt, magis sunt coëxistentia, quàm entia, vt idem sanctus Doctor tradit 1. p. quæst. 45. art. 4. corp. Atqui materia prima, & anima rationalis fiunt connaturaliter actione creatiua, & independenter à subiecto. Estque manifestum illas differre hac in parte, à formis accidentalibus, & materialibus, habereque modum existendi

diuersum, qui non potest aptiùs alio nomine, quàm subsistentiæ significari: neque aliud illi significando impositum fuit. Quare subsistentia, & subsistens, abstrahit à toto, vel à parte, id est, non significat solùm modum essendi totius, verùm etiam partis sua vi stantis & per se. Ideoque latiùs patet, quàm suppositum, & suppositalitas: nam hæc nomina restricta sunt ad significandum totum per se subsistens. Similiter autem suppositum, & suppositalitas latiùs patent, quàm persona, & personalitas. Nam hæc dicuntur solùm de toto subsistente naturæ rationalis, siue intellectualis. Vnde persona definitur à Boëtio libro de duabus naturis, *Naturæ rationalis indiuidua substantia.* Suppositum verò, & suppositalitas dicuntur de quocunque toto subsistente, siue rationali, siue irrationali; animato, vel inanimato. Vnde lapis, planta, Leo, sunt supposita, sed non sunt personæ, vt Deus, Angeli, & homines. Hæc tamen differentia, vt alibi notauimus, est interdum penes connotata dumtaxat, & non intrinsecè in ipsa hypostasi, siue subsistentia. Nam eadem hypostasis Verbi vnita naturæ rationali, constituit personam: vnita verò naturæ Bruti, non constitueret illam in esse personæ, sed suppositi. Et hypostasis materiæ primæ separatim existentis ab omni forma substantiali, constitueret illam subsistentem, at non suppositum: accedente verò vnione materiæ cum forma substantiali materiali, constituit suppositum: tametsi compositum ex materia, & ex tali forma substantiali, non habeat aliam subsistentiam, quàm ipsius materiæ, vi cuius totum stat, & existit per se, sine indigentia subiecti vel sustentantis.

19. His præmissis de subsistentia, & personalitate, de qua plura videri possunt loco citato initio sectionis, sensus quæstionis propositæ est, an Verbum diuinum assumpserit naturam humanam cum modo eius proprio essendi per se, quo constituitur in esse personæ humanæ: & an saltem cum illo potuerit assumi, & vniri Verbo diuino hypostaticè?

Verbũ non assumpsit personam humanam.

Dico primò, Verbum diuinum non assumpsisse personam humanam, sed naturam dumtaxat. Sic enim definitum fuit à Concil. V. Generali collat. 8. can. 5. Ephes. Tomo 1. seu parte prima, can. 2. & 4. Et Chalcedon. act. 1. in epistola Cyrilli ad Nestor. Verba Synodi V. Generalis can. cit. hæc sunt: *Si quis vnam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi sic intelligit, tanquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem: & per hoc conetur introducere in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas: & duarum personarum, quas introducit, vnam personam dicit, secundum dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus, & Nestorius insanientes conscripserunt: & calumniantur sanctam Chalcedonensem Synodum, tanquam secundum istum impium intellectum, vnius subsistentiæ vtentem vocabulo: sed non confitetur Dei Verbum, carni, secundum subsistentiam vnitum esse, & propter hoc vnam eius subsistentiam, seu vnam personam, & sic, & sanctum Chalcedonense Concilium vnam subsistentiam Domini nostri confessum esse, talis anathema sit. Nec enim adiectionem personæ, vel subsistentiæ suscepit sancta Trinitas ex incarnato vno de sancta Trinitate Deo Verbo.* Confirmatur ex Scriptura, quæ vbique de Christo loquitur, vt de vnica persona: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre,* Ioan. 1. *Ego veni in nomine Patris,* Ioan. 5. *Ego, & qui misit me Pater,* Ioan. 8. *Pater clarifica me ex hac hora,* Ioan. 12. Si autem in Christo essent duæ subsistentiæ, æquè ac duæ naturæ, non esset vnica persona, sed duæ: æquè ac in Trinitate sunt tres personæ propter tres subsistentias relatiuas vnius, & eiusdem naturæ diuinæ.

Nec obest, quòd interdum SS. Patres dicunt Verbum diuinum assumpsisse hominem: homo autem est nomen personæ humanæ, vt post Damasc. docet S. Thom. qu. 4. art. 3. in corp. Nam Patres, qui sic loquuntur, sumunt concretum hominis, pro abstracto naturæ, vt eos exponit idem S. Doctor art. cit. ad 1. Et minùs propriè, ac præcisè loquuntur, quàm Concilia, & alij Patres expressè negantes Verbum assumpsisse hominem, vt videre est in Concil. Ephes. relato à D. Thom. cit. art. 3. §. *Sed contra.*

Dico secundò, naturam humanam non potuisse assumi hypostaticè, retenta propria hypostasi, siue personalitate humana. Ita communiùs docent Theologi cum Suare disput. 14. sect. 1. Vasq. disput. 33. cap. 2. contra Hurtadum disput. 11. Metaphys. & in tractat. de Christo Deo, & homine, & August. Bernal. disput. 25. de Incarnat. sect. 2. Probatur primò, quia Concilia, & sancti Patres, ex eo quòd vnio hypostatica facta est inter naturam humanam, & personam diuinam, inferunt Christum esse vnicam personam, & humanitatem sola hypostasi diuina subsistere. Quæ illatio nulla esset, si potuisset natura humana terminari simul hypostasi propria, & diuina. Neque respondeas id, quod Suarez supra dicit posse responderi probabiliter, Patres, & Concilia non definire Christum esse vnicam personam, ex eo præcisè, quòd natura humana sit vnita hypostasi Verbi; sed ex eo, quòd Scriptura semper loquatur de Christo, vt de vna persona, nec vnquam significet esse duplicem: quo loquendi modo negat, saltem virtualiter, plures esse in Christo personas: sicut quia non reuelat nisi tres in Trinitate personas, virtualiter negat esse quatuor. Hoc, inquam, non satisfacit, quia in V. Syn. generali, Collat. 8. can. 5. expressè habetur, & præcisè illatio, quam prætendimus,

20. Natura humana non potuit assumi retenta propria personalitate.

Sic enim habet: *Si quis non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam vnitum esse, & propter hoc vnam eius subsistentiam, seu vnam personam, anathema sit.*

Probatur 2. hac præcipuè ratione, omissis aliis, quibus faciliùs responderi potest: quia naturam humanam assumi hypostaticè à Verbo, est priuari naturali complemento suæ existentiæ aptæ stare per se, vi suæ perfectionis, & sufficientiæ naturalis; independenter à subiecto, vel ab alieno supposito, ipsam terminante hypostaticè: ac loco illius, compleri & terminari à Verbo, ab illoque pendere. Eandem verò naturam humanam retinere propriam personalitatem, est illam stare per se, id est, vi suæ perfectionis naturalis, independenter à subiecto, vel à supposito alieno, seipsáque terminari & compleri. Implicat autem hæc duo simul & eodem loco competere eidem naturæ quia inuoluunt contradictionem. Dixi autem, simul, & eodem loco: quia, vt bene notat Suar. sup. cit. non implicat, eandem naturam diuerso tempore, & loco subsistere vi propria in vno, & in alio vniri hypostaticè: sicut eadem linea potest hic esse curua, & alibi recta, loquendo de potentia absoluta, de qua nunc sermo est.

21. *Respondetur argumentis cōtrariæ sententiæ.* In contrarium obiicitur præcipuè, quòd natura diuina terminetur simul triplici hypostasi, quòdque eadem natura humana posset simul terminari duplici, aut triplici hypostasi aliena, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ergo potest absolutè loquendo terminari simul duplici hypostasi, propria, & aliena. Nulla enim potest ostendi contradictio in eo quòd natura creata terminetur simul duplici personalitate, propria, & alienâ: sicut potest terminari simul duplici aliena, & sicut natura diuina terminatur simul triplici propria. Imò tanta videtur in vtroque similitudo, vt sufficiens ratio differentiæ assignari non possit. Cur enim magis propria subsistentia reddat naturam incommunicabilem alteri, quàm subsistentia aliena? Aut cur subsistentia creata propria, & naturalis reddat naturam simpliciter incommunicabilem, cùm subsistentia diuina id non faciat, sed subsistentia Patris permittat eandem naturam communicari Filio, & Spiritui sancto, ac terminari per eorum hypostases?

Respondeo, differentiam esse, quia naturam diuinam terminari triplici hypostasi propria, nihil est aliud, quàm per seipsam & per naturale complementum suæ existentiæ subsistere tripliciter: & naturam humanam subsistere adiectiuè multiplici hypostasi aliena, Patris, Filij, & Spiritus sancti, nihil est aliud, quàm ab illis terminari tripliciter, velut à causis totalibus, & ab illis per modum causæ formalis constitui tripliciter subsistentem adiectiuè. In quo nulla apparet contradictio. Secus autem in eo quòd natura per se, & vi sua stet, independenter à subiecto, vel ab alieno supposito, quod est habere propriam personalitatem: & simul non per se stet, sed dependenter ab altero supposito, vt terminante hypostaticè id est, sit per se independenter, & non sit per se, independenter, sed ab alio pendeat, vt sustentante, vel vt terminante. Itaque magis repugnant modus existendi per se, & modus existendi in alio; quàm duo modi existendi per se, aut duo modi existendi in alio. Eodem recidit ratio quam Suares & Vasq. locis supra cit. aliique recentiores afferunt: Quia, inquiunt, propria, & creata subsistentia, est solùm modus quidam intrinsecus per se existendi: hic autem modus habet formalem, & immediatam repugnantiam cum illo modo vnionis, quem habet natura assumpta in supposito alieno. Quia esse per se, & esse in alio sunt modi ita repugnantes inter se, vt vnus inferat necessariò negationem alterius, sicut impossibile est lineam simul esse rectam, & curuam: aut accidens simul inhærere, & esse per se: & sic de aliis modis inuicem repugnantibus. Simul, inquam, & in eodem tempore, ac loco: nam in diuersis non repugnat, vt paulò ante diximus: diuersitas enim loci, vel temporis, tolleret contradictionem.

Hinc collige, multò minùs posse ipsam personam, quà personam, id est, secundum propriam personalitatem, assumi hypostaticè, ita vt ipsa hypostasis propria, terminetur alienâ. Tum quia repugnat naturam quatenus per se stantem, & independenter, esse in alio, & ab illo pendere. Tum etiam quia implicat contradictionem id, quod est infimum, & vltimus terminus in genere substantiæ, descendere inferiùs, & ab alio terminari. Hypostasis autem est ima basis, & infimum, seu terminus vltimus naturæ substantialis. Vnde in diuinis, tametsi natura terminata hypostaticè à Patre, descendit vlterius ad Filium, & ad Spiritum sanctum, illisque vt terminantibus communicatur: tamen hypostasis Patris non descendit, neque potest illis communicari, vt terminantibus, licet in diuinis sit summa communicatio, quanta absolutè potest esse. 22. *Persona, quâ talis, non potest assumi hypostaticè.*

Dices, non repugnare absolutè vt natura vi sua stet, & simul ab alio pendeat vt terminante hypostaticè, non ex indigentia (quod manifestè implicat contradictionem, esset enim egere, & non egere simul) sed ex abundantia. Sicut absolutè loquendo potest idem effectus esse à pluribus causis totalibus in eodem genere: sicut etiam non repugnat, vt quamuis natura humana sufficienter subsistat vna hypostasi diuina Verbi, subsistat nihilominus aliâ superadditâ, Patris, aut Spiritus sancti simulque assumatur à pluribus personis diuinis.

Satisfit objectioni. Respondeo, naturam subsistere vi propria, non esse causalitatem aliquam in seipsam exercere, vel in subsistentiam: sed esse tantùm ratione naturalis suæ perfectionis existere per se, independenter ab alio, vt terminante, vel vt sustentante, esseque seipsa intrinsecè completam & vltimò terminatam secundum existentiam. Hoc autem ipso quòd natura pendet ab alio vt terminante, vel vt sustentante, non habet modum illum essendi per se, sed habet tantùm sufficientiam, & velut actum primum, absque actualitate existendi per se, hoc est, vi suæ naturalis perfectionis, independenter à quouis alio. Quare licet non repugnet absolutè loquendo, plures esse causas totales eiusdem effectus in eodem genere: repugnat tamen simul esse modos essendi tam oppositos, vt ex vno inferatur negatio alterius. Non ignoro aliquid amplius opponi posse, & rationi superiùs à nobis allatæ ad probandam contradictionem, aliquid responderi verisimiliter. Sed scio etiam multas esse latentes contradictiones, quæ non apertè deteguntur, sed ex eo colliguntur, quòd iudicio naturali, & sensui communiori prudentum repugnent. Communis autem sensus Theologorum, & inter eos doctissimorum, est implicare contradictionem, assumi posse hypostaticè naturam creatam, retenta propria personalitate. Quare illi malo adhærere, præsertim cùm magis conueniat cum definitione quintæ Synodi generalis suprà relata num. 19.

SECTIO III.

Refutatur contraria sententia.

23. Tiphan. lib. de hypost. cap. 11. & quinque sequentib. Contra doctrinam sectione 1. & 2. propositam, longè aliter de hypostasi, deque vnione hypostatica philosophantur Typhanus in lib. de Hypost. & aliqui recentiores eum secuti, qui dicunt hypostasim idem esse re, & ratione, quod suppositum in substantiis irrationalibus, & personam in rationalibus; constanterque ab antiquis auctoribus pro vno & eodem vsurpari: ac nihil aliud esse, quàm substantiam perfectam indiuiduam, & singularem, per se, & seorsim existentem, id est, non in alio, siue vt in subiecto, siue vt partem in toto. Quæ doctrina si vera esset, facilè redderet rationem cur humana persona ne de potentia quidem absoluta potuerit assumi à Verbo: quia scilicet euidenter implicat, naturam humanam esse per se, & seorsim existentem, id est, non in alio, siue vt in subiecto, siue vt partem in toto: & simul existere in alio velut in toto. Implicat enim manere totum, & fieri partem totius.

Prima probatio sententiæ contrariæ. Suam verò doctrinam probant 1. Quia hæc acceptio hypostasis, & suppositi apprimè conuenit cum definitionibus vulgò receptis; vt cum illa Boëtij, Persona est naturæ rationalis indiuidua substantia. Et cum illa, quâ suppositum definitur, substantia perfecta subsistens, vel per se existens, id est, seorsim existens, non in alio. Et cum illa, quâ definitur, natura vltimò terminata, vel vltimò completa, vel incommunicabilis alteri per modum partis, in quo compleatur. Idem enim sonat esse terminatum, & esse completum, perfectum & totum. Totum enim, & completum, ex Aristot. est id, cuius nihil est extra. At ex eodem, terminus est id, intra quod omnia, & extra quod nihil est accipere. Incommunicabile verò in hac definitione dicitur, quod neque est actu communicatum, vt pars, neque postulat communicari. Denique, inquiunt, ab eadem definitione non abhorret ea quâ hypostasis definitur vltimus terminus naturæ substantialis, siue vltimum illius complementum: modò bene intelligantur, & sumantur illius termini, vt æquiualentes concretis. Sicut enim multitudo hominum idem est, quòd multi homines: ita naturæ terminus, & natura terminata pro eodem sumi possunt.

Probant 2. Quia iuxta doctrinam Conciliorum, & sanctorum Patrum, humanitas Christi vnita Verbo diuino, non fuit priuata aliqua entitate, neque modo distincto à parte rei, qui sit in aliis hominibus. Hoc autẽ falsum esset, si humana hypostasis, quâ Christus est priuatus, adderet naturæ humanæ formam, vel modum in re distinctum. Maiorem putant fere manifesta consequentia deduci ex Conciliis, & Patribus. In re autem, quam sola reuelatione didicimus, & capimus, nihil potius est, quàm sequi eos, quorum traditione venit ad nos reuelatio. Primò enim Concil. Lateran. sub Martino I. consultatione 5. in Confessione Fidei can. 5. & 9. definit, quòd in nullo est diminuta, deminorata, spoliata, vlla naturali proprietate natura assumpta. Similique modo loquuntur S. Leo serm. 3. de Natiuit. Cyrill. Alex. in lib. de Fide ad Reginas. August. cap. 24. Enchir. Damasc. lib. 3. de Fide cap. 13. Maximus Constant. in epistola ad Maximum Presbyterũ, & in epistola ad Nicandrum: qui dicunt Verbum assumpsisse quidquid est hominis, præter peccatum, & per alia omnia nobis similem esse. Item Concilia, & SS. Patres asserunt humanam Christi naturam ex eo præcisè non esse personam distinctam, & fieri vnam personam cum Verbo, quòd sit vnita Verbo. Item humanitatem Christi futuram personam distinctam à Verbo, quemadmodum sunt alij omnes homines, eò præcisè quòd separaretur à Verbo. At hæc falsa essent in contraria sententia. Oporteret enim, vt humanitas fit vna persona cum Verbo, priùs destrui, vel extingui illam formam realem, quâ omnes homines constituuntur personæ: eaque destructio multò magis requireretur, quàm vnio ad Verbum. Item ex facta separatione 24. Secunda probatio. Tiphan. cap. 1. & 19.

non inciperet humanitas esse persona, sed oporteret illi addi formam hypostasim. Maior habetur, inquiunt, ex August. tract. 19. in Ioan. Cyril. in epistola ad Nestorium, quæ refertur in Calcedon. & lib. 1. de Recta Fide ad Theodosium. Et in Concilio Ephes. passim, atque apud sanctos Patres idem est Christum hominem esse personam distinctam à Filio Dei, & esse nudum hominem: id est, eo ipso quòd esset nudus homo, esset distincta persona à Filio Dei, & contra. Atqui fieret nudus homo sola separatione à Filio Dei, nulla forma reali noua inducta in humanitatem Christi, vt fiat persona creata.

25. Tertia probatio.

Probant 3. Quia eo ipso humanitas Christi non constituit distinctam personam, & reducitur ad vnitatem personæ cum Verbo, quòd est pars constituens Christum hominem Deum, qui est constitutum substantialiter ipsâ perfectius. Et eo ipso esset persona distincta, quòd non esset ampliùs pars illius constituti. At primum fieret sola vnione, nulla detracta ab humanitate forma, vel entitate reali. Secundum fieret sola eius separatione à Verbo, nulla in eam inducta forma. Ergo vt constituatur persona, non est necessaria forma realis superaddita. Maior est nota. Minor, inquiunt, est Damasc. cap. 65. Logicæ, iuncto cap. 42. & 44. Theod. Abucaræ Dial. 2. contra Acephalos disp. 19. Hugon. Vict. opusc. de Verbo Incarn. collat. 2. & D. Thom. 3. p. qu. 16. art. 12.

26. Altera pars contrariæ sententiæ.

Addunt 4. Multò magis immutare conceptionem huius mysterij traditam à Patribus, eos, qui definiunt conceptum personalitatis, siue subsistentiæ, per exercitium quoddam virtutis, & sufficientiæ ad standum per se, oppositum modo inhærendi accidentium; tametsi velint vsum illum virtutis esse in re distinctum: & per hoc priuari humanitatem Christi subsistentia propria, fierique vnam personam cum Verbo, quia priuatur illo exercitio, quod suppletur à Verbo terminante, & fulciente humanitatem Christi. Primò, quia ex sententia Patrum, suppositum, & persona idem est, ac substantia singularis, separatim existens, & constituens totum, nec se habens per modum partis. Sed vt constitutum ex corpore, & anima rationali, sit ita substantia tota, non est opus virtutis exercitio: sat enim est illam non addi alicui tertio perfectiori, in quo includatur. Et vt ait August. lib. 15. de Trinit. cap. 7. vna persona idem est, quod singulus quisque homo. Vel, vt ait Boët. lib. de Duabus naturis, Persona est naturæ rationalis indiuidua substantia. Sed non est opus vllo exercitio virtutis naturæ humanæ ita perfectæ, vt fiat singulus homo, vel vt sit indiuidua substantia. Nihil enim aliud requiritur, quàm vt sit seorsim, & non includatur in alio. Item ex sententia Patrum hæc duo sunt idem, naturam humanam Christi fieri personam humanam, & fieri nudum hominem. Sed vt inciperet esse nudus homo, sufficeret eam dumtaxat separari à Verbo, nec oporteret addi vllum exercitium virtutis. Ergo subsistere non consistit formaliter in illo exercitio. Tertiò, si vera esset contraria sententia, Patres & Concilia explicuissent hoc mysterium dicendo, quòd in Christo substantia humana perfecta ex corpore, & anima rationali, non est persona, propterea quòd priuata sit vsu virtutis suæ ad standum per se, & redacta ad indigentiam alieni sustentaculi. At nusquam his terminis vsi sunt Patres: imò dixerunt, quòd natura humana in Christo, nulla sua proprietate, vel operatione, vel exercitio caruit. Si autem caruisset vel exercitio virtutis ad mouendum se localiter, hæ propositiones essent falsæ: quamuis exercitium se mouendi localiter non sit aliquid re distinctum, & sit aliquid minùs perfectum, quàm exercitium virtutis ad se constituendum in statu opposito accidentibus. Nusquam etiam dicunt, quòd substantia Christi facta sit fragilior, tenuior, minùs firma, aut egentior sustentaculo. Item si vera esset contraria sententia, Patres dixissent, Verbum diuinum in hoc mysterio fulcire, sustentare, sustinere humanitatem. Atqui nō explicant hoc mysterium nomine sustentationis, aut fulcimēti naturæ humanæ à Verbo; sed dumtaxat nomine susceptionis, & assumptionis à Verbo; vel nomine copulationis, coniunctionis, & adhæsionis cum Verbo: Similique modo illam exprimit vbiq; D. Thom. & speciatim opusc. 2. in cōpend. Theologiæ cap. 211. Vlteriùs si conceptus subsistentis, prout idem est ac esse personam, esset virtute sua constitui in statu opposito accidentibus, sequeretur animam rationalem extra corpus esse personam, & in toto quolibet, singulas partes, non indigentes vlla causalitate materiali subiecti, esse propriè supposita. Quia illis omnibus conuenit definitio illa subsistentis. Natura humana non sustentatur à Verbo.

27.

Item ex opposita sententia non potest stare conceptus personæ in diuinis, qui saltem genericè est vniuocus cum personis humanis. Quia non potest fingi, quòd natura diuina proprio exercitio suæ virtutis seipsam fulciat: aut quòd vt præcisè concepta à proprietatibus personalibus, sit fragilis, tenuis, & in statu accidentium, atque indigens subiecto sustentante. Abhorret etiam à communi sensu ille conceptus personarum in Deo. Etenim sicut Deus non seipsum efficit, & cùm dicitur esse à se, locutio est intransitiua, id est, non ab alio: ita neque Deus seipsum portat, aut sustentat subiectiuè: & si dicitur per seipsum stare, locutio est intransitiua. Denique hæc sententia tribuit rebus, quòd per exercitium, & causalitatem suæ virtutis existant: quod implicat: oportet enim priùs natura rem existere, quàm vllum exercitium virtutis habere. Probatur antecedens, quia illius exercitii, & vsus virtutis, debet esse aliquis terminus, & fructus. Omnis enim virtus est ad aliquem influxum: & influxus est via & tendētia ad aliquē terminum. Cùm ergo dicatur subsistere esse vsus

virtutis, quem natura habet ad standum per se; subsistere non potest esse sine termino, & fructu illius virtutis. At non potest dici quis sit ille terminus positus, & proficiscens ab illius virtutis exercitio, nisi sit existere. Non enim est subsistere, quod est vsus virtutis, & distinguitur ratione à fructu, & termino illius exercitii.

28. Confirmatur, nam subsistere definitur per se existere. Si ergo illud *per se*, significat *exercitio suæ virtutis*; significatum quod restat, est *existere*. Confirmatur secundò, quia naturam subsistere vsu suæ virtutis, est quòd natura sibiipsi innitatur, & in se recumbat, vt loquitur Suar. disp. 15. de Incarn. sect. 1. col. 6. §. *Sed dices*. At quidquid sustentatur, nisi sustentetur, cadit, casu æquè propriè dicto, ac dicitur sustentari: nam sustentari est prohibere à lapsu. Si ergo natura neque se sustentaret, neque sustentaretur à Verbo, laberetur. In quid verò laberetur, nisi in nihilum? Neque dicas cadere in statum similem accidentibus, quæ non stant per se. Nam hoc esset ad extremum cadere in nihilum. Quia cadere in statum indigentiæ necessarii ad existendum, & carere illo necessario, est cadere in nihilum. Status autē accidentis est indigentia necessarij ad existendum. Confirmatur tertiò, quia si natura humana sustentatur à Verbo, præstante ipsi quod ipsa per se haberet, sortitur ab illo suam existentiam. Illud enim, quod humanitas consequitur à Verbo vt subiecto, vel quasi subiecto eam sustentante ipsique vnito, non est Verbum ipsum, aut aliquid identificatum Verbo: quia subiectum est distinctum ab effectu, qui illius virtute, & influxu causatur in eo quod sustinet, vt patet in omnibus formis. At Verbum se habet vt subiectum. Illud ergo, quod ex virtute Verbi subiectiua existit, est aliquid identificatum humanitati: nihil enim est aliud in Christo, præter Verbum, & humanitatem. Sed nihil potest excogitari indistinctum ab humanitate, quod ipsa consequatur media vnione Verbi, nisi existentia. Nam dici non potest quòd sit subsistentia, alioqui Christus esset duæ personæ, creata, & diuina. Quia essent duæ subsistentiæ, vna Verbo identificata, altera humanitati. Quàm verò sit absurdum, posse aliquid virtute sua dare sibi existentiam, patet, quia quicquid operatur, vel vtitur quacunque virtute sua, operatur ex fœcunditate, & non indiget illa operatione ad existendum: prius est enim existere, quàm operari. Hæc illi: qui ex hoc conceptu hypostasis, & personæ alia duo inferunt sententiæ nostræ contraria.

29. *Tiphan. cap. 18.* Vnum est, non bene, & propriè dici subsistentiam humanitatis suppleri à Verbo: quod etiam, inquiūt, nunquam SS. Patres, & veteres Theologi asseruerunt; sed impediri, vel excludi, aut consumi. Ratio est, quia supplere, est supplentem præstare ei, in cuius fauorem vices alterius supplet: præstare, inquam, illud ipsum, quod præstabat, aut præstitisset illud, cui succedit. Sed Verbum, aut vnio ad Verbum non dat humanitati, id quod propria subsistentia daret. Nam per illam esset tota, & integra substantia, seorsim existens: & vnione ad Verbum impeditur potiùs ne sit talis.

Alterum est, non posse dici verè, & propriè, quòd humana Christi natura subsistat subsistentiâ Verbi. Ad quod probandum vtuntur primò rationibus, quibus specialem quorundam modum loquendi solùm impugnant. Deinde hac generali ratione, quæ nobis, & omnibus aduersatur: quia, inquiunt, subsistere est per se existere, & non esse in alio. Sed humanitas Christi per vnionem ad hypostasim Verbi non existit per se, & non in alio, quin è contra opposito modo se habet. Item esse subsistens, est esse totum quoddam perfectum substantiale, nullius partem. Sed implicat, humanitatem Christi per vnionem ad Verbum constitui totum eiusmodi: cùm per eam vnionem fiat propriè pars. Denique cùm subsistere sit aliquo modo se habere: implicat aliquid aliquo modo se habere, per modum alterius: hoc est, se habere in se aliquo modo, quia aliud eo modo se habet: vt patet inductione in omnibus modis. Implicat enim aliquem sedere per sessionem alterius, moueri, figuratum esse, &c. Et si quid subsisteret per subsistentiam Verbi, illud tantùm esset, quod constituitur ex Verbo, tanquam aliquo sibi intrinseco. Forma enim est pars intrinseca eius, quod constituit tale. Itaque non humanitas subsisteret, sed constitutum ex humanitate, & Verbo. Huc vsque partim Typhanus, partim alij recentiores eum secuti.

Subsistatne humanitas subsistentia Verbi?

30. Verùm conceptus ille subsistentiæ siue hypostasis, cui totus eorum discursus innititur, mihi non probatur. Ac primò falsum est veteres omnes constanter sumere pro eodem hypostasim, & suppositum, vel personam. Contrarium enim apparet ex ipso testimonio Cyrilli Alexand. relato ab Aduersariis, & à nobis referendo paulò post, ex epistola ad Monachos Aegypti. *Si quis eum, quem sacra Virgo peperit solum, hoc est, in propria subsistentem hypostasi*, &c. Si enim hypostasim sumeret pro persona, & subsistente; sensus esset, *Solum, hoc est, in proprio subsistentem subsistente*. Et multò magis id apparet ex Basilio lib. 4. contra Eunomium, Maximo Martyre apud Euthymium in Panoplia tit. 2. & Damasceno lib. 1. de Fide cap. 9. qui per hypostasin intelligunt modum quendam existentiæ, τρόπον τῆς ὑπάρξεως, & differentiam quandam aduenientem naturæ siue substantiæ, & χαρακτηριστικὰ ἰδιώματα, quæ illam ab οὐσίας, id est, ab essentia & natura discernit. Interdumque significant aliqui Patrum propriam illius rationem consistere in proprietatibus quæ in vnoquoque considerantur, illumque ab aliis discernunt, vt videre est apud Gregorium Nyssenum in lib. ad Ablauium, *Cur non sint tres Dij*, Tom. 2. pag. 449. Quapropter licet antiqui Patres sæ-

Refutatur contraria sententia.

pissimè hypostasin acceperint in concreto, & cum persona vel subsistente & supposito confuderint: interdum tamen non obscurè sumpserunt in abstracto, veluti modum naturæ, constituentem aliquo modo suppositum: vt nunc etiam faciunt Theologi, qui subtiliùs ista considerant, exactiusque distinguunt.

Est contra D.Thom. & non differt ab opinione Scoti.

Deinde hæc sententia est manifestè contra S.Thom. 1.p. quæst.75. art.2. vbi disertè affirmat, animam rationalem subsistere, etiam quando est in composito. Et tamen anima non est substantia tota, & completa: sed est pars essentialiter ordinata ad componendum hominem, & est in toto, quando actu componit. Tertiò, hæc sententia differt tantùm verbo tenus à Scoto, affirmante subsistentiam nihil addere naturæ, nisi negationem: quam tamen sententiam Tiphanus ipse, & recentiores eum secuti, meritò improbant cum D. Thoma & aliis communiter. Probatur: quia, iuxta Tiphanum, natura humana eo ipso, quòd non esset vnita Verbo, esset persona, quia esset tota, & non iam pars. Cúmque assumitur à Verbo, nihil positiuum amittit eorum, quæ naturaliter habere debet, quæque habuisset, si vnioni præextitisset: in quo casu non desiisset esse persona humana per detractionem alicuius, sed tantùm per additionem personæ diuinæ, id est, eo solo, quòd Verbum illi adderetur, & coniungeretur substantialiter, quia eo ipso humanitas Christi desinit esse tota: sicut qui in suis bonis haberet tantùm mille aureos, ita vt hæc esset tota eius substantia; amitteret illam totalitatem, si decem millia aureorum illi darentur, & præcedentibus adderentur: & linea bipedalis desinit esse tota, quamuis nihil perdat, eo solo, quòd alteri pedali adiungitur: vt docet idem auctor cap. 1. 23. & 29. aliisque locis. Atqui manifestum est non perire illam totalitatem quoad vllum positiuum: manent enim quæcunque erant antea: sed tantùm quoad negationem vlterioris: quatenus, esse totum, dicit habere hæc omnia, & nihil amplius habere. Quorum primum, nempe habere hæc omnia, manet in humanitate, & in bonis, & in linea in exemplum allatis: secundum verò, nempe nihil habere amplius, perit per additionem eius, quod superuenit.

31. Verbum iuxta illam non subsisteret in Christo.

Quartò, iuxta doctrinam Tiphani, Verbum in Christo non subsistit magis, quàm humanitas; cùm non sit totum id, quod est Christus, neque existat seorsim prout Christum componit, sed in toto illo composito includatur, tamque sit verè, & propriè illius pars intrinseca, quàm verè, & propriè illud constituit cum altera eius parte, quæ est humanitas. Respondebit Tiphanus id, quod ait cap.67. num.5. alibique sæpius, Verbum subsistere in Christo, quia retinet suam totalitatem: & non esse partem, quia non est in aliquo perfectiori se, neque perficitur per accessum humanitatis, sed illam infinitè perficit. Sed hoc est grauem quæstionem Theologicam reducere ad quæstionem de nomine, & restringere voces ad placitum, vitandæ magis, quàm explicandæ difficultatis causa; & propter aliquas auctoritates Aristotelis à Tiphano allatas cap. 12. quæ sunt potiùs explicationes Totius, & Partis; qualia sunt in creatis, & qualia erant Aristoteli nota, quàm definitiones, aut conditiones necessariæ partis, vel totius generalissimè sumpti. Cùm alioqui manifestum esse videatur quidquid componit cum altero per modum entitatis realiter ab illo distinctæ, esse partem compositi; & id, quod ex illis componentibus existit, esse totum quoddam ex vtroque constitutum: sitque de fide Verbum solum non esse totum Christum, & tamen esse aliquid Christi realiter distinctum ab eius humanitate; atque, vt à Conciliis definitum est, componere cum humanitate Christum Dominum, qui est vnica persona composita ex duabus naturis secundum subsistentiam. Tam verè autem potest dici esse pars, quàm potest dici componere. Gratisque asseritur requiri vt perficiatur, ad hoc vt dicatur pars: & non requiri, ad hoc vt componat intrinsecè Christum, sitque aliquid illius, & non ipse totus.

Deinde dato, & non concesso quod assumit Tiphanus; ipsa essentia diuina esset persona, ita vt non essent in Deo tres personæ, sed vnica. Nam essentia diuina est infinita simpliciter: & vt colligitur ex eius doctrina cap. 1. num. 8. & cap. 67. nu. 5. non fit perfectior ex additione proprietatum personalium: tum quia infinitum in perfectione non potest fieri perfectius accessione vllius alterius, vt ipse docet capite proximè citato, aliisque locis, eaque de causa negat sæpissimè Verbum amittere suam totalitatem in incarnatione. Tum etiam quia sicut Pater, Filius, & Spiritus sanctus non sunt aliquid perfectius, quàm solus Pater; ita vt aliorum proprietates nihil addant perfectionis supra perfectionem primæ personæ, vt idem habet cap. 1. num. 8. & cap. 64. in fine; probatque ex D. Augustino lib. 6. de Trinit. cap. 8. vbi sic habet: *Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus; quantus est simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus*: & ex D. Thom. 1. p. quæst. 42. art. 4. ad 3. sic affirmante: *Neque omnes relationes sunt maius aliquid, quàm vna tantùm: neque omnes personæ maius aliquid, quàm vna tantùm: quia tota perfectio diuinæ naturæ est in qualibet personarum.* Ita, loquendo cohærenter, debet idem auctor dicere proprietatem Patris, & aliarum personarum diuinarum nihil addere perfectionis essentiæ diuinæ infinitæ simpliciter, & vel formaliter vel eminenter omnia continenti. Ergo essentia diuina est substantia tota in sensu Tiphani, & retinet suam totalitatem, non obstante aduentu proprietatum, seu relationum diuinarum. Ergo est persona. Et sicut Verbum accessu plurium humanitatum non fieret plures personæ,

32. Essentia diuina præcisè esset persona.

sed vnica semper esset, & eadem quæ ante, quia retineret suam totalitatem; & quando reipsa vnitum fuit naturæ humanæ, non desiit esse persona, quia non desijt esse substantia tota, cùm ex aduentu humanitatis non accesserit illi maior perfectio, vt ipse docet cap. 67. num. 5. & 6. Sic natura diuina non debet fieri plures personæ, neque debet desinere esse persona per accessionem relationum diuinarum, iuxta sententiam Tiphani.

33. Nomen personæ nõ posset multiplicari in diuinis.

Quintò, cùm in diuinis nomina concreta substantiua non multiplicentur, id est, non efferantur in numero plurali, nisi multiplicetur forma, quæ per illa directè, formaliter, & expresse significatur, vt probauimus in tract. de Trinit. si persona formaliter, directè, & expressè significat totalitatem primæ substantiæ, vt vult Tiphanus; & totalitas illa est formaliter, & expressè, siue re & ratione, ipsa prima substantia tota, iuxta eundem auctorem cap. 2. 3. & 4. ad hoc vt nomen personæ multiplicetur in diuinis necessarium est totum illud directè, formaliter, & expresse significatum, multiplicari, id est, esse in Deo plures substantias primas, totas. Cúmque nomine substantiæ intelligat Tiphanus in hac definitione essentiam, vel speciem, seu naturam rei subsistentis, quæ contrahitur per particulas *Prima*, & *Tota*, vt patet ex pluribus eius locis, & præcipue ex cap. 21. & 22. vbi probat naturam, & suppositum, siue subsistens (quod apud illum idem est) in eo differre; quòd natura est nomen speciei: suppositum verò, & subsistens est nomen indiuidui, addens naturæ singularitatem, adeóque ratione solùm ab illa differens. Cùm, inquam, hæc ita sint: ergo vt nomen *persona* multiplicetur in diuinis, & verè dicantur esse tres personæ, debent esse tres essentiæ, seu naturæ diuinæ primæ, & totæ. Sed hoc est falsum, & hæreticum: neque vnquam Patres, & Concilia ita loquuntur: sed potiùs constanter affirmant tres personas diuinas esse vnam essentiam, seu naturam eandem omnino: vt speciatim videre est in Concilio Lateran. sub Innoc. III. cap. *Damnamus*. Quare potiùs dicendum est, nomen personæ significare in recto expressè, & formaliter, non totam substantiam primam, sed modum essendi illius per se, quem vocamus subsistentiam. Quo sensu definitur à Boëtio, Naturæ rationalis indiuidua substantia, id est, incommunicabilis subsistentia, vt exponunt Ricard. Victor. & omnes alij, teste Ysamberto loco citando paulò post.

Ysambert. q. 2. disp. 2. art. 6.

34. Non posset explicari quomodo Verbum faciat vnũ per se cum humana natura.

Sextò, iuxta eiusdem auctoris doctrinam non potest explicari quomodo faciant vnũ per se natura diuina, & humana, magis quàm duo liquores permixti, putà vinum, & aqua; vel duæ arborum species insitæ. Et quomodo possint natura diuina, & humana prædicari de se inuicem in concreto substantiuo, magis quàm illæ duæ species arborum, aut liquorum. Respondebit fortè non esse hîc vnionem hypostaticam, quia neutra species liquorum, aut arborum, retinet suam totalitatem. Sed contra: quia quòd persona diuina retineat suam totalitatem, impedit potiùs ne prædicari possit de natura humana in concreto substantiuo; cùm totum de parte sic prædicari nequeat. Septimò, iuxta doctrinam Tiphani ridicula esset quæstio proposita à D. Thom. 3. p. qu. 3. art. 3. & ab aliis Theologis communiter, vtrum natura diuina possit assumere abstracta personalitate? & falsa esset euidenter D. Thomæ resolutio, quòd abstracta per intellectum personalitate à natura, possumus adhuc intelligere naturam assumentem. Sensus enim quæstionis esset, an quod non est totum, possit aliud sibi vnire, retinendo suam totalitatem? Et sensus resolutionis D. Thomæ esset, naturam diuinam præcisam per intellectum à totalitate, posse intelligi eam retinere, quod euidenter implicat contradictionem. Ridicula quoque foret alia quæstio ab eodem D. Thoma, & ab omnibus proposita, an natura humana possit assumi à persona diuina, retenta propria personalitate creata? & an Verbum assumere potuerit non naturam solùm, sed etiam personam humanam? Sensus enim esset, an natura humana potuerit vniri Verbo, absque eo quòd vniretur perfectiori se, siue absque eo, quòd esset pars alicuius totius, & haberet adiunctum aliquid, cuius additione perficeretur? Item ridicula esset definitio Conciliorum, Verbum per vnionem substantialem assumpsisse naturam, non personam. Sensus enim esset, Verbum vniuisse sibi substantialiter naturam imperfectiorem, & non reliquisse illam non vnitam substantialiter, ac per se seorsim existentem in sua totalitate.

Propter quæ omnia, & alia multa; quæ contra illam sententiam dici possent, probabilius existimo, subsistentiam esse perfectionem quandam, & modum essendi substantię naturaliter aptæ, & sufficientis ad standum per se, id est, sine adminiculo subiecti, à quo sustentetur: & sine indigentia modi aut rei alterius, à qua compleatur secundum existentiam, & terminetur hypostaticè. Quæ perfectio conuenit omnibus substantiis cõpletis: per illamque differunt ab accidentibus, quæ generaliter habent oppositam exigentiam naturalem, & imperfectionem indigentiæ subiecti, cuius adminiculo existant. Sicut autem, quando accidens definitur *Ens in alio*, Philosophi, & Theologi hac particula, *in alio*, designant illã imperfectionem & indigentiam accidentis: ita quando definiunt substantiam categoricam *Ens per se*; id est, non in alio: designant hac particula *per se* sufficientiam illam, & perfectionem substantiæ potentis naturaliter stare sua vi, id est, sine concursu subiecti, & sine alio complemento secundum existentiam, siue modi, siue alterius subsistentis à quo terminetur. Dixi hanc perfectionem conuenire omnibus substantiis perfectis; non autem

35. Subsistẽtia quid sit?

absolutè omnibus: propter formas materiales, quibus non competit: neque enim minùs egent concursu materiæ, vt existant, quàm accidentia: à quibus tamen in eo differunt, quòd illæ constituunt cum materia vnum per se,& totum substantiale, secus ac accidentia. Non tamen solis perfectis, & completis substantiis conuenit illa perfectio: sed etiam quibusdam incompletis: vt materiæ primæ, & animæ rationali, & partibus integralibus totius substantialis: quæ omnia manifestè habent modum existendi differentem à modo existendi tam formarum materialium, quàm accidentium, in eo quòd non indigent subiecto, cui nitantur, neque alieno complemento aut termino suæ existentiæ. Atque iste modus existendi est aliqua perfectio naturalis huiusmodi substantiarum, quæ non alio nomine significatur, quàm hypostasis, & subsistentiæ: nec vllum aliud ab Aduersariis proferri potest. Sicut autem per mysterium Eucharistiæ didicimus accidentia posse existere, & non inhærere: ita vt inhæsio non sit illorum esse præcisè sumptum, sed modus se habendi, sine quo esse possunt per absolutam Dei potentiam (quod Aristot. aliique Philosophi ethnici ignorauerant) ita vt Deus possit illa priuare tali modo connaturali essendi in subiecto, & aliter eà conseruare, aut producere, sine vlla dependentia à materia. Sic per mysterium incarnationis intelligimus substantiam completam ex materia, & forma, esse posse absque illo modo essendi per se,& cum opposita dependentia, ratione cuius verè dicatur esse in alio. Quòd cùm sit,priuatur natura actu secundo suæ aptitudinis & sufficientiæ, naturalique complemento. Hoc est,non per se stat modo supradicto, tametsi potest naturaliter stare per se, staretque nisi impediretur supernaturaliter per vnionem hypostaticam cum alio. Itaque in hunc potius sensum intelligendæ sunt definitiones subsistentiæ, & subsistentis, allatæ numero 23. Sicut etiam à pluribus Theologis & Philosophis recentioribus intelliguntur.

36. *Explicatur definitio subsistentiæ.* Et quidem prima, sumpta ex Boet. lib. de Duab. nat. Persona est naturæ rationalis indiuidua substantia, ita exponitur à Rich. Victor. lib. 4. de Trinit. cap. 18. & ab omnibus, vt testatur Ysambertus quæst. 2. disp. 2. artic. 6. vt per indiuiduam substantiam, intelligant incommunicabilem existentiam, siue subsistentiam: incommunicabilem scilicet alteri, vt sustentanti, vel hypostaticè terminanti, vt supra exposuimus. Et alioqui si prædicta definitio sumeretur præcisè, vt verba sonant, natura diuina, vt præcisa per conceptum à proprietatibus, esset persona, quia est naturæ rationalis indiuidua substantia. Eundem sensum facilè admittunt aliæ definitiones ibidem relatæ, quibus dicitur suppositum esse natura substantialis, vltimò terminata,& completa, id est, habens vltimum terminum,& complementum suæ existentiæ substantialis, qui est stare per se, modo suprà exposito: & hypostasis definitur esse vltimus terminus naturæ substantialis, aut substantiæ aptæ per se stare: vltimus, inquam, terminus secundum existentiam.

37. *Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ.* Ex quibus patet solutio primi argumenti aduersariorum. Ad secundum dico primò, subsistentiam, iuxta nostram, & probabiliorem sententiam, non esse formam, neque modum à parte rei distinctum, vt ostendimus disput. 5. sect. 5. Secundò, Concilia, & sanctos Patres ab Aduersariis citatos, non esse in rigore metaphysico intelligendos: sed moraliter, quòd scilicet Christo nihil desit de illis quæ faciunt ad perfectionem naturæ humanæ, & non sunt absolutè incompossibilia cum vnione hypostatica, sicut est propria & naturalis subsistentia. Quod Patribus & Conciliis sufficit ad condemnationem & refutationem hæreticorum, quos damnant, vel impugnant. Hæc enim dicunt contra Eutychianos, Photinianos, Monothelitas, & similes hæreticos negantes veritatem naturæ humanæ in Christo, aut Christum habere animam rationalem, vel voluntatem, & affectus humanos. Alioqui enim certum est Christum non habuisse aliqua nobis communia, præter peccatum: vt ignorantiam rerum plurimarum, & fomitem peccati, seu temperamentum, & complexionem qualitatum talem, vt potenter inclinet ad sensibilia, rectæque rationi sæpe resistat. Non habuit etiam modum essendi per se, quem tamen ipsi Aduersarij, positiuum esse fatentur, ne alioquin apertè videantur planè sentire cum Scoto communiter reiecto, & supra refutato. Si autem sancti Patres in rigore metaphysico intelligendi essent locis in obiectione relatis, dicendum esset, Verbum assumpsisse personam, & hypostasim creatam, quod est hæreticum: aut istam nihil positiuum esset quod falsum est, & contra doctrinam Conciliorum, quæ cùm dicunt Verbum diuinum non assumpsisse humanam personam, sed naturam, satis illo modo loquendi significant personalitatem humanam esse aliquid positiuum,& reale. Nam assumptio est alicuius realis,& positiui, ad se sumptio: Quare negant illam assumptionem de aliquo positiuo, & reali. Item dicunt, humanam personalitatem fuisse consumptam à Verbo, id est, impeditam, ne existeret. Et denique personalitas creata conuenit saltem analogicè cum increatis, & diuinis, quæ certè sunt aliquid reale,& positiuum: constituunt enim, & distinguunt ab inuicem tres personas diuinas.

38. *Explicatur Sancti Patres.* Tertiò, quando Patres & Concilia dicunt, humanam Christi naturam ex eo non esse distinctam personam, quia est vnita Verbo, futuramque distinctam ex eo, quòd separaretur: non vtuntur particula *præcisè, & eo ipso*, quam de suo addunt Aduersarij.

Sed dicunt dumtaxat, id quod verissimum est, & nobis non obest, quodque ad hæreticorum errorem damnandum sufficiebat, humanitatem factam esse vnam personam cum Verbo, per vnionem substantialem, & ineffabilem cum ipso: quem modum ipsi, qualis fuerit, & quem effectum veluti formalem habuerit, relinquunt Theologis examinandum, vt facere solent in aliis fidei mysteriis: & non esse nudum hominem, vti esset, si à Verbo non assumeretur, aut ab illo dimitteretur, suoque statui naturali relinqueretur. Verba enim D. August. loco ab Aduersariis citato ex tract. 19. in Ioann. longè ante finem, hæc sunt: *Ipse est filius hominis, qui est Filius Dei; hærendo enim ad vnitatem personæ, filius hominis, Filio Dei, facta est vna persona, eademque Filius Dei, quæ est filius hominis.* Et Cyrill. in epist. (quæ est numero quarta iuxta nouam editionem Græco-Latinam) ad Nestor. prope finem, *Verbum carnem fieri, nihil est aliud, quàm quòd perinde ac nos, carni, & sanguini, communicauit; nostroque corpore sibi adiuncto ex muliere prodierit, Deitate interim, aut ex Patre natiuitate non abiecta.* Et lib. de recta Fide ad Theodos. ante medium, *Nemo post vnionem, diuisionem mihi fingat: neque Emanuelem in hominem seorsim, & in Deum rursum dispescens, duas personas efformet.* Et in epistola 1. ad Monachos Aegypti, circa medium, *Siquis eum, quem sacra Virgo peperit, solum, hoc est, in propria subsistentem hypostasi, vnctum, & sanctificatum arbitretur, atque ad id Christum appellatum contendat: eiusmodi in medium prodeat, nobisque exponat, solane illa vnctio sat sit, vt vnctus cum Deo, qui est super omnia, æqualis gloriæ, parisque potentiæ & Maiestatis esse censeatur?*

In quibus verbis Cyrillus per *solum*, intelligit non vnitum hypostaticè, sed naturali suo statui relictum, quoad substantiam, & modum essendi substantialiter, vt sequentia verba declarant. Idemque intelligit Concilium Ephes. postremò citatum ab Aduersariis, quando pro eodem sumit Christum fore nudum hominem, & fore personam distinctam à Verbo. Ad has enim omnes propositiones verificandas, iuxta communem, & vsitatum modum loquendi, sufficit illos essendi modos esse incompossibiles, assumi hypostaticè naturam humanam, & stare per se: vel, non assumi hypostaticè naturam illam, & non stare per se. Eodem quoque modo intelligendum est, quod vltimò proferunt ex Damasc. Theodoro Abucara, Hug. Victor. & D. Thoma, naturam humanam Christi non esse personam, quia est pars, & nunquam per se seorsim fuit, quod requirit ratio personæ. Nimirum quia talis modus essendi in alio hypostaticè assumente, repugnat, saltem naturaliter, modo standi per se, id est, subsistendi. Præterquam quòd ratio, & nomen personæ, & suppositi plus importat quàm subsistentia, vel hypostasis præcisè: est enim nomen, & ratio totius substantialiter completi, & seorsim existentis, vt alibi notauimus.

39. Cõfirmatur prædicta explicatio. Confirmatur: quia quando sancti Patres dicunt naturam Christi humanam fuisse ipsa assumptione creatam, vt loquitur S. Leo I. in epistola Decretali 11. quæ est ad Iulianũ Episcopum, longè post medium: *Natura*, inquit, *nostra non sic assumpta est, vt prius creata, post assumeretur: sed vt ipsa assumptione crearetur:* Et Fulg. lib. de Incarnat. cap. 3. *Vna quippe fuit in vtero Mariæ Virginis conceptio diuinitatis, & carnis: & vnus est Christus Dei Filius in vtraque natura conceptus.* Et Greg. lib. 9. Regist. epist. 61. prope finem. *Nec ante conceptus, & postmodum vnctus est: sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, à sancto Spiritu vngi fuit.* Quando, inquam, sancti Patres ita loquuntur, non sunt intelligendi in rigore metaphysico, vt verba sonant: quasi velint humanitatem Christi fuisse productam præcisè eo ipso, quòd vnita fuit Verbo, eandemque prorsus, & vnicam fuisse actionem, quâ fuit producta humanitas, & quâ fuit hypostaticè assumpta: fatentur enim Aduersarij cum communi sententia, fuisse priùs naturâ productam, quàm vnitam: Sed nihil aliud volunt Patres, nisi docere contra Nestorium non priùs tempore extitisse naturam Christi humanam, quàm vniretur Verbo: simulque Beatam Virginem Deum, & hominem concepisse, quia conceptio, & vnio simul fuerunt ab initio factæ in eius vtero. Ergo similiter quando Patres dicunt in nullo esse diminutam humanitatem assumptam, & Verbum assumpsisse quidquid est hominis, præter peccatum, perque alia omnia nobis similem esse, & Verbum carnem fieri nihil esse aliud quàm ineffabiliter carni vniri, & similia in obiectione relata: non debent necessariò intelligi in rigore metaphysico, sed in sensu morali, supra explicato, & accommodato erroribus hæreticorum, quos damnant, & impugnant.

40. Ad id, quod addunt recentiores quarto loco, omissis duobus prioribus argumentis iam refutatis, Respondeo sequentibus, 1. Nõ affirmare nos naturam humanam fulciri & sustentari à Verbo, sicut accidentia fulciuntur à subiecto, factamque esse tenuiorem, fragiliorem, & imbecilliorem: sed solùm dependere & terminari hypostaticè à Verbo, atque ab illo compleri substantialiter secundum existentiam loco proprij & naturalis complementi, quo vltimò terminaretur, & staret in seipsa ac per seipsam, ratione naturalis suæ perfectionis, nisi assumeretur à Verbo. Quod vt minimum docent sancti Patres, quando dicunt Verbum factum esse subsistentiam humanitati Christi, vt loquuntur Athanasius, Euthymius, & Damascenus, locis citandis in fine sectionis: & humanam Christi naturam non in seipsa, sed in Verbo habere existentiam, vt loquitur Sophronius in VI. Synodo Generali act. 11. in epistola quæ ibi recitatur, posteaque approbatur

Natura humana non fulcitur à Verbo vt accidentia à subiecto.

August. probatur act. 13. Quin etiam D. August. lib. 13. de Trinit. cap. 18. prope finem, de Christo sic ait: *Quia Deus humiliter, non quomodo alios sanctos, regebat illum hominem, sed gerebat.* Quo modo loquendi fauet illis Theologis, qui dependentiam humanitatis à Verbo explicant per sustentationem. Nam, *gerere*, hoc loco, non potest aliud significare, quàm sustentare: & nomine hominis, Augustinus intelligit humanitatem, vt alibi sæpissimè, dicens hominem fuisse assumptũ.

41. Respondeò secundò, malè inferri ex nostra sententia, animam rationalem, & partes integrantes substantiæ fore personas, vel supposita. Quia licet illis conueniat definitio subsistentis: secus tamen definitio suppositi, aut personæ, quæ plus importat, & est ratio totius, vt supra diximus. Tertiò dico naturam diuinam subsistere, nō seipsam fulciendo & sustentando: sicut neque natura substantialis creata seipsam fulcit & sustentat, vt paulò ante diximus: sed ratione infinitæ suæ perfectionis naturalis stando per se, completam secundum existentiam triplici modo substantiali relatiuè opposito: seu terminatam tribus proprietatibus personalibus, per quas constituitur in triplici esse hypostatico, quæque sunt tres diuersi modi, quibus natura diuina per se existit, non planè similes modo essendi per se creaturarum, earumque complemento naturali: neque purè modi essendi per se, sed simul principia proxima, vel termini processionum diuinarum, quibus personæ opponuntur relatiuè inter se, & distinguuntur realiter. Essentia enim diuina propter suam illimitationem, & perfectionem simpliciter infinitam, non expletur, & completur vnico modo essendi per se, vt substantiæ creatæ: sed essentialiter exigit tripliciter subsistere in tribus suppositis realiter distinctis, quibus tamen ipsa realiter identificatur, quæque non possunt ab inuicem distingui sine relatiua oppositione originis vnius ab alia: propterea quòd in diuinis est summa communicatio, & identitas, quanta esse potest.

42. Quomodo res dicatur subsistere per vsum suæ sufficientiæ? Respondeo 4. non propterea substantias existere per vsum, & exercitium suæ virtutis, & causalitatis: sed tantùm esse tales naturâ suâ, vt non egeant alio, quo sustententur, possintque existere naturaliter, & reipsa existant sine subiecto, aut sustentaculo, ratione suæ perfectionis essentialis ad hoc sufficientis. Per vsum enim sufficientiæ non intelligimus causalitatem, & exercitium virtutis influentis in aliquem effectum: sed statum illum connaturalem, quem habet natura substantialis, ratione suæ perfectionis, absque vlla alia causalitate, nisi illa per quam à Deo connaturali modo producitur, & in suo statu naturali constituitur, si loquamur de natura creata. Nam modus ille essendi, si eget aliqua causalitate, non fit vi ipsius substantiæ creatæ; sed vi illius, à quo substantia ipsa producitur in statu connaturali: sicut inhæsio accidentium non est efficienter ab ipsis accidentibus, sed à causa, per quam producuntur, & educuntur ex subiecto. Sicut enim existentiam sibi dare non possunt, ita neque modum illum essendi sine quo naturaliter existere nequeunt, quique iuxta probabilem sententiam plurimorum fit præcisè ipsamet eductione accidentis ex subiecto. Nomine etiam virtutis, cuius hunc vsum esse dicimus, non intelligimus causam aliquam, & virtutem influendi: sed ipsam perfectionem naturæ substantialis, potentis existere naturaliter sine subiecto, & sine alieno supposito terminante. Ac denique nomine actus secũdi, & vsus illius virtutis, non aliud intelligimus, quàm quòd natura substantialis actu existat connaturaliter completa & terminata in seipsa, independensque à subiecto, vel alieno termino hypostatico. Quando autem humanitas Christi terminatur à Verbo, non sortitur ab illo suam existentiam, vi vnionis præcisè: nam potiùs illa præexistit vnioni, ratione, vel naturâ priùs: sed sortitur modum subsistendi adiectiuum, & denominatiuum, similem illi, quo formæ materiales subsistunt in composito substantiali: id est, natura Christi humana fit pars totius substantialis subsistentis per hypostasim Verbi. Neque propterea sunt duæ personæ in Christo, sed vnica; propter vnitatem hypostasis, à qua sumitur denominatio personæ.

Quintò, cùm dicimus subsistentiam propriã humanitatis suppleri à Verbo, non aliud intelligimus, quàm quod modò dictũ est, id est, fieri vt adiectiuè subsistat in Verbo, & per Verbum, quæ alioqui per seipsam subsistisset. Quod non minus verè dici potest, quàm quòd Deus suppleat concursum subiecti in accidentibus eucharisticis, quando actione potentiore facit, vt à se solo pēdeāt, quæ alioqui deberent naturaliter à subiecto pendere: & loco essendi in alio, facit vt sine quodammodo in se, & per se, id est, seorsim à subiecto. Neque est necesse, vt quidquid dicitur supplere vices alterius, idem præstet, aut eodem modo: sufficit enim præstare æquiualens, & multò magis præstare aliquid perfectius, & conducibilius. 43. Quomodo subsistentia humanitatis verè dicatur suppleri à Verbo?

Alia duo argumenta postrema, quibus cōtendunt Aduersarij non posse dici verè, & propriè, quòd humanitas Christi subsistat subsistentia Verbi, soluta fuerunt dis. 1. sect. 3. n. 25. & 27. Ad quem locum malo lectorem remittere, quam idem inutiliter repetere. Addo dumtaxat malè ab illis reprehendi modum loquendi, quo non modò Theologi, sed etiam sancti Patres frequenter vsi sunt: Verbum diuinũ scilicet supplere hypostasim humanitatis, & humanam Christi naturam subsistere per subsistentiam Verbi. Id enim affirmant Athanasius, Euthymius, Damascenus, & alij, quando dicunt Filium Dei seu Verbum diuinum factum esse subsistentiam humanitati Christi & eius carni. Quod in re ipsa, & æquiualenter est dicere subsistentiam Verbi esse loco propriæ subsistentiæ humanitatis, & humanitatem fieri 44.

Sed dicunt dumtaxat, id quod verissimum est, & nobis non obest, quodque ad hæreticorum errorem damnandum sufficiebat, humanitatem factam esse vnam personam cum Verbo, per vnionem substantialem, & ineffabilem cum ipso: quem modum ipsi, qualis fuerit, & quem effectum veluti formalem habuerit, relinquunt Theologis examinandum, vt facere solent in aliis fidei mysteriis: & non esse nudum hominem, vti esset, si à Verbo non assumeretur, aut ab illo dimitteretur, suoque statui naturali relinqueretur. Verba enim D. August. loco ab Aduersariis citato ex tract. 19. in Ioann. longè ante finem, hæc sunt: *Ipse est filius hominis, qui est Filius Dei: hærendo enim ad vnitatem personæ, filius hominis, Filio Dei, facta est vna persona, eademque Filius Dei, quæ est filius hominis.* Et Cyrill. in epist. (quæ est numero quarta iuxta nouam editionem Græco-Latinam) ad Nestor. prope finem, *Verbum carnem fieri, nihil est aliud, quàm quòd perinde ac nos, carni, & sanguini, communicauit; nostroque corpore sibi adiuncto ex muliere prodierit, Deitate interim, aut ex Patre natiuitate non abiecta.* Et lib. de recta Fide ad Theodos. ante medium, *Nemo post vnionem, diuisionem mihi fingat: neque Emanuelem in hominem seorsim, & in Deum rursum dispescens, duas personas efformet.* Et in epistola 1. ad Monachos Aegypti, circa medium, *Siquis eum, quem sacra Virgo peperit, solum, hoc est, in propria subsistentem hypostasi, vnctum, & sanctificatum arbitretur, atque ad id Christum appellatum contendat: eiusmodi in medium prodeat, nobisque exponat, solane illa vnctio sat sit, vt vnctus cum Deo, qui est super omnia, æqualis gloriæ, parisque potentiæ & Maiestatis esse censeatur?*

In quibus verbis Cyrillus per *solum*, intelligit non vnitum hypostaticè, sed naturali suo statui relictum, quoad substantiam, & modum essendi substantialiter, vt sequentia verba declarant. Idemque intelligit Concilium Ephes. postremò citatum ab Aduersariis, quando pro eodem sumit Christum fore nudum hominem, & fore personam distinctam à Verbo. Ad has enim omnes propositiones verificandas, iuxta communem, & vsitatum modum loquendi, sufficit illos essendi modos esse incompossibiles, assumi hypostaticè naturam humanam, & stare per se: vel, non assumi hypostaticè naturam illam, & non stare per se. Eodem quoque modo intelligendum est, quod vltimò proferunt ex Damasc. Theodoro Abucara, Hug. Victor. & D. Thoma, naturam humanam Christi non esse personam, quia est pars, & nunquam per se seorsim fuit, quod requirit ratio personæ. Nimirum quia talis modus essendi in alio hypostaticè assumente, repugnat, saltem naturaliter, modo standi per se, id est, subsistendi. Præterquam quòd ratio, & nomen personæ, & suppositi plus importat quàm subsistentia, vel hypostasis præcisè: est enim nomen, & ratio totius substantialiter completi, & seorsim existentis, vt alibi notauimus.

39. Cõfirmatur prædicta explicatio.

Confirmatur: quia quando sancti Patres dicunt naturam Christi humanam fuisse ipsa assumptione creatam, vt loquitur S. Leo I. in epistola Decretali 11. quæ est ad Iulianũ Episcopum, longè post medium: *Natura*, inquit, *nostra non sic assumpta est, vt prius creata, post assumeretur: sed vt ipsa assumptione crearetur*: Et Fulg. lib. de Incarnat. cap. 3. *Vna quippe fuit in vtero Mariæ Virginis conceptio diuinitatis, & carnis: & vnus est Christus Dei Filius in vtraque natura conceptus.* Et Greg. lib. 9. Regist. epist. 61. prope finem. *Nec ante conceptus, & postmodum vnctus est: sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, à sancto Spiritu vngi fuit.* Quando, inquam, sancti Patres ita loquuntur, non sunt intelligendi in rigore metaphysico, vt verba sonant: quasi velint humanitatem Christi fuisse productam præcisè eo ipso, quòd vnita fuit Verbo, eandemque prorsus, & vnicam fuisse actionem, quâ fuit producta humanitas, & quâ fuit hypostaticè assumpta: fatentur enim Aduersarij cum communi sententia, fuisse priùs naturâ productam, quàm vnitam: Sed nihil aliud volunt Patres, nisi docere contra Nestorium non priùs tempore extitisse naturam Christi humanam, quàm vniretur Verbo: simulque Beatam Virginem Deum, & hominem concepisse, quia conceptio, & vnio simul fuerunt ab initio factæ in eius vtero. Ergo similiter quando Patres dicunt in nullo esse diminutam humanitatem assumptam, & Verbum assumpsisse quidquid est hominis, præter peccatum, perque alia omnia nobis similem esse, & Verbum carnem fieri nihil esse aliud quàm ineffabiliter carni vniri, & similia in obiectione relata: non debent necessariò intelligi in rigore metaphysico, sed in sensu morali, supra explicato, & accommodato erroribus hæreticorum, quos damnant, & impugnant.

Ad id, quod addunt recentiores quarto loco, omissis duobus prioribus argumentis iam refutatis, Respondeo sequentibus, 1. Nõ affirmare nos naturam humanam fulciri & sustentari à Verbo, sicut accidentia fulciuntur à subiecto, factámque esse tenuiorem, fragiliorem, & imbecilliorem: sed solùm dependere & terminari hypostaticè à Verbo, atque ab illo compleri substantialiter secundum existentiam loco proprij & naturalis complementi, quo vltimò terminaretur, & staret in seipsa ac per seipsam, ratione naturalis suæ perfectionis, nisi assumeretur à Verbo. Quod vt minimum docent sancti Patres, quando dicunt Verbum factum esse subsistentiam humanitati Christi, vt loquuntur Athanasius, Euthymius, & Damascenus, locis citandis in fine sectionis: & humanam Christi naturam non in seipsa, sed in Verbo habere existentiam, vt loquitur Sophronius in VI. Synodo Generali act. 11. in epistola quæ ibi recitatur, posteaque approbatur 40.

Natura humana non fulcitur à Verbo vt accidentia à subiecto

August. probatur act. 13. Quin etiam D. August. lib. 13. de Trinit. cap. 18. prope finem, de Christo sic ait: *Quia Deus humiliter, non quomodo alios sanctos, regebat illum hominem, sed gerebat.* Quo modo loquendi fauet illis Theologis, qui dependentiam humanitatis à Verbo explicant per sustentationem. Nam, *gerere*, hoc loco, non potest aliud significare, quàm sustentare: & nomine hominis, Augustinus intelligit humanitatem, vt alibi sæpissimè, dicens hominem fuisse assumptum.

41. Respondeò secundò, malè inferri ex nostra sententia, animam rationalem, & partes integrantes substantiæ fore personas, vel supposita. Quia licet illis conueniat definitio subsistentis: secus tamen definitio suppositi, aut personæ, quæ plus importat, & est ratio totius, vt supra diximus. Tertiò dico naturam diuinam subsistere, nō seipsam fulciendo & sustentando: sicut neque natura substantialis creata seipsam fulcit & sustentat, vt paulò ante diximus: sed ratione infinitæ suæ perfectionis naturalis stando per se, completam secundum existentiam triplici modo substantiali relatiuè opposito: seu terminatam tribus proprietatibus personalibus, per quas constituitur in triplici esse hypostatico, quæque sunt tres diuersi modi, quibus natura diuina per se existit, non planè similes modo essendi per se creaturarum, earumque complemento naturali: neque purè modi essendi per se, sed simul principia proxima, vel termini processionum diuinarum, quibus personæ opponuntur relatiuè inter se, & distinguuntur realiter. Essentia enim diuina propter suam illimitationem, & perfectionem simpliciter infinitam, non expletur, & completur vnico modo essendi per se, vt substantiæ creatæ: sed essentialiter exigit tripliciter subsistere in tribus suppositis realiter distinctis, quibus tamen ipsa realiter identificatur, quæque non possunt ab inuicem distingui sine relatiua oppositione originis vnius ab alia: propterea quòd in diuinis est summa communicatio, & identitas, quanta esse potest.

42. Quomodo res dicātur subsistere per vsum suæ sufficientiæ? Respondeo 4. non propterea substantias existere per vsum, & exercitium suæ virtutis, & causalitatis: sed tantùm esse tales naturâ suâ, vt non egeant alio, quo sustententur, possintque existere naturaliter, & reipsa existant sine subiecto, aut sustentaculo, ratione suæ perfectionis essentialis ad hoc sufficientis. Per vsum enim sufficientiæ non intelligimus causalitatem, & exercitium virtutis influentis in aliquem effectum: sed statum illum connaturalem, quem habet natura substantialis, ratione suæ perfectionis, absque vlla alia causalitate, nisi illa per quam à Deo connaturali modo producitur, & in suo statu naturali constituitur, si loquamur de natura creata. Nam modus ille essendi, si eget aliqua causalitate, non fit vi ipsius substantiæ creatæ; sed vi illius, à quo substantia ipsa producitur in statu connaturali: sicut inhæsio accidentium non est efficienter ab ipsis accidentibus, sed à causa, per quam producuntur, & educuntur ex subiecto. Sicut enim existentiam sibi dare non possunt, ita neque modum illum essendi sine quo naturaliter existere nequeunt, quique iuxta probabilem sententiam plurimorum fit præcisè ipsamet eductione accidentis ex subiecto. Nomine etiam virtutis, cuius hunc vsum esse dicimus, non intelligimus causam aliquam, & virtutem influendi: sed ipsam perfectionem naturæ substantialis, potentis existere naturaliter sine subiecto, & sine alieno supposito terminante. Ac denique nomine actus secūdi, & vsus illius virtutis, non aliud intelligimus, quàm quòd natura substantialis actu existat connaturaliter completa & terminata in seipsa, independensque à subiecto, vel alieno termino hypostatico. Quando autem humanitas Christi terminatur à Verbo, non sortitur ab illo suam existentiam, vi vnionis præcisè: nam potiùs illa præexistit vnioni, ratione, vel naturâ priùs: sed sortitur modum subsistendi adiectiuum, & denominatiuum, similem illi, quo formæ materiales subsistunt in composito substantiali: id est, natura Christi humana fit pars totius substantialis subsistentis per hypostasim Verbi. Neque propterea sunt duæ personæ in Christo, sed vnica; propter vnitatem hypostasis, à qua sumitur denominatio personæ.

Quintò, cùm dicimus subsistentiam propriā humanitatis suppleri à Verbo, non aliud intelligimus, quàm quod modò dictū est, id est, fieri vt adiectiuè subsistat in Verbo, & per Verbum, quæ alioqui per seipsam subsistisset. Quod non minus verè dici potest, quàm quòd Deus suppleat concursum subiecti in accidentibus eucharisticis, quando actione potentiore facit, vt à se solo pēdeāt, quæ alioqui deberent naturaliter à subiecto pendere: & loco essendi in alio, facit vt sint quodammodo in se, & per se, id est, seorsim à subiecto. Neque est necesse, vt quidquid dicitur supplere vices alterius, idem præstet, aut eodem modo: sufficit enim præstare æquiualens, & multò magis præstare aliquid perfectius, & conducibilius. 43. Quomodo subsistentia humanitatis verè dicatur suppleri à Verbo?

Alia duo argumenta postrema, quibus cōtendunt Aduersarij non posse dici verè, & propriè, quòd humanitas Christi subsistat subsistentia Verbi, soluta fuerunt dis. 1. sect. 3. n. 25. & 27. Ad quem locum malo lectorem remittere, quam idem inutiliter repetere. Addo dumtaxat malè ab illis reprehendi modum loquendi, quo non modò Theologi, sed etiam sancti Patres frequenter vsi sunt: Verbum diuinū scilicet supplere hypostasim humanitatis, & humanam Christi naturam subsistere per subsistentiam Verbi. Id enim affirmant Athanasius, Euthymius, Damascenus, & alij, quando dicunt Filium Dei seu Verbum diuinum factum esse subsistentiam humanitati Christi & eius carni. Quod in re ipsa, & æquiualenter est dicere subsistentiam Verbi esse loco propriæ subsistentiæ humanitatis, & humanitatem fieri 44.

subsistentem per illam, communicantem ipsi suum veluti formalem effectum, dum sit illius subsistentia. Verba D. Athanasij contra Valentinum, citati ab Euthymio in Panoplia parte 1. tit. 9. cap. 2. pag. 180. versu *Ipse*, sic habent: *Ipse quidem filius & Deus passus esse dicitur propter vnam hypostasim diuinitatis, quæ & ipsi humanæ naturæ facta est hypostasis.* Sic enim legendum est, iuxta Græc. Manuscript. [Greek illegible] : Et Euthymius ipse in fine tit. 7. pag. 149. *Quoniam*, inquit, *Filius Dei & Deus ipse factus est subsistentia ei quod assumptum est: quod quia sine semine conceptum est, non propria subsistentia constat.* Græcè, [Greek illegible]. Et Damasc. lib. 3. de Fide cap. 2. vel iuxta Græcum, cap. 49. [Greek illegible]. *Verbum factum subsistentia carni.*

SECTIO IV.

An Verbum assumpserit veram humanitatem, & omnes eius partes, sanguinem, capillos &c.?

45. Verbum assumpsit veram humanitatẽ.

PRima conclusio, Verbum assumpsit veram humanitatem constantem vero corpore; & vera anima rationali. Est de fide, definita in Concilio Ephes. can. 13. Chalcedon. act. 5. in definitione Fidei: & in VI. Synodo act. 13. can. 4. affirmantibus Verbum assumpsisse carnem animatam anima rationali: quod idem est, ac dicere carnẽ vnitam animæ, ac proinde veram humanitatem. Habetur etiam eadem veritas expresse in Conc. Lateran. sub Innoc. III. cap. *Firmiter, de Summa Trinit.* & in Symbolo Athanasij.

Assumpsit verum corpus.

Deinde speciatim quòd assumpserit verum corpus humanum eiusdem rationis cum nostro, non autem phantasticum, vt somniarunt, Marcion, Cerdon, & Manichæi, vel diuersæ rationis à nostro, vt voluerunt Apelles, Apollinaris, & Priscillianistæ apud August. Epiph. & Philastr. de hæresibus, patet ex Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Luc. 24. *Videte quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Roman. 1. *Factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Hebr. 1. *Semen Abrahæ apprehendit.* Et cap. 2. *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & Filius Dei communicauit eisdem.* Denique tota historia Euangelica testatur, Christum sumpsisse originem secundum carnem ex Maria Virgine, & secundum eam vidisse, audiuisse, edisse, doluisse, & alias functiones humani corporis obiisse, quæ omnia fuissent simulatoria, nisi Verbum verum corpus humanum assumpsisset. Hoc etiam expresse definiunt Concilia pro sequenti parte citanda. Nec obest illud 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Dicitur enim Christus homo cœlestis, non quòd corpus cœleste habuerit, sed quia vitam cœlestem, id est, sanctam duxerit: vnde subiungit Paulus. *Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœlestis, tales & cœlestes.* Addit S. Thom. qu. 5. art. 2. ad 1. Christum dici de cœlo alia duplici de causa. Primò, quia naturam habet diuinam, quo sensu dicitur Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Secundò, ratione originis miraculosæ, ac planè diuinæ à Spiritu sancto, sine operatione viri. S. Thom.

46. Assumpsit veram animam rationalem.

Secundò, quòd veram quoque animam rationalem assumpserit patet ex Ioan. 12. *Nunc anima mea turbata est.* Et Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Et cap. 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et Psalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno.* Quod de Christo interpretatur Petrus Actor. 2. Idem etiam definierunt Cõcilia, Roman. sub Damaso, vt testatur S. Hieron. in additamento ad Chronicon Eusebii sub Anno 379. Ephes. Chalced. & VI. Synodus generalis locis supra relatis nu. 28. Toletan. XI. in professione Fidei, Constantinopolit. II. Act. 8. can. 4. contra Arianos affirmantes Verbum non assumpsisse animam, sed fuisse corpori loco animæ. Et contra Apollinarem aiẽtem Verbum assumpsisse animam sentientem, & non mentem seu rationalem, quippe quæ in Christo non esset. Cõfirmatur, quia Christus alioqui non potuisset orare, mereri, satisfacere. Hæc enim Verbo per se non conueniunt, nec animæ tantùm sentienti. Item, cùm Verbum venerit ad hominem redimendum; debuit præcipuè assumere id, quod præcipuè ceciderat, id est, animam rationalem. Concil. Romanum. Ephes. Chalced. VI. Synod. Toletan.

47. Assumpsit corpus & animam vnita inter se.

Tertiò, quòd assumpserit corpus & animã vnita inter se, adeóque veram humanitatem, patet, quia passim in Scriptura Christus vocatur homo & filius hominis, filius Abrahæ, filius Dauid, (filius autem debet esse eiusdem naturæ cum eo cuius filius dicitur) narraturque exercuisse vitales operationes quæ sunt totius compositi, & supponunt vnionem animæ cum corpore: itemque esse mortuus, per dissolutionem scilicet vnionis animæ cum corpore; & resurrexisse, restaurando scilicet vnionem. Idem quoque disertè definitur in Conciliis Ephesino can. 13. Chalcedonensi actione 5. in definitione Fidei, & VI. Syn. actione 11. in epist. Sophronii, & actione 13. cap. 4. & in Symbolo Nicæno vbi dicitur Dei Filius factus esse homo. Non esset autem homo nisi constaret corpore & anima rationali vnitis. Hæc enim est essentia hominis, quã est homo formaliter quidquid est homo. Deniq; in Symbolo Athanasij de Christo dicitur. *Deus & homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: & homo est ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.* Ephesin.

48. Secunda conclusio: Verbum non tantùm assumpsit corpus & animam, & partes

2. Concl. Verbum assumpsit omnes partes naturæ humanæ.

illas corporis quæ animâ informantur: Sed etiam omnes alias quæ pertinent ad integritatem, aut veritatem, vel munimentum, aut ornamentum corporis humani naturaliter spectati, vt sanguinem & alios humores, vngues, dentes, capillos, &c. Declaratur & probatur conclusio. Primò, sermo hic est de vnione immediata huiusmodi partium in seipsis, & non tantùm in alio seu per aliud. Neque enim dubium est, quin omnes aliæ partes Verbo vnitæ fuerint, saltem mediantibus partibus essentialibus humanitatis, corpore scilicet & anima, quæ duo saltem fuisse immediatè vnita hypostasi Verbi, constat ex eo quòd post mortem, & separationem à se inuicem, mansit vtrumque hypostasi Verbi vnitum, vt ostendemus sectione sequenti.

Partes humanitatis sunt duplices.

Secundò, partes humanitatis duplices sunt. Quædam sunt essentiales, sine quibus humanitas nec esse nec intelligi potest. Aliæ integrales, sine quibus licet possit esse vel concipi, pertinent tamen ad eius complementum & naturalem integritatem; ita vt sine illis manca & defectuosa, atque imperfecta foret. Et hæ rursus duplices sunt. Quædam animatæ & viuentes, seu vita tantum vegetante, vt ossa; seu etiam sentiente, vt caro, nerui, musculi. Aliæ sunt inanimatæ, vt sanguis, & alij humores primarij, pituita, bilis, & melancholia, spiritus vitales, & animales, itemque vngues, & capilli, quos probabilius est non viuere, sed crescere tantùm per iuxta-positionem, vt docet experientia. De dentibus verò probabilius est viuere vita vegetante, vt ossa; videntur enim crescere similiter vt illa per intus-susceptionem. Porro hæc omnia esse aliquo modo de veritate, integritate, & perfectione humanitatis; patet, quia sine illis homo esset mancus & imperfectus naturaliter, ac defectuosus, imò sine quibusdam v.g. sine sanguine, non posset naturaliter viuere. Valent etiam hæ partes, quamuis inanimatæ, vel ad fomentum & conseruationem vitæ, vel ad iuuandas vitales operationes, vel ad munimentum, & ornamentum naturale corporis.

49. Quædam sunt in corpore humano mere adscititia.

Præter hæc verò quædam alia sunt in corpore humano vel merè adscititia, vt cibus & potus in stomacho receptus, & chylus, ac cremor ex eo formatus, antequam vertatur in sanguinē: vel merè excrementitia vt saliua superabundans, sputum, sudor, lachrymæ, & similia. Dixi, saliua superabundans: Illa enim quæ naturaliter necessaria est ad os irrigandum, videtur esse de integritate, vt alij humores supra dicti: quippe sine qua homo esset imperfectus & æger. Magnam enim siccitatem in ore pateretur, neq; loqui posset, & cibos deglutire. Vnde saliua, quanta ad hunc effectum necessaria est, non est merè excrementitia: vt ex eo confirmatur, quòd corporibus Beatorum non deerit, vt neque sanguis, & humores supradicti, neque capilli & vngues, & alia sine quibus corpus humanum foret imperfectum.

De huiusmodi merè adscititiis, aut excrementitiis, nulla est ratio affirmandi fuisse secundum se hypostaticè vnita: cùm priora nondum in partem corporis humani transierint: posteriora nunquam pars eius fuerint, vel iam esse desierint. Vnde etiam non erunt in Beatis, in quibus tota & integra erit humana natura.

De prioribus verò ratio generalis cur fuerint assumpta hæc est: quia cùm Verbum assumpserit naturam humanam, non debet existimari sumpsisse mancam & imperfectā. Dei enim perfecta sunt opera, & multò magis istud omnium operum maximum. Ergo quæcumque pertinent ad integritatem naturæ humanæ, fuerunt per se assumpta à Verbo, vt vi assumptionis verè dici possit fuisse assumpta perfecta & integra natura. Deinde speciatim de partibus omnibus anima informatis, quas nemo ferè ambigit fuisse immediatè assumptas, ratio specialis est, quia hæ sunt verissimè & propriissimè partes humanitatis, sine quibus mutila esset & deformis: neque rationaliter dubitari potest quin Verbum omnes saltem huiusmodi partes, & adæquatum animæ subiectum sibi vniuerit: maximè cùm illa vnio facta sit ad corpus humanū per se, & quà tale: & omnes illæ partes sint de constitutione intrinseca corporis humani quà talis: vnde non fuit ratio cur aliqua excluderetur. 50.

Probatur partes humanitatis fuisse assumptas.

De sanguine quoque rem certam esse existimo: nec desunt qui affirment id definitum fuisse à Clemente VI. in decreto misso ad Inquisitorem Catalauniæ, necnon à Pio II. & à Paulo II. Sed hoc incertum faciunt, tum quæ refert P. Ioan. Delugo disp. 14. sect. 7. n. 103. & 104. cui diu exercita, & magnopere probata in Societate Iesu virtus & pietas, tum verò in Hispania ac Romæ Theologiā magnâ cum laude pluribus annis traditā, multisque deinde voluminibus peruulgatis spectata singularis eruditio, suffragatæ sunt apud Vrbanum Summum Pontificem eius nominis octauum, vt eum cùm hęc typis ederemus, in Purpuratorum Patrum Collegium adsciceret, summo tamen prius obedientiæ imperio, ne refugeret, atq; ex instituto Societatis excusaret eam dignitatem, interposito. Tum etiam id quod scribit Henricus Spondanus Apamiensis Episcopus in Annal. Ecclesiasticis ad Annū Christi 1462. n. 12. vbi narrat, Brixiæ sub id tempus motam fuisse grauem controuersiam inter Minores & Fratres Prædicatores, illis negantibus, istis contra affirmantibus sanguinem fusum in triduo mortis fuisse vnitum hypostaticè. Pium II. aduocatis vtriusque ordinis Theologis rē discuti inter eos fecisse, deindeque cum Cardinalibus de ea plerisq; diebus tractasse. Maiorē partem sententiā Prædicatorum approbasse, paucos cum Minoribus sensisse. Pium quoque in maiori parte fuisse: sed non esse visum eo tempore decretū fieri declarationis, ne multitudo Minorum, 51.

Probatur sanguinem fuisse assumptum.

quorum erat contra Turcos prædicatio necessaria, offenderetur: ac propterea in aliud tempus decisionem referri placuisse. Quam tamen ei nunquam placuit plenè decidere: sed biennio post, anno 1464. die ante obitum 15. Constitutionem edidit, quâ, ad pacem inter illos ordines, & in vniuersa Ecclesia conseruandam, statuit nulli Fratrum prædictorum, aut aliorum quoruncunque ordinum, deinceps licere de supradicta dubietate disputare, prædicare, vel publicè, aut priuatè verbum facere, seu aliis suadere, quòd hæreticum, vel peccatum esset tenere, vel credere sacratissimum Christi sanguinem triduo illo ab ipsa diuinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse diuisum, vel separatum: donec super ea dubietate, quid tenendum esset, foret per ipsum, vel Sedem Apostolicam definitum: pœnâ excommunicationis, & inhabilitatis ad quoscunque actus legitimos huius decreti violatoribus irrogatâ. Quod tamen statutum non fuit eo rigore seruatum, & vsu receptum, vt qui secuti sunt Theologi ab ea quæstione in scholis agitanda, & scriptis libris tractanda abstinuerint, non modò Vasques, & Suares, quos solos nominat Spondanus, & obiter carpere videtur, velut huius decreti ignaros, aut immemores: sed & Gabriel in Canon. lect. 53. Maior in 3. distinct. 25. Syluester in Rosa aurea tract. 3. quæst. 30. Dominic. Sotus in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 2. Caiet. Bart. Medina, Aluarez, Gamachæus, Yzambertus, ad 3. p. D. Thom. qu. 5. & quotquot alij alicuius nominis Theologi de Incarnatione ab eo tempore scripserunt: vt omittam plures alios ab istis citatos, quorum non pauci contrariam sententiam graui censura notant.

Clemens VI. Indubitata verò est definitio Clemẽtis VI. in Extrauag. *Vnigenitus*, de pœnitẽtiis & remissionibus, vbi de Christo sic loquitur: *In ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen, propter vnionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis suffecisset* (ob dignitatem scilicet effundentis) *sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse*. Vbi verba illa, *propter vnionem ad Verbum*, ad sanguinem, de quo proximè loquutus est, meliùs & planiùs referuntur, quàm ad Christum ipsum, de quo remotiùs sermo est. Imò non possunt ad Christum aptè referri. Nam Christus non est vnitus Verbo, sed natura humana Christi, eiusque partes, inter quas sanguis numeratur. Confirmatur ex Scriptura quæ ad Hebr. 2. æquè dicit Filium Dei participasse, id est, vnitum fuisse, carni, & sanguini, eodemque modo loquitur de vtroque, significans fuisse simili modo vnita. Similiterque Cyrillus Alexandr. & Epiphanius relati à Suare disput. 15. sect. 6. circa medium, affirmant Verbum carnem & sanguinem assumpsisse, & non tantùm animam humanam, sed etiam carnem & sanguinem participasse.

Cõfirmatur ex Scriptura.

52. Fauet etiam ratio philosophica, iuncto hoc principio Theologico, sumpto ex Damasc. lib. 3. de Fide cap. 6. Verbum diuinum totam naturam humanam assumpsit, id est, omnes eius partes. Atqui sanguis est pars naturæ humanæ. Ergo assumpsit sanguinem. Assumere autem substantiam capacem vnionis hypostaticæ per se, est illam sibi vnire hypostaticè immediatè, terminando illam loco propriæ subsistentiæ: ergo &c. Minor, quòd scilicet sanguis sit pars humanæ naturæ, probatur ex Galeno lib. 2. de Elementis in principio: Vbi quatuor humores sanguinem, bilem &c. vocat elementa corporis animalium. Et lib. 1. Elementorum dicit elementum vocari, partem rei minimam. Itaque sanguis & alij humores sunt partes corporis humani, cuius sunt elementa. Probatur etiam ex Aristotele lib. 2. de partibus animalium cap. 2. initio, vbi sanguinem numerat inter partes animalis. Galeno autem & Aristoteli cæteri omnes Medici & Philosophi communiter assentiuntur. Idem etiam docent Theologi cum D. Thoma qu. 54. art. 2. ad 3. & qu. 76. art. 2. ad 2. Trident. denique idem supponit sess. 13. cap. 3. cùm ait sanguinem Christi esse sub speciebus panis Eucharistici, vi naturalis illius connexionis, *quâ partes Christi Domini inter se copulantur*. Quo loquendi modo apertè docet sanguinem esse partem corporis humani. Scriptura quoque humanitatem sæpe vocat *carnem & sanguinem*: Matth. 16. ad Galat. 1. ad Ephes. 6. ad Hebr. 2. Neque tantùm requiritur sanguis per modum nutrimenti, alioqui posset sine illo aliquandiu animal conseruari, & non deberet esse in Beatis qui non indigent alimento: sed simpliciter ad corporis consistentiam, ad fouendum omnia membra, ad conseruandum calorem naturalem vitæ pernecessarium, & velut quoddam generale organum ad operationes animæ exercendas, præsertim ad effectus iræ, audaciæ, & similes, ad spiritus vitales & animales conseruandos, qui ad vitæ conseruationem & vsum sensuum maximè necessarij sunt, iuxta doctrinam Medicorum. Cùm ergo Verbum integrè & perfectè naturam humanam assumpserit, debuit vi assumptionis vnire sibi sanguinem qui est de perfectione & integritate naturæ humanæ. Nec obest quòd Aristoteles & S. Thom. dicunt interdum, sanguinem non esse partem viuentis, vel non esse partem actu sed potentiâ. Id enim intelligũt de parte viuente & informata anima, quâ non informatur sanguis nisi postquam per nutritionẽ conuersus est in substantiam viuentis.

Idem probatur ratione.

Sanguis est pars naturæ humanæ.

Galen.

Aristot.

D. Thom.

De aliis humoribus, & partibus inanimatis, res non est adeo certa: quia nullam de his habemus Ecclesiæ definitionem. Veruntamen cùm hæc quoque sint de perfectione & integritate naturali corporis humani, & ad conuenientem illius statum requirantur, ideoque futura sint in corporibus resurgẽtium; probabilius est assumpta fuisse, vt docent Caietanus, Syluester, Sotus, & alij quos refert & sequitur Suares disp. 15. 53.

Idem probatur de aliis humoribus.

sect. 7. Idemque sentio de rore, cambio, & glutine, qui sunt humores quidam medij ex sanguine facti, priusquam fiat vltima eius conuersio in substantiam viuentis, posito quòd tales humores sint partes corporis humani, & de illius integritate, quod Medicis iudicādum relinquo. Sed non assentior Suari suprà, cùm ait hos humores fieri ex cibo priusquam vertatur in sanguinem. Hoc enim est contra experientiam, & doctrinam Medicorum. Cùm autem dico hæc omnia fuisse immediatè vnita Verbo hypostaticè; intelligo secundum materiam, quā constant, capacem subsistentiæ: non autem secundum formas eorum materiales, & accidentia, quæ vt alibi ostendimus, non possunt assumi hypostaticè secundum se.

SECTIO V.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

54. *Negant aliqui sanguinem fuisse immediatè vnitum.* Contra secundā conclusionem senserunt Durandus in 4. distinct. 10. quæst. 1. num. 19. & Gabriel Lectione 53. in can. litera K. affirmantes sanguinem non fuisse immediatè vnitum Verbo hypostaticè, sed tantùm remotè fuisse assumptum, quatenus erat coniunctus naturæ humanæ quæ erat vnita Verbo. Cuius sententiæ, ab aliis communiter reiectæ, & à non paucis grauiter reprehensæ, fundamenta præcipua hæc sunt. Primum: Quia ex nostra sententia sequeretur absurda & indecens communicatio idiomatum, quòd Deus esset sanguis, esset effusus, esset diuisus, &c. Imo quòd sanguis esset caro, & esset homo, & similia, quæ videntur intoleranda. Similiter si Verbum assumpsisset alia prædicta, factum esset dentes, & pili, & vngues, quod videtur esse ridiculum. Deinde si Verbum sanguinem assumpsisset; maximè vt illi daret pretium infinitum & sufficiens ad nostram redemptionem, vt Theologi à Pio II. consulti supponere videbantur. At hoc non est necessarium. Sanguis enim habebat infinitum valorem meritorium & satisfactorium, ex dignitate fundentis & offerentis: sicut & sudor, & lachrymæ, licet non secundum se vnitæ. Et satisfactionis, aut meriti infinitudo petitur ex dignitate satisfacientis aut merentis, non autem ex dignitate rei oblatæ. Alioquin Beata Virgo offerens filium in cruce, meruisset aut satisfecisset infinitè: & contrà, Christus sudans, aut lachrymans, non meruisset infinitè. Denique si Verbum assumpsisset sanguinem, nunquam eum dimisisset, iuxta axioma Damasceni lib. 3. de Fide cap. 27. *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Atqui partem illius dimisit, & in terris reliquit post resurrectionem, vt patet ex lācea, clauis, spinis, & aliis Christi sanguine tinctis, religiosè asseruatis, & quibusdam eius guttis seu particulis, quæ *Damasc.* Mantuæ, Billomi, alibique adhuc extare dicuntur.

55. *Soluitur primū eorum argumentum.* Ad primum Respondeo negando sequelam. Quia communicatio idiomatum non fit inter Verbum, & partes illas quæ in communi modo loquendi non solent accipi pro toto; sed inter totum & totum, inter Verbum & hominem. Totum, inquam, vel physicè, vel moraliter secundum partes illas quæ communiter solent pro toto accipi: Quod addo, quia, vt rectè notat Cardinalis Delugo disp. 14. num. 53. & sequentibus, prædicata partium, quæ tribui solent homini simpliciter & absolutè, dici etiam possunt de Verbo; non verò ea quæ de homine non dicuntur. Ratio est, quia vnio facit vt Verbum dicatur homo: atque adeo vt quæ dicuntur de homine, dicantur etiam de Verbo. Cùm ergo de homine dicatur v.g. sepultum esse ratione corporis, & esse in cœlo ratione animæ (sic enim solemus loqui de sanctis, & de Christo ipso Symbolum Apostolorum ita loquitur) hinc est quòd Verbum dici potest fuisse sepultum ratione corporis Christi, & descendisse ad inferos ratione animæ. Homines autem non loquuntur de parte aliqua perinde ac si esset totum, nisi pars illa sit principalis. Nam v.g. licet dicamus sanctum Petrum iacere Romæ ratione corporis; non tamen id diceremus si sola eius manus, vel sanguis etiam totus ibi esset: quare idiomatum communicatio non potest ad huiusmodi partes extendi. Sed neque prædicata partium principalium, corporis scilicet & animę, quę significant officium partium, tribui solent toti. Neque enim dicimus homo informat, homo componit cum anima; licet anima informet, & corpus componat cum anima. Quare similiter dicendum non est Verbum informat, Verbum subiectat formas partiales, & cum illis componit, vel cum anima, vt corpus. *Delugo* *Cōmunicatio idiomatum inter quæ fiat.*

56. *Diluitur secundum.* Ad secundum Respondeo, sanguinem quidem ab vnione cum Verbo fuisse infinitè nobilitatum, vt suprà vidimus assertum à Clemente VI. in Extrauag. *Vnigenitus*: tametsi voluntaria eius effusio per Christum facta, aliunde fuisset infinitè meritoria. Verum hæc non est sola vel præcipua ratio cur affirment Theologi communiter sanguinem fuisse assumptum: sed quia Verbum integrā naturam humanam assumpsit, vt fert traditio veterum Conciliorum, Ephesini, Chalcedon. Synodi V. & VI. Generalis, & sanctorū Patrum, quorum testimonia videri possunt apud Suar. & Vasq. locis suprà citatis.

Ad 3. solutio quorundam insufficiens. Ad tertium respondent aliqui, resumpsisse Christum in resurrectione sanguinem totum quem in passione effuderat, nihilque in terris reliquisse, sed in passionis instrumentis mansisse tantùm colorem sanguinis: & eum qui diuersis in locis religiosè asseruatur, nō esse verum Christi sanguinem, sed miraculosum, qualis ille erat qui Beriti effluxit ex imagine Christi à Iudæis percussa, vt narratur in Nicæno II. actione 4. refertúrque ex cuiusdam Athanasij libro de

Passione imaginis, qui extat inter opera sancti Athanasij magni, quamuis illius omnino non sit. Nam historia illa diu post magnum Athanasium contigit. Ita Turre-cremata, in caput *Inuiat*, distinct. 2. D. Thomas qu. 54. art. 2. ad 3. & Athanasius idem qui supra, eodem libro. Verùm negari non potest quin in passionis instrumentis, & reliquiis, spinis, clauis, sudario &c. manserit aliquid sanguinis, sicut hucusque apparet: siue retentâ formâ sanguinis, siue corruptâ. Nam reliquiæ illæ in talem colorem mutari non poterant, nisi mutatâ suâ substantiâ & temperamento. Hæc autem mutatio non contigit, nisi quis velit multiplicare miracula sine necessitate. Deinde Pius II. in Bulla à Syluestro relata, ad Abbatem quendam Xantonensem, ait non repugnare fidei, affirmare Christum partem aliquam sui sanguinis in terra reliquisse: sicut Abbas ille & Christiani eiusdem loci credebant à tempore, cuius memoria non extabat, habere se portiunculam quamdam eius sanguinis. Platina quoque in vita Leonis tertij narrat Pontificem illum inuisisse sanguinem Christi, qui Mantuæ asseruatur, & approbasse propter frequentiam miraculorum, eaque de re Carolum magnum certiorem fecisse. Et verò Christus resurgens non egebat toto sanguine quem ante mortem habebat: nam Beati non habent opus sanguine velut alimento ad nutritionem, propter quam maior eius copia in vita mortali requiritur, & propter spirituum consumptionem.

Turrecr. S. Thomas.

An Christus aliquid sanguinis sui reliquerit in clauis, spinis &c.

57. *Aliorum responsio.*

Propter hæc & similia respondent alij, Christi, quemadmodum & hominum aliorum, duplicem fuisse sanguinem: vnum nutrimentalem, qui non informatur anima, neque est pars humanitatis, vel de eius integritate; sed solùm deseruit in alimentum. Alterum perfectum, magis decoctum, & informatum anima rationali. Priorem non fuisse vnitum vnquam hypostaticè, neque à Christo post passionem resumptum; & illius adhuc reliquias & partes extare: secus autem posteriorem. Atque ita Christum non dimisisse quod assumpsit. Verùm hæc distinctio sanguinis nullum habet fundamentum in Philosophia & Medicina, neque in experientia. Nullum enim est indicium talis distinctionis substantialis inter sanguinem & sanguinem, sed potiùs totus sanguis apparet vniformis & eiusdem rationis, totusque potest seruire in alimentum, & eò meliùs, quò purior & decoctior est. Deinde hæc distinctio repugnat definitionibus Summorum Pontificum, & Conciliorum suprà citatorum, quæ absolutè & indefinitè pronunciant, Verbum assumpsisse sanguinem, & mansisse vnitum illi post effusionem, & vnam eius guttam suffecisse ad totius mundi redemptionem. In doctrinalibus autem locutio indefinita æquiualet vniuersali. Neque vnquam sancti Patres, vel Concilia, & Summi Pontifices meminerunt talis distinctionis.

58. *Vera solutio.*

Propterea censeo dicendum, totum sanguinem à Christo effusum fuisse Verbo vnitum ante effusionem, & mansisse vnitum post effusionem, donec à Christo planè dimissus est, vt contigit illis sanguinis guttis, quas Christus resurgens reliquit in terris nunquam ampliùs assumendas. Probabile autem est aliquas reliquisse in clauis, spinis, & aliis passionis reliquiis. Non enim verum puto quod ait Vasques disput. 36. cap. 8. nu. 42. Sanguinem in reliquiis passionis relictum, fuisse subitò mutatum in aliam substantiam rubri coloris, quæ sola remanserit in prædictis reliquiis. Vnde enim tam subita mutatio? Non certè naturaliter, vt per se notum est. Miracula autem non sunt hic multiplicanda sine necessitate, vt idem monet num. 43. Postquam ergo illæ sanguinis particulæ fuerunt penitùs à Christo dimissæ in resurrectione, & reipsa seu in executione separatæ ab aliis resumptis; desierunt vniri Verbo, cui non vniebantur nisi in ordine ad humanitatem, & tanquam eius partes. Quemadmodum ante passionem desierunt esse vnitæ Verbo partes illæ corporis Christi, quæ numquam ampliùs assumendæ relinquebantur, vt pili decidentes, vngues resecti, sanguis & spiritus vitales consumpti per vitales operationes, caro præputij abscissa in circumcisione, & Romæ asseruata in Basilica Lateran. Quod autem refertur ex Damasceno, *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, nusquam ab illo sic pronunciatum est: sed cap. illo 27. tantùm ait, licet per mortem anima fuerit separata à corpore, vtrumque tamen mansisse Verbo vnitum. Eoque sensu axioma illud commune intelligendum est: quòd nimirum Verbum nunquam dimiserit animam semel sibi vnitam, neque corpus moraliter sumptum prout idem numero mansit, non obstante aliqua partium variatione: ac neque partes ipsas dimisit quamdiu fuerunt Christi partes actu vel potentia, vt de sanguine diximus. Humanitatem verò ipsam dimisit sine dubio in triduo mortis, quo tempore illa non fuit: & similiter dimisit particulas corporis quæ per diminutionē effluebant & peribant, quando nudis pedibus ambulabat, & manibus laborabat ante annum trigesimum; quando nutriebatur & patiebatur à reactione cibi, quando consumebat spiritus vitales & animales, fatigabatur, sudabat, & alia nobis similia patiebatur.

Vasquez.

Sanguis relictus & nūquam resumēdus desiit esse vnitus Verbo.

SECTIO VI.

Quo ordine Verbum assumpserit humanitatem, & eius partes?

59. *Ordo triplex.*

NOta primò, triplicem esse ordinem de quo quæstio proposita moueri potest. Primus est ordo temporis, quo vnum aliud

præcedit duratione, seu priùs alio existit. Secundus est ordo intentionis, quo vnum est alteri ratio cur appetatur, aut cadat sub volũtatem. Vt quando volumus mediũ propter finem. Finis enim priùs intenditur, quàm medium, quod non appetitur nisi dependenter à fine, id est, propter finem. Tertius est ordo executionis, quo vnum alio prius est, aut fit, naturâ saltem, ob dependentiam aliquam vnius ab alio in ipsa existentia, & non solùm in intentione operantis. Putà, quia vnum est physicè causa alterius, vel est via & dispositio ad illud.

60. Non fuit [ordo] tẽporis in assumptione.

De primo ordine nulla est controuersia inter Catholicos. Est enim de fide non fuisse ordinem temporis in assumptione humanitatis, & omnium eius partium quæ extiterunt in instanti generationis: sed hæc omnia fuerunt simul tempore eodemque instanti assumpta. Nam humanitas Christi fuit assumpta in ipso vtero Virginis, primo scilicet instanti, quo extitit, vt contra Cherinthum & Nestorium definitum fuit in Concilio Ephes. can. 13. Corpus quoque & anima non præextiterunt generationi, & vnioni hypostaticæ, vt contra Origenem & alios hæreticos definitur ibidem, & in VI. Synodo generali actione XI. in Epist. Sophronij, quæ approbatur actione XIII. Dixi autem, *partes quæ extiterunt in instanti generationis*: quia partes aliæ, quæ deinde accesserunt per aggenerationem & nutritionem, non fuerunt vnitæ in primo instanti generationis, quippe quæ tunc non erant: sed postea fuerunt vnitæ, cùm primùm partes humanitatis Christi factæ sunt.

VI. Synod.

61. Fuit tamen ordo intentionis.

De secundo ordine conuenit inter Theologos fuisse ordinem intentionis in assumptione humanitatis & eius partium. Nam corpus propter animam assumptum est, & anima propter mentem nobilissimam eius partem. Corpus verò & anima propter humanitatem. Quare humanitas fuit prior in ordine intentionis diuinæ, quia fuit ratio motiua cur Verbum corpus & animam assumeret. Et similiter anima fuit prior corpore, quia fuit ratio motiua propter quam corpus assumptum est à Verbo. Ratio est, quia Verbum assumpsit id quod erat minùs perfectum, propter id quod erat perfectius. Ergo assumpsit corpus propter animam; & animam propter mentem, nobilissimam eius partem: id est, assumpsit animam quia erat rationalis & intellectualis. Mentem denique propter humanitatem: quia illud quod per se primò intentum fuit in hoc mysterio, est vt Verbum fieret homo. Quare assumptio totius humanitatis fuit per se primò intenta: partes verò assumptæ sunt propter humanitatem, quia ad illam componendam sunt necessariæ. Legatur S. Thom. qu. 6. art. 1. & sequentibus.

S. Thom.

62. Difficultas est de ordine executionis.

De tertio ordine, nempe executionis, magna est controuersia, obscura, & perplexa apud auctores. Quæ vt explicetur,

Nota secundò, medium executionis in assumptione multiplex posse intelligi. Vnum est medium necessitatis, sine quo scilicet assumptio fieri nequiuerit. Alterum est congruitatis: sine quo fieri quidem potuerit, sed non adeo conuenienter. Et rursus medium necessitatis potest intelligi, vel respectu ipsius substantiæ rei, id est, respectu assumptionis ipsius, & incarnationis secundum se: vel respectu finis alicuius ad quem refertur, putà, respectu satisfactionis & redemptionis. Tertiò, vtrumque medium, siue necessitatis, siue congruitatis, diuiditur in medium *quod*, & medium *quo*. Prius est illud quod priùs natura assumitur, vt mediante illius assũptione aliud assumatur. Posterius est illud quod non priùs quidem assumitur, sed tamen præparat & disponit aliud vt assumatur. Ita vt istud pendeat ab illo, non vt assumpto, sed vt præparante & disponente ad assumptionem alterius. Quartò denique medium vnum est distantiæ, seu colligantiæ, vt loquitur Richardus in 3. dist. 2. art. 2. qu. 2. ad 1. nempe quod est commune vinculum inter ea quæ vniuntur, vt gluten inter duo agglutinata: Alterum dicitur vnionis, seu assumptionis, quod nempe est ratio assumendi aut vniendi aliud. Ricard.

63. Perfecta corporis organizatio præiuit vnioni hypostaticæ.

His præmissis, Dico primò perfectam corporis organizationem (quæ vt docent communiter Theologi cum D. Thom. quæst. 33. facta est in instanti, per infinitam virtutem Spiritus sancti, concurrente obedientialiter Beata Virgine) perfectam, inquam, organizationem, non modò accidentalem per dispositiones, sed & substantialem per formas partiales carnis, ossis, neruorum, & aliarum partium dissimilarium, fuisse medium *quo* respectu assumptionis corporis. Probatur, quia corpus non fuit assumptum à Verbo, nisi quia erat corpus humanum, habens ordinem ad animam rationalem, vt ait S. Thom. qu. 6. art. 1. in corpore. Humanum, inquam, saltem perfectè, & proximè aptum ad recipiendam animam rationalem. Atqui fuit tale per organizationem perfectam modò explicatam: quare organizatio perfecta fuit illi causa, velut dispositio prærequisita, vt assumeretur à Verbo hypostaticè. Quod autem est alteri dispositio, vt assumatur, est naturâ prius illius assumptione, tanquam medium executionis ad illam: ergo &c.

Notandum tamen, medium illud fuisse tantùm *medium quo*. Nam dispositiones illæ, & formæ partiales organicæ non fuerunt priùs assumptæ quàm corpus: imo ne fuerunt quidem assumptæ. Item fuit illud medium tantùm congruitatis. Nam absolutè poterat corpus assumi sine tam perfecta dispositione: quemadmodum mansit etiam vnitum hypostaticè in triduo mortis Christi, dispositione illa corrupta. Vnde tertiò collige, medium illud non fuisse ad conseruari simpliciter, sed ad fieri assumptionis, vt docet S. Thom. quæst. 6. art. 1. ad 3. Potest autem quidpiam pendere ab aliquo in fieri, à quo 64.

non pendeat in conseruari. Sicut, inquit S. Thom. ibidem, amicitia duorum potest in fieri pendere ab aliquo tertio cuius interuentu fit; & non pendere in conseruari, quia eo remoto permanet. Sic Eucharistia pendet in fieri à physica prolatione Verborum, & à præsentia Sacerdotis consecrantis; à quibus non pendet in conseruari.

65. Vnio corporis cum anima fuit medium quo, vt assumeretur corpus.

Dico secundò, vnionem corporis cum anima fuisse quoque *medium quo*, respectu assumptionis corporis, adeo vt ordine executionis corpus fuerit naturâ priùs vnitum animæ, quàm hypostasi Verbi. Ita expresse affirmat S. Thom. qu. 6. art. 4. ad 3. vbi sic habet: *Prius secundum intellectum oportet quòd caro vniatur animæ, quàm Verbo: quia ex vnione ad animam habet quòd sit vnibilis Verbo in persona.* Et art. 1. in corpore, ait, carnem fuisse assumptam mediante anima, non solùm secundum ordinem dignitatis, sed etiam causalitatis, eo modo, quo causa est prior naturâ effectu: quia, inquit, ipsa anima est aliqualiter causa carnis vniendæ Filio Dei. Non enim esset assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quem habet quòd sit caro humana. Ex quibus verbis D. Thomæ hanc rationem colligo: Id quod est alteri dispositio vt assumatur, est naturâ prius illius assumptione, & medium ordine executionis. Atqui vnio corporis cum anima est illi dispositio vt assumatur à Verbo: Ergo vnio corporis cum anima est naturâ prior assumptione corporis à Verbo, & medium assumptionis corporis secundum ordinem executionis. Huc pertinet quod ait Concilium Ephesinum can. 13. Verbum sibi copulasse carnem animatam anima rationali. Quod in sententia nostra verum est in sensu formali, & magis proprio.

66. Dixi autem fuisse *medium quo*, non *quòd*: neque enim vnio corporis cum anima fuit prius assumpta, imò neque anima ipsa, vt dicam paulò post. Item fuit dumtaxat medium congruitatis respectu substantiæ assumptionis. Neque enim vnio illa fuit simpliciter necessariò prærequisita, vt corpus assumeretur; sed tantùm vt magis conuenienter assumeretur iam ab anima informatum, factumque viuum & perfectè humanum. Absolutè enim & sine indecentia poterat assumi sine prævia vnione cum anima, sicut in triduo mortis Christi mansit vnitum Verbo, facta dissolutione vnionis cum anima. Ad finem tamen satisfactionis, necessarium fuit assumi naturam intellectualem, quæ per suas liberas operationes satisfaceret; neque enim hoc poterat præstare corpus rationali anima destitutum. Sed non propterea corpus debuit necessariò prius vniri animæ, quàm hypostasi Verbi. Item vnio cum anima, & anima ipsa, fuit quidem medium necessarium vt assumeretur corpus quà viuum & perfectissimè humanum; quia per animam rationalem sibi vnitam constituitur in tali esse: at non debuit necessariò præsupponi vt corpus assumeretur simpliciter. Consentiunt in hanc sententiam cum D. Thoma omnes antiqui Theologi, vt testatur Vasq. disp. 37. num. 46. quæ idcirco tum propter consensum Theologorum, tum propter rationem allatam valde probabilis est. Ex qua sequitur, corpus fuisse assumptum mediante anima, non solùm ordine intentionis: sed etiam executionis; quatenus anima corpori vnita, fuit illi ratio & dispositio vt congruentiùs assumeretur. Vasq.

67. Vnio animæ cum corpore nō fuit mediū quo respectu animæ.

Dico tertiò, vnionem animæ cum corpore non fuisse vice versa medium animæ vt assumeretur à Verbo: neque etiam priùs ordine executionis fuisse assumptam animam, quàm corpus: aut corpus, quàm animam: aut animam secundum mentem, id est, secundum gradum intellectualem, priùs quàm secundum partem inferiorem & sensitiuam, quæ simpliciter anima dicitur. Ratio primæ partis est, quia anima non est assumpta mediante corpore, tanquam illam disponente, & aptam reddente ad vnionem: cùm potiùs corpus acceperit illam dispositionem & aptitudinem perfectam ab anima, quæ seipsa erat satis apta & disposita. Neque fuit aliud genus causalitatis physicæ, vel præsuppositionis inter animam & vnionem cum corpore, respectu assumptionis animæ, vt patebit refutando contrarias opiniones.

68. Secunda pars probatur: quia licet anima, eiusque vnio cum corpore, fuerit ipsi corpori medium vt assumeretur à Verbo: non tamen eiusdem animæ assumptio. Neque enim per illam factum est corpus perfectè humanum & viuum, aptumque vt conuenientiùs assumeretur. Nec similiter assumptio corporis, respectu animæ: nec partis rationalis animæ, respectu sensitiuæ: sed hæc omnia concomitanter se habuerunt sine vlla causalitate, vel præsuppositione vnius assumptionis ad aliam. Et quamuis sicut anima corpori, sic pars rationalis animæ fuerit parti inferiori ratio cur assumeretur: Non propterea tamen debuit assumptio animæ quà rationalis, præire assumptioni eiusdem quà sensitiuæ: vt neque assumptio animæ assumptioni corporis. Aliud enim est res ipsa, & aliud eius assumptio. Neque cui præsupponitur res, præsupponitur eiusdem rei assumptio, nec dici debet præsupponi, nisi reperiatur aliquis ordo causalitatis, vel dependentiæ in executione, qui inter prædictas assumptiones non fuit, vt patebit ex sequentibus.

69. Partes fuerūt mediū quòd respectu totius humanitatis.

Dico quartò, fuisse ordinem executionis inter partes & totam humanitatem, ita vt partes fuerint naturâ priùs assumptæ tanquam *medium quòd*. Ita D. Thom. qu. 6. art. 5. ad 1. cuius verba sunt: *Verbum assumendo partes humanæ naturæ, assumpsit totam humanam naturam, & sic assumptio partium est prior in via operationis* (id est, ordine executionis) *intellectu* (id est, naturâ) *non tempore. Assumptio autem naturæ est prior in via intentionis.*

Idem communiter Thomistæ, Suares, Maratius, & alij plures ad articulum citatum. Ratio est, quia tota humanitas non fuit vnita hypostaticè Verbo, nisi per vnionem hypostaticam ad corpus & animam rationalem, quæ loco propriæ & naturalis subsistentiæ acceperunt diuinam, quâ subsistunt tum simul ad inuicem vnita in composito, tum separata à se inuicem, vt in triduo mortis. Sicut ergo esse totius humanitatis pendet in esse suo naturali à partibus sigillatim sumptis, vel simul sine vnione, eo quòd existat in esse totius, & fiat humanitas ex partium vnione & coniunctione ad inuicem: sic esse hypostaticum totius humanitatis pendet ex esse hypostatico partium singularum, eò quòd fiat tale, & existat in esse totius hypostatici, ex assumptione hypostatica partium, accedente vnione naturali earumdem inter se.

SECTIO VII.

Refutantur contrariæ sententiæ.

70. Prima sententia contraria Durandi.

CONtrarium sentit primò Durandus in 3. distinct. 2. qu. 2. affirmans nullum à parte rei fuisse ordinem in assumptione humanitatis, & eius partium: sed tantùm esse penes nostram considerationem, ordinantem res illas propter diuersum gradum nobilitatis, quem in illis agnoscit, & propterea quòd fructus incarnationis, qui est redemptio, magis ad vnam quàm ad aliam pertinet. Fundamentum Durandi est, quia non potest esse ordo à parte rei, neque ex parte assumptionis, neque ex parte ipsarum rerum assumptarum. Non primum; quia vbi non est distinctio à parte rei inter plura, non potest esse ordo à parte rei. Est enim ordo habitudo plurium ad vnum primum. Atqui non est distinctio à parte rei ex parte assumptionis: quia vnica tantùm est assumptio totius & partium. Non etiam secundum: quia ordo secundum rem non potest esse inter ea quæ sunt idem secundum rem. Atqui totum & partes vt assumptæ, sunt idem secundum rem, quia non fuerũt assumptæ quatenus separatæ inter se, sed quatenus vnitæ: partes autem, vt vnitæ, sunt ipsum totum secundum rem: ergo &c..

71. Refutatur.

Respondeo, esse realem distinctionem, & ex parte assumptionis, & ex parte ipsarum rerum, inter assumptionẽ corporis & animæ. Differũt enim realiter illæ partes inter se: & assumũtur assumptione partiali diuersa à parte rei. Alia enim est assumptio animæ, & alia corporis, quæ fuerunt sigillatim assumpta secundũ suas entitates realiter distinctas. Vnde destructa vnione mutua, manserunt nihilominus vnita Verbo in triduo mortis eadem vnione, quæ per mortem dissolui non potuit. Humanitas verò, licet non differat realiter, aut ex natura rei, à partibus vnitis simul sumptis, & inter se iunctis; differt tamen ab illis seorsim sumptis, & seorsim Verbo vnitis. Neque vi illius vnionis vnitur ipsa Verbo, nisi accedente vnione mutua partium inter se, quæ vnio est naturâ posterior partibus, & diuersa ab vnione partium ipsarum cum Verbo, estque aliquid quod non est in natura partium præexistentium natura priùs, etiam vt Verbo vnitarum. Quare fundamentum Durandi vtraque ex parte falsum est. Et, quod amplius est, potest in ipsum retorqueri. Nam si, vt ipse vult, assumptio facta est ad partes vt vnitas, quæ sunt ipsummet totum formaliter, etiam conceptu & ratione; ergo non potest esse ordo dignitatis inter totum & partes vt assumptas. Quia vbi non sunt plura, non est ordo. Neque partes vt assumptæ potuerunt referri ad totum velut aliquid nobilius & magis pertinens ad fructum redemptionis: quia partes simul sumptæ vt vnitæ, sunt re & ratione ipsum totum formaliter: adeoque non sunt aliquid ignobilius aut minùs pertinens ad fructum redemptionis. Sin autem assumptio facta est ad partes humanitatis sigillatim: non tantùm fuit ordo rationis secundum intellectũ inter totum & partes quoad assumptionem: sed etiam realis. Totum enim differt realiter à singulis partibus, & ex illis, vt naturâ prioribus, existit per compositionem realem, estque realiter perfectius qualibet parte.

Secundò, Gabriel in 3. dist. 1. qu. 2. conclusione 3. & Almainus dist. 1. qu. 2. concl. 3. & dub. 1. post 3. conclusionem, censent esse probabile vnionem hypostaticam fuisse factam immediatè ad solam animam rationalem; corpus autem non fuisse vnitum hypostaticè secundum se, sed tantùm per animam rationalem tanquam medium *quòd*, & medium distantiæ, seu vinculum intermedium. Verùm pro certo habendum est, corpus, æquè ac animam, fuisse vnitum immediatè *vt quod*, secundum seipsum, & non tantùm remotè per aliud. Et doctrina Gabrielis tanquam periculosa & erronea meritò reiicitur ab omnibus aliis Theologis, teste Suare d. 17. sect. 4. §. *Dico secundò*. Pro certo enim habendum est, corpus in triduo, imò & sanguinem à Christo effusum, mansisse vnitum hypostaticè. De sanguine id ostendimus sect. 4. De corpore patet à fortiori: magis enim & principaliùs ad hominem pertinet corpus, quàm sanguis. Quare si sanguis secundum se fuit assumptus tanquam pars naturæ humanæ, mansitque vnitus in triduo mortis, multò magis corpus. Si autem fuisset vnitum mediatè tantùm & remotè per animam, non mansisset vnitum hypostasi Verbi, postquam fuisset auulsum ab anima. Sicut in catena, annulus A, iunctus annulo B, mediante annulo intermedio C, non manet vnitus annulo B, rupta vnione cum annulo C. 72. 2. Sententia contraria Gabrielis & Almaini. Reiicitur vt erronea. Suarez. Corpus fuit immediatè vnitum hypostaticè.

Quod autem respondet Gabriel quæst. illa 2. conclusione 3. ad 8. Corpus mansisse 73.

vnitum, non per vnionem sibi inhærentem, sed per gratiam vnionis inhærentem animæ Christi: Nam, inquit, caro Christi mortua in sepulchro, quia non fuit aliâ formâ substantiali specificâ informata; adhuc dependebat immediatè ad animam, inclinatione naturalis appetitus, quo materia inclinatur ad formam: & mediante anima, ad suppositum diuinum cui anima fuit vnita, non minùs quàm si fuisset animæ coniuncta. Hoc, inquam, friuolum & falsum est, maléque confirmatum testimonio Alexandri Alensis quod perperam mox ibidem Gabriel citat. Nam corpus mortuum non habet naturalem inclinationem ad resumendam animam, magis quàm corpora brutorum mortua ad animarum suarum resumptionem: Multóque minùs ad vnionem hypostaticam, quæ est illi supernaturalis, æquè, ac magis, quàm resurrectio. Et quamuis haberet, non propterea dependeret immediatè ab anima; sicut corpora brutorum non penderent immediatè ab anima sua destructa, quamuis ad illam inclinarentur. Aliud enim est inclinari ad aliquid; & aliud, pendere ab illo, præsertim suppositaliter. Deinde habere inclinationem naturalem ad aliquid vnitum hypostasi Verbi, non est propterea esse vnitum hypostasi Verbi. Estque euidenter impossibile, corpus Christi esse verè vnitum hypostasi, nisi vel illi sit vnitum immediatè secundum se per vnionem sibi inhærentem, seu potiùs identificatam: vel sit vnitum mediatè per aliud, cui ipsum vniatur, & hoc vniatur hypostasi. At in triduo mortis Christi neutrum fuit, iuxta sententiam Gabrielis: quia neque caro Christi mortua fuit vnita immediatè secundum se: neque mediatè per animam, quia caro non erat animæ vnita. Quare licet tunc anima esset vnita hypostasi, non tamen caro erat vnita hypostasi per animam; quandoquidem caro non erat animæ vnita, & non poterat vniri hypostasi per animam, nisi ipsi animæ vniretur, velut communi vinculo inter carnem & hypostasim. Denique vel corpus Christi habebat tunc propriam suam partialem & naturalem subsistentiam creatam, ita vt in se sisteret, & seipso terminaretur: vel non habebat. Si primum: non erat vnitum hypostaticè. Si secundum: ergo diuina hypostasis supplebat eius subsistentiam, ipsumque immediatè complebat vltimò & terminabat secundum existentiam. Notandum enim iuxta veram sententiam ipsiusmet Gabrielis, Suaris, & aliorum loco infra citando, partes humanitatis habere suam partialem subsistentiam, & quidem naturalem, si non habent diuinam.

74. 3. Sententia opposita Suaris, corpus & animam fuisse prius vnita hypostasi

Tertiò, Suarez disput. 17. sect. 1. & sequentibus, censet corpus & animam fuisse priùs ordine executionis vnita hypostaticè, quàm vnita inter se. Ita vt fuerint vnita hypostaticè separatim & sigillatim, in signo rationis priori vnione naturali, quam ad inuicem habent per generationem: Et ex huiusmodi vnionibus hypostaticis sigillatim factis, priorem fuisse vnionem hypostaticam seu assumptionem corporis, quàm animæ. Probat primò & præcipuè, quia corpus fuit assumptum à Verbo eo instanti, quo debuisset habere propriam subsistentiam. Atqui debuisset habere propriam subsistentiam priùs naturâ, quàm anima crearetur; quia corpus organicum perfectè dispositum supponitur naturâ priùs productioni animæ, quæ propter eius exigentiam naturalem producitur, atque in eo priori exigit habere perfectum & naturalem existendi modum, velut sibi magis intimum & connexum, adeoque priorem ex parte subiecti, quàm sit anima rationalis: ergo priùs quoque subsistit per subsistentiam Verbi, adeóque priùs assumptum fuit. Similiter anima substitit per Verbum naturâ priùs quàm corpori vniretur, & quàm esset humanitas quæ per talem vnionem existit. Nam prius natura est creari animam & esse, quàm vniri corpori: esse, inquam, completè modo essendi seu existendi connaturali, qui est subsistere, nisi loco illius substituatur aliud esse hypostaticum. Nam ille modus essendi est prior naturâ ex parte subiecti, tanquam magis intimus & connexus animæ, quàm modus vnionis cum corpore: ergo anima fuit naturâ priùs vnita Verbo, quàm humanitas. Probat 2. Quia naturâ prius est creari animam, quàm vniri corpori. Creatur autem vt subsistens. Nam creatio terminatur ad rem subsistentem, sicut eductio ad rem inhærentem. Subsistit autem per hypostasin Verbi loco naturalis subsistentiæ: ergo priùs natura fuit assumpta hypostaticè, quàm corpori vnita. Item corpus natura priùs quàm vniatur animæ, & quàm anima creetur, est subiectum dispositionum quibus organizatur. De ratione autem subiecti est vt sit subsistens. Ergo naturâ priùs corpus fuit subsistens, quàm vniretur animæ. Non fuit autem subsistens illo instanti per subsistētiam propriam. Ergo per hypostasim Verbi: Sed hæc argumenta non satis efficaciter concludunt id quod Suares intendit. Ad primum enim Respondeo non esse verum, vnionem hypostaticam, vel hypostasim Verbi diuini, habere eundem ordinem prioritatis ex parte subiecti, quem habet naturalis & propria hypostasis respectu corporis & animæ rationalis. Contrarium enim satis euidenter ostendimus disp. 4. sect. 2. num. 12.

Verbi, quā inter se.

Ad secundum Respondeo, creationem non terminari ad rem subsistentem quà subsistentem, id est, quoad illum modum se habendi; sicut neque eductio ad rem inhærentem quà talem: sed eductio terminatur formaliter ad entitatem rei productæ ex materia concurrente: & creatio terminatur ad simplicem entitatem rei ex nihilo productæ. Modus autem ille subsistendi non fit ex nihilo, sed est rei præexistentis, naturâ vel ratione priùs, modificatio. Et quidem manifestum est, hypostasim diuinam non fuisse 75. Respōdetur illius argumentis.

creatam, quando creata fuit anima Christi. Est enim ab æterno, & incapax creationis. Et quamuis ex parte subiecti priùs sit animam à Deo creatam habere modum subsistendi, si habet proprium & connaturalem: secus tamen alienum & supernaturalem, qui non habet eundem ordinem prioritatis ex parte subiecti, vt iam diximus, & probauimus loco suprà citato.

76. Instantia Suaris repellitur. Instat Suares sect. 1. §. *Vnde sumitur*, quia si in aliis hominibus anima naturâ priùs subsistit, quàm corpori vniatur: ergo vt in Christo impediatur ne habeat propriam subsistentiam, debet habere diuinam in eodem priori. Ergo necesse est vt in illo assumatur.

Respondeo, sufficere quòd assumatur eodem instanti temporis: vt autem fit in eodem priori ex parte subiecti, in quo esset propria subsistentia, est plane impossibile, vt ostendimus disput. & sect. supra citata.

Alia instantia reiicitur. Dices, licet non habeat eundem ordinem prioritatis ex parte subiecti, conueniens tamen fuit corpus & animam priùs compleri in esse suo substantiali per hypostasim diuinam, loco propriæ subsistentiæ, quàm vniri inter se. Atque ita meliùs explicatur quomodo Beata Virgo fuerit verè ac propriè Mater Dei, concurrendo ad generationem Christi per vnionem partium iam hypostaticè vnitarum; ita vt eodem instanti rationis, seu naturæ, quo fuit Mater, fuerit etiam Mater Dei, neque priùs filium habuerit, quàm Filium Deum: cùm non priùs intelligatur constituta humanitas, quàm homo-Deus.

77. Respondeo, complemẽtum illud esse prorsus impertinens ad vnionem naturalem partium inter se: ideóque non debuisse præsupponi velut dispositionem ad illam. Contra verò, debuisse potiùs disponi corpus, & reddi aptius ad vnionem hypostaticam, per vnionem cum anima, quâ fit viuum & perfectè humanum. Decuit enim Verbum diuinum tale corpus assumere. Fuit autem Beata Virgo Mater Dei nihilominus verè ac propriè, quia præstitit erga Christum quidquid aliæ Matres erga filios præstant, vt alibi exposuimus: Et, vt affirmat ipse Suares disp. 8. sect. 1. §. *Ad argumenta primæ sententiæ*, vt Beata Virgo dicatur concepisse Deum, satis est quòd eius actio vel conceptio in eodem instanti (temporis scilicet) ad Deum terminata sit: quia conceptio & generatio, sicut & creatio, denominat vltimum terminum, & propriè tribuitur rei subsistenti. (Suarez.)

Ad tertium Suaris argumentũ Respondeo, non esse de ratione subiecti vt sit subsistens, sed vt sit id ex quo alterum educitur, aut cui inhæret. Et quædam sunt subiecta quæ non subsistunt. Vt quantitas, iuxta Suarem, aliosque multos, est subiectum aliorum accidentium materialium: & humanitas priuata omni subsistentia esset nihilominus subiectum suorum accidentium & operationum. Neque enim propterea maneret otiosa, cùm subsistentia non sit ratio agendi aut recipiendi, neque conditio ad id simpliciter necessaria: vt patet ex multis quæ agunt, aut recipiunt, tametsi non subsistant, vt animæ brutorum, & aliæ formæ materiales.

At obiicit Suares disp. 17. sect. 2. §. *Dico 2.* S. Thomam quæst. 6. art. 5. ad 1. dicere, ordine executionis partes priùs naturâ esse assumptas, quàm totam humanitatem: Ex quo, inquit Suares, apertè sequitur secundum eundem ordinem executionis carnem priùs naturâ esse assumptam, quàm informatam anima. Quia si priùs deberet informari, & media hac informatione assumi: cùm per illam informationem constituatur humanitas tota, necessariò priùs natura esset assumenda humanitas tota, quàm caro. 78. Soluitur altera obiectio.

Respondeo, id nullo modo sequi. Licet enim per illam informationem constituatur humanitas tota; tamen assumptio totius humanitatis non præsupponitur naturâ priùs assumptioni carnis, sicut vnio carnis cum anima: sed potius est naturâ posterior, tanquam resultans ex illa vnione carnis cum Verbo, iuncta altera vnione partiali animæ cum eodem Verbo, & vnione naturali carnis & animæ inter se.

Quartò denique Vasques disp. 39. cap. 3, post Scotum & Almainum in 3. dist. 2. censet priùs ordine executionis fuisse assumptam humanitatem, quàm eius partes. Primò, quia nulla est in partibus humanitatis per se sumptis subsistentia, sed vnica est totius subsistentia indiuisibilis & simplex, ac per se primò & immediatè toti conueniens, vt docent omnes antiqui Philosophi. Ergo vnio hypostatica est per se primò, & immediatè ad humanitatem cui dat subsistere: ad partes verò, tantùm consequenter & dependenter ab vnione hypostatica totali & indiuisibili humanitatis totaliter sumptæ. Quare ordine executionis priùs naturâ est vniri partes inter se, & constituere humanitatem, quàm vniri hypostaticè per humanitatem, quatenus illam constituunt, & dependenter ac consequenter ad illius constitutionem. Quartò, addi potest, quòd si partes ordine executionis fuerunt naturâ priùs vnitæ Verbo, quàm humanitas: vel humanitas fuit vnita Verbo alia noua vnione in posteriori naturæ, vel non. Si primum: ergo cùm humanitas non sit aliud in re, quàm partes ipsæ vnitæ inter se; partes fuerunt bis Verbo vnitæ, & bis terminatæ ipsius subsistentiâ. Si secundum: ergo humanitas per se & formaliter sumpta non fuit vnita Verbo, nisi remotè & mediatè, ratione partium. 79. 4. Sentẽtia opposita Vasquis, humanitatem fuisse priùs assumptam, quàm eius partes.

Ad primum Respondeo, negando antecedẽs. Verius enim est quod docet Suarez disput. 34. Metaphys. sect. 5. post Richardum, Altisiodorensem, Heruæum, Capreolum, Gabrielem, & alios quos citat, quamlibet partem hominis subsistere & modificari per suam partialem subsistentiam. Etenim corpus, & anima rationalis, seipsis per 80. Refutatur, & primo eius argumento respondetur.

se stant naturaliter, etiam tunc cùm separantur à se inuicem. Ergo subsistunt propria & partiali subsistentia, quam tunc retinent. Est enim subsistentia modus proprius & connaturalis, ac naturaliter inseparabilis rei cuiuslibet aptæ stare per se independenter ab alio vt sustentante, vel vt suppositante. Neque propterea corpus & anima seorsim sunt suppositum aut persona. Quia nomen suppositi aut personæ, est nomen totius. Subsistere autem latiùs patet, & abstrahit à toto, vel à parte, vt alibi probauimus, præcipuè ex D. Thom. qui variis locis affirmat animam rationalem, etiam in composito, esse subsistentem. Ait etiam creationem terminari ad rem subsistentem, cuius proprium est esse: cùm alia potius coëxistant & inexistant: ex quo sequitur materiam, & animam rationalem, quæ fiunt seorsim per creationem, subsistere quoque seorsim, id est, per se sigillatim, iuxta sententiam D. Thomæ.

Corpus & anima rationalis habent suas partiales subsistentias in toto.

D. Thom. 1. p. qu. 75. a. 2. & qu. 45. art. 4.

81. *Cõfirmatur responsum.*

Confirmatur secundò, Quia si subsistentia naturalis hominis est vnica, simplex, & indiuisibilis, vt volunt Aduersarij: vel est spiritualis, vel materialis. Si spiritualis: ergo totum adæquatè non subsistit per illam formaliter: quia totum ex parte materiale est: ergo distinguitur realiter à subsistentia illa spiritali: ergo non subsistit formaliter per illam, quia subsistentia naturalis est simplex quidam modus se habendi, non distinctus realiter à re subsistente, vt alibi ostendimus. Si autem dicitur esse materialis, redit idem argumentum ex parte animæ. Nam totum ex parte illa, spirituale est: ergo non potest subsistere adæquatè per aliquid materiale. Potiùs ergo dicendum est corpus humanum subsistere naturaliter vi propria, similiterque animam rationalem, quando sunt vnita inter se: quemadmodum etiam subsistunt naturaliter post separationem: Vnde subsistunt independenter ab huiusmodi vnione, ac priùs illâ: quia vi propria id habent vt complementum naturale propriæ entitatis, & modum proprium existendi magis intimum & quasi magis connexum cum illis magisque inseparabilem, quàm sit vnio mutua, quâ pereunte, retinent tamen modum illum essendi per se. Eius autem loco corpus & anima Christi acceperunt vnionem hypostaticam, quam in triduo mortis retinuerunt dissoluta vnione animæ cum corpore. Vnde non leue sumitur argumentum contra Vasquem. Si enim vnio hypostatica partium facta esset consequenter ac dependenter à toto, per se primò & immediatè vnito; non mansisset pereunte toto.

82. *Refellitur euasio.*

Quod autem Vasques respondet, periisse priorem vnionem, & nouam partium vnionem substitutam fuisse: gratis dicitur, & studio tantùm tuendi opinionem malè anticipatam. Nec conuenit cum doctrina Patrum, S. Leonis serm. 9. de Natiuit. & serm. 17. & 19. de Passione, Bernardi lib. 5. de considerat. cap. 10. & aliorum affirmantium mansisse priorem vnionem indissolubilem, fuisseque fortiorem vnione animæ cum corpore. Quod verò alij dicunt, vnionem partium pependisse in fieri ab vnione totius, non autem in conseruari: friuolum est. Nam si in Christo non est vnio partium hypostatica, nisi ratione vnionis hypostaticæ totius humanitatis à qua partes denominantur vnitæ; impossibile est manere hanc denominationem, pereunte vnione totius: sublato enim fundamento denominationis, perit denominatio. Et quod non est vnitum, nisi per vnionem alterius; non manet vnitum pereunte illius vnione.

Leo. Bernard.

Ad secundum argumentum suprà propositum pro Vasquis opinione, Respondeo humanitatem non fuisse vnitam Verbo alia vnione, quàm partium ipsarum: eoque sensu partes dici naturâ priùs vnitas Verbo, quatenus tota vnio hypostatica humanitatis existit ex vnionibus partium suarum ad Verbum: sicut quodlibet totum existit ex partibus quibus constat, quæ idcirco dicuntur esse naturâ priores toto. Nec obest quòd corpus priùs vniatur animæ, quàm Verbo, vt suprà diximus cum D. Thom. Hoc enim non impedit quin assumptio totius humanitatis pendeat à singulis assumptionibus partium, vt ex illis existens. Neque propterea vnitur humanitas Verbo remotè tantùm & mediatè; quia est proximè & immediatè vnita per partes quibus constat formaliter, & quæ sunt ipsamet humanitas, quæ non est aliter assumptibilis, quàm per illas. Nam vnio naturalis partium inter se non est assumptibilis formaliter, & vt sic, quoad id quod addit partibus, re vel ratione distinctum: cùm non sit capax subsistentiæ. Non est autem aliud in humanitate præter partes & vnionem: & vt dicatur vnita esse humanitas, sufficit eius partes esse Verbo vnitas, & esse vnitas inter se. Neque enim est opus vniri partiales assumptiones, siue vniones, aliter quàm per vnionem terminorum seu extremorum quibus identificatur. Hoc enim ipso quòd vniuntur termini, vniuntur & ipsæ inter se sufficienter. Aliaque vnio formalis vnionum inter se, nihil faceret ad vnionem humanitatis cum Verbo, quæ non propterea magis illi vniretur.

83. *Soluitur secundum argumentũ.*

Humanitas non fuit vnita Verbo alia vnione, quàm partium ipsarum.

84. *Suarez.*

Contra hæc obiicit Suares dis. 17. sect. 5. hinc sequi non fuisse vnitam totam humanitatem vt est vna natura quæ distinguitur in re à suis partibus, etiam collectiuè sumptis, possuntque partes, etiam collectiuè sumptæ esse vnitæ Verbo, & non erit vnita humanitas, vt in triduo mortis Christi. Et quamuis humanitas partibus collectiuè sumptis nihil addat præter earum vnionem: hæc vnio tamen est aliquid substantiale pertinens ad constitutionem totius humanitatis. Assumpta est autem proximè & immediatè tota natura humana: Ergo & illa vnio fuit assumpta præter partes collectiuè sumptas. Secundò, in proprio supposito humano, sicut natura integra est vna; ita habet vnam subsistentiam, siue simplicem siue compositam ex par-

partialibus subsistentiis : ita tamen vt ipsa verè sit vna, saltem per compositionem. Ergo idem esse debet in præsenti mysterio. Hæc Suares sect. illa 5. §. *Primo quia*, &c. Qui paulò post, §. *Dico quartò*, addit animam & carnem, vt inter se vnitas, fuisse assumptas media humanitate, quæ per hanc vnionem vt perfectam, & completam, fuit per se primò vnita. Ita vt totum ipsum sit quasi medium secum necessariò afferens vnionem partium sub hac ratione : adeo vt non possint partes manere vnitæ sub hac ratione ad Verbum, nisi tota natura maneat vnita.

85. Satisfic alijs duob. argumẽtis. Sed ad primum Respondeo, totam humanitatem, prout est vna natura, fuisse vnitam Verbo quantùm est illi vnibilis hypostaticè : non est enim vnibilis hypostaticè, nisi per partes aptas subsistere. Et quamuis vnio partium ad inuicem debeat accedere vt fiant vna natura ; vnio tamen illa non est assumptibilis hypostaticè, nisi prout est ipsæ partes quibuscum identificatur.

Ad secundum Respondeò, illam subsistentiam esse vnam totalem & compositam eo ipso quòd partes vniuntur inter se, neque egere alia vnione & compositione. Est autè improbabile & inintelligibile id quod addit Suares. Nam si partes vnitæ & collectiuè sumptæ sunt ipsa humanitas, vt docet idem auctor in Metaphys. disp. 36. sect. 3. & verissimum est : quomodo potuerunt assumi sub illa consideratione, media humanitate? Idem enim non est medium respectu sui ipsius.

DISPVTATIO OCTAVA,

De composito facto ex persona assumente, & natura assumpta : deque eius vnitate, & communicatione idiomatum.



DE materia huius dispur. agit S. Thomas quæst. 16. & 17. In quarum posteriori affirmat Christum non rectè dici esse duo, sed vnum : quia est vnum suppositum, & vnica persona, licet constet duabus naturis. Cumque natura humana coniungatur Filio Dei hypostaticè, non autem accidentaliter : consequens esse quòd secundum naturam humanam non adueniat ipsi nouum esse personale, sed solùm habitudo noua esse personalis præexistentis (Verbi scilicet) ad naturam humanam : ita vt persona illa iam dicatur subsistere, non solùm secundum diuinam naturam, sed etiam secundum humanam.

In priori quæst. docet quomodo prædicata duarum naturarum possint de se inuicem, vel de Christo enunciari? Et Vtrum istæ propositiones sint veræ? Deus est homo: Homo est Deus: Christus est homo dominicus : Filius Dei factus est homo : Homo factus est Deus : Christus est creatura: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse : Christus secundum quod homo, est creatura : Christus secundum quod homo, est Deus: Christus secundum quod homo, est hypostasis vel persona. Quæ omnia sequentibus sectionibus explicanda sunt.

SECTIO I.

An compositum ex persona assumente, & natura assumpta, distinguatur in re à partibus simul sumptis & vnitis?

1. Conclusio negatiua.

RESPONDEO negatiuè. Probatur primò ex Symbolo Athanasij: *sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Et, quod ex eo sumpsit S. Augustinus epist. 57. ad Dardanum, *Sicut vnus homo est anima rationalis & caro, sic vnus Christus est vnum verbum & homo.* Hæc autem propositio asserta in Symbolo Athanasij, & ab Augustino, *Anima rationalis & caro est homo,* falsa esset, si totum distingueretur in re à suis partibus simul sumptis & vnitis. Quia, si distingueretur, non esset idem: Ergo verum esset dicere, anima rationalis & caro non est homo. Ergo falsa esset propositio ejus contradictoria, Anima rationalis & caro est homo. Nam duæ contradictoriæ non possunt simul esse veræ. Idemque dico de altera propositione locis citatis tradita, *Deus & homo vnus est Christus.* Similiterque falsum esset quod ait Paulus 1. Corinth. 12. v. 12. *Omnia autem membra corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus sunt.* Et v. 14. *Nam corpus non est vnum membrum, sed multa.*

Totum nō distinguitur à partibus vnitis simul sumptis.

Probatur secundò iisdem rationibus, quibus in physica probari solet totum non distingui à partibus simul sumptis & vnitis: nihil enim peculiare est in hoc mysterio quoad propositam quæstionem. Sunt autem illæ tres præcipuæ. 1. Quia positis & intellectis partibus simul sumptis & vnitis, ponitur & intelligitur totum, quocumque alio re vel ratione distincto circumscripto. Ergo totum nihil aliud est. Probo antecedens: quia impossibile est non esse & non intelligi totum quoddam, eo solo præcise quòd sunt, aut intelliguntur esse multa vnita physicè inter se, & constituentia vnum quoddam, nō simplici quidem vnitate, sed per vnionem & cōpositionem. 2. Si totum distinguitur in re à partibus simul sumptis & vnitis: vel distinguitur vt tertia entitas simplex: vel vt constās illis, & aliquid superaddēs. Non primum: quia totum constat intrinsecè multis partibus: ergo non est entitas simplex. Et euidens est hominem, leonem, lapidem, non esse simplices entitates, sed ex multis compositas. Non etiam secundum: tum quia illud additū est superfluum, vt antea ostendimus: tum etiā quia vel illud additum non componit cum partibus vnitis, neq; illis vnitur: & ita totū erit quoddam aggregatum per accidens ex multis nō coniunctis inter se. Vel si componit cum illis vt tertia entitas illis addita & coniuncta, debebit ex illa coniunctione & compositione resultare quarta entitas: de qua eadē quæstio redibit, & sic in infinitum. Argumenta enim, quibus Aduersarij probant totum compositum distingui à partibus simul sumptis & vnitis: idem probant de toto resultante ex partibus vnitis, & tertia illa entitate ipsis adueniente & cum illis vnita. 3. Totum per aggregationē nō distinguitur in re ab omnibus partibus simul sumptis & aggregatis, putà in vnum locum coaceruatis, vt cumulus lapidū, aut nummorum. Ergo nec totum per compositionem, à partibus simul sumptis & vnitis. Solùm enim est ea differentia inter hæc duo tota, quà talia, quòd in vno est vnio physica; in alio non est. Similiterque totum per accidens, seu compositum accidentale, nihil est aliud, quàm subiectum, & accidens ipsi inhærens, simul sumpta, & vnita per inhæsionem. Atque ita communiùs censent Philosophi & Theologi, quorum plurimos refert & sequitur Suar. disp. 36. Metaphys. sect. 3.

Contrarium tamen sentiunt D. Thom. & Scotus cum suis, & aliqui recentiores, inter quos erat vir doctissimus & de me optimè meritus, P. Gabriel Aporta in Manuscriptis de Incarnat. ad qu. 2. tertiæ partis D. Thomæ. Vasques quoque disp. 19. cap. 2. n. 28. & sequentibus censet humanitatē esse aliquid in re præter partes eius simul sumptas & vnitas. Idemque docet de quolibet alio composito viuente: & instar eorum de aliis, inquit, rebus philosophandum est. Ratio eius est, quia de huiusmodi cōpositis viuentibus aliter philosophandū est, ac de cōposito per accidens ex subiecto & accidēte ipsi inhærēte. Hoc enim compositum nihil est præter subiectum, accidens, & modum inhæsionis: quia accidens nihil aliud communicat quàm seipsum per inhæsionem. At in viuentibus materia non solum in se recipit animam, sicut paries recipit albedinem solam: sed etiam ipsa materia viuificatur. Ita vt eius esse deinde sit viuere: neque solùm anima viuat, sed etiam materia per animam informata, ratione cuius materia est principium operis vitæ, lōgè alia ratione quam subiectum habens calorem est principiū calefaciendi. Nam subiectū habēs calorē, non concurrit vllo modo. Sed est tantum vehiculū formæ agentis. At verò in animantibus, materia per se agit opera vitæ, vt comprincipium animæ. Quod signū est ipsam non solum recipere animā, sed etiam per eam viuificari, & habere nouum esse, quod est viuere, Nam ex Aristotele 2. de Anima cap. 4. textu 37. viuere viuentibus est esse. Materia, inquam, per se concurrit ad opera vitæ, illa scilicet quæ sunt communia toti cōposito: vt sentire, irasci, texere, ædificare, &c. quæ non animæ soli, sed homini propriè tribuuntur, vt ait idem Aristoteles 1. de Anima cap. 4. textu 64. Secus ac intelligere, velle, sapere, quæ sunt animæ propria, vt idem docet 3. de Anima cap. 1. textu 1. Si autem priores illæ actiones essent effectiuè ab anima sola, vt posteriores, & materia tantùm passiuè se haberet: possent æquè tribui animæ soli, ac calefactio tribuitur calori: rectèq; diceretur anima texere & ædificare, vt calor dicitur calefacere: quia modus hic loquēdi denotat solum principium efficiens actionis. Secundò, anima rationalis, quæ est forma secundum se

2. Contraria sententia.

spiritualis, tribuit materiæ non solum esse hominis, sed etiam animalis, viuentis, & corporis. Tribuit enim omnem rationem genericam quæ est in prædicamento substantiæ. Cùm igitur tribuat esse corporis, & ipsa non sit corpus, sed spiritus; sequitur non solùm communicare seipsam materiæ, sed etiam alium effectum. Nam si seipsam solùm daret, non daret esse corporis. Neque dicas rationem corporis conuenire solùm homini ratione materiæ. Nam hinc sequeretur rationem corporis non prædicari vniuocè de viuente, animali, & homine. Si quidem hæ tres posteriores rationes proueniunt ab anima ipsa, vt à forma: esse autem corporis prouenit à sola materia in homine: imò conuenit toti ratione solùm illius. Sequeretur insuper non minùs posse dici hominem spiritum, quàm corpus. Nam sicut ratione partis, nempe materiæ, est corpus: ita ratione alterius est spiritus. Tertiò denique, si materia solùm diceretur habere vitam per animam, quia habet ipsam animam, non autem quia habet aliquid deriuatum ab anima; non diceretur vita ipsius materiæ, vita corporalis & corruptibilis: quia anima ipsa spiritualis & incorruptibilis est. Atqui materia dicitur habere vitam corruptibilem: ergo habet vitam distinctam ab ipsa anima, licet ab ea procedentem. Hucusque Vasques, qui inde infert idcirco ex materia & forma dici fieri vnum per se, quia fit tertia quædam entitas constituta in aliquo prædicamento, habens proprias passiones & operationes. Ex subiecto verò & accidente non fieri vnum per se, sed per accidens, quia ex illis non fit talis entitas.

3. *Ad primū argumētū contrariæ sententiæ.* Sed ad primum Respondeo materiam viuificari, & viuere, nihil esse aliud, quàm materiam fieri & esse actu partem substantialē cōpositi viuentis: quod habet formaliter per vnionem cum anima, cum qua est apta naturaliter vniri & constituere ens completum, vnum per se, & commune principium quarūmdam operationum, atque concurrere effectiuè ad opera vitæ communia toti composito. *Materia quomodo viuificatur per formā.* Quamuis enim per se solam non sit actiua, vt dicunt Philosophi: est tamen apta efficere cum anima sibi vnita: & cum illa cōcurrit effectiuè ad huiusmodi actus vitales. Quod non debet Vasquez negare. Alioquin eius argumentum in ipsum retorqueri potest. Nam si materia per se non agit, sed tantùm per illum effectum distinctum, seu vitam quàm ab anima recipit: ergo est tantùm vehiculum formæ agentis.

Ad secūdū. Ad secundum Respondeo animam rationalem tribuere materiæ formaliter vt sit corpus prędicamentale, id est, substantia corporea essentialiter completa, hoc ipso quòd materiam complet & cum illa compositum substantiale perficit essentialiter, æquè, ac multò magis, quàm formæ materiales. *Quomodo anima tadet materię esse corpus.* Eoq; sensu esse corporis compleri non prouenit à sola materia, sed & ab anima complente & perficiente materiam. Ita vt anima sit etiam pars substantialis, essentialis, & formalis corporis completi. Homo autem non dicitur spiritus: quia *spiritus* est nomen substantiæ quæ in sua entitate est purè immaterialis & incorporea, vt Deus, angelus, anima rationalis: homo verò est substantia mixta ex materiali & spirituali. Dicitur tamen corpus: quia nomen corporis non est nomen rei purè materialis dumtaxat, sed cuiuscunque substantiæ corporeæ completę essentialiter, siue purè materialis, siue tantùm ex parte.

Ad tertiū. Ad tertium Respondeo vitam materiæ esse ac dici corporalem, quia ipsa materia est corporalis: & dici corruptibilem, quia non plus durat, quam vnio cum anima, quæ vnio corruptibilis est. Est enim ea differentia inter materiam, & animam rationalem: quòd hæc viuit extra compositum, quando à materia separatur. Vnde non tantùm viuit vitâ cōpositi, id est, prout cum corpore organico cōstituit viuens, quod est vnū per se substantiale, & principiū commune quarūdam operationum vitalium: sed etiam viuit vitâ sibi propriâ & peculiari, quam retinet & exercet extra compositum, dissoluta vnione. Et hæc eius vita est immortalis & incorruptibilis. At verò materia non habet aliam vitam, quàm per vnionem cum anima, id est, non habet vitam sibi peculiarem, sed vitam totius compositi viuentis, quamdiu illud componit, vt altera eius pars substantialis & essentialis. Vita autem totius compositi est corruptibilis; æquè ac ipsum compositum.

4. *Alia duo argumenta soluuntur.* P. Gabriel Aporta hæc duo argumēta proponere solebat. 1. Partes rei per se vnius debent constituere rem per se vnam. At partes, etiam vt vnitæ, & simul sumptę, non sunt per se vnum, sed sunt multa vnita & coniūcta, vt talia. 2. Christus constans ex natura humana, & hypostasi Verbi, est vera & realis substantia noua, includens quidem naturam & hypostasin, sed non inclusa in illis: & verè fit per compositionem, ac posset dissolui per diuisionem: & habet veram vnitatem vnius substantiæ completæ; cùm tamen hypostasis diuina & natura humana habeant non vnitatem propriè, sed vnionem & coniunctionem in illa, & ad inuicem. Quare à parte rei est aliqua distinctio.

Ad primum Respondeo 1. negando minorem. Partes enim simul sumptæ vt vnitæ, sunt vnum per se, non simplici vnitate, sed vnionis & compositionis. 2. Argumentum in ipsum retorqueo. *Partes vt vnitæ sunt vnū per se.* Nam neq; partes vnitæ, & formalitas illa seu entitas superaddita, sunt vnum per se magis quàm partes vnitæ. Neq; minùs est propria illa locutio, partes vnitæ legunt, texunt, ędificāt: quam ista, partes vnitæ & formalitas superaddita legunt &c. Ac si ex partibus vnitis, & tertia entitate superaddita, existit vnum per se, sine resultātia alterius formalitatis (alioqui enim in infinitū abiretur) potest quoq; ex partibus vnitis fieri vnū per se sine illa tertia entitate aut formalitate. Adde quòd vel ex qualibet parte humanitatis vnitæ cum hypostasi Verbi resul-

tat formalitas, vel non. Si secundum: ergo neque resultat ex tota humanitate vnita cum hypostasi Verbi: est enim par ratio. Si primum: ergo tot resultãt formalitates, quot sunt paria partium quæ vniuntur. Sunt autem illa infinita ex parte corporis, iuxta opinionem Aristotelis de continuo. Quæro igitur an istæ formalitates vniantur inter se, an non? Si vniuntur: resultabit ex illis vnitis alia formalitas, & sic in infinitum. Si nõ vniuntur: ergo totum conflatum ex illis non est vnum per se, sed aggregatum quoddam per accidens, aut numerus discretus infinitarum formalitatum. Totum autem, per Aduersarios, consistit formaliter in illa tertia entitate seu formalitate: quare totum erit vnum per accidens.

Ad secundum Respondeo, Christum includere naturam humanam & hypostasin Verbi, eiusque naturam diuinam mediatè vnitam, seorsim sumptas, vel sine vnione: sed non collectiuè sumptas vt vnitas. Sic enim sunt ipsum totum: Totum autem non includit seipsum. Et Christum esse quidem veram substantiam nouam, habentem vnitatem veram vnius substantiæ completæ: sed vnitatem vnionis & compositionis, non autem simplicis entitatis, quod inimaginabile & impossibile est, etiam posita tertia entitate. Habet autem illam vnitatem eo solo quòd partes vniuntur: quarè tertia entitas vel formalitas distincta ab illis simul sumptis vt vnitis, est superflua.

5. Obiiciunt alii præcipuè: Partes etiam simul sumptæ & vt vnitæ causant totum. Ergo non sunt ipsum totum. Consequentia patet, quia nihil causat seipsum. Antecedens probatur, quia partes causant vt componentes & constituentes intrinsecè totum. Atqui componunt & constituunt intrinsecè totum, etiam simul sumptæ vt vnitæ: imo seorsim ac singillatim sumptæ, aut sine vnione, impossibile est vt componant & constituant totum intrinsecè. Vna enim pars non componit sine alia, & non componit sine vnione.

Partes vt vnitæ an causent totum?

Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem dico partes causare vt componentes singillatim, id est, prout se altera alteri exhibet, materia subiectando vel recipiendo: forma verò perficiendo & informando materiam. Eodemque modo constituunt totum intrinsecè. Et vna quidem non componit neque constituit totum sine alia, & sine vnione cum illa: sed componit nihilominus & constituit dumtaxat per suam entitatem, non per aliam simul & vnionem, aut per totum conflatum ex ipsa & ex alia sibi vnita, quod est ipsum cõpositum: nam compositum non componit seipsum.

6. Obiici etiam potest, ex nostra opinione sequi hominem viuum & mortuum non differre in re, sed solùm ratione. Nam partes vnitæ, & non vnitæ, non distinguuntur in re per nos, sed tantùm ratione: quia vnio per nos distinguitur tantùm ratione ab extremis. Ergo si totum nihil est aliud in re, quàm partes vnitæ; homo viuus, qui est partes vnitæ, non differt in re à partibus iisdem non vnitis, id est, ab homine mortuo. Mors enim consistit formaliter in dissolutione vnionis animæ cum corpore.

Respondeo, hominem viuum, vt communiter de illo loquimur, dicere multa quæ in morte destruuntur, & per quæ homo viuus differebat realiter à mortuo. Nempe meliores saltem dispositiones quibus vita conseruabatur, vel maiorem humorum proportionem quoad quantitatem & qualitatem. Metaphysicè verò loquendo, sublata sola vnione, cætera remanentia non essent homo viuus: & tantùm differrent à viuo per carentiam vnionis. Partes enim vnitæ non differunt à seipsis non vnitis, nisi per vnionem aut eius carentiam. Sed hæc differentia non est solùm rationis ratiocinantis, sed ratiocinatæ, id est fundata in re, & in modo aliter se habendi à parte rei, quàm antea, nullo intellectu cogitante, quamuis sine re aut recula distincta superueniente rei taliter se habenti. Sufficit enim ipsa rei entitas vt possit aliter & aliter se habere. Loquor autem de partibus simul sumptis. Nam partes singillatim sumptæ differunt realiter à toto composito, atque à seipsis vt vnitis, quatenus vnio vnius partis importat alteram partem ipsi adiunctam.

Homo viuus per quid differt à mortuo?

Dices, in eo esse apertam contradictionem, quòd asserimus rem aliter se habere à parte rei nullo intellectu cogitante, & tamen non esse distinctionem in re, sed tantùm rationis ratiocinatę. Nam si est aliud & aliud in re; est distinctum, & diuersum, seu non idem in re. Et si aliter & aliter se habet in re; distinctè & diuersimodè se habet in re. Item si se habet in re alio & alio modo: ergo in re est alius & alius modus. Si autem est alius & alius in re, est non idem, & distinctus in re. Nam quæcunque sunt in re, & non sunt vnum & idem in re; sunt distincta in re. 7.

Quomodo potest res aliter se habere sine distinctione in re?

Respondeo, non esse aliud & aliud in re, sed esse vnum & idem diuersimodè se habens per vsum simplicem suæ sufficientiæ. Cumque dicimus habere se aliter & aliter in re, seu rem habere alium & alium modum se habendi à parte rei nullo intellectu cogitante; sensus est, rem per eandem entitatem, & simplicem vsum suæ sufficientiæ, fundare aliam & aliam denominationem vnitæ aut non vnitæ, motæ vel immotæ localiter, extensæ aut inextensæ, stantis vel sedentis &c. Non autem sensus est quòd sit alia & alia entitatula distincta à priori, vel à reipsa tali modo se habente, à qua proueniant hæ denominationes. Nam vt ostendimus disp. 5. sect. 6. impossibile est quidpiam moueri formaliter, vel extendi, per aliud à se distinctum.

Instabis, quia ille vsus sufficientiæ vel idem est qui antea formaliter, vel est alius in re. Si primum: non potest fundare diuersas denominationes. Si secundum: ergo est distinctus in re, quia est alius in re. 8.

Respondeo, esse eundem formaliter à parte rei hoc sensu, id est, esse rem eandem seu entitatem, quæ per seipsam, & non per formam realiter à se distinctam, hoc aut illo modo se habet: quia seipsa sufficit ad vtrumque, & tantùm eget vsu suæ sufficientiæ, neque aliter potest talis aut talis constitui formaliter: quidquid enim distinctum addetur, superfluum est & inutile vt formaliter talis sit, & rectè concipiatur talis esse, vt sect. citata probauimus. Illa tamen entitas non fundat talem aut talem denominationem, nisi prout habet hunc aut illum vsum suæ sufficientiæ.

SECTIO II.

An Christus sit vnum vel plura?

9. Christus nō est plura simpliciter. Respondeo, constare ex dictis Christum esse ens per se vnum non simplici vnitate, sed vnitate compositionis ex multis realiter distinctis, per physicam vnionem coniunctis: nimirum ex humanitate & hypostasi Verbi, atque etiam ex natura diuina, mediante hypostasi. Quo autem modo Christus est vnus, & vnum ens per compositionem; habet etiam vnum esse, non simplex, sed compositum. Nam esse est propria ratio entis actualis. Quare vnumquodque eodem modo habet esse, quo est ens actuale. At Christus est vnum ens actuale: quia licet componatur ex rebus diuersis actualibus, id est, actu existentibus; ex illis tamen fit vnum quid per realem vnionem: ergo Christus habet vnum esse: Atque ita Christus est vnum, & non plura simpliciter.

10. Constat tamē ex multis entibus actualibus. Secundò, quia omnis compositio realis fit ex pluribus entibus actualibus inter se vnitis; constat in Christo esse multa entia actualia, & multas existētias partiales, adeoque esse existentiæ Christi non esse simplex, vt Thomistæ imaginantur, sed compositum ex multis existentijs partialibus vnam totalem constituentibus. Alia enim est existentia humanitatis, alia Verbi. Et in ipsa humanitate, alia est existentia corporis, alia animæ rationalis. Et in corpore alia est existentia materiæ, alia formarum substantialium organicarum. Ratio est, quia existentia cuiusque rei est res ipsa prout posita extra nihil, seu extra potentiam obiectiuam essendi, seu prout actu à parte rei est, & non purè possibilis. Quid enim aliud requiritur vt res dicatur verè ac propriè existere? Ergo quidquid est actu à parte rei, existit formaliter. At vnaquæque res quæ actu est, seipsa formaliter, & prout distincta à qualibet alia, est actu à parte rei: ergo seipsa formaliter existit, & non per aliam. Ergo quot sunt res actuales seu entia actualia, tot sunt existentiæ: quia quælibet res formaliter existens per seipsam, est sua existentia. Atqui Verbum, & humanitas Christi partesque humanitatis, sunt entia actualia, quia sunt actu in rerum natura: ergo per se formaliter existunt, & sunt sua ipsorummet existentia. Ergo sicut habent entitates actuales diuersas, ita & diuersas existentias; quia quælibet entitas per se formaliter vt distincta à qualibet alia existit, & est sua ipsius existentia. Ergo quot sunt in Christo entitates actuales, tot sunt existentiæ. Ergo esse existentiæ totius Christi non est simplex, sed compositum ex multis partialibus existentiis. *Confirmatur, quia Verbum diuinum non amisit suam existentiam in vnione hypostatica, vt manifestum est. Corpus autem organicum naturâ priùs extitit, quàm assumeretur hypostaticè. Anima quoque naturâ priùs fuit creata, quàm vnita corpori & hypostasi Verbi: creatio verò terminatur ad esse, siue ad existentiam rei creatæ. Quare anima priùs naturâ extitit, quàm vniretur. Per vnionem autem & assumptionem hypostaticam non amittitur illa existentia: sed corpus actu est quando vnitur, & post vnionem manet in suo esse actuali: animaque similiter, & humanitas ipsa. Vnde Concilia & Patres sæpius dicunt, hoc mysterium factum esse per ineffabilem compositionem vnius personæ ex duabus naturis realibus & actualibus, miniméque confusis: adeo vt sicut Verbum perstitit in suo esse actuali: sic & humanitas est actualis entitas creata, & distincta à Verbo, sine quo posset eadem numero per absolutam Dei potentiam conseruari, sicut potuit ab initio sine illo existere. Sic etiam anima rationalis habet propriam existentiam, distinctam ab existentia corporis, sine quo eadem numero permanet, & existit, quando separatur à corpore. Et manus habet existentiam partialem distinctam à brachio. Et aliæ partes compositi similiter.

Quæ autem in contrarium obiiciunt Thomistæ ex sua philosophia, parum habent momenti. Quæ ex authoritate; vel supposititia sunt, vt quod affert Medina ex epistola Sophronij in VI. Synodo actione XI. *In ipso* (Verbo scilicet) *&* 11. Occurritur Thomistarum obiectionibus.
non in se habuit existentiam vnam cum Verbo. Nam illud, *cum Verbo*, perperam additum est Verbis Concilij: Sensusque Sophronij est, humanitatem habuisse vnam semper & eandem existentiam inuariatam, contra hæreticos affirmantes fuisse conuersam in diuinitatem. Vel tantùm significant humanitatem extitisse in Verbo, & non per se substitisse. Vel denique solùm affirmant non priùs & seorsim extitisse, quàm fuerit Verbo vnita: cuius modi est id quod objiciunt ex Epistola 11. Leonis I. Quomodo autem nihilominus Beata Virgo sit verè ac propriè Mater Dei, alibi explicatum fuit. *VI. Synod. in epist. Sophronii.* Leo.

Tertiò, quia in Christo est vnica hypostasis Verbi, in qua duæ naturæ vniūtur, diuina, & humana; ideo Christus habet vnicum 12.

Christus habet vnicũ esse hypostaticum.

S. Thom.

esse hypostaticum seu personale, simplex realiter & indiuisibile, sumptum formaliter, id est, ex parte formæ seu hypostasis constituentis Christum in esse hypostatico. Quo sensu intellige quod ait D. Thom. qu. 17. art. 2. in Christo esse tantùm vnum esse personale. Indeque Christus est vnica persona indiuisibiliter: quia licet constet ex duabus naturis integris; ambæ tamen constituuntur in esse personæ per vnam & eandem hypostasim. Sicut è contrario, tres personæ diuinæ sunt vnus Deus, quia constituuntur in esse Dei per vnam & eandem Deitatem communem tribus hypostasibus. Quoniam verò in eadem Christi persona sunt duæ naturæ, diuina & humana, distinctæ realiter, & inconfusæ, vt contra Eutychianos alibi ostendimus; sequitur in Christo esse duas voluntates, diuinam, & humanam: & similiter duas potentias effectiuas: diuersasq; operationes vtriusque voluntatis, & vtriusque potentiæ. Neque enim voluntas & potentia executiua naturæ humanæ sunt in Christo otiosæ. Qua de re plura dicemus inferius disp. 11. sect. 1. & 2.

13. Quomodo loquendum de Christi vnitate.

Quartò denique, quod attinet ad modum loquendi, notandæ sunt hæ duæ regulæ. Prima: quia Christus est verè & simpliciter vnũ ens per realem & substantialem compositionem, ac licet multa in eo sint, non sunt tamen sine vnione & compositione: vitandi sunt illi loquendi modi quibus significaretur esse multa sine tali vnione. Vt cùm dicitur sine addito, Christus est duo, Christus est multa, Christus est aliud & aliud. Sine addito, inquam, & simpliciter: quia cum addito rectè dici potest, Christus est duo realiter vnita. Christus est multa physicè in vnum coniuncta. Christus est duæ naturæ vnitæ secundum subsistentiam. Christus est aliud secundum diuinitatem, & aliud secundum humanitatem. Christus est vnum simul & multa.

14. Secunda regula: quia Christus est vnica persona, & vnica hypostasi diuina constituitur in ratione personæ; vitandi sunt illi loquendi modi, quibus significatur pluralitas suppositorum. Vt, Christus est plures: Christus est duo, in genere masculino: Christus est alius & alius. Nam masculina adiectiua absolutè prolata significant diuersitatem suppositorum quando prædicantur: sicut neutraliter sumpta significant diuersitatem naturarum. Vnde in diuinis Pater & Filius dicuntur alius & alius, non aliud & aliud. Dixi, *absolutè*, id est, sine addito; alioqui enim rectè & orthodoxè dicas, Christus est plures naturæ vnitæ in eadem hypostasi: Christus est duo quoad naturam, siue est duę naturæ coniunctæ in eandem personam. Christus est alius & alius quoad naturam, non quoad subsistentiam.

15. Christus nõ est duo simpliciter.

Sed quæres, an dici possit duo in neutro genere, vel aliud & aliud? Respondeo cum D. Thoma qu. 17. art. 1. ad 2. & 7. & communi sententia, non posse id dici simpliciter. Quia quod est vnum simpliciter, non potest verè dici esse duo simpliciter. At Christus est vnus simpliciter per veram & realem vnionem: ergo non potest dici duo simpliciter. Ergo nec aliud & aliud simpliciter, quia hoc idem sonat, vt rectè contra Vasquem ostendit Cardinalis Delugo disputatione 24. numero 17. apud quem plura vide, & apud S. Thom. qu. iam cit. Vasquem & Suarem ibidem, aliosque interpretes, quorum tamen aliqui minutiosiùs hæc persequuntur, & nisi fallor scrupulosiùs propter quædam Conciliorum & Patrum loca non bene intellecta, neque ad mentem Conciliorum, & Patrum, qui interdum quosdam loquendi modos repudiarunt, sed propter sensum quo ab hæreticis proferebantur ad profitendum aut tegendum verbis ambiguis errorem Nestorianum. Neque omnes eodem modo loquuti sunt. Prudentis verò erit propositiones ambiguas distinguere, vt vitetur erroris suspicio. Delugo. S. Thom. Vasq. Suar.

Aduersus hæc multa sibi obiicit S. Thom. qu. 17. art. 1. & imprimis, Christum, vt ait S. August. lib. 1. de Trinit. cap. 7. esse vtrumque, Deum simul & hominem. Vtrumque autem dici non potest nisi sint duo: ergo Christus est duo. Secundò, ex eodem August. in Enchiridio ca. 35. Christus est aliud propter Verbum, & aliud propter hominem. Ergo est aliud & aliud. Tertiò, Christus non est tantùm homo, quia sic esset purus homo. Ergo est aliquid aliud, quàm homo; & ita in Christo est aliud & aliud. Quartò, Christus est aliquid quod est Pater, & aliquid quod nõ est Pater. Ergo est aliquid & aliquid. Ergo est duo. Quintò, Sicut in Trinitate Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vnum propter naturæ vnitatem, non obstante pluralitate personarum: sic Christus est duo propter naturarum pluralitatem, non obstante vnitate personæ. 16. Argumenta in cõtrariũ. S. August.

Ad primum Respondeo, Christum esse vtrumque coniunctim, per meram & substantialem vnionem: quæ autem sunt physicè vnita & coniuncta in vnum, non sunt duo simpliciter, sed sunt vnum per vnionem.

Ad secundum Respondeo, sensum D. Augustini esse, quòd Christus sit aliud & aliud, non simpliciter, sed secundum quid; nempe secundum naturam: hoc est, habeat aliam & aliam naturam: quæ tamen naturæ, quia sunt vnitæ in eadem hypostasi, non faciunt aliud & aliud simpliciter, sed vnum simpliciter per vnionem. Legatur S. Thom. art. cit. ad 2.

Ad tertium Respondeo, Christum non esse purum hominem, sed aliquid aliud, nempe Deum. Aliud, inquam, non simpliciter, id est, diuisum; sed vnitum, & factum vnum, seu indiuisum in se, per vnionem.

Ad quartum Respondeo, Christum esse aliquid quod est Pater, nempe quatenus est essentia diuina subsistens in eadem hypostasi Verbi cum humanitate: & simul esse aliquid 17.

quod non est Pater, tum ex parte hypostasis Verbi, quæ realiter distinguitur à Patre; tum ex parte naturæ humanæ, quæ distinguitur realiter ab hypostasi, & ab essentia Patris. Nō tamen propterea Christus est aliquid & aliquid diuisim, ac proinde duo simpliciter: quia essentia diuina, quâ est idem cum Patre, seu est aliquid quod est Pater, nō est diuisa à filiatione seu hypostasi Verbi, per quā, filius distinguitur realiter à Patre; sed hypostasis Verbi est idem realiter cum essentia diuina, quæ est realiter communis Patri & Filio, atque vtriusque proprietatibus identificata, & vnum quid realiter simplex cum qualibet earum constituit. Natura quoque humana, per quam differt Christus realiter à Patre adæquatè, non est tamen diuisa ab essentia diuina, quâ Verbum & Christus est idem cum Patre; sed cum illa vnita est mediante hypostasi Verbi, atque ita cum illa facit vnum simpliciter non duo.

Ad quintum, Nego paritatem: quia vt tres personæ diuinæ sint & dicantur vnum simpliciter sub nomine *Deus*, sufficit vnitas naturæ diuinæ expressè eo nomine significatæ, non obstante pluralitate suppositorum. Nomen enim concretum substantiuum & substantiale non effertur pluraliter, nisi sit pluralitas formæ eodem nomine expressè significatæ, vt diximus disp. 6. sect. 3. At nomen Christi significat expressè vnum quid, nempe constitutum ex duabus naturis vnitis in hypostasi, quod constitutum vnicum est. Sicut enim nomen, Petrus, significat expresse Petreitatem, id est, vt loquuntur Philosophi, formam totius, hoc est, quidquid cum hypostasi constituit Petrum: sic nomen Christus significat expressè Christieitatem, vt ita dicam, id est, quidquid cum hypostasi Verbi constituit Christum substantialiter & essentialiter, vt formam essentialem totius Christi.

SECTIO III.

De communicatione idiomatum.

18 Quid sit communicatio idiomatum?

Communicatio idiomatum, prout hîc sumitur, nihil aliud est, quàm proprietatum seu attributorum diuinorum, & humanorum, inter Deum & hominem mutua prædicatio, per nomina concreta supponentia pro supposito seu persona: quando scilicet, ratione vnionis hypostaticæ, diuina & humana prædicata verè enunciantur de eadem persona quæ simul est Deus & homo. Quotiescunque enim duæ naturæ, vel formæ, vniuntur realiter in eodem supposito; possunt verè de illo prædicari sub nomine concreto supponente pro supposito illo ex vtraque naturâ vel formâ constituto, aut illis affecto. Cùm enim illud vnum idemque suppositum sit verè à parte rei constitutum vtriusque naturæ, vel formæ; potest vtrumque constitutum verè de illo affirmari per nomina concreta supponentia modo prædicto. Sensus enim est, quòd suppositum constans seu constitutum v.g. Deitate, sit etiam constitutum humanitate, quod verissimum est: quia est vnum idemque suppositum constans vtraque naturá. Vel, quòd id quod habet vnam ex illis naturis aut formis, sit etiā habens alteram. Quod æquè verum est. Omnis autem propositio affirmatiua verificatur per hoc, quòd rectum prædicati est idem cum recto subiecti: siue, quòd prædicatum & subiectum pro vno eodemque supponunt. V.g. quia Christus est verè habens Deitatem & humanitatem; potest verè dici, Christus est Deus, &, Christus est homo: & consequenter homo est Deus; aut, Deus est homo; supponendo in his propositionibus pro materiali & confuso significato, quod est suppositum humanitate simul & diuinitate constitutum. Valet enim vi formæ hic syllogismus expositorius: Christus est Deus: Christus est homo: Ergo homo est Deus. Quia medius terminus, Christus, sumitur pro eodem planè singulari & indiuisibili supposito. In quo differt prædictus syllogismus ab isto: Hic Deus est Pater: Hic Deus est Filius: Ergo Filius est Pater. Quia medius terminus, *Hic Deus*, supponit pro supposito non vnico & indiuisibili, sed realiter triplici, constituto hac numero Deitate, quod in maiori & minori propositione non sumitur vniuersaliter pro toto suo significato, sed indefinitè pro aliquo supposito diuino, in hunc sensum: Aliquod suppositum diuinum est Pater: Aliquod suppositum diuinum est Filius: Ergo Filius est Pater. Ideóque prædictus syllogismus neque est expositorius, quia syllogismus expositorius debet constare medio termino planè singulari: neque bene concludit, quia procedit ex puris particularibus, & medius terminus communis non distribuitur in antecedente.

19. Radix seu causa communicationis idiomatum.

Quæ vt meliùs intelligantur, Nota primò radicem seu causam communicationis idiomatum in Christo esse vnionem hypostaticam, & identitatem personæ ex vtraque natura constitutæ, atque vnitatem per se totius ex vtraque natura compositi. Hinc enim fit vt non modò concreta adiectiua attributorum vtriusque naturæ possint adiectiuè & denominatiuè de supposito illo, aut de se inuicem enunciari, supponendo pro supposito: sicut albedo v.g. & dulcedo enunciantur de lacte, & de se inuicem, dicendo, Lac est dulce, Lac est album: Album est dulce, Dulce est album: verùm etiam concreta naturarum substantiua possint de Christo, vno eodemque supposito vtriusque naturæ, & de se inuicem verè affirmari: dicendo, Christus est Deus, Christus est homo: &, Deus est homo, Homo est Deus. Supponendo in his & similibus propositionibus pro eodem supposito, quòd simul est Deus & homo, quódque ex vtraque natura simul & collectiuè sumpta constituitur ens vnum per se: cuius vnitatis

habetur etiam ratio in prædictis propositionibus: & cuius defectu, si duæ humanitates vnirētur Verbo simul, nō fieret inter eas talis cōmunicatio. Neq; enim verè diceretur, Ioānes est Petrus, Petrus est Ioannes, &c. eò quòd illę humanitates simul sumptę nō facerēt vnū ens per se, sicut faciunt natura diuina & humana in Christo, mediante hypostasi Verbi. Consequenter autem ad mutuam naturarum prædicationem de eodem supposito, & de se inuicem, fit vt proprietates & attributa vnius naturæ possint enunciari non modò de supposito alterius naturę, sed etiam de se inuicem, sub nominibus concretis supponentibus pro eodem supposito. Neque enim tantùm verè dicitur, Christus est mortalis, Christus est immortalis: Deus est passus, mortuus, & sepultus: Homo est æternus, immensus, omnipotens: sed etiam verè dici potest, Mortalis est immortalis: Immutabilis est passus, mortuus & sepultus: Aeternus est temporalis: Immensus est exiguo loco conclusus: Omnipotens est imbecillus.

20. *Communicatio idiomatum debet fieri per concreta.*

Nota secundò, huiusmodi prædicationes debere fieri per nomina concreta substantiua, vel adiectiua, quæ significent totum & per modum totius. Totum enim de parte verè prædicari non potest, nec pars de toto, nec pars vna de altera. Nomina autem concreta in eo differunt ab abstractis, quòd abstracta significant formas, aut quasi formas, per se seorsim, & velut auulsas à compositione, aut ab identitate cum alio. Concreta verò significant per modum compositi aut constituti. Et directè quidem, siue in recto, significant id quod habet naturam, vel formam, aut quasi formam, pro eoque supponere solent in propositione, quotiescunque scilicet suppositio non determinatur aliunde ad formale & expressum significatum, vt interdum contingit: obliquè verò formam aut naturam ipsam important, quam expressè significant. Exempli gratia, Concretum, *Deus*, significat in recto suppositum constitutum Deitate: *Homo*, suppositum constitutum humanitate: *persona*, id quod constituitur hypostasi seu personalitate: siue vt alij loquuntur, habens Deitatem, habens humanitatem, habens personalitatem. Est autem hæc differentia inter nomina concreta naturæ, vt Deus, homo, leo, & inter nomina concreta personæ, vt persona, suppositum, subsistens: quòd ista significant expressè, sed obliquè hypostasin; & confusè sed in recto naturam. Illa è contrario significant expressè, sed obliquè naturam; & confusè, sed in recto hypostasim. Falleretur enim si quis existimaret nomina personæ aut suppositi significare in recto & confusè hypostasin: quia si ita esset, significarent idem in recto & in obliquo, idemque esset confusum & expressum significatum. Supponunt ergo potiùs pro natura habente hypostasin, materialiter & confusè significata: obliquè verò & expressè significant hypostasim vt afficientem naturam.

Verum etiam non puto quod ait Vasques disput. 63. cap. 4. & 1. p. disput. 157. cap. 4. nomina concreta naturæ significare in recto naturam, & in obliquo suppositum, id est, significare naturam existentem in supposito. Nam si ita esset, dicere, Deus est homo, vel, homo est Deus: esset dicere, Natura diuina existens in supposito, est natura humana existens in supposito: qui sensus falsus est. Dicere item, Deus generat, vel Deus generatur; esset dicere; Natura diuina existens in supposito generat, vel generatur. Probatur sequela, quia omnis propositio affirmatiua enuncians absolutè prædicatum de subiecto, affirmat prædicatum & subiectum esse idem secundum quod illud de hoc enunciatur. Fit enim hæc enunciatio per verbum, *est*, formaliter, aut æquiualenter. Dicere autem absolutè, Hoc est illud, est dicere, Hoc est idem cum illo. Nisi enim essent idem, essent diuersa; & si essent diuersa, vnum non esset aliud. Hæc autem identitas non est necessariò inter adæquatum significatum prædicati & subiecti, nisi in propositionibus in quibus idem omnino sunt prædicatum & subiectum, vt Petrus est Petrus, Petrus est homo, Deus est omnipotens, &c. Sed est inter rectū prædicati & rectum subiecti pro quibus scilicet subiectum & prædicatum supponunt in propositione. Illa enim affirmamus esse idem, de quibus loquimur in recto, & quibus in recto significatis addimus particulam, *Est*, vt asseramus vtrumque esse vnum & idem. Nam obliquè significatis non potest hæc particula absolutè apponi. Si ergo vox, *Deus*, significaret in recto naturam diuinam, & vox, *homo*, humanam: dicere, Deus est homo, esset dicere, Natura diuina est natura humana, quod est falsum. 21. *Vasques. Nomina concreta naturæ quomodo significent?*

22. Obiicies primò, si concretum, *Deus*, significat idem quod, *habens Deitatem*; ergo tres personæ diuinæ possunt dici tres Dij, quia sunt tres habentes Deitatem.

Respondeo negando sequelam. Quia id significaret esse tres etiam ex parte Deitatis. Nam, secundum consuetum loquendi modum, concreta substantiua substantialia non multiplicantur, nisi multiplicatá formá, vel quasi formâ quam expressè significant, vt ostēdimus disp. 6. sect. 3. quare multiplicare nomen, *Deus*, esset significare multitudinem Deitatum. *Deus significat idem ac habens Deitatem substātiuè. Et homo, habens humanitatē.*

23. *Vasq.* Obiicit secundò Vasques disp. 63. cap. 4. num. 23. Si tres personæ diuinæ assumerent eandem humanitatem, eodem modo communicarentur idiomata, & concreta naturarum eodem modo inuicem prædicarentur, sicut nunc prædicantur. Hoc autem fieret prorsus inuariata nominum significatione quæ antea erat, & quæ nunc est; neque enim Ecclesia post mysteriorum reuelationem eam variauit. In eo igitur casu vera esset hæc propositio, Tres diuinæ personæ sunt vnus homo: & contra, Vnus homo est tres personæ diuinæ. Si verò in his propositionibus pro concreto illo, *homo*, poneretur, *habens*

humanitatem, falsæ essent propositiones, vt constat: ergo concretum naturæ non potest per id quod est, habens naturam, explicari. Similiter vera est hæc propositio, Tres personæ sunt vnus Deus: & hæc pariter, Vnus Deus est tres personæ. Si autem pro, *Deus*, poneretur, *habens Deitatem*; vtraque falsa esset: ergo concretum illud malè ita resoluitur.

Respondeo negando Minorem vtriusque syllogismi, si sumatur, *habens Deitatem*, & *habens humanitatem*, pro concreto substantiuo æquiualente terminis substantiuis *Deus*, & *homo*. Nam hoc sensu tres personæ diuinæ essent vnum habens humanitatem, vnum, inquam, suppositum, non re, sed ratione & conceptu confuso. Sicut tres personæ diuinæ sunt vnus Deus, id est, vnum ratione suppositum, & realiter triplex, habens Deitatem. Et eodem sensu, vnus homo, id est, vnum suppositum ratione, & re triplex habens humanitatem, esset tres personæ diuinæ: sicut Deus, id est, vnum ratione suppositum & re triplex habens Deitatem, est tres personæ. Dixi autem, *si sumatur substantiuè*; quia adiectiuè sumptum multiplicaretur, seu pluraliter efferretur, iuxta pluralitatem suppositorum, vt diximus loco supra citato.

24. Vasq. Obiicit tertiò Vasques 1. parte disp. 157. cap. 4. num. 14. Si Deus significat idem quod, *habens Deitatem*: ergo perinde est dicere, Deus genuit Deum; atque dicere, habens Deitatem genuit habentem Deitatem. Quare sicut licet dicere, habens Deitatem genuit alium habentem Deitatem; licebit etiam dicere, Deus genuit alium Deum, quod est absurdum.

Respōdeo negando consequentiam. Quāuis enim dici possit adiectiuè, habentem Deitatem genuisse alium habentem Deitatem; secus tamen substantiuè. Quia, vt supra diximus, nomina concreta substantiua non multiplicantur, nisi multiplicatâ formâ quam expressè significant. Nomen autem, Deus, substantiuum est.

25. Obiicit quartò ibidem num. 15. sequeretur ex nostra doctrina hanc propositionem esse veram, Deus non generat, quia sensus esset, habens Deitatem non generat. Quæ propositio cùm sit indefinita, sicut hæc, Aliquod habens Deitatem non generat, & hæc sit vera: erit quoque ipsa vera. Item istæ non essent contradictoriæ, Deus generat, Deus non generat; sed ad formandam contradictionem, oporteret addere, nullus Deus generat, veluti si diceremus, nullus habens Deitatem generat. Hoc autem est absurdum, quia termino, *Deus*, addere particulam, *nullus*, blasphemum est. Denique si cùm dicimus, Deus generat Deum, subiectum & prædicatum supponerent pro supposito quod in recto significaretur, nempe pro Patre & Filio: quia Filius est alius à Patre, dicere etiam possemus, Deus genuit alium Deum.

Respondeo negando primam sequelam, quia terminus, *Deus*, non supponit indefinitè, sed vniuersaliter ex parte suppositi seu materialis & directi significati. Est autem falsum de illo vniuersaliter quòd non generet. Vnde pariter nego id quod secundò infert Vasques. Neque propterea voci, *Deus*, addenda est vox, *Nullus*: nam materiale eius significatum ratione vnum, & re multiplex, satis distribuitur per syncategorema, *non*: Neque addi rectè potest, quia hoc significaret nomen, *Deus*, posse pluraliter accipi, quod est falsum, quia Deitas per illud expressè significata est vnica. Eademque de causa quamuis Filius sit alius à Patre, non potest dici alius Deus à Patre, neque Deus genuisse alium Deum: quia concretum, *Deus*, non potest multiplicari propter solam suppositorum pluralitatem in vnica natura diuina expressè per illud substantiuum significata.

Obijciunt quintò aliqui recentiores, Si hæc propositio, *Deus est homo*, resolueretur per istam, *Deus est habens humanitatem*, sine vlla additione; mysterium Incarnationis exprimeretur adæquatè hac propositione, *Deus est humanatus*; significat enim habens humanitatem. Consequens ostenditur falsum ab exemplis: quia non adæquatè exprimitur mysterium Incarnationis his propositionibus: Christus est homo diuinus, Christus est homo deifer, Christus est homo Dominicus, quæ sunt denominatiuæ, sicut ista, Christus est Deus humanatus. At reiiciuntur hæ propositiones ab Athanasio, Nazianzeno, & Damasceno, vt videre est apud Vasq. disput. 63. cap. 2. non quidem quòd hæ propositiones sint falsæ, quæ vsurpantur ab Epiphan. hæresi 69. August. lib. 83. Qu. qu. 53. Imò ab ipso Athan. in epistola ad Epict. Sed quia imperfectè explicant hoc mysterium. Nam habens deitatem, vel habens humanitatem, non determinat, quòd habeat plus quàm vnione accidentaria. Imò nec perfectè exprimitur hoc mysterium dicendo, Deus est incarnatus: nam sine vnitate personali potest vna substantia de alia prædicari denominatiuè: Puta, homo est armatus, est vestitus, id est, habens arma, & vestes. At Deus est incarnatus, vel humanatus, est etiam prædicatio denominatiua. Propositio ergo, quæ plenè hoc mysterium explicat, est ista, Deus factus est homo: siue, Deus iam est homo. Quia hæc secunda prædicatio non tribuit vnam substantiam alteri, vt ad eam pertinentem, vel eam afficientem accidentaliter: sed denotat vnitatem personalem: Quare hæc propositio Deus est homo, non significat simpliciter Deus est habens naturam humanam, quod non determinaret modum habendi plusquam accidentalem: sed significat est habens naturam humanam, vt suam, & propriam sibi naturam, ac non, vt sibi coniunctam accidentaliter? 26.

Respondeo, quando dicimus propositionem illam, *Deus est homo*, resolui per istam,

Deus est habens humanitatem, nos sumere, *habens humanitatem*, pro concreto substantiuo, & prout æquiualet termino substantiuo *Homo*, vt diximus num. 22. non autem in sensu adiectiuo solùm, & denominatiuo, de quo procedit obiectio. Neque diffitemur posse commodè addi, ad id magis explicandum, particulam, *vt suam, & propriam sibi naturam, & non accidentaliter tantùm coniunctam*: vel potiùs, vt sibi vnitam hypostaticè, siue in vnitatem suppositi: sed contendimus vocem, *Habens humanitatem*, sumptam in sensu substantiuo, his particulis æquiualere, quoad sensum implicitè per illam significatum.

27. Nota tertiò, tria genera prædicationum hic distinguenda esse. Primum earum quibus naturæ in concreto prædicantur de Christo, id est, de illo vno eodemque supposito, Christus est Deus, Christus est homo. Secundum earum in quibus naturæ in concreto prædicantur de se inuicem, Deus est homo, & homo est Deus. Tertium earum in quibus attributa naturæ diuinæ prædicantur de natura humana in concreto, id est, de homine: vel è contrario attributa & proprietates naturæ humanæ prædicantur de natura diuina in concreto, id est, de Deo, atque etiam de se inuicem. Homo est immortalis, æternus, omnipotens: Deus est mortalis, temporalis, passibilis: Mortalis est immortalis: Passibilis est impassibilis: Temporalis est æternus. Et hoc tertium genus illud est quod propriè dicitur communicatio idiomatum seu proprietatum, fundatum in communicatione naturarum, & in duobus prioribus generibus prædicationum.

Tria genera prædicationum in communicatione idiomatū.

28. Porro non tantum Deus prædicatur de Christo, sed etiam Verbum. Quia Christus est Verbum in vnitate suppositi. Et consequenter non tantùm attributa, & proprietates naturæ diuinæ secundum se sumptæ, possunt de Christo prædicari; sed etiam proprietates Verbi: vt quòd generetur à Patre, quòd sit imago Dei, quòd spiret Spiritum sanctum. Valet enim hic syllogismus expositorius, Verbum est imago Dei, generatur à Patre ab æterno, & spirat Spiritum sanctum. Sed Christus est Verbum: Ergo &c. At non ita proprietates Patris aut Spiritus sancti peculiares, & non conuenientes Verbo, vel naturæ diuinæ secundum se. Nam in illis non habet locum syllogismus expositorius quo probatur communicatio idiomatum: sed potius oppositio relatiua, quam habent ad inuicem, impedit talem communicationem. Item, quia hæc natura humana singularis, nempe Christi humanitas, fuit Verbo vnita, quæcumque illi speciatim conueniunt, possunt de Verbo & de Deo prædicari, vltra ea quæ naturę humanæ per se & specificè cōueniunt; vt quòd sit conceptus ex Maria Virgine, crucifixus, mortuus, sepultus, ascenderit in cœlum &c. At non ea quæ propria sunt aliorum hominum, & neque Christi humanitati singulari, neque humanæ naturæ secundum se conueniunt. Ratio enim cur aliquid, quod sit hominis, tribuatur Deo; aut aliquid, quod sit Dei, tribuatur homini, est quia conuenit Christo qui est Deus & homo, & quia Deus & homo in aliquo sunt vnum, & vtrumque nomen implicitè dicit vnum quoddam: videlicet Deus & homo sunt vnum in hypostasi Verbi, & formaliter est vnum suppositum ex duabus naturis constitutum. Propter quam vnitatem cum Deus sit homo, & homo sit Deus; id quod conuenit Deo & Verbo, tribuitur etiam homini: & id quod conuenit homini & Christo, tribuitur etiam Deo & Verbo. Atque ita id quod hominis est, non tribuitur Deo secundum formale & explicitum illius nominis, *Deus*, significatum, sed secundum implicitum & materiale. Similiterque quod Dei est, non tribuitur homini secundum explicitum & formale illius nominis, *homo*, significatum, sed secundum implicitum. Deus enim non per se & immediatè, vt natura constans, factus est homo, sed vt Verbum. Vnde quæ sunt hominis vt natura humana constituti, non sunt per se proximè communicata Deo vt natura constanti, sed Verbo. Et quæ sunt Dei, non conueniunt constituto naturæ humanæ vt tali per se proximè, sed supposito illius naturæ. Vnde etiam fit vt dum ea, quæ hominis sunt, tribuuntur Deo, sit longè alius sensus, quàm dum tribuuntur homini. Etenim homo per se formaliter passus est, & mortuus, vt homo, siue secundum humanitatem. Deus verò passus & mortuus est non vt Deus formaliter & secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem. Quare idiomatum communicatio fit in sensu tantùm specificatiuo, non in reduplicatiuo. Falsum enim est dicere Deus vt Deus est passus, & mortuus. Homo vt homo est impassibilis, æternus, omnipotens, immensus.

Quæres an quæcumque dicuntur de Christo, vel de hoc homine qui est Christus, possint dici de Deo? Ratio dubitandi est, quia discursus præcedens id inferre videtur. Contra verò, de Christo, vel de hoc homine enunciatur quòd sit persona composita ex duabus naturis, quòd non potest de Verbo enunciari. 29.

Non quæcumque possunt dici de Christo, possunt dici de Deo.

Respondeo discursum à nobis factum regulariter & communiter intelligendum esse, quando scilicet prædicatum supponit in propositione pro materiali significato, id est, pro supposito, vt regulariter & communiter fieri solet. Secus autem si aliquando supponit pro formali, vel pro toto, vt in exemplo allato & similibus. Addendum etiam est id, quod alibi notauimus, prædicata naturæ humanæ quæ ei conueniunt per modum partis, id est, explicando officium partis, vt pars est, in ordine ad compositum vel suppositum, non tribui ipsi supposito vel composito. V.g. quamuis humanitas terminetur à supposito diuino, non dicimus suppositum terminari à supposito diuino: Et quamuis humanitas componat, non dicimus com-

positum componere. Item quamuis humanitas mutata fuerit per vnionem hypostaticam & adiunctionem hypostasis Verbi, non propterea Verbum aut compositum debet denominari mutatum ab illa mutatione, vel assumptum & terminatum hypostaticè.

SECTIO IV.

Corollaria ex praecedentibus, & resolutio multarum difficultatum circa idiomatum communicationem.

30. In communicatione idiomatum habéda est maxime ratio vnionis hypostaticæ.

EX his collige primò, in his omnibus prædicationibus habendam esse maxime rationem vnionis hypostaticæ. Ita vt neque in reipsa negetur, neque in modo concipiendi & significandi ab ea præscindatur. Quippe quæ est fundamentum totius huius communicationis prædicatorum diuinorum & humanorum, & proprietatum vtriusque naturæ.

Abstracta de abstractis, aut de cócretis nó p ssunt prædicari.

Collige secundò, abstracta de abstractis, aut abstracta de concretis, vel contra, prædicari non posse in sensu proprio & formali. Quia abstracta significant naturas aut rationes secundum se: ideóque significant vnum esse alterum, aut vnum alteri conuenire secundum se, & non ratione vnionis hypostaticæ. Quare in rigore falsæ sunt huiusmodi propositiones, Deitas est passa, incarnata, mortua: Deitas est homo, Homo est Deitas: quia in modo enunciandi significant sensum formalem. Et multò magis ista, Deitas est humanitas: quæ ne quidem in sensu identico est vera, propter realem distinctionem extremorum ab inuicem. Aliquando tamen Patres vtuntur his locutionibus, Deitas est passa, incarnata, mortua. Sed intelligendi sunt synecdochicè, pars pro toto: vel in sensu identico, quatenus suppositum, quod est realiter idem cum Deitate, est passum denominatiuè per humanitatem: aut etiam in sensu mediato & remoto, nempe quòd Deitas sit incarnata mediante hypostasi Verbi, & passa mediante humanitate hypostaticè sibi vnita. Sanè si iuxta Lateran. cap. 2. de Summa Trinit. essentia diuina non dicitur generans neque genita, licet sit idem cum Patre qui generat, & cum Filio qui generatur, & mediante paternitate generet: quantò minùs Deitas, quæ per se proximè non vniuit sibi naturam humanam sed Verbo, dicetur passa aut incarnata?

31. Dices: Nonne valet syllogismus iste expositorius, Verbum est incarnatum: Verbum est Deitas: ergo Deitas est incarnata? Respondeo non valere: quia mutatur suppositio de materiali in formalem. Verbum enim est incarnatum ex parte materialis: & est Deitas ex parte formalis præcisè sumpti. Simili de causa non valet hic syllogismus, Filius Dei est Deitas: Hic homo est Filius Dei: ergo hic homo est Deitas: & consequenter Deitas est hic homo. Non valet, inquam, quia in Maiori sensus est identicus: in conclusione, formalis. Sicut in isto, Pater generat: Deitas est Pater: ergo Deitas generat: variatur sensus, qui est identicus in Minori, & formalis in Maiori & in conclusione.

Collige tertio, propositiones illas quæ repugnant vnioni hypostaticæ, & ea attributa quæ important negationem suppositi diuini, vel inuoluunt hypostasin creatam in Christo, & distinctionem personarum, non posse tolerari. Cuiusmodi sunt istæ: Christus est pura creatura: vel, hic homo est pura creatura. Christus est purus Deus. Item, Christus est homo dominicus, vel diuinus, vel Deifer, si particulæ illæ, Dominicus, Diuinus, Deifer, sumantur adiectiuè & purè denominatiuè accidentali denominatione. Sic enim significant Christum secundum se esse purum hominem, & tantùm accidentali quodam modo habere adiunctam diuinitatem. Ideóque negantur hæ propositiones à multis Patribus: vt ab Athanasio, Nazianz. Damasc. & aliis quos refert Vasques disp. 63. cap. 2. nu. 7. & sequentibus. Quamuis alio sensu catholico ab aliis admittantur. Nam Epiphanius in Anchorato longè post medium, Dydimus lib. 3. de Spiritu sancto longe post initium, tomo 9. Bibliothecæ sacræ, Athan. in expositione fidei, sub finem, & August. lib. 83. qu. qu. 57. circa finem, Christum appellant hominem dominicum. Item negatur ab aliquibus Patribus vt à Cyrillo Alexand. Damasc. & Petro Diacono hæc propositio, Homo factus est Deus, eo sensu quo innuit hominem, prius existentem in propria hypostasi, factum esse Deum: sicuti Verbum, priùs subsistens in propria hypostasi, factum est homo. Alio tamen sensu significante solùm vnionem humanitatis cum Verbo, admittitur quòd homo factus sit Deus, asseriturque expressè ab Augustino lib. 1. de Trin. cap. 13. initio, Nazianz. orat. 35. quæ est secunda de Theologia num. 86. Cyrill. in epist. ad Nestor. quæ refertur in Concilio Chalcedonensi actione 1. & Damasc. lib. 3. de Fide cap. 11. Minùs tamen propria videtur hæc locutio. Quia cùm propriè dicitur aliquid fieri, non simpliciter & absolutè, sed tale vel tale, per aliquid physicè ipsi aduenieus vera & reali actione: significatur propriè loquendo quod tempore vel natura priùs sit, quàm fiat tale vel tale. Christus autem non priùs tempore vel natura fuit homo quàm Deus. Homo enim non est nomen solius naturæ, sed suppositi. Non fuit autem priùs suppositum, quàm esset Deus. In casu verò quo Verbum assumpsisset humanitatem præexistentem per propriam hypostasin, propriè diceretur, homo factus est Deus, quamuis hypostasis creata desineret per assumptionem. Sicut propriè dicitur lignum fieri ignis, & vnum fieri aliud per conuersionem, quamuis aliquid illius pereat in conuersione. Quare non assentior Vasqui contrarium asserenti disp. 64. num. 16. In

32. Propositiones repugnâtes vnioni hypostaticæ nó admittendæ.

Vasquez. Epiphan. Didymus. Athanas. August. August. Nazianz. Cyrillus. Damasc. Vasquez.

vniuersum autem quando aliqua communicatio idiomatum, propter aliquam rationem videbitur deteriorem aliquam speciem præ se ferre, breui adiecta declaratione poterit mala significatio vitari.

33. An hæc propositio, homo est Deus, sit propositio per se? Vasq. Collige quartò verum esse quod docent S.Bonauent. Scotus, Palud. Durand. Maior, Gabriel, Bassolius, Almainus, & alij quos citat, & sequitur Vasques disput. 68. cap. 2. num. 4. has propositiones, Deus est homo, &, Homo est Deus, non esse propositiones per se, vt istæ, Petrus est homo, & homo est risibilis: aut sicut istæ, Christus est homo, Christus est Deus: Iesus est homo, Iesus est Deus, si tamen Iesus est nomen totius compositi, & non tantùm huius indiuidui naturæ humanæ, vt sentit Cardinalis Delugo disp. 23. num. 55. & 56. contra Vasquem loco supra citato. In quo casu vltima propositio non esset per se, sed contingens, vt illæ, Deus est homo, &, Homo est Deus. Ratio est quia, cùm iuxta Aristotelem 1. Poster. cap. 4. sint tantùm quatuor modi dicendi per se: nempe per se primò, quādo prædicatum est de definitione seu essentia subiecti: Per se secundò, quando subiectum est de essentia seu definitione prædicati, & saltem obliquè in ea ponitur. Per se in essendo, quo pacto substantia per se subsistens dicitur esse per se: & per se in causando: quo pacto dicitur causa per se, illa quæ propriè & per se influit in effectum, opponiturque causæ per accidens: vt Architectus ædificat, Musicus canit, Iugulans interficit: Duo postremi non pertinent ad propositas enunciationes. Quia in illis non enunciatur de Deo, vel de homine modus per se essendi vel causandi, id est, quòd per se subsistant, aut per se aliquid causent, vt ex terminis earum manifestum est. Quare non sunt in tertio vel quarto modo dicendi per se. At neque etiam sunt in primo vel secundo. Quia neque prædicatum est de essentia subiecti formaliter, vt debet esse in primo modo dicendi per se: neque subiectum est obliquè in definitione prædicati, vt debet esse in secundo modo dicendi per se. Neque enim homo est de essentia Dei, neque Deus de essentia hominis formaliter sumpti. Imò nec quidem necessariò vnum alteri conuenit. Nam vtrumque prædicatum significat aliquid contingenter adueniens subiecto. Contingens enim est diuinitatem & humanitatem vniri in vnum suppositum. Vnde rectè infert Scotus nec per se conuenire; quia prædicatum, quod alicui subiecto per se conuenit primo vel secundo modo prædicationis, necessario ei conuenit.

Delugo. Aristot.

34. Hæc propositio, Deus est homo, est propria. Malè verò inde concludit Durandus in 3. distinct. 4. quæst 2. num. 9. & sequentibus, hanc propositionem, *Deus est homo*, non esse adeò propriam, atque istam, *Petrus est homo*. Quia, inquit, cùm propositio affirmatiua sit vera, & propria, ex identitate prædicati cum subiecto: vbi est maior identitas, ibi est maior veritas & proprietas. Sed dicendo, Petrus est homo, ibi est maior identitas prædicati cum subiecto: ergo ibi maior est veritas & proprietas. Imò, quod deterius est, grauiterque carpitur ab aliis Theologis, addit Durandus num. 12. & sequentibus, hanc propositionem, *Deus est homo*, &, *Beata Virgo est Mater Dei*, non esse veram in sensu omnino proprio, & seruato rigore sermonis: sed potiùs dicendum esse, *Deus est humanatus*. Quia de quocumque prædicatur *homo* omnino propriè, prædicatur in quid, cùm non sit denominatiuum. Sed homo non potest prædicari de Deo in quid: quia ad interrogationem factam, Quid est Deus? non propriè respondetur, homo. Item proprietas prædicationis denominatiuæ non stat cum omnimoda proprietate prædicationis in quid, nec è conuerso. Vnde non propriè dicitur, Sortes est humanatus; quia propriè dicitur, Sortes est homo. Atqui iuxta Damascenum lib. 3. de Fide cap. 2. ista propria est, Deus est humanatus: Ergo ista non est omnino propria, Deus est homo. Denique, inquit, diuersę naturę existentes in eodem supposito non prædicantur omnino propriè de se inuicem, nisi vtraque, vel saltem altera sumatur denominatiuè: Vtraque, vt dicendo, Album est musicum: vel altera, vt Sortes est albus. Nimirum quia duæ naturæ in aliquo supposito se habente aliquo modo vt partes totius subsistentis. Partes autem non prædicantur omnino propriè de toto, vel de alia parte, nisi denominatiuè. Hæc Durandus. Damasc.

35. Impugnatur opinio contraria Durandi. Quorum primum non est verum, neque bene probatum. Quamuis enim homo dicatur de Petro per se & essentialiter, de Deo autē contingenter; nō idcirco minùs propriè & verè dicitur: quia non minùs verè & propriè prædicatur, quod cōtingēter, atq; etiam denominatiuè, vt *Petrus est albus*, quàm quòd essentialiter, vt *Petrus est homo*. Neque enim minor est identitas inter rectum subiecti & prædicati in vna propositione, quàm in alia. Hæc autem est quæ asseritur per copulam, *est*, in propositione affirmatiua. Et tamen propositio contingens est, quia prædicatum significat in obliquo aliquid contingenter conueniens subiecto. Licet, inquam, Petrus sit homo essentialiter, Deus autem sit factus homo contingenter, & accidentaliter logicè: hoc tamen non impedit quò minùs sit verè, & propriè identitas inter prædicatum, & subiectum in hac propositione, *Deus est homo*: sicut in ista, *Petrus est homo*. Nam in vtraque terminus, *Homo*, significat *habens humanitatem*, siue *constitutum natura humana*. Tam autem verum est, quòd Deus habeat humanitatem, & per illam constituatur in esse hominis; quàm quòd Petrus per eandem sit homo. Tametsi non eodem modo id in vtraque propositione verificatur. Nam in prima verificatur, quia Deus est habens humanitatem mirabiliter assumptam, & substantialiter sibi coniunctam in vnitatem suppositi. In secunda verò propositione verificatur, quia Petrus est habens humanitatem, non vt assumptam, sed vt per se primò, & essentia-

liter

liter ipsum constituentem. Nihilominus tamen in prima propositione tam verè idem sunt Deus,& habens humanitatem; quàm in secunda sunt idem Petrus & habens humanitatem.

36. Lateran. Alterum verò Durandi pronunciatum temerarium & erroneum est: quippe repugnans Concilio Lateran. sub Martino I. Consult. 5. can. 3. *Si quis non confitetur verè & propriè Dei genitricem Sanctam semper Virginem immaculatam Mariam, sit condemnatus.* Et VI. Synod. Synodo VI. generali actione 11. vbi in epist. Sopronij, quæ approbatur actione 13. asseritur, Beatam Virginem *propriè & veraciter* esse Matrem Dei. Non est autem Beata Virgo verè & propriè Mater Dei, nisi in quantum est mater hominis, qui verè ac propriè Deus est: quare repugnat Conciliis citatis asserere hanc propositionẽ, Homo est Deus, aut, Deus est homo, non esse veram & propriam. Neque dicas Durandum negare solùm id dici posse omnino propriè. Nam particula *omnino*, additur tantùm à Durando ad tegendum errorem: rationes autem ab eo allatæ contendunt id non posse dici propriè. Deinde Concilia citata pronunciant id dici propriè simpliciter & sine addito. Quod autem dicitur propriè & simpliciter, dicitur omnino propriè & simpliciter, id est, dicitur sine metaphora & improprietate, & absque vllo abusu vocis.

37. Soluitur primum Durandi argumẽtũ. Ad primam autem Durandi rationem, Respondeo, in hac propositione, Deus est homo, subiectũ supponere pro Verbo incarnato, materialiter & confusè seu implicitè significato, de quo, interroganti quid sit? tam aptè & propriè respondetur quòd sit homo, quàm quòd sit Deus.

Ad secũdũ. Ad secundam, Nego maiorem. Nam v.g. de sanctissima Trinitate propriè dicitur, quòd sit Deus, & quòd sit diuina: & de persona Patris verè ac propriè dicitur, Hæc persona est Deus, & Hæc persona est diuina: de essentia quoque propriissimè dicitur, Hæc essentia est Deitas, &, Hæc essentia est diuina: item de Petro propriè dici potest, Hoc suppositum est homo, &, Hoc suppositum est humanum. Vel, Hoc animal est homo, &, Hoc animal est humanum. Quare non assentior Vasqui disp. 63. num. 12. & 14. affirmanti, regulam Durandi valere in nominibus concretis ipsarum formarum substantialium, & deficere solùm in nominibus suppositorum. Nam liquet ex exemplis allatis deficere in vtrisque. In his autem prædicationibus modus communis loquendi sequendus est, & vitandæ sunt illæ prædicationes quæ non sunt in vsu, vt Petrus est humanus: quamquam in vsu sit vt dicatur esse animal humanum, substantia humana, persona humana. Non potest etiam dici Petrus est humanatus, quia hæc propositio innuit naturarum diuersitatem in Petro, quarum vna humanitatem assumpserit, quod de Petro falsum est. Cùm autem Damascenus à Durando citatus ait, Deum esse humanatum, sumit humanatum participialiter pro incarnato, vt patet ex participio Græco, ἐνανθρωπήσαντα, quo Damascenus ibi vsus est.

Vasq.

Ad tertiam Respondeo, diuersas naturas existentes in eodem supposito, sed vnitas substantialiter, & ens vnum per se constituentes, posse de illo, & de se inuicem enunciari, non modò denominatiuè substantiali denominatione, seu potiùs adiectiuè: sed & substantiuè in concreto supponente pro supposito ex vtraque natura constituto. Qui modus aptior est ad exprimendam vnionem earum substantialem & vnitatem suppositi, vt supra diximus num. 24. Ita verò se habent natura humana & diuina in Christo. Cùm autem sic enunciantur, non affirmatur pars de toto subsistente, quod non nisi figuratè & impropriè per synecdochen fieri potest. Nam naturæ non enunciantur in abstracto, & velut partes totius, sed in concreto nominibus totum significantibus partim confusè & materialiter, partim expressè & formaliter. 38. Ad tertiũ.

Collige quintò quid sentiendum sit de prædicationibus à D. Thoma propositis & explicatis tota quæstione 16. Deus est homo: Homo est Deus: Christus est homo dominicus: Deus factus est homo: Homo factus est Deus: Christus est creatura: Iste homo (demonstrato Christo) incepit esse: Christus secundum quod homo, est creatura: Christus secundum quod homo, est Deus. Christus secundum quod homo, est persona. 39. S. Thom.

De quinque prioribus sufficiunt quæ diximus. Sexta & septima sunt veræ in rigore de subiecto stante formaliter pro toto composito, licet ad vitandam suspicionem Ariani erroris, bonum sit addere, secundum humanitatem, vt ait S. Thom. art. 8. & 9. vel, secundum quod est compositum ex natura humana & hypostasi Verbi, quod compositum effectum est, adeóque creatum latè. Si enim creatum sumatur strictè pro producto immediatè ex nihilo, sola materia prima, & anima Christi sunt hoc sensu creatæ. Quamuis autem, vt supra diximus, concreta in subiecto propositionis supponere soleant pro materiali significato, id est, pro supposito: interdum tamen determinantur à prædicatis, vt stent formaliter, id est, vt supponant pro formali significato, vt fit in prædictis duabus propositionibus. Quòd enim Christus sit creatura, quódque hic homo Christus inceperit esse, conuenit illi non ratione suppositi, seu ex parte hypostasis diuinæ, quæ increata est & æterna; sed ratione humanitatis, vel ratione compositi ex illa & hypostasi, formaliter sumpti vt compositum est. Legatur Vasques disp. 65. cap. 2. & 3. vbi nobiscum sentit. Possitne verè dici Christus est creatura, & Christus incepit esse.

40. Nota præterea aliquos Patres non tantùm de Christo dicere quòd sit creatura, seu quòd creatus sit, vel inceperit esse: sed etiam de ipso Verbo & Deo, per communicationem idiomatum ratione humanitatis. Sic

VI. Synod. Leo. Nazianz. Sophronius in epist. quæ habetur in VI. Synodo act. 11. Leo serm. 3. de Pentecoste, Nazianz. oratione 38. quæ est de Natiuitate, non longè ab initio: & orat. 42. quæ est secunda de Paschate, longe post initium, Hieron. August. Hieronym. in cap. 2. ad Ephes. ad illa verba, *Ipsius enim factura sumus*, & August. serm. 12. de Tempore, initio. Propriè tamē & simpliciter non potest dici Deus aut Verbum incepisse, quamuis inceperit esse homo. Quia licet aliquid antea existens incipiat esse tale vel tale; non propterea dicitur propriè incipere esse simpliciter, quasi tunc primò suum esse simpliciter accipiat: sed cum addito tātùm, dicitur incipere esse tale: v. g. qui anno ætatis quadragesimo fit Rex aut Pontifex, non dicitur simpliciter incipere esse, sed incipere esse Rex aut Pontifex.

41. Christus secundum quod homo est creatura. Sequitur octaua propositio, Christus secundum quod homo est creatura: quæ verissima est, & propriissima, si particula, *secundum quod*, referatur ad formale significatum hominis, vt aptissimè refertur specificādo seu determinando eam Christi rationem, secundum quam conuenit illi esse creaturam.

S. Thom. Nona vt vera sit, debet particula, *secundum quod*, referri ad suppositum, non ad naturam, vt ait S. Thom. qu. 16. art. 11. quia verò particula illa potiùs stat pro natura, quàm pro supposito; debet potiùs hæc propositio negari, quàm concedi, vt addit S. Thom. ibidem. Christus secundum quod homo est Deus. Ratio est, quia particula illa duobus modis tantùm propriè sumi potest. Nempe vel vt nota perseitatis, & reduplicatiuè: vel vt nota specificationis, & determinationis. Priori modo non potest verè sumi in propositione de qua loquimur. Quia Deus non prædicatur per se de homine, vt suprà ostendimus. Ergo non potest affirmari de homine cum nota perseitatis. Ergo non potest verè dici, Christus secundum quod homo est Deus, sumendo, *secundum quod*, vt notam perseitatis. Posteriori etiam modo non est vera: quia sensus esset, Christus est Deus per illam naturam quæ determinatur particulā, *secundum quod*, nempe per humanam. Adde quòd alioqui istæ propriè veræ essent, Christus secundum quod homo est increatus, æternus, impassibilis. Si enim secundum quod homo est Deus; etiam secundum quod homo est increatus, æternus, impassibilis.

42. Christus secundum quod homo est persona. Decima & vltima, Christus secūdum quod homo est persona vel hypostasis, seu suppositum, est vera: siue particula, *secundum quod*, accipiatur ratione suppositi: quia suppositum naturæ humanę in Christo non est aliud, quàm persona Filij Dei. Siue etiam accipiatur ratione naturæ, & intelligatur hoc sensu, quòd naturæ humanæ competat esse in aliqua persona, abstrahendo tamen à propria personalitate, quam in Christo non habet; quia Christi humanitas nō est per se seorsim subsistens à natura diuina, & si hoc significaretur per huiusmodi propositionem, esset falsa. S. Thom. Ita S. Thom. q. 16. art. 12. Et de his hactenus. Neque enim in huiusmodi difficultatibus ad modum tantùm loquendi pertinentibus lubet diutius immorari.

Tantùm moneo iterum, quando aliqua duriùs enunciari videbuntur, vel inferri per syllogismum expositorium, distinctione vtendum esse. v. g. Si quis ita inferat: Christus est creatura: Christus est Verbum: Ergo Verbum est creatura: Item, Hic homo Christus incepit esse: Verbum est hic homo Christus: ergo Verbum incepit esse. Maior horum syllogismorum distinguenda est, & conclusio similiter, Christus est creatura & incepit esse secundum humanitatem, vel prout est compositum: Concedo. Secundum hypostasin vel diuinitatem, Nego. Item si quis inferat, Deus creauit omnem creaturam: Christus est Deus: ergo creauit omnem creaturam. Sed Christus ipse est creatura: ergo creauit seipsum. Distinguenda est maior in hunc modum: Deus, quà Deus, creauit omnem creaturam, Concedo: alia ratione quæ potest illi aduenire, quemadmodum ipsi aduenit esse hominem, Nego. Sed Christus est Deus: Distinguo: Deus tantùm, Nego. Deus & homo simul, Concedo. Ergo Christus creauit omnem creaturam: Distinguo: Quà Deus, Concedo: quà homo, Nego. Sed Christus est creatura, distinguo: quà homo, Concedo: quà Deus, Nego. Ergo Christus creauit seipsum: Distinguo: Christus quà Deus creauit seipsum vt hominem, Concedo: vt Deum, Nego. Idemque dico de sequenti syllogismo, Hic homo est Deus: Verbum factum est hic homo: ergo Verbum factum est Deus. Maior enim distinguenda sic est: Est Deus tantùm, Nego. Deus & homo simul, vel compositum ex duabus naturis in vna hypostasi diuina, Concedo. Et similiter consequens distinguendum est: factum est simpliciter, Nego. Factum est Deus-homo, seu compositum ex duabus naturis, Concedo. Eòdem recidit quod alij respondent, propter diuersitatem suppositionis in antecedēte & in cōsequente, committi fallaciam accidentis in huiusmodi syllogismis, id est, mutari sensum materialem in formalem: vel esse quatuor terminos, saltem æquiualenter. Quia terminus mutans suppositionem æquiualet duobus. Verbi gratiâ, in hoc syllogismo, aliud est fieri hominem, vt dicitur in antecedente: & aliud, fieri Deum, vt dicitur in consequente, id est, fieri in esse Dei, sicut fit in esse hominis, formaliter scilicet & quà talis. 43. Distinctio prudens et adhibenda in huiusmodi propositionibus.

44. Eandem verò ob causam, nempe ob naturarum in Christo diuersitatem, diuersamque nominum appellationem, non sunt contradictoriæ propositiones quibus opposita de Christo enunciantur: vt esse passibilem, & impassibilem: æternum, & temporaneum: creatorem, & creaturam: finitum, & infinitum &c. Quia referuntur ad diuersas naturas: & secundum illarum vnam conuenit Christo esse impassibilem, æternum, increatum, infinitum: secundum aliam, esse passibilem, & creatum in tempore.

DISPVTATIO NONA,

De Gratia Christi.

E Gratia Christi disputat S. Thomas quaest. 7. & 8. & in priori docet fuisse in Christo gratiam habitualem, propter vnionem animae illius ad Verbum, & dignitatem eiusdem animae, vtque de eius plenitudine omnes acciperent. Fuisse quoque in Christo virtutes: quia sunt quaedam deriuationes gratiae. Fidem tamen in eo non fuisse: quia ab initio suae conceptionis vidit plenè Deum per essentiam. Neque etiam spem, nisi eorum quae nondum erat adeptus: putà circa immortalitatem, & gloriam corporis, quam poterat sperare. Fuisse quoque in illo excellentissimè dona Spiritus sancti, quippe cuius anima perfectissimè à Spiritu sancto mouebatur. Etiamque donum timoris Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis à Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa: sed secundum quod respicit ipsam diuinam eminentiam: prout scilicet anima Christi, quodam affectu reuerentiae mouebatur in Deum à Spiritu sancto acta. Fuisse praeterea in eo gratias gratis datas, sicut in primo & principali Fidei doctore, vt per illas suam doctrinam manifestaret: atque etiam donum prophetiae, quatenus ea, quae procul erant ab aliorum viatorum notitia, & cognoscebat & annunciabat. Cúmque anima Christi à principio suae conceptionis fuerit vnita diuinitati: fuerit quoque vniuersale principium in genere omnium habentium gratiam: debuit habere maximam gratiam secundum modum perfectissimum quo haberi potest, & plenitudinem

omnium effectuum gratiæ, qui sunt virtutes & dona. Et hæc plenitudo Christi est propria, nullique alteri conuenit: licet alij plenitudinem quandam habeant gratiæ secundum suam conditionem, siue quoad intensionem, secundum terminum à Deo sibi præfixum: siue etiam quoad virtutem, quatenus habent facultatem gratiæ ad omnia quæ pertinent ad suum officium, siue statum. Gratia tamen Christi habitualis finita est secundum suum esse: quia est in ipsius anima, velut in subiecto: & anima Christi est creatura quædam, habens capacitatem finitam: vnde esse gratiæ, cùm non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum. Potest tamen aliquo sensu dici infinita, eò quòd non limitatur, & non datur ei ad aliquam certam mensuram. Neque potuit in illo augeri: cùm haberet summam & perfectissimam, atque ab initio esset comprehensor & beatus secundum animam. Fuit autem vnio hypostatica prior natura infusione gratiæ habitualis: quia missio filij per incarnationem, debuit esse prior missione Spiritus sancti per infusionem gratiæ sanctificantis in anima Christi: atque etiam quia vnio hypostatica fuit causa infusionis gratiæ: ac denique quia vnio ordinatur ad esse suppositi, gratia verò ordinatur ad operari. Est autem prius esse, quàm operari: Actiones enim sunt suppositorum. Vnde actio, & per consequens gratia ad illam ordinans, præsupponit hypostasim operantem.

In posteriori quæst. docet Christum esse caput Ecclesiæ, secundum similitudinem humani capitis; influereque in homines primariò & principaliter secundum animam, & secundariò quantùm ad corpus. Esse autem caput hominum diuersimodè. Aliquorum in potentia tantùm; aliorum secundum fidem dumtaxat; aliorum etiam secundum charitatem: quorundam denique secundum gloriam. Esse quoque caput Angelorum: quia Ecclesia, cuius est caput, constat ex hominibus & Angelis: gratiam verò quâ caput Ecclesiæ constituitur, ratione solùm differre à gratia personali; quâ eius anima sanctificatur: quia ex eminentia illius gratiæ prouenit quòd in alios influat. Proprium quoque vnius Christi esse, quòd sit caput Ecclesiæ secundum interiorem influxum: quippe cuius humanitas sola, ex eo quòd est diuinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi; quantùm verò ad exteriorem gubernationem, commune esse Christo cum aliis quòd sit caput Ecclesiæ: cum differentia tamen, quia Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, quouis loco, tempore, & statu: alij autem homines dicuntur capita secundum quædam specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarũ: vel secundũ tempus determinatum, sicut Papa est caput totius Ecclesiæ tempore sui Pontificatus: & secundũ statum determinatũ, prout scilicet sunt in statu viatoris. Item quia Christus est caput Ecclesiæ propria virtute & authoritate: alij verò solùm prout gerunt vicem Christi. Addit denique Diabolum esse caput omnium malorum quoad exteriorem

gubernationem: & Antichristum, quoad malitiæ perfectionem. Sicut enim in Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit: ita in Antichristo erit omnis malitiæ plenitudo. Non quòd eius humanitas sit assumpta à Diabolo hypostaticè, sicut humanitas Christi à Filio Dei: sed quia Diabolus suam malitiam eminentiùs in illum quàm in alios influet suggerendo. Hucusque D. Thom.

SECTIO I.

An Christus ad suam sanctitatem eguerit gratia creata sanctificante?

1. Duplex indigentia gratiæ.

Duobus modis intelligi potest Christum eguisse gratia creata sanctificante. Primò, vt esset Deo gratus, id est, dilectus supernaturaliter, & proportionatus ad merendum. Secundò, vt esset bene dispositus & instructus in actu primo permanente, ad bene operandum supernaturaliter. Pro quo nota sanctitatem, seu iustitiam supernaturalem creaturarum tria includere in suo integro & perfecto conceptu. Primum est reddere gratum Deo, id est, dilectum supernaturali dilectione, hoc est, tendente ad finem & effectus supernaturales, præcipuéque ad Dei fruitionẽ. Secundum est, esse immunẽ ab omni peccato mortali, atque etiam veniali si perfecta sanctitas est. Tertium est, esse bene dispositum permanenter ad operandum supernaturaliter circa honestum, id est, habere principium habituale, vel aliud, naturâ suâ permanens, & supernaturale, sibi adiunctum, atque paratum constanter concurrere ad exercendas operationes bonas & supernaturales. Loquimur autem nunc de illa sanctitate, non de alia morali & minus strictè sumpta, quæ rebus etiam inanimatis conuenit, & quâ dicuntur sancta quæcumque sunt Deo specialiter consecrata, seu deuincta & dicata, vt dies, templa, vestes, & vasa diuino cultui dicata: vel ea in quibus specialiter Deus inhabitat, aut quæ speciali modo suæ præsentiæ honorauit. Quo sensu intellige illud Exodi 3. *Locus in quo stas, terra sancta est*. Et 2. Petr. 1. *Cum essemus cum illo in monte sancto*, id est, in monte Thabor, in quo Christus gloriosus apparuerat. Hoc autem genus sanctificationis habuit Christus vi vnionis hypostaticæ formaliter, per quam eius humanitas fuit Deo coniuncta in vnitate suppositi, multò magis quàm templa, vestes, vasa, & similia, Deo deuinciantur: & per quam Deus in Christo inhabitauit & apparuit, multò magis quàm in locis eius præsentia sanctificatis. De priori vero genere sanctitatis,

Sanctitas dupliciter sumitur, pro vera, & pro morali.

2. Christus non eguit gratia creata vt esset Deo gratus.

Dico primò Christum non eguisse gratia creata sanctificante, vt esset Deo gratus, id est, à Deo dilectus supernaturaliter. Ratio est, quia ipsa vnio hypostatica hanc ei amabilitatem formaliter conferebat, multò excellentiùs quàm gratia quâ reliqui iusti sanctificantur, fiuntque Deo grati supernaturaliter. Est enim vnio hypostatica ex parte Verbi, hypostasis ipsa diuina vt per se immediatè coniuncta naturæ humanæ, atque ipsamet natura diuina coniuncta eidem naturæ humanæ mediante hypostasi Verbi diuini. Hæc autem hypostasis & natura diuina est ipsamet sanctitas substantialis & essentialis, infinitè amabilior, quàm vlla forma creata supernaturalis: estque perfectiùs coniuncta naturæ Christi humanæ, quàm vlla qualitas supernaturalis possit esse coniuncta naturæ alicui intellectuali: quia cum natura Christi humana constituit vnũ suppositum. Quocirca si accidentia supernaturalia possunt reddere subiectum gratum formaliter, sique adiunctum vllum potest tribuere decorem & amabilitatem supernaturalem alicui rei: multò magis illa hypostasis & natura diuina per eam communicata, reddit gratã, & placentem, & acceptabilem ad omnia alia bona supernaturalia, naturã cui coniuncta est tam arctè, vt vnum ens per se, & vnam cum ea personam constituat. Adde quòd illa vnio constituit formaliter Christum Filium Dei naturalem, in quo Patri bene complacuit. Si autem vi illius formaliter est Dei filius naturalis; ergo & Deo summè gratus, & consequenter hæres vitæ æternæ, ad quam ius habet Christus ratione diuinæ hypostasis & naturalis filiationis, multò magis quàm alii iusti ratione gratiæ sanctificãtis, & adoptionis. Ex hac item vnione fit vt bona Christi opera sint infinitæ æstimationis, & dignitatis moralis apud Deũ infinitè maioris, quàm sit vis meritoria iustorum per gratiam creatam sanctificantem habita. Quod signũ est vnionem hypostaticam infinitè plus dare Christo dignitatis ad merendum, & amabilitatis supernaturalis, quàm sit illa quæ datur per gratiam creatam sanctificantem.

Huc pertinent multa Scripturæ & Patrum testimonia, in quibus Christus (nimirum vt talis formaliter, & ratione vnionis hypostaticæ) dicitur fuisse vnctus in sanctum sanctorum Danielis 9. & natus sanctus, vi nimirum ipsius natiuitatis, seu conceptionis & constitutionis substantialis: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, Luc. 1. & dilectus, quia filius, *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacuit*. Matth. 3. & 17. Dicitur item eius humanitas fuisse sanctificata, vncta, delibuta, & Deificata ipsa diuinitate, & coniunctione cum diuina persona, vt loquuntur Dionysius Alexãdrinus, Athanasius, Basilius, 3.

Probatur ex scriptura.

Vasquez. Suarez. Nazianzenus, Augustinus, & alij Patres, locis à Vasque relatis disp. 41. cap. 3. & à Suare disp. 18. sect. 1. Et verò cùm vnaquæque forma constituat secundum gradum suum & ordinem id cuius est forma, & det esse tale, qualis ipsa est (effectus enim formalis est ipsum esse formæ vt communicatum subiecto) dubitari non potest quin hypostasis Verbi diuini, quæ est quasi forma constituens Christum in esse suppositi, det illi esse diuinum, sanctissimum, Deoque gratissimum, & infinitæ dignitatis: cum ipsa sit planè diuina, ac proinde sanctissima, Deoque gratissima, infinitæque dignitatis, sitque identicè ipsa essentia diuina, quam secum vnit mediatè naturæ humanæ.

4. Christus fuit sanctificatus formaliter & immediatè per hypostasin Verbi. Fit autem hæc sanctificatio formaliter & immediatè per ipsammet hypostasim Verbi, humanitati vnitam, vt docent S. Thom. qu. 6. art. 6. Valentia, Suares, Lorca, & alij recentiores quos citat & sequitur Delugo dis. 16. n. 31. Quemadmodum enim gratia creata sanctificat animam, eo ipso quòd illi vnitur & inhæret, eamque facit participem, seu consortem naturæ diuinæ, vt loquitur Petrus Apostolus, & capacem merendi: sic hypostasis Verbi sanctificat formaliter & immediatè humanitatem, eo ipso quòd illi vnitur. Quia verò per hypostasin Verbi vnitur etiam mediatè ipsa diuinitas, seu essentia diuina: hinc est quòd illa quoque mediatè sanctificat humanitatem, quatenus illi quasi formaliter coniuncta est per hypostasim. Quo sensu Nazianzenus oratione 42. quæ est 2. de Paschate, ante medium, aliique Patres dicunt humanitatem fuisse diuinitate delibutam, & Christum fuisse vnctum à Deo, id est, sanctificatum, oleo diuinitatis. Et quidem infinitè plus est humanitatem vniri mediatè diuinitati, quàm vniri immediatè gratiæ habituali.

Nazianz.

5. Hæc sanctificatio est physica. Hæc verò sanctificatio physica est, id est, per formam physicam, aut quasi formam, sanctificantem, physicè vnitam. Vltra quam intelligunt aliqui ex præsentia & coniunctione diuinitatis & hypostasis diuinæ resultare in humanitatem splendorem quendam moralem sanctitatis & dignitatis infinitæ, in qua sola constituunt totam Christi sanctificationem formaliter. Sed vt alibi diximus disp. 2. sect. 5. splendor ille in reipsa nihil aliud est, quàm vnio, seu status vnionis humanitatis cum Verbo, ex qua vnione humanitas fit infinitè Deo grata formaliter, eiusque opera infinitè dignificantur, id est, eò plus infinitè æstimantur, quòd fiunt à natura Verbo vnita hypostaticè. Nam sicut formalis iustitia & sanctitas creata informando constituit physicè iustum & sanctum, aptumque ad merendum de condigno, absque alio splendore morali resultante à gratia: ita Verbi diuini hypostasis terminando, & velut informando, constituit non modò suppositum cum humanitate, sed etiam humanitatem sanctam & Deo gratam, aptamque ad merendum infinitè.

6. Vnio hypostatica non fuit tantùm conditio necessaria ad illius sanctificationem. Neque etiam verum puto quod aiunt Vasques & Suares locis suprà citatis humanitatem fuisse sanctificatam ipsa Deitate, vel hypostasi diuina, mediante vnione vt conditione. Licet enim hypostasis eam non sanctificauerit nisi vt vnita: tamen vnio illa non fuit tantùm conditio, sed substantialis ratio hypostasi & diuinitati vt sanctificanti. Quemadmodum enim hypostasis diuina non fuit actu hypostasis humanitatis, nisi eam actu terminando: ita neque fuit humanitati sanctitas, nisi eodem modo. Et sicut actualis terminatio non fuit conditio hypostasi diuinæ vt personalizanti, sed fuit illi substantialis seu essentialis ratio in esse terminantis: ita non fuit illi conditio tantùm vt sanctificanti seipsa, sed fuit vt tali substantialis ratio, sine qua hæc terminatio & sanctificatio nullo modo esse neque intelligi potest. Sic denique vnio formæ cum materia non est tantùm conditio ipsi vt informanti: sed est de ratione intrinseca ipsius vt actus informantis, & est ipsemet effectus formalis, qui nihil est aliud, quàm forma vt vnita & communicata materiæ. Sic denique causalitates aliarum causarum, non sunt tantùm conditiones illis vt causantibus.

7. Christus non eguit gratia creata vt esset immunis à peccato. Dico secundò Christum non eguisse gratia creata sanctificante vt esset perfectè immunis à peccato. Ratio est quia ipsamet vnio hypostatica multò magis immunem reddit ab omni peccato, quàm gratia creata sanctificans. Nam vnio hypostatica est absolutè incompatibilis cum omni peccato, mortali & veniali, actuali & habituali, originali & personali, vt ostendemus disp. 13. sect. 3. & 4. At verò gratia creata sanctificans compatitur de potentia & lege ordinaria peccata venialia in subiecto in quo est: & de potentia absoluta potest compati mortalia, vt ostendimus in Tractat. de peccatis, & in Tract. de Gratia: neque sola vi sua ea excludit sine Dei gratuita condonatione: quia cum sit entitatis & virtutis finitæ, non est sufficiens per se solam ad extinguendũ debitum peccati mortalis, quod infinitum est, & non potest tolli sufficienter & condignè nisi per infinitam satisfactionem eius malitiæ æquiualentem: aut per gratuitam Dei condonationem. Cum autem dico gratiam sanctificantem posse absolutè compati peccatũ mortale, loquor de gratia habituali præcisè sumpta: non autem de toto statu sanctitatis & iustitiæ supernaturalis in quo includitur puritas à peccato mortali, cum qua est impossibile coniungi peccatum mortale in eodem subiecto. Neque etiam de statu adoptionis, quæ conuenienter, & infallibiliter secundum legem præsentem, coniungitur cum gratia habituali, & formaliter consistit in eo quòd Deus acceptet iustificatum ad vitam æternam, detque illi ius ad eam obtinendam si in gratia decesserit. Cum quo iure non potest stare peccatum mortale, saltem quoad reatum seu debitum pœnæ æternæ. Nam ius habendi vitam æternam, &

debitum illa carendi perpetuò, simul esse non possunt. Item si, vt putat Lessius lib. 12. de perfect. diuin. cap. 11. adoptio consistit formaliter in speciali inhabitatione spiritus diuini in anima iusta, seu Deo grata, & morali participatione ipsius naturæ diuinæ specialiter inhabitantis, & regentis, ac mouentis ad bene operandum supernaturaliter: valde probabile est hunc statum esse planè incompossibilem cum peccato mortali, vt docet auctor citatus ibidem: Quia non decet spiritum diuinum tam specialiter sese communicare, & tam arctè coniungere, atque tali modo inhabitare in corpore subdito peccatis. Sed hæc sententia fuit à nobis alibi reiecta. Et quamuis esset vera: adhuc tamen magna est differentia inter filiationem adoptiuam & naturalem, quoad exclusionem peccati. Nam peccatum multò magis est incompossibile cum naturali filiatione, quàm cum adoptiua. Quia multò magis repugnat esse infectam peccato naturam quę per vnionem hypostaticam facta est Dei propria, & vna cum illo persona: quàm naturam tantùm adoptatam & extraneam. Licet enim adoptio iuxta illam sententiam, sit aliqua participatio ipsiusmet naturæ diuinæ, & non tantum donorum creatorum: tamen non transfert personam adoptatam ad veram vnitatem & proprietatem esse diuini, vt facit vnio hypostatica. Deinde filiatio naturalis est incompatibilis cum omni peccato, tam mortali quàm veniali: vtrumque enim summè dedecet personam diuinam & cum illius sanctitate infinita est prorsus incompossibile. At adoptio compatitur peccata venialia. Neque enim iusti peccantes venialiter, desinunt esse filij adoptiui, Christique fratres & cohæredes. Vlterius filiatio naturalis est perpetua, & excludit omne peccatũ in futurũ, neque potest per peccatum amitti, quia impossibile est peccare naturam hypostaticè vnitam, ac proinde non potest per peccatum mereri priuationem vnionis hypostaticę: deberet enim peccare saltem naturâ priùs quàm vnio dissolueretur, quod impossibile est. At verò adoptio non excludit in futurum peccata mortalia. Multi enim excidunt à iustitia & adoptione per peccatum mortale, & ex Filiis Dei, fiunt gehennæ filij.

8. Dico tertiò Christum, vt esset bene dispositus seu instructus permanenter ad bene operandum supernaturaliter, nõ eguisse gratia & habitibus creatis, quibus formaliter potens constitueretur. Probatur, quia licet vi hypostasis præcisè, & ratione vnionis hypostaticæ quatenus ad hypostasim Verbi terminatur, non constituatur formaliter potens ad operandum supernaturaliter (nam hypostases diuinæ non sunt actiuæ ad extra; & sicut oculus Christi non meliùs videt, vi solius hypostasis diuinæ cui vnitur; sic neque anima meliùs intelligit, aut vult, si nihil aliud addatur) consequenter tamen poterat Christum sufficienter potentem constituere, quatenus illi naturam diuinam adiungebat (quæ per seipsam efficere potest quidquid possunt habitus supernaturales, & infinitè plus) atque moraliter exigebat vt si deessent habitus creati; natura diuina per seipsam eleuaret animam Christi ad actus supernaturales ipsi conuenientes. Exigit enim vnio hypostatica vt natura à se sãctificata, & ad fastigium diuinitatis quantùm potest euecta, eleuetur ad operationes supernaturales ipsi proportionatas, & quarum capax est. Quod addo, quia res omnes Verbo vnibiles non sunt capaces eiusdem sanctitatis & eleuationis. Alio enim modo sanctificat & eleuat corpus; alio, animam capacem amoris mutui & visionis ac fruitionis Dei, iurisque ad illam fruitionem. Attamen vnio hypostatica hoc tribuit omni naturæ quam sanctificat, vt ei conuenienter debeatur eleuatio ad modum operandi proportionatum tantæ dignitati, & ad actus supernaturales quorum capax est.

Neque vt esset bene dispositus ad operandum supernaturaliter.

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentem.

9. Aduersus hæc multa obiiciuntur de quibus fusè Delugo disp. 16. sect. 1. & tribus sequentibus. Ac primò, contra id quod diximus humanitatem Christi sanctificari & Deo gratam reddi per hypostasin Verbi, & diuinitatem sibi vnitam, obiicitur quòd in casu possibili, vel impossibili, quo natura humana vniretur hypostaticè Angelo iusto & sancto, non propterea esset sancta & Deo grata per sanctitatem seu gratiam Angelo inhærentem: imò natura illa posset simul esse in peccato habituali, atque etiam actu peccare mortaliter: neque opera quæ exercet, essent condignè meritoria vitæ æternæ.

Prima obiectio in cõtrarium.

Respondeo disparem esse rationem de gratia tantùm inhærente Angelo, & nullo modo immediatè secundum se communicata humanitati, ne quidem identicè. Illa enim sicut nullo modo informat humanitatem, sed impertinenter se habet, & per accidens, ad hypostasin Angeli ipsi vnitam: ita nec vllo modo sanctificat eã sanctitate de qua nunc loquimur, nempe specialiùs sumptâ pro statu animæ Deo gratæ, & specialiter ab eo dilectæ in ordine ad vitam æternam. Licet alioqui ex illa vnione humanitas foret honorabilior & amabilior, quàm sine illa, cæteris paribus. At verò hypostasis Verbi, quæ immediatè vnitur humanitati, est forma sanctissima & amabilissima per se formaliter: & identicè est ipsa diuinitas, quæ est omnimoda sanctitas substantialis.

Gratia inhærens Angelo non sanctificaret aliũ ipsi vnitum.

10. Secundò, contra id quod diximus, humanitatem reddi sanctam formaliter & substantialiter per vnionem diuinitatis, quæ est sanctitas substantialis, & fundamentalis omnis alterius sanctitatis, obiicitur humanita-

Secunda obiectio.

tem reddi debere pariter intelligentem & volentem formaliter, immensam, æternam, & omnipotentem, per vnionem diuinitatis. Si enim redditur sancta formaliter & substantialiter, quia sanctitas Dei substantialis ei vnitur & communicatur: debet similiter reddi formaliter & substantialiter intelligens per diuinam intelligentiam, & volens, & immensa, æterna, omnipotens: quia hæc omnia attributa diuinitatis illi vniuntur & communicantur.

Cur humanitas reddatur magis sancta per vnionem, quàm immensa, æterna, &c.

Respondeo negando paritatem. Quia ad denominationem sancti formaliter, nihil aliud requiritur, quàm habere sibi adiunctam & informantem, aut velut informantem, vel identificatam formam sanctificantem. Vt verò quis dicatur formaliter intelligens & volens, debet actus illos vitales exercere vi propria, & vitaliter tendere per seipsum in obiectum. Vt verò dicatur formaliter immensus & æternus, debet esse per se vbique, & sine initio & fine essendi. Vt dicatur omnipotens, debet omnia posse. Hæc enim sunt propria & formalia vocum illarum significata.

11. Tertia obiectio.

Tertiò, contra id quod diximus, humanitatem sanctificari per ipsam hypostasin Verbi, obiicitur hypostasin, prout virtualiter distinguitur à natura diuina, non sanctificare formaliter ipsum Verbum: ergo non potest sanctificare formaliter humanitatem. Probatur consequentia, quia quod non est sanctitas, non potest formaliter sanctificare. At hypostasis Verbi præcisè sumpta non est sanctitas formaliter, quia alioqui Verbum sanctificaret. Quod autem non sanctificet Verbum, patet quia non est id à quo Verbum habet formaliter primam radicem suæ beatitudinis, sed sola natura diuina: sicut in nobis solus habitus gratiæ sanctificat formaliter, quia solus habitus gratiæ est prima radix visionis & beatitudinis æternæ.

12. Huic argumento respondent aliqui recentiores concedendo antecedens, & negando consequentiam. Quia licet hypostasis non sit Verbo prima radix suæ beatitudinis: secus tamen humanitati. Nam ita perficit naturam humanam, & ita illam reddit pulchram, decoram, & amabilem, vt ratione illius communicetur etiam illi à Deo hæreditas æternæ beatitudinis. Et licet eam accipiat intuitu quoque naturæ diuinæ sibi communicatæ: non minùs tamen accipit intuitu hypostasis immediatè sibi vnitæ, per quam non minùs perficitur, & amabilis redditur, quàm per diuinitatem mediatè sibi vnitam. Quare non minùs est prima radix vna, quàm altera: quia beatitudo communicatur humanitati non minùs intuitu vnius, quàm alterius, sistendo in seipsa, ac propter ipsam vt per se amabilem tali tantoque amore qui sufficiat ad communicandam ei beatitudinem æternam. Illud autem est prima radix beatitudinis, cuius intuitu, sistendo in ipso, communicatur beatitudo. Hæc illi.

Quibus oppono primò, Verbum esse formaliter vndequaque sanctum, sicut est vndequaque diuinum: & Trinitas, qua Trinitas, est formaliter sancta per hypostases & origines diuinas, quæ sunt aliquid sanctius infinitè, & Deo gratius, quam gratia creata, qua iusti sanctificantur. Secundò, voluntariè restringi formam sanctificantem ad illam solam, quæ est prima radix beatitudinis. Etenim iusti non solùm sanctificantur per habitum gratiæ: sed etiam per alios habitus supernaturales, & dona Spiritus sancti, ex quibus omnibus exurgit sanctitas totalis habitualis. Vlteriùs verò sanctificantur etiam sanctitate actuali per opera virtutum supernaturalium, de quo genere sanctificationis aiebat Christus Ioan. 17. *Ego pro eis sanctifico meipsum*, actuali scilicet sanctitate: neque enim crescebat habituali sanctitate, quam ab initio conceptionis accepit quantam nūc habet. Tertiò denique, si hypostasis Verbi est humanitati prima radix beatitudinis, quia sistendo in ipsa, seu propter ipsam, humanitas est digna beatitudine, æquè ac propter diuinitatem, propter quam non est magis amabilis, quàm propter hypostasin, vt dicunt Aduersarij: ergo hypostasis est quoque Verbo prima radix beatitudinis, quia sistendo in ipsa, ac propter ipsam, Verbum non est minùs dignum beatitudine, quàm propter diuinitatem, quæ non est amabilior hypostasi, vt iidem auctores asserunt. Quod tamen non est verum quoad id quod hypostasis veluti superaddit essentiæ; præsertim in opinione eorum qui volunt hypostasin & diuinitatem mutuò præscindere. Nam hypostasis præcisa à diuinitate est tantùm infinita secundum quid, nempe in genere paternitatis, filiationis, aut spirationis passiuæ. At essentia diuina est simpliciter infinita in omni genere perfectionis: ideóque infinitè magis amabilis & æstimabilis. In opinione verò aliorum qui volunt essentiam includi in quocumque conceptu hypostasis, quippe quæ mutuò non præscindit, hypostasis adæquatè sumpta, quoad omnia quæ sunt intrinsecè de ipsius conceptu, se habet ad essentiam, vt includens ad inclusum; estque extensiuè amabilior, quàm essentia præcisa ab hypostasi. 13.

Hypostasis sanctificat formaliter.

Quartò, contra id quod diximus humanitatem sanctificari formaliter per ipsam diuinitatem mediatè vnitam, obiicitur inde sequi tres personas sanctificare formaliter eandem humanitatem: quia effectus prouenientes ab ipsa diuinitate sunt communes tribus personis. 14.

Quarta obiectio.

Respondeo id non sequi. Quia licet omnes effectus prouenientes ab ipsa diuinitate in genere causæ efficientis, sint communes tribus personis: secus tamen effectus formales qui proueniunt ex ipsa vt communicata mediante aliqua proprietate, & cum illa formaliter constituente aliquid. Cuiusmodi est effectus formalis sanctificandi, & Deificandi naturam humanam, qui non conuenit diui-

Tres personæ diuinæ non sanctificant formaliter humanitatē.

nitati nisi vt vnitæ humanitati mediante hypostasi Verbi, & vt cum illa componenti Christum intrinsecè. Quo pacto non se habent ad humanitatem Pater, & Spiritus sanctus: ideóque non sanctificant illam formaliter. Quamuis enim humanitas ex identitate mediata hypostasis Verbi, & immediata diuinitatis cum Patre, & Spiritu sancto, sit amabilis & æstimabilis infinitè: non tamen ab illis sanctificatur formali & intrinseca sanctitate: quia non constituunt formaliter Christum, & non sunt illius forma aut quasi forma, vel pars intrinseca. Simili modo Pater, Filius, & Spiritus sanctus sanctificantur formaliter & intrinsecè per Deitatem: & tamen Pater non ita sanctificatur per Filium, & Spiritum sanctum: neque Filius per Patrem, neque Spiritus sanctus per alias personas, quæ non sunt de ipsius constitutione intrinseca.

15. *Quinta obiectio.* Quintò obiicitur, Si humanitas Christi sanctificatur per ipsam diuinitatem: ergo tam est sancta, quàm ipse Deus, & consequenter tam amabilis formaliter. Quod est absurdum & falsum. Deus enim necessariò & infinitè magis amat suam diuinitatem, quàm Christi humanitatem, cuius amor est Deo liber & contingens. Probatur sequela, primò, quia humanitas est sancta formaliter per eandem formam, seu sanctitatem, quâ Deus ipse. Ergo tam est sancta, quàm ipse Deus. Secundò, quia bonitas & sanctitas reddit subiectum bonum & sanctum secundum totam suam perfectionem, quippe quam totam illi communicat secundum omnes suos gradus. V.g. bonitas vt octo, reddit subiectum bonum & amabile vt octo. Ergo bonitas & sanctitas infinita simpliciter, cuiusmodi est diuinitas, reddit humanitatem bonam & sanctam infinitè simpliciter. Ergo æqualiter ac Deum ipsum.

Humanitas Christi non tam est sancta formaliter, quàm est ipse Deus. Respondeo negando sequelam. Ad cuius primam probationem nego pariter consequentiam. Aliter enim se habet diuinitas ad Deum, cui conuenit per essentiam: aliter ad humanitatem, cui conuenit tantùm per participationem & adiectiuè. Sicut licet diuinitas sit eadem ratio formalis, propter quam Deus amatur propter se, & proximus propter Deum: non propterea reddit proximum æquè amabilem, ac Deum ipsum: quia aliter se habet ratio illa formalis ad Deum, aliter ad proximum. In forma igitur distinguo antecedēs. Humanitas est sancta formaliter, sed adiectiuè tantùm, id est, ab adiecto, & participatiuè, per eandem formā, seu sanctitatē, quā Deus ipse essentialiter & per se, atque ita modo longè diuerso: Concedo. Eodem prorsus modo: Nego. Ergo æqualiter ac Deus: Nego consequentiam. Modus enim diuersus habendi formam, addit vel detrahit perfectioni effectus eius formalis, & denominationis ab ea su[illegible], respectu eius à quo perfectiùs, vel in[illegible]fectiùs habetur. Perfectius autem est habere per essentiam & per identitatem, quàm habere solùm per vnionem gratuitam. Quare meritò Suares disp. 53. sect. 3. §. *Vbi ... dicendum*, ait sanctificationem humanitatis per gratiam vnionis, longe minorem esse sanctificatione per essentiam, quam Verbum aut natura diuina per se habet. *Suarez.*

16. Ad secundam probationem Respondeo, non omnem formam reddere subiectum tam amabile, aut sanctum, aut perfectum, quàm ipsa est absolutè & per se: sed quantùm illud reddi potest ex communicatione talis formæ, quę quamuis se totam communicet, non propterea mutat naturam intrinsecam subiecti, neque facit illud esse in seipso paris dignitatis cum ipsa forma sibi communicata. Adde, quòd sicut gratia sanctificans inhærens lapidi v.g. non illum redderet tam gratum, atque animam vel Angelum cui inhæret, neque posset in illo sortiri perfectè illum effectum formalem amabilitatis aut sanctitatis, quem sortitur in anima vel in Angelo: ita nec diuinitas sortitur parem effectum formalem, vt ita loquar, in humanitate Christi, atque in Deo ipso. Imò neque exhauritur ab humanitate, quasi illi formaliter immediatè vniatur, & non tantùm identicè, secundum totam suam amplitudinem virtualem intensiuè & extensiuè infinitam in omni genere perfectionis, & inexhauribilem à creatura, non minùs in esse seu communicari, quàm in cognosci seu comprehendi cognitione.

17. *Instantia repellitur.* Instabis, quia humanitas Christi, licet non propter se ac seorsim, tamen vt coniuncta Verbo, coadoratur eodem cultu latriæ: ergo vt sic est æquè sancta, excellens, & amabilis.

Respondeo, coadorari quidem eodem cultu externo, qui fertur in Christū totum indiuisibiliter, propter supremam excellentiam Verbi: sicut cultus hyperduliæ fertur in totam Beatam Virginem, & cultus duliæ fertur in sanctum, propter excellentiam gratiæ & beatitudinis animæ. Neque enim alius cultus externus redditur eius animæ, & alius corpori: affectus tamen internus æstimationis & honoris non eodem modo & æqualiter tendit in Christum secundum omnes eius partes. Nam in Verbum tendit vt per se supremum ens necessariò & essentialiter, atque ratione sui adorabile. In humanitatem verò solùm vt coadorabilem, propter excellentiam Verbi non necessariò sibi vnitam. Quare in Verbum fertur propter excellentiam propriam: in humanitatem verò, propter excellentiam Verbi. Et quamuis hæc coadoratio non vocetur respectiua, quia excellentia, propter quam redditur humanitati, est in eodem supposito, in quo est humanitas; vnde non est respectiua ad aliquid extrinsecum, vt imago ad prototypum: reuera tamen non est tam absoluta vt adoratio Verbi, quæ simpliciter absoluta est respectu Verbi, quatenus Verbo redditur propter intrinsecam, essentialem, & propriam

ipsiusmet excellentiam: qui modus adorandi longè nobilior est. Vtque supra diximus, non eodem modo & æquè perfectè sanctificari humanitatem per diuinitatem, ac Verbum ipsum per eam sanctificatur: ita neque dignificatur eodem & æquali modo. Notandum autem aliud esse loqui de humanitate: & aliud loqui de Christo, qui intrinsecè includit hypostasim & diuinitatem: atque ea ex parte est æquè sanctus & adorabilis, ac Deus ipse: quia est verè & essentialiter Deus. Notandum secundò, licet humanitas non fiat sancta æqualiter ac Deus, per vnionem hypostaticam: fieri tamen infinitè sanctam physicè, ac non tantùm moraliter infinitè æstimabilem: quatenus per veram & physicam vnionem habet formam, quá multò magis sanctificatur physicè, quàm anima per gratiam intensiuè infinitam, si illius capax esset. Ostendimus autem alibi vnum infinitum posse altero esse perfectius. Quod necessariò fateri debent quicumque admittunt posse infra Deum dari aliquod infinitum.

SECTIO III.

An Christus habeat gratiam creatam habitualem?

18. Christus habuit cõuenienter gratiam creatam.

RESpondeo, conueniens fuisse Christum ornari & sanctificari gratia creata habituali, & virtutibus infusis ad operandum supernaturaliter instrui, illisque reipsa instructum fuisse. Ita communi consensu Theologi. Probatur primò, quia gratia, & virtutes infusæ, sunt qualitates supernaturales excellentissimæ, Christique dignitati valde conuenientes, & vtiles ad operandum supernaturaliter. Secundò, vt rectè argumentatur S. Thom. qu. 7. art. 1. si cæteri homines gratiam obtinent propter vnionem cum Deo, cuius influxum recipiunt: multò magis anima Christi, quæ Deo magis coniuncta fuit. Quantò enim aliquod receptiuũ est propinquius causæ influenti, tantò magis participat de influentia ipsius. Tertiò, cum cæteri iusti & sancti gratia creata habituali sanctificentur, instruanturque virtutibus supernaturalibus, vt docet Trident. sess. 5. cap. 7. conueniens fuit Christum illis quoque sanctificari & instrui, quoad eius dignitati non repugnabat: vt sic caput esset membris homogeneum, quantùm fieri poterat, & nos de ipsius plenitudine acciperemus, vt dicitur Ioan. 1. Adde, Christum non modò esse caput, sed & exemplar iustorum & prædestinatorum, ad Rom. 8. Ergo sicut iusti & prædestinati accipiunt formas supernaturales creatas, quibus sanctificantur, & instruuntur ad operandum supernaturaliter: sic &c. Confirmatur, quia illi quoque possent cum remissione peccati sanctificari moraliter per assistentiam & specialem præsentiam Dei, atque ab eodem immediatè eleuari ad omnes actus supernaturales, sicut reipsa eleuantur ad actus illos supernaturales, qui præcedunt iustificationem & infusionem habituum supernaturalium. Illi enim non possunt procedere ab habitibus naturâ posterioribus, sed à Dei concursu & auxilio speciali supplente defectum habitus, qui simili modo semper suppleri posset. Et tamen quia connaturalius & melius est vt iusti physicè sanctificentur per formas inhærentes, & per eas constituantur permanenter & intrinsecè potentes ad operandum actus supernaturales dignos vita illa spiritali, quam per gratiam sanctificantem accipiunt; ideo Deus habitus illos infundit. Ergo similiter quamuis Christus posset constitui potens per assistentiam specialem diuinitatis sibi vnitæ mediatè, decuit tamen vt per formas intrinsecas, & immediatè sibi vnitas, vim illam plenam & completam acciperet.

Quæres, an Christus fuerit sanctior per gratiam creatam sanctificantem, quàm esset per solam hypostasin Verbi, aut diuinitatem sibi vnitam: ita vt sanctitas hypostatica fuerit per gratiam aduenientem aucta, vel ex vtraque maior quædam sanctitas totalis extiterit. Negat Vasq. disput. 41. cap. 4. vers. vltimo. Quoniam, inquit, sanctificatio per Deitatem, quæ est Deificatio, est infinita, & ita omnem alium modum sanctificationis absorbet, vt nihil perfectionis in genere sanctificationis possit ipsi accrescere. Confirmatur, quia alioqui ex bonis operibus, quæ Christus quotidie exercebat, aduenisset illi aliquid sanctitatis, & perfectionis, ac consummationis iustitiæ, quod est contra doctrinam Patrum. Adde, quòd sanctificari propriè, est fieri Deo gratum in ordine ad vitam æternam. Ergo magis sanctificari, est fieri magis gratum Deo in ordine ad maiorem Dei visionem. At Christus non erat Deo gratior, neque ordinatus ad maiorem Dei visionem propter gratiam creatam adiunctam, quàm propter solam vnionem hypostaticam, ratione cuius erat Deo gratissimus, & dignus summa sibi possibili visione Dei. 19.

Vasquez.

Dicendum tamen est Christum fuisse quidem hypostasi diuina, & Deitate ipsa sanctiorem, quàm vllâ forma creatá esse posset, & eam sanctitatem non potuisse intendi per habitus creatos superadditos, qui erant diuersi ordinis (sicut iustitia supernaturalis non intenditur per naturalem) & continebantur eminenter, non quidem in hypostasi, nisi prout includit essentiam, sed in diuina essentia mediatè sanctificante: extensiuè tamen creuisse illam sanctitatem per habitus infusos, qui, vt Vasques ibidem fatetur, contulerunt Christo aliquam sanctitatem. Quare per illos habuit Christus aliquam sanctitatem, quam sine illis non habuisset formaliter, sed tantùm eminenter in diuina essentia, atque habuit formaliter plus sanctitatis, quàm vi solius hypostasis & Dei- 20. Fuit per illa sanctior extensiuè.

tatis habuisset: atque ex vtraque sanctificatione conflata est vna quædam totalis, quæ extensiuè maior est qualibet sui parte; cùm præter illam partem contineat aliam, & non tantùm habeat perfectionem totam illius partis, sed etiam alterius.

21. Soluitur 1. argum. in contrariũ.

Ad primum argumentum Vasquis Respondeo posse aliquid accedere infinito non formaliter in ipso contentum. Ac certum est, gratiam creatam non contineri formaliter in hypostasi, nec in diuinitate: licet hæc eminenter omne aliud genus sanctificationis absorbeat, neque per vllum aliud intendi possit, nec propriè perfici & consummari; sed tantùm illi velut extensiuè adiungi, & cum illo componere vnam totalem sanctitatem extensiuè maiorem.

Ad secũdũ. Ad secundum Respondeo, Christum non fuisse quidem per opera magis sanctificatum in actu primo & habituali, quem ab initio conceptionis habuit, quantum deinceps habere potuit, vt dicemus inferiùs: fuisse tamen magis per illa sanctificatum in actu secundo, de quo potest intelligi quod ipse ait Ioan. 17. *Ego pro eis sanctifico meipsum.* Etenim Christi opera sancta erant, & Christus fuit sanctus operibus dum ea exercuit: & habuit opera quæ non habebat antequam operaretur: & per opera meruit, non autem præter illa, aut ante illa. Est autem penitùs impossibile vt Christus dum haberet actu opera sancta, quæ ante non habebat, non haberet aliquid sanctitatis actualis, quod non habebat formaliter antequam opera illa exerceret. Etenim illa non sunt, antequam fiant: & dum sunt actu, impossibile est vt non sint aliquid boni & sancti, siquidem ipsa intrinsecè & inseparabiliter bona & sancta sunt.

Ad tertiũ. Ad tertium Respondeo, Christum fieri magis gratum, & magis ordinari ad vitam æternam, id est, pluribus titulis amari à Deo, & ordinari efficaciter ad vitam æternam, seu acceptari ad idem bonum ob plures causas totales. Simili modo Deus amaret plus extensiuè tres humanitates hypostaticè vnitas, quàm vnam. At non plus intensiuè: quia ratione diuinitatis sibi vnitæ, quælibet esset digna tanto amore intensiuè, & tanta visione Dei, quanta tres simul. Valet enim diuinitas vnita humanitati ad dandum illi tantum ius, ratione suæ infinitatis in omni genere perfectionis.

22. Non est de fide Christũ habuisse gratiam creatam.

Quæres secundò, an sit de fide Christum fuisse sanctificatum habituali gratia creata? Affirmat Suares disp. 18. sect. 2. conclusione 2. Idemque probabilius esse ait Valentia quæst. 7. puncto 1. quæsito 1. conclusione 4. Sed cum Vasque disp. 41. cap. 1. De Lugo disp. 16. sect. 5. num. 92. & aliis recentioribus dicendum censeo, fore quidem temerarium id negare contra communem consensum Scholasticorum: non tamen fide diuina certum esse: quia neque in Scriptura, neque in vlla fidei traditione satis docetur, vt patebit examinando fundamenta Suaris: quorum primum est huiusmodi: Communis, inquit, consensus Sanctorum Patrum & Scholasticorum conspirantium in assertionem alicuius veritatis vt indubitatam, & in Scripturis contentam, facit certitudinem fidei. Atqui res proposita habet talem consensum: ergo habet certitudinem obiecti fidei. Minorem ait se ostendisse in prima conclus. vbi plurima Sanctorum Patrum testimonia retulit.

Soluitur primum argum. in cõtrarium.

Respondeo, minorem non esse veram, nec bene probatam. Nam neque Patres, neque Scholastici conspirant in hanc sententiam, velut indubitatam, & certò in Scriptura contentam. Sed dumtaxat nonnulli Patrum interpretantur quædam Scripturæ loca iuxta illam assertionem, quæ tamen alij multi & fere omnes intelligunt de sanctificatione per hypostasin, aut per opera: neque satis fideliter referuntur à Suare, vt bene notat Vasques cap. cit. vbi diligentiùs loca illa Patrum expendit. Scholastici verò conspirant quidem nunc omnes in hanc sententiam velut moraliter certam, ad eamque accommodant quædam Scripturę loca: sed non dicunt, nisi pauci, esse de fide, & satis certò in Scriptura contineri, vel ex ea deduci. Et quamuis omnes Scholastici in eo consentirent: non propterea res esset de fide. Nam consensus Scholasticorum non est regula fidei, sicut est consensus sanctorum Patrum, vt ostendimus in Tract. de Fide. Imò neque consensus Patrum conspirantium tantùm in aliquid tanquam probabiliùs contentum in Scriptura, vel ex ea deductum: quia quod credi debet, plus requirit quàm probabilitatem. Præterea cùm agitur de eo quod est probabile per illationem; videndum est sitne illatio bona; & num possit oppositum ex aliis locis meliùs deduci.

Secundum argumentum Suaris: De fide est animæ Christi fuisse charitatem infusam: hoc enim donum commune esse omnibus iustis, quorum Christus Princeps est, docet passim Scriptura, & Paulus vniuersè dicit sine charitate nihil cætera valere. Quis ergo sine nota hæresis negare potest charitatis donum fuisse infusum animæ Christi? Respondeo negando maiorem, si sermo sit de charitate habituali, quæ licet sit in omnibus iustis, vt docet Scriptura, & Trident. sess. 6. cap 7. non sequitur esse pari certitudine in Christo, de quo Scriptura & Concilia id non ita exprimunt, & in quo est aliquid eminentius charitate habituali, valensq; ad ea omnia, ad quæ charitas valere potest. Quod autem ait Paulus 1. Corinth. 13. sine charitate cætera nihil valere, vel non dicitur de charitate habituali: vel intelligendum est, sine charitate aut aliquo eminentiori. Quemadmodum quod idem ait Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*, intelligendum est, sine fide, aut cognitione nobiliori. Christus enim Deo maximè placuit, in quo tamen fides non fuit. 23. Secundum argum.

24. Tertium argumentum: De fide est quòd

Tertium argumentum.

in omnibus iustificatis sit charitas infusa habitualis. Atqui par aut maior est ratio vt sit in Christo, in cuius anima Scriptura & Patres non minùs dicunt inhabitare Spiritum sanctum per sua dona, quàm in anima iustorum: ergo &c. Respondet Vasquez supra n. 11. negando antecedens, propter adultos: nam de paruulis fatetur id esse de fide. Sed de adultis malè id negat, & non satis conformiter definitioni Trident. sess. 6. cap. 7. vbi formam iustificationis adultorum distinguit ab actibus, eamque definit remissione peccatorum, & infusione gratiæ ac donorum: & paulò post ait, in iustificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infundi, fidem, spem & charitatem, quam, inquit, iubentur renati conseruare, vt eam perferant ante tribunal Christi. Et cap. 16. dicit gratiam, quà iustificantur homines, esse in illis fontem aquæ salientis in vitam æternam. Et can. 3. eam iterum apertè distinguit ab actibus credendi, sperandi, diligendi, & pœnitendi. Et sess. 7. can. 6. 7. & 8. definit, sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem. Gratiam scilicet sumptam vniuocè, & eodem sensu, quo eam sumpserat sess. 6. cap. 7. vbi eam ab actibus velut à dispositionibus distinguit. Ex quibus sic argumentor: Gratia iustificans, etiam adultos, distinguitur per Trident. ab actibus, vt forma à dispositionibus: & est quid permanens, & conseruandum vsque ad tribunal Christi: & instar fontis ex quo riui salutares emanant: & infunditur omnibus, etiam paruulis, non ponentibus obicem in susceptione sacramentorum. At hæc apertè non conueniunt actui, sed habitui. Nam actus fidei, spei, aut charitatis, non distinguitur ab actibus fidei, spei, aut charitatis, vt forma à dispositionibus: neque est quid permanens & stolæ simile; neque conseruari potest vsque ad mortem: neque est fons iugis aliorum actuum vt riuorum salutarium: neque datur paruulis in susceptione Baptismi, cùm paruuli non sint eius capaces: sed neque adulti experiuntur infundi sibi tales actus, cùm sacramenta perficiuntur, licet ea ritè suscipiant. Ergo ex definitione Trident. certum esse debet, gratiam iustificantem non consistere in actibus, sed in habitibus.

Vasquez.

De fide est, iustificatis infundi habitum charitatis, etiā adultis.

Quare concessa maiore argumenti supra propositi, nego minorem. Quia licet in aliis iustis sit habitus charitatis secundum se permanens: tamen de humanitate Christi nihil tale sufficienter ad fidem diuinam reuelatum est: & illa aliunde sancta fuit & est: potuitque singulari priuilegio habere aliud principium agendi supernaturaliter, nempe Deum ipsum physicè sibi vnitum multò perfectiùs, quàm gratia seu charitas, & aliæ virtutes infusæ, vniantur iustis. Neque est necesse vt inter Christum & alios sanctos sit conformitas maxima, & vniuoca secundum omnia, licet Christus sit caput & exemplar prædestinatorum. Quodque ait Paulus Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri*, &c. intelligi potest in rigore de conformitate per opera.

25. Quartum argumentum: Licet Christus per vnionem hypostaticam habuerit aliam priorem & excellentiorem sanctificationem: tamen ad debitam illius animæ pulchritudinem, & dispositionem, & ad connaturalem operandi modum, atque ad perfectam participationem diuinitatis, & consummatam iustificationem, tam necessaria fuit hæc gratia animæ Christi, sicut aliis. Aliunde verò hæc illi magis, quàm aliis conferenda erat, propter vnionem hypostaticam, propter quam etiam habuit perfectissima dona sapientiæ, & scientiæ, ac visionis Dei. Atque etiam eius corpori, quamuis vnito Verbo, imò quia vnito, data sunt tempore conuenienti dona gloriæ. Quod non minùs de illo certum est, quàm de aliis iustis, quorum corpora futura sunt conformia corpori claritatis eius. Cur non ergo idem existimandum est de donis animæ? Addit Suar. hanc veritatem doceri ab omnibus Patribus & Conciliis, tradentibus vtramque naturam, diuinam & humanam, fuisse in Christo perfectam omnibus proprietatibus & perfectionibus ad vtramque pertinentibus.

Quartum argumentum.

26. Respondeo negando antecedens. Neque enim Christo aliunde sanctificato, & instructo ad bene operandum sufficienter & excellentissimè per ipsam diuinitatem physicè vnitam ipsius animæ, tam fuit necessaria gratia habitualis, atque aliis qui nullam habent aliam formam eminentiorem quā sanctificentur. Neque est de fide, fuisse in Christo dona creata habitualia sapientiæ, & scientiæ, ac luminis gloriæ ad Deum videndum: quæ omnia poterant suppleri per diuinitatem vnitam eius animæ, operantem loco habitus, & præstantem quidquid ille præstat in genere causæ efficientis. De gloria verò corporis alia est ratio. Nam euidens est, corpora gloriosa, tam Christi, quàm aliorum Beatorum, non posse esse perpetuò lucida instar solis & stellarum, sine luce permanente: similiterque non posse habere meliores dispositiones & affectiones, sine qualitatibus in quibus formaliter consistunt huiusce modi dispositiones & affectiones. Quare quàm certum est corpora gloriosa Christi, & Beatorum, esse, aut fore lucida, & mutata in melius: tam certum est, habere aut habitura esse qualitates, sine quibus talis immutatio fieri nequit. Fore autem lucida corpora Beatorum docet Scriptura Matth. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Esse item mutanda in melius docet Apostolus 1. Corinth. 15. v. 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur:* in melius scilicet, etiam secundum corpus, cuius est cadere per mortem, & resurgere. Et vers. 42. *Stella differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Seminatur*, corpus *in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute:*

Gratia habitualis nō tam fuit necessaria Christo, quàm aliis iustis.

tute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Non tamen constat fide diuina quot omnino, & quales futuræ sint omnes illæ qualitates corporum Beatorum. Et quamuis admodum conueniens fuerit, animam Christi conuenientibus quoque habitibus supernaturalibus ornari, maximéque gratia sanctificante: id tamen neque fuit adeo necessarium: neque sufficienter à Deo reuelatum. Non enim, vt ait Suar. Patres omnes & Concilia id docent: sed tantùm definiunt contra Eutychianos, vtramque naturam habuisse in Christo suas omnes proprietates & perfectiones naturales, quia manserunt integræ & inconfusæ. Neque in contrarium quidquam ex Patribus, aut ex Conciliis profertur à Suare, cui respondere ampliùs opus sit.

SECTIO IV.

De virtutibus animæ Christi infusis: deque donis Spiritus sancti, & gratiis gratis datis.

27. Fides non fuit in Christo.

PRima conclusio: Fides habitualis non fuit in Christo, sed loco illius habuit lumen gloriæ, & scientiam supernaturalem. Ita communi consensu Theologi cum D. Thom. qu. 7. art. 3. vel cum Magist. in 3. dist. 23. Ratio est, quia fides in omni suo actu includit essentialiter imperfectionem Christo disconuenientem, nempe obscuritatem, vt suppono ex tract. de Fide. Ergo Christus non potuit vllum fidei actum exercere. Ergo nec habitum fidei habuit. Ad quid enim habitus, cuius nullum vsum habere poterat, quique ex natura sua ipsi disconueniebat?

Fides non manet in Beatis.

Dices, habitum fidei manere in Beatis, in quibus tamen nullum vsum habere potest, & in quibusdam nunquam habuit, neque habere potuit: nempe in paruulis post baptismum morientibus. Ergo ratio allata non concludit. Respondeo primò, antecedens esse incertum, & à Theologis communiter negari, nominatimque à D. Thom. quem sequuti sumus disput. 12. de Fide sect. 4. conclusione 3. Deinde dico non valere consequentiam: quia diuersa hac in parte est ratio Christi, & aliorum Beatorum. Nam alij Beati habuerunt fidem habitualem in via, eáque per se loquendo vti potuerunt, licet per accidens mors quosdam impediuerit. Et quicumque non tantùm iure hæreditario, vt paruuli, sed per opera dispositiua aut meritoria Beatitudinem assequuti sunt; fide habituali reipsa vsi sunt, & per eam triumpharunt de Diabolo. Cùm autem fides habitualis sit ex natura sua permanens, posset manere in Beatis, non ad operandum in statu Beatitudinis, cui non conuenit obscuritas reuelationis: sed ad insigne victoriæ, vel ornamentum animæ.

Loquimur autem de fide propriè sumpta, prout est habitus credendi, siue assentiendi certò, sed obscurè, veritatibus à Deo reuelatis. Non autem prout sumitur pro constantia in dictis & factis, quæ sine dubio in Christo fuit, de eaque potest intelligi illud Isaiæ 11. *Erit fides cinctorium renum eius:* Nisi potiùs de populo credentium intelligendum sit. Neque etiam prout significat pium affectum voluntatis erga res fidei, ad eis acquiescendum, & sibi complacendum in honestate, quæ est in eo quòd homines vel Angeli assentiantur veritatibus à Deo reuelatis, quia reuelatis. Talis enim affectus habitualis Christo non disconuenit, neque eius actus, siue actualis complacentia circa honestatem obedientiæ, quam Deo exhibemus captiuando intellectum in obsequium fidei. Nam huius virtutis affectus versari potest tam circa fidem alienã, quàm circa propriam, & circa fidem per se consideratam, abstrahendo ab hoc aut illo subiecto. Quare licet in Christo non habuerit locum circa fidem ab ipsomet exercendam: habuit tamen circa fidem per se consideratam, & circa fidem alienam. Eodẽ modo quo iustitia, temperantia, fortitudo, magnificentia, versantur quoad affectum circa iusta, fortia, temperata & magnifica per se: atque tam circa propria, quàm circa aliena. 28.

Fuit in Christo pius affectus voluntatis erga res fidei, eiusque honestatẽ.

29. Spes & charitas fuerũt in Christo. Suarez.

Secunda conclusio: Aliæ virtutes Theologicæ fuerunt Christo infusæ, spes scilicet, & charitas, quam à gratia sanctificante non distingui realiter probabilius est. Prima pars, de spe, traditur à Suare in Commentario articuli 4. quæstionis 7. Ratio eius est, quia spes Theologica est virtus supernaturalis quá per amorem concupiscentiæ prosequimur proprium bonum supernaturale, & auersamur oppositum. Quæ virtus licet ab actu desiderandi aliquid arduum & difficile, qui speciatim vocatur spes, nomen acceperit: valet tamen ad omnem actum voluntatis circa bonum proprium supernaturale vt tale, & circa malum oppositum: siue ad amandum illud bonum simpliciter & per se consideratum, abstrahendo à præsentia, vel absentia: siue ad illud desiderandum quando est absens: siue ad gaudendum de illo quando est præsens. Idemque dico de actu odij simplicis circa malum oppositum simpliciter consideratum: vel timoris circa illud absens & imminens: & tristitiæ circa præsens. Hi enim omnes actus sunt inter se connexi, & vnus ex alio sequitur in subiecto capaci, pertinentque ad eandem virtutem supernaturalem, quæ per modum potentiæ valet ad plures species actuum, perficitque subiectum circa obiectum proprium, secundum omnem modum, quo potest in illud conuenienter tendere. Quamuis autem Christus, qui ab instanti suæ conceptionis fuit beatus secundum mentem, non potuerit habere

actum specialem spei, id est, desiderij circa propriam Beatitudinem animæ per media ardua & difficilia consequendam: neque actum timoris incurrendi malum oppositum: potuit tamen habere actum amoris circa propriam Beatitudinem, & gaudij de illa: itemque actum detestationis oppositi. Præterea cùm Christus non habuerit ab initio Beatitudinem & gloriam corporis, eamque per mortem & per opera difficilia consequi debuerit: potuit circa illam habere actum proportionatum & supernaturalem, sicut habuisse fatetur S. Thom. art. cit. Ac proinde debuit habere habitum supernaturalem, qui esset principium talis actus supernaturalis. Habitus enim per se infusi ponuntur in Christo, & in nobis, propter actus supernaturales conuenienter exercendos. Et hic habitus non fuit alius quàm spei Theologicæ, cuius est versari circa finem supernaturalem eiusque media & annexa, prout sunt bonum nostrum supernaturale, ac circa eorum opposita.

30. Charitas habitualis non distinguitur à gratia sanctificante.

Secunda pars conclusionis, quòd charitas in Christo fuerit, tam quoad habitum, quàm quoad actum, est citra controuersiam. Quòd verò probabilius sit, non distingui realiter quoad habitum à gratia sanctificante, probatur, quia licet D. Thom. qu. 7. art. 2. & 1. 2. q. 110. art. 3. & 4. aliique multi putent realiter distingui: huius tamen distinctionis nullum sufficiens argumentum ex Scriptura vel ex Conciliis aut aliunde proferunt. Scriptura enim tribuit charitati quæcumque tribuit gratiæ, nec vnquam significat distingui, vt ostendimus in tract. de Gratia. Concilium verò Trident. sess. 6. cap. 7. loquens de forma iustificationis, initio quidem mentionem facit gratiæ & donorum, quæ cum remissione peccatorum ait infundi in iustificatione: sed paulò post declarans quid intelligat per gratiam illam & dona, sic ait: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inferitur, fidem, spem, & charitatem.* Nec vsquam ibi aut alibi meminit gratiæ distinctæ, quam certè omittere non debuisset: maximè cùm, iuxta aduersarios, ea sit tota forma vel magis præcipua iustificationis.

31. Euertitur fundamentũ cõtrariæ sententiæ.

Præterea, fundamentum contrariæ sententiæ est infirmum & minùs probabile. Supponit enim intellectum & voluntatem distingui realiter à substantia animæ: & ideo gratiam infundi & inhærere immediatè ipsi substantiæ animæ, vt eam attollat ad esse supernaturale, eique det esse primarium & veluti substantiale vitæ supernaturalis, à quo fluant virtutes supernaturales, sicut potentiæ & proprietates fluunt à substantia animæ. Sed illa distinctio potentiarum animæ ab ipsius substantia est superflua & minùs probabilis, estque omnino impossibile animam non per se immediatè intelligere & velle, vt ostendimus in tract. de Angelis. Deinde, charitas & aliæ virtutes supernaturales, cùm habeant aliquod esse supernaturale; hoc ipso quòd informant subiectum, tribuunt illi formaliter aliquod esse supernaturale. Quare non est opus alia forma supernaturali distincta, vt subiectum attollatur ad esse supernaturale. Nam virtutes, quæ simul sunt naturæ aliquæ seu entitates, & potentiæ supernaturales, tribuunt simul esse supernaturale subiecto, & posse supernaturaliter operari. Vlteriùs, si virtutes fluunt à gratia, vt potentiæ naturales & proprietates à natura: ergo quemadmodum destructá naturá pereunt potentiæ & proprietates: ita pereunte gratia peribunt fides & spes. At hoc est contra Trident. sess. 6. cap. 15. affirmans, quouis peccato mortali amitti quidem gratiam, sed non fidem, quæ scilicet non tollitur nisi per peccatum infidelitatis, directè ipsi oppositum. Denique si volunt Aduersarij cætera omnia fluere physicè à gratia, velut à vita supernaturali substantiali & primaria, vt potentiæ & proprietates fluunt à natura: ergo & lumen gloriæ & cætera dona supernaturalia fluunt ab illa, idque naturaliter & necessariò, cùm gratia non sit principium liberum. Cur ergo non insunt omnibus quibus inest gratia? Et quomodo Deus non infert illi vim, cùm impedit ne ab ea fluant: sicut inferret violentiam animæ, si impediret ne potentiæ & proprietates naturales oriantur ab ipsa? Consentit Vasq. 1. 2. disp. 198. nu. 17. post Alensem, Henric. Albert. Scot. Durand. Gabr. Ricard. & alios citatos ibidem num. 1. Vasquez.

32. Virtutes morales fuerunt Christo infusæ.

Tertia conclusio: Præter virtutes Theologicas fuerunt in Christo virtutes morales, tum supernaturales & infusæ per se, tum naturales & infusæ per accidens: licet non omnes cuiusque actus exercere potuerit, ob specialem aliquorum disconuenientiam. Prima pars de virtutibus moralibus per se infusis, & in substantia supernaturalibus (quæ scilicet non possunt aliter quàm per infusionem haberi, vnde ex natura earum est quòd infundantur) probatur: quia si, vt probabilius est, infunduntur simul cum gratia huiusmodi virtutes omnibus iustis: non est negandum fuisse Christo infusas, cùm nulla sit earum quæ multos actus in Christo exercere non potuerit. Conueniens enim fuit vt Christus, æquè ac alij iusti, haberet principium permanens & intrinsecum ad huiusmodi actus velut connaturaliter exercendos. Huiusmodi virtutes sunt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia: & earum partes potentiales aut subiectiuæ, religio, pietas, obedientia, & similes, quas in Christo locum habere potuisse, & operari plurimos actus, per se manifestum est.

33. Etiam illæ quæ sunt

Secunda pars de virtutibus naturalibus in substantia, & per accidens tantùm infusis, quæ nimirum similes sunt & eiusdem naturæ cum illis, quas homines longo vsu & exerci-

naturales in substantia.

tio per proprios actus acquirunt, quæque natura suâ non postulant infundi, sed possunt naturaliter acquiri: probatur, quia conueniens fuit vt Christus à primo instanti conceptionis haberet illa bene operandi subsidia, in gradu heroico & perfecto; vt sic esset omni ex parte optimè instructus ad bene operandum, tam naturaliter, quàm supernaturaliter, circa obiecta naturalia, & supernaturalia, & ex proprio cuiusque virtutis motiuo. Etenim modus bene operandi naturaliter circa obiecta naturalia, & vsus rationis naturalis, Christum non dedecebat; neque impediebatur, aut excludebatur per gratiam, quæ non destruit naturam, sed perficit. Quin potiùs maximè decuit vt per huiusmodi habitus, tum intellectus & voluntas, tum sensus internus & appetitus sensitiuus Christi, meliùs subderentur rationi, eique faciliùs obsequerentur; qui modus subiectionis valde connaturalis est. Adde, quòd huiusmodi habitus sunt magna perfectio naturæ rationalis, quâ Christus carere non debuit.

34. Non tamē omnes eorum actus Christo conueniebant.

Tertia pars conclusionis, quâ diximus non omnes huiusmodi virtutū actus Christo conuenisse propter aliquam imperfectionem, quam aliqui eorum inuoluunt aut supponunt, patet, quia Christus non poterat habere actum pœnitentiæ, qui est dolor de propriis peccatis iam commissis: neque enim potuit peccare. Neque actum continentiæ ad refrænandos motus rebelles concupiscentiæ, & stimulos carnis frangendos: talium enim motuum expers fuit. Et idem est de similibus actibus. Quo non obstante habuit tamen habitus qui per se valent ad huiusmodi actus, & in subiecto capaci illos exercent. Putà, habitum iustitiæ erga Deum, ad quam pertinet actus specialis pœnitentiæ, id est, dolor de peccatis vt Deo iniuriosis, cum propositoq satisfaciendi: & habitum temperantiæ vel castitatis, qui non tantùm valet ad actus virgineos, & nulla ex parte indecoros: sed etiam ad frænandos pudendos illos motus, & retundendos carnis rebellis stimulos. Habuerunt enim huiusmodi habitus in Christo amplitudinem quandam, quâ per se valerent ad plures actus, quorum aliqui Christum non dedecebant, sed potiùs erat conueniens vt illos subinde exerceret.

Suar. Vasq.

Consentiunt in his omnibus Suar. dispu. 19. sect. 1. & 2. & alij plures quos citat. Vasques autem disp. 42. n. 3. negat prudentiam naturâ suâ acquisitam, Christo fuisse infusam per accidens, sed cum scientia decursu temporis fuisse per consultationem comparatam. Verùm Christo omnia sibi occurrentia & necessaria præscienti sine vlla difficultate, non fuit opus consultatione, vt quæreret quid hic & nunc sibi agendum esset, & sic prudentiam sensim sibi compararet. Aliunde autem conuenientius fuit, vt aliæ virtutes morales naturales, Christo infusæ ab initio, haberent quoque ab initio ducem suum connaturalem, qui est prudentia naturalis. Potuit autem infundi ab initio, non obstante acquisitione scientiæ experimentalis, vt ostendemus disp. sequenti sect. vltima.

Quarta cōclusio: Fuerunt etiam in Christo septē dona Spiritus sancti, siue ea distinguātur realiter à virtutibus infusis, siue non. Probatur ex Isaiæ 11. v. 2. vbi de Christo dicitur, *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Estque id de fide quoad rem his nominibus significatam, abstrahendo, sitne ibi sermo de ipsomet Spiritu sancto, qui per seipsum hæc omnia operetur in Christo, & in aliis iustis, dicaturque Spiritus sapientiæ, quia sapere facit: Spiritus intellectus, quia dat intelligentiam: & sic de cæteris: vel de habitibus quibusdam à Spiritu sancto infusis, qui valeant ad huiusmodi actus: vel de solis actibus mediante auxilio Spiritus sancti elicitis. Neq; enim fide diuina constat, quidnam horum verbis illis Isaiæ intelligatur, vt ostendimus in tract. de Fide disp. 13. sect. 2. & 3. Vbi etiam probabilius esse diximus huiusmodi dona non distingui realiter à virtutibus infusis respicientibus eadem obiecta: sed esse ipsasmet virtutes prout aptæ sunt operari supra regulas ordinarias, per vehementiorem & extraordinarium Spiritus sancti impulsum. Quo etiam sensu vitia, prout vehementiore Dæmonum tentatione & impulsu iuuantur, & extraordinariè operantur, dici possunt Spiritus nequitiæ. Siue autē distinguantur à virtutibus, siue non, debent in Christo admitti: tum propter Verba Isaiæ citata: tum etiam quia tota ratio cur in aliis iustis admittantur, est, quia sunt in Christo, à quo in alios deriuantur: & de quo id affirmant sancti Patres propter locū illum Isaiæ: ac denique quia sunt magnæ perfectiones, & subsidia ad bene operandum, Christo conuenientia. 35. Fuerunt etiam in Christo 7. dona Spiritus sancti.

Dices, modum, quo huiusmodi dona dicuntur operari, non conuenire Christo. Dicuntur enim operari supra regulas communes, per motum extraordinarium Spiritus sancti, quo quis ita mouetur, vt agatur magis, quàm agat; neque bene percipiat quomodo aut qua ratione moueatur. Qui modus operandi, licet ex parte Spiritus sancti sit valde perfectus: tamen ex parte moti imperfectus est, & non conuenit Christo, qui in omnibus suis operationibus se perfectè mouebat, prospiciendo qua ratione, & propter quid moueretur. Deinde non apparet quomodo timor Dei locum in Christo habuerit. Timor enim versatur circa malum imminens. At Christus nullum à Deo malum sibi imminens timere potuit. 36. Obiectio bipartita.

Ad primum Respondeo cum Suar. disput. 20. sect. 2. modum operandi horum donorū, quamuis specialiter consistat in eo, quòd fit ex speciali & extraordinario instinctu Spiritus sancti, supra regulas ordinarias, tam naturales, quàm supernaturales mouentis, 37. Ad primam partem obiectionis.

& cum quodam impetu & vehementia impellentis: non tamen necessariò requirere vt is, qui mouetur, non bene percipiat ad quid, & quá ratione moueatur: sed hoc in nobis oriri ex imperfectione intellectus nostri qui per fidem ambulat, & non plenè capit Spiritus sancti numen cum maiori quadam vehementia irruentis. Quæ imperfectio licet à Christo abesset: conueniebat tamen vt supra regulas ordinarias ex pleno impulsu Spiritus sancti interdum operaretur. Vt reipsa fecit quando Spiritus sanctus mouit illum ad ieiunandum quadraginta diebus sine vllo cibo, Matth. 4. & quando veluti furore quodam, & zelo Domus Dei extraordinario, illum impleuit ad omnia susdeque euertēda, ejiciendo vendentes & ementes de templo, Ioan. 2.

38. Ad secūdū. Ad secundum Respondeo, multiplicem timorem Domini locum habuisse in Christo. Primò, Timorem reuerentialem, quo Christus, secundum humanitatem, Deum propter suam eminentiam reuerebatur; atque etiam nunc reueretur, formidatque ac refugit (sine anxietate tamen) illi se comparare, & incomprehensibilem eius maiestatem curiosiùs inuestigare, aut nimis familiariter cum illa versari. Qui timor etiam in Beatis est: de quo illud intelligi potest quod Ecclesia canit de sanctis Angelis in præfatione Missæ, *Adorant Dominationes, tremunt Potestates.* Et Iob. 26. *Columnæ cœli contremiscunt.* Eundemque Dionys. cap. 13. de cœlesti Hierarch. vocat, sacram ac plenam horroris venerationem, ac religionem, qua sancti celsiorem mysteriorum indaginem perhorrescunt: aitque designari per Seraphinos velantes pedes suos duabus alis, Isaiæ cap. 6. De eodem timore reuerentiali loquitur D. Thom. qu. 7. art. 6. Præter hunc fuit secundò in Christo Domino timor filialis, qui ad charitatem pertinet, versaturque præcipuè circa peccatum vt malum Dei, estque auersio ab illo vt imminenti. Christus autem quanquam non poterat timere peccatum, vt sibi ipsi imminens, cùm esset impossibile ipsum peccare posita vnione hypostatica: poterat tamen habere auersionem peccati imminentis aliis. Timor enim versatur circa malum alienum, & non tantùm circa proprium. Non poterat etiam timere Deum fore sibi infensum: sed poterat Deum fore infensum aliis apprehendere vt maximum malum, atque ab illo vt imminenti aliis abhorrere. Poterat etiam suspicere & vereri potentiam illam, quæ potest quamlibet creaturarum miseram reddere. Timor autem in Scriptura sumitur aliquando pro huiusmodi suspicientia & admiratione: vt Apocal. 16. *Magna & mirabilia sunt opera tua Domine, quis non timebit te, & magnificabit nomen tuum?* Et Luc. 5. & 7. timor vocatur admiratio cernentium potentiam & miracula Christi. Poterat vlteriùs habere auersionem, & horrorem peccati, vt absolutè possibilis in sua humanitate naturaliter spectata, & non assumpta hypostaticè. Quo pacto fas est quoque in cœlo, vbi tamen propter beatitudinem impeccabiles sunt, dicuntur habere timorem quendam peccati, sine anxietate tamen & sollicitudine. De quo D. August. lib. 14. de Ciuit. cap. 9. *Timoris casti nomine*, inquit, *ea voluntas significata est, quâ nos necesse erit nolle peccare, non sollicitudine infirmitatis ne forte peccemus, sed tranquillitate charitatis.* Præterea habere potuit timorem alium qui seruilis dici solet, & ad virtutem spei attinet, versaturque circa malum proprium, aut aliquo modo ad se pertinens, quà tale. Potuit enim Christus habere auersionem à peccatis, & à damnatione aliorum hominum vt sibi coniunctorum. Itemque timorem propriæ mortis & tormentorum, de quo Marc. 14. vers. 33. idque etiam respectu Dei sibi irati propter peccata hominum quæ in ipso vlciscebatur. Ac denique timorem Dei generatim loquendo fuisse in Christo tam certum est, vt Abaylardus id negans meritò fuerit damnatus ab Innocentio II. teste D. Bernardo epist. 190. longe ante medium, & ep. 194. Qua de re plura videri possunt apud Alphonsum A Castro V. *Christus*, hæresi 9.

Multiplex timor fuit in Christo, reuerentialis, filialis, &c.

Dionys.

S. Thom.

August.

Bernard.

Castro.

39. Vltima conclusio: Fuerunt etiam in Christo gratiæ quæ vocantur gratis datæ, id est, gratiæ ordinatæ ad aliorum bonum & vtilitatem, potiùs quàm ipsius operantis, quem non sanctificant, nec gratum Deo seu acceptum reddunt ad vitam æternam. Quæ gratiæ nouem communiter numerantur, sumunturque ex 1. Corinth. 12. vers. 8. *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in vno Spiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum.* Quorum omnium fusam expositionem vide apud Suarem in Prolegomeno 3. de Gratia cap. 5. & disput. 8. de Fide. Sufficiet dicere in præsenti, plures ex his gratiis habitualibus non distingui à virtutibus intellectus aut voluntatis Christi, de quibus suprà diximus. Nam sermo sapientiæ & scientiæ, & fides, id est, fiducia (non obscura in Christo, sed clara & euidens) impetrandi miracula; vel specialis intelligentia mysteriorum fidei, conueniens Doctori euangelico, vt possit ea explicare: vel facilitas eorundem simpliciter & accommodatè omnibus proponendorum, vt à rudibus etiam facilè capiantur: item Prophetia, & discretio spirituum, genera linguarum: & interpretatio sermonum: non distinguebantur in Christo à scientia eius beatifica & infusa, vi cuius poterat hæc omnia præstare. Licet fides nobis infusa id non possit: ideoque ad hæc præstanda opus sit nobis aliis ha-

Gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo.

Suar.

bitibus vel auxiliis supernaturalibus. Aliæ duæ gratiæ, nempe gratia sanitatum, & operatio virtutum, pertinent ad donum miraculorum, de quo dicemus infra disp. 12.

40. Fuerunt illæ omnes Christo cōuenientes.

Porro nulla est ex his gratiis quæ non deceat Christum: & quædam illi apertè tribuuntur in Scriptura: vt sermo scientiæ & sapientiæ, Coloss. 2. vers. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Et Ioan. 7. vers. 46. *Nunquam sic loquutus est homo.* Fiducia miraculorum, Ioan. 11. *Ego autem sciebam quia semper me audis.* Gratia sanitatum, & operatio virtutum, passim in toto Euangelio. Prophetia, Deuteron. 18. *Prophetam sicut me,* &c. & Luc. 4. *Non est Propheta sine honore,* &c. Et cap. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Vnde collige, falli Abulensem in caput 11. Numerorum quæst. 64. negantem Christo verum donum Prophetiæ: eò quòd putet inuoluere essentialiter obscuritatem Christo repugnantem, & in Beatitudine euacuandam, 1. Corinth. 13. Ad quod dico, essentiale tantùm esse Prophetiæ posse prædicere futura vi extraordinaria & supernaturali: siue id fiat sine imperfectione obscuritatis, vt in Christo: siue cum illa, vt in aliis, quæ imperfectio in cœlo euacuabitur. Denique ratio generalis cur hæc & alia omnia dona gratis data, in Christo fuerint, licet genere linguarum nunquam vsus fuisse legatur in Scriptura, est, quia decebat in Christo residere omnes gratias, sicut in capite resident omnes sensus, vt de ipsius plenitudine cæteri acciperent. Pertinebatque ad ipsius dignitatem, & gratiæ plenitudinem, & ad officia sibi imposita conuenienter obeunda, vt his omnibus subsidiis & ornamentis instrueretur, dignis summo Doctore Euangelico, qui esset potens opere & sermone, & plenus omni scientia & sapiētia.

Abulens.

Verum donum Prophetiæ fuit in Christo.

SECTIO V.

Quanta fuerit gratia Christi, & quando ipsi data?

41. Gratia Christi nō fuit infinita simpliciter.

PRima conclusio: Gratia Christi habitualis non fuit infinita simpliciter, sed fuit quanta in illo esse potuit moraliter loquendo. Non tamen summa physicè, vel tanta, vt maior absolutè non potuerit esse in Christo. Prima pars est D. Thomæ q. 7. a. 11. vbi docet esse finitam in entitate, licet in esse gratiæ sit quodammodo infinita. Quod puto intelligendum esse moraliter, quatenus trahit infinitam moralem dignitatem ex vnione Verbi, sicut & humanitas, & bona Christi opera. Ratio eiusdē sancti Doctoris est, quia gratia habitualis, quæ est in anima Christi vt in subiecto, non potest excedere capacitatē subiecti. At anima Christi est finitæ capacitatis, cùm sit finitæ entitatis, & capacitas nō possit esse maior entitate, cùm non sit aliud, quàm ipsa entitas animæ prout à Deo potest gratiam recipere: ergo anima non potest recipere gratiam infinitam. Confirmatur, quia anima Christi est verè causa physica tum eductiua, tum subiectiua gratiæ habitualis quam recipit. Atqui non habet vim causandi physicè infinitam.

42. Fuit tamen quanta esse potuit moraliter.

Secunda pars conclusionis, quòd gratia illa sit quanta esse potuit moraliter loquendo, probatur, quia dignitas vnionis hypostaticæ exigebat vt haberet quantā habere poterat, cùm quæcumque possibilis esset adhuc minor dignitate illius: quemadmodū si eam per merita obtinuisset, habuisset quantā habere potuit, etiam infinitā, si possibilis in eo fuisset: quia ipsius opera erant digna tanto præmio propter vnionē hypostaticā. Sanè nulla fuit ratio cur Deus Christi capacitatem non impleret: cùm id facilè posset, & Christi dignitas id exigeret. Fauet etiam Scripturę loca, quæ docent Christum *non accepisse spiritum ad mensuram*, sed nimirum quantum capere potuit, Ioan. 3. *Et omnem plenitudinem in Christo inhabitasse*, Coloss. 1. *Et plenum gratiæ & veritatis fuisse*, Ioan. 1. Quanquam prior locus intelligi potest de ipsa vnione hypostatica, vel de diuinitate, quatenus tota filio & Christo communicatur. Et alia possent in rigore explicari, vt illa quibus aliis sanctis tribuitur gratiæ plenitudo, id est, perfectio & abundantia eximia, iuxta cuiusque statum: *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei,* &c. Ephes. 3. *Stephanus plenus gratia & fortitudine.* Actor. 6. & similia.

43. At nō quāta esse potuit physicè.

Dixi, *quanta in illo esse potuit moraliter loquendo*, id est, loco relicto aliis formis & qualitatibus animæ Christi conuenientibus. Neque enim totam physicè aut mathematicè capacitatē animæ impleuit Deus gratia. Alioqui nihil aliud recipere potuisset. Nam si cōpleta mathematicè, seu physicè fuisset per gradus finitos gratię quos accepit: nō potuisset alias formas supernaturales, & actus, vel quidquā amplius recipere. Est enim fictitiū & absurdum dicere, capacitatem potentiæ expletam per vnam formam, relinquere locū aliis specie vel ordine diuersis. Vt qui diceret arcam nucibus plenā, relinquere locū pomis, vel nūmis. Et experientia docet, animā occupatā in vno genere actuum, non esse potentem ad alios, quāuis specie vel ordine diuersos. Neq; enim aliter cōtingit ecstasis, nisi quia anima occupata vehemētissimè actibus supernaturalibus, non potest incumbere actibus naturalibus. Sicut occupata in digestione, nō potest incumbere contēplationi, aut vice versa.

44. Contrarię opinionis argumēta.

Contrarium sentit Maior in 3. distinct. 13. qu. 3. affirmans, gratiam habitualem Christi fuisse infinitam simpliciter. Quæ sententia probari potest primò, quia non repugnat dari gratiam simpliciter infinitam, cùm in eo nulla sit contradictio. Non repugnat etiam illam à Christo recipi, quia eius potentia obedientialis est infinita, & crescit per acceptū, ac proinde quò plus accipit gratiæ, magis crescit, vt docet S. Thom. q. 29. de verit. a. 3. ad 3. & 2. 2. q. 24. art. 7. in fine corporis. Ergo debuit Christo dari gratia infinita propter dignitatem infinitam personæ;

S. Thom.

quia quæcumque minor non est ei conueniens. Secundò, Christus est capax recipiendæ hypostasis diuinæ, quæ infinita est. Ergo habet capacitatem infinitam respectu illius. Quidni ergo respectu gratiæ? Tertiò, vnusquisque potest crescere in gratia sine fine. Ergo capacitas gratiæ non est finita. Probatur antecedens ex Clementina 3. *de Hæreticis*, vbi damnatur error eorum qui dicunt posse homines ad eum statum peruenire, in quo non possint crescere sanctitate.

45. Ad primũ. Ad primum, concessa Maiore, nego Minorem. Ad cuius probationem dico S. Thomam, re melius considerata, pronunciasse aperte in tertia parte qu. 7. art. 11. capacitatem obedientialem animæ Christi esse finitam. Estque manifestum eam non crescere per acceptum: quia acceptum non est ratio subiecti, neque tribuit capacitatem subiecto, quæ capacitas est ipsa entitas, & natura subiecti, quam gratia non auget.

Ad secũdũ. Ad secundum Respondeo 1. differentiam esse: quia humanitas nullam exercet causalitatem physicam circa hypostasin diuinam, cui tantùm vnitur: secus autem circa gratiã, quæ tota educitur & inhæret subiecto. Secundò, Hypostasin diuinam non terminare humanitatem adæquatè ex parte sui secundum totam vim suam infinitam terminandi: sed tantùm quãtùm ipsa terminabilis est, licet identicè tota terminet. Ad quem modum non repugnaret, gratiam infinitam creari & vniri inadæquatè animæ Christi, sicut vnitur illi hypostasis. Imò etiam secundum aliquid sui educi & inhærere, reliquo supereminente. Sed hic non loquimur de tali casu non connaturali gratiæ, neque modo quo exigit informare subiectum.

Ad tertiũ. Ad tertium Respondeo, sermonem ibi esse de puris hominibus, quorum nullus hac in vita peruenit ad tantam gratiam, qua maiorem habere non possit; quia secundum ordinem diuinæ prouidentiæ res ita sunt dispositæ, vt semper crescere possimus; quamuis nequeamus in infinitum crescere, ac ne quidem futurum sit, vt quisquam perueniat ad tantam gratiam, quanta in Christo est.

46. Alia opinio contraria Suaris. Contradicit etiam magna ex parte Suar. disp. 22. sect. 1. & 2. vbi licet fateatur gratiam Christi esse finitam; ait tamen capacitatem humanitatis esse infinitam, & non fuisse impletam, quia impossibilis est gratia infinita, quâ impleatur: sed accepisse gratiam eximiam secundum determinationem diuinæ prouidentiæ, quâ tamen maiorem accipere potuisset, atque in accepta crescere.

Impugnatur. Sed contra: Primò, non bene supponit Suar. impossibilem esse gratiam infinitam: nulla enim in eo ostenditur contradictio, & sine causa sufficienti limitatur omnipotentia diuina ad gradus gratiæ finitos. Non est impossibilis gratia infinita. Quodque obiicit Suar. fore quoque possibile lumen gloriæ infinitum, & visionem Dei infinitam quâ Deus comprehenderetur, parui momenti est. Concedo enim esse possibile lumen & visionem infinitam. Neque propterea Deus comprehenderetur, quia licet infinitè videretur secundum vnum aut plura attributa, non tamen cognosceretur quantùm omnino cognoscibilis est. Secundò, Non bene asserit, potentiam obedientialem & capacitatem gratiæ esse æqualem in omni creatura intellectuali, & posse gratiam recipere in quocunque gradu. Nam potentia obedientialis, siue ad agendum, siue ad recipiendum, est ipsa natura & entitas rei, prout potest eleuari à Deo ad agendum vel ad recipiendum aliquid supernaturale. Ad quod cùm debeat ipsa physicè concurrere; debet habere vim inchoatam ex natura sua, quæ iuuari à Deo & eleuari possit. Hæc autem vis non est eadem in omnibus; sed maior, aut minor, & diuersa pro diuersitate rerum quæ sunt ipsamet vis & potentia obedientialis, quatenus respiciunt agens supernaturale à quo eleuari & compleri possunt. Vnde iuxta Suarem, & Theologos omnes, non potest oculus corporeus attolli ad Deum videndum: potest tamen intellectus creatus. Tertiò, Si, vt vult Suarez, capacitas obedientialis Christi respectu gratiæ est infinita, & tamen est impossibilis gratia infinita, ergo est potentia ad impossibile. Ac si repugnat, vt supponit Suares, dari quidquam infinitum actu præter Deum, quomodo capacitas obedientialis est infinita? Neque enim dicas esse tantùm infinitam syncategorematicè, quatenus potest accipere gratiam maiorem & maiorem in infinitum, licet non infinitam simpliciter, siue actu & categorematicè. Nam capacitas Christi tota est actu. Ergo si est infinita, est actu infinita. Ac si habet actu omnem potentiam necessariam ad recipiendam gratiam supra quemcunque gradum finitum, habet potentiam carentem fine & termino suæ capacitatis, quemadmodum nullus est finis seu terminus ex parte gratiæ, quam respicit. Sicut enim potentia actiua, quæ actu tota est, potestqu simul plura & plura sine fine, est infinita actu, vt potentia Dei: sic potentia passiua, quæ tota est actu, potestque simul plura & plura recipere sine fine, infinita est. Nobiscum sentiunt de Christi capacitate præter S. Thom. loco sup. cit. Bonau. in 1. distinct. 17. parte 1. distinct. art. 1. quæst. 4. Ricard. eadem distinct. quæst. 2. principali artic. 4. Durand. in 3. dist. 13. quæst. 1. Carthusianus qu. 2. & alij. Ex dictis autem de gratia collige quid de virtutibus & donis supernaturalibus, deque actibus à Christo elicitis sentiendum sit quoad eorum infinitatem.

Potentia obedientialis rei finitæ, est finita.

Bonau. Ricard. Durand. Carthus.

Secunda conclusio: Gratia Christi fuit illi tota infusa in primo instanti conceptionis: & quidem probabiliter natura posterius vnione hypostatica. Prima pars est communis Theologorum, teste Suar. disp. 18. sect. 3. conclusione 1. traditurque nominatim à D. Thom. quæst. 7. art. 12. & 13. Ratio eius est, quia debuit illi dari modo perfectissimo, 47.

Gratia fuit Christo infusa primo instanti conceptionis.

Perfectius autem est vt ab initio totam acceperit, simul cum vnione hypostatica, vi cuius illi debebatur quasi connaturaliter in genere causæ moralis. Eodem applicari potest illud Luc 1. *Quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei.* Quanquam intelligi etiam potest de sanctitate per vnionem hypostaticam, vt exponit Tolet. in caput 1. Lucæ annot. 104. adducens in eandem sententiam Basilium Homil. in Psal. 45. & Damascen. lib. 4. de Fide cap. 6.

Secunda pars probata fuit disp. 4. sect. 2. vbi ostendimus, probabile esse, non tamen certum, vt Vasques & Suares & alij quidam existimant, quòd vnio hypostatica præcesserit tanquam radix & causa gratiæ, vt docet S. Thom. quæst. 7. art. 13. & Thomistæ communiter, affirmantes, gratiam accidentalem secutam esse ex vnione hypostatica, vt proprietates ex natura. Quod non est physicè intelligendum. Quia hypostasis & vnio hypostatica non est physicè productiua ad extra; sed moraliter, quatenus vnio exigebat gratiam illam, veluti debitam connaturaliter perfectioni & dignitati subiecti, vt fusiùs exponit Suares loco citato.

48. Quæres, vtrum præter gratiam habitualem necessaria fuerit Christo gratia actualis, excitans illum, vel adiuuans ad bene operandum supernaturaliter?

Gratia præueniens nō fuit Christo necessaria.

Respondeo affirmatiuè de gratia adiuuante seu concomitante, cum Suar. disp. 18. sect. 4. Neque enim poterat elicere actus supernaturales sine concursu Dei supernaturali & proportionato. Hic autem concursus dicitur gratia adiuuans: estque supra debitum humanitatis naturaliter spectatæ. De gratia verò excitante seu præueniente, distinguendum est. Si enim loquamur de Christo, qualis fuit ab initio plenus scientia beatifica & visione, atque amore Dei, aliisque supernaturalibus donis; non fuit illi opus alia gratia excitante. Quia ex parte intellectus satis excitabatur per talem cognitionem, quâ Beati norunt quidquid ad statum ipsorum pertinet; & ex parte voluntatis, per talem amorem continuum. Illa enim satis intellectum illustrabat: & iste satis voluntatem piè mouebat ad opera supernaturalia. Si autem loquamur de Christo, qualis absolutè esse potuit, constante solùm ex humanitate & hypostasi Verbi vnitis, ac de cætero relicto in puris naturalibus, & quales nos essemus sine peccato. Tunc non minùs egeret gratia excitante, quàm cæteri homines in simili statu constituti, siue ad seruanda præcepta diuina, siue ad alia opera supernaturalia. Quia vnio hypostatica nihil per se formaliter confert potentiis quod operandi vim augeat, supplendo per se formaliter huiusmodi auxilia.

49. Dices, Christum esse impeccabilem ab intrinseco ratione vnionis hypostaticæ. Ergo per illam constituitur potens ad seruanda præcepta, & ad omnia opera necessaria, tam naturalia, quàm supernaturalia.

Respondeo, Christum esse impeccabilem ab intrinseco ratione vnionis hypostaticæ: quatenus vi illius debetur ei quasi connaturaliter & necessariò auxilium necessarium ad non peccandum: idque tanta necessitate, vt omnino non possit eo carere. Impossibile enim est naturam assumptam peccare. At non constituit formaliter potentem seipsa ad implenda præcepta, sine aliis præsidiis & subsidiis, quę non habet formaliter per vnionem hypostaticam, inter quæ sunt gratiæ actuales excitantes ad bene operandum supernaturaliter, id est, inspirationes seu illuminationes intellectus, & piæ motiones immissæ voluntati vt eam excitent, & similia.

SECTIO VI.

An gratia habitualis constituat Christum formaliter caput Ecclesiæ?

SVppono primò cum D. Thom. qu. 8. art. 1. Christum esse caput Ecclesiæ non tantùm vt est Deus, sed etiam vt homo est, id est, secundum suam humanitatem. Id enim docet expresse Paulus ad Ephes. 1. v. 20. 22. & 23. vbi de Christo sic loquitur: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, &c. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.* Hæc Paulus. Quæ de Christo vt homine manifestè intelligenda sunt. Nam vt Deus non fuit à Patre suscitatus, neque eius beneficio constitutus ad dexteram suam, & rebus omnibus præpositus: cùm naturaliter & absoluta necessitate sit eiusdem essentiæ, & æqualis dignitatis cum Patre. Quatuor verò in capite considerantur. Nempe coniunctio cum aliis membris, ordo, perfectio, & virtus influendi. Nam in corpore animalis, puta hominis, Primò, caput habet coniunctionem cum reliquis membris. Secundò, Habet etiam ordinem eminentiæ: nam caput est prima & suprema pars corporis. Tertiò, Est etiam pars perfectissima corporis; quia in capite vigent omnes sensus interni & externi, cùm in cæteris membris non ita sit. Quartò denique influit in cætera membra: quia virtus & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis actibus, est à capite, propter vim sensitiuam & motiuam ibi dominantem. 50.

Christus vt homo est caput Ecclesiæ.

Quatuor in capite considerantur.

Hæc autem omnia Christo conueniunt respectu Ecclesiæ. Nam est illi moraliter coniunctus, iuxta illud ad Ephes. 4. vers. 15. & 16. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum, &c.* Deinde est primus ordine intentionis, iuxta illud ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* 51.

Hæc omnia conueniunt Christo respectu Ecclesiæ.

Tertiò, Habet gratiam & perfectionem maiorem omnibus aliis, iuxta illud Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Quartò, Habet vim influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, iuxta illud Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quapropter meritò dicitur caput Ecclesiæ morale & metaphoricum, per analogiam ad caput naturale corporis animalium. Quòd si quæras an etiã cor Ecclesiæ dici possit, quia vt cor influit vitam in cætera membra viuentis, sic Christus in membra Ecclesiæ? Respondet idem S. Thom. art. cit. ad 3. caput habere manifestam eminentiam respectu cæterorum exteriorum membrorum: Cor autem habere occultam quandam influentiam. Ideoque cordi comparari Spiritum sanctum, qui inuisibiliter Ecclesiam viuificat & vnit. Capiti verò comparari Christum secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus visibiliter præfertur. Membrum item respectu totius Ecclesiæ dici posse innuit Paul. 1. Corinth. 12. cùm ait, *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro,* illo scilicet primo & principali, Christo. Non tamen ita solet appellari, quia membrum videtur importare dependentiam ab aliis membris: Christus autem non pendet à corpore Ecclesiæ.

Possitne dici cor & membrũ Ecclesiæ.

52. Christus est caput Angelorũ, æquè ac hominum.

Suppono secundò cum eodem D. Thom. quæst. cit. art. 2. 3. & 4. Christum non modò esse caput hominum secundum animas & corpora, sed etiam Angelorum, atque etiam quodammodo cæterarum omnium creaturarum. De hominibus patet ex 1. Corinth. 15. vbi Apostolus Christum cum Adamo in eo comparat, quòd vterque fuerit constitutus caput omnium hominum. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Dominatur autem Christus & influit in homines non tantùm quoad animas, sed etiam quoad corpora, quatenus debent Christo seruire, & exhiberi velut arma iustitiæ, vt ait Paulus ad Rom. 6. vers. 13. Et ab eodem recipiunt auxilia gratiæ quibus stimuli carnis vincantur, 2. Corinth. 12. v. 9. Ac tandem ab eo immortalitatem & vitam beatam accipient Rom. 8. vers. 11.

53. De Angelis idem docet Apostolus Ephes. 1. vbi de Christo sic loquitur. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.* Hæc Paulus. Vbi nomine Ecclesiæ non tantùm homines, sed & Angelos comprehendit. Alioquin Ecclesia non rectè diceretur plenitudo Christi: quia vltra homines habet Christus Angelos, quorum vniuersitas est magna pars, & fortè maior, plenitudinis Christi. Loquiturque Apostolus de Christo vt homine: quamuis Chrysostomus, Theophylactus, & alij quidam existiment Christum à Paulo dici caput hominum, vt hominem: Angelorum verò, vt Deum. Confirmatur ex Coloss. 2. *Estis in illo repleti* (Christo scilicet) *qui est caput omnis principatus & potestatis.* Et Hebr. 12. v. 22. *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum,* id est, Angelorum, *qui conscripti sunt in cælis.* Ex quibus patet nomine Ecclesiæ, cuius Christus dicitur caput, comprehendi non tantùm homines, sed etiã Angelos, qui respectu hominum sunt primitiui, id est, primi donati beatitudine, quam homines tantùm post Christi mortem adepti sunt. Fauet etiam ratio, quia ex Angelis & hominibus, maximè verò in cœlesti beatitudine, fit vna spiritalis respublica, quam conueniens est vni capiti Christo subesse. Et quidem Christus est pars nobilissima illius reipublicæ totius. Est item primus in intentione diuina, & omnibus præest, atque in omnes influxum aliquem habuit, vt explicabitur paulò post. Quare habet illa omnia quæ requiruntur ad rationem capitis respectu totius illius reipublicæ ex Angelis hominibusque compositæ.

Chrysost. Theophyl.

De reliquis omnibus creaturis, quòd Christus sit etiam caput earum aliquo modo, patet, quia & præit omnibus dignitate: & prior est ordine intentionis, *primogenitus omnis creaturæ*, Coloss. 1. & in omnes vim regendi habet, & applicandi ad varios fines, quam vim frequenter exercuit. Omnia enim ipsi subiecta sunt, Psalm. 8. & Hebr. 2. & omnibus vti potest ad bonorum salutem, iuxta illud Pauli, *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, 1. Corinth. 3. vers. 21. 54.

Christus est caput reliquarum creaturarũ.

Suppono tertiò, Christum non esse caput omnium prædictorum eodem modo. Nam rerum irrationalium, & Dæmonum, vel hominum iam damnatorum, est caput modo imperfectiori, & potius Dominus vel Princeps. Quia cum illis non propriè componit vnum corpus morale per vnionem voluntatum, & subiectionem voluntariam membrorum seu subditorum: neque vnum corpus mysticum, in quod influat vitam spiritalem, cuius neque res irrationales, neque damnati capaces sunt. At verò in omnes Angelos gratiæ vitam influxit: & in perseuerantes, vitam gloriæ, & auxilia quibus steterunt & perseuerarunt, vt magis significat Paulus cùm ait Ephes. 1. v. vlt. Christum omnia in omnibus adimpleri, id est, omnia gratiæ beneficia omnibus propter ipsum conferri. In eoque præcipuè consistit officium capitis, vt vitam substantialem influat in membra. Quare Christus non influit tantùm in Angelos beatos aliquas illuminationes, & gaudia accidentalia, vt Vasques & quidam alij volunt: sed vitam ipsam substantialem gratiæ & gloriæ, vt docent Suares disput. 42. sect. 1. Valentia qu. 8. puncto 3. sentent. 3. & alij 55.

Sed non eodẽ modo est caput omnium.

Suar. Valent.

quos isti citant. Et quidem cùm Angeli de se sint improportionati ad gratiam & gloriam, æquè ac homines: conueniens fuit, vt interuentu Christi, veluti capitis & mediatoris, illam acciperent, propter ipsius merita & influxum moralem. Nec obest quòd Angeli non sunt eiusdem naturæ cum Christo. Neque enim est necesse caput morale esse in omnibus homogeneum. Sufficit esse in gratia, quæ maximè attenditur in hoc corpore mystico. Confirmatur, quia Deus est caput Christi vt hominis, à quo tamen magis differt, quàm Christus secundum humanitatem ab Angelis: iuxta illud 1. Corinth. 11. *Caput mulieris est vir, caput viri Christus, caput Christi Deus.*

56. De hominibus verò notandum est ex D. Thom. qu. 8. art. 3. Christum esse eorum caput secundum quinque diuersos gradus. Primò enim & principaliter est caput eorum qui actu ipsi vniuntur per gloriam, vt Beati. Secundò, Eorum qui actu ipsi vniuntur per gratiam & charitatem in via, vt iusti. Tertiò, Eorum qui actu vniuntur per fidem aut spem, sine charitate, vt fideles in statu peccati existentes. Quartò, Eorum qui vniuntur ipsi solùm in potentia nondum reducta in actum, sed tamen reducenda, vt infantes ad baptismum peruenturi. Quintò, Eorum qui tantùm in potentia nunquam in actum reducenda, vt infantes in vtero sine remedio morituri. Qui tamen quando moriuntur (vt & alij omnes decedentes in peccato mortali) desinunt esse membra corporis Christi mystici: quia non sunt ampliùs in potentia vt Christo vniantur ad accipiendam vitam spiritalem ab ipso. Quamdiu verò sunt in via, possunt ab illo accipere influxum vitalem per media ab ipso instituta: sicut etiam infantes in vtero morientes acciperent, nisi culpâ parentum, vel aliorum staret, vt explicuimus in tract. de Prædestinat. vbi etiam ostendimus Adamum in statu Innocentiæ fuisse iustificatum propter merita Christi: atque ita omnes homines, in quocumque statu viæ, fuisse Christo subiectos vt capiti. Qui autem docent oppositum, nituntur fundamento minùs probabili de prædestinatione Christi post præuisum peccatum.

Christus est caput hominum quinque modis.

Tom. 1. disp. 20. sect. 4. num. 38. & disp. 21. sect. 4. n. 35.

57. His præmissis, quæstio est, per quid formaliter Christus, quatenus homo, constituatur in esse capitis moralis corporis illius mystici? An per gratiam habitualem? An per vnionem hypostaticam? An per aliquid aliud?

Per quid cōstituatur Christus formaliter caput Ecclesiæ?

Respondeo, constitui formaliter per moralem denominationem ab actu voluntatis, quo Deus statuit Christum esse caput totius Ecclesiæ, & mediatorem vniuersalem salutis omnium membrorum, deditque illi potestatem influendi, regendi, & alia præstandi quæ ad officium capitis pertinent: gratiamque Christi habitualem, atque vnionem hypostaticam, esse quidem fundamentum propter quod fuit conueniens Christum in caput eligi, fuitque ipse aptus influere, & officia capitis exercere: verumtamen non per hoc formaliter & præcisè esse caput, sed per illam moralem denominationem à voluntate Dei instituentis efficaciter vt Christus esset caput.

Declaratur & probatur responsum: quia ratio capitis, vt hic sumitur, est ratio quædam moralis, & denominatio extrinseca; sicut ratio & dignitas Summi Pontificis, Regis, Doctoris, & similes. Quæ denominationes sunt entia voluntatis, & velut eius effectus morales. Vnde sicut Cardinalis, qui propter vitæ sanctitatem, doctrinam, prudentiam, & zelum boni communis, aptissimus est vt eligatur in summum Pontificem, & caput visibile fidelium sub Christo; nondum tamen est talis, sed tunc tantùm quando voluntate & consensu aliorum Cardinalium eligitur in Summum Pontificem, & per eorum electionem legitimam & efficacem accipit talem dignitatem, & potestatem vniuersalem regendi Ecclesiam: sic Christus per vnionem hypostaticam, & gratiam excellentissimam, quam habet, aptus quidem fuit vt caput Ecclesiæ institueretur, ad regendum, merendum, redimendum, & ad alia capitis officia præstanda: non fuit tamen per hoc formaliter caput Ecclesiæ, sed per Dei institutionem, quâ omnes fuerunt ei subiecti, vt ab ipso reciperent influentiam, & per denominationem moralem ex ea institutione sequutam: cuius fundamentum aliquod fuit gratiæ plenitudo, apta vt esset fons & exemplar gratiarū omnium cæteris communicandarum: & multò magis vnio hypostatica, quæ Christo confert dignitatem sufficientem ad merendum infinitè, & satisfaciendum in rigore iustitiæ pro peccatis contra Deum commissis. 58.

Loquimur autem hîc de Christo prout homine, id est, spectato secundum humanitatem. Nam prout Deus est, habet formaliter & præcisè à diuinitate vt sit omnium caput & Dominus supremus, etiam ipsius Christi, iuxta illud 1. Corinth. 11. vers. 3. *Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus.* Omnia enim creata Deo subsunt necessariò, velut supremo Domino, & causæ primæ & vniuersali omnium rerum: sine cuius influxu nec esse possunt, nec quidquam operari. Verùm non loquimur de Christo vt capite & Domino supremo rerum omnium quatenus Deus est, æqualis Patri & Spiritui sancto, & eâdem cum illis potestatem dominandi habens, id est, eandem essentiam, intelligentiam, voluntatem, & omnipotentiam: sed de Christo quatenus, vt homo, est mediator vniuersalis inter Deum & homines, & caput inferiori quadam ratione, Deo subiectum & inferius, hominibus autem & Angelis superius, iuxta Pauli verba proximè relata ex Ephes. 1. Christus enim ita consideratus est minor Deo, illiq; subest tanquam capiti absolutè supremo: quemadmodum homines & Angeli subsunt eidem Christo vt homini, tanquā capiti subalterno. 59.

60. Christus est caput formaliter per morale denominationem.

Christo igitur ita considerato conuenit esse caput mysticum totius Ecclesiæ formaliter & præcisè per denominationem moralem à libera Dei institutione, quâ efficaciter voluit & constituit vt ei præesset, regendo, influendo, & alia capitis munia obeundo. Non autem per vnionem hypostaticam, quæ absolutè potuit dari humanitati absque eo quòd institueretur in caput nostrum morale, vt eius opera & satisfactiones nobis prodessent. Quo in casu non esset caput mysticum & subalternum. Neque etiam per gratiam creatam habitualem, quæ licet in Christo fuerit excellentissima; potuit tamen esse, æquè ac vnio hypostatica, sine prædicta institutione, neque per se solam constituit formaliter Christum caput morale, à quo aliæ creaturæ intellectuales pendeant ad influxum gratiæ ab eo recipiendum: vt patet ex eo quòd gratia habitualis Christi est eiusdem speciei cum gratia aliorum iustorum, qui tamen aliis ne vel minimum quidem gratiæ mereri possunt de condigno.

Confirmatur exéplo Adami.

Confirmatur exemplo Adami, qui quamuis esset primus omnium parens, & haberet permultum gratiæ, per quam esset idoneus vt tanquam caput omnibus suis posteris, qui naturali ordine ex ipso nasciturі erant, præficeretur: tamen nisi reipsa per Dei ordinationem fuisset præfectus, bonum eius meritum, aut malum seu peccatum, non fuisset communicandum posteris: sicut aliorum parentũ merita bona vel mala non sic afficiunt posteros, defectu talis ordinationis. Ac licet Adamus per pœnitentiam recuperauerit gratiam: tamen eius pœnitentia non profuit nobis, quia per diuinam ordinationem non erat constitutus caput, ita vt posset restitutus ipse restituere nos, aut per suam restitutionem prodesse nobis, sicut sua destitutione & suo casu nobis nocuerat. Ita ergo Christus per hypostasin diuinam, quâ constat, & per gratiam habitualem, ac principia supernaturalia operandi, erat quidem dignus præcellentia & officio capitis moralis: factus est tamen caput alio Dei dono, quod est morale quid, quatenus Dei voluntate fuit præpositus omnibus, cum morali potestate illos regendi, & in illos influendi: Hic autem ordo est quidem aliqua gratia, facta humanitati, sumendo latè gratiam pro quocunque dono gratuito, quatenus liberaliter & gratis à Deo donatur: sicut officia & potestates, licet dentur proportionatis & idoneis, tamen sunt dona gratuita: quia non simpliciter debentur, nec sunt eorum quibus dantur: sed non est gratia physica habitualis, de quâ hic disputamus.

61. Confirmatur ex Script.

Confirmatur secundò ex Apostolo Ephes. 1. vbi de Christo sic ait: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, &c.* Deus enim constituendo sua voluntate & potestate Christum in caput, dedit illum caput, & fecit illum caput, cui ad finem vitæ supernaturalis deberent omnes vniri & subiici. Et ad Hebr. 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: sic & Christus non semet ipsum clarificauit vt Pontifex fieret: sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, &c.* Et Psalm. 2. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Per quæ verba satis ostenditur Christum fuisse constitutum à Deô Pontificem, & ab illo accepisse gentes in donum. Quare similiter fuit constitutus caput Angelorum & hominum. Nec satis est si quis dicat Christum, eò quòd sit à Patre, accepisse pontificatum & gentes. Plus enim significant illa verba, *Postula à me, &c.* Et in prædictis locis non est sermo de Christo vt est Verbum, sed vt est homo. Nam Christus, vt Verbum, & vt Deus, non est Pontifex, neque postulat. Consentit Delugo disp. 29. n. 46. vbi ait ad complendam denominationem formalem & proximam Mediatoris, vltra vnionem hypostaticam, requiri voluntatem Dei constituendi Christum mediatorem, vel acceptandi eius intercessionem & satisfactiones pro hominibus: per hanc enim voluntatem intelligitur Christus ex officio mediator completè Dei & hominum. Delugo.

62. Sententia D. Thomæ non est nostræ contraria.

Neque contradicit S. Thom. quæst. 8. art. 5. in corpore, cùm ait, competere gratiæ Christi, ex eminentia summa, quam habet, vt deriuetur ad alios, aliquid scilicet in eis causando, quod pertinet ad rationem capitis: & ideo eandem esse secundum essentiam gratiam personalem, quâ anima Christi est iustificata: & gratiam eius secundum quod est caput Ecclesiæ iustificans alios. Notandum enim est, aliud esse quòd Christus influat per illam gratiam: & aliud, quòd illa gratia sit formalis ratio capitis. Item, aliud esse quòd eadem sit gratia, quâ Christus iustificatur in seipso vt persona particularis, & quâ influit in alios tanquam caput: & aliud, quòd eadem gratia sit formalis ratio capitis. Prius membrum vtriusque diuisionis est verum, & traditum à D. Thoma. Posterius est falsum, & extra mentem illius. Priùs quidem ratione fuit data Christo gratia illa accidentalis propter personam, & deinde propter alios. Quia conueniens fuit Christo, etiam ratione illius gratiæ, vt esset caput Angelorum & hominum, tanquam gratia plenus omnino, & capax effluere in alios. Duo tamen distinguenda sunt. Alterum est, id quo Christus est valens & sufficiens, atque idoneus ad omnia capitis officia cumulatissimè & plenè exequenda. Alterum est, subordinatio Angelorum & hominum sub Christo tanquam ipsis præposito. Quorum prius est humanitas infinitè dignificata per hypostasin Verbi, & ornata simul gratia habituali, vt principio conueniente operationum congruentium tali personæ. Posterius autem est denominatio moralis, per modum cuiusdam dignitatis aut principatus. Non secus enim ac in republica bene instituta ille qui sapientissimus & optimus & potentissimus est, eo ipso est idoneus vt præsit aliis; sed nondum præest,

nisi eorum voluntate & potestate, quorum interest, præficiatur. Ita & Christus per gratiam vnionis, quâ fuit infinitè excellens; & per gratiam habitualem, quâ fuit potens ad congruenter suæ personæ operandum, fuit dignissimus excellentia capitis: tamen per diuinam voluntatem & potestatem constitutus fuit caput, sicut & Sacerdos seu Pontifex, & iudex. Vlteriùs, considerandum est non idem esse formalem rationem capitis, & gratiā capitis, id est, eius qui caput est, conferentem ad officia & functiones capitis. Ratio enim formalis capitis consistit in eo, quòd Christus fuerit moraliter præpositus Angelis & hominibus ad agendum in eos: & Angeli & homines sint illi subiecti & subordinati ad aliquem finem & influxum. Gratia verò quæ est fundamentum illius dignitatis moralis, est tum dignitas humanitatis vnitæ Verbo, tum principium agendi conueniens tali personæ, id est, gratia sanctificans, & alij habitus infusi. Quocirca ratio capitis se habet vt dignitas principatus in eo qui Princeps est constitutus: gratia verò capitis se habet vt ea, per quæ is qui Princeps constituitur, est dignus principatu.

63. Contraria quorūdam opinio reiicitur.

Suares disp. 23. sect. 2. post medium, Vasques disput. 48. cap. 4. & Valentia quæst. 8. puncto 1. censent, Christum fuisse caput ipsa vnione hypostatica præcipuè & primò: cui subordinata fuit accidentalis gratia ad operandum. Ratio est, quia maximè per vnionem hypostaticam Christus est potens ad omnia capitis officia, & ad condignè satisfaciendum pro peccato. Quæ sententia si intelligatur de eo, per quod Christus est maximè dignus & idoneus vt sit caput: vera est. Si verò intelligatur quòd omnino Christus per vnionem hypostaticam constituatur in esse capitis: non est vera. Superest enim adhuc aliquid aliud vt sit verè caput. Nempe superest vt ordinetur ad compagem vnam, & ad mēbra & corpus, cuius sit caput. At Christus sine illo ordine potest intelligi, & esse constans diuina hypostasi, & habens tantum gratiæ accidentalis ad agendum, quantum nunc habet. Neque dicas ordinem illum esse quid accidentarium Christo vt capiti, & esse vel conditionem, vel proprietatem; non autem esse substantiam, aut substantiæ partem: quoniam ad operandum, & ad merendum quiduis plenissimè aliis, Christus est potens per diuinam hypostasin, & principium operandi quod habet; superestque tantùm vt applicetur. Respondeo enim, nomen ipsum capitis esse nomen officij, & ordinis seu relationis, cuius complementum non est in quauis aptitudine & sufficientia: sed adhuc requirit, vt qui caput est, sit constitutus in tali gradu & officio. Et sicut non quicumque est aptus imperio, est statim Imperator, sed fit Imperator quando accipit potestatem, & ius atque authoritatem imperandi: sic ad perfectionem, & ad esse capitis, non est satis esse dignissimum & aptissimum: sed oportet à Deo omnium supremo Domino esse constitutum in eo gradu & officio.

DISPVTATIO DECIMA,

De Scientia Christi.

Doctrina D Thom. de scientia Christi in genere,

E Scientia Christi disputat S. Thom. quæst. 9. & tribus sequentibus. In quarum prima docet, præter ipsam scientiam diuinam in Christo inhabitantem, fuisse triplicem aliam: nimirum beatificam, infusam, & acquisitam. Quia perfectio animæ Christi partim supernaturalis, & partim naturalis, triplicem illam scientiam exigebat; conueniensque fuit, vt omnis eius potentialitas reduceretur ad actum. In secunda, affirmat Christum per scientiam beatificam non comprehendisse diuinam essentiam: quia infinitum non potest comprehendi à finito: anima verò Christi, eiusque scientia beata est finita. Neque nosse omnia quæ sunt in potentia diuina: quia non illam comprehendit. Nosse tamen omnia quæ sunt, fuerunt, vel erunt: quia ad Christum, & ad eius dignitatem spectant quodammodo omnia, inquantum ei subiecta sunt omnia: quilibet autem Beatorum cognoscit in Verbo omnia quæ ad ipsum spectant. Tametsi Verbum non comprehendit, neque omnia planè in illo videt. Non nouit etiam infinita, nisi in potentia. Sed tamen perfectiùs Deum videt omnibus aliis creaturis: quia propinquiùs Deo coniungitur per vnionem hypostaticam: ideoque pleniùs recipit influxum luminis quo Deus videtur. In tertia quæst. asserit, Christum per scientiam infusam cognouisse quæcunque ab homine cognosci possunt lumine naturali: quæque per diuinam reuelationem hominibus innotescunt: siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcunq; aliud donum Spiritus sancti. Et Christum hac scientia vti potuisse sine conuersione ad phantasmata: quia fuit ab initio comprehensor: est autem hæc conditio animæ comprehensoris, vt nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur. Addit, illam Christi scientiam fuisse multò excellentiorem scientiâ Angelorum, & quantùm ad multitudinem cognitorum, & quantùm ad scientiæ certitudinem: quia lumen spiritualis gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est multò excellentius, quàm lumen quod pertinet ad naturam Angelicam. Licet inferior esset quantum ad modum cognoscendi, qui est naturalis animæ humanæ: videlicet per conuersionem ad phantasmata, & per collationem & discursum. Ac denique scientiam illam fuisse habitualem, quâ Christus poterat vti quando volebat: quia fuit infusa iuxta modum conuenientem subiecto & recipienti. Eademque de causa fuisse diuisam in multos habitus: quia fuit indita secundum modum connaturalem animæ humanæ. Est autem illi connaturale, vt recipiat species in minori vniuersalitate, quàm Angeli: ita scilicet vt diuersas naturas specificas per diuersas species intelligibiles cognoscat: vnde oritur in nobis diuersitas habituum circa diuersa obiecta scientiarum. In quarta & postrema docet, Christum per scientiam acquisitam sciuisse omnia illa quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis. Et Christum in illa profecisse secundum effectum, sicut & in ætate: quia scilicet secundum augmentum ætatis opera maiora faciebat, quæ maiorem scientiam & gratiam demonstrabant. Atque

De scientia illius beatifica, (margin beside "reduceretur ad actum")

De scientia infusa.

De scientia acquisita.

etiam

etiam quoad ipsum habitum, qui per abstractionem specierum intelligibilium, ab intellectu agente factã, potuit augmentari. Inconueniens enim videtur quòd talis actio intelligibilis Christo defuerit. Denique Christum nihil ab hominibus, vel ab Angelis didicisse. Fuit enim constitutus caput & Doctor omnium hominum: ideoque non fuit conueniens eius dignitati vt ab vllo homine doceretur. Et sicut supra communem modum creaturæ anima Christi fuit vnita Verbo in vnitate personæ: ita supra communem modum hominum, immediatè ab ipso Dei Verbo repleta est scientia & gratia. Non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influentia Verbi, rerum scientiam in sui principio acceperunt. Hucusque D. Thom.

SECTIO I.

An, & qualis, & quotuplex sit scientia in Christo?

1\. Christus habuit verã animam rationalem & intellectũ creatum.

SERMO hîc est non de scientia Christi vt Deus est, sed de scientia eius creata vt homo est, constans anima rationali. Primò enim certum est Christum habuisse veram animam rationalem, & intellectum creatum, vt definitur in Concilio Chalcedonensi actione 5. in definitione Fidei, & in VI. Synodo Generali actione 4. in epist. Synodica approbata actione 8. vbi dicitur, Christum habere duas naturas, *& vnamquamque proprietates naturales habere: diuinam, omnia quæ diuina: humanam, omnia quæ humana sunt, absque vllo peccato.* Et actione 11. definitur Verbum assumpsisse *animam rationalem, animabus nostris contribulem, & mentem menti nostræ comparem.* Mens autem significat animam secundum partem superiorem, quã est intellectiua. Nec dubitandum est quin ille Christi intellectus fuerit præstantissimus. Siue præstantia intellectus humani consistat in maiori perfectione entitatiua vnius animæ præ alia, & vnius intellectus præ alio, vt quidam volunt: siue potiùs in maiori perfectione & meliori dispositione organorum intellectioni seruientium, ex qua fiat vt alij meliùs aliis intelligant, & ratiocinentur. Assumpsit enim Verbum naturam humanam integram, & valde perfectam (qualis decebat vnionem hypostaticam) non humano & communi modo, sed speciali Spiritus sancti operatione formatam.

2\. Ille intellectus non fuit otiosus.

Secundò, certum pariter est intellectum creatum Christi non fuisse otiosum, sed habuisse multiplicem operationem. Tum quia operatio est perfectio intellectus, qui ad illam ordinatur: tum etiam quia Christus orauit, meruit, & alia multa fecit vt homo, quæ sine actu intellectus & voluntatis creatæ fieri non poterant. Concilia quoque supra citata definiunt in Christo esse duas operationes, diuinam & humanam. Quæ definitio non minùs habet locum in intellectu, quàm in voluntate. Imò nihil potest velle, nisi intelligat. Neque dici potest animam Christi intellexisse formaliter per intellectionem diuinam & increatam. Tum quia intellectio diuina non fuit illi immediatè vnita: tum etiam quia impossibile est animam intelligere formaliter, nisi per actum à seipsa vitaliter & cum attentione elicitum. Actus enim vitalis cognitionis consistit essentialiter in productione & attentione principij viuentis, quod producendo attendit, & attendendo producit, mouetque seipsum vi propria ad obiectum, vt ostendimus disput. 10. de Fide sect. 4. Vnde meritò Agatho Papa in epist. synodica relata in VI. Synodo generali actione 4. & approbata actione 8. dicit non posse vnam esse operationem in Christo vtriusque naturæ: quia impossibile est propriam operationem vnius naturæ fieri operationem alterius.

Tertiò, omnis cognitio Christi, siue naturalis, siue supernaturalis, fuit perfecta, & digna personâ diuinâ: adeoque vera, certa, & euidens. Sicut enim fides supernaturalis remouetur à Christo, propter imperfectionem obscuritatis quam inuoluit: sic & multò magis error, opinio, aut quæuis alia cognitio obscura. Et quidem error, & actus falsus, dedecet simpliciter personam diuinam, nec potest illum pati diuina sapientia in natura à se assumpta, sicut neque peccatum. Id etiam nostræ saluti nihil prodesset: & de Christi authoritate multũ detraheret quòd decipi posset: de quo etiam Scriptura loquitur tanquam de persona infallibilis authoritatis. Fides autem, & opinio vera, quamuis non adeo repugnent, ac falsitas; habet tamẽ ex obiecto formali, & ex modo tendendi in obiectum, illa obscuritatem, hæc incertitudinem: propter quam non conueniũt dignitati personæ diuinæ: neque ita determinant intellectum, vt non relinquant falsitati expositum, quantum est de se. Ac licet Christus aliunde impedire posset per superiorem cognitionem, ne obscuritate, vel incertitudine deci- 3. Omnis cognitio Christi fuit perfecta.

peretur: non decuit tamen vt haberet cognitiones de se adeo imperfectas: sed intrinsecè certas & claras. Neque decuit vt in ferendo iudicio niteretur fundamento obscuro, vt fides; vel incerto, vt opinio. Hinc collige, omnem cognitionem Christi esse scientiam, sumendo scientiam latè prout hic sumitur, pro quacumque cognitione vera, certa & euidenti, siue habeatur per discursum, siue non.

4. Christus non potuit errare.

Dices, Christum multa ignorasse per intellectum creatum. Ergo potuit in illis errare: vt reipsa errauit circa ficulneam, Matth. 21. v. 19. Item fuit per omnia similis nobis, absque peccato, vt dicitur Hebr. 2. & in Concilio Chalcedonensi actione 5. At error non est peccatum. Item subiectus fuit errori sensuum: vidit enim res procul positas, vt solem & lunam v.g. longè minores, quàm sint. Quidni ergo subiici potuit errori intellectus, qui sæpe oritur ex errore sensuum. Vlteriùs, Christus credebat iis quæ sibi ab hominibus narrabantur: & cognoscebat rationes probabiles omnium opinionum. Ergo potuit saltem habere actum fidei, & opinionis.

5. Non fuit in Christo propriè ignorantia.

Ad primum Respondeo, Christum ab initio suæ conceptionis sciuisse omnia, quæ scire potuit & debuit, iuxta conditionem & capacitatem naturæ humanæ, ac rationem & statum sui officij: vnde nunquam fuit subiectus ignorantiæ priuatiuæ, & propriè dictæ: licet omnia penitùs non cognouerit, nisi vt Deus, cuius solius scientia est infinita, respondens adæquatè omni intelligibili. Nihil tamen erat quod non sciret si vellet, vt ostendemus sect. 5. & 6. Circa ficulneam verò non error fuit, sed mysterium reprobationis Iudæorum, vt interpretes ibidem ostendunt.

Ad secundum Respondeo, illud, *per omnia*, esse commodè, non in rigore intelligendum: alioqui similis nobis fuisset in modo generationis, in fomite peccati, & motibus concupiscentiæ. Et Paulus tantùm ait fuisse tentatum per omnia absque peccato: Chalcedonense verò intelligendum est de iis, quæ ad salutem nostram prodesse poterant, & Christum specialiter non dedecebant.

6. Suar.

Ad tertium, Nego antecedens cum Suare disp. 24. sect. 3. §. *Ad secundam confirmationem*: sensit enim prout erant, non per solam virtutem sensuum, aut obiectorum vel specierum, sed per auxilium speciale diuinum, quo sensus supra naturam confortabantur, aut virtus specierum, vel determinationis obiectorum. Deinde quamuis sensus errassent, ratio tamen eorum errorem correxisset: nec decuit tantam imperfectionem esse in parte suprema animæ Christi.

Christus cognouit per sensus res sicuti erant.

Ad quartum, Dico Christum cognouisse euidenter, essentne vera quæ sibi narrabantur ab aliis, & an rationes probabiles opinionum essent veræ vel falsæ. Quare non habuit de illis fidem solùm, & opinionem: sed cognitionem veram, certam, & euidentem, quam hic nomine scientiæ intelligimus, cùm de scientia Christi generatim disputamus.

Contrarium sentiunt Vasques disput. 61. cap. 9. Delugo disp. 21. sect. 3. n. 26. & alii multi, qui opinantur potuisse absolutè esse errorem inculpabilem in humanitate assumpta, licet de facto non fuerit. Ratio præcipua eorum est, quia talis error est tantummodo malum pœnæ: & sicut potuit Deus assumere naturam bruti cum suis imperfectionibus, vt talpæ cæcitatem, asini stoliditatem: sic & naturam rationalem inculpabiliter deceptam. 7. Vasques. Delugo.

Respondeo, errorem non tantùm esse malum pœnæ; sed etiam esse aliquid turpe & indecens obiectiuè, sicut mendacium, adulterium, blasphemia, infidelitas, & similia intrinsecè mala: vnde voluntariè admitti nequit sine peccato culpabili, & turpitudine formali. Tale autem malum non potuit esse in natura assumpta. Et contrarium dicere, est non parum detrahere de Christi authoritate, quæ certè tanta non erit, si non est absolutè infallibilis. Admisso enim quòd potuit errare inculpabiliter, consequenter poterit loqui falsa inculpabiliter, & decipere inuoluntariè. An verò & quatenus possit Deus assumere naturam brutam, illiusque defectus, alibi dictum est.

Quartò denique certum est fuisse in Christo principia conuenientia ad exercendos omnes actus scientificos ipsius dignitati & statui proportionatos: partim supernaturalia, ad actus supernaturales; partim naturalia, ad naturales. Id enim constat iisdem argumentis, quibus disputatione præcedenti probauimus fuisse in Christo gratiam & virtutes infusas naturales, & supernaturales: quod sine temeritate negari non posse ostendimus. Quare non tantùm habuit scientiam actualem consistentem in actibus; sed & habitualem, ac per modũ complementi actus primi, consistentem in habitibus naturalibus, & supernaturalibus, ac speciebus superadditis intellectui, ad eum plenè constituendũ in actu primo intelligendi. Quadruplex autem fuit generatim scientia creata Christi, siue actualis, siue habitualis. Nempe scientia beatifica, consistens habitualiter in lumine gloriæ, & actualiter in visione beatifica: scientia supernaturalis & per se infusa, consistens habitualiter in habitibus & speciebus supernaturalibus, & actualiter in actibus ope illorũ principiorum elicitis: scientia naturalis sed infusa per accidens, consistens habitualiter in habitibus, & speciebus naturalibus in substantia, & similibus iis, quos homines propria industria acquirunt, infusis tamen Christo in instanti conceptionis, sicut Adamo, & Salomoni, & aliis forte quibusdam infusi fuerũt: actualiter verò in actibus naturalibus ope talium habituum & specierum elicitis. Ac denique scientia acquisita, quæ non alia fuit in Christo, quàm experimentalis, vt ostendemus sect. vltima. De his enim scientiis singillatim disputandum iam est.

Christus habuit principia conuenientia ad perfectè cognoscendũ.

Scientia Christi fuit quadruplex.

SECTIO II.

De scientia beata animæ Christi.

8. *Anima Christi ab initio suæ creationis habuit scientiam beatificam.*

PRima conclusio: Anima Christi ab instanti suæ creationis habuit lumen gloriæ, & visionem beatificam. Ita omnes Theologi cum Magistro in 3. dist. 14. & cum D. Thoma 3. p. quæst. 15. art. 10. Ratio præcipua est, quia anima Christi primo instanti suæ creationis fuit vnita hypostaticè, & Christus primo instanti suæ conceptionis fuit Filius Dei. Ergo debuit ab eo instanti habere dona, & ornamenta, quæ decebant talem personam, & non erant nostræ redemptioni obfutura. Huiusmodi autem est gloria animæ, & visio beatifica, iuxta illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Secundò, Christus primo instanti conceptionis fuit caput & Dominus Angelorum, æquè ac hominum, vt docet Paul. Hebr. 1. *Et iterum cum introducit primogenitum suum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Atqui non decebat vt cùm Angeli iam essent Beati, & viderent Deum, Christus, qui erat illorum Dominus, non videret. Tertiò, Si Deus primum hominem repleuit ab initio scientia eximia, conueniente illius statui, vt dicitur Eccles. 17. atque etiam gratiâ, eo quòd ipse erat institutus in caput & fontem gratiæ originalis; ergo similiter ornauit Christum scientia & cognitione, quæ statum eius decebat. Hæc autem est cognitio beatifica, & quidem maior, quàm vllius puræ creaturæ, cùm ipse cęteris omnibus esset causa & origo gratiæ & gloriæ. Confirmatur ex Scriptura, quæ pluribus locis magis probabiliter asserit, Christum vidisse Deum in hac vita mortali, ac proinde ab instanti conceptionis, quia non fuit maior ratio de vno tempore vitæ mortalis, quàm de alio. Ioan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et cap. 3. v. 11. *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus testamur.* Et vers. 13. *Nemo ascendit*, Græcè ἀναβέβηκεν *in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius Hominis, qui est in cœlo.* Et vers. 31. & 32. *Qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur.* Et cap. 8. v. 38. *Ego quod vidi apud Patrem loquor.* Quibus verbis videtur sermo esse de Christo vt homine, qui vt talis loquebatur, & testabatur, & enarrabat: quique descenderat de cœlo vt Verbum per incarnationem, ascenderat autem vt homo per visionem beatificam simul illi communicatam. Veruntamen quia hæc loca possunt in rigore de Christo vt Deo intelligi, qui loquebatur per humanitatem, & ascendit in cœlum per effectus naturales, & supernaturales, quos ab initio mundi ibi operatus est: Idcirco res non est de fide, cùm nulla eius certior traditio diuina proferatur. Est tamen adeo certa propter communem consensum Theologorum, suffragante Patrum authoritate, vt saltem sine temeritate negari non possit. Quemadmodum rectè monet Suar. disp. 25. sect. 1. sub finem.

Obiiciûtur primò quædam Scripturæ loca quibus significatur Christum non fuisse glorificatum ante passionem: Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Ioan. 17. *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te:* Luc. 24. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Respondeo, sensum primi loci esse, quòd Spiritus sanctus nondum descendisset in Apostolos, quia Iesus nondum ascenderat in cœlum ad dexteram Patris. In secundo, petit Christus vt gloria, quam ab æterno habuit apud Patrē vt Verbū, cōmunicetur eius humanitati eleuatæ ad dexteram Patris: vtque homines cognoscerent qualis & quantus apud Patrem sit. In tertio, sermo est de gloria maiestatis & regiæ magnitudinis, nominisque sui exaltatione, quam Christus post passionem accepit, quamuis per illam promeruit. — 9. *Occurritur primæ obiectioni.*

Obiicitur 2. gloriā beatitudinis animæ non bene cōuenisse cum statu & officio Christi vt redemptoris in hac vita mortali, ideóq; non debuisse illam habere, sicut nō habuit gloriā & beatitudinē corporis. Si enim Christus secundum animam erat beatus, non poterat secundū eam tristari & pauere, vt fecit Matth. 26. & Marc. 14. Non poterat etiam mereri per mortem, & alia sibi à Deo præcepta, quia Beatus non potest esse liber circa Dei mandata, vt ea faciat vel omittat: alioquin esset liber ad peccandum. Non poterat deniq; incumbere in tot alios actus cognitionis sibi in hac vita necessarios, si per visionem beatificā intensissimam totus in Deum absorptus erat. — 10. *Altera obiectio.*

Ad 1. Respondeo nō repugnare, & diuinitus propter redemptionē nostram factū esse, vt anima Christi simul cum visione & fruitione Dei pateretur dolorem, non modò in parte sensitiua, sed & in rationali, atq; in ipsa parte superiori animæ, circa obiecta formaliter saltem diuersa ab obiecto Beatitudinis. Vnde non erat contrarietas inter huiusmodi actus, vt alibi fusiùs declarabitur. — *Soluitur primū eius argumentū.*

Ad 2. Respondeo, Beatum non esse quidem liberum ad peccandum: posse tamen habere actus plurimos liberos, tum circa alia, tū etiā circa præceptum diuinum, non quoad omnia determinatum, vt explicabitur disp. sequēti. — 11. *Ad secūdū.*

Ad 3. Dico, visionem Beatificam nō fatigare organa, & eo minùs impedire ne anima exerceat actus cognitionis inferioris, secūdū capacitatem quam ad illos habet. Et quāuis naturaliter non potuisset anima Christi sufficere ad tam multa: poterat tamen per potētiā obedientialem, quā subordinabatur Dei omnipotentiæ, & ab illa confortabatur. Nunc etiam cum in cœlo est, Beatus sine dubio, alia plurima præstat circa regimen Ecclesiæ militantis & triūphātis, de quibus quæri similiter posset, quomodo visio beatifica id permittat. — *Ad tertiū.*

Secunda conclusio: Visio beatifica animæ Christi non fuit infinita: fuit tamen ab initio quanta moraliter in ipso esse potuit, ita vt — 12. *Visio beatifica Christi non fuit infinita.*

deinceps non creuerit. Fuitque maior quàm visio beatifica cuiuscumque alterius Angelorum, vel hominum. Per eam tamen anima Christi non comprehendit Deum, id est, non eum cognoscit adæquatè, quantùm cognoscibilis est: neque per eam videt Christus in Deo omnia possibilia, neq; omnia quæ Deus cognoscit scientiâ visionis, id est, quæcunq; existunt in quacunque temporis differentia. Prima pars liquet ex dictis disp. 8. sect. 3. concl. 1. neque eget maiori declaratione, aut probatione. Secunda pars est D. Thomæ qu. 10. a. 1. cuius ratio optima est, quia infinitum non potest comprehendi à finito. Atqui Deus est infinitus, & infinitè cognoscibilis: visio autem Christi est finita: ergo &c. Idemque fuit sensus Patrum Concilij Basileensis sess. 22. vbi expressè dicitur, Deum nō comprehendi ab anima Christi: estq; communis consensus Theologorum affirmantium, nec ab vllo Beatorum reipsa, nec ab vlla creatura possibili, quantumuis per gratiá perfectibili, cōprehendi posse: eoque sensu exponentium Scripturę loca Ierem. 32. v. 19. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Et 1. Cor. 2. v. 10. vbi spiritui diuino veluti proprium tribuitur, quòd omnia scrutetur etiam profunda Dei: & alia huiusmodi, de quibus plura in prima parte diximus disp. 8. sect. 5.

D. Thom.

13\. Tertia pars eiusdem conclusionis, quòd scilicet Christus per scientiam beatificā non videat in Deo omnia possibilia, vel quæcunque Deus cognoscit scientia visionis, probatur, quia infinitum non potest simul distinctè cognosci ab intellectu finito. At intellectus Christi est finitus: & possibilia, atque ea quæ Deus cognoscit sciētiâ visionis futura per totam æternitatem, sunt infinita: ergo nō possunt ea omnia simul à Christi anima cognosci scientiâ visionis beatificæ. Loquimur autem hic de cognitione simultanea: nam de successiua dicemus in fine disputationis.

Christus nō cognoscit omnia possibilia, neque omnia quæ Deus nouit sciētiâ visionis.

Consentiunt quoad possibilia S. Thom. q. 10. a. 2. Ricardus in 3. dist. 14. qu. 2. principali art. 3. Bonauent. ibid. art. 2. qu. 3. Gabr. qu. vnica, conclus. 2. Almainus ibidem propositione 1. Adam ad eandem dist. 14. qu. 10. cōcl. 4. Scot. ibidem in solutione 2. quæstionis, §. *Sed si ista:* Suar. disp. 26. sect. 2. conclus. 1. & alij permulti. Quod ea verò quæ Deus cognoscit scientiâ visionis, sentiunt nobiscum S. Bonauent. Richard. Scot. & Gabr. locis citatis, & Ioan. de Salas Tom. 1. in 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 7. vbi docet, Christum non cognouisse omnia futura cognitione actuali, sed tantùm habituali: pro qua sententia quamplurimos authores citat.

D. Thom. Ricard. Bonau. Gabriel. Almain. Adam. Scot. Suar. Salas.

14\. Contrarium verò sentiunt primò Magister in 3. dist. 14. litera B. Albertus ibidem art. 1. Durandus q. 2. Maior q. 4. post secundā positionem: existimantes animam Christi scire omnia quæ Deus scit, & in eo tantùm ponentes differentiam inter animā Christi, & Deū; quòd anima Christi non tam clarè & perspicuè omnia capit, sicut Deus. Ratio eorum præcipua est, quia si non nouit omnia; ergo habet ignorantiam eorum omnium quæ non nouit. At hoc est contra communem sensum Patrum, & Catholicorum, remouentium à Christo ignorantiam, æquè ac peccatum.

Prima contraria sententia.

Respondeo, non propterea esse in Christo ignorantiam, neque prauæ dispositionis seu erroris, quia in nullo fallitur: neq; puræ negationis, aut potiùs priuationis, quia scit omnia quæ debet, ac potest scire. Nō dicitur autem homo ignorans propriè loquendo, eò quòd careat scientia Angelica, vel diuina; sed qui ia caret sciētiâ naturæ suæ cōueniente, vel debita. In eumque sensum intelligendi sunt Antiqui illi quorum meminit Vasques disp. 51. cap. 2. dum asserunt, non fuisse vel esse in Christo ignorantiam. Quod intelligendum est, non quasi Christus nihil omnino nō nouerit secundum humanitatem: sed quia ignorantia propriè & priuatiuè sumpta, non est in eo, qui cognoscit quidquid eius natura nosse debet. Adde, quòd Christus habet quodāmodo scientiam habitualem, siue in actu primo, omnium scibilium: quatenus habet Deum substantialiter sibi vnitum, & paratum concurrere ad sciendum quidquid ipse scire voluerit, aut quidquid eum scire expediuerit.

Non fuit in Christo ignorantia.

Obiici etiam possunt Isidorus & Hieron. quorum ille lib. 1. Sentent. cap. 3. sic ait: *Trinitas sibi soli integrè nota est, & homini assumpto.* Hieron. verò instante morte dixisse fertur Christo, *Tua anima, statim ac inseparabiliter fuit vnita diuinitati, omnia sciuit & potuit, quæ ipsa scit & potest diuinitas.* Sed ad primū Respondeo, locum illū Isidori corruptè referri: sic enim habet in correctis exemplaribus: *Sola sibi integrè nota est Trinitas, & humanitas à Christo suscepta.* Quo modo nobis potiùs fauet. Affirmat enim, Trinitatem, & Incarnationem ipsam, soli Deo integrè notam esse. Ad secundum, quidquid sit de veritate historiæ illius relatæ tom. 9. operum Hieron. in epist. Eusebij ad Damasum Papam, de ipsius morte, quæ epistola nouitatem suam manifestè prodit, & imperitiam, vt meritò ait Bellarminus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, circa nonum tomum sancti Hieronymi: Respondeo, verba relata sic explicari posse, quòd anima Christi omnia sciuerit & potuerit, quæ scit & potest diuinitas, vel per communicationem idiomatum: vel moraliter in actu primo, quatenus habuit concursum Dei paratum ad sciendum & faciendum, quidquid scire & facere vellet. 15.

Occurritur obiectioni.

Secundò, cōtra id quod diximus de sciētia visionis sentiunt Suarez disput. 26. sect. 4. Vasq. disp. 51. aliique multi, quibus fauere videtur S. Thom. q. 10. a. 2. affirmantes, animā Christi in Verbo cognoscere omnia quæ quocumque modo sunt, vel erunt, vel fuerūt, vel facta, vel dicta, vel cogitata à quocumque, secundum quodcumq; tempus. Ratio D. Thom. loco cit. est, quia vnusquisque Beatus cognoscit in Verbo omnia quæ ad 16.

Secunda sententia contraria.

ipsum spectant. Ad Christum autem & ad eius dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subiecta sunt omnia. Ipse etiam est iudex omnium constitutus à Deo, *quia filius hominis est*, id est, inquantum est homo, vt dicitur Ioan. 5. Ergo cognoscit in Verbo omnia existentia secundum quodcunque tempus, & omnes hominum cogitatus, quorum est iudex. Eodemque articulo ait Christum cognoscere omnia, quæ Deus cognoscit scientia visionis.

17. Verùm hæc doctrina D. Thomæ, quæ hîc videtur esse generalissima, limitari debet ex dictis ab eodem, articulo sequenti in medio corporis, vbi tradit, animam Christi non scire infinita, *quia non sunt infinita actu, etiamsi accipiantur omnia, quæcumque sunt in actu secundum quodcumque tempus: eò quòd status generationis & corruptionis non durat in infinitum. Vnde est certus numerus non solùm eorum quæ sunt absque generatione & corruptione* (vt Angeli & cœli) *sed etiam generabilium & corruptibilium*. Hæc D. Thom. Ex quibus patet eum loco priori locutum esse de iis, quæ extra Deum sunt, fuerunt, vel erunt, vsque ad consummationem sæculi, & finem generationum & corruptionum. Ratio quoque ab ipso subiecta non probat omnia distinctè cognosci à Christo. Nam nullus Beatorum cognoscit adæquatè & distinctè quidquid ad ipsũ pertinet. Alioqui cognosceret distinctè infinitam durationem suæ beatitudinis: licet euidenter cognoscat se fore in æternum beatum. Et quamuis omnia Christo subiecta sint, debeatq; Christus pro hoc Dei beneficio gratias agere: non est necesse vt per humanitatem comprehendat quodlibet beneficium. Nam neque per humanitatem comprehendit seipsum, qui tamen Dei gratiâ est id quod est. Præterea licet sit constitutus iudex: non tamen omnia subiicientur iudicio: & de iis, quæ Beati post iudicium acturi sunt, non iudicabitur singillatim. Item actiones naturales tam animalium, quàm cæterarum rerum quæ fuerunt, sunt, vel erunt, non pertinent specialiter ad statum Christi, sed ordinariè subsunt tantùm communi prouidentiæ. Item quamuis Christus sit constitutus Dominus omnium generatim: tamen non est constitutus ad cognoscenda omnia singularia, circa quorum plurima nihil vnquam habuit quod ageret. Siue ergo spectetur actus iudicandi, siue actus prouidendi, siue actus regendi, non pertinet ad statum Christi, secundum humanitatem, vt cognoscat omnia præterita, præsentia, & futura. Neque propterea tribui potest Christo ignorantia quæ sit propriè priuatio. Quia scit omnia quæ potest & debet scire secundum statum suum, ad quem non omnia pertinent omni modo: neque ita vt debeant ab eo distinctè cognosci, quod simul fieri est impossibile, cùm omnia futura per totam æternitatem infinita sint, puta, infiniti actus hominum & Angelorum. At anima Christi non est capax infinitorum simul distinctè cognoscendorum. Quia anima Christi, etiam beata & gloriosa, finita est: Ad infinita autem distinctè cognoscenda, requiritur vis infinita. Quia sicut cognoscere distinctè plura, plus est quàm cognoscere pauciora: & hoc semper ascendendo cæteris paribus crescit proportione arithmetica: Ita cognoscere distinctè & clarè infinita, est infinitè plus, quàm cognoscere finita.

Nouetitne Christus omnia futura?

18. Neque dicas, huiusmodi futura esse tantùm infinita syncategorematicè, quatenus nunquam erunt actu infinita, sed alia & alia in infinitum erunt semper futura per successionem quæ nunquam exhaurietur. Respondeo enim quamuis per successionem sint futura, & cognoscatur eorum successio: tamen non cognoscuntur successiuè, sed simul comprehenduntur omnia cognitione vna, & tota successio comprehenditur. Ideoq; non sunt in potentia quoad cognitionem, sed tantùm quoad existentiam successiuam nunquam exhauriendam. Cúmque in cognitione illa tot sint obiectiuè, vt careant vltimo & fine; sunt infinita actu in cognitione; id est cognoscuntur actu tot obiecta, vt finis eorum nullus sit.

Futura sunt infinita.

19. Tertiò, contra eandem partem & præcedentem sentiunt Nominales & Vasques disp. 50. affirmantes, Christum & Beatos non cognoscere in Verbo, id est, in Deo ipso creaturas, siue vt possibiles, siue vt aliquando existentes. Addunt aliqui Recentiores non cognoscere vllum actum Dei liberum & contingentem in seipso. Sed eorum argumentis responsum fuit parte 1. disp. 8. de Visione Dei, sect. 9. & 10. Ex opposito fuerunt qui dicerent Christum aliqua ignorasse quæ sine dubio pertinent specialiter ad ipsius statum, vt diem iudicij, propter illud Marc. 13. *De die illo nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Quę verba non possunt intelligi de filio, vt Deus est, & idem cum Patre: Quare debent intelligi de filio vt homo est, qui diem iudicij penitùs ignorauerit. Ita senserunt Origenes, Athanasius, Cyrillus Alexandr. locis à Vasq. relatis disp. 51. cap. 1. & à Iansenio in concordia Euangelica, cap. 123. vbi hanc expositionem non damnat. Sed respondendum est cum communi sententia, sensum verum esse, quòd Christus nesciret diem illum, non simpliciter & absolutè, cui enim plus datum est, scire scilicet omnes actus iudicandos, quomodo negatum est id quod est minus, nempe circumstantia diei iudicij? Sed quòd nesciret secundum scientiam, quam acceperat vt Doctor Ecclesiæ, communicandam per seipsum hominibus. De qua eadem scientia loquebatur, cùm diceret Ioan. 15. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Cùm tamen paulò post addat capite 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quo

Tertia sententia opposita.

Vasq. Iansen.

Christus vt homo non ignorauit diem iudicii.

etiam sensu Legatus vere diceret se nescire ea quæ nescit vt legatus, quæque Princeps non commisit dicenda ei ad quem mittitur, & à quo interrogatur, dum legatione sua fungitur.

30. Occurritur obiectioni duplici. Dices, Patrem quoque eadem ratione nescire, quia non scit vt aliis reuelet: & tamen dicitur, *Nisi Pater*. Respondeo, differentiam esse, quia Pater non accepit ab alio illam scientiam vt aliis traderet, vel non traderet. Ideoque non sustinet conditionem & officium alterius personæ, ratione cuius dici possit nescire.

Instabis, quia saltem Angeli vi illius loci non magis dici possunt nescire diem illum, quàm Filius: nimirum non absolutè, sed tanquam Dei nuncij vt eius cognitionem hominibus communicent. Respondeo, verum esse non excludi Angelos vi illius loci, at neque etiam includi. Sicut neque vi eiusdem conuincitur Christum, vt hominem, illum scire: sed ex ratione ante allata: cui non officit locus ille Marc. 13. & similis, atque idem quoad sensum Matth. 24. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater*, cum libertate scilicet & potestate communicandi cui voluerit. Quo modo loquendi obscuro vsus est Christus, vt interrogantium importunitatem retunderet.

31. Vasq. Suar. Plura de huius loci expositione videri possunt apud Vasq. disp. 51. cap. 3. & Suar. qu. 10. art. 2. in Commentar. Sed non assentior Vasqui in eo quod ait initio capitis 2. indubitatæ esse traditionis, quòd Christus omnia futura nouerit, loquens de Christo secundum humanitatem. Quomodo enim fuit indubitatum id quod non pauci ex Patribus grauioribus, & multi ex Theologis antiquis ac recentioribus suprà citati negauerunt? Neque Vasques ibidem rectè probat traditionem illam: sed quædam testimonia, quæ profert, debent intelligi de Christo secundum diuinitatem. Verum quoque non puto esse quod ait Suares, eos qui dicunt Christum vt hominem ignorasse diem iudicij, damnatos fuisse in VI. Synodo generali, in fidei professione Sophronij, quæ habetur actione 11. & approbatur actione 13. (VI. Synod.) Tantùm enim damnatur ibi Themistius, quòd diceret Christum esse purum hominem, quia Marc. 13. profiteri visus erat se nescire diem iudicij. Sed non apertè asseritur damnandum esse illum, qui confitens esse Deum & hominem, asseruerit eum secundum humanitatem non sciuisse diem iudicij.

SECTIO III.

Soluuntur aliquot difficultates circa scientiam beatam Christi.

32. SVperest quærere primò, an Christus per scientiam beatam, vel in Verbo, id est, in Deo ipso, cognoscat ipsammet visionem suam perfectè & adæquatè? Ratio dubitandi est, quia vt hoc fiat, opus est infinitis reflexionibus. Nam Christus non modò videt Deum; sed etiam videt se Deum videre: & iterum per aliam reflexionem videt se hoc ipsum cognoscere; & sic in infinitum. An Christus cognoscat in Verbo suam visionem beatificam?

Respondet vnus è recentioribus disp. 19. de Incarnat. sect. 1. & tribus sequentibus, admittendo has infinitas reflexiones in visione Christi, æquè, inquit, ac in visione Dei circa suam ipsius visionem: & tamen negat illam visionem esse infinitam categorematicè, sed tantùm syncategorematicè: quia illa visio est simplex & finita. Quia tamen cognoscit Deum, & cognoscit seipsam: ideo potest ratione nostra diuidi in duas formalitates, cum fundamento in ipsa visione, quatenus ipsa est similis & dissimilis alteri visioni, quæ cognoscit Deum, & non cognoscit seipsam. Et quia hæ duæ formalitates sunt etiam cognoscibiles; rursus possumus concipere aliam tertiam formalitatem, quá cognoscatur secunda: & sic in infinitum. Quod solum arguit esse possibiles syncategorematicè infinitas præcisiones in nostro intellectu, quibus possumus iterum & iterum præscindere plures formalitates in illa visione, per comparationem ad alias visiones possibiles syncategorematicè infinitas, quæ haberent minus reflexionis, quàm habet hæc visio: & non cognoscerent se omnino adæquatè, sicut se cognoscit hæc visio. Hæc ille.

33. Expenditur prima responsio. Sed non intelligo quomodo hæc visio sit finita categorematicè, cùm actu tota sit, & æquiualeat infinitis actibus reflexiuis, qui si omnes simul essent, sine dubio essent infiniti categorematicè: tot enim actu essent, vt nullus esset vltimus, nullusque finis in eorum multitudine actu tota existente. Aequiualeat, inquam, non geometricè tantùm, sed arithmeticè, totam illam perfectionem in se colligendo, vt opinatur auctor suprà citatus. Nam iuxta illius doctrinam, perinde facit Christus, ac qui tota æternitate perpetuò actibus aliis atque aliis sine fine se supra suas cognitiones reflecteret. Deinde illa multitudo reflexionum, tam in Dei visione, quàm in visione Christi, frustra requiritur ad magis perfectè & adæquatè cognoscendam visionem. Neque enim magis perfectè & adæquatè cognoscitur visio per reflexionem supra cognitionem visionis, & alias deinceps in infinitum. Sicut non magis perfectè cognosco solem, ex eò quòd per aliam cognitionem reflectam me supra cognitionem solis: & iterum per aliam, & sic in infinitum. Alioqui Beati reflectentes se in infinitum successiuè supra visionem beatificam, & essentialem Beatitudinem, viderent Deũ perfectiùs & perfectiùs in infinitum: quod est falsum. Nam illa visio non crescit, sed tota est ab initio, quanta esse debet pro mensura gratiæ habitæ in via. Ratio est, quia visio, & reflexio supra visionem, sunt diuersa obiecta, sicut sol & visio solis, aut Deus &

Dei visio: quorum vnum non attingitur magis perfectè & adæquatè, ex eo quòd aliud per cognitionem attingatur, vel ex eo quòd reflexiones aliæ supra alias sine fine multiplicentur.

24. Vlteriùs, omnis intellectio est intrinsecè & essentialiter sui ipsius perceptio. Est enim attentio principij viuentis, quod producendo verbum, attendit; & attendendo producit: atque eo ipso quòd intelligit, necessariò & formaliter intelligit se intelligere. Sicut omnis volitio est intrinsecè & essentialiter voluntaria, ac volitio suiipsius. Hoc enim ipso quòd quis aliquid vult, vult illud velle. Quóue magis perfecta est cognitio, eò est magis sui ipsius perceptio. Vnde cognitio diuina, quæ est perfectissima cognitio, est perfectissima suiipsius perceptio. Quare malè fingitur illa reflexio infinita diuinarum cognitionum: cùm directa cognitio diuina sit perfectissima sui cognitio, quanta esse potest, nulla egens reflexione, neque apta vt per illam meliùs cognoscatur. Idemque dico cum proportione de visione beatifica. Quæ, quia valde perfecta est, est etiam valde perfecta suiipsius perceptio: & reflexiones super illam sunt beatis inutiles, vt magis perfectè & adæquatè cognoscatur. Tota enim per seipsam, & totaliter, id est, omni ex parte, ac perfectè planéque cognoscitur: quia tota fit à principio viuente perfectè attendente quid fiat. Quare non placet quod ait idem auctor, visionem illam, quia cognoscit seipsam, posse diuidi in duas formalitates cum fundamento in ipsa visione, quatenus ipsa est similis & dissimilis alteri visioni, quæ cognoscit Deum, & non cognoscit seipsam. Nam nulla est formalitas in tali visione quæ sit visio, & non sit, quá talis, suiipsius visio, ac viuentis attentio viua & vitalis. Nulla item est visio quæ cognoscat Deum, & non cognoscat seipsam. Quia omnis intellectio est intrinsecè & essentialiter suiipsius perceptio.

Malè fingitur in Deo reflexio infinita supra suas cognitiones.

25. Hinc ad rationem dubitandi Respondeo, illam ex falsa suppositione procedere: nullamque in reipsa esse difficultatem, quomodo Christus videre possit perfectè & adæquatè visionem suam in Verbo, in quo tota perfectè & adæquatè repræsentatur, æquè ac alia obiecta creata, quæ à Beatis cognoscuntur in Verbo. Totam, inquam, quoad substantiam. Nam de duratione, & perpetuitate, mox dicam.

Vera quæstionis resolutio.

Quæritur secundò, an Christus per visionem beatam cognoscat durationem & perpetuitatem ipsius visionis? Ratio dubitandi est, quia si eam cognoscit, sequitur visionem illam, postquam semel producta est, esse incorruptibilem, etiam de potentia absoluta. Nam visio illa est essentialiter vera & infallibilis. Ergo si videt se perpetuò duraturam, non potest non durare perpetuò: alioquin esset falsa, quod est contra essentiam illius visionis. Ergo posito quòd existat, non potest non perpetuò durare, etiam de potentia absoluta. At hoc absurdum est, & contra Theologos, & Philosophos affirmantes nihil creatum esse quod absolutè destrui non possit, ob perfectissimum Dei dominium in res omnes creatas.

An Christus per suam visionem beatificam cognoscat eius perpetuitatem?

Respondet idem qui suprà, disp. 19. n. 22. visionem beatam Christi non repræsentare seipsam, neque suam perpetuitatem. Quia si visio illa asseratur esse permanens: vrget argumentum iam factum, quòd scilicet deberet essentialiter durare per totam æternitatem, absque vlla prorsus defectibilitate. Si autem dicatur esse successiua & in continuo fluxu posita, vt ipse putat: vrget aliud argumentum. Quia scilicet, si visio terminatur ad seipsam; terminatur etiam ad totam suam intensionem: & quidem ita vt per singulos gradus suæ intensionis videat totam suam intensionem. Omnes enim gradus illius versantur circa idem obiectum: alioquì non videretur intensiùs. Ergo vnus gradus non potest esse sine alio; quia per vnum videtur alius vt existens: & cùm visio illa sit essentialiter vera, non potest vnus non esse existens, existente alio à quo videtur vt existens, & à quo essentialiter repræsentatur vt existens. Neque enim esset idem gradus, qui nunc est, nisi hoc repræsentaret. Sequitur ergo hos gradus habere essentialem & mutuam inseparabilitatem inter se, ita vt nec de potentia Dei absoluta potuerit alter eorum sine altero poni. Hinc autem videtur tolli inter ipsos omne vestigium distinctionis realis: cùm sit mutua & omnimoda inseparabilitas immediata inter illos. Et consequenter non faciunt intensionem: Quippe quæ non fit nisi per gradus realiter distinctos. Neque vniuntur inter se. Ad quid enim vnio inter illa quæ sunt mutuò essentialiter & absolutè coniuncta inseparabiliter per seipsa immediatè? 26.

Sententia negans.

Sed contra: primò, de essentia Beatitudinis, vt probabilior sententia docet, vel (quod à nemine negari potest) de complemento saltem necessario illius est, vt Beati sint certi de perpetuitate suæ beatitudinis. Ergo debent illam cognoscere actu certo, & non minùs infallibiliter vero, quàm sit ipsa visio beatifica. Ergo illo actu semel posito non possunt non esse perpetuò Beati. Ergo non repugnat Dei dominio super res omnes creatas, neque absurdum est, aut contra omnes Theologos, dicere aliquid esse, quod ex aliquo præsupposito sit prorsus indefectibile. Ergo propter hoc argumentum non est negandum videre Christum in Verbo, id est, in Dei cognitione aut decreto, perpetuitatem suæ visionis. Parum enim interest ad perfectionem dominii diuini, quòd hæc necessitas oriatur ab aliquo creato, extrinseco potiùs quàm intrinseco rei necessariò duranti. Secundò, non magis absurdum est, vel contra Dei dominium, non posse aliquid non durare perpetuò simultaneè, posito quòd semel sit: quàm non posse non durare successi- 27.

Non probatur.

Non repugnat aliquid creatum esse indefectibile ex suppositione.

uè, id est, per partes fluentes sine fine. Ex. gr. non magis absurdum esset, vel contra Dei dominium, dicere, cœlum posito quòd simul sit, non posse non semper durare: quàm motum cœli (qui à multis putatur esse ens intrinsecè successiuum & distinctum à mobili) non posse non semper durare, posito quòd semel inchoatus sit. Atqui, iuxta Aduersarium, non est absurdum, sed planè verum, visionem Dei non posse non durare per continuam successionem, posito quòd vna pars visionis repræsentet alias partes visionis futuras, vt fieri posse concedit num. 20. & 21. Frustra ergo veretur admittere, non posse non durare permanenter, propter illud incon modum.

28. Visio beatifica non est in cõtinuo fluxu & successione.

Tertiò, sine sufficienti fundamento asseritur contra communem sententiam, visionem beatificam esse in continuo fluxu & successione positam. Nam quod ait idem auctor n. 20. actus intellectus & voluntatis esse entitates intrinsecè successiuas, eo quòd non fiant per actionem distinctam, sed seipsis pendeant essentialiter à suis principiis: Omnis autem actio quæ durat in tempore, debet esse intrinsecè successiua: eo quòd actio non distinguitur à duratione: & duratio rei durantis in tempore, debet esse intrinsecè successiua: Hoc inquam, est à veritate alienum. Actio enim est vsus potentiæ agentis, seu potentia se actu exercens: quæ, vt sic, est causa effectus, & ab illo distinguitur. Quare actio quâ fit actus intellectus aut voluntatis, non est ipsemet actus, sed aliquid ab eo distinctum & naturâ prius. Duratio verò rerum permanentium est ipsamet res, quæ durat formaliter eo solo quòd non desinit esse. Quare modus superadditus, successiuus, & fluens, est inutilis vt formaliter duret. Estque impossibile vt res per illum formaliter duret, vt contra eundem authorem ostendimus disp. 5. sect. 6. num. 83. Contra verò, cùm visio beatifica habeat semper idem principium, & idem obiectum semper æquè præsens, atque omnes causas easdem: nulla est ratio cur in instanti desinat, & noua semper ac noua succedat. Sed potiùs eadem semper est, sicut est idem lumen gloriæ. Et frustra ac inutiliter desineret hæc, vt aliæ & aliæ in infinitum succederent, versantes circa idem obiectum, & nihil amplius præstantes subiecto, quàm quod prima permanens præstaret, id est, Dei perceptionem in tanta & tali intensione, & extensione obiectiua.

29. Vera sententia affirmans.

Dico itaque Christum per visionem beatã cognoscere durationem & perpetuitatẽ suæ visionis. Et ad rationem dubitandi Respondeo, visionem illam non esse propterea incorruptibilem de potentia absoluta, id est, spectando tantùm absolutè potentiam, & non prout subest diuinæ sapientiæ, quæ tenetur actum illum conseruare ex suppositione quòd eum talem produxerit, ob rationem mox afferendam. Ad probationem, nego visionem illam esse essentialiter veram & infallibilem. Neque enim veritas, id est, conformitas illius cum obiecto, & infallibilitas, est de conceptu illius primario: sed dicitur vera per extrinsecam denominationem ab existentia obiecti existentis eo modo quo videtur & asseritur esse: Infallibilis autem dicitur, ex eo quòd falli non possit, quia non potest non esse conformis obiecto. Vnde infallibilitas dicit conformitatem seu veritatem: & addit constantiam ac necessitatem conformitatis inter actum & obiectum.

Dices: quamuis non essentialiter, tamen est necessariò vera & infallibilis ab intrinseco. Quia est actus intrinsecè supernaturalis, quique sine speciali Dei concursu vel auxilio supernaturali fieri non potest. Talis autem actus est necessariò verus ab intrinseco & ex natura sua: tum ratione suæ excellentiæ supernaturalis intrinsecè: tum etiam quia implicat Deum concurrere specialiter ad actum falsum, sicut & ad peccatum. Respondeo distinguendo Maiorem. Visio illa est necessariò vera & infallibilis ab intrinseco, necessitate absoluta & in ordine ad potentiam Dei absolutè consideratam: Nego. Necessitate petita ex Dei sapientia, quam non decet specialiter concurrere ad actum falsum, & permittere in actu intrinsecè supernaturali difformitatẽ cum obiecto, quæ etiam naturaliter repugnat eius perfectioni: Cõcedo. Et hęc necessitas habet quidem fundamentũ in natura actus qui est intrinsecè supernaturalis, exigitque ratione suæ excellentiæ esse verus & conformis obiecto; atque etiam fieri nequit sine speciali Dei auxilio, naturæ non debito. Verumtamen natura actus non est tota causa, vel prima & præcipua huius necessitatis: sed ipsa Dei sapientia & rectitudo summa in agendo quidquid agit. Quæ sicut non potest promissis non stare, ideóque non potest non esse perpetuò Beatitudo, & quidquid semper fore promisit: ita neque potest esse causa specialis actus turpis & indecentis naturæ rationali: qualis est actus falsus intellectus, & actus malus voluntatis: præsertim verò contra naturam ipsius actus exigentis oppositum. Neque magis vnum est contra perfectum Dei dominium, quàm aliud. Hinc collige quid sentiendum sit de actibus supernaturalibus qui enunciarent se semper esse, se nunquam mutatum iri, se esse mediatè Verbo vnitos hypostaticè, & de aliis similibus. Notandum tamen totam perpetuitatem visionis nunquam simul cognosci à Christo distinctè. Quia cùm sit obiectum infinitum, non potest cognosci distinctè actu finito, neque tota simul ab intellectu finito: cuiusmodi est intellectus Christi humanus & creatus, de quo loquimur. 30. Obiectio diluitur.

Quæritur tertiò, an Christus cognoscat in Verbo suos actus liberè futuro. Ratio dubitandi est, quia ex vna parte, cùm repræsententur perfectè in Verbo, possunt in illo cognosci. Ex alia verò parte, si videntur in Verbo, non potuerunt liberè fieri à Christo. Erunt enim necessarij ex aliquo præsupposito antequam fiant, & antecedente liberta- 31. An Christus cognoscat in Verbo suos actus liberos?

rem. Nam aliquæ sunt operationes in Christo, quæ oriuntur ex visione beata, & respectu quorum illa visio non est consequens, sed antecedens. Verbi gratia Christus videns in Verbo preces & miseriam Lazari; videt ex illa se motum iri ad actum miserendi. Ergo actus ille misericordiæ oritur ex visione, vt ex aliquo antecedente. Quòd si respondeas oriri ex visione miseriæ, & precum, vt ex aliquo antecedenti; sed non ex visione ipsiusmet actus misericordiæ: Insto, quia idem est actus, quo Christus videt vtrumque in Verbo inseparabiliter ex parte actus. Nam ratio actus quâ tendit in miseriam pauperis, non potest separari à ratione, qua tendit in actum misericordiæ præuisum. Neque enim esset actus qui nunc est, si alterum horum deesset. Ergo ille actus, prout est visio miseriæ, habet necessariò coniunctam, seu potius identificatam sibi visionem actus misericordiæ. Ergo non est vera indifferentia ad vnam sine alia. Ergo posterior non est libera præsupposita priori. Ergo denique actus misericordiæ oritur necessariò ex aliquo antecedenti, nempe ex visione miseriæ.

32. *Sententia negans.* Propter hoc argumentum idem auctor qui suprà, disp. 19. de Incarnat. nu. 29. affirmat, Christum per visionem ipsam formaliter non videre suas operationes liberas, quæ ab ipsa visione prodeunt: sed tantùm causaliter, quatenus ex ipsa visione oritur habitualis notitia suorum actuum. Sed contrà

Contrariũ probatur. primò, Hoc argumentum probat solùm non videri in Verbo per ipsam visionem beatificam, vel aliam necessariam, id est, non liberam Beato, attingentem simul aliquam rationem antecedentem ad actum liberè futurum, & velut causam ipsius. Sed non probat non videri absolutè in Verbo: quia possunt videri aliter, per actum, qui solùm repræsentet speculatiuè actus liberè futuros, ex suppositione quòd liberè futuri sint. Qui actus cognitionis est naturâ posterior exercitio libertatis circa actum futurum, eiusque futuritione. Ideo enim præuidetur futurus, quia liberè futurus est. Secundò, Non bene colligit Aduersarius actum illum misericordiæ oriri necessariò ex aliquo antecedenti, ex eo quòd oriatur ex cognitione miseriæ pauperis cognitæ in Verbo. Nam posito, quòd iam diximus, cognosci per actum distinctum à cognitione actus misericordiæ: potest Beatus ex cognitione miseriæ moueri liberè ad miserendum. Neque enim illa cognitio Beatum necessitat ad miserendum. Potest etiam Beatus liberè vtrumque cognoscere in Verbo, per vsum liberum Verbi, vt speculi voluntarij, repræsentantis ipsi quod vult. Ad eum modum quo Angeli vtuntur liberè suis speciebus: & nos liberè applicamus intellectum nostrum vt hoc aut illud cogitemus, quemadmodum experientiâ notum est. Sicut autem Dei notitia ab æterno, & præuisio nostrorum actuum liberorum, non adimit nobis libertatem eos exercendi, sed potiùs eam supponit: sic neque notitia Beati eorundem actuum in Verbo, seu in Dei præuisione, quæ posterior est & consequens ad Dei præuisionem, & ad id quod ipsa præsupponit. Nec obest quòd Beati cognitio simul repræsentat miseriam pauperis, seu motiuum actus miserendi, eodem actu indiuisibili visionis. Repræsentat enim sicuti est, id est, vt liberè connexam cum actu misericordiæ liberè posito ex tali motiuo. Sicut tamen pendet à Beati voluntate vt sit talis connexio inter obiecta: ita pendet ab eius libertate, in radice, vt videat in Verbo eodem actu indiuisibili miseriam pauperis & actum misericordiæ ex ea sequutum. Nisi enim actum illum liberè habiturus esset ex tali motiuo: non videret se vi illius esse ita operaturum.

Quæritur quartò, an posito quòd Christus comprehendat creaturas quas videt in Verbo, cognoscat infinita possibilia diuersa specie, vel saltem numero? Negat primum idem auctor qui supra, & affirmat secundum disp. 19. de Incarnat. sect. 2. sed non placet ratio differentiæ quam reddit. Verius enim existimo non posse comprehendi (id est, perfectè cognosci quantùm est cognoscibilis) potentiam v.g. obedientialem creaturarum, quin cognoscantur omnes species effectuum ad quas potest eleuari. Quare si potest eleuari ad infinitas (vt potest noster intellectus eleuari ad species cognitionis infinitas: & voluntas ad infinitas specie volitiones supernaturales) non potest comprehendi amplitudo illius potentiæ sine earum omnium cognitione distincta & perfecta. Alioqui enim confusè tantùm cognoscitur, si tantùm sciatur posse eleuari ad has & illas species distinctè, & confusè ad quidquid aliud non implicat per eam fieri. Estque sine dubio perfectiùs cognoscibilis, multóque meliùs cognoscitur à Deo, penetrante distinctè quantum se extendat. Similiter non potest comprehendi potentia intellectiua & volitiua Angelorum, quin distinctè cognoscantur species infinitæ actuũ naturalium, quos cum Dei, & obiectorum aut specierum concursu elicere possunt. Nec virtus quatuor primarum qualitatum, nisi cognoscantur species infinitæ mixtorum, ad quas possunt disponere, vel solæ, vel saltem cum aliis possibilibus permixtæ, & infinitis modis possibilibus attemperatæ. Idemque dico de effectibus solo numero diuersis, qui siue simul, siue successiuè possunt à tali creatura produci, & ad quos omnes virtus illius in actu primo sese extendit naturaliter, aut obedientialiter. Meliùs enim penetratur virtus causæ quando illi omnes distinctè cognoscuntur, quàm si tantùm confusè sciatur posse causam producere hunc effectum & quemcunque alium similem, excepta seipsa, si effectus est vniuocus. Magis tamen cognoscitur virtus causæ ex diuersitate specifica effectuum, quàm ex sola indiuiduali. Vnde ad comprehensionem puto magis requiri 33. *An Christus cognoscat infinita possibilia, posito quod comprehendat creaturas.*

notitiam specierum, quam indiuiduorum ad quæ virtus causæ sese extendit.

34. Occurritur obiectioni. Obiicit præcipue idem auctor sufficere ad comprehensionem, vt cognoscatur habitudo determinata causæ ad effectum. Angelus autem v. g. non habet habitudinem determinatam, distinctam & expressam ad cognitionem talis obiecti. Alioquin deberet esse alligata immediatè possibilitas Angeli cum possibilitate talis obiecti: Ita vt si repugnaret hæc formica v. g. repugnaret Angelus per locum intrinsecum immediatum, propter connexionem immediatam, & habitudinem Angeli ad hoc obiectum in indiuiduo. Respondeo primò, nullam esse habitudinem indeterminatam causæ ad effectum. Omnis enim causa potest determinatè quidquid potest. Eiusque habitudo ad effectum nihil aliud est, quàm virtus ipsa & entitas causæ, quæ determinatè est quidquid est: & potest distinctè ac singillatim quidquid potest. Neque enim est tantùm hoc aut illud: sed est distinctè & determinatè id quod est. Neque potest confusè hoc aut illud: sed potest distinctè & determinatè hunc effectum, & quemcunque alium qui potest ab ipsa prodire. Ac sicut nullum ponit nisi determinatè & distinctè; estque impossibile aliter poni & existere reipsa: ita non potest ponere nisi distinctè & determinatè hoc, & illud, & quidquid aliud potest producere. Quare Angelus v. g. habet determinatam & distinctam habitudinem ad cognoscendum quidquid cognoscere potest, & ad quamcunque cognitionem specie aut numero diuersam, quam exercere potest.

35. Deinde ad inconueniens allatum Respondeo, Deum ipsum, vt ostendimus in prima parte, disput. 10. sect. 3. esse necessariò connexum immediatè cum rerum omnium possibilitate, ob necessariam & intrinsecam habitudinem suæ omnipotentiæ cum rebus possibilibus. Nisi enim essent possibiles, non esset omnipotens. Et si non esset omnipotens, & tam potens atque nunc est, non esset Deus. Quia non esset Deus qui nunc est: nec alius, quia omnis alius est impossibilis. Quid ergo mirum videri debet, si Angelus habeat necessariam connexionem immediatam cum rerum possibilitate, ratione habitudinis quam habet ad earum cognitionem possibilem, id est, quam ex intrinseca sua & naturali ac necessaria virtute potest elicere? Quæ virtus nisi esset, non esset Angelus is qui est; Suppono enim esse per seipsum virtutem intelligendi & volendi. Imò in aliorum sententia, non esset is qui nunc est substantialiter, nisi eius substantia esset radix tantæ virtutis intelligendi, ab ipsa profluentis naturaliter & necessariò, per modum proprietatis, vt ipsi arbitrantur. Cætera quæ ab eodem auctore obiiciuntur contra nostram sententiam, sunt minoris momenti, & ex dictis facilè solui possunt.

SECTIO IV.

De scientia per se infusa animæ Christi, eiusque obiectis.

36. Christus habuit scientiam supernaturalem diuersam à beatifica. Prima conclusio: vltra scientiam beatificam, habuit Christus ab instanti conceptionis aliam scientiam inferiorem, supernaturalem tamen in entitate, & per se infusam. Ita D. Thom. quæst. 9. art. 3. & tota quæst. 11: & alij communiter. Ratio est, quia hæc scientia possibilis est: & anima Christi est illius capax: estque de se magna perfectio, & conueniens officio & dignitati Christi: Neque fuit ratio cur non daretur primo instanti conceptionis: quia debebatur vi vnionis hypostaticæ, quæ fuit ab initio; & neque nostra vtilitas, neque quidquam aliud exigebat vt tardiùs daretur: ergo non debuit illi negari, neque tardiùs differri. Consequentia patet supposito axiomate tradito à D. Thom. q. 11. a. 1. quod in hac materia vt per se notum supponi debet, conueniens fuisse vt omnis animæ Christi potentialitas, seu capacitas perfectionis, in actum reduceretur (id enim exigit maiestas vnionis hypostaticæ) nisi vtilitas nostræ salutis, & aliquod officium Christi aliud exigat. Quæ exigentia nulla hic fuit: cùm potiùs talis scientia Christo vt Doctori & magistro salutis, ac redemptori, valde conueniens fuerit, vt constabit ex dicendis paulò post. Antecedens verò probatur: quia sicut vltra visionem beatificam est possibilis fides supernaturalis circa Deum, & res alias supernaturales, atque etiam circa naturales supernaturali modo cognoscendas propter diuinum testimonium: Ita circa easdem possibilis est scientia seu cognitio clara supernaturalis, fide quidem superior in euidentia, visione verò beatifica inferior, eò quòd non attingat Deum intuitiuè, sed tantùm abstractiuè; neque res creatas, aut creabiles cognoscat in Deo ipso clarè viso; sed in seipsis, aut per alia media. Non repugnat autem vtramque scientiam simul esse in Christo. Nam eadem res potest ab vno & eodem simul cognosci pluribus actibus. Quod enim v. g. videt anima sensu externo, simul idem percipit sensu interno, atque etiam intellectu. Possumus quoque idem obiectum sensibile diuersis sensibus simul percipere. Vt v. g. motum, aut figuram, visu simul & tactu. Possumus item simul idem obiectum per diuersa media, siue vno actu, siue pluribus, intellectu cognoscere: vt Dei existentiam per effectus euidentes, & per obscuram, Dei reuelationem. Neque is qui vt Philosophus cognoscit euidenter Deum esse ex creaturis; desinit id posse cognoscere quando fit ex Philosopho Christianus, & id iam credit propter reuelationem. Neque Beati desinunt cognoscere ex effectis Deum esse, licet id co-

gnoscant immediatè per visionem. Quare fallitur Gabriel in 3. dist. 14. art. 3. dub. 1. putans non posse in Christo duplicem scientiam esse, beatificam & infusam, circa idem obiectum, quia altera esset superflua. Neque enim propterea superflua est, sed magna perfectio intellectus, quâ idem obiectum diuerso modo cognoscit.

Gabriel.

37. Confirmatur, quia per scientiam beatificam nihil videtur, aut cognoscitur immediatè & per se, nisi solus Deus. Alia verò entia, supernaturalia aut naturalia, mediatè tantum in ipso cognoscuntur. Sicut per fidem supernaturalem, cui lumen gloriæ succedit & visio beatifica, cognoscimus tantùm immediatè diuinam reuelationem sufficienter propositam: cætera verò, illa mediante, & quatenus sub ipsam cadunt. Atqui magna perfectio est posse cognoscere creaturas etiam immediatè in seipsis: ideóque Deus Angelis, vltra visionem beatificam, species proprias rerum aliarum infudit, quibus immediatè eas cognoscerent. Ergo valde conueniens fuit vt Christus præter notitiam mediatam in Verbo, haberet notitiam immediatam huiusmodi rerum in seipsis. Quæ notitia, vt esset proportionata obiecto suo potiori & nobiliori, nempe rebus supernaturalibus, debuit esse supernaturalis. Denique eadem scientia fuit valde conueniens Christo vt viatori, loco fidei supernaturalis: & vt Doctori mysteriorũ supernaturalium, & vt Redemptori ad merendum per actus voluntatis illi scientiæ proportionatos, vt nos meremur per actus voluntatis fidem sequentes: visio enim beatifica non pertinet ad viatorem, & merentem, vt talem.

38. Secunda conclusio: Obiectum huius scientiæ fuit multiplex. Primò enim per hanc scientiam Christus cognouit Deum & mysterium Trinitatis: non intuitiuè, sic enim fuisset scientia beatifica; sed abstractiuè; euidenter tamen & quidditatiuè, ac propriè seu germanè, vi alicuius medij. 2. Cognouit etiam possibilia, non omnia, sed iuxta suam capacitatem. 3. Cognouit quoque per eandem mysteria gratiæ, & entia supernaturalia. Itemque actus liberos & cordium secreta, atque futura contingentia. Ac denique entia merè naturalia, sensibilia, & insensibilia, materialia & immaterialia, per eandem scientiam altiori & perfectiori modo cognouit.

Multiplex fuit obiectum huius scientiæ.

39. Prima pars conclusionis, de Deo, & mysterio sanctissimæ Trinitatis, probatur, quia Christus cognouit euidenter per hanc scientiam veras esse reuelationes diuinas in Scriptura contentas de Deo vno & trino, quas nos obscurè per fidem cognoscimus, quia minùs perfectè illas attingimus. Deinde nouit etiam euidenter Deum vt vnum, ex creaturis quidditatiuè & perfectè cognitis, multò magis quàm Philosophi, vel Angeli, ex iisdem creaturis Deum esse intelligant. Maximè cùm vi huius scientiæ non tantùm naturales creaturas, sed & supernaturales Deo viciniores euidenter cognouerit. Cúmque inter huiusmodi creaturas supernaturales aliquæ sint quæ Deum repræsentant intentionaliter sicuti est vnus in essentia & trinus in personis, nempe visiones beatificæ, tum Christi ipsius, tum aliorum Beatorum: Christus huiusmodi visiones intuendo, & perfectè cognoscendo, cognoscebat in illis, vt in medio cognito, Deum vnum & trinum, etiam propriè & quidditatiuè, prout in visione seu specie expressa Beatorum repræsentatur: ad eum modum, quo is qui veram Regis imaginem videt, cognoscit propriè Regem in ipsius imagine. Quare non tantùm potuit Christus cognoscere Deum analogicè per creaturas, sed etiam propriè & germanè per aliquas. Hæc tamen cognitio Dei quidditatiua in visione beatifica, vt medio cognito, non erat intuitiua ipsius Dei, neque tam perfecta & viua eius perceptio, atque est ipsa immediata visio Dei in seipso. Quamuis enim distinctè percipiat quidquid illa visio enunciat de Deo; minùs tamen perfectè id percipit, quasi ex auditu & relatione visionis, & non ex ipsa Dei experientia visuali.

Cognouit per illam Deum euidenter & quidditatiuè.

Nec obest quod opponit Suar. disp. 27. sect. 5. non posse Deum cognosci quidditatiuè, quin cognoscatur intuitiuè, quia existentia actualis est de eius essentia. Respondeo enim non omnem cognitionem quidditatiuam esse adæquatam, & perfectissimam, attingentem omnia essentialia. Deinde potest cognosci existentia esse de Dei essentia, licet non videatur in seipsa: sicut reipsa nos qui Deum nondum videmus, scimus tamen existentiam esse de eius essentia: visio autem plus requirit. Est enim cognitio experimentalis rei in seipsa immediatè perceptę secundum præsentem & actualem existentiam, ad eum modum, quo lux & color præsentes percipiuntur ab oculo corporeo. 40.

Suar.

Non item obest quod idem opponit sect. 3. Christum cognoscere suam visionem beatificam per ipsammet visionem beatificam. Quamuis enim verum sit, visionem beatificam, vt & quemuis alium actum intellectus, esse virtualiter in se reflexam & experimentalem sui ipsius: hoc non impedit quin dari possit alius actus super ipsam formaliter reflexus, vt in nobis experimur. Item, licet Christus visionem suam beatificam cognoscat per virtualem reflexionem eiusdem in seipsam: non tamen ita visiones beatificas aliorum Beatorum. Nec quidquam impedit quo minùs eas possit intueri & directè cognoscere in seipsis. Non tamen sicut eas videt in seipsis, ita & Deum, quem abstractiuè tantùm cognoscit: sicut Regem non videt, qui eum tantùm cognoscit in imagine visa. 41.

Quæres an, Christus, cognoscendo per scientiam infusam vnionem hypostaticam, cognouerit in illa mysterium Trinitatis? Respondeo affirmatiuè. Nam cognoscebat illam terminari ad proprietatem filij relatiuè oppositam Patri, atque etiam Spiritui

Et mysterium Trinitatis.

sancto, propterea quòd de ratione filii est accipere naturam cum fœcunditate ad intra, vt suo loco ostendimus. Neque aliter poterat cognosci distinctè vnio hypostatica secundum propriam suam rationem, quâ differt ab alia vnione possibili ad Patrem, vel ad Spiritum sanctum. Quare non assentior Suari disp. 27. sect. 5. affirmanti satis esse cognosci, quòd hæc vnio terminetur ad diuinam hypostasim: quemadmodum sufficit cognoscere creaturas pendere à Deo, non cognita eius fœcunditate ad intra. Non assentior, inquam, quia dispar est ratio. Nam vnio hypostatica est ad proprietatem Verbi vt distinctam ab aliis personis. Creatura verò non est à Deo vt fœcundo ad intra, sed vt potente operari ad extra.

Suarez.

43. Et possibilia.

Secunda pars conclusionis de possibilibus, probatur quia, conueniens fuit vt Christus huiusmodi possibilia cognosceret in seipsis, ac per proprias species, iuxta mensuram suæ capacitatis; quæ tamen, quia finita est, non potuit simul recipere species infinitas, nec scientiam infinitam in actu secundo, adæquatam omnibus possibilibus quæ infinita sunt. Recepit tamen habitum de se sufficientem ad cognoscendũ vnumquodq; possibile, posita eius specie, aut concursu diuino loco speciei cum intellectu potente intelligere. Atque ita saltem in actu primo potest dici habere scientiam omnium ex parte habitus. Neque enim repugnat dari habitum finitũ, qui valeat diuisim ad infinita intelligibilia; sicut noster intellectus, quamuis finitus, valet ad infinita obiecta, & infinitos actus diuisim aut successiuè. Similiterque putant aliqui nõ repugnare dari speciẽ impressam finitam, quæ iuuet ad actus infinitos circa obiecta infinita, quæ tamen non perfectè repræsentet neque satis intellectum determinet ad hæc omnia distinctè cognoscenda, sed egeat Dei concursu & maiori determinatione, ad quã potest Deus Christo se paratum exhibere. Sicut enim species expressa non potest esse distincta notitia infinitorum, nisi ipsa sit infinita: ita neque species impressa potest distinctè repræsentare infinita, nisi sit infinita: quia vtriusque repræsentatio tota simul est, & adæquatur infinito. Quòd si Christus talem speciem accepit cum Deo in actu primo velut habitualiter coniuncto & præparato, habuit actum primum completum ad omnia diuisim aut successiuè scienda vi huius scientiæ. Verùm quid de illa specie sentiendum sit dicemus in fine sectionis quintæ. Sine illa verò Christus fuit sufficienter potens ad omnia illa scienda, vi habitus infusi, & concursus Dei in actu primo ad omnia parati.

44. Et entia supernaturalia.

Tertia pars, de supernaturalibus, facilis est. Nam propter illa præcipuè in seipsis immediatè cognoscenda ponitur hæc scientia supernaturalis, estque illis obiectis maximè proportionata. Decuit etiam specialiter Christum habere notitiam immediatam huiusmodi entium in seipsis, cùm omnium gratiarum & donorum supernaturalium author sit. Cùm autem duo genera sint entium supernaturalium: alia quoad substantiam, vt gratia & gloria: alia quoad modum, vt modus existendi accidentium in Eucharistia, & modus essendi indiuisibiliter corporis Christi in eodem sacramento: Christus per hanc scientiam perfectè & intuitiuè cognouit vtraque, etiam ipsam vnionem hypostaticam quoad vsum qui se tenet ex parte humanitatis. Eum verò qui se tenet ex parte Verbi, nouit quidem euidenter, sed non intuitiuè, quia videri non potest non viso ipso Verbo: Hæc autem scientia non est intuitiua Verbi, neque Dei, vt initio diximus; alioquin esset scientia beatifica.

Quarta pars de actibus liberis, seu præsentibus, seu præteritis, seu futuris, atque vniuersim de aliis futuris contingentibus, est Suaris disp. 27. sect. 2. & plurium quos citat. Ratio eius est, quia Christus hęc sæpius reuelauit, vt testātur Euangelistæ; & eorum cognitio est obiectum proportionatum huic scientiæ infusæ, æquè ac lumini prophetico: maximéque conueniebat Christo vt viatori & Doctori fidei, vt per huiusmodi reuelationes mysteria fidei confirmaret. Quare vt Christus, qua viator, & Doctor, esset optimè instructus, debuit ea cognoscere non modò per scientiam beatificam, quæ ad eum pertinet vt comprehensorem; sed & per aliam inferiorem ac propriam viatoris. Notitia quoque actuum omnium liberorum iudicandorum, siue præteritorum, siue præsentium, siue futurorum vsque ad mundi consummationem, maximè pertinet ad Christum vt iudicem. 45.

45. Et actus liberos aliaque futura contingentia.

46.

Porro cogitationes cordis præsentes, & actus liberos internos poterat Christus vi huius luminis superioris immediatè & in seipsis intueri. Futura verò contingentia, & præterita, non poterat intueri, quia non erant: poterat tamen euidenter cognoscere per eorum species distinctè repræsentatiuas, à Deo infusas, eo modo, quo nos distinctè & euidenter recognoscimus actus nostros præteritos per species ex illis relictas: vel per euidentem reuelationem diuinam, quam Christus euidenter nouit esse infallibilem: adeóque vi illius euidenter notæ, cognoscit euidenter ea quæ reuelantur. Prior cognitio erat directa & immediata. Posterior verò, mediata; quia fiebat mediante alio cognito, nempe mediante reuelatione diuina. Potest autem Christus per hanc scientiam infusam cognoscere euidenter Dei reuelationem, Deo ipso non viso. Vt enim is qui distinctè & perfectè nouit vocem alterius, eum cognoscit ex voce & modo loquendi, licet illum non videat: Ita qui perfectè & distinctè cognoscit modum, quo solus Deus potest interiùs animam immutare, & ei loqui per species, & conceptus, tales, vt non possint ab alio, quàm à Deo immitti: cognoscit Deum euidenter ex modo loquendi eius proprio. Sic etiam qui perfectè

fectè cognoscit habitus in substantia supernaturales, cognoscit esse tales, vt non possint nisi à Deo fieri.

47. Quinta pars, de entibus naturalibus, est D. Thom. q. 11. a. 1. & communis, teste Suare disp. 27. sect. 1. cōclusione 1. Ratio eiusdem est, quia in Christo est capacitas cognoscendi hęc omnia lumine & modo superiore. Ac si Deus Angelis infudit in instanti creationis species rerum naturalium: conueniens fuit vt earumdem rerum species Christo infunderet, & lumen habituale, quo adiutus eas cognosceret, non tantùm quoad externa & sensibilia quædam accidentia, vt nos facimus: sed intimè & perfectè quoad ipsarum substantias, proprietates, & cætera naturalia: atque non tantùm substantias corporeas, verùm etiam spiritales, conceptu proprio & perfecto, etiamque intuitiuo, quando erant per se præsentes. Hoc autem potuit habere per habitū supernaturalem & infusum, qui simul valuerit ad entia supernaturalia, & ad naturalia actu supernaturali & altiori, modoque perfectiore cognoscenda: sicut eadem fides supernaturalis valet ad omnia reuelata, siue naturalia, siue supernaturalia: & idem intellectus vtraque comprehendit. Habitus enim supernaturales sunt potentiæ quædam, multa obiecta complectentes. Sic etiam eadem charitas supernaturalis valet ad Deum & ad proximum propter se diligendum.

Et entia naturalia.

48. Falluntur autem qui putant non posse actum supernaturalem versari circa naturalia, atq; naturalē circa supernaturalia. Etenim actus diuinus, qui totus est in entitate supernaturalis, versatur circa omnia naturalia. Et actus, quo hæretici credūt mysteriū Trinitatis, est in substātia naturalis. Ac denique nisi actus naturalis versari posset circa supernaturalia, aut supernaturalis circa naturalia; impossibile esset ea inter se comparare, & differentiam aut conuenientiam eorum cognoscere. Actus enim comparatiuus debet necessariò versari circa duo extrema quæ comparantur. An autem per hanc scientiam cognouerit Christus omnia naturalia & supernaturalia quæ sunt, fuerunt, aut erunt in quacumque temporis differentia, iudicandum est ex iis quæ diximus de scientia beatifica: nimirum ea saltem omnia cognouisse, quæ specialiter ad eius statum pertinebant: maximè verò tunc, cùm specialiter expediebat ea scire.

49. Contra quod solet obiici, Christum fuisse confortatum ab Angelo Luc. 22. quæ cōfortatio alia esse nō potuit, quàm propositio nouorum motiuorū, & cōsiderationum, quibus Christus ad passionē subeūdam animaretur. Si autem Christus iam eas nouerat, non poterat earū propositione confortari ab Angelo.

Quomodo Christus fuerit confortatus ab Angelo?

Respondeo Primò, verba illa Lucæ, *Confortans eum*, significare posse idem quod, laudās eius fortitudinem, & robur animi quo dixerat, *Non sicut ego volo, sed sicut tu*. Nam phrasi Scripturæ, *confortare*, significat aliquando laudare fortitudinem, vt pluribus exemplis ostendit Vasques disp. 56. c. 2. vbi hanc expositionem cæteris præfert, maximè quia ex contextu Lucæ patet, Christum perstitisse in agonia, imò & eam auxisse post Angeli apparitionem: vnde, inquit, non fuit propriè leuatus, & recreatus, seu confortatus. Ita quoque hunc locum exponunt Chrysost. serm. de Trinit. Epiphan. hæres. 69. & Theophylact. in caput Luc. 22.

Vasquez.

Chrysost. Epiphan. Theophil.

50. Respondeo secundò, confortans, hoc loco idem significare posse, ac, faciens ea quæ ad confortandum per se valebant, & valuissent in Christo, nisi quæcunque proponebātur ab Angelo, fuissent illi iam ante optimè nota. Nec obest quod opponit Vasq. Deū nō fuisse missurum Angelum ob hoc solum. Misit enim non necessitatis aut vtilitatis, sed honoris & obsequii causâ. Fuit enim honorabile Christo & Angelis, vt Angelus ei visibiliter adesset in agonia. Tertiò, & meliùs dici potest, confortasse secundum partem sensitiuam, & secundum corpus, sustentando illud, abstergendo sudorem, ac visibili sua specie recreando eius imaginationem tot obiectis tristibus afflictam. Quæ non est necesse à Luca exprimi, neque eodem ordine narrari quo gesta sunt. Confortans denique, id est, solatium aliquod afferens suâ præsentiâ, loco discipulorum dormientium, & compassione qualem Beati habere possunt miseriç alienæ, & laudando fortitudinem, & gratias agedo, aliaque præstando quæ ad solatium, licet non ad instructionem, iuuare possunt.

51. Contra quintam partem conclusionis propositæ, sentit aliquatenus vnus ex Recentioribus disp. 20. de Incarnat. nu. 11. vbi docet Christum per scientiam infusam cognouisse tantùm de obiectis naturalibus ea, quæ meliùs & perfectiùs attingebat, quàm per suam facultatem naturalem poterat: & ea quæ ex reuelatione & magisterio diuino cognoscebat. Et de his quidem specialis est ratio ac necessitas. Immeritò tamen excluduntur cætera ab obiecto adęquato sciētiæ infusæ, quæ potest valere ad alia perfectiori modo ex parte actus cognoscēda, quamuis nō ex parte obiecti. Potest enim, vt supra diximus, versari actus supernaturalis circa obiectū naturale modo perfectiori: æque ac actus naturalis, circa obiectum supernaturale modo imperfectiori: vt fatetur idem Author eadem disputatione num. 25.

Quomodo christus cognouerit obiecta naturalia per scientiam supernaturalem? Delugo.

52. Dices cum eodem n. 27. Si Christus per scientiā infusā cognoscebat obiecta purè naturalia, solūmq; erat differētia in eo quòd entitas cognitionis erat supernaturalis; videtur iam omnino superflua sciētia naturalis de iisdem obiectis. Imò videtur esse contra experientiam. Neque enim experimur nos habere simul hunc duplicem actum. Quem tamen experiremur, æquè ac intensionem actuū nostrorum, seu multiplicationem graduum cognitionis circa idem obiectum. Item simili modo essent in voluntate actus naturalis & supernaturalis circa idem obiectū naturale.

Quorum prior esset meritorius præmii naturalis: posterior, præmii supernaturalis in homine iusto; quod videtur esse contra mentem omnium Theologorum.

Respondeo 1. Actus supernaturales non differre solũ à naturalibus in eo, quòd illorũ entitas sit supernaturalis; sed etiam quia perfectiori quodã modo, & laudabiliori, si sunt liberi, attingunt obiectũ, vt diximus in tract. de Fide disputando de actu interno fidei. 2. His argumẽtis nõ probari quòd saltẽ successiuè non possint exercéri huiusmodi actus, prout Christo placuerit hoc aut illo modo operari. 3. Certum est nos simul idem obiectũ sẽsibile, v.g. albedinẽ, videre oculis corporis, sentire sensu interno, & intelligere actu spiritali. Et tamen illam diuersitatẽ actuũ non experimur. Ergo argumentum supra allatum ab experiẽtia, est inefficax ad probãdum non simul exerceri actũ naturalem & supernaturalem circa idem obiectũ. Et certum esse debet, differentiam quę est inter actus naturales, & supernaturales ordinarios huius vitæ, non esse nobis notã experientia, quæcũque illa sit: alioquin illos discerneremus, & proderetur mysteriũ fidei euidenti notitia, cuiusmodi est experimẽtalis cognitio rei in seipsa. 4. Sicut non est superfluum & inutile, sed est aliqua perfectio, idem videre, sentire interiùs, & intelligere simul: sic & idem cognoscere actu entitatis naturalis, & supernaturalis. 5. Quòd mereamur efficaciter & reipsa apud Deũ aliquo actu naturali aut supernaturali, pendet ex Dei ordinatione, de qua alibi dictũ est disp. de Merito. Si autem mereamur aliquod præmium naturale per actus naturales, quando exercentur separatim sine supernaturalibus, vt supponit obiectio: nulla est ratio cur non mereamur aliquid per eosdem etiam tunc, cùm exercentur cõiunctim. Neque enim amittunt aliquid suæ bonitatis. Aliquid, inquã, siue naturale solùm, siue etiã supernaturale, propter coniunctionem illius actus naturalis cum alio supernaturali.

Tom. 2. disp. vlt.

SECTIO V.

De actibus scientiæ infusæ Christi, eorumque principiis.

52. *Actus illius scientiæ multiplices.* *Ricard. S. Bonau. S. Thom.*

PRima conclusio: Actus huius scientię non fuit vnicus, nec inuariabilis, nec ab initio totus, neque pendens ab imaginatione & vsu phantasmatum, neque omnino incapax cõpositionis & discursus. Prima pars est Ricardi, Bonauent. & aliorum in 3. dist. 14. colligiturque non obscurè ex D. Thom. q. 11. præsertim art. 3. & 5. Ratio eiusdem art. 5. est, quia hæc scientia fuit Christo libera quoad vsum & actum secundum. Cùm enim non sit suprema, neque beatifica; non imponit necessitatẽ animæ Christi vt perstet semper in vno & eodem illius actu: sed potiùs est accommodata illius naturæ & conditioni, quæ talis est, vt in actibus non beatificis habeat libertatem, & ab vno ad alium transeat: neque omnia quæ potest, vnico actu intelligat, sed successiuè alia & alia. Maximè verò cùm huius scientiæ habitus valeat per se ad tam multa intelligenda, vt non possint omnia simul distinctè cognosci ab anima Christi, cuius capacitas ad agendum simul, non est tanta, quanta est ad simul recipiendũ & sustinẽdum, siue species, siue habitus. Quia lõgè operiosius est agere vitaliter, quàm recipere: vt in nobis experimur, qui licet multa sciamus habitualiter, de paucis tamen possumus simul cogitare. Cùm igitur hic habitus valeat ad tã multa, & nulla sit necessitas persistẽdi in quouis eius actu: melius est vt Christus actus multiplicauerit, & pluribus actibus intellexerit ea, quæ vnico nõ poterat. Atque ita huius scientiæ actus neque vnicus fuit, neque inuariabilis; quia Christus de vno ad alium transiuit. Imò etiam potuit interdum carere omni actu collectiuè huius scientiæ infusæ, si voluit, contentus scientia beatificã, vel infusã per accidens, vel acquisitã: vt S. Thom. indicat art. cit. in corp. licet probabilius sit versatum semper esse in aliquo eius actu: quia est magna animæ perfectio, non repugnans vlli alteri perfectioni.

Omnino tamen liberum illi hoc fuit. Neque assentior Suari disp. 28. sect. 1. conclusione 3. si putat parem in eo esse rationem animæ Christi, & Angelorum, qui omni cognitione collectiuè carere non possunt. Aliud enim est carere omni penitùs, quod Angeli non possunt, ob rationem suo loco explicatam: aliud, omni tantùm in aliquo genere, quod tum anima Christi, tum Angeli similiter possent. Existimo autem Christum priusquam aliquid noui contingeret, quod ad ipsum aliquo modo pertineret scire specialiter, præuidisse tempestiuè vnumquodque, vi huius scientiæ, vel beatificæ. Sicut præuidit Ioan. 16. quòd discipuli vellent eum interrogare. Et Matth. 17. præuenit Petrum qui erat eum interrogaturus de tributo soluendo. Et Ioan. 18. *Sciebat omnia quæ ventura erant super se.* *Suar.*

54. *Non fuerit omnes ab initio.*

Secunda pars conclusionis, quòd hic actus non fuerit ab initio totus, sequitur ex præcedenti. Quia, vt dixi, actus adæquatus huius sciẽtiæ maior est, quàm vt anima Christi totũ simul habere possit. Neq; enim vim habet ad tam multa simul cognoscenda, quàm potest successiuè per hanc scientiam cognoscere. Quare licet in primo instanti conceptionis habuerit aliquem actum huius scientię, vt Paulus significat ad Hebr. 10. cũ de Christo sic ait: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autẽ aptasti mihi,* &c. vbi Christus videtur loqui vt homo, & secundum eam rationem quã erat futurus hostia & oblatio pro mundi redemptione. Adeoque vt talis in ipso suo in hunc mundũ ingressu, id est, in ipsa conceptione, agnouit Patris voluntatem, eique se voluntariè obtulit: licet, inquam, in primo instanti conceptionis habuerit Christus aliquem actum huius scientiæ: non tamen tunc cognouit omnia quæ deinceps per eandem potuit intelligere, & successiuè reipsa intellexit.

55. Vasquez. Neque vrget quod opponit Vasques contrarium sentiens disp. 53. cap. 2. fuisse alioquin in Christo ignorantiam multarũ rerum ad ipsum pertinentium, quia neque actu, neque habitu propriè eas sciuisset. Non quidem actu, vt supponimus: neque etiã habitu, quia non dicimur scire habitualiter, nisi ea quæ antea cognouimus, eorumque habitum retinemus, in quo habitu manet quodammodo actus. Respondeo enim primò, Christum eas sciuisse per scientiam beatificam. Secundò, sciri habitualiter id, cuius sciendi habitum habemus, quo vtamur cum volumus: siue ille habitus sit relictus ex præcedenti actu cognitionis, vt naturaliter contingit: siue à Deo infusus, vt in præsenti.

56. Non pependerunt à phantasmate. Tertia pars eiusdem conclusionis, quòd scilicet Christus non pependerit à phantasmate in vsu huius scientiæ, patet ex præcedenti. Si enim Christus à primo instanti cõceptionis, eius actum habuit: non habuit dependenter à phantasmate, nisi miracula multiplicemus sine necessitate. Tunc enim organa non erãt naturaliter disposita ad vsum rationis. Similiter, natus annos tantùm duodecim plus ostendit sapientiæ ac scientię, quàm ætas illa naturaliter ferebat. Vnde stupor audientium super prudentiã & responsis eius Luc. 2. v. 47.

57. Occurritur obiectioni. Nec obest quod Durandus obiicit, datam fuisse hanc scientiam Christo vt viatori: viatores autem non intelligunt sine conuersione ad phantasmata. Respondeo enim, quidquid sit de viatoribus, qui forte interdum operantur sine conuersione ad phantasmata in ecstasi & altissima cõtemplatione, vel reuelatione prophetica: Christum non fuisse purum viatorem; sed etiam cõprehensorem, & sensibus supereminentẽ. Non obest etiam quod ait D. Thom. q. 11. a. 2. ad 3. potuisse Christum vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata. Nam vt rectè Suar. exponit, intelligendũ est illud de obiectis quorũ habebat phantasmata; non autem de rebus insensibilibus vt propriè & germanè cognoscendis. Item quòd Christus posset mouere phantasiam ad cogitandum de iisdem rebus sensibilibus: non autem quòd propriè illa cognitio, altior sensibili cognoscendi modo, penderet à phantasmate.

58. Illa scientia non fuit incapax compositionis & discursus. Quarta pars, quòd hæc scientia non fuerit incapax compositionis & discursus, est D. Thom. q. 11. art. 3. in corp. vbi affirmat scientiam hanc, licet quoad habitum tota simul fuerit à Deo indita, nõ autem per compositionem vel discursum acquisita: fuisse tamen discursiuam, & collatiuam seu compositiuam, quantum ad vsum: quatenus poterat Christus, si volebat, vnum cum alio componere vt prædicatum cum subiecto, & ex vno aliud concludere. Sicut Matth. 17. cum quęsiisset à Petro, à quibus Reges terræ tributum acciperẽt, à filiis, an ab alienis? Petro respondente quòd ab alienis: conclusit, Ergo liberi sunt filii. Ratio præcipua est, quia licet Christus plurima per hanc scientiam simplici intuitu vel notitia cognosceret, sine vlla compositione mentali vel discursu, more Angelorum: & quidem perfectiùs, quàm Angeli, quia eius scientia erat perfectior angelica; & eius vis intelligendi naturalis, licet inferior virtute naturali Angelorum; tamen adiuta lumine illo supernaturali tam potenti, poterat plus & meliùs cognoscere per scientiam actualem infusam, sicut meliùs & plus cognoscit per scientiam beatificam. Nihilominus tamen poterat pro sua libertate multiplicare actus huius scientiæ, & eorum obiecta componere inter se, & vnum ex alio inferre, iuxta humanum operandi modũ: quod ipsum etiam possunt Angeli, vt suo loco ostendimus. Tom. I. disp. 40. sect. 3. & 4.

59. Loquimur autem hic de compositione & discursu formali: quia dubium non est, quin hæc scientia sit virtualiter saltem aut eminẽter compositiua, & discursiua, id est, habeat quidquid est perfectionis in iudicio & discursu. Hæc enim est magna sciẽtiæ perfectio, quæ etiam beatificæ & diuinæ competit, vt diximus 1. parte disputando de scientia Dei. Quare cognitio Christi infusa fuit generatim quadruplex. Prima rerum immediatè in seipsis: vt Angelorum, gratiæ, gloriæ &c. Secunda rerum in aliis eas repræsentãtibus, vel cum illis habentibus aliquam cõnexionem: vt Dei in creaturis, eliciendo hunc simplicem assensum, Creaturæ habent ordinem ad Deũ: vel, Creaturæ pendent à Deo, aut sunt eius vestigia & imagines. Tertia, rerum ex aliis vt ex medio cognito per discursum simplicem virtualem: vt v.g. Quia creatura est à Deo, Deus est. Quarta, per discursum formalem, id est, per actuum successionẽ & multiplicationẽ, quorũ vnus est causa alterius vi bonæ illationis: vt, Filii regis sunt liberi à tributo. Ego sum filius regis: ergo sũ liber à tributo.

60. Opinio contraria reiicitur. Suar. Contra hanc postremam partem opinantur Suar. disp. 28. sect. 2. & quidam alii recentiores, qui præcipuè opponunt, non posse intellectum vti medio ad cognitionem veritatis, quam perfectissimè possidet per assensum immediatum: sicut voluntas non eligit medium ad finem quem perfectè possidet. Respondeo, differentiam esse: quia non est locus acquisitioni finis iam possessi: secus autem cognitioni mediatæ & immediatæ eiusdem rei. Neque obstat quòd, vt ait Suarez, lumen hoc habituale est perfectissimum, & superius Angelico. Quia non est necesse vt Christus semper vtatur tota eius perfectione. Et ille modus operandi per simplicem intuitum non est adæquatus, vel ita proprius scientiæ habituali infusæ, vt alius ei non possit conuenire: sed potiùs complectitur vtrumque modum, tanquam superior & vniuersalior.

61. Non assentior quoque Suari ibidem affirmanti non potuisse Christum cognoscere multa vnico actu huius scientiæ, nisi in vna & eadem specie impressa essent connexa. Nam illa connexio non magis erat Christo necessaria, quàm Angelis, qui mul-

ta simpliciter non aliunde vllo modo connexa cognoscunt, & non aliter vnita quàm denominatiue ab actu, quo vno simul cognoscuntur, & cuius obiectum adæquatum constituunt: vt diximus disp. 40. de Angelis sect. 2. num. 19.

62. Quænam fuerint principia huius scientiæ? Secunda conclusio: principia actuum huius scientiæ, præter intellectũ Christi, & Deũ concurrentem vt causam generalem, fuerũt habitus infusus supernaturalis; & obiecta per se determinantia, quando erant sufficienter præsentia, & cadebant sub notitiam intuitiuam: vel species obiectorum quando erant absentia, & cadebant sub notitiam abstractiuam, qua per se immediatè cognoscebantur: Si verò tãtùm mediatè, in alio, vel per aliud; non erat opus eorum specie: quia mediũ cognitũ determinabat sufficiẽter ad mediatam eorũ cognitionẽ in medio, aut per medium.

63. Habitus supernaturalis. Secunda pars huius conclusionis patet ex dictis 1. p. disp. 38. sect. 1. & tribus sequẽtibus, de necessitate concursus & determinationis obiecti per seipsũ, vel per speciem sui ad notitiã directam Angelorum: vel medii cogniti, ad notitiã indirectam. Simili enim modo de Christo hac in parte, ac de Angelis philosophandũ est: & rationes, quibus ibidẽ vsi sumus ad probandam hanc necessitatem, generales sunt, possuntque Christo facilè applicari. Prima verò pars eiusdem conclusionis, de habitu supernaturali, probatur, quia intellectus Christi non habet ex se vim effectiuam sufficientẽ ad eliciendos actus supernaturales, sicut habet ad naturales; ita vt tantùm egeat concursu & determinatione obiecti per se, vel per speciem: alioquin actus illi non essent ei supernaturales; & species illæ, vel concursus obiecti, deberentur ei naturaliter ad actus quorũ efficiendorum completè capax esset. Ergo debet illi addi cõprincipium & concausa efficiens ex parte potentiæ, quæ est habitus ille supernaturalis: Sicut intellectui nostro additur habitus fidei, & voluntati habitus spei & charitatis supernaturalis, vt possimus elicere actus supernaturales fidei, spei, & charitatis. Neque enim satis eleuatur intellectus Christi per solas species infusas: quæ, tametsi supernaturales, cõcurrũt tantùm determinando vice obiecti, sed non conferũt efficaciam necessariam ex parte potentiæ: sicut species naturales non cõferunt intellectui vim eliciendi actũ naturalem, sed eam potiùs supponũt cõpletam ex parte potentiæ, & iuuãt tantùm ex parte obiecti. Hinc etiam in visione beatifica, præter concursum Dei, velut obiecti determinantis ad modũ speciei impressæ, necessarius est habitus luminis gloriæ, quo intellectus eleuetur, & cõpleatur in ratione potentiæ efficientis, de se insufficientis. Necessarius est, inquã, habitus, posito, quòd nolit Deus per seipsum in genere causæ efficientis supplere eius defectum, vt supponimus non fieri in visione beatifica, & in scientia Christi, sed Deum dare principium intrinsecũ, & permanens, atq; informans potentiam, constituensque in actu primo completo, cui tantum sit opus concursu Dei generali. Confirmatur exemplo volũtatis, quæ licet habeat obiectũ propositum per cognitionẽ; non tamen potest se sola, sine comprincipio efficiente supernaturali, elicere actum volitionis supernaturalis. Ergo nec intellectus, quamuis habeat obiectum sibi propositum per se aut per speciem: potest sine comprincipio efficiente supernaturali elicere cognitionem supernaturalem.

Consentiunt D. Thom. q. 11. a. 6. ad 3. Bonau. in 3. dist. 14. art. 3. q. 2. Ricard. ibidem q. 3. principali art. 4. Suares disp. 29. sect. 2. contra nonnullos Thomistas affirmantes sufficere species. Cùm alii è contrario præter species & habitum supernaturalem, requirãt aliam qualitatem, quam vocãt lumen supernaturale. Sed illa qualitas superflua est. Sicut enim in fide supernaturali non est aliud lumen, quàm ipse habitus fidei supernaturalis, qui lumen fidei dicitur, quatenus valet ad manifestandum obiectum, eleuando intellectum, & concurrendo ad actũ fidei: & in visione beatifica nõ est aliud lumẽ, pręter habitũ supernaturalẽ eleuantẽ intellectũ: sic &c. 64. S. Thom. S. Bonau. Ricard. Suarez.

Tertia conclusio: Incertum est an habitus scientiæ infusæ sit realiter vnicus, an multiplex: distinguitur tamẽ realiter à lumine gloriæ. Prima pars probatur, quia rationes pro vtraq; parte sunt probabiles tantùm, & sententiæ Doctorũ diuersæ. Suar. disp. 29. sect. 3. & alii quidam affirmant esse vnicum; quia nullum est sufficiens fundamentũ distinguẽdi, cùm vnus ad hęc omnia obiecta, & ad omnes actus supradictos sufficere possit, tãquam vniuersale principium. Sicut vnus habitus fidei supernaturalis sufficit ad omnia reuelata & reuelabilia, siue naturalia, siue supernaturalia: & ad actus fidei tam multos, & tam specie diuersos, quàm sunt obiecta quæ attingũt per se & secundum se. Actus enim attingentes diuersa obiecta secundum se, & secũdum suam differentiam specificam, sunt specie diuersi. Nimirum quia habitus supernaturales in eo differunt à naturalibus, quòd sint veluti potentiæ quædam amplissimæ, & infinita complecti possint; cum è contrario naturales habitus sint cõmensi actibus per quos gignũtur. Vnde licet plurimi sint habitus fidei naturalis: vnicus tamen est supernaturalis: & vnicus habitus luminis gloriæ in quolibet Beato, vnica spes, vnica charitas. Sed responderi facilè potest, sufficiens fundamentum distinguendi habitus scientiæ infusæ esse tam magnam diuersitatem obiectorum, & modi tendendi, propter quam reipsa multiplicantur in iustis habitus infusi tam intellectus, quàm voluntatis. Alius enim est habitus fidei, alius prudentiæ supernaturalis: alius spei, charitatis, iustitiæ, &c. 65. Incertum est an habitus huius scientiæ sit vnicus. Suar.

Contrà verò, multos esse habitus scientiæ infusę in Christo docent S. Bonauent. Caietanus, Delugo, & alii cum D. Thoma quæst. 11. art. 6. Quamuis Suares in suam sententiam illum trahere conetur. Ratio D. Thomæ est, quia hæc scientia habet mo- 66. D. Thom.

dum cõnaturalem animæ humanæ, qui est vt multas species, & multos habitus sciẽtiarum recipiat, plures quàm Angeli. Sed hoc incertum est, & insufficiens ad distinctionẽ asserẽdam plusquam probabiliter. Respõderi enim facile potest hãc scientiam nõ fuisse infusam iuxta modum cõnaturalem, sed iuxta potentiã obedientialem: sicut infunditur fides supernaturalis, & lumẽ beatificũ. Nõ est etiam certa necessitas multiplicandi hos habitus ob diuersitatem modi operãdi dependenter vel independenter à phantasmate, vt vult Delugo disp. 20. sect. 1. vbi idem asserit de charitate viæ & patriæ, aliisque habitibus volũtatis. Nam idem habitus valere potest ad vtrumque operandi modũ, vt docet S. Thom. quæst. 11. art. 2. ad tertium. Et communis sententia est, eundem habitum charitatis qui est in via, manere in patria ad exercendos actus beatificos, perfectiùs Deũ amando ob perfectiorem eius cognitionem: sicut manet eadem voluntas, & valet ad vtrumque genus actuũ. Neq; magis vrget quod idem auctor ait num. 59. disp. cit. gratiam habitualem exigere plures habitus intellectuales, tam in Beatis, quàm in viatoribus. Nam incertũ est, & minùs probabile, gratiam distingui ab ipsa charitate habituali, cui est impertinens, & indifferens, quòd habitus intellectui nostro infusi distinguantur aut non distinguãtur inter se. Deinde quamuis habitus huius sciẽtiæ per se infusæ vnicus esset: non desinerent aliunde multi esse habitus intellectui infusi, tam in Beatis quàm in Viatoribus. Saltem enim habitus infusus prudentiæ distinguitur ab habitu fidei, & à lumine gloriæ.

Delugo.

S. Thom.

67. Est tamen distinctus à lumine gloriæ.

Suar.

Secunda pars conclusionis, quòd scilicet hic habitus sit distinctus à lumine gloriæ, communis est Theologorum, teste Suar. disp. 29. sect. 4. in fine. Ratio eius est, quia lumen gloriæ habet pro obiecto adæquato Deũ vt in seipso immediatè videndum, & alia in ipso tantùm cognoscenda, vt in medio cognito: Hic autem habitus scientiæ infusæ valet ad creaturas immediatè in seipsis cognoscẽdas. Item visio beatifica est actus adæquatus lumini gloriæ, existens in vnoquoq; Beato iuxta mensuram quantitatis luminis gloriæ. Ergo actus scientiæ supernaturalis, qui sunt simul in Christo cum visione beatifica, non sunt à lumine gloriæ exhauriente totam vim suam circa visionem beatificam.

68. Contraria sententia.

Lessius.

In contrariam sententiam propendet Suarez sect. cit. & planè descendit Lessius lib. 2. de Summo bono, n. 155. & 158. Rationes autem quibus precipuè mouetur Suares sunt, Primò, Quia lumen gloriæ est principiũ sufficiens ad cognoscendum seipsum, & alia lumina sibi similia, per seipsum seu per propriã speciem. Nullũ enim aliud lumẽ intellectuale videtur esse aptius ad illud cognoscendũ. Nõ quidem imperfectius, vt patet. Neque etiam perfectius: quia non est ratio cur perfectius requiratur. Ergo est etiam sufficiens ad perfectè cognoscendam gratiam, aliaq; dona supernaturalia. 2. Quia licet lumen glorię habeat Deum pro obiecto immediato, & maximè proprio ac proportionato: potest tamen valere ad alia cognoscenda in seipsis. Sicut intellectus angelicus non modò cognoscit essentiam Angeli, quæ est obiectum ipsi maximè proprium & proportionatum: sed etiã eius passiones & operationes, & alia obiecta, in seipsis. Addit 3. Lessius, minus esse cognoscere res supernaturales in seipsis, quàm in Deo. Ergo lumen gloriæ quod potest secundum, potest & primum: adeoque non est opus habitu distincto. Sed hæc argumenta non conuincunt.

69. Refutatur.

Ad primum enim Respondeo cum Delugo citata disput. 20. num. 61. lumen gloriæ sufficere ad cognoscendum seipsum in Deo, quemadmodum cætera creata; sed non in seipso: sicut charitas valet ad amandã seipsam propter Deum, sed non propter se: ob modum agendi determinatum vtriusque habitus, qui non valet ad quemcumque modum cognoscendi, vel amandi. Ad 2. Nego paritatem. Quia lumen gloriæ non est principium cognoscẽdi vniuersalissimè, sicut intellectus: sed particulare & determinatum ad talem modum cognoscendi. Ad 3. Respondeo, non quidquid valet ad maius, valere ad minus. Nam charitas non valet ad actus spei, vel iustitiæ, quamuis minores actibus charitatis: neque ad obiecta earum volenda ex motiuo ipsarũ, inferiori motiuo charitatis.

70. Quæ species infusæ huius scientiæ?

D. Thom.

Superest quærere quales sint species Christo infusę, quę huic scientię supernaturali inseruiunt ad cognoscenda immediatè & in seipsis obiecta non præsentia? Respondeo esse similes angelicis in vniuersalitate seu repræsentatione actuali & distincta multorũ, imo probabiliter esse vniuersaliores angelicis, vt sensit D. Thom. in 3. dist. 14. a. 3. quæstiunc. 2. & 6. licet 3. p. q. 11. art. 6. contrarium opinetur, motus eo argumẽto, quòd scientia indita animæ Christi habuit modum connaturalem animæ humanæ: est autem connaturale animæ humanæ vt recipiat species in minori vniuersalitate, quàm Angeli, ita scilicet vt diuersas naturas specificas per diuersas species intelligibiles cognoscat. Verũ, vt iam suprà dixi, incertum est vtrum hæc scientia fuerit infusa secundum modum connaturalem, & non potiùs secundũ potentiam obedientialem animæ Christi, cuius capacitas impleta fuit per scientiam infusam longè superiorem quauis scientia angelica, & valentem ad actus vniuersaliores; propter quod conueniens fuerit infundi species vniuersaliores & proportionatas. Et quidem modus specierum non est necessariò metiẽdus ex naturali modo operandi potentiæ; sed peti potest ex perfectione debita ipsi scientię, ad quam potentia eleuatur. Quæ scientia omnium consensu fuit in Christo perfectior Angelicã, adeoque species perfectiores requirebat. Atque ita sentiunt Scotus in 3. dist. 14. q. 4. Ricardus ibid. q. 4. principali art. 2. in fine corp. & Suares disp. 29. sect. 1. dict. 3.

Scot. Ricard. Suar.

71. Notandum verò est, cùm anima Christi esset finitæ capacitatis, nec vllam speciem actu infinitam subiectare potue-

sit: nullam illi infusam fuisse tantæ amplitudinis, vt infinita distinctè repræsentet: quia hæc esset actu infinita. Definiri tamen nequit ad quàm multa hæ species se extenderint. Philosophando autem de illis, vt de angelicis infusis: probabile est se extendisse ad tam multa obiecta, quot poterant vno actu per hanc scientiam à Christo intelligi. Neque dubito, vnam & eandem potuisse extendi ad naturalia & supernaturalia, sicut idem habitus, & eadem species expressa potest vtraque complecti vt supra ostendimus.

72. Præterea, licet circa obiecta huius scientiæ, maximè verò circa naturalia, potuerint infundi species naturalis entitatis, quæ determinando iuuarent ad actus supernaturales: sicut obiecta naturalia, quando per eam videntur, iuuant per se immediatè, determinando ad supernaturalem sui intuitionem, iuxta ea quæ diximus in tract. de Angelis disput. 38. sect. 3. Existimo tamen non tantùm eas quæ repræsentant obiecta supernaturalia, esse supernaturales, vt sint obiectis suis proportionatæ: verùm etiam illas quæ repræsentant naturalia obiecta: non propter ipsa obiecta, sed vt sint magis proportionatę principio & actui supernaturali huius scientiæ, ad quem vt concurrant, fuerunt à Deo infusæ, & ex cuius perfectione præcipuè metiendæ sunt. Quanquam species naturalis entitatis possunt sufficienter concurrere ad notitiam obiectorum naturalium. Sunt enim vice obiectorum. Obiecta autem naturalia per se satis determinant ad sui cognitionem, etiam tunc, cùm actu supernaturali cognoscuntur: sicut obiecta materialia determinant Angelos seipsis ad cognitionem spiritualem, vt probauimus in prædicta disput. de Angelis. Et confirmatur ex habitu fidei, qui quamuis sit supernaturalis, vtitur tamen speciebus naturalibus. Neque enim communiter infunduntur fidelibus supernaturales species ad credendum, vt diximus disput. 12. de Fide, sect. 2.

73. *An obiecta supernaturalia possint cognosci per species naturales?*

Quòd si quæras, an similiter obiecta supernaturalia possint cognosci per species naturalis entitatis? Respondeo non posse nisi valde imperfectè & analogicè. Ratio est, quia species perfecta, germana, & quidditatiua entis intrinsecè & substantialiter supernaturalis, non minùs est supra debitum & exigentiam potentiæ naturalis, quàm cognitio ipsius perfecta, germana, & quidditatiua. Nec obest quòd nos recordamur naturaliter actuum nostrorum supernaturalium per species ab ipsis relictas: & Dæmones recordantur se fuisse à Deo sanctificatos in primo instanti creationis. Respõdeo enim Primò, nos valde cõfusè & imperfectè cognoscere actus nostros supernaturales, quos non discernimus experimentaliter à naturalibus. Secundò, species connaturaliter impressas ab actibus supernaturalibus non esse naturales potentiæ naturali intellectus nostri aut angelici, si tales sint vt eos perfectè ac germanè repræsentent: Alioqui verò species naturalis imperfecta entis supernaturalis non minùs dari potest, quàm imperfecta cognitio naturalis entis supernaturalis, quam dari posse alibi ostendimus. Tertiò dico vel Dæmones tantùm imperfectè & confusè recordari status sanctificationis: vel retinere species supernaturales illius status ad pœnam: vt reminiscantur meliùs, & doleant vnde exciderint. Sicut in multorum sententia, character manet in damnatis ad ipsorum confusionem. *Tom. 1. disp. 1. sect. 3. & tom. 3. disp. 10. sect. 4.*

74. *Opinio Marsilij improbatur.*

Marsilius in 3. q. 10. art. 2. p. 4. conclusione 2. putat infusam Christo fuisse vnicam speciem vniuersalissimam, quę sit principium sufficiens cognoscendi omnia, quæ sub scientiam supernaturalem cadere possint. Sed hoc verum esse non puto. Cùm enim infinita possibilia, & existentia, possint diuisim aut successiuè cadere sub scientiam supernaturalem: oporteret speciem illam esse infinitam, vt sufficienter ad hæc omnia determinaret, per actualem & distinctam eorum omnium repræsentationem. Neque etiam censeo potuisse infundi vnicam speciem vniuersalissimam valentem ad omnia, non quidem satis distinctè, sed egentem magis speciali Dei concursu ad distinctè determinandum. Nam illa species non esset species, cùm non habeat naturam & officium speciei, quod est determinare: quandoquidem nõ determinat ad obiecta diuersa illius scientiæ, sed eget à Deo determinari, vt intellectus, vel habitus.

Dices: Qui cognoscit ens confusè, habet speciem entis confusam, valentem imperfectè ad infinita cognoscenda, nempe quidquid est ens. Respondeo, non valere per modum speciei nisi ad rationem communem entis, ad quam determinat vt talem: pro speciebus verò vel inferioribus entis cognoscendis, opus est propriis eorum speciebus, vel eorum occursu.

SECTIO VI.

De alia duplici scientia Christi; infusa per accidens, & acquisita.

75. *Fuit in Christo scientia infusa per accidens.*

PRima conclusio: Vltra scientiam beatificam, & scientiam supernaturalem ac per se infusam, habuit Christus scientiam naturalẽ circa obiecta naturaliter ab hominibus cognoscibilia, quæ ab initio cõceptionis fuit illi habitualiter infusa. Prima pas probatur, quia huiusmodi scientia est vna de maximis perfectionibus naturæ humanæ naturaliter consideratæ. Ergo Christus nõ debuit eâ carere, sed potiùs debuit perfectissimam habere. 2. Christus in volũtate habuit omnes virtutes naturales. Ergo debuit habere prudentiam naturalem à qua reguntur. Ergo & omnes alias scientias naturales, id est, omnes habituales cognitiones euidentes, siue de rebus speculabilibus, siue de practicis, tam agibilibus, quàm factibilibus & artificialibus, per se vel per aliud cognitis, quæ naturali virtute intellectus, & humanâ industriâ

acquiri possunt. Nomine enim scientiæ comprehendimus hic intellectum, siue intelligentiam primorum principiorum naturaliter cognoscibilium, sapientiam, prudentiam, scientiam, & artem quamlibet naturalem, quoad notitias certas & euidentes naturali virtute ingenij humani comparabiles.

76. Idque ab initio conceptionis.

Secunda pars conclusionis, quòd scilicet Christus habuerit ab instanti conceptionis huiusmodi scientiam habitualiter infusam quoad habitus perfectos omnium huiusmodi cognitionum, cum speciebus ad eorum vsum necessariis, quales possunt humana industria acquiri: Probatur, quia si primus parens plenus scientiæ & intellectus creatus fuit, vt ait Scriptura Ecclesiastici 17. v. 5. & 6. & Angeli in instanti suæ creationis species rerum naturalium à Deo acceperunt: non fuit conueniens Christum non frui ab initio creationis simili beneficio; cùm ea sit magna perfectio naturalis humanitatis, conueniens & debita vnioni hypostaticæ, neque repugnans vlli Christi officio, vel vtilitati nostræ salutis propter quod deberet differri. Adde, quòd longum fuisset & laboriosum Christo, excellentissimum licet ingenium sortito, ac forte impossibile, tam breuis vitæ tempore, tam multiplicem rerum cognitionem habitualem perfectam acquirere rerum metaphysicarum, physicarum, mathematicarum, logicarum, moralium, & omnium artium quæ pene infinitæ sunt. Nec decuit Christum eo labore occupari. Neque melius simpliciter est hos habitus propria industriâ sensim acquirere, quàm diuino beneficio simul omnes & perfectos recipere.

77. Prima opinio contraria reicitur.

Consentiunt D. Thom. qu. 20. de Veritate art. 2. c. & in 3. distinct. 14. quæstiuncula 3. Bonauentura, Richard. Scotus, Palud. Gabr. Durand. & alij ad eandem distinctionem, Suar. disp. 30. sect. 2. Bernal disp. 37. Ysambert. ad quæst. 12. disput. vnic. art. 1. & alij recentiores. Dissentiunt verò idem S. Thomas, & Thomistæ communiter 3. parte qu. 12. art. 2. & Vasques disp. 55. cap. 2. affirmantes, nullam scientiam fuisse Christo infusam, nisi supernaturalem. Si enim scientiam quoque ordinis naturalis infusam habuisset, nihil de nouo potuisset discere, contra illud Hebr. 5. *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Et Luc. 2. *Proficiebat prudentia, ætate, & sapientia coram Deo & hominibus.* Item intellectus agens fuisset in Christo otiosus, quia nihil per eum acquisiuisset. Caruisset enim propria operatione, nempe abstractione specierum à phantasmate, si anima Christi à principio illas infusas habuisset.

78. *Vide tom. 1 disp 37. sect. 4.*

Sed ad primum Respondeo, loca illa Scripturæ debere intelligi de scientia experimentali, de qua mox. Ad secundum dico, intellectum illum agentem abstrahentem species à phantasmate, malè fingi, cùm nullus verè sit intellectus, nisi is, qui vim habet intelligendi, seu cognoscendi obiecta, determinatus sufficienter ab ipso phantasmate, propter identitatem eiusdem animæ imaginantis & intelligentis. Si enim potest phantasma determinare intellectum agentem ad speciem abstrahendam, vt volunt Aduersarij: quidni & possibilem, seu verum intellectum, ad formandam cognitionem seu speciem expressam eiusdem obiecti? cùm alioqui res omnes sint de se & per se formaliter intelligibiles; neque possint per aliquid extrinsecum reddi formaliter intelligibiles: nō magis quàm possint per aliquid extrinsecum esse formaliter ens & verum.

Contradicit etiam huic secundæ parti conclusionis Cardinalis Delugo disp. 21. sect. 1. affirmans hanc scientiam non fuisse ab initio infusam, sed postea, quando organum fuit dispositum ad phantasmata, à quibus pendebat hæc sciētia similis nostræ: & fuisse infusam non simul totam, sed successiuè, sicut successiuè organa phātasiæ meliùs disponebantur ad species recipiendas & iuuandum intellectum. Ratio eius præcipua est, quia Christus non habuit huius scientiæ operationem nisi dependenter ab organis; quemadmodum & alias operationes humanas, id est, proprias animæ corpori vnitæ, vt ambulare, loqui, comedere cibos solidos, &c. Sed responderi facilè potest, non inde sequi id quod intenditur: quia licet Christus in infantia non fuerit capax naturaliter vsus illius scientiæ: potuit tamen habere ab initio habitum & species, quibus postea vteretur, organis sufficienter dispositis. Neque propterea ficta fuit Christi infantia: cùm secundum corpus verè infans esset, tenellus, & imbecillus, ac pusillus: quamuis secundum mentem instructus esset scientia perfectissima. Alioquin negandum esset fuisse in infantia instructum scientia beatifica, & scientia per se infusa, quæ nobiliores sunt ea, de qua nunc loquimur. 79. Secunda opinio cōtraria refutatur.

80. Obiectum huius sciētiæ multiplex.

Secunda conclusio: Obiectum adæquatum huius scientiæ non fuit tam multiplex, atque scientiæ per se infusæ: sed tantùm ea complectitur, quæ vi naturali intellectus humani possunt clarè cognosci. Eiusdem vsus seu actus secundus pependit à phantasmate, fuitque multiplex & variabilis. Habitus quoque non fuit vnicus, sed multiplex, & similis illis qui naturali industria acquiri possunt, citra imperfectionem obscuritatis & incertitudinis. Ratio generalis totius conclusionis est, quia hæc scientia quoad obiectum, actum, & habitum, est accommodata capacitati & virtuti naturali animæ Christi, vt fatentur communiter Theologi, ne miracula multiplicentur sine necessitate. Quare ad ea tantùm se extendit, ad quæ potest cognitio naturalis euidenter pertingere: nempe, vt probabilius arbitror, ad obiecta tantùm sensibilia, & ea quæ possunt ex illis euidenter deduci: & ad quædam principia per se nota, & conclusiones euidentes, quæ inde possunt inferri. Neque assentior Suari disp. 30. sect. 1. affirmanti, Christum per hanc scientiam cognouisse omnes res naturales, Suarez.

tam immateriales, quàm materiales: & tam substantias, quàm accidentia: quia hæc omnia putat cognosci posse naturaliter, & quidem clarè & intuitiuè, ab anima separata. Anima verò Christi, quamuis esset coniuncta corpori, habebat tamen perfectiones naturales & supernaturales animæ separatæ. Non assentior, inquam, quia minùs probabile existimo, posse animam separatam sola virtute naturali plus cognoscere extra corpus, quàm in corpore. Alioqui enim vnio cum corpore esset illi contranaturalis & violenta, priuans illam operatione præstantissima. Falsum etiam puto quod dicunt aliqui, scientias naturales habituales non esse aliud, quàm species obiectorum quæ intenduntur & remittuntur; & si intensæ sunt, facilitant potentiam. Nam species se tenent solùm ex parte obiecti quod proponunt; habitus verò, ex parte potentiæ. Ac sicut in voluntate vltra obiecti propositionem, factam per cognitionem, admittuntur habitus, quibus voluntas pronior fit circa idem obiectum, licet eodem modo cognitum & propositum; sic &c.

81. Habuit etiã Christus scientiam experimentalem. Tertia conclusio: Præter triplicem scientiam hucusque explicatam, habuit Christus aliam purè acquisitam, & nullo modo infusam, quæ non alia fuit, quàm experimentalis, consistens in actuali cognitione obiectorum quæ ipsi occurrebant; & in speciebus & habitibus relictis ex huiusmodi cognitionibus, valentibus ad recordationem eorundem actuum, & obiectorum, vt ante cognitorum. Atque hæc scientia non fuit tota in Christo ab initio, sed sensim acquisita. De qua potest optimè illud Luc. 2. intelligi, *Proficiebat puer Iesus prudentia, ætate, & sapientia, coram Deo & hominibus*. Et Hebræor. 5. *Didicit ex iis quæ passus est obedientiam*: Didicit, inquam, experimentaliter, quando ipsam exercuit, & expertus est in seipso, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Ratio totius conclusionis est, quia Christus sine dubio percipiebat externis sensibus obiecta sibi occurrentia: alioquin eius visio, auditio, & aliæ sensiones externæ, fuissent simulatoriæ: similiterque sensu interno, & intellectu eadem percipiebat, vt nos facimus. Cognitio enim beatifica, & supernaturalis, non impediebant naturalem, vt antea ostendimus: neque etiam scientia naturalis per accidens infusa; vt patet in Adamo, qui licet ab initio scientiam infusam accepisset; intelligebat tamen deinceps naturali modo, & more aliorum hominum, obiecta occurrentia. Christus ergo habebat de nouo cognitionem obiectorum quæ ipsi occurrebant, per quam ea in seipsis experiebatur, & vi cuius, ac speciei ab ipsa relictæ in memoria, poterat recordari se tale obiectum antea expertum esse: sicuti nos recordamur nostrorum actuum, & obiectorum antea perceptorum. Talis autem notitia experimentalis non potuit ab initio tota esse in Christo; neq; actualiter, quia Christus tunc non est expertus omnia obiecta, quippe quæ tunc non ipsi occurrerunt: neque quoad species, quia illæ habent in repræsentando ordinem essentialem ad actum præteritum, & ad obiectum vt antea perceptum experimentaliter: Quare non possunt infundi ante actus, alioqui falsò repræsentarent: neque habent opus infusione, cùm actus habeant vim naturalem sufficientem eas producendi. Idemque dico de habitibus facilitantibus ad recordationem. Actus enim illi vtrumque producunt, speciem nempe & habitum, vt in nobis experimur. Neque ille habitus superfluus est, aut repugnans habitibus naturalibus infusis, magis quàm istæ species experimentales repugnent speciebus naturalibus scientiarum infusarum. Est enim diuersus ab illis, & purè experimentalis, essentialiter determinatus ad experientiam, vt ad obiectum adæquatum.

Circa eandem scientiam Nota 1. Christum acquisiuisse scientiam experimentalem obiectorum externorum occurrentium, & actuum naturalium, atque etiam supernaturalium, quorum omnium poterat deinde recordari. Neque mirabile, aut singulare videri debet quòd actus supernaturales producerent in intellectu Christi species & habitus naturales experimentales: siquidem in nobis actus supernaturales fidei speciem sui relinquunt, & iidem actus fidei, & spei, & charitatis gignunt facilitatem in potentia circa illos se exercente, non minùs quàm actus naturales. Vnde fit, vt experientia nequeamus discernere actus supernaturales à naturalibus: quod certè faceremus indicio notissimo, si isti relinquerent species & habitus facilitantes, illi non. 82. Notanda quædam de scientia experimẽtali.

Nota 2. Christum propter ingenij perspicacitatem naturalem, maiorem cæteris hominibus, & propter concomitantiam & directionem scientiæ infusæ, & beatificæ, multò perfectiùs acquisiuisse scientiam experimentalem circa obiecta occurrentia, quàm alij possint. Alij enim, vt docet Aristoteles 1. Metaphys. cap. 1. egere solent inductione quadam repetita per memoriam plurium rerum ante perceptarum, & quatenus perceptæ sunt. At Christus ex vnico singulari poterat perfectam experientiam acquirere: Neque falsitatis periculum incurrebat, vt alij homines, quorum sæpius experimentum fallax est. Intellectus enim Christi, lumine scientiæ infusæ illustratus, cognoscebat euidenter effectus naturales, quos in vno indiuiduo experiebatur, esse similes in omnibus aliis indiuiduis eiusdem speciei. 83.

Nota 3. Hanc scientiam fuisse circa singularia occurrentia, ex quibus tamen Christus de speciebus & generibus rerum poterat facilè iudicare. Naturaliter tamen Christus non discernebat differentias ipsas indiuiduales per hanc scientiam naturalem: quia hoc excedit vires naturales intellectus humani, vt in nobis experimur, qui confusiùs singularia sentimus & intelligimus; ita vt 84.

vnum ab alio planè simili, substituto in eius locum, nequeamus discernere. Per scientiam verò beatificam, & supernaturalem infusam, puto Christum distinctè cognouisse ipsas differentias indiuiduales, quemadmodum Angeli faciunt naturaliter. Hæc enim scientia est superior angelica, & operatur secundum potentiam obedientialem, quæ ad hoc eleuari potest. Falluntur autem qui putant, intellectum non versari circa singularia vt talia, propter illud vulgare, Intellectus est vniuersalium, & sensus singularium. Nam singularia vt talia, sunt entia vera & intelligibilia, deque illis vt talibus potest esse clara cognitio, ac sine dubio intelliguntur & sciuntur à Deo. Et Deus ipse, qui est obiectum scientiæ beatificæ, est ens maximè singulare. Vera autem explicatio illius axiomatis vulgaris est, quòd sensus sit singularium tantùm, intellectus verò sit etiam vniuersalium, in eoque superet sensum, quòd & singularia, & vniuersalia, intelligere possit.

85. *Quam latè se extenderit tota Christi scientia?* Si quis iam interroget, quàm latè se extenderit tota Christi scientia, quæ, vt diximus, est partim beatifica, partim infusa per se ac supernaturalis, partim naturalis infusa per accidens, & partim acquisita: atque in quatuor illa membra adæquatè distributa?

Respondeo, in actu primo valuisse ad omnia, posito quòd, vt probabile est, lumē gloriæ valeat de se diuisim ad omnia Dei attributa cognoscenda: quódque Christus habitum scientiæ supernaturalis acceperit de se similiter valentem ad omnia creata, tam naturalia, quàm supernaturalia, in seipsis cognoscenda; ac speciem, vel Deum in actu primo præparatum & coniunctum ad determinandum circa obiecta, ad quæ Christus se liberè applicaret. Valde autem probabile est, & Christo dignum, hęc omnia accepisse: vt sic completè in actu primo sciret omnia, & in actu secundo sciret quidquid vellet ex possibilibus, aut existentibus in aliqua temporis differentia. Quod verò attinet ad actū secundum scientiæ Christi adæquatè sumptum, existimo illum sciuisse vltra plurima possibilia, omnes rerum creatarum species; & omnia indiuidua, tam quoad substantiam, quàm quoad accidentia; & actus & operationes quæ fuerunt ante ipsius aduentum; & sciuisse ac scire deinceps quæcumque sunt, & fiunt, saltem eo tempore quo fiunt, siue per experientiam, siue per euidentem reuelationem, aut aliud medium scientificum. Cùm enim cætera omnia sint propter Christum: credibile est Deum, ita rerum aliarum multitudinem & seriem disposuisse, vt Christus possit semper cognoscere distinctè omnia tunc existentia. De cuius cognoscendi capacitate obedientiali non demissè sentiendum esse patet ex eo, quòd simul & breuissimo tempore de omnibus iudicabit in consummatione sæculi, cùm *reddet vnicuique secundum opera eius*. Et quamuis non possit visione beatifica, aut vlla alia cognitione, simul cognoscere omnia quæ sunt, fuerunt, & erunt in quacumque temporis differentia, vt suprà diximus: potest tamen multiplici & successiua cognitione, per totam æternitatem multiplicandâ.

DISPVTATIO VNDECIMA,

De Voluntate Christi, eiusque actibus.



E Voluntate Christi, & eius actibus disputat S.Thom. quæst.18. & 19. In quarum priore docet Primò, Duas in Christo esse voluntates, diuinam & humanam. Quia Filius Dei naturam humanam perfectam assumpsit: & nihil propriæ naturæ amisit. Secundò, Fuisse quoque in illo appetitum sensitiuum. Quia Filius Dei assumpsit naturam humanam cum omnibus quæ pertinent ad perfectionem ipsius. Tertiò, Vnicam in Christo fuisse voluntatem humanam quoad potentiam: multiplicem verò quoad actus. Quartò, Habuisse quoque liberum arbitrium. Quintò, Christum secundum voluntatem sensualitatis, id est, secundum appetitum sensitiuum; & secundum voluntatem rationis, quæ consideratur per modum naturæ, potuisse aliud velle, quàm Deus velit. Sed secundum voluntatem quæ est per modum rationis, semper idem volebat, quod Deus: iuxta illud Matth. 27. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Volebat enim secundum rationem voluntatem diuinam semper impleri: quamuis aliud diceret se velle secundum quandam aliam eius voluntatem. Sextò, Nullam in Christo fuisse repugnantiam vel contrarietatem voluntatum. Quia licet voluntas naturalis, & voluntas sensualitatis in Christo aliquid aliud voluerit, quàm voluntas diuina, & voluntas rationis ipsius, putà, non mori: tamen neque voluntas naturalis, neque voluntas sensualitatis repudiabat illam rationem, sub qua diuina voluntas, & voluntas rationis humanæ in Christo, passionem volebat. Et neque voluntas diuina, neque voluntas rationis, impediebatur aut retardabatur per voluntatem naturalem, aut per appetitum sensualitatis. Similiter etiam nec è contrario voluntas diuina, vel voluntas rationis in Christo refugiebat aut retardabat motum voluntatis naturalis humanæ, & motum sensualitatis. Placebat enim Christo secundum voluntatem diuinam, atque etiam secundum voluntatem rationis, vt voluntas naturalis in ipso, & voluntas sensualitatis, secundum ordinem naturæ suæ mouerentur. Vnde patet, quòd in eo nulla fuit repugnantia vel contrarietas voluntatum.

In posteriori quæstione affirmat fuisse in Christo duas operationes secundum voluntatem: quia duæ naturæ, diuina, & humana, habebant vnaquæque propriam formam & virtutem, per quam operabatur. Operationem tamen humanam in Christo fuisse multò magis vnam, quàm in quocunque alio homine: quia in eo nullus erat motus sensitiuæ partis, qui non esset ordinatus à ratione. Ipsæque etiam operationes naturales, & corporales, aliqualiter ad eius voluntatem pertinebant, inquantum voluntatis eius erat vt caro eius ageret & pateretur, quæ sunt sibi propria. Christum denique meruisse sibi gloriam corporis, & ea quæ pertinent ad exteriorem eius excellentiam (sicut est, ascensio, veneratio, & alia huiusmodi) quia ab initio illa non habuit: & melius fuit vt haberet illa per meritum, quàm sine merito. Neque tantùm sibi meruisse,

sed aliis. Quia in Christo non solùm fuit gratia, sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite totius Ecclesiæ, cui omnes vniuntur, sicut capiti membra, ex quibus constituitur mysticè vna persona. Et exinde est, quòd meritum Christi se extendit ad alios, inquantum sunt ipsius membra: sicut in vno homine actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia eius membra: quia non solùm sibi sentit, sed omnibus. Hucusque D. Thom. cuius doctrina sequentibus sectionibus elucidabitur.

SECTIO I.

An præter diuinam voluntatem fuerit in Christo humana, & creata?

ONCLVSIO affirmatiua est de fide, definita in VI. Synodo Generali contra Monothelitas, & in Lateranensi sub Martino I. consultatione 6. can. 12. 13. & 14. patetque ex pluribus Scripturæ locis clarè affirmantibus Christum habuisse humanam voluntatem, eiusque operationem, vt Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ioan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Ratio est, quia vbi sunt duæ naturæ intellectuales, sunt duæ voluntates, sicut & duo intellectus, cùm hæ facultates non distinguantur à naturis ipsis, vel sint proprietates naturaliter inseparabiles. At in Christo sunt duæ naturæ intellectuales, diuina & humana: ergo &c. Confirmatur, quia sicut natura diuina nullam est passa diminutionem in assumptione; ita natura humana integrè fuit assumpta cum suis omnibus partibus, facultatibus, & proprietatibus naturalibus, excepta hypostasi, quæ per diuinam hypostasin Verbi consumpta siue impedita fuit, estque incompossibilis cum vnione hypostatica.

1. Fuit in Christo voluntas creata.

2. Ob eandemque causam fuit in Christo verus appetitus sensitiuus, id est, facultas eliciendi affectiones sensibiles & animales. Nam hic appetitus est de perfectione & integritate naturæ humanæ. Eiusque operationes Christo sæpissime tribuuntur in Euangelio: cùm secundum illum narratur doluisse, fleuisse, & multa passus esse in corpore, vnde dolor sensibilis naturaliter oriebatur. Dolebat enim sensibiliter sub flagellis, & sub clauis: & secundum eundem appetitum non est dubium quin matrem suam v. g. & bona sensibilia sibi conuenientia sensibili amore dilexerit, & absentia desiderauerit, vt cibum & potum necessarium, & de præsentibus gauisus sit, & circa opposita contrarios actus habuerit odij, fugæ, timoris, & tristitiæ sensibilis, atque etiam actus vehementiores qui tribuuntur parti irascibili, spei, audaciæ, metus, & iræ.

Et appetitus sensitiuus.

3. Neque propterea fuit in Christo fomes peccati. Quia fomes peccati non est appetitus sensitiuus vtcunque, sed vt dispositus & expeditus, atque adeo sibi relictus, vt possit exire in actum contra rationem, & inclinare ad peccatum circa bona vel mala sensibilia. In Christo autem fuit perfectè subditus rationi, & frænatus per virtutes morales intensissimas, vigiliam rationis perpetuam, & optimum corporis temperamentum rationi conuenientissimum. Qualem subiectionem ad rationem habuisset noster appetitus sensitiuus in statu innocentię, ideoq; non fuisset in nobis fomes peccati.

Sed non fomes peccati.

4. Non fuit etiam pugna in Christo inter appetitum sensitiuum, & rationalem; quia omnes actus appetitus sensitiui fuerunt in Christo ex consensione rationis & voluntatis, quam nunquam præuenerunt, sed ab ipsa priùs aduertente, vel imperante, vel saltem permittente, pependerunt. Ideóque ab Hieronymo in caput 5. Matth. & ab aliis, propassiones potius, quàm passiones, appellantur. Præueniente, inquam, vel per imperium: vt quando Christus Ioan. 11. *Turbauit semetipsum*: vel saltem permittendo: vt cùm dolebat naturaliter sub flagellis, & aliis cruciatibus, & malis sensibilibus. Neque enim opus erat hunc dolorem sensibilem imperari à voluntate, sed sufficiebat permitti, seu non impediri. Prior tamé operãdi modus vt est perfectior, ita videtur fuisse communior. Omnino autem ad perfectionem Christi pertinet vt nullam passionem nisi præuisam & saltem permissam habuerit, nullam subreptitiam & indeliberatam, vt docent communiter Theologi & sancti Patres relati à Suare disp. 34. sect. 1.

Neque pugna inter appetitum sensitiuũ & voluntaté. Hieron.

Suarez.

5. Similiter nulla fuit pugna & contrarietas inter diuinam & humanam voluntatem in Christo, vt malè timebant Monothelitæ: sed omnis affectus voluntatis humanæ fuit conformis diuinæ, ita vt nihil verè ac propriè repugnans voluerit; iuxta illud Psal. 36. & Hebr. 10. *In capite libri scriptum est de me vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Et Ioan. 8. *Ego quæ placita sunt ei facio semper.* Quæ loca & similia in hunc sensum exponunt Concilia & sancti Patres, vt videre est in VI. Synodo generali actione 4. in epistola Agathonis, vbi plura referuntur sanctorum Patrum testimonia; & in professione fidei Sophronij, actione 11. & in defi-

Neq; inter voluntaté diuinam & humanam.

VI. Synod.

nitione Fidei, actione 17. Quare Christus nihil voluit efficaciter, nisi quod sciebat Deum velle vt ita prosequeretur. Neque etiam affectu inefficaci in aliquid tetendit, nisi eo modo, quo Deo gratum esse sciebat vt tenderet. Ratio est, tum quia propter visionem & statum beatificum non poterat esse discordia inter ipsius voluntatem, & diuinam, vt neque in Beatis est, in tanta vnione intellectus & voluntatis cum Deo clarè viso, & totis viribus dilecto: tum etiam quia propter vnionem hypostaticam non decebat, neque poterat permitti tanta imperfectio in Christo: cui præterea facillimum fuit, tantâ scientiâ, tamque intensis virtutibus prædito, & auxiliis Spiritus sancti præstantissimis adiuto, suam voluntatem in omnibus cum diuina conformare, æquè ac appetitum sensitiuum cum ratione & cum voluntate componere.

6. Ac neque esse potuit. Neque assentior Scoto in 3. dist. 15. qu. vnica artic. 3. principali, 5. *Si quis tamen velit*, Gabr. ibid. art. 2. prima parte art. concl. 9. & Suar. disput. 38. sect. 4. affirmantibus non repugnare de potentia absoluta esse repugnantiam & contrarietatem inter creatam voluntatem Christi, & diuinam, supposito saltem quòd Christus careret scientia beatifica, & infusa, quam habet; neque sciret in singulis rebus & obiectis quid de illis Deus efficaciter velit: quę suppositio non est impossibilis: eâ verò positâ, Christus (inquiunt) poterat per humanam voluntatem actu efficaci ex parte sua, intendere aliquod bonum & honestum, v. g. orare, vel aliud simile, quamuis fortè absolutè esset à Deo definitum ne id fieret. Quia hic modus operandi, supposita illa imperfectione ignorantiæ, est bonus & honestus, neque inuoluit imperfectionem Christo repugnantem de potentia absoluta: & Angeli beati interdum ita operantur, vt videre est Danielis 10. in pugna Angeli custodis Persarum, cum Angelo custode Iudæorum. Non assentior, inquam, propterea quòd sicut probabilius est repugnare absolutè vt sit error positiuus in intellectu Christi, propter turpitudinem & indecentiam illius actus, vt fatetur Suar. disp. 24. sect. 3. Ita & esse peccatum materiale, & actum turpem, atque deformem materialiter, in voluntate: cuiusmodi esset actus verè contrarius & repugnans diuinæ voluntati: vtque in eo casu pertineret ad Dei prouidentiam impedire omnino ne Christus in imperfectionem & turpitudinem erroris incideret; ita & ne in turpitudinem malitiæ materialis in voluntate per huiusmodi contrarietatem. Deinde Christus, qui non potest non prudenter se gerere, nihil vellet efficaciter, nisi sub conditione quòd Deus idem vellet. Hanc enim limitationem, & prudentem ac piam moderationem adhibent homines prudentes, & sancti, iuxta monitum Iacobi Apostoli cap. 4. epistolæ suæ canonicæ: & antequam vellet, deberet explorare diuinam voluntatem, ac nihil velle absolutè, nisi eo modo quo Deo gratum id esse sciret: vel tantùm velle conditionatè, si Deo gratum illud sit. Quo pacto Angeli apud Danielem supponebant Deum velle vt quisque suum affectum, erga populum sibi commissum ostenderet. In quo nihil mali erat, sed potiùs erat affectus charitatis bonus, & Deo gratus. Neque volebant efficaciter retineri aut dimitti Iudæos, nisi ex hypothesi quòd Deus id vellet.

Suar.

Non obest id quod solet obiici ex Lucæ 22. & Matth. 26. *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quibus verbis videtur Christus significare, se noluisse mortem, quam Pater volebat efficaciter vt vellet. Respondeo enim, Christum non propterea noluisse efficaciter mortem quam Deus volebat efficaciter, neque obstitisse, aut resistere voluisse diuinæ voluntati efficaci: sed tamùm habuisse affectum simplicem displicentiæ & horroris erga mortem, non prout à Deo volitam propter gloriam suam & redemptionem generis humani; sed prout naturæ contrariam & per se malam. Qui affectus non erat malus, sed naturalis & rectus. Neque etiam erat voluntati diuinæ contrarius. Nam potiùs Deus oderat simplici affectu displicentiæ Christi mortem, vt talem: volebatque vt Christus talem affectum haberet horroris & doloris naturalis, ad maiorem satisfactionem & meritum: vtq; talem affectum verbis illis exprimeret, propter exemplum nostrum. Sicut autem Deus non obstante affectu suo displicentiæ simplicis de Christi morte vt mala, volebat eandem efficaciter vt bonam & vtilem ad satisfaciendum sibi, & ad redimendum genus humanum: sic Christus eandem vt talem volebat efficaciter & generosè, ideóque addebat, *Verumtamen non sicut ego volo* (inefficaciter & simplici affectu) *sed sicut tu*, vis, supple, efficaciter, quod ego etiam efficaciter volo. Neque hi duo affectus Christi, efficax & inefficax, pugnabant inter se. Quia inefficax non retrahebat ab efficaci, sed illi perfectissimè subdebatur. Sicut etiam appetitus sensitiuus mortem simplici affectu refugiens cum voluntate, consideratam vt inimicam naturæ & dolorosam: tamen efficaciter conspirabat cum affectu efficaci voluntatis illam acceptantis: eique non modò magna cum pace subiacebat, verùm etiã positiuè cooperabatur. Neque propterea Christus habebat affectus verè contrarios: quia nolitio inefficax mortis vt per se malæ & disconuenientis naturæ, & volitio efficax mortis vt bonæ & vtilis ad gloriam Dei, ad redemptionem hominum, & ad alios fines, non sunt incompossibiles in eodem subiecto. 7.

Quomodo Christus mortem noluerit sine repugnantia cum voluntate Dei?

Notandum verò aliam esse repugnantiam incompossibilitatis respectu eiusdem subiecti: & aliam, resistentiæ: quarum neutram fuisse in Christo inter actus voluntatis diuinæ, & humanæ, & appetitus sensitiui, iam ostendimus. Notandum etiam 8.

Repugnantia duplex.

falli

falli eos qui tantùm excusant diuersos Christi affectus à contrarietate, eò quòd non essent circa idem obiectum formale: sed tantùm circa idem materiale: putà quia volitio mortis vt necessariæ ad redimendum genus humanum, & nolitio eiusdem vt dolorosæ & molestæ naturæ, erant circa mortem sub diuerso motiuo formali consideratam. Falluntur inquam, quia non sufficit diuersitas formalis obiecti in actibus efficacibus & planè absolutis. Est enim euidenter incompossibile, velle efficaciter mori, quia salus hominum hoc postulat: & nolle efficaciter mori, quia natura hoc refugit. Velle efficaciter proiicere merces in mare ad vitandum naufragium: & velle efficaciter retinere eas in naui propter lucrum. Quare hæc distinctio locum non habet nisi in actibus inefficacibus voluntatis: vel inter actum vnum efficacem, & alium inefficacem. Vocantur autem illi actus inefficaces, *conditionati*: non quasi absolutè non sint id quod sunt, & habeant tantùm suum esse sub conditione pendenti, quod est impossibile: sed quia in obiectum suum feruntur cum aliqua limitatione & restrictione, tacita vel expressa: non absolutè, quemcumque casum possibilem, aut quamcumque conditionem comprehendendo. Nota denique ita in Christo fuisse duas voluntates efficaces, diuinam nempe & humanam, vt diuina voluntas non alio modo concurrerit ad operationes humanæ voluntatis, quàm si ei vnita non fuisset in eodem supposito. Efficacitas enim illius non fuit immutata ex vnione: neque Verbum concurrebat per hypostasim, aut per vnionem: sed tantùm per voluntatem & potentiam communem Patri & Filio, quâ Deus velut prima causa concurrit ad omnes effectus creaturarum. Dicebantur tamen eædem operationes Theandricæ, seu Deiuiriles, eò quòd essent suppositi Deiuiri, seu Theandri, id est, Dei simul & hominis: ex quo moralem dignitatem infinitam trahebant.

Nemo potest idem simul velle & nolle efficaciter, etiam propter diuersa motiua.

SECTIO II.

De actibus voluntatis creatæ Christi Domini.

9. OMissis facilioribus, Quæritur primò, an Christus secundum partem animæ superiorem potuerit tristari, cùm secundum illam esset perfectè beatus ab instanti conceptionis?

Fuit in Christo tristitia.

Respondeo affirmatiuè: ac secundum illam timuisse mortem, & doluisse, cùm in agonia positus sic orabat, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quæ verba non de appetitu sensitiuo, sed de ipsa voluntate interpretatur Synodus VI. generalis actione 4. & 11. Indeq; probat contra Monothelitas, duas fuisse in Christo voluntates. Verba quoque ipsa id propriè significant, *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Illud etiam Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, de tristitia voluntatis exponit Agatho Papa in epist. quæ refertur in eadem VI. Synodo generali act. 4. & recipitur act. 8. Cùm autem hæc tristitia non fuerit tantùm de morte vt naturæ incommoda; sed & præcipuè de hominum peccatis tanquam Dei offensis, deque ruina spiritali Iudæorũ, perditione Iudæ, & aliis malis spiritalibus, vt docent Patres, & Scripturæ interpretes, afferentes causas illius tristitiæ & sudoris sanguinei, agoniæque Christi mortem in horto deprecantis: consequens est dolorem illum fuisse in ipsa parte superiori animæ, ad quam pertinet consideratio offensæ Dei, & damnationis æternæ, aliarumque rationum superiorum.

10. Ad fundamentum autem difficultatis propositæ respõdet Canus lib. 12. de Locis cap. 14. in solutione vltimi argumenti, prope finem capitis, Christum caruisse gaudio beatifico quãdo hanc tristitiam patiebatur. Sed hoc dicitur ad vitãdam difficultatem, & tanquam falsum aut temerarium reiicitur communiter: cohærenterque loquendo deberet Canus dicere, non solùm gaudio, sed & visione beatifica caruisse, non modò tempore passionis, sed toto fere vitæ decursu, quoties nempe, & quamdiu doluit vehementer de mortis suæ apprehensione. Illam autem semper præsentem habuit, iuxta illud Psalm. 37. v. 18. de Christo mysticè dictum. *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Et Psalm. 87. v. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Quoties item grauiter doluit de infantiæ incommodis, vitæque pauperis & ærumnosæ; de lassitudine, fame, siti, vigiliis, aliisque malis & afflictionibus corporis; de ruina Hierusalem, & morte Lazari, pro quibus lachrymatus est. Ratio est, quia naturaliter loquendo gaudium beatificum hæc non compatiebatur, neque visio beatifica. Nam experientia docet, quod notauit Arist. 7. Ethic. cap. 14. summum gaudium de aliquo obiecto, impedire tristitiam & dolorem de alio obiecto quamuis diuerso. Item quando occurrit obiectum aliquod doloriferum, sed iunctum cognitioni longè maioris boni delectabilis, cognitio illa facit vt obiectum malum, vel non omnino, vel parum ad dolorem & tristitiam mouere possit, quia non est motiuum sufficiẽs & expeditum, vt esset malum occurrens sine solatio; sed impeditur omnino, aut temperatur admodum à consortio tanti boni simul præsentis & occurrẽtis cognitioni. V. g. si cui annuncietur quòd in vno loco equum perdiderit, sed alibi centum millia aureorum lucratus sit, vel sit pinguem Episcopatum assequutus in quo procurãdo equum perdidit; parum ille admodum, vel nihil dolebit de morte equi. Sic ergo visio beatifica debebat naturaliter impedire dolorem & tristitiam de morte, aliisque incommodis. Ac si, vt existimat Canus, nõ modò naturaliter, sed & absolutè gaudiũ beatificum non compatiebatur dolorẽ & tristitiã tempore passionis; non poterat eam compati

Quomodo tristitia potuerit esse cum gaudio beatifico.

Aristot.

alio tempore quoties intensè grauiterque dolebat Christus. Neque etiam poterat tunc esse visio beatifica, quæ æquè aut fere æqualiter impedit dolorem & tristitiam, vt iam ostendimus.

Dicendum ergo est cum D. Thom. Vasq. Suar. & aliis eius interpretibus, gaudium summum de Deo clarè viso, & tristitiam de morte aliisque malis, non esse actus absolutè incompossibiles, & perfectè contrarios: quia sunt de diuersis obiectis. Et quamuis connaturaliter summum illud gaudium excludat omnem alium dolorem; miraculosè tamen, & Dei dispensatione factum est, vt anima Christi esset capax tristitiæ de se non malæ & vitiosæ, neque Dei voluntati oppositæ, sed potiùs conformi & gratæ, atque ad satisfaciendum pro peccatis vtilissimæ. Ac licet anima Christi fuerit ab instanti creationis perfectè beata quantum ad præcipuam partem beatitudinis, consistentem in Dei visione & fruitione per intellectum & voluntatem: non fuit tamen omni ex parte perfectè beata, quamdiu fuit capax doloris & tristitiæ. Quia perfecta beatitudo est aggregatio bonorum omnium, & remotio omnium malorum.

11. Obiectio. Obiicit Delugo disp. 22. n. 26. videri esse repugnantiam non modò naturalem, sed etiam essentialem & absolutè insuperabilē, inter huiusmodi actus vitales: ex eo quòd vnus actus destruat obiectum motiuum alterius, quatenus obiectum vnius facit obiectum alterius esse minùs malum. Quare sicut assensus & dissensus, vel amor & odium eiusdem rei, non possunt esse simul, quia vnus actus destruit obiectum alterius: sic neque gaudium & tristitia.

Prima illius solutio. Respondet idem author num. 27. repugnantiam illam potuisse superari: quia materia gaudij non impedit affectum tristitiæ, nisi quando apparet pro priori signo, pro quo proponitur materia tristitiæ. Nam quod pro illo signo non apparet, non potest esse solatium minuens vel temperans motiuum tristitiæ. Materia autem gaudij beatifici non apparebat Christo pro priori signo, pro quo proponebatur ei materia tristitiæ de passione sua, & similibus malis: sed pro posteriori. Deo sic dispensante, vt affectus tristitiæ præueniret pro priori, & pro posteriori sequeretur visio & fruitio beatifica. Hanc verò prioritatem affectus tristitiæ respectu visionis, ait fuisse vel per modum obiecti (actus enim ille tristitiæ videbatur à Christo in Verbo: vnde pendebat ipsius visio beatifica ab illo actu vt obiecto: verum enim erat dicere, quia Christus habiturus est hunc affectum, ideo visio ad ipsum terminatur: non è contra) vel per modum meriti: quatenus saltem ille actus tristitiæ concurrebat de facto vt meritum partiale ad conseruationem visionis beatæ in Christo. Hæc ille; in cuius doctrina quædam mihi difficilia videntur?

12. Primò enim, materia gaudii iam præexistens tempore, & præcognita, impedit affectum tristitiæ, quomodocunque hic affectus ad gaudium & materiæ gaudij notitiam comparetur, siue per modum meriti, siue per modum obiecti, vt experientia notum est. Nempe quia iam priùs tempore præoccupat & ligat potentiam, quæ præoccupatio non potest deinceps impediri, aut tolli per illum ordinem, seu comparationem prioris aut posterioris, obiectiuè aut meritoriè. Christus autem ab instanti conceptionis fuit præoccupatus à visione & gaudio beatifico, quæ nunquam cessarunt. Quomodo ergo deinceps potuit dolere vel tristari? Secundò, Si, vt ait Delugo, materia gaudij non impedit affectum tristitiæ, nisi quando apparet pro priori signo, pro quo proponitur materia tristitiæ: nam quod pro illo signo non apparet, non potest, inquit, esse solatium minuens vel temperans motiuum tristitiæ: & per consequens, ne quidem naturaliter loquendo illud minuit aut temperat: ergo prioritas obiectiua doloris respectu visionis beatificæ in Christo, ad hoc sufficiens, iuxta doctrinam illius auctoris, faciet vt visio & gaudium beatificum non impediant affectum tristitiæ in Christo. At hæc prioritas semper est: nam semper obiectum est prius actu obiectiuè. Ergo semper, atque etiam nunc Christi voluntas erit naturaliter capax tristitiæ. Tertiò, Esse materiam gaudij pro illo priori signo, pro quo proponitur materia tristitiæ, est actum tristitiæ pendere & causari à materia gaudij, sicut pendet & causatur à materia seu obiecto tristitiæ. Illa enim prioritas nihil aliud est: vt in simili ostendimus disp. 3. sect. 1. & 1. p. disputat. 14. sect. 6. Sed est apertè impossibile materiam gaudij ita se habere: ergo est impossibile in eodem priori esse. Quartò, Dicere quòd Christus per affectus tristitiæ meruerit animæ suæ beatitudinem, est cõtra communem sententiam Theologorum, vt ostendemus sect. 7. Neque hoc etiam dicit auctor citatus: sed tantùm, meruisse saltem eius conseruationem nouo titulo. Verùm si meruit tantùm conseruationem: ergo visio & gaudium beatificum iam præexistebat & præoccupabat potentiam, impediebatque ne posset tristari, vt supra ostendimus. Non satisfacit.

13. Vera solutio. Aliter ergo respondendum existimo, illum actum non destruere simpliciter & absolutè obiectum alterius; sed tantùm naturaliter illud impedire. Quod impedimentum vi maiore, nempe vi diuina, fuit in Christo superatum. Fuit enim miraculosum, & supernaturale, quòd Christus tam ingenti gaudio præoccupatus, quantum nec omnes alij Beati simul sumpti habent, potuerit dolorem concipere de morte & aliis incommodis, à quorum sensu sancti Martyres, per ecstasin, aut consolationes minores beatifica, planè abstrahebantur.

14. Quæritur secundò, an voluntas humana Christi fuerit semper impleta? Respondeo negatiuè. Fuerunt enim in voluntate Christi

Voluntas humana Christi nō fuit semper impleta. actus inefficaces & conditionati; vt patet ex Matth. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quæ verba ad voluntatem & partem animæ superiorem pertinere iam ostendimus. Nihil tamen Christus voluit absoluta & efficaci voluntate, quod effectum non sit, siue ab ipso solo penderet, siue ab aliis. Etenim cùm omnia prudentissimè vellet, non potuit velle efficaciter facere per seipsum, quod facere non poterat: Id enim imprudentiæ est. Neque sine vitio inconstantiæ poterat desistere ab eo quod prudenter voluerat efficaciter & absolutè. Quare fecit quidquid voluit efficaciter facere se solo & independenter ab alio. Quoad ea verò quæ ab alio pendebant, habebat Christus moraliter sibi adiunctam Dei omnipotentiam, paratam ad id omne, quod Christus absolutè & efficaciter volebat. Id enim postulat tantæ personæ maiestas, quæ per sciētiam beatificam vel infusam directa, non poterat nisi prudenter, sanctè, & conformiter diuinæ voluntati velle: neque decuit absolutam penitùs & efficacem ipsius voluntatem non impleri, quidquid vellet; cùm esset voluntas suppositi diuini. Consentit Suar. disp. 38. sect. 5. vbi ait, rem esse certam ex Conciliis & Patribus.

Suarez.

15. Contraria opinio. Contrarium tamen sentiunt Caiet. ad art. 4. qu. 13. & Vasq. disp. 58. cap. 2. affirmantes Christum non esse assequutum quidquid absolutè & efficaciter per humanam voluntatem volebat, quando id pendebat ab aliorum arbitrio. Fundantur in eo quod de Christo dicitur Marc. 7. *Neminem voluit scire, & non potuit latere.* Quibus verbis significatur, voluisse Christum efficaciter, quantum in se erat, latere; & omnia media sibi possibilia adhibuisse: alioquin Euangelista non rectè diceret, *voluit latere, & non potuit*; si poterat alia media efficacia ad latendum adhibere, & non adhibuit. Nam sic potiùs debuisset dici non latuisse, quia non satis voluit: & non, quia non potuit: siquidem poterat latere, si voluisset adhibere maiora & efficacia media. Quemadmodum medicus non verè diceret, non potuisse se curare ægrotum, quem poterat curare, si voluisset adhibere remedia efficaciora, quæ ad manum habebat. Addunt authoritatem Agathonis Papæ in epist. recitata in VI. Synodo Generali, actione 4. & recepta actione 8. vbi supponit Christum latere voluisse efficaci voluntate. Nam inde probat Christum id voluisse humana voluntate, non diuina cui nihil potest resistere. Atqui si sermo esset de voluntate inefficaci, inepta esset probatio Summi Pontificis. Certum enim est voluntati etiam diuinæ inefficaci resisti posse, eamque non semper impleri: ergo supponit Pontifex Euangelistam loqui de efficaci voluntate, vt etiam verba præ se ferunt, significant enim Christum plus voluisse, quàm potuerit.

VI. Synod.

16. Refutatur. Respondeo, Christum voluisse latere efficaciter, non omnino, sed secundum quid: nimirum quantum poterat per media naturalia, & per vires naturaliter subiectas ipsius voluntati humanæ, sine recursu ad miracula, & ad diuinam omnipotentiam; ita vt si non sufficerent omnia media quæ naturaliter poterat adhibere, vellet permittere oppositū, neque recurreret propterea ad inuisibilitatem, aut aliam miraculosam occultationem. Eoque sensu rectè ait Euangelista, *voluit latere*: nempe quantum poterat humanitùs, siue humano modo; occultè intrando domum, & sese occultando quantum humano & communi modo fieri potest: *Nec tamen potuit*, id est, huiusmodi media non fuerunt sufficientia, neque per ea obtinuit vt lateret. Et hoc sensu rectè supposito, vt in verbis Euangelistæ bene fundato, optima est argumentatio Agathonis. Nam illa voluntas quæ non potuit assequi quod volebat, applicando omnia media sibi naturaliter possibilia, & per omnes vires connaturaliter sibi subiectas, non potuit esse voluntas ipsa Dei, de cuius natura est omnipotentia, cuique omnia subsunt connaturali potestate iuris & facti, ad faciendum quidquid vult.

SECTIO III.

An voluntas humana Christi fuerit libera.

17. Status quæstionis. QVæstio est de libertate, non prout opponitur seruituti, aut captiuitati: quo sensu homines in Adamo libertatem amiserunt, & serui peccati facti sunt, donec per Christum libertatem cōtrariam sunt adepti. Neque prout opponitur violentiæ & coactioni: quo sensu liberè fiunt, quæcunq; fiunt spontaneè & non coactè, licet fiant necessariò ex naturali impetu voluntatis aut appetitus; vt ea quæ fiunt sponte à brutis non coactis: Sed prout opponitur necessitati operandi, & in eo consistit, quòd voluntas habeat in sua potestate operari & non operari, vel hoc aut illo modo operari: ac si operatur, operetur quia vult, non autem quia non potest non operari: similiterque si abstinet ab operatione, abstineat quia vult, non autem quia non potest non abstinere. In quo dominio suæ actionis, & potentiâ ad vtrumlibet consistit libertas voluntatis specialiter & propriè dicta, vt patet ex communi consensu Philosophorum cum Aristotele 3. Ethic. cap. 5. Theologorum cum D. Thom. 1. p. qu. 19. art. 10. & in 2. dist. 24. & 25. Sanctorū Patrum, quorum plurima testimonia refert Didacus Ruis de scientia Dei toto libro 3. id est, disp. 38. & seq. denique ex definitione Pij V. & Gregorij XIII. in Bullis contra Michaelem Baium, inter cuius propositiones damnatas hæc numeratur 38. *Quod voluntariè fit, liberè fit, quamuis necessariò fiat.* Qua damnatione inuoluuntur Neoterici quidam, qui libertatem constituunt

Aristot. S. Thom. Ruis.

in sola quadam amplitudine mentis & indifferentia mediorum ad finem, licet ex ea sequatur necessariò operatio voluntatis pro ea hypothesi, qua medium spectat ad ordinem finis: adeo vt in amore beatifico, & quod intolerabilius est, in ipsa Verbi diuini generatione, & Spiritus sancti productione libertatem admittant: neque horreant dicere, Patrem æternum liberè filium generare. Qui error fuit iampridem damnatus sub anathemate à Concilio Syrmiensi, vt ostendimus alibi, tom. 2. disp. 8. sect. 2. num. 23. Itemque illi qui libertatem constituunt in spontaneitate libera à coactione, sed non à necessitate antecedente, qui error, æquè ac præcedēs damnatus fuit à Pio V. & Gregorio XIII. in Bullis supra dictis, & recentissimè ab Vrbano VIII. eas renouante & confirmante, contra nonnullos qui hoc tempore errorem illum Michaelis Baij, & plures alios, magno Ecclesiæ scandalo, & sedis Apostolicæ contemptu intolerabili, stabilire conati sunt, veritatemque catholicam huic errori contrariam inter errores præcipuos & capitales Pelagij recensere. Quo nihil poterat fingi ineptius. Sed de his plura diximus suo loco, vbi ex professo de libertate disputauimus, & hunc errorē fusiùs refutauimus. Nunc supposita libertatis propriè dictæ definitione, quam tradidimus, Quæritur, an voluntas humana Christi habuerit huiusmodi libertatem positam in indifferentia & potestate agendi & non agendi, vt lubet?

18. Conclusio affirmatiua. Conclusio affirmatiua est de fide, & probatur primò, ex Scriptur, quæ Christo liberam electionem sæpe tribuit, & sic à Patribus communiter intelligitur: Isaiæ 7. *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Et cap. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit,* id est, vt exponit Hieron. non necessitate, sed volūtate crucē subiit. Ioan. 10. *Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre.* Vbi Christus de se vt homine loquitur, sic enim mandatum acceperat à Patre: affirmatque fuisse mortem in sua voluntaria & libera potestate. Videatur Suar. disp. 37. sect. 2. vbi hæc loca fusius expendit, & testimoniis Patrum illustrat. (Suarez.) Probatur secundò, quia libertas est magna hominis perfectio, remota imperfectione potentiæ ad peccandum, sine qua potest consistere, vt in Beatis, & in Deo. Ergo non est cur tanta perfectio Christo negetur, cùm neque vnioni hypostaticæ, neque vlli eius officio repugnauerit, imò potiùs ad obediendum & ad merendum planè necessaria fuerit. Nam voluntas quæ non est libera & domina sui actus, non est capax obedientiæ & præcepti: neque meretur specialem laudem & præmium, cùm agit tantùm id quod non potest non agere: sicut neque meretur pœnam & vituperium, si id omittat quod agere non potest. Vnde S. Thom. (S. Thom.) qu. 6. de Malo, art. 1. in corp. relatâ quorundam opinione aientium, voluntatem hominis, quamuis neque cogatur, neque violentiam patiatur, moueri tamen ex necessitate ad aliquid eligendum: Pronunciat hæreticam esse hanc opinionem. *Tollit enim,* inquit, *rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit.* Huc usque S. Thom. Quàm ergo certum est fuisse in Christo meritum, tam certum est fuisse libertatem oppositam necessitati.

19. Prima obiectio. Obiicitur primò, libertatem hanc non potuisse consistere cum scientia Christi beatifica, per quam in Deo cognoscebat distinctissimè omnes & singulos actus suos tota vita mortali futuros: cognoscebat, inquam, exactissimè descriptos quoad substantiam, & omnes circumstantias loci, temporis, intensionis, durationis, &c. Nam hæc scientia determinauit Christi voluntatē ad huiusmodi actus, & abstulit indifferentiam seu potentiam ad oppositum, cùm videret Christus esse impossibile, vt aliud à se fieret, quàm quod in Dei præuisione videbat; neque posset velle efficaciter aut conari ad actum, quē sciebat esse impossibilem: aut velle efficaciter abstinere ab actu, quem sciebat non posse non esse, stante præuisione diuina. Nec par est ratio de præuisione diuina respectu nostri. Cùm enim nobis ignota sit, & penitùs extrinseca; non afficit nostram voluntatem. Vnde non mirum est si nos non prædeterminet ad actus nostros futuros, quia nobis est prorsus extrinseca & ignota. At verò Christo intrinseca erat clara cognitio præuisionis diuinæ. Cognitio verò, & iudicium intellectus afficit voluntatem: Ac si est tale vt voluntas non possit illi repugnare, tollit indifferentiam, & determinat voluntatem.

Respondeo cum Suar. disput. 37. sect. 5. (Suarez.) præuisionem diuinam ratione priùs, & veluti ordine causalitatis præsupposuisse actus Christi futuros eo modo, quo futuri erant: ac proinde liberè futuros, si aliunde erant liberè futuri. Ideo enim Deus eos præuidebat, quia futuri erant; non contra. Vnde (Quomodo stetit libertas Christi cum præuisione suorū omnium actuum?) licet posita præuisione impossibile sit non esse futuros: Hæc tamen impossibilitas est tantùm consequens ad vsum libertatis, & ad liberam futuritionem, quam supponit: neque impedit quin voluntas antecedenter sit liberè operatura: quamuis de facto sit operatura id, quod Deus videt: & ex suppositione quòd sit operatura, non sit non operatura: nec possit esse simul operatura, & non operatura in sensu composito, coniungendo simul actum & negationem actus. Quare Dei præuisio non magis per se tollit libertatem Christi, quàm nostram. Scientia verò Christi, quâ cognoscit talem præuisionem, supponit naturâ priùs & causalitate ipsam præuisionem, & multò magis actus liberè futuros, vt tales, qui sunt obiectum præuisionis, eamque ratione, & veluti causalitate præcedunt.

Quare Christus cognoscit tantùm se liberè operaturum, & ideo, quia liberè operaturus est, cum indifferentia & potestate antecedenti ad oppositum. Quam indifferentiam, eiusque vsum & exercitium liberum non tollit Christi cognitio: alioqui tolleret suum obiectum, & seipsam destrueret: sed potiùs præsupponit, & sequitur naturâ posteriùs: ideóque videt se liberè operaturum, quia liberè operabitur. Et quamuis reipsa non sit non operaturus, & ex suppositione quòd sit operaturus, quódque præuideatur verè operaturus, impossibile sit vt non sit operaturus, quia non potest simul operari & non operari: Hæc tamen impossibilitas est tantùm ex suppositione consequente vsum libertatis, ideóque libertatem non destruit, sed supponit. Neque determinat voluntatem ad huiusmodi actus, sed ad illos speculatiuè se habet, præuidendo quid voluntas pro sua libertate operatura sit. Speculatiuè, inquam, & consequenter; adeo vt causa cur Christus præuideat se ita operaturum, sit, quia operaturus est; & sit in eius libera potestate ponere obiectum præuisionis, vel non ponere, ideóque præuisio ab eius pendeat libertate. Quare suppositio huius scientiæ non est suppositio alicuius prædeterminantis physicè voluntatem, sed potiùs consequentis ad liberam eius determinationem. Estque par ratio quoad hoc illius scientiæ Christi, ac diuinæ; quòd licet vtrâque suppositâ, infallibile sit actum esse futurum; hoc non ideo est, quia scientia determinat voluntatem, sed potiùs quia supponit talem esse futuram voluntatis determinationem.

20. Soluitur instantia. Dices, illam omnem necessitatem esse antecedentem, quæ influit in operationem voluntatis, vel in suspensionem, & abstinentiam ab operatione. Atqui experientiâ notum est, cognitionem, quam habemus, quòd conatus noster in oppositum non succederet, retrahere nos ab operando, atque adeo influere in suspensionem ab operatione. Qua de causa non posset ex natura rei sperare aliquid futurum esse, ille, cui reuelatum esset, illud futurum non esse.

Respondeo, maiorem propositionem non esse veram, loquendo de necessitate simpliciter antecedente, & tollente vsum libertatis. Non enim est antecedens simpliciter illa necessitas, quæ oritur ex aliquo præsupponente vsum libertatis: cuiusmodi est præuisio nostra, vel aliena, quòd simus liberè hoc aut illud facturi. Et quamuis aliqua sit differentia inter nostram præuisionem, & alienam, respectu actuum nostrorum liberè futurorum; quòd nostra retrahat aliquantulum à conatu, quem præuidemus fore irritum: non tamen ita retrahit, vt non possimus conari, si velimus: atque etiam debeamus, quando conatus est moraliter necessarius, id est, debitus ex præcepto. Sicque B. Petrus Apostolus, cui reuelatum fuerat, fore vt ter Christum negaret, tenebatur nihilominus non negare, & conari ad oppositum, etiam posito quòd non esset immemor reuelationis. Et ille, cui reuelatum esset, fore vt suâ culpâ excideret ab æterna salute, teneretur nihilominus conari in oppositum, & sperare non quidem fore vt saluetur absolutè (quod nemo potest credere & sperare fine certa reuelatione) sed fore vt saluetur, si per eum non stet: Quo tantùm modo sperant alij, quicunque carent speciali reuelatione de sua perseuerantia, vel statu bono finali, vt diximus in tract. de Spe.

21. Secunda obiectio. Obiicitur secundò, eandem libertatem non posse stare cum Christi impeccabilitate. Nam si Christus fuit liber ad seruanda præcepta; ergo potuit non seruare; ergo potuit peccare; quia non seruare præcepta, est peccare.

Quomodo Christus fuit liber ad seruanda præcepta. Respondeo 1. Hanc difficultatem tantùm habere locum circa præcepta: vltra quę, multa sunt alia obiecta libertatis, quæ possunt absque vllo peccati periculo fieri vel omitti, vt patet in Deo & in Beatis. Quare aliud est esse liberum simpliciter: & aliud, esse liberum circa præcepta. Quia tamen Christus fuit etiam liber aliquo modo circa pręcepta, siquidem meruit per suam obedientiam, & per actus qui erant in præcepto:

Vasquez. Respondeo secundò cum Vasq. dispu. 74. cap. 5. & Suar. disp. 37. sect. 4. in fine, vbi post longam hæsitationem, & aliarũ responsionum discussionem, hanc tandem cogitur admittere, Christum fuisse liberum ad seruanda præcepta, non ita, vt simpliciter & omnino posset non seruare, atq; à genere vel specie actus præcepta omnino abstinere, vel eius oppositum admittere; sed quia, cùm nullus actus in singulari esset illi præceptus, hic potius quàm alius, neque eorum frequentia, vt nimirum toties vel toties iterarentur, neque tempus exercendi, neque species aut multitudo omnium motiuorum propter quæ poterant exerceri, neque intensio & duratio, similesq; circũstantiæ; nullus fuit actus internus (in quo consistit formaliter ratio meriti, & ratio liberi) qui non fuerit ei liber, etiam quoad totam substantiam suam seu entitatem: quia poterat quilibet distributiuè omitti fine peccato. V. g. Cùm Christo præceptum esset vt moreretur, liberè scilicet & voluntariè, acceptando & volendo mori; potuit Christus id acceptare centũ aut mille actibus, quorum nullus distributiuè necessarius erat ad vitandum peccatũ. Non primus, quia secundus sufficiebat. Non etiam secundus, quia primus erat sufficiẽs, & sic de cæteris. Similiterque liber erat vt acceptaret propter plura motiua, quæ non omnia erant pręcepta, neque necessaria ad seruandum præceptum. Item pluribus vel paucioribus actibus, intensioribus, diuturnioribus, &c. Poterat etiam mortem differre si voluisset: idque vt minimum significauit verbis illis

Matth. 26. vers. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim Legiones Angelorum?* Deus enim præcepit Christo simili modo quo nobis, quibus nihil tale determinat. Ineptumque esset sine graui fundamento existimare, Deum minutiosiùs ac minùs liberaliter cum filio, quàm cum seruis egisse.

22. Tertia obiectio. Quod autem obiicit Suar. sect. 3. modum præcipiendi, quo singula determinantur, perfectiorem esse: & Deum Exod. 25. singula Moysi præscripsisse, cùm diceret, *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*: Et Christum ipsum id de se significasse Ioan. 14. cùm diceret, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*: Hoc, inquam, parum vrget. Potiùs enim de perfectione præcepti est, vt sit humano mori accommodatum, & non nimis minutiosum: cùm in moralibus minutiositas magna imperfectio sit, & valde importuna. Nec par est ratio de exemplari, de quo tantùm sermo est Exod. 25. quia de ratione exẽplaris est, vt breui compendio repræsentet exactè omnia, quæ pertinent ad substantiam & ad ornatum operis: ideoque Deus tale exemplar Moysi proposuit, cui tamen libertatem reliquit moralem, siue iuris, circa actus obediendi & exequendi id quod imitari iubebatur, qualem supra diximus esse in aliis præceptis. Christus verò Ioan. 14. affirmat tantùm se facere id quod Pater præcepit, & nihil omittere eorum quæ præcepit; sed non ait omnes actus quos faciebat, omnesque eorum circumstantias, fuisse ipsi præceptas; nec vllus est Patrum, aut Scripturæ interpretum, qui sic hunc locum intellexerit. De præfinitionibus autem diuinis, ex quibus aliud argumentum sumit Suares, dicemus paulò post.

Deus non omnia singillatim Christo determinauit.

23. Aliæ instantiæ repelluntur. Dices, Christum significare Ioan. 10. ipsam mortem fuisse sibi liberam, ita vt posset non mori si voluisset: & tamen mors erat ei præcepta, vt ibidem affirmatur, & confirmatur Philipp. 2. *Factus est obediens vsque ad mortem.* Ergo non tãtùm fuit liber ad actus indiuiduos distributiuè sumptos, vel ad circumstantias modo supra explicato; sed & ad speciem aut genus, siue ad omissionem præcepti simpliciter. Si enim mortuus non fuisset, non impleuisset præceptum moriendi. Antecedens patet ex verbis Christi loco Ioan. cit. *Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Et potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Vnde August. 4. de Trinit. cap. 13. sic infert: Qui potuit non mori si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est. Et Chrysost. homil. 28. in Epist. ad Hebr. *Erat igitur arbitrii illius non venire ad crucem, si voluisset.* Et paulò post: *Si igitur nullam necessitatem habuit vt crucifigeretur, crucifixus est propter nos.* Et Cyprianus ser. de Passione, initio, *Voluntariè obedisti Patri, & non te vt patereris cogit necessitas.* Et Hieron. in illud Isaiæ 53. *Oblatus est quia ipse voluit: Non necessitate*, inquit, *sed voluntate crucem sustinuit.* Idemque dicunt Euthymius in caput 10. Ioan. Theophylactus in cap. 14. Ioan. propè finem, Anselmus in Opusc. de Meditatione redemptionis cap. 3.

August. Chrysost. Cyprian. Hieron. Euthym. Theophyl. Anselm.

24. Vasquez. Respondeo cum Vasq. disp. 74. n. 32. sensum illius loci esse, quòd Christus ita se sponte obtulerit morti, vt nulli humanæ potestati concessum esset ipsum vi comprehendere, & opprimere, vitamque adimere, nisi voluisset.

Fuit in Christi potestate nolle mori, & non mori. Respondeo secundò, etiam in Christi potestate fuisse nolle mori simpliciter, atque omnino non mori, quod loca posteriùs citata satis apertè significant. Non quidem posito & vigente præcepto moriendi: sed quatenus hoc præceptum non fuit illi in instanti conceptionis impositum, nisi depẽdenter ab ipsius consensu libero, ita vt nisi voluisset, & ad mortem pro hominibus se liberè obtulisset, Pater id minimè præcepisset: iuxta illud Psalm. 39. & Hebr. 10. *Sacrificium & oblationem noluisti* &c. *tunc dixi, ecce venio.* Vel potiùs quia non erat ei tam absolutè præceptũ mortis impositum, vt non posset eius dispensationem obtinere, si voluisset, iuxta illud Matth. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrẽ meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* (de morte mea) *quia sic oportet fieri*: vt impleantur scilicet prædictiones in ea contentæ, quæ tamen mortem Christi præsupponebant, qualis erat futura, neque illi necessitatem antecedentem inferebant. Christus autem ibi loquitur de se vt homine, & de sua voluntate humana, cuius erat rogare. Nam Deitas non rogat, neque Christus vt Deus. Quare illi, etiam vt homini, mors libera erat.

25. Occurritur obiectioni. Parum verò vrget quod in contrarium opponit Suares, non esse probabile negotium nostræ redemptionis, quod est tam eximiæ prædestinationis, pependisse à voluntate Christi, & habuisse aliunde determinationem, quàm a Dei voluntate. Nam ipsa Christi maiestas & dignitas reddit hoc maximè credibile, quòd nimirum de ipsius morte nihil absolutè & efficaciter decretum sit, nisi præuiso ipsius consensu ad mortem tam indignam. Deque tali decreto consequente facilè potest intelligi illud Actor. 4. *Conuenerunt aduersus sanctum puerum tuum Iesum facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* Et Luc. 22. *Filius hominis vadit secundum quod definitum est de illo*, & similia. Quæ certe non possunt intelligi de voluntate antecedente ad præuisionem malitiæ Iudæ, & Iudæorum Christum crucifigentium: alioqui Deus antecedenter voluisset peccatum.

26. Aliæ duæ obiectiones diluuntur. Non obest etiam quod Vasques opponit citata disput. 74. num. 21. hinc sequi opera Christi, quibus præceptum obseruauit, non fuisse meritoria secundum se, eo tempore quo fiebant, sed solùm volũtatem illam quã

liberè præceptum postulauit, aut admisit, meritoriam fuisse.

Respondeo enim, meritum non consistere in sola morte physica, sed in ea vt coniuncta cum liberis actibus voluntatis acceptantis & subeuntis mortem. Illi autem actus fuerunt Christo liberi, etiam tum cùm præceptum seruabat, vt suprà exposuimus. Nullus enim actus distributiuè necessarius erat, nec tot motiua: nec tanta intensio & duratio, nec tot pati dolores, & tot flagellis, sputis, & cruciatibus vexari: tandiu pati in cruce, vel tam breui viuere, & moriendi ac patiendi tempus non vlteriùs differre. Et tamen actus illi erant circa præceptum, ac per illos præceptum verè implebat, ita vt illis positis obligatio præcepti cessaret.

27. Minus est quod obiiciunt alii, Christum non liberè acceptasse præcepta naturalia, nec potuisse petere dispensationem ab illis. Nos enim hic loquimur solùm de præcepto positiuo moriendi, de quo Scriptura, & Patres citati significant peperdisse simpliciter à Christi voluntate. Neque id asserimus ad hoc solùm, vt tueamur libertatem & meritum Christi in subeunda morte, sed vt explicemus Scripturam, & Patres aientes, mortem ipsam physicam Christo fuisse voluntariam & liberam, adeo vt posset non mori si voluisset, & posset velle absolutè non mori, aut simpliciter & efficaciter nolle mori.

SECTIO IV.

Maior explicatio propositæ difficultatis de Christi libertate.

28. Præcepta Christo imposita, duplicia sunt.

Vt hæc grauissima difficultas meliùs declaretur, cõsiderandum est primò, Præcepta Christo imposita fuisse duplicia. Quædam naturalia, & quędam purè positiua. Item quædam fuisse affirmatiua, & quædam negatiua: inter quę est hæc differentia, quòd positiua non obligant pro semper, secus autem negatiua: Semper enim ab actu vetito abstinendum est. Item positiua non possunt seruari sine aliquo actu libero & vsu voluntatis, quo ponatur actus præceptus. Secus autem negatiua, quæ hoc ipso seruantur, quòd non fit actio prohibita, licet de ea non cogitetur. Sed huiusmodi obseruatio merè negatiua, non est meritoria, cùm non fit actio libera & positiua. Poterat tamen Christus abstinere cum aduertentia, sicuti nos plerumque facimus, & cum actu volendi abstinere, aut nolendi facere id quod prohibitum est. Et hæc abstinentia erat illi libera, non simpliciter, quasi posset actum oppositum facere; sed quoad rationem & modum abstinendi, putà, quia abstinebat propter tale vel tale motiuum non necessarium. In actibus verò positiuis circa præcepta positiua, libertas Christi magis elucet, de quibus, ea quæ supra diximus, intelligenda sunt.

Considerandum secundò, Christum fuisse non moraliter tantùm, sed & physicè impeccabilem ab intrinseco, ex duplici capite. 29. Christus fuit physicè impeccabilis ab intrinseco, duplici ex causa.

Primò, ratione vnionis hypostaticæ, quæ quamuis per se non ageret, nec immutaret intrinsecè, aut prædeterminaret physicè voluntatem creatam Christi: non poterat tamen absolutè compati cum peccato, sed necessariò requirebat talem modum prouidentiæ diuinæ circa Christum, vt Deus omnino impediret ne peccaret, & non esset paratus ad concurrendum cum illo, eo modo qui necessarius erat vt peccaret: sed potiùs, si opus esset, eum foret physicè prædeterminaturus ad non peccandum. Vnde Christus non erat physicè potens ad peccandum, quia non habebat omnia ad potentiam illam completam prærequisita, inter quæ vnum est concursus Dei præparatus ad peccandum si vellet, qui concursus repugnat Christo ab intrinseco, vt est suppositum diuinum. In quo differt Christus ab iis qui solùm in gratia confirmati sunt, vt fuerunt Beata Virgo, & Apostoli post descensum Spiritus sancti: quibus ab intrinseco non repugnat absolutè peccare, sed tantùm ab extrinseco, ex suppositione decreti diuini de non permittendo vt peccent, vtendo scientiâ mediâ vt eos præueniat eo modo, quo præuidet non esse peccaturos, quamuis ex se peccare possint, quia nihil habent intrinsecè repugnans peccato. Secundò, Christus fuit impeccabilis ratione visionis beatificæ, quæ voluntatem necessitat, ac physicè prædeterminat ad Deum amandum super omnia, ita vt non possit non amare: & consequenter ad auersandum omne peccatum, seu mortale seu veniale, quod cum tali & tanto amore est incompatibile. Vnde tum Christus, tum omnes alii Beati, ab intrinseco sunt impeccabiles physicè: quia habent voluntatem ita præuentam, & physicè determinatam per visionem & amorem beatificum, vt non possint quidquam velle facere vel omittere, quod Deo summè super omnia dilecto quacunque ratione displiceat. Hoc tamen non impedit quin Christus & Beati liberi sint ad alia, quæ sine peccato possunt fieri, vel omitti; aut eo modo, quo possunt sine peccato fieri, vel omitti. Quemadmodum Deus ipse, qui per suam essentiam sanctissimus est & beatissimus, atque ex summa intellectus & voluntatis suæ perfectione determinatissimus ad verum & bonum: est tamen liber ad ea omnia quæ sine peccato & indecentia possunt ab ipso fieri, vel omitti.

Considerandum est tertiò, multa in aliis respondendi modis esse improbabilia, vel euidenter falsa. 30. Reiicitur duplex modus Thomistarum explicandi Christi libertatem.

Primò enim quod respondent Thomistæ cum S. Thom. quæst. 18. art. 4. ad 3. Christi voluntatem propter impeccabilitatem fuisse determinatam ad bonum, non tamen ad hoc aut illud bonum: non satisfacit, nisi intelligatur, vt potest facile intelligi, iuxta id quod supra diximus de determinatione ad singulos actus, vel ad

circunstantias. Alioqui enim Christus fuit impeccabilis & determinatus ad bonum quale illi præcipiebatur. At non tantùm ei præcipiebatur bonum in genere, sed singulariter mori pro hominibus, & alia bona in particulari.

30. Secundò, quod respondent aliqui Thomistæ, necessitatem consequentem & ortam ex aliqua suppositione, non tollere libertatem, dummodo voluntas possit facere vtrumlibet absque tali suppositione: ideoque licet voluntas Christi supposito præcepto non posset facere eius oppositũ, libera tamen erat, quia de se poterat illud non facere, si præceptum non fuisset præsuppositũ. Hoc, inquam, nullo modo satisfacit. Vel enim intelligit, nullam omnino suppositionem tollere libertatem: & hoc apertè falsum est, alioquin amor beatificus esset liber Beatis, quia possent non amare, non supposita visione beatifica: & nullus actus voluntatis erit necessarius, quia potest fieri liberè mutata suppositione. Vel intelligit indefinitè aliquam suppositionem non tollere libertatem: & hoc quidem verum est, sed præsenti difficultati malè applicatum. Duplex enim suppositio esse potest. Vna, quæ præsupponit actum. Et hæc non facit vt actus necessariò processerit à voluntate; quia in illum non influit, neque vllo modo voluntatem antecedenter afficit, sed præsupponit liberum eius vsum. Cuiusmodi est præsuppositio diuinæ præscientiæ circa actus nostros liberè futuros, aut necessitas quòd ego operer, ex suppositione quòd operer. Altera est quæ præcedit vsum ac determinationem voluntatis. Et hæc si est talis, vt eâ positâ non possit voluntas non operari, prędeterminat voluntatem ad operandum, tollitque indifferentiam, quia tollit potentiam non operandi. V.g. quia voluntas Beati, supposita visione Dei, non potest eum non amare, & visio præit exercitio voluntatis circa Dei amorem: non amat liberè, sed necessariò, quia amat præuenta & prædeterminata physicè à visione ad amorem, qui ex illa necessariò sequitur. Atqui similiter vnio hypostatica, & visio beatifica, quâ Christus redditur impeccabilis, præcedit omnem actum liberum creatæ voluntatis Christi; & ex suppositione vtriusque non potest non seruare pręceptum: ergo hæc suppositio tollit eius indifferentiam & libertatem ad non seruandum præceptum.

Quæ necessitas ex suppositione tollit libertatem, & quæ nó?

31. Alii tertiò confugiunt ad vsum libertatis Christi in acceptando præcepto, vel non petenda eius dispensatione. Sed hoc licet locum meritò habere possit in præcepto speciali moriendi, vt suprà diximus, propter authoritatem Scripturę & sanctorum Patrum id significantium: secus tamen in aliis præceptis, saltem naturalibus, & penitùs indispensabilibus. Tum quia nullum id asserendi est fundamentum. Tum etiam quia non pependit à voluntate libera Christi, neque fuit dispensabile præceptum non inhonorandi Deum, vel non odiendi, non blasphemandi & similia. Nec potuit Christus recusare velle Deum amare, & colere, rectæque rationis præscriptum seruare. Quomodo ergo circa huiusmodi liber fuit iuxta Doctorum istorum sententiam?

Ad explicandã totam Christi libertatem non sufficit libera præcepti acceptatio.

Alii quartò, vt Victoria apud Medinam quæst. 47. art. 2. Velasques in caput secundum epist. ad Philipp. vers. 9. num. 8. & Petrus Lorca quæst. 19. de Incarn. disp. 63. dicunt, Christum non habuisse præceptum propriè dictum, sed regulam & directionem, similem regulis quorumdam Religiosorum quæ non obligant sub peccato. Sed primò, id dici non potest de præceptis naturalibus non mentiendi, non odiendi Deum vel proximum, seruandi charitatem, iustitiam, religionem, &c. Secundò, in aliis præceptis purè positiuis, vt patiendi mortem, cuius rei præceptum Christus se habere affirmat Ioan. 10. 14. & 15. fine causa sufficienti, & solùm ad vitandam difficultatem deseritur sensus Scripturæ proprius: quod non licet. Præsertim quando ex aliis Scripturæ locis colligitur sensum proprium esse retinendum: sicut in præsenti colligi potest ex illis Christi verbis Ioan. 15. vers. 10. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Vbi nota, comparationem illam præceptorum Patris ad Christum, & Christi ad nos: & nomen præcepti in vtroque membro propositionis sumendum esse eodem sensu, ne sit ambigua locutio. Quare sicut præcepta Christi ad nos sunt vera præcepta, & moraliter obligant: sic & præcepta Patris ad Christum. 32.

Medina. Velasq. Lorca.

Præcepta Christo data fuerunt vera præcepta.

Alii quintò, vt Suares disp. 37. sect. 3. & 4. dicunt Christum fuisse liberum ad seruanda pręcepta, quia licet non posset non seruare: tamen hæc impotentia non oriebatur ex aliquo planè antecedente vsum libertatis, quòd voluntatem physicè prędeterminaret: sed ex vsu scientiæ medię, quâ Deus præuidebat quomodo Christus esset operaturus, si tali modo præueniretur; & secundum exigentiam vnionis hypostaticæ Christum ita regebat, vt nunquam peccaret; atque eum semper eo modo præueniebat, quo præuidebat esse liberè operaturum. Et quamuis Deus non posset absolutè aliter Christum præuenire; manebat tamen eius voluntas libera ad operandum, quia præueniebatur eo modo, quo præuidebatur liberè, quamuis infallibiliter, bene operatura.

Suar.

Sed contra: Primò, ipsa vnio hypostatica, quæ nullo modo supponit actus Christi liberos, sed præit etiam tempore omnes post eius conceptionem exercitos, priuat eius voluntatem præparatione concursus diuini necessarii ad peccandum. Ergo priuat illam potentia seu libertate peccandi, quia nunquam voluntas Christi habet, neque habere potest omnia ad peccandum, vel ad proximam peccandi potentiam, prærequisita: libertas verò in eo consistit vt 33.

Non bene explicatur libertas Christi per solũ vsum scientiæ mediæ.

potentia positis omnibus prærequisitis ad agendum possit agere, & non agere. Neque par est ratio de eo qui solùm est in gratia confirmatus. Nam cùm ille operatur, Deus habet concursum præparatum ad vtrumlibet, quamuis præsciat esse bene operaturum: Neque talis præparatio repugnat illi ab intrinseco, sicut repugnat Christo. Est enim eius personâ indignum, & impossibile vt peccare possit. Aliis verò id non est ita indignum, & penitùs incompossibile. Neque illos Deus ita confirmat in gratia, vt non sit paratus ad concurrendum, aut permittendum, si peccare vellent: sed tantùm per visum scientiæ mediæ vitat occasiones in quibus vellent peccare.

Deinde Christus, vltra vnionem hypostaticam, habet visionem Dei, & amorem beatificum, nullo modo supponentem liberos eius actus: & ex eo necessitatur physicè ad auersionem efficacem omnis peccati; quia impossibile est, vt eadem voluntas amet Deum super omnia, & simul aliquid præferat eius voluntati, eumque offendat propter aliquid aliud. Ergo Christus, vi illius visionis, & amoris beatifici, non est liber, sed planè determinatus intrinsecè & physicè ad non peccandum. Ergo non est liber ad seruandum præceptum simpliciter. Ergo Deus non habet scientiam mediam, quâ præsciat eum liberè seruaturum, si tali vel tali modo præueniatur; quia nullus modus est possibilis, in quo Christus fruens Dei visione, & amore beatifico, possit peccare, aut ita seruare mandatum, vt possit non seruare simpliciter.

34. Occurritur euasioni. Respondet Suar. Amorem beatificum stetisse in parte superiori animæ, & miraculosè impeditum fuisse, ne in inferiorem redundaret: ideoque non obstitisse quo minùs volútas Christi secundum illam partem libera esset: sicut gaudium beatificum sistens in eadem superiori parte animæ, non obstitit quominùs pars inferior tristitiam summam & angorem pateretur. Sed contra: Impossibile est eandem voluntatem, velle idem & nolle secundum eandem rationem, & habere simul duos actus, quorum vnus destruat obiectum alterius. Sicut impossibile est eundem intellectum assentiri simul & dissentire eidem propositioni, & habere iudicia contraria. Quod etiam de voluntate & intellectu posito in duobus locis distátibus affirmat Suar. tom. 3. in 3. partem, disp. 48. sect. 6. (Suares.) propter realem identitatem eiusdem intellectus & voluntatis, quam impossibile est vitaliter exercere simul actus verè contrarios. Atqui voluntas Christi per amorem beatificum detestatur necessariò peccatum sub omni ratione vtilitatis, delectabilitatis, & aliis quibus illicitè expeti potest: ergo impossibile est vt peccatum expetere possit sub vlla ratione. Ergo non habet potentiam & libertatem ad peccandum, & ad non implendum præceptum, eo modo, quo non implere, esset peccatum. Contradictorium enim est, vt eadem voluntas beata peccatum detestetur secundum quamcumque rationem vtilitatis, aut delectabilitatis, &c. & simul velit peccatum propter vtilitatem, aut delectabilitatem. Nec par est ratio de gaudio & tristitia. Nam gaudium erat de Deo, vt clarè viso; tristitia verò, de morte, vt naturæ inimica: vnde habebant diuersa obiecta, neque erant actus propriè contrarii.

Idem Suares disp. illa 37. sect. 4. in fine ait, in eo casu quo Deus Christo præcepisset moriendi voluntatem, & alios actus quoad omnes circumstantias, Christum non fore liberum ad illos, posito, quòd nos dicimus, non esse liberum nisi circa actus, qui sine peccato omitti vel aliter fieri possent. Sed nihilominus fore liberum circa actus reflexos, quibus illi placerent tales actus, & quibus vellet eos exercere, quamuis præcepti non essent. Verùm si omnes & singuli Christi actus præcepti essent quoad omnes circumstantias, illæ quoque reflexiones essent præceptæ, ac proinde nôn liberæ. 35. Si omnes actus Christi fuissent ipsi præcepti, non fuisset liber circa actus reflexos.

Respondet Suares non posse præcipi, quia procedunt in infinitum. Sed, si omnes & singuli Christi actus tota vita mortali, imò & tota æternitate exercendi, fuerunt à Deo antecedéter prædefiniti, vt saltem de prioribus affirmat ibidem Suarez: cur non potuerunt præcipi, ita vt Christus nunquam alios exerceat, quàm quos Deus præcepit: sicut nunquam alios exercebit, quàm quos Deus prædefiniuit? De huiusmodi autem prædefinitionibus quid sentiendum sit generatim, diximus 1. par. d. 19. num. 74. & sequentibus. Deinde, quæstio in præsenti est quomodo Christus sit liber circa præcepta; non autem circa ea, quæ non modò præcepta non sunt, sed neque possunt præcipi, vt Suares existimat.

SECTIO V.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentem.

36. Prima obiectio. Obiicitur 1. Si sufficit libertas seu indifferentia in circumstantiis, vt actus laudi & merito tribuatur; sufficiet quòd Christus posset eligere hunc numero actum præ alio æquali, & planè simili in indiuiduo, pati in hoc ligno præ alio, dare denarium hunc præ illo, & curare hunc paralyticum præ alio, cæteris paribus. Atqui nemo id solum hominibus laudi & merito tribuit: ergo nec Christo.

Quænam indifferentia requiratur ad laudem & meritum. Respondeo, Non quamcunque physicam electionem, & indifferentiam seu libertatem, sufficere ad laudem specialem & meritum; sed illam quæ simul moralis est, id est, considerabilis & æstimabilis in genere moris, propter aliquem excessum vnius præ alio; cuiusmodi non sunt quæ afferuntur in obiectione, & aliæ similes: vt quòd hoc tem-

pore aut alio res fiat, aut detur quidpiam citiùs aut tardiùs, quando perinde moraliter est, siue tunc, siue aliàs fiat: aut quòd per teipsum vel per alium facias, aut des, si hoc nihil refert.

37. At, inquies, vel circumstantiæ illæ morales circa quas Christus erat liber, erant illi à Deo præceptæ, vel non. Si primum: vel non fuit liber circa illas, vel fuit liber ad peccandum, & faciendum aut omittendum aliquid oppositum præcepto. Si secundum: Ergo non liberè obediuit, quia obedientia non est nisi circa ea quæ præcepta sunt, non autem circa circumstantias non præceptas.

Quomodo ratione circumstantiarum Christus liberè obedierit?

Respondeo, non fuisse præceptas, & tamen Christum liberè obediuisse, quia fuit liber circa præcepti obseruationem per actus omnes voluntatis quibus reipsa obediuit, & substantiam præcepti impleuit: singuli enim actus fuerunt omnes omnino liberi, etiam quoad substantiam suam & essentiam, seu totam entitatem; & non tantùm quoad circumstantias durationis, intensionis, multitudinis, aut quid simile: potuitque Christus à singulis, id est, à quolibet sigillatim abstinere, quamuis non ab omnibus collectiuè, omittendo totam substantiam præcepti obiectiuè. Quod enim dicimus, Christum fuisse liberum ad circumstantias præcepti, non ad ipsam substantiam quoad præcepta indispensabilia; intelligendum est de obiecto præcepti, hoc sensu, quòd non potuerit non facere omnino, id est, nullo actu & nunquam, id quod ei indispensabiliter iniunctum erat & præceptum à Deo: licet potuerit liberè implere præceptum, id est, potuerit exercere actus liberos circa materiam præceptam, per quos impleret obligationem præcepti circa eandem materiam, putà circa Deum colendum, amandum, & similia. Hoc enim ipso impletur præceptum, quòd exercentur actus liberi circa eius materiam, quibus traditur executioni, & quibus positis impletur, aut cessat illius obligatio.

38. Fueritne Christus necessitatus ad optimum operandi modum?

Obiicitur 2. Christus ratione suæ summæ sanctitatis erat determinatus & necessitatus ad optimum modum operandi, quo hic & nunc poterat operari, ita vt non posset eligere actum minùs perfectum præ alio magis perfecto. Ergo non erat liber ad circumstantias intensionis, durationis, multitudinis actuum, vel motiuorum, & quascunque alias circumstantias morales; quippe quæ reddunt actum magis æstimabilem, magisque bonum & laudabilem in genere moris. Antecedens probatur, quia omnis imperfectio moralis repugnat summæ sanctitati. Est autem aliqua imperfectio moralis, non intensiùs, diuturniùs, excellentiùs, ac sæpius bene operari, cùm possis.

Responsio quorundam impugnatur.

Respondent aliqui recentiores, Christum fuisse quidem antecedenter physicè determinatum & necessitatum ad optimum modum operandi: sed tamen fuisse liberum, quatenus è duobus æqualibus potuit hoc præ illo eligere. Atque ita è duabus circumstantiis æqualibus potuit vnam eligere; quamuis ex inæqualibus non posset non amplecti meliorem. Verùm, vt supra dixi, nõ est laudabile in genere moris, & æstimabile, eligere vnum præ alio prorsus æquali. Quare si Christus tantùm hoc potuit; non habuit libertatem moralem, id est, sufficientem in genere moris, sed physicam dumtaxat, & insufficientem ad laudem & ad meritum.

Dices, eum qui perplexa conscientia putat vtrinque se peccaturum æqualiter, siue agat, siue omittat; peccare nihilominus eligendo vnum è duobus æqualibus. Ergo similiter bene agit moraliter & laudabiliter, qui eligit vnum è duobus æqualibus. Respondeo negando antecedens cum Delugo disp. 26. num. 137. & sequentibus, vbi hac de re fusè & eruditè disputat. Talis enim non habet sufficiens iudicium, & vsum libertatis sufficientem ad peccandum. Neque potest illi iure vituperio tribui, quòd cùm non posset alterutrum omittere, vnum elegerit præ alio æquali. Dico, æquali: Quia si iudicaret plus esse mali in vno, quàm in alio; peccaret maius malum eligendo. Vt è contrario, bene faceret minus eligendo, in suppositione iam facta, quòd non possit vtrumque vitare. Bonum enim est è duobus malis eligere minus, quando non potest vtrumque vitari. Vnde etiam licitum & bonum est consulere minus malum ei, qui paratus est facere maius, à quo aliter ipsum impedire non potes: v. g. vt percutiat potiùs, quàm occidat. 39. Instantia satisfit. Delugo.

40. Alia responsio.

Aliter respondet Delugo disp. citata num. 132. & sequentibus: Christum habuisse impotentiam moralem ad eligendum opus minùs perfectum: sed tamen habuisse potentiam physicam. Nomine autem potentiæ physicæ intelligit eam potentiam, quæ ratione difficultatis annexæ nunquam reducetur ad actum, sed tamen sufficit ad libertatem simpliciter. Qualis potentia datur ad vitandum omnia venialia collectiuè cum auxiliis ordinariis, licet nunquam vitentur propter defectum potentiæ moralis. Hanc potentiam physicam fuisse in Christo probat, quia alioqui non habuisset libertatem moralem sufficientem ad meritum & laudem in genere moris. Habuisse verò impotentiam moralem non eligendi optimum probat primò ex Ioan. 5. vers. 19. & cap. 6. & 8. vbi dicitur Christus non posse facere quidquam, nisi quæ Patrem viderit facientem: & facere semper voluntatem Patris, quæque sunt illi placita. 2. Quia nemo crederet Christum in aliqua occasione, in qua poterat feruentem actum elicere, elicuisse remissum. Ac si quis hoc credat, poterit sine nouo inconuenienti credere id frequenter accidisse: & per consequens, Christum remissè se gessisse in exercitio virtutum, quod est absurdum: cùm etiam de Beata Virgine piè credatur ipsam in omnibus virtutum occasionibus attigisse vltimum gradum perfectionis, quem tunc poterat attingere secun-

tium totam latitudinem habituum & auxilii præsentis. Tertiò, deniq; ratio à priori est, quia sanctitas Christi perfectissima, & visio eius beatifica, eum moraliter determinabat ad optimum & magis Deo placens.

41. Improbatur, & concluditur, nõ fuisse Christum necessitatum ad optimum operandi modum.

Sed contra: primò, Potentia solùm physica, cum impotentia morali ad singulos actus, parum differt ab impotentia physica, & parum habet æstimabilitatis ad laudem & meritum in genere moris. Parum enim laudabilis est qui facit id, ad quod non faciendum tantam habet difficultatem, vt moraliter tam superare non possit. Dico, *ad singulos actus*: Quia aliud est, ad collectionem plurimorum actuum, & longi temporis diuturnitatem: cuiusmodi est impotentia moralis vitandi venialia. Quare hæc responsio non parum detrahit Christi laudi & merito. Deinde, si Christus est moraliter necessitatus ad melius: non est ab illo sollicitè petendum, id quod melius est ipsum nobis dare. Hoc enim esset perinde ac petere sollicitè ab aliquo, vt faciat quod illi tam est difficile facere, vt sit moraliter impossibile: ita vt propter summam illam difficultatem nunquam faciat.

42. Præcluditur effugia contrariæ sententiæ.

Respondet Delugo num. 147. Christum posse moraliter eligere vnum è duobus æqualibus, & ad vnũ præ alio propter orationem inclinari. Verùm fideles non tantùm petunt sollicitè à Christo vnum è duobus æqualibus, sed etiam quæ meliora sunt, Deoque magis grata: & nos de illis loquimur. Propterea addit Delugo hæc à Christo peti vtiliter, quia per orationem fieri potest vt sit melius, & iam Christum necessitet moraliter, quod antea tale non erat: nempe quia melius est misereri pauperis sic petentis, vel quid simile. Et ad hoc, inquit, potissimum tendit oratio, vt adiungamus aliquod nouum motiuum, quo obiectum illud proponatur vt melius & amabilius. Sed contra: Nam fideles petunt à Christo non tantùm ea, quæ per orationem inæqualia seu meliora fiunt: sed etiam ea, quæ antecedenter ad orationem talia sunt. Vt, quòd regnum suum amplificet: atque à pluribus & meliùs cognoscatur & colatur. Deinde si melius est nos sic orare, & tale motiuum Christo proponere; Christus est necessitatus ad nos mouendos efficaciter vt oremus: si quidem est necessitatus ad melius. Quare non est quòd fideles de Christo sic orando sint solliciti.

43. Soluuntur eius argumenta.

Tertiò ad primum eius argumentum Respondeo, hanc impotentiam moralem non bene deduci ex locis Scripturæ citatis. Nam verba illa Christi Ioan. 5. ver. 19. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: hunc habent sensum, vt rectè exponit Toletus in eundem locum: Filius quà Deus, nihil potest facere nisi per eandem potentiam & scientiam, (æquè ac voluntatem) cum Patre, ab ipso acceptam. Nam particula, nisi, non est ibi sumenda exceptiuè, sed aduersatiuè. Ac si dicas: non potest facere Filius à se quidquam, sed quòd viderit Patrem facientem. Id est, facit semper quod videt Patrem facientem, per potestatem à Patre acceptam, & non à se. Ibique speciatim sermo est de miraculis, ex occasione cæci nati à Christo illuminati. Adde, Deum non semper facere meliora, neque ad hoc necessitari moraliter, vt dicam paulò post. Alia duo loca minùs vrgent. Christus enim faciebat semper voluntatem Patris, & quæ erant ei placita, dummodo Deus vellet, & Deo placeret, ipsum operari vt operabatur; quamuis non semper optimum eligeret, vel aliquid aliud quod magis Deo placuisset.

Tolet.

Ad secundum Respondeo, posse tutò credi Christum ac Beatam Virginem non semper toto conatu potentiæ operatos esse. Quòd si piè creditur contrarium: non debet credi ex morali necessitate factum esse, sed ex maiori perfectionis studio, & virtutis amore: propter quod sancti eximii solent intensiùs, & quàm optimè possunt moraliter, operari. Aliud autem est, interdum & rarò remissiùs quàm possis operari: & aliud, frequenter & ordinariè. Istud Christum non deceret in virtutum operibus. Aliud verò non dedecet. 44.

Ad tertium Respondeo, sanctitatem Dei, & visionem quâ seipsum comprehendit, esse longè perfectiorem sanctitate & visione beatifica animæ Christi. Neque tamen illa Deum necessitat moraliter ad eligendum optimum, vt fatetur Delugo disput. 2. sect. 1. & disput. 26. sect. 11. num. 145. Ergo sanctitas & visio beatifica animæ Christi non eum moraliter determinat, seu necessitat, ad optimum & magis Deo placens. Respondet auctor citatus differentiam esse, quia actus diuini non sunt moraliter meliores pro maiori bonitate obiecti: sed quicumque actus moralis Dei habet infinitam perfectionem moralem, propter identitatem cum infinita honestate diuina. Ideoque Deus eligens obiectum minùs perfectum, non habet imperfectionem moralem, quia non caret aliqua maiori perfectione, quam posset habere eligendo obiectum perfectius. Secus verò humanitas Christi, cuius actus accipiunt inæqualem perfectionem moralem ex obiecti inæqualitate. Quam differentiam quoad priorem eius partem fusiùs exponit Delugo disput. 2. num. 63. & sequentibus. Vbi docet, Deum non minùs perfectè moraliter operari quando minus eligit: quia, inquit, omnes Dei volitiones, & cognitiones, ac denique omnes perfectiones tam necessariæ, quàm contingentes & liberæ, sunt æqualis perfectionis, eò quòd virtualiter qualibet continet omnes alias: quatenus quia diuina est, est necessariò identificabilis cum illis. Sed hæc opinio fuit à nobis sufficienter refutata disput. 2. sect. 3. Addimus tantùm in præsenti, quòd si omnes 45.

Delugo.

actus Dei liberi essent æquales, Deus non esset laudabilis, eò quòd hunc potiùs quàm illû exerceret: aut quòd ageret potiùs, quàm non ageret. Pura enim omissio libera, si dari potest in Deo, debet iuxta hanc sententiam esse æqualis perfectionis moraliter actioni oppositæ: alioqui Deus agens, putà creans mundum, aut incarnans Verbum, esset perfectior moraliter, quàm non agens, quod Delugo ibidem negat. Probo antecedens: quia non est specialiter laudabile facere vnum præ alio prorsus æquali. Illa enim electio non est considerabilis in genere moris, vt suprà ostendimus.

47. Respondet Delugo num. 149. Licet Deus non sit indifferens ad actus inæquales: est tamen indifferens ad obiecta inæqualia. Et ideo eligendo obiectum melius, operatur laudabiliter. Sed contra: primò, Non laudatur specialiter in genere moris obiectum, sed actus bonus & moralis, ratione suæ formalis bonitatis. Ergo si illa non crescit ex obiecto respectu Dei, vt ait auctor citatus; actus non est magis laudabilis: & electio vnius actus præ alio non est laude digna. Secundò, si excessus obiecti melioris imputatur Deo ad laudem, nonobstante æquali perfectione actus: defectus obiecti minùs boni, cùm à Deo eligitur, debebit illi imputari ad defectum perfectionis moralis. Si enim est magis laudabile eligere obiectum magis bonum, est minùs laudabile eligere obiectum minùs bonum.

Vera solutio. His ergo reiectis concludendum est, non esse verum antecedens obiectionis suprà propositæ: Christum scilicet fuisse antecedenter necessitatum, & prædeterminatum, siue physicè, siue moraliter, ad optimum modum operandi. Ad cuius probationem Respondeo, imperfectionem positiuam aut priuatiuam repugnare quidem perfectissimæ sanctitati morali: at non negatiuam tantùm, id est, negationem alicuius perfectionis formaliter sumptæ, putà alicuius operationis perfectioris, quàm posses habere, sed non debes, neque teneris habere: ideoque potes illâ carere sine morali imperfectione. Quod præcipuè locum habet in Christo, & in Deo qui continet eminenter perfectissimè in natura diuina quicquid est perfectionis in actibus quibuscumque liberis quos exercere posset.

48. Tertia obiectio. Obiicitur tertiò, Si fuit in Christo omnimoda necessitas quoad substantiam præcepti, & solùm indifferentia quoad circumstantias: non erit tribuendum Christo ad laudem & meritum, quòd mortuus fuerit simpliciter & absolutè, nec pro eo gratiæ erunt illi agendæ, neque dicendum quòd redemerit homines quia mortuus, sed quia vel libentiùs, vel ex tali motiuo mortuus fuerit, vel cum alia simili circunstantia, quam non vrgebat necessitas omnimoda, cum impotentia ad oppositum. Consequens autem est contra Scripturam, Philipp. 2. vers. 8. Isaiæ 53. vers. 10. & alibi sæpius.

Respondeo, hoc argumentum non habere vim contra nos, qui fatemur non modò circunstantias, sed & substantiam mortis Christi liberam fuisse: quatenus potuit obtinere à Deo dispensationem præcepti, si voluisset. Quam sententiam diu ante amplexus eram, quàm in manus meas veniret tractatus de Incarnatione non ita pridem in lucem editus ab erudito quodam recentiore qui eandem docet, fusiusque exponit disp. 36. num. 102. Sed non probo, quòd ad saluandam integram libertatem circa substantiam mortis, recurrit ad diuersa instantia temporis, quasi necessaria. Quia non putat eodem instanti potuisse esse præceptum mortis, & negationem acceptationis. Censeo enim, eodem instanti quo præceptum fuit Christo impositum & intimatum, potuisse ipsum petere dispensationem, seu potiùs virtutem eius ligare, quæ erat tacitè vel expressè conditionata, non obligandi scilicet, si Christus peteret dispensationem, aut non acceptaret: cuius petitionis aut dissensus vis fuisset fortior, quàm præcepti, secundum Dei ordinationem, & modum præcipiendi. Quemadmodum enim in nobis, vel in Angelis, potest eodem instanti temporis esse vocatio diuina, & liber consensus vel dissensus: sic eodem instanti potuit esse intimatio præcepti diuini conditionati, & dissensus Christi, vel petitio & impedimentum ne absolutum esset. 49. Quomodo mors fuit Christo libera.

Similiter non probo quod ait num. 117. Christum eo instanti, quo voluit mori, habuisse quidem obligationem moriendi, sed non necessitatem: quia necessitas est ita se habere in actu primo, vt non possit oppositum. Christus autem tunc quando voluit mori, ita se habebat in actu primo, vt posset non velle mori tunc, nec postea: Quia poterat non velle tunc: & postea poterat petere dispensationem infallibiliter obtinendam. Ergo tunc nullam habebat necessitatem moriendi. Obligatio enim moriendi, eò quòd non esset obligatio ad illud instans, non afferebat secum necessitatem moriendi. Sed contra: primò, Necessariò coincidunt obligatio & necessitas, non modò moralis, sed etiam physica, in eo qui absolutè non potest agere contra obligationem. Illum enim obligatio necessitat, quia tollit illi potentiam physicam ad oppositum. Et tantùm ac tandiu se extendit necessitas, quantùm & quandiu obligatio: ita vt vnâ positâ vel sublatâ, alia quoque ponatur vel tollatur. Secundò, ad minorem Respondeo, Sicut Christus tunc quando voluit mori, ita se habebat in actu primo, vt posset non velle mori tunc, nec postea; petendo & obtinendo dispensationem: sic 50. Refutatur aliorum placita.

sic etiam ita se habebat in actu primo, vt non esset obligatus pro tunc, neque postea, petendo & obtinendo dispensationem. Et vice versa, sicut erat obligatio moriendi postea, non petita neque obtenta dispensatione: erat etiam necessitas moriendi: quia erat necessitas obediendi præcepto obliganti & vigenti, id est, necessitas non peccandi.

51. Multò minùs placet quod aliqui recentiores respondent, mortem quoad substantiam fuisse Christo liberam: quia fuit illi libera secundum diuinitatem. Nam Christus, vt Deus, non habebat præceptum cuius est incapax: & absolutè poterat impedire ne moreretur. Atque hoc aiunt sufficere, vt mors illa, etiam quoad substantiam, fuerit laudabilis in genere moris, atque meritoria. Sed falluntur. Quia Christus vt Deus, seu per diuinam voluntatem, non merebatur. Neque coniunctio voluntatis diuinæ in eodem supposito cum voluntate humanâ, sufficit vt istius actus necessarii, sint liberi & meritorii atque laudabiles in genere moris: non magis quàm in eo casu, quo Verbum bruto vniretur, aut naturæ inanimatæ, eius actus essent propterea liberi & meritorii. Nimirum quia aliud est, esse quidpiam liberè à Deo; & esse liberè ab humana voluntate, de qua in præsenti quæstione sermo est, non de diuina. Nullus autem actus est illi liber, nisi is qui sic ab illa procedit, vt ipsa antecedenter sit indifferens, & vi sua se determinet: adeo vt positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit ipsa agere & non agere pro libito.

52. Non satisfacit etiam obiectioni supra propositæ quod aliqui respondent, sufficere libertatem quoad circumstantias vt mors dici possit simpliciter libera & laudabilis quoad substantiam. Quia Martyres, inquiunt, dicuntur simpliciter liberè mori, eò quòd mortem sponte à persecutoribus admittunt hîc & nunc: quamuis alio tempore, & forte proximè imminenti (vt si quis in ægritudine mortali pro fide occidatur) mori necessariò debuissent. Respondeo enim, propriè loquendo, mortem non fuisse liberam Martyribus quoad substantiam, sed quoad occisionem quam poterant vitare, negando fidem si voluissent. Poterant etiam velle mori pro fide, quamuis alioqui immortales futuri fuissent, & nunquam morte naturali defungendi: exercendo scilicet huiusmodi actum voluntatis; Vellem mori nunc pro fide, quamuis in mea potestate esset nunquam mori. Sed neque hoc sufficit vt mors quoad substantiam dicatur fuisse illis simpliciter & absolutè libera. Christo autem non solùm mors, sed etiam mors crucis, id est, occisio & passio fuit necessaria ex præcepto, iuxta illud Philipp. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Et Ioan. 18. vers. 11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Quod Chrysostomus & alii communiter interpretantur de calice passionis Christo dato, sub præcepto.

Instabis, quia nostra responsio data obiectioni propositæ num. 48. non potest locum habere in præceptis naturalibus indispensabilibus. Ergo Christus circa illa non fuit liber quoad substantiam præcepti. Respondeo ita esse; idque nos iam antea affirmasse num. 27. vbi tacitè hanc obiectionem præoccupauimus. Neque contrarium asseritur in Scriptura, vel à Sanctis Patribus, vt de morte asseritur, de qua etiam maior fuit ratio, cùm fuerit causa præcipua redemptionis, & opus Christo difficillimum. Circa illa verò præcepta naturalia sufficiebat Christum esse liberum quoad circunstantias multitudinis actuum, durationis, intensionis, motiuorum, & similes. 53.

SECTIO VI.

De merito Christi: ac primùm per quos actus, & quando, & quamdiu meruerit?

Christum reipsa meruisse apud Deum citra controuersiam est. Scriptura enim sæpius id affirmat, Isaiæ 53. *Pro eo quòd laborauit anima eius*, &c. Rom. 5. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Philipp. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Hebr. 5. *Consummatus*, per passionem & mortem, *factus est omnibus sibi obtemperantibus causa salutis æternæ.* Propter quæ & similia Scripturæ loca, Trident. sess. 6. cap. 7. meritò definit, Christum esse causam meritoriam nostræ iustificationis. 54. Christus meruit apud Deum.

Et verò conditiones omnes, quæ ad merendum apud Deum requiruntur, Christo certissimè conueniunt. Sũt autem illæ septem omnino, iuxta eorum sententiam qui plures exigunt ad meritum de condigno, id est, meritum perfectum & propriè dictum. Quarum conditionum quatuor requiruntur ex parte operis: duæ ex parte personæ operantis: vna ex parte Dei apud quem meretur. Ex parte operis requiritur vt sit liberum, id est, non necessariò factum: bonum moraliter: factum ex charitate erga Deum: & condignum, id est, æqualis valoris cum mercede. Ex parte personæ operantis requiritur vt operans sit viator, & Deo gratus. Ex parte Dei denique requiritur promissio mercedis, sine qua Deus non obligaretur ex iustitia ad mercedem retribuendam, ac proinde non esset meritum ex iustitia. Opera enim de se non inducunt talem obligationem apud Deum supremum omnium Dominum, qui nihil cuiquam debet nisi se ipse liberè 55. Conditiones ad merendum requisitæ.

debitorem constituerit. Vt patet ex eo quòd opera libera charitatis quæ nunc fiunt à Christo & à Beatis, vel ab animabus quæ expiantur in Purgatorio, non sunt minùs bona, neque minoris valoris, quantum est ex se, quàm ea quæ ab iisdem fiebant in hac vita mortali: Et tamen non sunt merita de condigno, obligantia Deum ex iustitia: defectu nimirum promissionis, quæ si accederet, obligarent sine dubio. Conditio enim Viatoris, quæ adhuc illis deest, ideo solùm requiritur, quia promissio non est facta nisi viatoribus, & pro statu viæ, seu vitæ huius mortalis, quæ est via & tendentia ad beatitudinem. Quin etiam inter homines, ille qui laborat pro alio, non meretur ex iustitia nisi pactum expressum vel tacitum intercedat. Imò si opus aliquod alteri factum, non affert illi commoditatem vllam & vtilitatem considerabilem, quam ipse vellet & deberet prudenter aliquâ impensa sibi comparare, non est illi beneficium, sed superuacaneum: neque illum obligat per se, ne quidem ex honestate. Talia verò sunt nostra, & creaturarum omnium, etiam Christi ipsius, opera Deo facta; qui nullo indiget. Ac proinde si propter illa nihil retribueret, non faceret contra honestatem. Adde, quòd Deus posset illa omnia exigere titulo gratitudinis: satisque esset quòd ea acceptaret, & sibi grata esse ostenderet. Secus est inter homines, qui multorum egeni sunt, aliique aliis indigent: & non tantum sibi mutuò debent, quantum Deo: nec tantæ sunt dignitatis & maiestatis, quantæ est Deus. Vnde debent ex honestate recognoscere beneficia sibi ab aliis collata: quamuis pactum iustitiæ non intercesserit.

56. *Illæ omnes reperiuntur in operibus Christi.*

Iam verò nullam ex his conditionibus defuisse plurimis Christi operibus manifestum est. Fuerunt enim plurima eius opera libera, & bona moraliter, ex præstantissimo affectu charitatis, & valoris infiniti propter vnionem hypostaticam: Christus etiam fuit viator, & tendens ad gloriam corporis, perfectamque beatitudinem consequendam post mortem: quamuis non fuerit purus viator, sed ex parte comprehensor, & beatus Dei visione ac fruitione excellentissima. Fuit etiam Deo gratus, tum per gratiam habitualem sanctificantem, tum & multò magis per vnionem hypostaticam. Dei verò promissio habetur Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam*, &c.

Hoc præsupposito, tria sunt de quibus est inter Theologos controuersia. 1. Per quos actus meruerit? 2. Quando, & quandiu? 3. Quid, & quibus?

57. *Christus non meruit per amoré beatificum, sed per alium inferiorem.*

Circa primum, Dico primò Christum non meruisse per amorem beatificum, sed per alium inferiorem & liberum, & per aliarum virtutum opera, saltem ex amore Dei liberè facta. Prima pars probatur, quia amor beatificus non est liber. Ergo deest illi prima conditio requisita ad meritum.

Secunda pars est contra Vasquem disp. 74. cap. 3. Alensem, Bonauenturam, Scotum, & alios affirmantes Christum non habuisse vllum actum amoris Dei liberum, neque per illum meruisse. Sed falluntur omnino, quia præter amoré beatificum, necessarium & inuariabilé, Christus liberè exercuit multos alios actus amoris erga Deum, circa obiecta non necessaria, & cum beatitudine non necessariò connexa: quemadmodum Deus vltra amoré, quo se amat essentialiter, habet amorem sui liberum circa infinita: vt circa sui communicationem & gloriam suam in mundi creatione, in peccatorum conuersione, in patrandis miraculis, in omnibus denique suis operibus, tam naturalibus, quàm supernaturalibus, quæ omnia propter semetipsum operatur, vt dicitur Prouerb. 16. Quemadmodum etiam Beati, licet Deum necessariò ament, prout est obiectum ad essentialem beatitudinem pertinens: nõ tamen amãt necessariò omni actu, aut omni modo & ratione obiectiua possibili charitati, sed liberè volunt Deum hunc aut illũ iuuare suis precibus, impetrare alicui sanitatem aut conuersionem, gaudere propter Deum de peccatoris alicuius salute, & similia opera charitatis non necessaria ad statum Beatitudinis. Sic ergo Christus, quamuis perpetuò ac necessariò versaretur in amore beatifico: liber tamen erat ad Deum multis aliis modis amandũ in procuranda hominum salute, in amplificãda eius gloria apud homines, & similibus obiectis cum amore beatifico non necessariò cõnexis. Nec quidquam Vasques opponit in contrarium quod sit magni momenti. *Vasquez*

Potuit autem hic amor liber oriri ex cognitione inferiori visione beatifica: ita vt sicut multiplex fuit Dei cognitio in Christo: multiplex quoque fuerit amor proportionatus illis cognitionibus. Potuit etiam oriri ex ipsa visione beatifica, quæ non determinat ad amandum necessariò quidquid repræsentat. Vt neque Dei ipsius actus, quo seipsum cognoscit, determinat ipsum ad amandum necessariò propter se, quidquid in se cognoscit, & ad illud volendum efficaciter. Quanquam, quia visio beatifica non pertinebat ad Christum vt viatorem, existimo Christum esse potius vsum ad merita, quę ab illo vt viatore exercebantur, alia inferiori cognitione viatoris propria. 58.

59. *Meruit etiam per alios actus.*

Vltra hos actus liberos charitatis erga Deum, habuit Christus actus charitatis erga proximum, religionis, obedientiæ, iustitiæ, fortitudinis, aliarumque virtutũ infusarum, & naturalium. Quos fuisse quoque meritorios, saltem quando exercebantur ex affectu vel imperio charitatis supernaturalis erga Deũ, dubitari non debet. Si enim omnes huiusmodi actus sunt in iustis meritorii, vt suppono ex disp. de Merito: multò magis in Christo, de quo etiam dubitari nequit perfectissimè ex affectu charitatis eximiæ erga Deum, operatum esse frequentissimè

huiusmodi virtutum opera. Ex quo affectu etiam morti fortiter se obtulit, & præceptum moriendi impleuit, iuxta illud Ioan. 14. vers. vltimo. *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Sed quamuis non fuissent eliciti ex imperio charitatis; habebant ratione vnionis hypostaticæ sufficientem dignitatem moralem ad merendum condignè. In quo differunt à similibus actibus iustorum: qui actus quoniam longè distant à perfectione charitatis seu gratiæ, quæ est merces; neque aliunde dignificantur tantopere: censentur à non paucis, quos in disput. de Merito secuti sumus, non esse meritorii de condigno, nisi fiant ex imperio charitatis erga Deum: accedente verò charitatis imperio, habere huiusmodi actus iustorum, etiam eos qui sunt purè naturales quoad substantiam, sufficientem supernaturalitatem, & proportionem cum præmio supernaturali, quatenus constituunt vnum moraliter cum actu charitatis supernaturali à quo imperantur. Probabilius tamen mihi videtur debuisse ipsa quoque opera Christi, vt apud Deum mererentur, referri aliquo modo ad Deum, & fieri in eius gratiam vel obsequium, atque exerceri vt aliquo modo ad Deum pertinentia: siue id fieret singulis actibus: siue per aliquem superiorem & generalem, quo omnes alii Deo offerrentur, & ad ipsum referrentur, vt in ipsius bonum aliquo modo exercendi.

60. **Singula Christi merita fuerūt per se infiniti valoris.**

Dico secundò, Singula Christi opera meritoria fuisse per se infiniti valoris: non fuisse tamen perfectè & efficaciter meritoria redemptionis nostræ, & exaltationis ipsius Christi, nisi quatenus fuerunt per mortem consummata: non defectu valoris de se sufficientis; sed quia promissio diuina, à qua pendet ius & efficacia meriti, fuerat de præmio non aliter ipsi retribuendo, quàm vt consummanti per mortem voluntariam cætera sua merita. Prima pars patet, ex eo quòd dignitas personæ operantis, siue vnionis hypostaticæ, conferebat infinitum valorem moralem singulis eius operibus meritoriis & satisfactoriis. Secunda probatur ex Scriptura Isaiæ 53. *Si posuerit in morte animam suam, videbit semen longæuum*, &c. Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Sin autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Luc. 24. *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Philipp. 2. *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Hebr. 9. vers. 22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Et vers. 15. *Ideo noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Quibus & similibus locis significatur, Christum non consummasse meritum nostræ redemptionis, & glorificationis corporis, & nominis sui, nisi per mortem. Quam ob causam morti proximus dixit, *Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum*, Ioan. 19.

61. **Non omnia ependerunt à morte consummante.**

Non tamen omnia Christi merita pependerunt à morte consummante, quoad omnia præmia ipsis proposita, vt Vasq. & alii multi existimant. Nam merita, quibus Angeli, & primi parentes ante peccatum, fuerunt sanctificati, non pependerunt à morte, quæ pro illo instanti rationis non fuerat præuisa, neque decreta. Mors enim Christi, æquè ac aliorum hominum, non fuit decreta, nisi post præuisum peccatum primi parentis, ad satisfaciendum pro illo. Idemque dico de aliis Christi pœnis & satisfactionibus, vt talibus. Præuisio autem peccati fuit ratione posterior sanctificatione primorum parentum, quam in sua creatione adepti erant, & à qua per peccatum exciderunt inuidia Diaboli, qui similiter priùs quàm peccaret, sanctificatus fuerat, & ad gloriam vocatus, independenter à præuisione peccati primi parentis, ac proinde independenter à morte Christi. Quare gratia data primis parentibus & Angelis, non fuit ex præuisione meriti fundati in morte Christi, sed fundati absolutè in charitate, & aliis bonis Christi operibus à morte independentibus.

62. **Occurritur obiectioni.**

Nec obest illud Isaiæ 53. *Si posuerit in morte animam suam*, &c. Vbi videtur generaliter loqui de omni fructu & præmio meritorum Christi: vel illud Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*: quasi Christus neminem fuerit iustificaturus, & adoptaturus in fratres, nisi mortem subiisset: adeoque neque Angelos, neque primos parentes in statu innocentiæ. Respondeo enim Isaiam loqui specialiter de redemptione peccatorum, vt patet ex contextu. Ait enim paulò superiùs vers. 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et Deinceps vsque ad locum citatum de peccatoribus loqui pergit. Ioan. verò 12. Christus tantùm intendit significare vim & necessitatem mortis suæ ad peccatores viuificandos: & se alioqui fuisse mansurum sine fructu redemptionis, ac sine multitudine redemptorum, qui per ipsius mortem de terra & sepulchro peccati emerserunt. Quemadmodum granum frumenti, nisi moriatur, manet solum, id est, sine multitudine granorum, ex ipso veluti mortuo, & in spicam renascente prodeuntium.

63. **Christus meruit à primo instanti conceptionis vsque ad mortem.**

Dico tertio, Christum meruisse ipso primo instanti suæ conceptionis, & continuò deinceps vsque ad instans mortis exclusiuè. Prima pars est communis Theologorum cum D. Thom. quæst. 34. art. tertio, & Magistro in tertio dist. 18. contra Durandum ibidem quæstione secunda,

& Bonauenturam art. 1. quæst. 1. quorum prior probabile censet, Christum nec primo instanti conceptionis, nec totâ infantiâ meruisse, quia, vt ipse putat, carebat vsu rationis, propter indispositionem organorum. Posterior censet probabilius meruisse tantùm immediatè post primum instans conceptionis: quia operatio debet sequi esse substantiæ: idcóque necesse fuit animâ Christi priùs esse quàm agere: præsertim eo actionis genere, quod spectat ad vsum virtutis deliberatiuę, cuiusmodi est actus meritorius. Nimirum quia, vt quidam alii addunt, libertas respicit tempus futurum, & non potest exerceri primo instanti quo res est, ita vt actus secundus sit simul cum potentia libera: alioqui potentia esset determinata simul & indeterminata. Sed hi omnes perspicuè falluntur. Cùm enim Christus ab instanti conceptionis Deû viderit, & amauerit perfectissimè, habuit sine dubio vsum rationis. Habuit etiã ab eodem instanti scientiam per se infusam, eiusq e vsum qui non pendebat ab vsu organorum & phantasmatum. Cognouit autem per vtramque scientiam illo instanti Deû vt authorem sui esse, Deique voluntatem circa hominum redemptionẽ, & alia à se præstanda, itemque homines & Angelos esse sibi vt capiti subiectos. Quidni ergo potuit Deo tűc gratias agere, eiq; ad hominû salutem se offerre? Quod reipsa fecisse significat Apostolus Hebr. 10. cùm de Christo sic ait, *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationẽ noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi, Ecce venio: vt faciam Deus voluntatem tuam.*

64. Causa libera potest operari cùm primùm est. Confirmatur, Quia quo instanti habet voluntas omnia ad liberè operandû requisita, potest liberè operari, cum sola prioritate naturę vel rationis inter potentiam & actum: qualis est in actibus Dei liberis, qui sunt æterni, æquè ac ipsa voluntas. Ergo si Christus habuit eo instanti omnia necessaria ad liberè operandum & merendum, debet censeri meruisse: quia id perfectius est, & non est dubitandum quin Christus perfectissimè se gesserit. Confirmatur 2. Quia causa libera non minùs est potens ad agendum, positis omnibus requisitis ad agendû, quàm causa necessaria. Atqui causa necessaria potest agere, & agit reipsa primo instanti quo est, si tunc habet omnia prærequisita, ita vt sit tantùm naturæ prioritas inter causam & effectum, quæ nihil est aliud quàm dependentia vnius ab alio: v.g. inter solem & lumen: Ergo causa libera potest agere, & agit reipsa si vult, primo instãti quo est, si tunc habet omnia ad agendum prærequisita. Cõfirmatur 3. Quia iuxta communem sententiam Theol. Angeli & primi parentes primo instanti suę creationis fuerût à Deo sanctificati, mediante libero vsu & cõuersione voluntatis suæ in Deû. Estque valde conueniens, vt vnusquisque cùm primùm potest, & aduertit, conuertat se ad Deum, velut ad finem suum vltimum. Imò D. Thom. id sub peccato mortali necessarium esse putat, adeo vt infantes mortaliter peccent nisi in primo rationis diluculo actum conuersionis & amoris erga Deum, vt finem suum vltimum, exerceant. Quod licet communiter non admittatur, negari tamen nequit, quin decentissimum sit ad Deum se conuertere, cùm primùm de eo cogitatur. At Christus primo illo instanti de Deo cogitauit: ergo, &c. Ad rationem verò Alensis & Bonauent. Respondeo, voluntatem non esse simul determinatam & indeterminatam: sed esse determinatam vi sua, ex potestate de se indifferenti, id est, quæ loco huius actus potest ponere oppositum, vel ab eo abstinere: vt patet in Dei voluntate respectu actuum eius liberorum.

Secunda pars conclusionis intelligenda est, non quòd Christus eundem semper actum meritorium continuauerit, id enim neque constat, neque necessarium fuit: sed quòd aliquem semper, modò hunc, modò illum, totâ vitâ habuerit. Cùm enim visio beatifica, & vsus scientiæ per se infusæ, neque illum fatigaret, neque penderet à phantasmate: non interrumpebatur per somnum, neque per alias necessitates corporis, sed per vtramque Christus versabatur semper in cognitione Dei, & occasionum merendi. Ergo secundum voluntatem erat quoque semper in aliquo affectu meritorio. Id enim multò perfectius est, & de Christo iure præsumitur: quippe qui vitam egit excellentissimam virtutû exercitio. 65.

Tertia pars conclusionis, quòd Christus meruerit vsque ad instans mortis exclusiuè, & non ampliùs, probatur: quia tempus merendi à Deo cõstitutum, est tempus huius vitæ mortalis, vt patet ex pluribus Scripturæ locis relatis alibi in disput. de Merito. Quod de se quoque affirmat Christus Ioan. 9. cùm sic ait: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari.* Vbi secundum communem interpretationem, nomine diei & noctis, vitam & mortem intelligit: & per opera, intelligit ea quę meritoriè fiunt. Confirmatur, quia mors fuit consummatio meritorum Christi, vt sępius docet Apostolus Hebr. 2. *Decebat eum qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.* Et cap. 5. *Consummatus* (per passionem) *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Et cap. 10. *Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Nec vnquam à die passionis dicitur in Scriptura nos redimere, satisfacere, aut mereri pro nobis: sed nos redemisse, nos lauisse à peccatis nostris. Apocal. 1. & 7. aliisque locis. 66. Christus non meruit in ipso instanti mortis, neque post.

Nec obest, quòd Christus in cœlo pro nobis oret. Non enim orat, vt de nouo mereatur, sed vt nobis applicentur eius merita, quæ Patri repræsentat, ac voluntatem suam vt nobis prosint: quemadmodum neque alii Beati merentur, cùm pro nobis orant. Ac licet Christus semper exauditur, quoties orat efficaciter; non est ta- 67. Respondetur variis obiectionibus.

men ei promissa impetratio tanquam merces orationis, sed tanquam merces meritorum præcedentium.

Dices, Impetrationem ipsam esse meritum, iuxta illud Augustini Epist. 105. *Sed neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.*

August. Respondeo, Augustinum non ibi loqui strictè de impetratione prout præcise est effectus orationis, qua ratione non est meritum: sed latè de impetratione, id est, obtentione seu assequutione quæ prouenit ex actu fidei non petente, sed merente. Et idem est de aliis similibus virtutum actibus. Vel etiam Augustinus loquitur ibi de merito congruo; nos autem loquimur in præsens de merito condigno, & ex iustitia.

68. Instantia bimembris. Instabis, Quia Christus per mortẽ suam nos redemit, suaque merita consummauit. Ergo saltem in ipsa morte meruit. Item per lateris effossionem meruit nobis vim & efficaciam sacramentorũ & munditiem ac salutem animæ, vt Ambros. August. aliique Patres significant. Tertiò, *Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*: ad Rom. 4. Ergò per resurrectionem meruit nobis iustificationem.

Ad primum Respondeo cum D. Thom. quæst. 50. art. 6. ad primum, Christum nos redemisse per mortem, vt est in fieri, non vt est in facto esse id est, meruisse toto eo tempore, quo tormenta passus est: non autem eo instanti, quo anima desiit esse vnita corpori. Tunc enim sicut vita non fuit, ita neque meritum. Falluntur que si qui putant, animam Christi & aliorũ iustorum mereri in instanti mortis, tanquam in termino viæ. Nam illud instans est extrinsecum vitæ ac viæ, cùm homo non sit eo instanti quo moritur & desinit esse: quia desitio terminatur ad non esse; sicut generatio, & inceptio terminatur ad esse. Eodem autem instanti tẽporis quo est actio, est necessariò illius terminus. Sicut ergo eo instanti non est amplius vita seu via; ita neque meritum.

69. Repellitur. Ad secundum Respondeo, Effossionem illam nõ fuisse meritoriã nisi in acceptatione, quatenus Christus ante mortem acceptauit hanc iniuriam corpori suo inferendam: & eatenus etiam valuit ad efficaciam sacramẽtorum, & ad munditiam atq; salutem nostram. Cùm autem dicunt Patres ex latere effosso exiisse Sacramenta: intelligunt, figuratiuè: quia sanguis & aqua, quæ inde exierunt, repræsentant Eucharistiam & Baptismum, quæ sunt præcipua Sacramenta Ecclesiæ.

Ad tertium Respondeo, Christum resurrexisse propter nostram iustificationem, non vt per resurrectionẽ illã nobis mereretur: sed vt posset nobis applicari eius meritũ, per fidem nostram in ipsum. Quia si Christus non resurrexisset, vana & inanis existimata fuisset eius prędicatio, vt dicitur primę Corinth. 15. Imò & falsa, quia Christus falsò resurrecturum se prædixisset. Vel etiam resurrexit propter nostram iustificationem repręsentatiuè, id est, vt eius resurrectio repræsentaret nostram resurrectionem à peccato.

SECTIO VII.

Quid Christus sibi meruerit?

Respõdeo, Christum non sibi meruisse vnionem hypostaticam: neque, vt probabilius est, gratiam & gloriam animæ, aliaque dona ipsi infusa: sed tantùm gloriam corporis, & sui nominis exaltationem. Prima pars de vnione hypostatica, explicata iam fuit disp. 4. sect. 3. Secunda pars de gratia & gloria, aliisque donis ipsius animæ infusis, probatur, quia hæc est cõmunior Theologorum sententia, vt videre est apud Suar. disp. 41. sect. 2. & Vasquem disp. 78. cap. 2. contra Albertum, Altisiodor. alios que paucos, nulli grauiori fundamento nixos. Deinde quia cõuenientius fuisse videtur Christi maiestati, & dignitati vnionis hypostaticæ, vt Christus ea omnia in primo instanti cõceptionis sibi infusa acceperit, independenter ab omni merito, veluti proprietates cõnaturaliter debitas eidem vnioni. Id enim eius dignitas conuenienter postulat, & salutis nostræ remedium non aliud exigebat, neque Scriptura vñquam significat Christũ hæc meruisse. In quo discrimen est inter huiusmodi dona, & gloriam corporis, ac nominis Christi exaltationem. Nam salus nostra exigebat, vt veniret passibilis & humilis: & Scriptura docet apertè Christum hæc duo meruisse, Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediẽs vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Vbi nota particulam causalem, *Propter quod*. Et Hebr. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*. Et Apoc. 5. *Dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatem*, &c. id est, agnosci ab omnibus, & coli vt Deus, quia occisus est. Ex quibus & similibus Scripturæ locis indubitata apud Catholicos esse debet tertia pars responsi supra dati.

70. Christus sibi meruit gloriam corporis, & nominis exaltationem. Suar. Vasq.

Contra secundam partem sentiunt Altisiodor. Albert. Mayronis, Rubio, Maior, & Bassol. locis à Vasque relatis sup. c. 1. affirmantes Christũ sibi meruisse gratiam & gloriam. Fundamentũ pręcipuum illorũ est, quia potuit eam mereri. Si autem potuit mereri, conuenientius est vt meruerit: quia id perfectius est: & Scriptura id significat Psal. 44. cùm de Christo sic ait: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, (id est, lætitiã te perfudit, beatifica scilicet) *præ consortibus tuis*. Respondent aliqui negando maiorem, sed immeritò. Licet enim hæc primo instanti conceptionis fuerint Christo infusa: potuerunt tamen infundi dependenter ab actu Christi libero, naturâ tantùm priori. Nam Christus eo instanti liber fuit, & liberè operatus est, & quamuis, vt pro-

71. Non meruit sibi gratiam & gloriam, potuit tamẽ mereri.

babilius existimo, operatus sit ex habitu naturâ priùs infuso, quia hic modus operandi est magis Christo connaturalis: potuit tamen operari naturâ priùs infusione habitus, concurrente Dei auxilio speciali loco habitus, vt fit in actu contritionis elicito à peccatore: tum naturâ posteriùs accipere habitum vi illius actus: sicut peccator, qui conteritur, accipit eodem instanti gratiam dependenter à contritione, velut dispositione: & iustus, quando meretur augmentum gratiæ, accipit eodem instanti augmentum quod meretur. Causa enim & effectus, dispositio & forma, meritum & merces, possunt esse eodem instanti, cum solo ordine naturæ, seu dependentiæ vnius ab alio. Deinde, licet priùs tempore accepisset habitus, quàm esset operatus; potuisset tamen eos mereri per actus subsequentes: sicut meruit antiquis Patribus gratiam priùs illis collatam per modum anticipatæ solutionis.

72. Refutatur opinio contraria. Neque obiicias, principium meriti non cadere sub meritum. Quia illi habitus non sunt principium necessarium talium meritorum, quibus sufficeret vnio hypostatica ad dignificandam personam, & Dei auxilium speciale ad operandum, & merendum etiam simpliciter & omnino huiusmodi habitus. Neq; item obiicias, habitus illos fuisse aliunde debitos connaturaliter vnioni hypostaticæ. Quia quod debetur aliũde, potest cadere sub meritum. Quemadmodum regnum filio Regis debitum iure hæreditario, potest ab eodem armis & merito acquiri: & prima gloria, secundum multos, cadit sub meritum, licet debeatur primæ gratiæ titulo hæreditatis: &, quod negari nequit, Christus meruit gloriam corporis; licet non minùs deberetur connaturaliter vnioni hypostaticæ, quàm gloria animæ. Nec obest, quòd gloria animæ fuerit data ab initio, non gloria corporis. Quia, vt ante ostendimus, meritum & merces possunt esse eodem instanti. Imò merces potest antecedere meritum. Et licet sit connaturalius vt sequatur: potest tamen aliqua de causa rationabili contrarium fieri. Non item repugnat actualis vsus libertatis circa multa obiecta, cum visione beatifica, vt in Beatis patet. Neque erat indecens, aut planè repugnans, Christum naturâ prius incipere ab aliqua cognitione imperfectiori; & per illam, atque per actum voluntatis ex ea liberè secutum, acquirere cognitionem beatificam.

73. Vasquez. Denique magni momenti non est quod ait Vasques disp. 78. cap. 3. opera bona Beatorum esse ex natura sua fructus Beatitudinis, neque posse à Deo veluti merita Beatitudinis reputari & compensari. Quidni enim possit Deus efficere, vt eodem instanti, quo beantur, opera aliqua, naturæ ordine, præeant gloriæ Beatitudinis, vt ipse alibi fatetur posse præire gratiæ: ac tùm eorum intuitu, naturâ post, beare? Non probo etiam quod ait Delugo disp. 27. num. 10. non potuisse Christum sine miraculo mereri gratiam & gloriam animæ, quia quilibet actus supernaturalis supponebat ex natura rei habitum infusum: & quilibet habitus infusus supponebat gratiam: gratia verò & habitus infusi, ac visio beata debebantur ex natura rei humanitati à Verbo assumptæ, quasi passiones connaturaliter debitæ vnioni hypostaticæ: hæc autem vnio data fuit humanitati antecedenter ad merita: quia licet de potentia absoluta potuerit operatio præcedere subsistentiam: tamen ex natura rei id fieri non poterat: Quia ex natura rei humanitas exigit subsistentiam independenter ab operatione: & per consequens, independenter ab operatione debuit eam accipere: sicut temperamentum, & alias passiones. Delugo.

74. Nam contra: Primò, Non est verum actus supernaturales ita supponere habitum infusum ex natura rei, vt illum ordinem inuertere sit miraculosum. Nam actus supernaturales non exigunt ex natura sua necessariò, & determinatè habitum infusum à quo procedant: sed tantùm principium sufficiens & proportionatum. Quemadmodum calor non exigit determinatè esse ab igne, sed ab aliqua causa sufficiente, siue sit ignis, siue sol, aut quæuis alia. Secundò, quod ille auctor ait, habitus infusos supponere gratiam: non est verum de omnibus: vt patet de habitibus fidei & spei, qui manent gratiâ perditâ per peccatum mortale. Et probabilius est, gratiam non distingui ab habitu infuso charitatis. Tertiò, quod idem asserit, ex natura rei humanitatem exigere subsistentiam independenter ab operatione: verum quidem est de subsistentia propria & naturali, vtpote priori ex parte subiecti: at non de supernaturali, quam humanitas non exigit, quæque proinde ex parte subiecti non est prior, sed posterior actionibus & accidentibus naturaliter necessariis. Alijs verò operationibus aut accidentibus conuenientibus, quamuis supernaturalibus, non est prior ex parte subiecti, quia non magis exigitur. Quare non fuisset miraculosum, Christum habere naturâ priùs ordine causalitatis operationes aliquas supernaturales, quàm vnionem hypostaticam dependenter moraliter ab illis ex Dei ordinatione. Addo, non esse miraculosum quidquid fit contra naturalem exigentiam subiecti. Alioqui miraculum esset, lapidem sursum moueri, aut aquam calefieri.

75. Vera sententia. Propter hæc igitur censeo admittendam esse maiorem argumenti propositi. Sed neganda est minor. Ad cuius probationẽ dico, non magnã esse perfectionem vt Christus habeat titulo meriti, id quod plenissimè & excellentissimè possidet ab initio iure naturali: Neque eam perfectionem tanti esse, vt pro-

pter eam fuerit inuertendus ordo connaturalis antecessionis meriti ad mercedem, vel ei postponendus modus agendi connaturalior ex habitu infuso, & principio intrinseco completo. An verò Christus gratiæ & gloriæ continuationem meruerit, licet non primam infusionem, iudicandum est ex dictis de continuatione vnionis hypostaticæ disp. 4. sect. 3. vbi etiam locus Psalmistæ in obiectione citatus fuit satis expositus. Moneo denique cum Suare, sententiam contrariam, quòd scilicet Christus gratiam & gloriam suam meruerit, non esse improbabilem, immeritóque à nonnullis damnari temeritatis.

76. Hæresis Caluini circa meritũ Christi. Contra tertiam quoque responsi partem errauit Caluinus lib. 2. Instit. cap. 17. nu. 6. vbi ait Christum nobis tantùm meruisse, non sibi. Primò, quia Scriptura testatur, Christum non venisse propter suam vtilitatem, sed tantùm propter nos. Secundò, quia Paulus Rom. 5. commendat Christi charitatem quòd pro inimicis mortuus sit. Quæ commendatio, inquit Caluinus, frigeret, si etiam pro se mortuus esset. Vnde ipse quasi sui oblitus, totum suum meritum ad nos transtulit, dicens Ioan. 7. *Pro illis ego sanctifico me ipsum.* Tertiò, Quid opus fuit descendere Filium Dei, vt sibi aliquid noui acquireret? Et quo merito assequi potuit, vt esset iudex mundi, vt esset caput Angelorum, vt potiretur summo Dei imperio, vt in eo maiestas Dei resideret? Hæc Caluinus, quæ inscitiæ & temeritatis hæreticæ plena sunt, contra Scripturæ testimonia tam expressa, & Patrum ac Theologorum authoritatem.

77. Refellũtur eius argumenta. Ad primum Respondeo, Scripturam nobis loqui, & id nobis maximè commendare, quod nostra maximè interest, maximéque mouere potest ad gratiarum actionem: sed non negare, quòd Christus gloriæ & exaltationis suæ curam habuerit, eiusque mors & passio ad hoc vtilis ei fuerit: imò contrarium expresè affirmare Ioan. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*, & Philipp. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c.

Ad secundum, Dico potius augeri charitatem Christi ex eo quòd voluerit propter nos, gloriâ sui corporis, & nominis exaltatione naturaliter sibi debita, carere aliquandiu, ac non nisi per mortem eam acquirere. Non esse verò sui oblitum, & pro nobis ita sanctificatum, vt sui corporis & nominis claritatem neglexerit, docet ipsemet verbis ex Ioan. 17. proximè relatis. Et iterum ibid. vers. 5. *Clarifica me tu Pater, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.*

78. Christus meruit sibi gloriam corporis, & dominium creaturarũ, &c. Ad tertium, Respondeo ipsius Christi verbis Luc. 24. *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Gloriam, inquit, non animæ, quam habuit ab instanti conceptionis: sed corporis & nominis sui, quam post passionem adeptus est. Hæc autem necessitas non fuit absoluta, sed ex Dei ordinatione, qui propter nostram salutem & vtilitatem ita constituit. Porro Christus non meruit, vt in eo maiestas Dei resideret per vnionem hypostaticam. Dominium verò, seu imperium creaturarum, per mortem acquisiuisse testatur Paulus Rom. 14. *Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur.* Et Christus ipse Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Ex quo etiam constat, meruisse capitis dignitatem in eo dominio consistentem. De ratione verò capitis ad influendum meritoriè in homines & Angelos dicemus paulò post. Hæc autem intellige de dignitate dominij & capitis conueniente Christo respectu humanitatis: non autem de illâ quæ per idiomatum communicationem competit ipsi ratione diuinitatis. Hanc enim non meruit, sed vi solius vnionis hypostaticæ habuit eodem instanti, quo ipsam vnionem. Denique de iudicis potestate Christus idem significat Ioan. 5. cùm de se ait: *Dedit illi iudiciũ facere, quia filius hominis est.* Iuxta illud à Iob prædictum, cap. 36. *Causa tua tanquam impii iudicata est: causam iudiciumque recipies.* Demissè autem nimis sentit Caluin. de Christi operibus, si putat eorum valorem non esse infinitum, aut non sufficere ad promerenda quæ diximus.

SECTIO VIII.

Quibusnam aliis Christus meruerit, & quid?

Respondeo, Christum meruisse Angelis & hominibus plurima gratiæ beneficia, non tamen omnia. Declaratur & probatur responsum. Primò, quòd Christus meruerit Angelis, æquè ac hominibus, patet ex dictis disp. 3. sect. 2. vbi ostendimus, Christum fuisse à Deo decretum ante peccati præuisionem, & ante homines & Angelos. Quo supposito nulla est ratio eximendi Angelos ab influxu Christi: cùm Christus iam decretus, potuerit illis esse mediator, æquè ac hominibus: ipsique sint per se improportionati gratiæ: & hoc magis ad gloriam & dignitatem Christi faciat: sitque conuenientius prouidentiæ diuinæ, vt vnum principium vniuersale gratiæ & gloriæ constituerit, & omnia ad vnum reduxerit, qui omnia in omnibus adimpleatur, vt ait Paul. Ephes. 1. Sitque vnum caput Ecclesiæ ex Angelis & hominibus compositæ, à quo omnia eius membra influxum & vitam acceperint. 79. Christus meruit Angelis & hominibus plurima gratiæ beneficia.

Notandum tamen Angelos non fuisse propriè redemptos à peccato, sed præuentos: neque pro illis Christum mortuum esse, aut sua passione illos sanctificasse & glorificasse: cùm mors & passio Christi non fuerit decreta nisi ex occasione & præuisione peccati, à qua non pependit Angelorum sanctificatio & glorificatio. Videatur Suar. tota disp. 42. 80. Non propriè redemit Angelos. Suarez.

vbi nobiscum sentit, fuseque docet Christum eadem Angelis, quæ hominibus meruisse, exceptis iis quæ ad remedium peccati pertinent. Meruisse, inquam, per opera charitatis, religionis, & alia à morte & pœnis ac satisfactione independentia.

81. Parum verò cohærenter loquuntur illi, qui sentiunt, Christum fuisse primò decretum propter peccatum & redemptionem hominum: & nihilominus affirmant Christum meruisse Angelis & hominibus in statu innocentiæ: inter quos sunt aliqui recentiores affirmantes Christum meruisse, aut mereri potuisse in prædicta hypothesi, si non perseuerantiam in via gratiæ, quod aiunt esse difficile: saltem aliquem gradum gratiæ Angelis, vltra illum, quem in prima sanctificatione acceperant: & primis parentibus fidem incarnationis, quam habuerunt antequam peccarent. Etenim Christus, in illa opinione, eiusque merita, non fuerunt præuisa absolutè nisi post absolutam præuisionem peccati Adami. Quæ præuisio fuit ratione posterior decreto Dei absoluto de permittendo lapsu Adami, præuiso per scientiam conditionatam quòd in tali occasione positus laberetur, si Deus id permitteret. Ergo Christus & eius merita sunt posteriores hoc decreto. Ergo & omnes effectus qui pendent à Christo, & ab eius meritis. Atqui sanctificatio & gratia tota Angelorum in via, ac primorum parentum in statu innocentiæ, non fuit posterior illo decreto, à quo nullo modo pendebat, sed omnino per accidens se habuit ad talem statum Angelorum, & primorum parentum, peccatum Adæ & decretum de illo permittendo; Ac si Adam non peccasset, nihilominus Angeli & primi parentes fuissent sanctificati, & donis supernaturalibus, quæ tunc habuerunt, ornati. Quòd autem Adam habuerit iam tunc fidem incarnationis, ostendit illam fuisse decretam priùs & independenter à permissione peccati, vt alibi expendimus.

82. Meruit hominibus remissionem peccatorũ, gratiam & gloriam.

Secundò, Certum est Christum meruisse sufficienter omnibus hominibus remissionem peccatorum, & gratiam seu iustificationem, atque etiam vitam æternam, vt patet ex sequentibus Scripturæ testimoniis. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* 1. Ioan. 2. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* 1. Timoth. 2. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, Hebr. 5. vers. 9. *Nec aliud nomen est sub cælo datum, in quo oporteat nos saluos fieri.* Actor. 4. vers. 12. Re tamen ipsa eam non consequuntur, nisi illi quibus prosunt media à Christo instituta ad participanda ipsius merita efficaciter ad illum finem consequendum. Quamuis enim Christus meruerit sufficienter omnibus, id est, obtulerit sufficiens meritum, quo omnes vti possent, vt remissionem peccatorum, & gratiam ac gloriam consequerentur, quodque ad omnes iustificandos & saluandos sufficeret, si illis debitè applicaretur, illique vterentur: tamen non meruit efficaciter vt omnibus applicaretur; alioqui omnes iustificarentur: sed potiùs hanc applicationem & vsum reliquit libertati creaturarum. Meruit tamen efficaciter vt ii omnes, quibus applicaretur debitè, iustificarentur infallibiliter vi applicationis, & participationis meritorum ipsius.

Tertiò, Non tantùm meruit Christus vitam æternam hominibus, sed & ipsam destinationem ad illam: siue simplicem, & generalem ac communem omnibus: siue specialem & efficacem, propriam electorum, quæ specialiter dicitur prædestinatio, vel electio. Cùm enim Christus fuerit prædestinatus ante omnes alias creaturas, vt ostendimus citata disp. 3. sect. 2. potuit Deus velle aliis creaturis intellectualibus vitã æternam propter illius merita præuisa: tum voluntate illa antecedenti & simplicis desiderii, quæ præcessit præuisionem operum, vel occasionis datæ ex parte creaturarum: tum etiam voluntate consequenti & efficaci, post præuisionem: præsertim cùm opera illa, vel occasio data ex parte creaturarum, fundetur in Christi meritis, vt dicam paulò post. Posito autem quòd potuerit Deus vtramque voluntatem habere propter Christi merita: conuenientius est dignitati Christi, velut capitis omnium prædestinatorum, vt Deus re ipsa sic voluerit. Idque dicere videtur Apostolus Ephes. 1. cùm ait, Deum nos benedixisse in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; & nos in ipso elegisse & prædestinasse in adoptionem filiorum per Iesum Christum. 83. Meruit etiã hominibus ipsam destinationẽ ad vitam æternam.

Nec obest quod obiiciunt aliqui, destinationem illam esse actum diuinæ voluntatis: actus autem diuinæ voluntatis nullam habent causam. Respondeo enim non habere quidem propriè causam, quia non fiunt: sed habere motiuum & rationem meritoriam: mouetur enim v. g. Dei voluntas reproborum peccatis tanquam malis meritis, vt eos velit damnare: & iustorum operibus bonis, vt velit ea remunerare. Similiterq; mouetur Christi operibus, vt eorum intuitu velit homines iustificare & saluare. Neque dicas mereri quidem effectum, qui est iustificatio aut salus æterna: sed non ipsam voluntatem iustificandi & saluandi. Nam qui meretur aliquod præmium, quod consequi non potest nisi per alterius voluntatem: meretur etiam vt ipse velit tribuere; & ad hoc ipsum obligat, si meretur de condigno & ex iustitia. Atque ita iusti, qui bonis suis operibus merentur vitæ æternæ consecutionem, merentur etiam vt Deus ipsis velit illam tribuere. 84. Occurritur obiectioni.

Non obest etiam quòd ratione priùs quàm Christus mereretur hominibus & Angelis, debuit Deus velle & acceptare vt eius opera illis prodessent: voluit autem vt prodessent ad aliquẽ finem supernaturalem, nempe 85. Altera obiectio.

ad vitam æternam: ergo prius voluit illis vitam æternam, quàm Christus illis mereretur. Ergo prima Dei voluntas de vita æterna hominibus & Angelis danda, non fuit propter Christi merita. Respondeo enim illam Dei voluntatem constituentem Christum Mediatorem, volentemque vt eius merita nobis prodessent, pro eo signo rationis non fuisse determinatam vt prodessent ad vitam æternam: sed fuisse generalem & confusam, vt prodessent ad eum finem, ad quem Christus vellet & determinaret: ita vt quòd Deus determinare voluerit vt prodessent ad vitam æternam, fuerit consequens ad præuisionem voluntatis Christi, volentis vt sua opera nobis ad illum finem specialem prodessent.

86. Meruit omnia gratiæ beneficia quæ sequitur ex illa voluntate.

Quartò, Meruit etiam Christus omnia gratiæ beneficia quæ sequuntur ex illa Dei voluntate antecedenti dandi nobis vitam æternam, quibusue ad illam consequendam disponimur: vt vocationem, iustificationem, auxilia ad bene operandum, merendum, & perseuerandum. Sicut de vocatione specialiter affirmat Apostolus 2. Timoth. 1. vers. 9. De iustificatione Rom. 5. vers. 1. & 2. & 1. Corinth. 6. vers. 11. & Ephes. 4. vers. 8. De auxiliis ad bene operandum & merendum, Ioan. 15. vers. 4. & 5. & Ephes. 4. v. 15. & 16. De perseuerantia Philipp. 1. vers. 6. cum sequentibus vsque ad 11. & generaliter de omnibus, Ephesior. 1. v. 3.

87. Nō meruit tamen omnia penitus beneficia gratiæ.

Dixi autem, *omnia gratiæ beneficia quæ voluntatem illam sequuntur*: non autem absolutè, *omnia*, quia Christus non meruit nobis omnia penitus gratiæ beneficia. Neque enim meruit seipsum simpliciter, qui tamen est maximum beneficiorum nobis à Deo collatorum. Non meruit etiam voluntatem illam, quâ Deus voluit, & acceptauit, vt eius merita nobis prodessent. Nam illa Dei voluntas, quæ fuit causa vel conditio necessaria vt nobis mereretur, debuit necessariò antecedere omne ipsius meritum nobis profuturum. Neque etiam meruit Christus illam voluntatem, quâ voluit ipse nobis prodesse, quaue sua opera eò retulit, vt nobis gratiam & gloriam mereretur. Quia nemo meretur de seipso. Supposita verò hac voluntate Dei & Christi, existimo Christum meruisse de cætero omnia gratiæ beneficia hominibus deinceps vel Angelis impertita: ita vt quidquid aliud gratiæ ipsis collatum est, fuerit datum propter merita Christi, vt probant argumenta & Scripturæ loca hac tota sectione proposita, aliaque plura quæ in hanc sententiam, diximus 1. parte disputatione 21. sectione 4. & 5. Vbi etiam illorum argumentis respondimus, qui putant gratiam primæ vocationis non dari propter merita Christi: contra satis expressam definitionem Tridentini sessione 6. capite 5. vbi declarat *ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præuenien-te gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione.*

88. Dupliciter nobis applicantur merita Christi.

Superest obseruare, merita Christi duplici modo nobis applicari. Primò, in destinatione: quatenus Deus, & Christus, voluerunt vt ea merita nobis prodessent. Secundò, in executione: quando aliquod donum gratiæ nobis reipsa confertur propter ipsius merita: siue vocatio, siue applicatio sacramentorum, siue iustificatio, & alia dona supernaturalia, vel etiam naturalia in substantia, intuitu meritorum Christi collata: Nam ista etiam, præsertim in ordine ad salutem, solent ab Ecclesia per merita Christi postulari: quod signum est, propter illa conferri.

DISPVTATIO DVODECIMA,

De Potentia Christi.



E Potentia Christi disputat S. Thomas qu. 13. Et art. 1. docet, Animam Christi non esse omnipotentem; quia est pars humanæ naturæ finitæ & circumscriptæ. Secundò, Animam Christi non habuisse omnipotentiam respectu immutationis creaturarum, ne quidem vt instrumentum Verbi, & per potentiam obedientialem: quia non poterat creare, seu producere ex nihilo, neque annihilare. Tertiò, Animam Christi secundum quod est instrumentum Verbo Dei vnitum in persona, habuisse omnipotentiam respectu proprij corporis: quia subdebatur eius potestati quoad omnem dispositionem: secus tamen spectatam secundum propriam naturam & virtutem: secundum quam sicut non poterat mutare exteriora corpora à cursu & ordine naturæ: ita neque proprium corpus à naturali dispositione. Nam anima Christi secundum propriam naturam habet determinatam proportionem ad suum corpus. Quartò denique, Animam Christi virtute propria ea omnia efficere potuisse, quæ per seipsam efficere voluit. Non enim conueniret sapientiæ eius, vt aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subiaceret. Quæ verò virtute diuina fieri voluit, vt resurrectionem proprij corporis, & alia huiusmodi miraculosa opera, potuit efficere vt instrumentum diuinitatis. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

An Christus vt homo sit omnipotens?



1. Status quæstionis. ON est quæstio, an Christus vt homo sit omnipotens per idiomatum communicationem? vel an diuina omnipotentia fuerit ei communicata, & vnita mediante hypostasi Verbi? Vtrumque enim citra controuersiam est: sed an Christi humanitas, vltra potentiam effectiuam naturalem, acceperit ratione vnionis hypostaticæ vim supernaturalem creatam, valentem ad omnia possibilia, & similem diuinæ omnipotentiæ? sicut secundum intellectum & voluntatem accepit scientias & virtutes infusas, quibus diuinas perfectiones cognoscendi & volendi imitabatur.

2. Christus non accepit virtutē creatam valentem ad omnia possibilia. Respondeo & dico primò, Christum nullam talem vim accepisse, quæ valeret ad omnia possibilia, ad quæ Dei omnipotentia se extendit. Probatur, quia non valeret saltem ad seipsam producendam, cùm tamen ipsa producibilis sit per Dei omnipotentiā. Nihil enim potest producere seipsū realiter & physicè, id est, primò aut simpliciter & absolutè dare sibi esse: quidquid sit de reproductione sui ipsius, quæ etiam, saltem immediatè, impossibilis est. Quia inter producens & productū immediatè debet esse necessariò realis distinctio, ratione talis originis vel dependentiæ realis. Vnde in mysterio Trinitatis, non obstante summa identificabilitate diuinorum, personæ tamen distinguuntur realiter propter originem aliarum ab aliis. Imò etiam causa efficiens tantùm moraliter, siue principaliter, siue vt morale instrumentum, debet supponi habere aliunde esse vt efficere possit: ideòque non potest seipsam primò producere, aut absolutè & omnino efficere. Addo, non esse verisimile, sed potiùs incredibile, possibilem esse vllam vim creatam, quæ ad omnia possibilia, etiam extra seipsam, se extendat physicè: siue vt causa principalis; sic enim deberet continere formaliter vel eminenter omnes alias perfectiones extra Deum possibiles, quod ad diuinam infinitatem simpliciter in omni genere perfectionis prope accedit, & creaturæ capacitatem longè superat: siue vt causa instrumentalis; quia impossibile est naturam limitatam in ordine creaturarum, cuiusmodi est omnis creatura, posse assumi physicè ad omnia: cùm capacitas obedientialis non sit alia, quàm ipsa rei natura, quæ proinde finita est in natura finita. Debet enim esse vis inchoata ad id quod assumitur: & non est vis ad omnia in creatura, quæ habet speciem seu naturam aliquo modo limitatam in ordine ipso creaturarum.

Dico secundò, Christi humanitatem non esse factam potentiorem physicè ad operandum, quàm esset ex natura sua, præcisè & formaliter per vnionem hypostaticam. Probatur, quia vnio hypostatica, vel hypostasis Verbi non est actiua physicè, secundum id 3. Christus non est factus potentior per vnionē hypostaticam

præcisè sumptam. quo differt à natura diuina: neque humanitatem intrinsecè & in seipsa immutauit: ergo per illam non est facta potentior humanitas: quomodo enim potest fieri quidpiam potentius per aliud præcisè, nisi vel illud sit potentia superaddita, vel ipsius naturam mutet? Si enim manet in se immutatum, aut potentiam adiunctam non recipit; manet æquè imbecillum, atque erat ante.

Richard. Contrarium sentit Richardus in 3. dist. 14. art. 5. qu. 2. affirmans, animam Christi fuisse potentiorem ad agendum, vi vnionis hypostaticæ, quàm sit natura humana, cuius est pars. Ratio illius est, quia posse agere realiter, vel pati, non est, nisi actus entis. Ens autem comprehendit essentiam, & actualem existentiam. Vnde non tantùm attenditur maioritas potestatis in ente ex parte essentiæ, sed etiam ex parte actualis existentiæ. Essentia ergo manens eadem, crescit in potestate, accipiendo nobiliorem existendi modum. Cùm ergo anima Christi incomparabiliter nobiliùs existat actualiter, quàm si natura humana, cuius est pars, esset existens in supposito creato: sequitur, quòd sit potentior, quàm si natura humana, cuius est pars, existeret in creato supposito. Hæc ille. Cui Respondeo, actualem existentiam cuiusque rei non distingui vllo modo, ac ne ratione quidem, ab essentia actu existente: & naturam Christi humanam, eiusque animam existere formaliter per seipsam, neque nobiliùs existere intrinsecè, & formaliter per vnionem cum Verbo, sed eandem omnino existentiam habere, quam à Verbo separata retineret, quamue haberet, si per seipsam subsisteret. *Neque enim à Verbo recipit perfectionem nobilioris existentiæ, qua formaliter existat, sed nobilioris subsistentiæ. Vnde cùm posse agere realiter, vel pati, sit entis actu existentis, ratione suæ actualis essentiæ, seu existentiæ: natura humana in Christo non habet perfectiorem potentiam agendi, vel recipiendi; quia non habet perfectiorem actualem essentiam, seu existentiam.

4. Potuit Christus habere qualitates aliquas ad operandum supernaturalia. Dico tertiò, Christi humanitatem potuisse ab initio habere qualitates aliquas, aut virtutes physicas ad operandum supernaturalia, aut supernaturali modo: non tamen constare quòd illas habuerit. Non loquor de qualitatibus eius intellectui & voluntati infusis ad intelligendum, & volendum: sed de illis quæ valent ad aliter efficiendum, aut resistendum, aut mouendum &c. quæque pertinent ad potentiam effectiuam, aut ei similes sunt. Tales autem aliquas potuisse dari Christo ab initio conceptionis, patet, quia potuit iam inde habere dotes corporis gloriosi in actu primo: agilitatem, claritatem, subtilitatem, & impassibilitatem, id est, vim resistendi lædentibus aut corrumpentibus. Potuit item habere robur humano maius. Et sicut in plantis, & lapidibus quibusdam, aut partibus animalium, aliisque rebus, sunt virtutes quædam mirabiles contra morbos, & ad alios effectus: ita similes quædam in Christo esse potuerunt, non ex naturæ debito, sed ex Dei beneficio in gratiam vnionis hypostaticæ. Non tamen constat habuisse Christum ab initio dotes corporis gloriosi in actu primo: sed potiùs sicut nondum immortalitatem induerat; ita neque permanenter, & formaliter, habebat dotes corporis gloriosi, quas per meritum passionis consequutus est; licet obiter specimen aliquod agilitatis ediderit, quando super aquas ambulauit: & claritatis, quando in monte Thabor transfiguratus est: & subtilitatis, quando illæso matris vtero exiit. Non apparet etiam habuisse robur humano maius, & quantum nunc habet in cœlo; sed potiùs lassitudinem more aliorum patiebatur, & fatigatus ex itinere sedebat supra fontem, Ioan. 4. licet ob eximium temperamentum haberet robur non vulgare: sicut ea de causa tolerauit faciliùs ieiunium 40. dierum, post quod tamen esuriit Matth. 4. Non cõstat habuisse Christũ ab initio dotes corporis gloriosi.

Quòd si quæras, cur humanitas Christi, quæ secundum intellectum & voluntatem accepit omnia ornamenta supernaturalia, quorum erat capax, ab ipso instanti conceptionis, non similiter acceperit huiusmodi qualitates ad potentiam executiuam pertinentes? Respondeo, id nostra causa factum esse, vt pro nobis pateretur, & exemplo suo nobis prodesset, disceretque experientiâ compati nostris infirmitatibus, vt ait Paulus Hebr. 4. Itemque vt verum hominem se esse ostenderet. Et quamuis possent esse actus primi, seu potentiæ, absque actu secundo, & cum actu contrario ordinario patiendi affectiones corporis & infirmitates humanas: non sunt tamen facilè multiplicanda miracula in hoc mysterio sine maiori necessitate. Fuisset autem valde miraculosum coniungi has potentias cum ordinario actu ipsis repugnante. Eademque de causa existimo incertum esse, an Christus habuerit virtutes illas physicas, quales in herbis, metallis, lapidibus & similibus rebus, eas saltem quæ cum naturali hominis temperamento non bene conueniunt, & cum humanitatis Christi dispositionibus. Id enim fuisset miraculosum, & non erat necessarium, siue vt Christo bene esset, cùm supponamus hæc non bene cum eius temperamento conuenire: siue vt operaretur ea, quæ mirabiliter fecisse narratur, vt patebit ex sequentibus. 5. Cur nõ habuerit dotes illas, & alias qualitates mirabiles?

Dico quartò, Christum vt hominem fuisse moraliter quodammodo omnipotentem, quatenus habuit paratum semper, & velut habitualiter coniunctum sibi concursum diuinæ omnipotentiæ ad omne genus miraculorum, & operum supernaturalium, & ad quidquid efficaciter vellet. Probatur ex Ioan. 11. vers. 42. Vbi Christus mox Lazarum suscitaturus, ita Patrem alloquitur. *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Et Matth. 9. vers. 6. *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,* 6. Christus vt homo fuit moraliter omnipotẽs.

tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum, &c. Patet denique ex tota historia Euangelica, Christum habuisse potestatem suscitandi mortuos, fugandi Dæmones, sanandi morbos naturaliter insanabiles, multiplicandi panes, conuertendi vnam substantiam in aliam, & alia omnia præstandi quæcumque vellet.

Nec obest quod obiici solet ex Marc. 7. voluisse Christum aliquando latere, & non potuisse. Nam id non est intelligendum de voluntate omnino efficaci, sed aliquatenus tantùm & secundum quid, vt alibi exposuimus.

7. Moralis illa omnipotentia fuit Christo data ab instanti conceptionis.

Dico quintò, Huiusmodi potentiam fuisse Christo datam ab instanti conceptionis, & semper in eo perseuerare. Ratio est, quia data est Christo velut proprietas morali quodam debito & exigentia consequens vnionem hypostaticam, ob dignitatem personæ: nec vllum fuit impedimentum cur ab initio daretur, vel ratio exigens vt differretur, vel vt aliquando cessaret. Potuit enim Christus illa vti ab initio in Pastorum illuminatione, stella Magorum, Ioannis Baptistæ exultatione & sanctificatione in vtero matris, in propria natiuitate sine læsione claustri virginitatis, aliisq; mirabilibus quæ in infantia Christi contigerunt. Quod enim dicitur Ioan. 2. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam*, intelligi potest de signis palam & publicè ac notoriè factis, quibus cœpit doctrinam suam confirmare. Nunc quoque in cœlo vsum habet multiplicem illius potestatis in miraculis quæ subinde fiunt ipsius nomine: in transubstantiatione Eucharistiæ, in remissione peccatorum & sanctificatione, in glorificatione Sanctorum, tum essentiali, tum etiam accidentali per nouas reuelationes, in corporum resurrectione, &c. Hæc enim omnia manant à Christo vt capite, & ab eodem fiunt velut instrumento vniuersali diuinitatis, debenturque ipsius dignitati & meritis.

8. Occurritur obiectioni.

Neque obiicias ex D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. gratiam miraculorum non posse communicari creaturæ per modum habitus, id est, permanenter. Respondeo enim cum Suare disp. 31. sect. 2. sensum D. Thomæ esse, quòd nō possit communicari per qualitatem aliquam permanentem, quæ sit principium vniuersale omnium miraculorum: sed non negare posse constanter haberi concursum Dei paratum ad miracula, sicut Sacerdos habet ad consecrandum, qui idcirco dicitur habere consecrandi potestatem permanentem, & per modum habitus.

SECTIO II.

Qualis fuerit Virtus Christi ad patranda miracula, & opera supernaturalia?

9. Opera supernaturalia sunt duplicia.

Opera supernaturalia sunt duplicia: quædam quæ dicūtur miraculosa, quia sunt extraordinaria & manifesta; alia quæ non vocantur miracula, quia sunt ordinaria, & secundum legem & prouidentiam communem, atque etiam occulta; licet sint verè supernaturalia: Cuiusmodi sunt effectus sacramentorum remittendi peccata & infundendi gratiam, actus & habitus supernaturales, transubstantiatio Eucharistica, & similia. Christus ad vtraque vim quandam habuit vniuersalem, quatenus habuit constanter & permanenter paratum Dei concursum ad operandum quidquid vellet efficaciter in vtroque genere operum, quo cum summa quadam libertate & vniuersalitate vsus est, præsertim triennio toto prædicationis suæ. Quæstio verò superest, quanam virtute ipse cum Deo concurrerit ad huiusmodi opera? physica, an morali?

10. Christus potuit operari physicè aliqua supernaturaliter, per qualitates sibi inditas.

Respondeo, Christum potuisse quædam supernaturaliter operari physicè per qualitates sibi diuinitus inditas: Quædam etiam per seipsum concurrendo obedientialiter cum Deo eleuante: at neque per seipsum, neque per inditas qualitates potuisse ad omnia supernaturalia physicè concurrere. Prima pars responsi probatur, Quia potuit v. g. accipere dotem agilitatis, cuius vi physica ambularet super aquas: & dotem claritatis, quâ corpus suum & circunstantem aërem luce mirabili perfunderet in transfiguratione: & dotem subtilitatis, quâ penetraret corpora. Et similiter aliæ quædam qualitates physicè actiuæ potuerunt illi dari, vt maius robur, maior videndi & sentiendi vis, & virtutes occultæ ad morbos quosdam sanandos, vt ad sistendum sanguinem, ad curandam hydropisin, vel paralysin, &c. cuiusmodi virtutes, imperfectè saltem, quibusdam aliis rebus naturalibus insunt.

11. Quædam etiam per seipsum.

Secunda pars probatur, Quia sicut in intellectu & in voluntate Christi est potentia obedientialis ad actus supernaturales, quæ potentia non est aliud, quàm ipse intellectus & voluntas, prout potest à Deo eleuari, id est, iuuari concursu speciali & supernaturali, ad effectus, quos solis viribus naturalibus non posset producere: ita in eius sensibus, aliisque potentiis, est vis obedientialis, quâ possunt cum Deo eleuante concurrere ad effectus, qui naturalem facultatem excedunt. Sic puto Stephani oculos fuisse eleuatos vt è terra Christum in cœlo ad dexteram Patris stantem intueretur. Sic etiam sine dote agilitatis, potuit Christi potentia motiua eleuari ad corpus eius super aquas ferendum: & vis motiua animæ Christi, ad pellendos corporibus Dæmones, eo modo, quo Angeli alij alios possunt loco mouere, & vi pellere: & alia multa mirabiliter à Christo facta sunt, ad quæ non repugnabat ipsum physicè concurrere cum Deo eleuante.

12. Non tamē omnia.

Tertia tamen responsi pars, quòd non ad omnia nec per seipsum, nec per inditas qualitates potuerit physicè concurrere, Probatur primò, Quia effectus quidam erant purè morales, vt remissio peccatorum, ad quos non

non potuit concurrere physicè, quia non fiunt physicè, sed moraliter tantùm. Secundò, Quidam alij fiebant per simplicem negationem concursus diuini, ad quam negationem, & ad non esse, non potuit Christus physicè concurrere, vt Eclipsis solis vniuersalis, seu defectio luminis quæ contigit tempore passionis, similis illi quæ sub tempus iudicij generalis continget, quando *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum*. 3. Non videtur credibile potuisse Christū per se, vel per additam qualitaté, cōcurrere physicè ad illa omnia quæ fiebāt, aut fieri poterāt miraculosè ipsius interuentu. Ex. g. si in mysterio Eucharistiæ corpus Christi producitur integrè, etiam quoad materiam primam, non apparet quomodo Christus per se, aut per qualitatem aliquam, concurrat physicè ad productionem materiæ primæ, quæ non potest fieri nisi per creationem. Item, cùm entitas Christi, & cuiuscumque qualitatis quæ illi potest superaddi, sit finita, ac proinde finitæ virtutis, siue naturalis, siue obedientialis; non potest naturaliter, aut etiam obedientialiter concurrere ad quidlibet; sed ad ea dumtaxat, quibuscum aliquam habet proportionem, & ad quæ vim saltem inchoatam habet in seipsa: Alioqui non esset ratio cur oculus corporeus non posset eleuari ad Dei visionem (quod Theologi communiter negant) & intellectus humanus ad Dei comprehensionem, & auris ad videndum sonos, oculus ad audiendos colores, & similia planè impossibilia, non alia de causa, quàm quia carent omni proportione cum talibus potentiis, quæ ad illa ne inchoatā quidem vim habent, quæ possit à Deo adiuuari & attolli. Quænam verò erat Christi, aut eius qualitatum proportio cum repentina Lazari suscitatione, cæci nati illuminatione, claudorum erectione & similibus, quæ sola vi diuinâ, præsertim tam repentè, fieri possunt? Ideóque non immeritò multi & graues Theologi affirmant, hæc non nisi moraliter à Christo fieri potuisse, physicè verò à diuina omnipotentia, ad Christi voluntatem, ob personæ dignitatem, operante.

Non potuit eius humanitas physicè cōcurrere ad omnia.

Christus miracula multa moraliter tātùm operatus est.

13. Sic planè docent Alensis, Altisiodor. Bonauent. Richard. Scot. Durand. Gabriel, & alij quos sequuntur Vasq. disp. 57. cap. 5. Aegidius Conink tom. 1. de Sacram. qu. 62. art. 4. Becan. cap. 10. de Incarnat. n. 6. Ruys in 4. controu. 8. & Barradas tom. 2. in Euangelia lib. 5. cap. 24. ad illa verba Matth. 9. *Ego noui virtutem de me exiisse*. Fauet etiam D. Thom. pluribus locis. Nam qu. 13. art. 2. ad 3. sic loquitur: *Gratia virtutum, seu miraculorum, datur animæ alicuius sancti, non vt propria virtute ei conueniat miracula facere, sed vt per virtutem diuinam huiusmodi miracula fiant*. Ibique loquitur de Christo. Et ad 2. ait, non omnem immutationem quæ potest fieri circa creaturam, posse fieri à creatura: sed quasdam immutationes posse fieri à solo Deo. Deinde 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. sic habet: *Operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt: quorum quidem causa est diuina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari potest. Et ideo impossibile est, quòd principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima. Sed tantùm hinc potest contingere, quòd sicut mens Prophetæ mouetur ex inspiratione diuina ad aliquid supernaturaliter cognoscendum: ita etiam mens miracula facientis moueatur ad faciendum aliquid, ad quod sequatur effectus miraculi quod Deus sua virtute facit*. Et paulò post: *Deus principaliter operatur, qui vtitur instrumentaliter vel interiori motu hominis, vel ejus locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali corporis etiam mortui. Vnde Iosue 10. cùm Iosue dixisset quasi ex potestate, Sol contra Gabaon ne mouearis, subditur postea: Non fuit antea, & postea, tam longa dies, obediente Deo voci hominis*. Hucúsque D. Thom. Fauent etiam vtcumque sancti Patres (qui tamen vt bene notat Vasq. disp. citata num. 35. vix huius controuersiæ meminerunt) Sophronius in epist. synodica quæ habetur in VI. Synodo Generali actione vndecima, Leo Papa epist. 10. cap. 4. Damasc. in lib. *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*, circa finem, vbi ait, sicut quando serra ignita vrit, altera est actio vrendi, altera secandi, à diuersis principiis procedentes: sic, inquit, quando diuinitas tactu carnis sanabat infirmum, alia erat propria actio diuinitatis, altera humanitatis. Et finis humanæ actionis in manus extensione & tactu positus erat: diuinæ autem naturæ, in excitatione puellæ.

Vasquez. Coninc. Becan. Ruys Barrad. S. Thom. Vasq. VI. Synod. Leo. Damasc.

SECTIO III.

Refutantur errores & opiniones contrariæ.

14. Contrarium senserunt primò perfidi Iudæi, qui arti magicæ Christi miracula tribuebant. Quasi verò Dæmones & artes magicæ possint mortuos semiputridos & fœtentes, vt Lazarum, repentè suscitare, cæcos à natiuitate illuminare, & alia facere quibus Christus omnes Prophetas Veteris Testamenti longè superauit. Plura enim & maiora solus fecit miracula, quàm omnes illi simul: eáque facilitate, diuturnitate, vitæ sanctitate, aliisque omnibus adiunctis, quibus solent, & possunt vera miracula comprobari, atque à falsis discerni, quibúsue solis constat vera fuisse Mosis aliorumque Prophetarum miracula. Adde, quòd nulla maior virtus hucusque illis se opposuit: cùm tamen Deus soleat, & ad eius prouidentiam pertineat, falsa miracula, cùm fiunt, veris refutare ac vincere; vt patet in Magis Pharaonis superatis à Moyse Exod. 7. & 8. & in tota lege antiqua seu naturæ, seu gratiæ. Pro pauculis enim Dæmonum præstigiis, miraculorum similibus, quæ inter Ethnicos fiebant: edebantur apud ve-

Refutatur primus error contrarius, miracula Christi arti magicæ tribuens.

ros Dei cultores longè plura miracula: & quædam tam illustria, vt eorum fama facilè ad omnes penetrauerit: vt Pentapolis incendium de cœlo: diluuium & arca Noë: plagæ Aegypti, & interitus Pharaonis: internecio repentina exercitus Sennacherib: miraculum trium puerorum in fornace Babylonis, & alia ibidem coram Nabuchodonosore potentissimo rege per Danielem gesta, & alia multa his similia. Alia verò miracula, quæ continuò fiebant Hierosolymis in probatica piscina, in templo Salomonis, in rationali summi Sacerdotis, aliisque locis, poterant facile per Iudæos toto orbe variis locis habitantes, & vltrò citroque commeantes, disseminari. At nihil est quod ita possit opponi Christi miraculis innumeris, tum per ipsummet, tum per alios hucusque eius nomine factis. Adde item, Christum miraculis suis atque doctrina, vitiorum & Dæmonum regnum destruere conatum esse. Quis autem credat Dæmones ad hoc ipsum per ementita miracula cooperari voluisse? Adde denique, Christum ipsum, eiusque vitam, mortem, atque miracula, longè ante per Dauidem, Isaiam, aliosque Prophetas fuisse prænunciata, vt ostendimus disp. 1. sect. 5. & 7. Potuitne Christus antequam natus esset, efficere arte magica vt à Prophetis tot ante sæculis prænunciaretur?

15. *Secundus error, illa tribuens temperamento corporis.*

Secundò, Nefarij quidam apostatæ, vt testatur Michael Medina lib. 2. de Recta in Deum Fide cap. 7. Christi miracula tribuerunt corporis eius temperamento, quod optimum fuisse dicebant, & ad pondus, siue ad iustitiam: ratione cuius poterat virtute naturali super aquas incedere, & in quouis elemento se collocare, claudos erigere, leprosos mundare, cæcos illuminare, & omnibus rebus imperare. Quia sicut homo imperat rebus omnibus, cæterisque dominatur, eò quòd illis præstet temperamenti bonitate: sic quia Christus omnibus rebus & toti generi humano præstitit temperamenti perfectione, potuit illis omnibus imperare & dominari, non modò virtute ingenij & scientiæ, quâ præcellebat cæteris: sed virtute temperamenti.

Verùm hic error stolidissimus est. Nam, vt omittam quærere an optimum temperamentum humanum sit temperamentum iustitiæ, & quomodo locum habere possit in corpore constante tot partibus organicis, tam inter se diuersis? Quomodo potuit Christus vi temperamenti imperare Dæmonibus, qui puri spiritus sunt, & quibus ratione temperamenti non præcellebat? Quomodo item potuit corpus graue sistere super aquas leuiores humano corpore, quantumuis optimè temperato? Quomodo etiam subitò sanare morbos incurabiles, & quod mirabilius est, solo imperio mortuos suscitare? Aegrotos, etiam absentes, vt Reguli Filium Ioan. 4. & seruum Centurionis Matth. 8. momento sanos reddere? Absentia cognoscere, futura libera prædicere, cordis secreta reuelare, & similia naturam humanam quantumuis optimè temperatam excedentia.

16. *Tertius error illa ascribens virtuti imaginationis.*

Hinc etiam manet confutatus error stolidus Auicennæ in quarta sexti Naturalium cap. 6. miracula Christi tribuentis virtuti & efficacitati imaginationis: aientisque posse animam hominis, per vehementem affectum, & cogitationem imaginationis, non modò corpus suum, sed & alia transmutare, homines interficere, quoslibet morbos curare, pluuias, grandines, & ventos excitare. An verò etiam mortuos ad vitam reuocare, & cæco nato visum momento restituere, breuiori claudorum pedi iustam quantitatem solo nutu addere, futura libera prædicere, absentia cognoscere, & cordium secreta reuelare? Hoc certè nemo nisi extincto lumine rationis persuadere sibi possit, vt & illud quod ait de morborum omnium curatione, & pluuiarum, grandinum, ventorumque excitatione vi solius imaginationis.

17. *Referuntur duæ Theolog. opiniones contrariæ, & earũ fundaméta.*

His erroribus explosis supersũt duæ Theologorum opiniones nobis aduersæ. Prima est Paludani in 4. distinct. 1. quæst. 1. n. 32. 51. & sequentibus, & aliorum quorumdam Thomistarum, existimantium Christi humanitati datam fuisse qualitatem aliquam superioris ordinis, quæ esset virtus instrumentalis physica ad omnia. Posterior est Suaris disp. 31. sect. 3. & 5. affirmantis ipsammet Christi humanitatem immediatè concurrisse physicè ad miracula omnia, quæ actione aliqua positiua & physica fiebant: concurrisse, inquam, cum Dei auxilio speciali & supernaturali, à quo eleuabatur, & ratione cuius poterat etiam creare, & effectus distantes attingere. Fundamentum vtriusque sententiæ idem est: quòd scilicet Christus censendus est concurrisse physicè ad huiusmodi miracula. At nõ potuit cõcurrere physicè nisi per suam humanitatem eleuatam, vt vult Suarez: vel per inditam qualitatem, vt alii malunt. Maiorem probant, Primò, ex Scriptura, quæ pluribus locis insinuat Christi humanitatem concurrisse modo maximè proprio. Vt quando Christus ait, *Sensi virtutem de me exiisse*, Luc. 8. &, *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, Luc. 6. Quæ & similia possunt intelligi de propria & physica effectione, idque Christi dignitati conuenientius est, & modo quo Christus hæc miracula operabatur per actiones humanitatis, tangendo & imperando. Probant 2. ex Conciliis & Patribus, qui carnem Christi vocant viuificatricem, vt loquitur Concilium Ephesinum can. 11. aiuntque Verbum per humanitatem fecisse opera, quæ erant indicia diuinitatis, vt loquitur Sophronius in VI. Synodo generali, actione vndecima: & Christum perfectiori modo, quàm Moysen, fuisse miracula operatum, eiusque carnem fuisse cooperatricem, vt loquitur Cyrillus Alexandrinus in epistola prima quæ est ad Monachos Aegypti; & communiter iidem affirmant humanitatem fuisse organum

Ephesin. *VI. Synod.* *Cyrill.*

seu instrumentum diuinitatis.

Probat tertiò ratione: quia creaturæ possunt eleuari ad opera supernaturalia physicè producenda, vt sacramenta ad producendam gratiam, ignis inferni ad spiritus comburendos, intellectus & voluntas humana ad actus supernaturales. Cúmque humanitas Christi sit participatio primi entis, & illi subordinata; non est mirum si possit ad quidlibet operandum physicè applicari à Deo, nec, nisi appareat contradictio debet diuinæ omnipotentiæ illud negari. Addit 4. Suares hanc esse apertam sententiam D. Thomæ qu. 13. art. 1. & 2. vbi ita concedit Christi animam potuisse efficere miracula, sicut negat potuisse assumi ad creandum, vel annihilandum. Constat autem, si sermo esset solùm de concursu morali, vel de conditione sine qua non, seu ad cuius præsentiam operatur Deus ex pacto certo & infallibili, potuisse animam Christi concurrere ad creationem & annihilationem: loquitur ergo D. Thomas de vera & physica effectione.

S. Thom.

19. Ad primum Respondeo, Illa Scripturæ loca intelligi posse de Christo secundum diuinitatem, à qua virtus exibat non secundum se, sed secundum effectum ab ea productum ad extra. Nec obest quod ibidem additur, *Omnes quærebant eum tangere, quia virtus de illo exibat.* Licet enim tactus ille intelligatur necessariò de Christo secundum humanitatem, exitus tamen virtutis potest facilè intelligi de eodem secundum diuinitatem. Non etiam obest quod ipse ait, *Sensi virtutem de me exiisse*: Nam, *sensi*, hoc loco, idem est ac, *cognoui*. Neque ille exitus virtutis, quamuis fuisset ab humanitate, erat sensibilis, sed tantùm intellectu cognoscibilis. Denique ex D. August. lib. 22. de Ciuit. cap. 9. sufficit moralis concursus humanitatis ad explicanda ea, quæ de Christi miraculis dicuntur in Scriptura. Physicus autem in quibusdam non apparet possibilis, propter improportionem. Neq; propterea derogatur Christi dignitati, cùm ei conceditur quidquid cõcedi potest. Et non minuitur Dei potentia, cùm ei negatur quod impossibile & nihil est. Falsum item est causare moraliter, non esse verè ac propriè causare, secundum vsum loquendi communem, vel id esse exiguæ perfectionis: cùm plerumque nobiliùs causet qui moraliter, quàm qui physicè: vt iudex qui iussu suo sontem occidit, quàm carnifex: aut herus qui per seruum eleemosynam pauperi dat: & in præsenti magnum ac supra modum mirabile sit habuisse Christum omnipotentiam Dei paratam, & velut obsequentem ad omnia quæ voluit. Sanè Christus per suam passionem fuit verè ac propriè causa salutis hominum: & tamen passio non fuit causa physica, nec potuit esse respectu eorum qui ante vel post illam sanctificati sunt: quod enim non est physicè, non potest physicè operari.

Quomodo virtus de Christo exiret faciendo miracula.

August.

20. Ad secundum Respondeo, Concilium Ephesinum vocare carnem Christi viuificatricem, adiectiuè: quia, inquit, facta est propria Verbi cuncta viuificare valentis; contra Nestorij errorem negantis fuisse vnitam hypostaticè diuinitati: ratione cuius vnionis, dici potest caro Christi viuificasse, etiam physicè, propterea quòd vnio illa facit vt actiones diuinitatis ad extra sint specialiter propriæ humanitatis, & iure illi tribuantur. Diuinitas autem physicè viuificat. Præterquam quòd ipsamet caro Christi secundum se dici potest moraliter viuificatrix: quia sicut mors ipsa Christi nos viuificauit, & à morte æterna liberauit, non efficiendo physicè, sed concurrendo moraliter cum virtute diuina physicè viuificante, illam scilicet mouendo efficaciter ad vitam nobis largiendam: Ita caro Christi propter vnionem cum Verbo dici potest secundum se viuificatrix, eò quòd propter vnionem illius cum Verbo decreuit Deus viuificare eos omnes qui legitimè, & sicut oportet ei coniuncti sunt. Eodem modo intelligi potest quod aiunt alii supra citati, humanitatem fuisse operatam & cooperatam diuinitati: fuisse organum seu instrumentum, id est, causam minus principalem, subordinatam, & impetratoriam, perfectiùs tamen quàm Moysem aliosque Prophetas & sanctos, quibus non aderat concursus diuinus vniuersaliter, & perseueranter, ac semper ad omnia paratus, sed ad quædam dumtaxat & transeunter: quorumuè natura non erat Verbo hæc omnia physicè operanti vnita.

Caro Christi quomodo viuificat.

Ad tertium Respondeo, Creaturas posse quidem eleuari ad ea omnia ad quæ vim inchoatam habent, quæ necessariò præsupponitur eleuationi: nam si non est potentia, non magis potest eleuari, quàm Chymæra. Sed non esse potentiam in creaturis ad omnia. Alioqui posset oculus corporeus eleuari ad Deum videndum, & appetitus bruti ad Deo fruendum. Ac licet creatura sit participatio primi entis: est tamen finita & limitata, adeoque virtutis limitatæ & non valentis ad omnia. Estque in eo contradictio, quòd possit plusquam possit, aut quòd vis finita sit infinita, possitque quidquid non implicat contradictionem. Exempla verò allata eleuationis physicæ sunt in quæstione, excepto vltimo. Ac probabilius est sacramenta non producere physicè gratiam, nec ignem inferni vrere physicè spiritus, sed torquere per apprehensionem modo alibi explicato. In intellectu autem & voluntate humana est vis inchoata ad cognoscendum & amandum supernaturaliter Deum, & alia obiecta, quæ ipsa possumus etiam naturaliter, sed minus perfectè, cognoscere & velle. 21.

Humanitas Christi vel alia creaturarum non potest ad quidlibet eleuari.

Instabis, Quia intellectus humanus potest eleuari à Deo ad quiduis intelligendum, licet non quouis modo. Ergo potentia executiua, & extra se effectiua, potest eleuari ad quiduis efficiendum. 22.

Instantia repellitur.

Respondeo, Differentiam esse inter intelle-

ctum hominis, & eius potentiam effectiuam. Non enim quidquid potest homo intelligere, potest illud efficere, quamuis alioqui illud sit effectibile. Etenim homo potest intelligere omnia corporalia, non tamen ea efficere, & quamuis possit aliquid generare aut producere; non tamen quodlibet generabile, intellectum & cognitum à se, potest efficere. Dum autem homo eleuatur ad cognoscendum quiduis, non eleuatur vltra sphæram obiecti sui, quia vim habet naturaliter ad omnia aliquo modo cognoscenda.

23. Cur S. Thomas neget animam Christi potuisse assumi vt instrumentum creationis vel annihilationis? Ad quartum Respondeo, D. Thomam loco citato ideo negare animam Christi potuisse assumi vt instrumentum ad creandum, quia vt apparet ex 1. parte, qu. 45. art. 5. & lib. 2. contra Gentes, cap. 21. ratione 6. putat ad rationem instrumenti, etiam moralis, necessariam esse præuiam aliquam physicam actionem, vel applicationem circa subiectum, vt dispositionem vel causam intermediam ad effectum peculiariter intentum: & eam non posse fieri circa rem producendam ex nihilo. Vnde apud S. Thomam latiùs patet causa impetratoria, quàm instrumentum morale. De annihilatione verò fortè ideo negat, quòd existimet, & verè, non per causalitatem physicam siue influxum causæ principaliter annihilantis, sed per meram negationem & subtractionem influxus conseruantis fieri posse: & ad quod non est vera causalitas causæ agentis principaliter, ad illud etiam propriè non esse causalitatem instrumentalem, quæ non dicitur esse nisi quatenus instrumentum assumitur à causa principali ad causandum & efficiendum id quod ipsa principaliter efficit, & ad quod efficiendum assumpsit instrumentum.

Ex dictis facile solui potest quæstio proposita à Suar. disp. citata sect. 7. & 8. an virtus miraculorum Christi se extenderit ad effectus loco vel tempore distantes, id est, ad operandum vbi non erat, vel quando nondum actu erat? Dicendum enim, virtutem illam moralem operari potuisse vbi non erat, quemadmodum fecisse narratur Ioan. 7. & Matth. 8. satis enim erat Christum velle ibi operari. Potuisse item moraliter concurrere cùm esset tantùm in Dei præuisione, id est, cùm nondum Christus actu existeret, sed à Deo præuidebatur futurus, & voliturus opera mirabilia, quæ illius intuitu & causâ fiebant. Sicut merita Christi præuisa fuerunt causa moralis sanctificationis veterum Patrum. Nimirum quia ad causandum moraliter, sufficit esse morale, quod esse iam res illæ habebant in Dei præuisione & æstimatione. Debet tamen causa moraliter efficiens, esse moraliter saltem naturâ priùs quàm operetur, ideoque non potest seipsam primò vel absolutè efficere, vt alibi ostendimus. 24. Virtus miraculorum Christi se extendit ad effectus loco & tempore distantes.

DISPVTATIO DECIMA-TERTIA,

De Defectibus à Christo assumptis.



E defectibus à Christo assumptis secundum corpus & animam: disputat S. Thomas quæst. 14. & 15. In quarum priore docet Primò, Conueniens fuisse corpus assumptum à Filio Dei, humanis infirmitatibus & defectibus subiacere, vt Christus pro peccatis hominum satisfaceret, fidem incarnationis astrueret, & patientiæ exemplum daret. Secundò, Christum naturali necessitate, quæ oritur ex principiis humanæ naturæ, fuisse subiectum morti, & aliis huiusmodi defectibus corporis: atque etiam necessitate coactionis repugnante naturæ corporali, subiacuisse necessitati, & claui perforantis, & flagelli percutientis: non tamen necessitate coactionis repugnante voluntati, siue diuinæ, vt manifestum est; siue humanæ absolutè spectatæ, prout sequitur rationem deliberantem: sed solùm secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & alia corporis nocumenta. Tertiò, Christum non contraxisse hos defectus quasi ex debito peccati (sicut alij homines) sed illos propria voluntate suscepisse. Accepit enim naturam humanam absque peccato, in illa puritate, in qua erat in statu innocentiæ. Et simili modo potuisset illam sine defectibus assumere. Quartò, Christum non assumpsisse omnes defectus siue infirmitates humanas; neque fuisse conueniens vt assumeret. Cùm enim defectus humanos assumpserit vt satisfaceret pro peccato naturæ humanæ, ad quod requirebatur vt haberet perfectionem scientiæ & gratiæ in anima: illos defectus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturæ, nec tamen repugnant perfectioni scientiæ & gratiæ. Sunt autem quidam defectus illi repugnantes, sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Quidam etiam non consequuntur communiter totam humanam naturam propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis: sicut lepra, & morbus caducus, & alij huiusmodi: siue ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: siue ex defectu virtutis formatiuæ: quorum neutrum conuenit Christo. Sunt denique alij defectus omnibus conuenientes ex peccato primi parentis, sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi. Et hos omnes Christus suscepit; quos Damasc. vocat naturales, & indetractibiles passiones: naturales quidem, quia consequuntur communiter totam naturam humanam: indetractibiles autem, quia defectum scientiæ, & gratiæ non important.

In posteriori quæst. affirmat, Christum nullo modo assumpsisse defectum peccati, nec originalis, nec actualis. Quia suscepit nostros defectus, vt pro nobis satisfaceret, & vt veritatem humanæ naturæ comprobaret, nobisque fieret exemplum virtutis. Ad quæ tria peccatum non prodest, sed obest. Nam & satisfactionem potiùs impedit: & contra naturam humanam est: & virtuti contrariatur. Neque etiam fomitem peccati in illo fuisse: cùm iste defectus non sit ordinabilis ad satisfaciendum, sed potiùs inclinet ad contrarium

satisfactioni : & in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradum : Virtus autem quò perfectior est, eò magis vim fomitis debilitat, & animam rationi subiicit. Non fuisse quoque in Christo ignorantiam : quippe quæ repugnet plenitudini scientiæ quam habet. Passiones verò animæ fuisse quidem in illo ; aliter tamen quàm in nobis, quantùm ad tria. Primò quidem, quantùm ad obiectum : quia in nobis plerumque huiusmodi passiones feruntur ad illicita ; quod in Christo non fuit. Secundò, quantùm ad principium : quia huiusmodi passiones frequenter in nobis præueniunt iudicium rationis : sed in Christo omnes motus sensitiui appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Tertiò, quantùm ad effectum ; quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitiuo, sed trahunt rationem : quod in Christo non fuit : quia motus naturaliter humanæ carni conuenientes, ita manebant in appetitu sensitiuo, vt ratio per eos nullo modo impediretur. Addit S. Thomas art. 5. & sequentibus, fuisse in Christo verum dolorem sensibilem, tristitiam, & timorem, semota incertitudine euentus, cuiùs habebat scientiam perfectam : non autem admirationem, nisi quoad scientiam experimentalem: cùm alioqui nihil nouum & insolitum illi accideret secundum scientiam diuinam & humanam. Iram quoque in illo fuisse, non inórdinatam & vitiosam, sed secundum ordinem iustitiæ, quæ dicitur ira per zelum. Ac denique Christum fuisse simul comprehensorem, inquantum habebat beatitudinem propriam animæ : & simul viatorem, inquantum tendebat in beatitudinem. Secundum id quod ei de beatitudine deerat, nempe secundum gloriam corporis, impassibilitatem, & immortalitatem. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

An, & quos defectus assumpserit Christus secundum corpus?

1. Quid & quotuplex sit defectus?

DEFECTVVM nomine intelligimus imperfectiones humani corporis : seu priuatiuas (quæ magis propriè defectus dicuntur) seu positiuas : & siue ex naturali ipsius conditione, siue aliunde prouenientes. Huiusmodi autem defectus sunt duplices, vt notat S. Thom. qu. 14. art. 4. quidam sunt communes toti naturæ: vt esse obnoxium fami, siti, lassitudini, dolori, læsioni à contrariis, senectuti, & morti. Qui defectus oriuntur ex ipsa naturali conditione corporis humani, ideóque sunt omnibus communes. Alij sunt priuati & peculiares quorundam, ortique ex causis peculiaribus: vt deformitas, imbecillitas, cœcitas, surditas, morbus comitialis, & similes, qui vel ex malo temperamento, vel ex defectu virtutis formatiuæ, vel ex intemperantia, aut alio accidenti contingunt.

Prioris generis defectus fuerunt in corpore Christi, quantùm ad nostram salutem expediebat, & ipsius dignitatem non dedecebat. Est enim verè passus famem, sitim, lassitudinem, dolores, vulnera, & mortem, vt sæpius testatur Euangelica historia. Et Isaias cap. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Vulneratus est propter peccata nostra, attritus est propter scelera nostra.* Et Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, &c. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.* Quare Iustinianus Imperator apud Nicephorum lib. 17. Historiæ cap. 29. Hilar. lib. 10. de Trinit. Hesichius homil. 2. de B. Virgine, & si qui alij veterum contrarium senserunt, contra Scripturam errarunt. Triplicem autem huius rei rationem reddit S. Thom. art. 1. qu. cit. Primò, vt Christus sic pro peccatis hominum satisfaceret. 2. Vt se verum hominē esse probaret. 3. Vt exemplum patientiæ exhiberet. Propter hæc tria habuit Christus corpus obnoxium communibus incommodis, quorum permulta reipsa passus est. Vt famem, Matth. 4. sitim, Ioan. 19. fatigationem &

2. Christus assumpsit defectus corporis cōmunes.

Nicephor. Hilar. Hesich.

S. Thom.

lassitudinem, Ioan. 4. dolores, vulnera, & mortem, Luc. 23. Et quamuis nunquam futurum fuerit vt Christus senesceret, & morte naturali moreretur, quandoquidem æterno Dei consilio, in flore ætatis, violenta morte abreptus est: habebat tamen corpus ita dispositum, vt more aliorum hominum senuisset, & tandem morte naturali obiisset, deficiente paulatim & consumpto humido radicali, per internam partium heterogenearum pugnam, alimentiq; & potus reactionem, & causarum externarum læsionem, ex quibus mors naturaliter contingit, vt fusiùs docent Philosophi & Medici. Tardiùs tamen id Christo accidisset, propter optimum eius temperamentum, victus temperantiam, & cognitionem rerum sibi conuenientium ac disconuenientium, quâ vtendo, poterat vitare noxia, & vitæ conseruandæ idonea adhibere. Quod autem dicunt aliqui, esse in rebus naturalibus remedia, quæ si cognoscerentur & adhiberentur, posset vita in perpetuum conseruari; credibile non est: licet non sit impossibile: nam lignum vitæ erat huiusmodi, vt illius esu posset humidum radicale perfectè reparari, & vita immortalis reddi, quemadmodum Scriptura indicat. Gen. 3. vers. 22. Videtur tamen hæc arbor sola è rebus creatis vim illam habuisse, ideoque specialiter ligni vitæ nomen obtinuisse. Alioqui non erat, cur propter illam Deus primos parentes paradiso eiiceret, si alia erant extra paradisum, quorum esus vel visus parem effectum habere posset: quod Adamum non latuisset, quippe qui rerum omnium naturalium creatarum scientiam à Deo acceperat.

Christus erat de se obnoxius senectuti & morti naturali.

3. Similiter, quamuis Christus nullum morbum reipsa sit passus, vt communiter Patres & Theologi docent, ob perfectionem temperamenti ipsius, & prudentissimum viuendi modum, & quia id propter salutem nostram non erat necessarium, neque ita decebat eius personam: tamen dubium non est, quin ex nimiò labore, si eum subiisset, vel ex aëris intemperie, aliisque causis externis, si illis se supra modum exposuisset, in eos morbos naturaliter incidisset, qui ab illis sequuntur naturaliter. Neque enim verum est quod aliqui dicunt, omnes morbos oriri vel ab imperfectione virtutis formatiuæ, seu mala complexione naturali, vel à cibi & potus intemperantia, quæ duo certè à Christo longissimè abfuerunt. Ab aliis verò causis, à quibus morbi oriri poterant, Christus prudenter abstinuit, eiusque parés sapientissima, cuius regimini in infantia commissus fuit.

Poterat etiam naturaliter morbum contrahere.

4. Posterioris generis defectus non fuerunt in corpore Christi. Quia non erát defectus cõmunes naturæ, neq; ad salutem nostram necessarii, neque eius dignitati conuenientes. Quare non fuit Christus deformis, vt perperam Clemens Alexand. Tertull. & alii pauci imaginati sunt, decepti iis Scripturæ locis, quæ de illo vt per passionẽ deformato loquuntur Isaiæ 53. Sed vt Hieron. August. Chrysost. & alii meliùs ac cõmuniùs sentiunt, indicatque Psalmista Psal. 44. v. 3. habuit eximiam pulchritudinem corporis, quæ ex tribus consurgit: scilicet ex membrorum omnium integritate, ex eorum debita proportione, & ex conuenienti colore natiuo, qui oritur ex bonitate temperamenti. Pulchritudinem, inquam, nõ mollem & fœmineam, consistentem in venustate & specie blandissima: sed virilem, & plenam maiestatis, quę amorem illi, & authoritatem, ac venerationem simul conciliaret. Qualis tam sanctum Euangelii prædicatorem decebat, & qualem exhibent imagines antiquæ Christi & Beatæ Virginis, descriptionesque eorumdem apud Nicephorum lib. 1. Historiæ, cap. 40. Corporis quoque firmitatẽ & robur habuit eximium ad ferendũ tot labores, quot pertulit. Nam totis diebus laborabat prædicando, iter agendo, & alia operando: noctes verò transigebat in oratione Dei, id est, phrasi Hebraica, iugi & vehementi, raróque potum cibúmue sumebat, vt Euangelistæ testantur, ac totos quadraginta dies & quadraginta noctes perstitit sine cibo. Sensus verò exteriores habebat excellentes: sensum communem, & imaginationem similiter, æstimationemque rectissimam: memoriam ad conseruandas species exquisitam & admirabilem: partesque omnes quibus motiones appetitus excitantur, temperatissimas & rationi facilè obsequentes. Gestus verò, & motus, & exterior corporis compositio, quæ pendet ab arbitrio & affectu personæ, tales in Christo fuerunt, vt nullus ei similis extiterit, propter clarissimam eius cognitionem, rectissimumque appetitum, & perfectum dominium, quo se totum & sua habebat in potestate, & regebat. Neque illi quidquam excidebat nolenti, aut non volenti. Semper enim ratio omnes eius motus tam internos, quàm externos, vel permittendo vel impetrando præueniebat: cùm per scientiam infusam præcognosceret semper quidquid in quocumque casu sibi euenturum erat.

Non assumpsit particulares defectus.

Pulchritudo corporis Christi.

Nicephor.

Corporis eius firmitas.

Sensus & cætera omnia in Christi corpore perfectissima.

5. Circa priores defectus triplex fuit differentia inter Christum & nos. Prima, quòd non omnes penitùs assumpsit, sed fere omnes: iis scilicet exceptis qui specialiter eius personam dedecebant, & ad nostram salutem non erant necessarii. Sicut enim quoad animam non assumpsit ignorantiam, neque peccatum: ita neque secundum corpus seu partem sensitiuam, habuit fomitem peccati, id est, dispositionem illam partis sensitiuæ nimis pronã ad sensibilia, & rebellẽ rationi, quam omnes experiuntur: neque vllum turpem motum est passus in parte sensitiua aut vegetatiua, quales nos sæpius in somnis, vel vigiles naturaliter experimur. Vera enim est regula tradita à Magistro in 3. dist. 15. litera A. Christum suscepisse eos omnes defectus, quos homini eum assumere expediebat, & suæ dignitati non derogabat: id est, non indignos seu indecentes, & dignitati personæ, atque officio minimè derogantes.

Christus defectus communes assumpsit cum triplici differentia.

Magist.

6. Secunda differentia est, quòd huiusmodi defectus nobis sunt adeo naturales ac necessarii, vt nullo modo pendeat à nostra voluntate eos suscipere. Non possumus enim, quidquid velimus, non esse obnoxii fami, siti, lassitudini, passibilitati, & morti. At Christus eos voluntariè suscepit dupliciter. 1. Quatenus liberè consensit in priuationem seu carentiam dotium corporis gloriosi, animæ suæ beatæ debitarum ab instanti conceptionis, vt patiendo nobis prodesset: neque enim Deus Christum illis incommodis subiecit independenter à libero eius consensu, vt de morte alibi diximus. 2. Quatenus poterat miraculosè effectum eorum impedire, si voluisset illis incommodis se subtrahere. Licet enim voluntas eius humana non posset viribus solis naturalibus ea impedire, postquam eorum causæ erant debitè applicatæ; & eatenus illi defectus essent Christo naturales ac necessarii: poterat tamen per potentiam miraculorum, cuius applicatio pendebat ab ipsius voluntate, vitare omnia incommoda, recurrendo ad diuinam omnipotentiam, paratam ad id omne quod Christus vellet efficaciter.

7. Tertia differentia est, quòd hi defectus dicuntur propriè assumpti fuisse à Christo: ab aliis verò omnibus dicuntur fuisse propriè contracti. Nam vt rectè ait S. Thom. q. 14. art. 3. in verbo *contrahendi* intelligitur ordo effectus ad causam: vt scilicet illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis, & horum defectuum, in humana natura est peccatum, *Rom.* 5. Et ideo illi propriè dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Vt omnibus aliis contingit, etiam ipsi Beatæ Virgini, quæ licet fuerit exempta à peccato Originali, non tamen ab ipsius debito: cuius causa non fuit ab his pœnalitatibus immunis, cùm eius dignitatem non dedecerent, vt peccatum ipsum. At verò Christus hos defectus non habuit ex debito peccati, cùm ab Adamo per naturalem generationem non descenderit, neque in pacto fuerit comprehensus: sed ex propria voluntate illos suscepit.

S. Thom.

8. Dices, hi defectus oriuntur naturaliter ab ipsa natura humana, quam Christus accepit. Ergo accepit hos defectus cum sua causa. Item Christus suscepit munus satisfaciendi pro peccatis, ad quod fuit necessarium pati & mori. Ergo accepit hos defectus cum causa ex qua sequuntur necessariò.

Obiectio bimembris diluitur.

Respondeo ad primum, Naturam humanam esse per se quidem causam sufficientem & necessariam huiusmodi defectuum, consideratam in puris naturalibus. Verumtamen in statu innocentiæ talis erat à Deo facta, & iis præsidiis munita, vt incommodis illis non subiaceret, si in eo statu perstitisset. Hinc est quòd de facto peccatum solum est causa necessaria, & sine qua non, huiusmodi defectuum.

Ad secundum Respondeo, Potuisse Christum absolutè loquendo satisfacere sine huiusmodi defectibus: & sponte illis, etiam ad satisfaciendum, se subiecisse. Posita verò acceptatione præcepti diuini necessarium quidem illi fuit pati & mori: sed non erat simpliciter necessarium id, quod in radice pendebat ab eius libertate.

Disputant hic Suares disp. 32. sect. 4. & alii recentiores contra Vbiquistas, probantque corpus Christi fuisse subiectum circumscriptioni, & mutationi locali. Sed hoc magna probatione non indiget. Nam inepti sunt Vbiquistæ cùm putant Christi humanitatem necessariò debere esse vbique, quia Verbum, cui vnitur, est vbique. Perinde ac si quis diceret manum necessariò esse in pede, vel in cerebro, quia anima, cui vnitur, est in pede & cerebro. Et apertè repugnant Scripturæ, Ioan. 6. *Cùm vidisset turba quòd Iesus non esset ibi*: & cap. 11. *Vt sciatis quia non eram ibi.* Marc. 16. *Surrexit, non est hic.* Actor. 1. *Assumptus est in cœlum*. &, *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Ac denique euertunt præcipua fidei dogmata & mysteria vitæ Christi. Hinc enim sequitur, Christum non fuisse inclusum in vtero Virginis, neque verè ex illa natum esse, neque in Aegyptum fugisse, indeque rediisse, nec Galilæam, Iudæam, aliaque loca peragrasse, nec in crucem actum esse, descendisse ad Inferos post mortem, surrexisse ex sepulchro, ad cœlum tandem ascendisse, indeque ad iudicandos homines venturum esse: quia qui est vbique indiuisibiliter, non potest moueri localiter, cùm non possit esse bis in eodem loco simul: ac denique sequitur ex eodem errore, Christum non magis esse in speciebus Eucharisticis, quàm in quibuslibet aliis rebus corporeis: sed vbique esse indiuisibiliter: quia vbique est Verbum, cui omnes corporis partes vnitæ sunt, ac proinde omnes & singulæ partes debent esse vbique, si valet argumentum Vbiquistarum. Atque ita Christus totus erit in toto mundo, & totus in qualibet eius parte, imo & in toto spatio imaginario; quæ omnia stoliditatis plena sunt.

9. Christus secundum humanitatem non est vbique.

Quoniam autē Lutherani Vbiquitarii sunt in duas partes diuisi: Quidam enim putant Christi humanitatem fuisse vbique ab instanti conceptionis: Alii tantùm ab instanti Resurrectionis, vel Ascensionis in cælum: Contra priores valent omnia argumenta superiùs allata: Contra posteriores pugnant illud Act. 1. *Assumptus est in cælum*, &, *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*: Et illud aliud de Sacramento Eucharistiæ, & spatiis imaginariis. Præterquam quòd si ratione & vi vnionis hypostaticæ debet necessariò esse vbique post ascensionem: debet pariter esse vbique ab instanti conceptionis, cùm primùm fuit illa vnio. De hoc secundo genere Vbiquistarum fuisse videntur Protestantes in celebri collatione præcipuorum Ministrorum habita cum Caluinistis, præside

10. Ignorantia Vbiquitariorum.

seu moderatore disputationis vna ex parte Duce Virtembergensi; ex alia, Comite Palatino. Vbi, vt refertur in libro edito Virtembergæ ab ipsimet Hæreticis, inscripto *Protocolion*, post longam concertationem, iussi sunt Ministri vtriusque partis vnico syllogismo efficacissimo pro sua parte concludere. Et Protestantes quidem sic concluserunt: *Dextera Dei est vbique. Christus est ad dexteram Dei: ergo Christus est vbique.* Contra verò Caluinistæ sic retorserunt argumentum contra Protestantes: *Dextera Dei est vbique. Christus non est dextera Dei: ergo Christus non est vbique.* Et tam mirabili, inauditoque argumentandi modo docta illa concertatio finita est, in qua nullus fuit qui tam crassos errores contra principia Dialecticæ agnosceret. Posterior enim syllogismus, tametsi nobis non obest, nihil valet. Quia concludit ex minore negatiua in prima figura, & modo directo. Similique modo argumentandi probaretur Filium, & Spiritum sanctum non esse vbique: Solem non esse in cœlo: & similia, dicendo sic: Pater est vbique. Filius non est Pater, ergo filius non est vbique. Filius est vbique. Spiritus sanctus non est filius: ergo Spiritus sanctus non est vbique. Deus est in cœlo. Sol non est Deus: ergo sol non est in cœlo. Prior quoque syllogismus est ineptus, quia constat quatuor terminis. Non enim est idem terminus *dextera Dei*, &, *Existens ad dexteram Dei.* Dicendum erat in maiori. Quicquid est ad dexteram Dei, est vbique. Quod est falsum. Eodemque argumentandi genere concluderetur, quamlibet creaturam esse vbique: hunc in modum: Deus est vbique. Quælibet creatura est in Deo (in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus) Ergo quælibet creatura est vbique. Vel: Manus Dei est vbique, quælibet creatura est in manu Dei. Ergo quælibet creatura est vbique. Non quidquid est alicubi cum Deo, vel in Deo, est propterea vbicunque Deus est.

Neque illis fauet quod ait Paulus Ephes. 4. vers. 10. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia.* Sensus enim est, quòd Christus qui de terra descenderat ad inferos, postea ad cœlos ascendit, vt sua præsentia, virtute, gloria, & victoria, successiuè impleret omnia: media, infima, & suprema: seque Dominum vniuersorum esse probaret: vt exponunt S. Bernard. Theopylact. Oecum. & alii, quos citant & sequuntur Cornelius in hunc locum, & Becan. cap. 7. quæst. 4. apud quem plura videri possunt. Cornel. Becan.

SECTIO II.

An, & quos defectus assumpserit Christus secundum animam? Ac primò de ignoranta, & peccato.

11. Non fuit in Christo ignorantia. PRima conclusio: In intellectu Christi nulla fuit ignorantia propriè dicta: potuit tamen absolutè loquendo esse aliqua. Prima pars patet ex dictis disp. 11. Est enim duplex ignorantia propriè dicta. Vna positiua seu prauæ dispositionis, quæ est error aut falsa opinio: altera priuatiua, seu puræ negationis, quæ est carentia scientiæ debitæ vel conuenientis subiecto: in quo differt à simplici nescientia, & ignorantia quadam, latiùs sumpta pro carentia scientiæ nec conuenientis, nec debitæ: cuiusmodi nescientia fuit quidem in intellectu humano Christi, qui nec Deum comprehendit, nec infinita possibilia distinctè nouit: attamen neque vllum errorem aut falsam opinionem habuit: neque vlla cognitione caruit sibi debita, vel conueniente, vt citata disput. ostendimus. Quare nec ignorantiam positiuam, nec priuatiuam propriè dictam passus est. Vnde meritò in VI. Synodo act. 11. in epist. Sophronii approbata act. 13. damnatur Themistius author Agnoitarum ignorantiam Christo affingentium. Quod autem aiunt aliqui Patres, Verbum assumpsisse naturam ignorantem, & induisse carnem ignorationi obnoxiam: intelligendum est de natura illa & carne secundum se spectata: non autem prout ornata donis scientiæ, qualis in Christo est. Augustinus quidem expositione 2. in Psal. 21. ait, Christum in cruce orantem & clamantem, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti*: ignorasse causam cur eum Deus dereliquerit: sed intelligendus est, quòd in specie externa, seu apparenter tantùm, & non verè ignorauerit; quódque locutus sit velut ignorans, aut potius benignè conquerens, & derelictionem suam lamentans.

Secunda pars probatur, Quia si non repugnat absolutè assumi à Verbo naturam aliquam brutam, vt alibi ostendimus: multò minùs repugnat assumi naturam humanam cum aliqua ignorantia priuatiua, id est, non ornatam donis omnibus scientiæ, quibus ornari potest. Et quamuis, vt aliqui probabilius putant, repugnaret ex parte sapientiæ diuinæ, assumere naturam aliam quàm intellectualem, vel in ordine ad illam: tamen non ita repugnaret diuinæ sapientię pati aliquem defectum inculpabilem cognitionis in natura intellectuali assumpta, ita vt non habeat scientiam & perfectam notitiam eorum omnium, quorum habere posset. Nulla enim lege vel debito honestatis aut iustitiæ tenetur Deus hanc totam illi dare, ita vt faciat indecenter aut iniustè, si non det. Quare potuit esse in Christo ignorantia aliqua priuatiua, id est, carentia alicuius scientiæ, cuius capax est. Notandum autem est, ignorantiam priuatiuam esse duplicem: vnam culpabilem, vel imputabilem vitio, aut imperfectioni morali, quæ est carentia cognitionis, quam quis potest & tenetur habere: vel quam si non habet, tribuitur imperfectioni morali hominis: idque vel in genere, spectata naturali dignitate & conditione animæ rationalis: vel in particulari, prout scilicet hic aut ille, tale vel tale munus ha- 12. Potuit tamen esse absolutè loquendo.

bet: Alia verò inculpabilis est & non imputabilis: quæ est ignorantia rei, quæ licet absolutè sciri possit; si tamen nesciatur, non tribuitur id moraliter imperfectioni. Prior ignorantia non potuit locũ habere in Christo, propter specialem indecẽtiam, & moralem deformitatem: secus autem posterior, in qua nulla moralis turpitudo est. Neque magis inconueniens esse videtur dicere per communicationem idiomatum, Deus ignarus est, hoc genere ignorantiæ; quam dicere, Deus mortuus est: vel est infans, est infirmus & imbecillus.

13. Non tamen positiua, seu error. Addit Vasques disput. 61. cap. 9. n. 59. ignorantiam, etiam positiuam, sed speculatiuam tantùm, & inculpabilem, potuisse esse in Christo: Et num. 57. refert Victoriam sensisse, Christum fuisse aliquando deceptum per sensus, sicut nobis interdum contingit. Ipse verò putat Christum non fuisse quidem in intellectu deceptum per sensus, sed eos correxisse, aut causam erroris impediuisse. Veruntamen negari non posse, Christum habuisse modum naturalem sentiendi, ita vt eius oculo res magis distantes minores apparerent: & lux refracta in nubibus, vt in Iride, color appareret, cùm re vera non esset. Hæc tamen, inquit, non potest dici deceptio sensus, eò quòd sit naturalis modus cognoscendi ipsius: ac proinde hoc pertinet ad veritatem naturalem sensus humani, potiùs quàm ad errorem, aut deceptionem aliquam: neq; Deus corrigere debuit aut impedire modum illum operandi naturalem & proprium sensus humani: quia id multùm derogaret probationi veritatis naturæ humanæ assumptæ.

14. Sed quod ad primum attinet, Existimo nullam ignorantiam positiuam, id est, nullum errorem aut falsam opinionem, in intellectu Christi esse potuisse. Primò, Quia est per se turpis & indecens, & maximum malum voluntatis: neque ad aliquem finem honestum vtilis esse potuit, vt propter illum expeteretur aut permitteretur. 2. Quia æquè absurdum videtur dicere per communicationem idiomatum, Deum errare, & falsum iudicare: ac dicere, Deum peccare. 3. Id plurimum derogaret authoritati Christi loquentis, si posset, quamuis sine culpa, decipi, & falsum enunciare. 4. Ad prudentem gubernationem suppositi rationalis attinet, non admittere falsitatem, & errorem in propria natura. Ergo ad Verbum pertinet hæc non admittere in natura humana à se assumpta. Ergo non potest hæc admittere, quia non potest non prudenter naturam illam gubernare.

intellectus, sicut peccatũ est maximũ malũ

15. Neque per sensus ipsos errauit. Quoad secundum, Probabilius est quod alii dicunt, quorum confusè meminit Suar. suprà, & nos cum Suare secuti sumus disp. 11. sect. 1. Christum ne quidem per sensus errasse, & aliter res apprehendisse quàm sint, (quod certè est species quædam erroris, licet ordinarii, & naturaliter ineuitabilis) sed diuina virtute ita fuisse sensus eius corroboratos, vt obiecta semper apprehenderent, qualia erant in seipsis. Probatio autem veritatis humanæ naturæ satis aliunde consistit. Cætera quę Vasques opponit rationibus ante allatis, nituntur falsis fundamentis, & per se satis improbabilia sunt.

16. Non fuit in Christo peccatum. Secunda conclusio: Nullum in Christo fuit peccatum, nec esse potuit de potentia absoluta. Prima pars patet ex Scriptura 2. Corinth. 5. *Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit*: id est, hostiam pro peccato. Hebræor. 7. *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Quibus, & similibus locis omne peccatum à Christo remouetur, non solùm actuale, sed & originale, de quo dicitur Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* & Iob. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* & ibidem, iuxta Septuaginta interpretes, *Nemo mundus à sorde, neque infans cuius est vnius diei vita super terram.* Et quidem originale ad Christum non pertinuit, cùm per viam naturalis generationis ab Adamo non descenderit, sed speciali operatione Spiritus sancti, conceptus simul & sanctus, ac filius Dei naturalis extiterit, iuxta illud Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* De actuali verò patet insuper ex 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit.* & Hebræor. 7. *Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato.* & Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Id quoque vt minimum affirmant sancti Patres, quorum testimonia congerit Vasquez disp. 61. cap. 3. Vasquez. Ratio ex visione beatifica, & ex dignitate personæ Christi sumi debet, vt patebit ex sequentibus. Inepta verò sunt & refutatione indigna quæ in contrarium obiiciunt hæretici, de oratione facta in horto, & in cruce: quasi Christus illic officium redemptoris detrectauerit, quantùm potuit, contra Dei voluntatem: hic verò in desperationem inciderit: vt horribiliter blasphemat Caluinus Caluin. in Harmonia, ad cap. Matth. 26. vers. 39. & cap. 27. vers. 47.

17. Neque esse potuit absolutè. Secunda pars conclusionis est contra Durandum in 3. dist. 12. qu. 2. & alios paucos asserentes Christum absolutè potuisse peccare, remota visione beatifica, & aliis gratiæ donis, præter vnionem hypostaticam, quæ absolutè remoueri potuerunt: si nimirum Verbum assumpsisset naturam humanam, in puris naturalibus. Fundamentum Durandi est, quia potentia, quæ non est alia perfectior in ratione actus primi, seu in essendo; non est eàdem perfectior in ratione actus secundi, siue in operando. Sed stante prædicta suppositione nulla maior perfectio esset in humana natura in ratione actus primi, quàm si esset sibi relicta: Ergo nulla maior perfectio esset respectu actus secundi. Sed constat quòd natura humana sibi relicta potest peccare: Ergo sic assumpta peccare poterit. Maior patet: quia actus secundus supponit

primum: & agere supponit esse. Minor verò est euidens, admissa suppositione. Confirmatur, quia in eo casu quo natura humana esset destituta omnibus aliis gratiæ donis, præter vnionem hypostaticam: neque esset sapientior, neque fortior ad resistendum peccato, quàm sint alii homines. Quia vnio hypostatica non est actiua, neque per illam solam Christus meliùs intelligit aut vult, vt neque meliùs videt vel audit. Sicut ergo reliqui homines possunt peccare ex ignorantia, & fragilitate: sic & Christus in prædicto casu peccare potuisset. Confirmatur 2. Quia si quid obstaret in eo casu, maximè quia Deus diceretur peccare, per communicationem idiomatum. At hoc non magis absurdum est, quàm dicere Deum mori. Neque enim minùs repugnat mors vitæ diuinę, quàm peccatum sanctitati: & Deus non minùs est essentialiter vita, quàm sanctitas.

18. Refelluntur argumenta Durandi. Sed hæc opinio meritò à Theologis communiter reiicitur vt temeraria, vel aliâ graui censurâ digna. Ad cuius fundamentum respondeo, non fore maiorem perfectionem in natura sic assumpta, in ratione actus primi physicè: secus autem moraliter. Et ad primam cõfirmationem dico similiter in eo casu naturam assumptam, non esse quidem physicè sapientiorem, aut fortiorem, ratione vnionis hypostaticæ præcisè, & formaliter: neque ipsam physicè extinguere peccatum, aut illud impedire, sed moraliter tantùm: quatenus quia natura, quæ assumitur, fit Dei per vnionem; & turpitudo peccati atque malitia, est offensa, & iniuria Dei: non potest fieri vt Deus patiatur in natura assumpta, & aliquo modo in seipso peccatum. Ad secundam confirmationem dico pias omnes & doctas aures, omnesque Theologos, exceptis paucis hac in parte nimis audacibus, offendi hac propositione, Deus est peccator, aut Deus potest peccare, potest esse pessimus, potest damnari. Neque sine horrore audiunt quod Gabriel in tertio dist. prima quæst. 2. art. 1. propè finem ait: *Istæ, propositiones, sunt possibiles, Deus est lapis, Deus est asinus, Deus est homo damnatus, Deus est Diabolus*. Neque verò par est ratio de morte, quæ de se est indifferens, & propter bonum finẽ potest esse honesta, & expetibilis, maximéque laudabilis, vt fuit mors Christi propter Dei gloriam, & hominum redemptionem. At peccatum est de se turpe, nec propter quicquam aliud potest esse honestum, & decenter expetibile: sed potiùs tenetur intellectuale suppositum illud in se, quoad potest, vitare, vt mox ostendemus.

Horribiles propositiones Gabrielis.

SECTIO III.

Qua de causa repugnet absolutè Christum peccare?

19. Prima ratio cur peccatum non potuerit esse in Christo; Henric. Difficultas verò est in assignanda vera ratione huius impotentiæ absolutæ. De qua variè sentiunt Theologi. Ac primò Henricus Quodlibeto 6. quæst. 6. censet non esse aliam quàm visionem beatificam, cum qua peccatum esse nequit absolutè. Visio autem beatifica tam necessario fluit ex vnione hypostatica, vt Deus absolutè eam impedire non possit. Si tamen non flueret, Christus peccare posset.

Non satis. Sed quidquid de maiori sentiendum sit, de qua diximus alibi: minor est falsa. Potuit enim Deus, absolutè loquendo, differre gloriam animæ Christi, æquè ac corporis: potuit etiam vtramque negare. Nulla enim est connexio essentialis inter hęc dona, & vnionem hypostaticam: nec vlla, si vel probabiliter apparens, contradictio in eorum separatione. Falsum item est potuisse Christum peccare semota visione beatifica, vt patebit ex sequentibus.

Secunda ratio, eiusque refutatio. Secundò, Aliqui dicunt id repugnare absolutè, quia sequeretur Deum peccare posse. Verùm si hoc intelligant de communicatione idiomatum, quòd scilicet Deus posset denominari peccator, humanitate assumpta peccante: petunt principium. Idem enim est dicere humanitatem assumptam posse peccare, & Deum posse denominari peccatorem ab illa peccante. Sin autem intelligunt hinc sequi Deum, quà Deum, peccare posse: debent id aliunde probare.

20. Tertia ratio. Idcirco alii tertiò dicunt, sequi ex opposito Deum peccare posse: quia cùm suppositum ex natura humana, & hypostasi diuina constitutum, non possit peccare naturaliter, & de potentia ordinaria: oporteret Deum concurrere specialiter, & supernaturaliter, vt peccaret. Sic autem Deus esset causa specialis peccati: & peccaret, quia faceret aliquid indecens. Dedecet enim Deum esse causam specialem, & authorem peccati, ęquè ac mentiri, vel falsum testificari. Et quamuis Deus nullum habeat superiorem, cuius legibus aut præceptis obedire teneatur: tenetur tamen ratione suę naturæ, ex rectitudine naturalis honestatis, nihil facere quod rectam rationem dedeceat, & vitare omnem agendi turpitudinem moraliter disconuenientem naturæ suæ rationali seu intellectuali.

21. Non sufficit. Verùm auctores isti non ostendunt, neque satis exponunt quomodo repugnet naturaliter peccare suppositum constans ex natura humana, & hypostasi Verbi. Duobus autem modis intelligi potest id repugnare naturaliter. Primò, quia vnio hypostatica ita per se resistit peccati commissioni, vt humanitas viribus suis naturalibus non possit illam resistentiam vincere, & committere peccatum aliquod, præualendo contra impedimentum vnionis. Quo pacto visio beatifica, & amor eam consequens, resistunt omni peccato actuali in Beatis. Secundò, quia vnio hypostatica non impedit quidem naturaliter quin peccatum committatur à natura humana: sed tamen naturaliter debet desinere, si peccatum ab ea committatur. Et quia Deus non vult permittere vt desinat: non

vult etiam permittere peccatum in natura assumpta. Quo pacto censent multi gratiam habitualem repugnare naturaliter peccato mortali: non quia impedit ne committi possit à iusto, multi enim iusti mortaliter peccant: sed quia desinit connaturaliter, peccato mortali commisso, neque cum illo naturaliter stare potest. Vnde, si Deus statuat aliquem confirmare in gratia, tenetur non permittere vt mortaliter peccet.

22. Hoc secundo modo Deus non peccaret, quamuis supra & contra naturæ exigentiam conseruaret vnionem hypostaticam in natura peccante: sicut non peccaret conseruando gratiam in eo qui peccat mortaliter: vel dando visionem beatificam ei qui mortaliter peccauit, & propter mortale peccatum nondum remissum, illa indignus est, deberetque potius illa priuari in perpetuum.

23. De primo autem modo verum est Deum peccaturum, id est, turpiter, & indecenter facturum, si auxilio & concursu speciali confortaret potentiam naturalem ad peccandum, & ad vincendam resistentiam vnionis hypostaticæ obsistentis peccato insuperabiliter solis viribus naturalibus. Sic enim Deus esset causa specialis peccati, & ad illud committendum iuuaret maiori, & speciali auxilio, id est, non debito ex officio causæ primæ, quod planè Deum dedecet. Nec obest quod respondet Delugo d. 26. n. 6. Deum tunc concursurum ad peccandum per concursum indifferentem, & subordinatum omnino causæ secundæ quoad exercitium, à qua determinaretur quoad illud: Deus verò ex se potiùs tenderet, & inclinaret ad negationem peccati: sicut de facto cōtingit quando Deus nunc reipsa concurrit cum iis qui peccant. Quare sicut Deus non peccat nunc eo modo quo concurrit: ita neque tunc peccaret, si per potentiam absolutam concurreret. Hoc, inquam, non obest: quia Deus quidem nunc est indifferenter paratus ad concurrendum, aut non concurrendum ad actum peccati, vt causa secunda voluerit: & hoc solùm sensu dici verè potest concursum Dei esse indifferentem. At alio sensu, qui forte à Delugo, vt à Molina, Bellarmino, Lessio, Becano, aliisque nonnullis intenditur, falsum est concursum quem re ipsa Deus exhibet peccanti, esse indifferentem & indeterminatum. Talis enim concursus est impossibilis; cùm quidquid est, sit determinatè, & distinctè id quod est: & hic concursus Dei sit hic numero vsus determinatus, & distinctus virtutis diuinæ ad hunc numero actum vel effectum, secundum specialem, determinatam, & propriam ipsius differentiam, vt ostendimus in tract. de Peccatis tom. 2. disp. 22. sect. 5. Deinde non eodem modo tunc cōcurreret Deus quo nunc concurrit cum peccantibus. Nam tunc concurreret vt specialiter confortans potentiam ad peccandum, vincendo resistentiam vnionis hypostaticæ: Nunc autem concurrit tantùm vt causa generalis, & ex officio causæ primæ sese accommodantis naturali exigentiæ causarum secundarum, ne priuentur actibus naturalibus, & concursu sibi naturaliter debito, planéque necessario vt possint operari modo connaturali. In quo Deus nihil agit indecenter, sed potiùs suauiter creaturis se accommodat.

Delugo.

24. Superest tamen in prædicta responsione ostendendum, quomodo vnio hypostatica ita resistat peccato, vt sit opus speciali Dei auxilio ad peccandum, & ad vincendam ipsius resistentiam. Neque enim hoc authores illi probant: & illos vrget argumentum Durandi, quòd scilicet vnio hypostatica non sit de se actiua, neque reddat formaliter naturam humanam sapientiorem, aut fortiorem ad agendum: quare semotis omnibus aliis donis supernaturalibus, non est minùs impotens ad peccandum.

Propter hoc D. Thom. in 3. dist. 12. quæst. 2. art. 1. Paludanus, & Capreolus ibidem, Suares disp. 33. sect. 2. Valentia quæst. 15. punct. 2. & alii communiter, ac multò meliùs respondent, Deum peccaturum si Christus peccaret: quia Verbum sine indecentia & turpitudine permittere non potuit, vt humanitas assumpta peccaret. Nam quando plures sunt appetitus aut voluntates in eodem supposito, in eadem aut pluribus naturis illud componentibus, pertinet ad superiorem voluntatem dirigere inferiorem, & in officio continere. Et hoc si negligat, defectus est & indecentia ipsius superioris voluntatis. Sic homo tenetur per voluntatem regere appetitum sensitiuum, eiusque turpes motus impedire, aut cohibere, si potest: & vitio illi tribuitur, atque imputatur peccato, si non faciat. Ergo similiter tenetur Verbum ita regere naturam assumptam in vnitatem suppositi, vt impediat ne peccet.

Quarta ratio vera & solida.

S. Thom. Suar. Valent.

25. Dices, non esse parem rationem: quia homo subiacet legibus: at non Verbum diuinum, quod nullum habet superiorem. Respondeo, Verbum diuinum legibus quidem non subiacere: sed tamen ex rectitudine naturæ suæ, à qua non potest deficere, teneri prudenter gubernare naturam assumptam: sicut tenetur non mentiri, non velle quidquam indecenter, & contra rectam rationem non agere.

Occurritur primæ obiectioni.

Instabis, quia ista qualiscunque obligatio est specialis Verbi diuini, propter quod non potest tota natura communis tribus personis obligari. Atqui prudens illa gubernatio est opus naturæ communis, nempe intellectus, voluntatis, & potentiæ essentialis. Respondeo cum Suare sect. cit. §. *Sed vrgebis*, naturam diuinam ita esse communem tribus, vt sit etiam tota propria singulorum, non minùs perfectè, quàm si vniuscuiusque tantùm esset. Quare licet hæc obligatio fundetur specialiter & immediatè in Verbo: consequenter tamen pertinet ad Patrem & ad Spiritum sanctum, qui habent

Occurritur secundæ.

bent eandem voluntatem cum Verbo, & ab ea non possunt discordare.

26. Soluitur tertia obiectio. Vrgebis, quia si Angelus hypostaticè assumeret naturam humanam, & hæc peccaret peccatum non imputaretur Angelo. Respondeo si Angelus impediret quantum posset, ei non imputaretur peccatum naturæ humanæ assmptæ, quod non potuit impedire. Secùs autem si negligenter se gereret. At inter Angelum & Verbum differentia est, quòd Verbum potest omne peccatum impedire, non Angelus.

27. Quarta obiectio. Obiicit præterea vnus è recentioribus cui hæc communis ratio non satisfacit, disp. 26. num. 12. & sequentibus: non esse parem obligationem Verbi ad regendam naturam assumptam, & voluntatis ad regendum appetitum inferiorem: sed in tribus deficere. Primò, quia non qualibet coniunctio inducit obligationem regiminis: sed illa sola, ratione cuius oritur subdinatio & dependentia vnius ab alio: omnis enim dependentia videtur fundare aliquam superioritatem, ratione cuius superior possit & debeat regere inferiorem. Talis autem dependentia non est inter Verbum & naturam assumptam ex vi vnionis hypostaticæ: vt non esset inter hominem & naturam leonis, aut fluuii, sibi vnitam hypostaticè: neque enim teneretur homo ille impedire ne leo sæuiret, vel ne fluuius agros inundaret. Secundò, quia licet prædicta dependentia, & potestas regendi naturam humanam vt inferiorem, oriretur ex vnione hypostatica: non tamen fundaret in Verbo obligationem illam regendi, sicut fundat in creaturis. Quia dependentia serui à Domino, & filii à patre, fundat quidem in creatis obligationem gubernationis in domino, & in Patre: at non in Deo, qui non tenetur ex officio & honestate continere seruos, vel etiam filios suos adoptiuos: sed potest iustas ob causas eorum lapsum & perditionem permittere: nimirum quia supremus princeps & dominus, qualis est Deus, adeo absolutè dominatur, vt possit pro suo libito permittere ruinam & culpas suorum subditorum, & filiorum, quas facilè poterat impedire: licet domini vel parentes creati hoc non possint. Tertiò, quia deficit in Verbo fundamentum obligationis, quam voluntas habet ad regendum appetitum inferiorem. Ad hoc enim tenetur voluntas, ne praui motus, & inordinatio appetitus inferioris sint ei culpabiles: idque duplici ex causa. Primò, propter periculum consensus, quod semper debet aliqualiter timeri, & propter quod solum censent aliqui teneri sub peccato voluntatem eos cohibere, vt refert De Salas tom. 2. in 1. 2. tract. 13. disp. 6. n. 30. Deinde 2. quia alioqui voluntas deficit in regula rectæ gubernationis: non quidem quia permittit culpas in potentiis inferioribus (ipsæ enim non sunt capaces culpæ, quæ solùm est in voluntate libera) sed quia recta gubernatio dictat subditos non solùm à culpa coërcere, sed etiam eorum actiones ita dirigere, vt subseruiant in ordine ad finem principalem totius, qui est in homine bonum rationis: sicut v. g. tenetur dominus cohibere seruum amentem, si potest, ab otio, vel à vociferatione familiæ incommoda, propter bonum familiæ. Hæc autem duo deficiunt in Verbo: Primò, enim non est in eo periculum consentiendi peccato: Secundò, non est in illo obligatio sic regendi humanitatem: quia leges vel regulæ rectæ gubernationis quæ obligant hominem, non obligant Deum: potest enim Deus permittere ruinam omnium hominum, quam facile posset vitare, & hoc solùm (inquit) pro sua voluptate captanda. Cur ergo non posset Verbum permittere lapsum humanitatis assumptæ pro sua etiam voluptate? Alioquin si Deus tenetur his regulis: ergo sicut voluntas tenetur ratione regiminis non permittere motus inordinatos in appetitu, licet ipsi appetitui non sint culpabiles: & sicut dominus tenetur impedire otium & clamores serui amentis: ità tenebitur Verbum non permittere otium, etiam inculpabile, in humanitate assumpta, vel motus indeliberatos & inculpabiles eiusdem humanitatis: quod est falsum. Item sicut voluntas tenetur ita regere appetitum, vt ex eius operatione non sequatur damnum alterius, etiam sine culpa appetitus: ita Deus teneretur sic regere naturam assumptam, vt ex eius inculpabili operatione non sequatur damnum alterius. Atque ita si v. g. assumeret naturam ignis, teneretur eam cohibere ne combureret domum pauperis iusti, aut ædes sacras: quod est absurdum & ridiculum. Hæc ille.

Ad quæ Respondeo primò, coniunctionem hypostaticam naturæ inferioris cum superiori, inducere ex natura rei subordinationem inferioris ad superiorem, & obligationem superioris ad regendam inferiorem: non minùs quàm ex natura rei sequatur similis subordinatio inter patrem & filium ratione generationis: vel inter virum & vxorem ratione matrimonii. Imò maior est coniunctio inter naturas hypostaticè vnitas, quàm sit inter Patrem & filium per generationem: aut inter virum & vxorem, per vinculum matrimonii: adeòque de se magis apta inducere prædictam subordinationem. Exemplum autem allatum in contrarium ab aduersario, est impossibile: & eo dato, teneretur homo ille, quantum posset, ignem & fluuium bene regere quandiu esset sibi vnitus hypostaticè. 28. Pars superior tenetur regere inferiorem.

Secundò, licet non tanta sit obligatio Dei regendi mundum prouidentia generali, quanta est parentis creati erga filios, & domini erga seruos, ob supremum & absolutissimum Dei dominium, propter quod potest multa permittere, quæ alii non possunt: specialem tamen prouidentiam multò maiorem debet adhi- 29.

Salas.

bere erga naturam sibi vnitam hypostaticè, & tam intimè sibi coniunctam, vt constituat cum ipso vnum idemque suppositum, & vnum ens per se. Quæ coniunctio longè maior est, quàm coniunctio Dei cum creaturis per creationem, vel per gratiam, & alia dona creata, quantumcunque excellentia. Iureque merito indecens videtur rectè de rebus æstimanti (qua in æstimatione magna iudicii & sententiæ communis prudentum & doctorum habenda est ratio) Deum permittere peccatum actuale in natura sibi tam arctè intimèque coniuncta. Peccat ergo argumentum propositū, in eo quòd non distinguit prouidentiam generalem, aut eius obligationem, à speciali prouidentia quam Deus debet erga naturam assumptam habere.

30. Deus non potest pati naturam assumptam peccare. Tertiò, hinc sequitur quòd Deus deficeret in regula rectæ gubernationis, si pateretur naturam assumptam peccare: quamuis non deficiat cùm secundum prouidentiam generalem, & ex debito vel officio causæ primæ & vniuersalis, permittit homines peccare, & perire, vtendo sua naturali libertate, quam Deus, iustas ob causas, neque vult, neque tenetur impedire: quanquam semper id ægrè fert. Neque enim verum esse puto quòd dicit auctor citatus, *Deum posse permittere ruinam omnium hominum solùm pro sua voluptate captanda.* Et quamuis maior ratio sit vt Deus non permittat peccatum actuale in natura assumpta, quàm motus inordinatos indeliberatos & inculpabiles: verius tamen existimo, nec istos posse permittere, nec otium turpe, aut quidquam aliud materialiter indecēs, & inhonestum, atque culpabile naturæ rationali aduertenti & potenti impedire. Cuiusmodi etiam sunt actiones iniustæ, aut contra rationem damnosæ & perniciosæ alteri. Deus autem, pro suo summo iure & dominio in res omnes creatas, posset sine iniustitia & turpitudine permittere multa naturæ assumptæ, quamuis fierent in damnum alterius, vt domorum & ædium sacrarum combustionem, naturæ ignis assumptæ, si potest illam assumere.

31. Alia ratio cur peccatum non potuerit esse in Christo. Potest & alia ratio reddi impossibilitatis absolutæ peccati in natura assumpta, quam tradit Suarez disp. 33. sect. 2. §. *Sed iam asseramus*, & post eum Delugo disp. 26. n. 19. nimirum quia hypostasis diuina, & diuinitas vnita naturæ assumptæ mediante hypostasi, perfectissimè eam sanctificat, & summè, quantùm sanctificari potest natura creata, eamque planè deificat substantialiter. Summæ autem & perfectissimæ sanctitati repugnat incompatibiliter peccatum actuale. Deinde vnio hypostatica reddit naturam intellectualem assumptam perfectissimè & summè Deo gratam, & amabilem, summéque aliis venerabilem & adorabilem. Tanta verò amicitia & veneratio repugnat incompatibiliter peccato actuali, quod non modò est de se dignum odio & vituperio: sed & naturam peccantem reddit odibilem, atque vituperabilem. *Similiter enim odio sunt Deo impius & impietas eius*, Sapient. 4. vers. 9. &, *Qui me contemnunt, erunt ignobiles*, 1. Regum 2. vers. 30. Contra quam postremam rationem non vrgent quæ opponit Delugo. disput. 26. num. 8. & 18. Delugo. Neque enim dicimus peccatum fore venerabile in Christo: fatemurque non omnia quæ ad Christum intrinsecè aut extrinsecè pertinuerunt esse adorabilia; sed ea in quibus adorandis nulla est indecentia: vt esset in excrementis quæ honestas nominare non sinit: vel in adoratione cadaueris asinæ quæ Christum tulit, aut manus quæ ipsum alapa percussit, aut cruci affixit: quamuis alia, vt crux, claui, lancea, spongia, quæ Christum contigerunt, propter ipsius contactum adorentur. Fatemur etiam posse quempiam reddi ex parte amabilem, & ex parte odibilem; vt eum qui simul esset in gratia, & in peccato mortali. Ac si posset suppositum creatum, putà Angelicum, terminare naturam humanam; posset illud suppositum esse odibile secundum naturam humanam peccantem, & amabile secundum hypostasim & naturam Angelicam existentem in gratia, & puram à peccato. Sed dicimus tale suppositum non esse summè Deo gratum, & perfectissimè Deo amabile, sicut est Christus per vnionem hypostaticam: & cum tanta perfectione gratiæ, & amoris non posse existere peccatum actuale.

SECTIO IV.

Soluuntur tres quæstiones circa impossibilitatem peccati actualis in Christo.

Svperest quærere primò, An si per possibile, vel impossibile, natura diuina vniretur naturæ creatæ mediante solùm subsistētia creata, natura illa assumpta esset æquè impeccabilis de potentia absoluta? Secundò, An natura assumpta possit peccare, dissoluta eodem instanti propter peccatum, vnione hypostatica? Tertiò, An possit assumi natura quæ antea peccauerit, vel quæ post vnionem dissolutam peccatura sit? 32. Proponitur prima quæstio.

Prima conclusio respondens ad primam quæstionem: In eo casu natura creata vnita diuinæ esset absolutè impeccabilis, æquè ac nunc est. Ratio est, quia natura diuina æquè teneretur illam regere prouidentia speciali, eò vsque, vt nullum in ea peccatum permitteret; & æquè illam sanctificaret, sibique summè gratam & aliis adorabilem redderet: aliaque incommoda quæ sequerentur ex Christo peccante, nempe quòd Deus denominaretur peccator &c. sequerentur ex tali natura sic assumpta peccante: quia illa quoque pertineret intrinsecè & substan- Prima conclusio, Natura creata vnita diuinæ mediante hypostasi creata, foret a hoc impeccabilis.

tialiter ad diuinitatem, & ad suppositum constans ex natura diuina & natura creata in vnica hypostasi propria creaturæ.

33. Obiectio. Obiicies: Talis natura non tam sanctificaretur à diuinitate, atque nunc sanctificatur humanitas Christi. Ergo non esset æquè impeccabilis. Probatur antecedens: quia diuinitas non tam perfectè illi vniretur (si quidem vniretur illi tantùm mediante hypostasi creata) atque vnitur humanitati Christi: quippe cui vnitur mediante tantùm hypostasi increata Verbi, solùm ratione distincta à diuinitate. Modus autem quo forma sanctificans participatur, aut conuenit alicui, multum confert ad eius sanctificationem. Qua de causa diximus alibi Deum magis sanctificari per Deitatem sibi identicè & essentialiter ac per se conuenientem: quàm naturam assumptam, per solam participationem eiusdem deitatis, & coniunctionem hypostaticam cum illa. Quia prior modus habendi deitatem infinitè melior est, & excellentior. Atqui etiam est melior modus habendi deitatem mediante hypostasi increata, quàm creata: ergo ille modus magis sanctificat & consequẽter magis impeccabilẽ reddit naturam vnitã deitati.

34. Responsio quorundam non satisfacit. Respondet vnus è recentioribus disp. 26. de Incarnat. n. 27. sub finem, nõ esse quidem æquè perfectam in se illam sanctificationem: cùm perfectiùs communicetur deitas quãdo communicatur immediatè, quàm cùm solùm communicatur mediatè: sed tamen æqualiter sanctificare, & non minus quàm nũc sanctificet deitas Christi humanitatem: quia potest forma minùs perfectè sanctificare quàm nunc, & tamen non minùs sanctificare quàm nunc: vt ait ibidem initio numeri citati. Sed nõ intelligo quomodo sanctificatio quæ non est æquè perfecta in se, æquè perfectè sanctificet: cùm nihil nisi seipsam formaliter tribuat sanctificato: & sanctificare formaliter æquè perfectè, ac sanctificari æquè perfectè, sint correlatiua, re & conceptu inseparabilia: similiterque se habent minùs perfectè sanctificare: & minùs perfectè sanctificari. Quod si minùs perfectè sanctificat: quomodo æqualiter & non minùs sanctificat? Vbi enim est defectus perfectionis, est manifestè inæqualitas, & magis ac minus inter ea quæ comparantur, in eo in quo comparantur, & in quo est excessus in vno, & defectus in alio. Neque verũ esse puto quod addit auctor citatus ibidẽ, tũc dici magis sanctificari humanitatem, quando per formam sanctificantem ordinatur radicaliter & intrinsecè ad maiorem gloriam & beatitudinem: & non minus sanctificari, si ordinatur sufficienter ad quemlibet gradum gloriæ. Nam in casu possibili, vel impossibili, quo humanitas haberet gratiam creatã infinitam, ordinaretur sufficienter ad quemlibet gradum gloriæ: & tamen multò minus sanctificaretur per illam, quàm per vnionem hypostaticam.

35. Vera solutio. Aliter ergo respondeo, primò hypothesim esse impossibilem. Secundò, illâ datâ, non minùs sanctificatum iri naturam creatam per talem communicationem deitatis, quàm nũc per eam quæ fit Christi humanitati. Quia nõ minùs intimè illi vniretur. Nunc enim vnitur mediante hypostasi Verbi, à qua virtualiter solùm & ratione distinguitur. Tunc autem vniretur mediante hypostasi creata, virtualiter solũ & ratione distincta à natura creata. Quare in vtroque casu esset tantùm mediatio virtualis & rationis inter naturas vnitas.

36. Obiectio diluitur. Dices: etsi non magis intimè & propinquè; perfectiùs tamen vniri. Quia perfectius est vniri immediatè in hypostasi increata, quàm in creata. Item natura creata perfectiùs vnitur, quando vnitur immediatè hypostasi increatæ, & ea mediante, naturæ diuinæ: quàm cùm solùm vnitur immediatè naturæ diuinæ. Perfectior autem vnio perfectiùs sanctificat. Respondeo perfectiùs vniri extensiuè, non intensiuè. Sicut enim diuinitas & hypostasis Verbi sunt quid perfectiùs extensiuè tãtùm, quàm sola diuinitas: ita vtrique vniri est perfectius extensiuè, non intensiuè, quàm vni tantùm vniri. Itaque illa sanctificatio esset æquè summa & perfecta intensiuè: quod sufficit ad reddendam naturam æquè impeccabilem de potentia absoluta, quamuis in vno fundamentum impeccabilitatis sit extensiuè maius. Addo, quamuis in hypothesi data, & non concessa, Deitas minùs intensiuè sanctificaret: adhuc tamen sufficienter sanctificaret ad excludendum peccatũ actuale de potentia absoluta, eo solo quòd talis natura assumeretur à Deo in vnitatem suppositi, licet modo minùs perfecto. Repugnat enim, Deum permittere vt peccet natura tam arctè sibi coniuncta, & substantialiter deificata. Idemque dico, si natura creata assumpta terminaretur simul subsistentiâ propriâ, & subsistentiâ increatâ, atque ita esset duo supposita coniuncta & physicè vnita. Itemque si, vt multi putant, hypostasis creata distingueretur in re à natura creata, assumpta mediante sua hypostasi.

37. Instantia repellitur. Instabis, quia non sufficit ad sanctificationem vniri deitatem mediante hypostasi à se distincta, & à natura cui vnitur: alioqui pari ratione Pater & Spiritus sanctus vniti mediatè cum humanitate Christi per hypostasim Verbi à se distinctam, & identicè per Deitatem cui identificantur; sanctificarent formaliter humanitatem, illamque redderent absolutè impeccabilem. At hoc est falsum: quia non sanctificatur formaliter nisi à Verbo.

Respondeo negando paritatem. Nam Pater & Spiritus sanctus non sunt formaliter in Christo secundum suas proprietates, neque vnum per se cum illius humanitate constituunt: vnde nec illum formaliter & intrinsecè sanctificant. At in casu posito natura diuina esset intrinsecè & formaliter in supposito ex duabus naturis vnitis in hypostasi naturæ creatæ; quamuis vnio fieret in subsistentia creata, distincta in re ab vtraque natura.

38. Secunda conclusio. Secunda conclusio respondens ad secundam & tertiam quæstionem: Potuit Verbum diuinum absolutè loquendo assumere naturam quæ antea peccasset: sublatâ tamen ante assumptionem, vel per illam, peccati maculâ. Potuit item naturam ad tempus assumptam, dimittere, & permittere vt peccaret: dissolutâ tamen ante peccatum, saltem natura priùs, vnione hypostatica. In neutro verò casu esset peccatum in Christo: quia Christus non esset eodem tempore, vel eodem instanti, quo peccatum.

Potuit absolutè assumi natura quæ peccasset ante. Prima pars probatur, quia id non est per se indecens, & valere potest ad commendandam Dei misericordiam & charitatem erga peccatores. Certè in Christi genealogia censentur quidam adulteri & adulteræ: vt Iudas & Thamar, Dauid & Bersabee, ex quorum adulterio mediatè Christus secundum carnem descendit. Estque valde verisimile materiam carnis in ipso assumptam fuisse infectam peccato in aliquo progenitorum.

39. Occurritur obiectioni. Dices hinc sequeretur Deum aliquando peccasse. Valeret enim hic syllogismus propter communicationem idiomatum: Hic homo est Deus: Hic homo aliquando peccauit: ergo Deus aliquando peccauit. Sicut valet iste: Deus creauit aliquando cœlum & terram: Hic homo est Deus: ergo hic homo creauit aliquando cœlum & terram.

Respondeo negando sequelam. Et ad eius probationem dico, vel naturam assumptam supponi peccasse antea, priuatam omni subsistentia: vel subsistétem in proprio aut alieno supposito. Si primum: falsum est dicere, hic homo peccauit. Nam hæc tantùm humanitas peccauit in statu repugnante huic homini: repugnat enim esse simul hypostaticè assumptam, & esse priuatam omni subsistentia. Si secundum: falsa est minor primi syllogismi, vel in eo sunt quatuor termini. Falsa: si terminus, *hic homo*, supponit pro eodem in minori, & in maiori. Quatuor termini: si supponit pro alio, nempe pro supposito diuino, quòd non peccauit, sed suppositum humanum. Simili modo responderi solet huic syllogismo: Hic Deus generat. Filius est hic Deus: ergo filius generat.

40. Altera obiectio. Obiicies secundò: Peius & odibilius est peccasse, quàm posse peccare. Sed hoc posterius repugnat Christo absolutè, vt suprà ostendimus: Ergo & prius. Item natura illa perfectiùs sanctificatur, cui non modò repugnat peccare aut posse peccare; sed etiam peccasse aut peccare potuisse. Atqui diuinitas sanctificat perfectissimè humanitatem, quantum natura creata sanctificari potest: ergo, &c.

Ad primum Respondeo, Peccatum quidem commissum, esse peius & odibilius, quàm potentiam peccandi: seu remotam, quæ est ipsa voluntas creata: seu proximam, quę est libertas expedita, & completè potens vndequaque ad peccandum, quæ in Christo non fuit: at non ita simplicem & solam denominationem à peccato commisso, id est, quòd quis tantùm dicatur peccasse, absque vllo residuo ex peccato, quod reddat in præsenti malum & odibilem. Hoc enim nihil dicit mali & odibilis de præsenti: sed tantùm significat fuisse antea, & esse desiisse, aliquid peius & odibilius, quàm sit potentia peccandi.

Ad secundum Respondeo, Formam non tribuere subiecto suum effectum formalem, nisi eo tempore, & pro eo tempore, quo est in subiecto aut quasi subiecto: cùm non aliter illum tribuat, quàm seipsam illi communicando. Ideóque diuinitas reddit quidem formaliter impeccabilem humanitatem, quandiu illi coniuncta est: at non ante vel post coniunctionem. Neque enim potest effectum suum formalem communicare, nisi quando seipsam illi communicat.

Secunda pars conclusionis, quòd ante, vel per assumptionem, debuerit tolli peccati macula, patebit ex conclusione sequenti, vbi ostendemus omnino repugnare, esse peccatum habituale in Christo. Dubitari verò potest an sit pariter necesse tolli reatum pœnę, aut habitus vitiosos, si qui peccando contracti fuerunt? Respondeo id probabilius mihi videri de reatu pœnæ æternæ. Valde enim esset indignum, & indecens filium Dei naturalem meritò priuari in æternum hæreditate, aut dignum esse vt ea in æternum priuetur & damnetur: maximè cùm minima eius pœna, vel actio meritoria, sufficiat toti pœnæ æternæ reatui expiando. De reatu verò pœnæ temporalis non apparet indecentia, vel repugnantia. Sed potiùs sicut Christus ex charitate & misericordia erga homines, & obsequio erga Deum, suscepit debitum patiendi mortem, & satisfaciendi pro peccatis hominum: ita posset propter honorem & amorem iustitiæ diuinæ manere debitor satisfaciendi pro peccato à natura propria ante assumptionem commisso: quemadmodum rectè docet Suares disp. 33. sect. 2. sub finem. Posset tamen statim satisfacere vnico actu, si Deus cum vellet in eum finem acceptare. De habitibus autem vitiosis censeo cum eodem Doctore debuisse prius extingui. Tum quia hęc vitia sunt magis detestanda & fugienda, quàm error vel falsitas, quæ suprà ostendimus non potuisse assumi. Tum etiam quia quilibet prudēs debet vitare hæc vitia in propria natura, quantum potest: quia per se turpia sunt & indecora, neque ad finem honestum per se conferre possunt. 41. Peccatum habituale, non potuit manere cū assumptione: neque reatus pœnæ æternæ: secus verò temporalis. Suar.

42. Natura assumpta posset peccare perdita prius vnione hypostatica. Tertia pars conclusionis probatur, Quia non repugnat absolutè Verbum diuinum assumere naturam ad tempus, putâ, ad peragendum officium redemptionis, posteaque eam dimittere, sublata quoque vel nunquam illi concessa visione beatifica, vel alio dono creato, quo redderetur impeccabilis. Tunc autem sublata vnione hypostatica, cessaret obligatio diuinæ prouidentiæ, & natura suæ fragilitati relinqueretur: vnde causa illa sola impeccabilitatis, quæ ampliùs non esset, non impediret quò minùs peccaret. Ac licet minùs conueni-

ens sit dimitti naturam quæ semel fuit assumpta, aut permitti peccare postquam semel ad tantam fuit dignitatem euecta: non tamen apparet id esse turpe, & omnino impossibile.

43. Dices, valde durum & incredibile videri, naturam quæ tantopere fuit à Deo dilecta, permitti postea peccare & damnari, & ex summo amore in summum odium diuinum incidere: maximè cùm hæc permissio ad nullum bonum finem vtilis esse possit: & dona Dei sint sine pœnitentia, Roman. 11.

Satisfit argum. contrar. Respondeo, Sicut non repugnat absolutè naturam antea peccatricem, & Deo exosam atque damnabilem, postea assumi, & euehi ad tantam dignitatem & amabilitatē: sic, &c. Valeret autem hæc permissio ad ostendendam summam Dei independentiam & libertatem. Neque propterea eum doni sui pœniteret, quòd ab initio conferre tantùm ad certum tempus decreuisset.

44. Instabis, Quia posse peccare in futurum est præsens defectus, & infirmitas in bono, seu carentia perfectæ firmitatis in sanctitate à qua potest deficere. At diuinitas vt sanctificet perfectissimè humanitatem, quantum fieri potest, debet tollere omnes defectus præsentes: ergo debet tollere potentiam peccandi in futurum: ita vt repugnet absolutè naturam semel assumptam posse vnquam peccare.

Respondeo, Impossibile esse vt tollat potentiam remotam & radicalem, quæ est ipsa voluntas, id est, ipsamet anima rationalis: itemque vt tollat potentiam proximam per se formaliter, impediendo peccatum, & potentiam proximam ad peccandum, nisi pro eo tempore quo est vnita humanitati: quia non potest aliter effectum suum formalem ei tribuere. Cùm autem vnio hypostatica pendeat à libera Dei voluntate in fieri, & in conseruari: sicut potuit non fieri, ita absolutè posset non conseruari: & non conseruata, non ampliùs redderet per se formaliter naturam impeccabilem.

45. Deberet prius cessare vnio hypostatica, quàm natura peccaret. Quarta pars conclusionis, quòd videlicet omnino tamen deberet priùs cessare vnio hypostatica, quàm peccatum committeretur, ideóque non posset vnio tolli in pœnam peccati priùs naturâ commissi, sicut gratia tollitur in pœnam peccati mortalis naturâ priùs admissi: Probatur, quia summa & perfectissima sanctificatio deitatis substantialiter vnitæ tollit potentiam proximam & completam peccandi, quandiu ipsa est: & debet priùs ipsa non esse, quàm sit talis potentia, adeóque peccatum. Ergo non potest ipsa tolli per peccatum priùs saltem naturâ commissum. Deinde Verbum, quandiu supponitat, tenetur prudenter gubernare naturam, & impedire ne peccet, neue sibi peccando subtrahatur, ac suo malo merito tantum damni ipsa patiatur. Ergo quamdiu est suppositatio Verbi, tandiu est impedimentum permissionis peccati. Ergo priùs debet tolli suppositatio, quàm peccatum permittatur. Sic etiam necessarium esset priùs tolli visionem beatificam, quàm possit peccare is qui Deum videbat: quia visio quandiu est, & ex hypothesi quòd est, excludit potentiam peccandi. Nam, vt fusiùs alibi diximus, visio Dei cùm primùm est, & quamdiu est, trahit voluntatem vi insuperabili ad amorem Dei super omnia; ac proinde imponit illi necessitatem antecedētem ad amandum Deum super omnia: eademque necessitate insuperabili retrahit voluntatem à peccato: quia implicat contradictionem voluntatem esse necessitatam antecedenter ad amorem Dei super omnia: & simul esse liberam ad eliciendum peccati affectum, oppositum amori Dei super omnia.

SECTIO V.

An peccatum habituale, vel originale potuerit esse in Christo?

Dico primò, De potentia absoluta non potuit in Christo, vel alia natura assumpta, esse vllum peccatum habituale. 46. Explicatur & probatur conclusio. Diuiditur à Theologis peccatum in actuale, quod est actus malus & culpabilis quando fit actu & existit physicè, aut omissio libera actus debiti: & in habituale, quod vt ego arbitror, est ipsummet peccatum actuale, non prout actu existens & physicè præsens; sed prout moraliter manens ob aliquem effectum, in ordine ad quem retinetur in memoria diuina, & perinde se habet, seu perinde æstimatur, ac si re ipsa præsens esset: nempe ad statum odiosi & inuisi Deo, si peccatum mortale est: vel frigiditatis cuiusdam amicitiæ propter ipsum, si veniale tãtùm est. In quo nobiscum sentit Delugo disput. 5. de Incarnat. sect. 7. num. 121. vbi ait maculam peccati habitualis (etiam venialis) esse peccatum præteritum moraliter perseuerans, in ordine ad hoc, quòd Deus rationabiliter indignetur in hominem, sicut si actu peccaret. Quæ moralis permanentia fundatur in actu præterito non compensato sufficienter, nec condonato. Peccatum enim habituale est peccatum præteritum non condonatum, nec sufficienter compensatum. Hæc Delugo.

Diuisio peccati in actuale & habituale.

Quid sit peccatum habit.

Delugo.

De actuali huc vsque diximus, ostendimusque repugnare absolutè naturæ assumptæ, quandiu assumpta est. Iam de habituali idem dicendum est. Quia non minùs repugnat cum summa sanctitate, & amicitia Dei perfectissima, quàm peccatum actuale. Et quidem duobus modis fingi potest esse posse peccatum habituale in Christo, vel in alia natura assumpta. Primò, 47.

Peccatum habituale non potest esse in natura assumpta.

ita vt fuerit commissum actu ab eodem supposito, in quo postea moraliter perseueret. Et hoc est impossibile. Quia tale suppositum, quippe diuinum, non potuit peccare, vt supra ostendimus. Secundò, ita vt natura assumpta peccauerit ante assumptionem, eiusque peccatum moraliter maneat in assumptione, & post illam. Sed neque hoc possibile est, saltem in sensu composito: quia repugnat summæ & perfectissimæ sanctitati, quam necessariò confert diuinitas substantialiter vnita: multóque magis dedecet, quàm remanere habitus vitiosos peccando contractos, quos negauimus supra remanere posse.

48. Dixi autem, *saltem in sensu composito*: id est, ita vt natura assumpta tempore ipsius vnionis sit odibilis, & inuisa Deo: quia concipi potest alius sensus diuisus. Nempe quòd Deus retineat in memoria peccatum ab illa natura commissum antequam assumeretur, non ad illam odio habendam quandiu erit sibi vnita: sed postquam desierit vnio, ad tempus tantùm concessa. Sicut posset eandem punire tunc pœna æterna, nisi tempore vnionis condignè satisfecisset, aut satis-passa esset pro peccato mortali ante assumptionem commisso. Sed neque hoc fieri posse existimo. Fieri enim nequit tam perfecta sanctificatio naturæ quæ assumitur, quanta est necessariò deitatis substantialiter vnitæ sanctificatio, nisi Deus perfectè illi naturæ reconcilietur. Repugnat autem perfectæ reconciliationi reseruatio odii in futurum pro peccato ante commisso, præsertim odii æterni & coniuncti æternæ damnationi.

49. Peccatum originale quid sit? Superest difficultas, an idem sentiendum sit de peccato originali, quod vt rectè notat Delugo disp. 26. num. 31. diuidi potest in habituale, & actuale. Habituale originale est peccatum Adæ prout moraliter participatum ab infante in instanti conceptionis, quo infans incipit non quidem peccare, sed esse in peccato, id est, in statu odiosi & inuisi Deo propter peccatum Adæ, habitualiter hoc modo ab infante contractum. Quæ participatio & peccatum vt moraliter participatum, tam multiplex est, quàm multi sunt infantes à quibus participatur. Tot enim sunt status odiosi, & inuisi Deo: cùm quilibet suum proprium habeat. Quo sensu intelligo Tridentinum, cùm ait, sess. 5. can. 3. *Adæ peccatum quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inesse vnicuique proprium.* Actuale verò originale est ipsummet peccatum Adæ, prout actu commissum, & physicè existens, quatenus moraliter fuit actio cuiusque posterorum, qui verè dicuntur peccasse in Adamo, *In quo omnes peccauerunt*, Rom. 5. vers. 12. quatenus scilicet omnium voluntates fuerunt in ipso comprehensæ moraliter, velut omnium capite, & omnium personam sustinente ex Dei ordinatione. Ita vt quod ille boni vel mali fecisset, ad omnes pertineret, vt membra illius capitis, ei subiecta; & omnibus tribueretur. Sicut quod homo facit liberè per suam voluntatem, toti homini tribuitur: aut quod facit legatus Communitatis, omnium nomine; ab omnibus moraliter fit in ipso, id est omnibus tribuitur, & perinde æstimatur, ac si reipsa fieret ab omnibus.

De peccato originali habitualiter sumpto idem sentiendum est, ac de peccato habituali proprio & personali: de quo diximus, non potuisse absolutè esse in Christo, vel alia natura assumpta. Quia repugnat perfectissimæ sanctitati deitatis formaliter & substantialiter sanctificantis. De originali autem actualiter sumpto, Delugo supra num. 32. censet distinguendum esse. Nam si loquamur de Christo integrè sumpto, siue de hoc homine: non potuit ille peccare in Adamo, etiam de potentia absoluta. Quia continentia moralis posterorum in Adamo peccante, nihil aliud est, quàm voluntates nostras taliter in eum fuisse transfusas, vt actio Adæ moraliter loquendo censeatur actio nostra: & Petrus v. g. censeatur moraliter peccasse, non minùs quàm si tunc extitisset & peccasset. Cùm ergo hic homo Christus, si tunc existeret, non posset vllo modo peccare: consequens est, vt non possit per actionem Adæ censeri moraliter tunc peccasse. Quia subiectum incapax omnino de se peccandi, non potest censeri moraliter antea peccasse. Quis enim dicat Deum ipsum, qui de se est omnino incapax peccandi, potuisse transfundere voluntatem suam in alium, ita vt illo peccante censeretur ipse peccare? Si autem loquamur de humanitate Christi in abstracto: potuit illa secundum se contineri in Adamo, & peccare. Quia, inquit, non magis repugnat vnioni hypostaticæ, quòd natura quæ assumitur peccauerit antea moraliter per actum alterius: quàm quòd peccauerit physicè per se ipsam. Peius enim est hoc, quàm illud. Sed potuit absolutè fieri secundum: ergo & primum. Hæc Delugo, cui assentirer si loqueretur tantùm de humanitate, quæ extitisset ante assumptionem. Sicut enim hæc potuit peccare physicè actu proprio ante assumptionem: ita & moraliter alieno. 50. Peccatum originale absolutè non potuit esse in Christo.

Verùm, quia, vt constat ex iis quæ addit n. 34. loquitur de humanitate nunquam existente sine assumptione, cuiusmodi fuit Christi humanitas: puto eodem argumento quo rectè probat Christum non potuisse peccare in Adamo: non potuisse quoque talem humanitatem. Nam illa natura, quæ nunquam fuit in statu potentiæ completæ ad peccandum, nunquam potuit peccare: & si extitisset in eo statu quando Adamus peccauit, non potuisset tunc peccare. Ergo consequens est vt non possit per actionem Adæ, censeri moraliter tunc peccasse. Quia subiectum incapax omnino peccandi de se, 51.

vel ex statu in quo semper existit, non potest censeri moraliter antea peccasse. At humanitas quæ nunquam existit, nisi vnita Verbo, nunquam existit, nisi in statu incapaci omnino peccandi: ergo non potest censeri moraliter peccasse in Adamo, quia si tunc extitisset in eodem statu, non potuisset vllo modo peccare. Tam enim repugnat humanitatem in statu assumptionis peccare, quàm Christum ipsum peccare.

52. P-Felsitur effugium. Neque satisfacit quod ait Delugo num. proximè cit. contentam fuisse moraliter in Adamo hanc humanitatem, quoad entitatem, non quoad modum essendi, & taliter subsistendi: Quia, inquit, potuit Adamus esse caput huius humanitatis, & non vt subsistentis. Sicut enim, inquit, potuit esse hæc humanitas, & operari sine illa subsistentia: ita potuit secundum se contineri taliter in Adamo, vt operante Adamo, censeretur operari hæc humanitas, perinde ac si tunc existeret sine subsistentia, licet tunc non existat sine illa: & ad peccandum perinde se haberet, ac si tunc physicè existeret sine subsistentia, & operaretur cum Adamo. Hoc, inquam, non satisfacit: quia non potuit contineri moraliter in Adamo hæc humanitas quoad entitatem, quandiu fuit in statu efficaciter impediente ne contineretur. Atqui nũquam fuit nisi in tali statu: ergo nunquam potuit contineri. Ergo non potuit Adamus esse caput huius humanitatis ad peccatum suum illi moraliter communicandum. Et sicut hæc humanitas si extitisset physicè, vt nunc existit, præuenta subsistentiâ increatâ, non potuisset peccare physicè: ita non potest censeri moraliter peccasse, atque ita se habuisse cum Adamo peccante, ac si tunc extitisset sine vlla subsistentia, & vt talis operaretur cum Adamo.

SECTIO VI.

An fomes peccati fuerit, vel esse potuerit in Christo de potentia absoluta?

53. Fomes peccati non fuit in Christo. Quid, & quotuplex sit fomes peccati? RESpondeo negatiuè. Ac primò, quòd re ipsa non fuerit, docent S. Thom. & omnes Scholastici, teste Vasque disp. 61. cap. 8. num. 48. & probatur, Quia fomes peccati duplex est, habitualis scilicet, siue in actu primo: & actualis, siue in actu secundo. Posterior est motus inordinatus appetitus sensitiui inclinans fortiter, & alliciens voluntatem ad aliquid contra rationem, eique vehementer resistens. Prior verò est ipse appetitus sensitiuus, non nudè spectatus, sed prout dispositus & expeditus ad huiusmodi motus causandos, sibique relictus vt in tales motus exire possit. Nimirum quia bona sensibilia, delectabilia, vel vtilia, ad quæ prosequenda sensus inclinat naturaliter, sunt plerumque opposita honestati, & secundum rectam rationem debent vitari, quia illicita sunt & turpia. Contra verò, mala sensibilia, à quibus sensus naturaliter abhorret, sunt plerumque ex necessitate subeunda. Cùm igitur appetitus sensitiuus in hæc bona vel mala fertur impotenter, neque facile voluntati obsequitur, sed contra illam nititur, & ad consensum trahere conatur, dicitur fomes peccati, eò quòd materiam peccati præbeat voluntati, & ad illud accendat.

Porrò, licet voluntas quoque, seu appetitus rationalis tales in nobis motus habere possit: non vocatur tamen ipsa, vel eius actus inordinatus, fomes peccati: sed hoc nomen restringitur ad partem sensitiuam, in qua sola constituitur fomes peccati. Aliqui tamen vt Becanus cap. 12. qu. 5. num. 14. in voluntate etiam fomitem constituunt. Sunt item qui dicunt pertinere ad fomitem, rerum æstimationem & sensum corruptum, quo circa bonum vel malum accenditur appetitus, prout magis appetendum aut fugiendum vitiosè æstimatur. Cùm enim appetitus sensitiuus sit expers libertatis; appetit naturaliter vnumquodq; prout offertur per æstimationem. Quæ quia variis temporibus, pro varia dispositione humorum, aut aliunde, diuersa est in vno eodemque subiecto: hinc modò magis, modò minùs ad idem obiectum sensibile afficitur, iuxta prouerbium vulgare, *Musica in luctu, importuna narratio*. Experientia verò certum est, esse in multis sensum reprobum, & peiùs iudicare de rebus sensibilibus, quàm bruta ipsa: vt in auaris, libidinosis, & gulosis quibusdam supra belluas ipsas intemperantibus. Et quidem hæc vitiosa æstimatio, quia accendit immediatè appetitum sensitiuum, & mediatè voluntatem, trahitque fortiter ad peccandum; potest non male dici fomes quidam peccati. 54. Becan.

Quomodocunque verò sumatur fomes peccati, constat in Christo non fuisse. Nam modus ille corruptè iudicandi, sensusque reprobus & erroneus, longè ab eo absfuit, vt supra diximus de errore & falsitate intellectus. Motus quoque inordinati circa obiecta turpia, & illicita, sunt per se turpes & pudendi, Christique maiestate indigni, & si præuidentur, ac sine grauiore incommodo vitari possunt, & impediri à supposito in quo sunt, debent vitari: alioqui fiunt culpabiles & imputabiles. Poterant autem vitari sine incommodo à Verbo diuino, per specialem prouidentiam & regimen naturæ assumptæ: ab eodemque præuidebantur, imò & ab ipsa humanitate, cui nihil improuisum accidebat. Adde, quòd Christus habebat optimam corporis complexionem, & ad virtutem accommodatissimam, adeóque rationi minimè refragantem & importunam: vt inter homines videmus aliquos ad virtutem quodammodo natos, qui in frænando appetitu sensitiuo non tantam patiuntur difficultatem. Adde etiam visionem beatificam, cuius vi credibile est ita compesci appetitum, vt non resistat: sicut in ecstasi & altissima contem- 55. Probatur non fuisse in Christo.

platione non modò non resistit, sed & penitus absorbetur. Adde item abundantiam scientiæ, gratiæ, & virtutum omnium in Christo, & specialem Dei prouidentiam in præueniendis huiusmodi motibus, non minùs atque in impediendo peccato. Qui modus prouidentiæ, si erat necessarius vltra omnia suprà dicta, non poterat Christo deesse. Quia negligentia & defectus illius fuisset ipsi Verbo diuino imputabilis & indecorus.

56. Nō potuit in illo esse fomes peccati ne quidem habitualis. Vnde collige, non modò fomitem peccati actualis non fuisse in Christo, sed neque habitualem: ac ne esse quidem potuisse. Quia fieri non potuit, vt appetitus Christi esset dispositus & expeditus, atq; sibi relictus ad habendos motus inordinatos & rebelles, circa turpia, & illicita. Quod malè negant Vasques cap. cit. nu. 55. & aliqui recentiores eum secuti. Vasquez.

Obiicies primò, Christum debuisse per omnia fratribus assimilari, Hebræor. 2. & fuisse tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, Hebr. 4. Atqui naturaliter omnibus hominibus inest inclinatio illa vehemens ad sensibilia, quæ dicitur fomes peccati: eademque est materia tentationum frequentissima, iuxta illud Iacobi 4. v. 13. *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, &c. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*: eademque non est peccatum, sed tantùm ad peccandum inclinat: ergo debuit Christus in ea nobis assimilari, atque reipsa fuit assimilatus, & per eam tentatus: maximè cùm ad salutem hominum id expediret, vt suo exemplo eos doceret: atque etiam ad perfectum virtutis exercitium: nam *virtus in infirmitate perficitur*, 2. Corinth. 12.

57. Soluitur prima obiectio. Respondeo, Particulam, *omnia*, in vtroque loco, vt & in pluribus aliis, non esse in rigore mathematico & vniuersalissimè intelligendam: sed moraliter & cum accommodata restrictione: quòd nimirum Christus assimilatus fuerit in omnibus, & tentatus per omnia, quæ ipsius personam specialiter non dedecebant, & ad salutem nostram pertinebant, quæ sanè plurima fuerunt. Verum autem est quòd peccati fomes insit naturaliter, id est, vi causarum naturalium, & naturalis complexionis, omnibus hominibus, etiam sanctissimis. Nam Paulus ad Rom. 7. & 2. Cor. 12. de illo conqueritur: nec nisi specialissimo priuilegio fuit extinctus in B. Virgine. Naturaliter, inquam: absit enim vt Deus in pœnam peccati eum specialiter procurauerit: siue morbidam qualitatem immittendo, vt aliqui imaginantur: siue humores corporis & complexionem aliter temperando, quàm natura ipsa ferret, vt ad peccandum proniores essemus. Vtrumque enim Deo indignum est: & repugnat Iacobi verbis suprà relatis: cuius oppositio & diuisio non esset bona, si concupiscentia, quâ tentamur, esset à Deo. Verùm, quia specialiter Christum dedecet, non debuit in eo nobis assimilari, vt neque in errore, & ignorantia, quantumuis inculpabili. Satisque nobis profuit exemplo suo, fortiter resistēdo externis tentationibus vehementibus, & magis apparentibus, quàm lucta illa interna, quâ caro concupiscit aduersus spiritum, vt loquitur Apost. ad Galat. 5. vers. 17. Dicitur autem ab eodem 2. Corinth. duodecimo, virtus perfici in infirmitate. Non quòd perficiatur per ipsam infirmitatem, per quam potius retardatur & attenuatur: sed quòd exerceatur ad perfectionem, dum infirmitas vrget. At Christus habuit initio virtutes omnes perfectissimas: ideóque non eguit illo exercitio infirmitatis.

Fomes peccati est nobis naturalis. Explicatur locus Apost.

58. Secunda obiectio bimembris. Obiicit secundò Delugo suprà, motus illos inordinatos habere tantùm malitiam obiectiuam in genere moris, quæ non est culpa nec peccatum, imò potest esse cum merito: potest enim aliquis cum merito exigere vsuras, bona fide existimans licitum esse illum contractum: vel occidere amicum, putans esse hostem Reipublicæ. Cur ergo repugnabūt absolutè tales actus humanitati Christi? Non certè quidem ratione sanctitatis: quomodo enim repugnet sanctitati actus meritorius & Deo placens? Item, quis neget de potentia absoluta Christi humanitatem potuisse ægrotare, & incidere in amentiam, delirare, & proferre aliqua verba inordinata, quæ si scienter & liberè proferret, peccaret: infantem obuium, quem non aduerteret, suffocare: & his similia: quæ tamen habent malitiam obiectiuam, id est, sufficientem ad terminandum actum malum moraliter, si procederent ex aduertentia rationis, & libertate. Denique huiusmodi actus antecedenter ad consensum voluntatis, vel permissionem liberam illius, nullo modo sunt culpabiles, sed naturales: sicut esset in leone affectus vindictæ: vel in equo ferocitas. Quare sicut natura leonis, vel equi, posset assumi cum his affectibus naturalibus: sic etiam natura humana, cum suis, excepto peccato.

59. Actus materialiter mali non potuerunt permitti in Christo. Ad primum Respondeo, Motus illos dedecere naturam rationalem, eo ipso quòd sunt mali obiectiuè in genere moris, & peccatum materiale. Fateor enim non esse peccatum formale & culpabile, sine aduertentia rationis, & vsu libertatis: sed nihilominus sunt de se turpes moraliter, id est, rectæ rationi seu honestati contrarij. Repugnat autem tale quidquam in Christo esse potuisse. Idque tum ratione specialis regiminis, quo natura diuina debuit talem inordinationem impedire in proprio supposito: tum etiam ratione perfectissimæ sanctitatis humanitatis deificatæ substantialiter, cui repugnāt huiusmodi actus, quatenus turpes & inhonesti. Perfectissima enim sanctitas est perfectissima honestas. Quare non assentior eidem auctori affirmanti numero 66. disput. cit. incapacitatem talium motuum non prouenire formaliter à sanctitate, etiam in Deo: sed à scientia excludente omnem ignorantiam & inaduertentiam. Manifestum enim puto re-

pugnare formaliter sanctitati, & summæ honestati, omnem turpitudinem moralem & inhonestam.

60. Neque verum est, tales actus esse meritorios, & Deo placere simpliciter, quando fiunt ab ignorantibus malitiam inculpabiliter, & bona fide existimantibus se bene facere. Nam quamuis Deo placeat actus prudētiæ, quo iudicamus dictamen conscientiæ sequendum esse, & actus obedientiæ, quo illud sequimur, præcisè vt est actus obedientiæ: displicet tamen vt est actus in rei veritate inordinatus & inhonestus, id est, disconueniens secundum veram & rectam rationem obiecto, fini & circunstantiis: nec potest esse meritorius: quia vt suppono ex disp. de Merito, omnis actus meritorius est aliquo modo supernaturalis, & non fit sine speciali Dei concursu. At illi motus inordinati non possunt fieri cum speciali Dei concursu: Deus enim non potest esse causa specialis actus moraliter mali: sicut non potest specialiter concurrere ad peccatum: sed tantùm vt causa generalis ex officio causæ primæ. Addo, huiusmodi actus non potuisse fieri à Christi humanitate existimante se bene facere; quia, vt supra ostendimus, non potuit error esse in humanitate Christi.

Vide tom. 2. disp. 43. num. 74. & seqq.

61. Ad secundum Respondeo repugnare pari ratione, Christi humanitatem incidere in amentiam moraliter indecentem, in qua faceret aliquid turpe & inhonestum. Repugnare, inquam, & ratione regiminis Verbi: & ratione perfectissimæ sanctitatis: Ac licet huiusmodi actus antecedenter ad vsum libertatis sint naturales: tum quia necessarii, id est, non liberi: tum quia ex inclinatione naturali appetitus humani sibi relicti: tamen sunt mali moraliter, id est turpes, inhonesti, & indecentes naturæ rationali, cuius sunt. Cuiusmodi non sunt appetitus vindictæ respectu naturæ leonis, aut ferocitas respectu equi: in quibus non est ratio, vt in nobis, id est, pars animæ superior & rationalis, quæ contrarium postulat: Quare dato, aut supposito quòd natura leonis aut equi potuerit assumi cum tali inclinatione naturali: non sequitur naturam rationalem potuisse assumi cum huiusmodi actibus indecentibus.

Neque vllus actus indecens.

SECTIO VII.

An passiones animæ fuerint in Christo?

62. Conclusio: In Christo fuerunt verè ac formaliter, dolor, tristitia, timor, admiratio, ira, & aliæ passiones & affectiones minimè vitiosæ. Probatur primò ex Scriptura, quæ huiusmodi affectus Christo tribuit. Isai. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Marc. 14. *Cœpit pauere & tædere.* Matth. 8. *Audiēs Iesus* (verba scilicet Centurionis) *miratus est:* & Ioann. 2. narratur Christum ira & indignatione commotum cæcidisse flagello vendentes & ementes in templo, mensas subuertisse, æs nummulariorum effudisse, atque in eo illud Psalm. 68. impletum esse, *Zelus domus tuæ comedit me.* Probatur secundò, quia hęc omnia pertinent ad veritatem naturæ humanæ, neque habent quidquam propter quod specialiter Christum dedeceant, & ad salutem hominum contulerunt. Legatur S. Thom. quæst. 18. artic. 4. & sequentibus, vbi hæc fusè & clarè prosequitur.

Fuerunt in Christo passiones nō vitiosæ.

63. Tantùm aduerto primò, huiusmodi affectus non modò extitisse in appetitu sensitiuo Christi, in quo sunt sensibiles, & vocantur passiones: sed & in voluntate. Nam v. g. doluit Christus atque tristatus est de hominum peccatis, vt sunt offensæ Dei, de obduratione Iudæ, & Iudæorum reprobatione, aliisque obiectis quæ sensuum captū excedūt. Quomodo autem potuerit esse dolor in voluntate Christi simul cum gaudio beatifico, alibi explicatum est. Porrò vt huiusmodi affectus existerent in parte sensitiua, non erat opus illam applicari à voluntate per imperium, vt debet potentia motiua animalis applicari ab appetitu: sed satis erat non impediri: alioqui enim manabant naturaliter ab appetitu in præsentia & applicatione obiectorum. Ex. gr. ad fixionem clauorum in manibus, & pedibus, sequebatur naturaliter dolor sensibilis: vt è contrario, delectatio ad tactum rei conuenientis & suauis. Est tamen differentia inter Christum & nos: quòd nulli tales affectus Christo contingebant, qui non essent ab eo ante præuisi. Quippe qui ab initio totum vitæ suæ cursum notum habebat, & opportuno tempore singula prouidebat: ideóque à nonnullis vocantur potius propassiones. Quamquam etiam possunt dici non malè passiones: quia anima ab illis patitur sensibiliter, & immutatur. Item Christus poterat illas impedire, si voluisset efficaciter, quod nos non possumus.

Non tātùm in appetitu sensitiuo sed & in voluntate.

Fuerunt potius propassiones.

64. Aduerto secundò, Non omnes huiusmodi passiones, vel affectus, esse propriè defectus naturæ humanæ; sed eos tantùm à quibus malè afficitur: cuiusmodi sunt dolor, tristitia, timor anxius, ira commouens & turbans corporis complexionem. Nam licet oriantur naturaliter huiusmodi affectus ab appetitu, posito & applicato obiecto: sunt tamen ipsi naturæ molesti & incommodi. Ideóque absunt à statu Beatitudinis, multóque magis à Deo ipso. Possunt tamen omnes dici defectus aliquo sensu, quatenus in hominibus imperfectionem aliquam adiunctam habent, longéque absunt à diuinis affectibus immaterialibus, indistinctis, & improductis.

Nō omnes passiones sunt defectus naturæ.

65. Aduerto tertiò, Non propterea fuisse in Christo pugnam internam, & tentationes internas: licet interdum vincendi fuerint, ex præscripto rationis aut præcepti diuini, vehementes affectus: cuiusmodi fuit tristitia summa, & angor de morte imminenti,

Non propterea fuerunt in Christo tentationes internæ.

Matth. 26. vers. 37. 38. & 39. & Luc. 22. vers. 43. & 44. Quia illi affectus, & similes, exercebantur tantum permissu rationis, & quantum, & quandiu ipsa permittebat, absque vlla resistentia ad nutum rationis cohibere volentis. Non est autem pugna quando quis cedit, & obedit sine resistentia, nec quidquam facit nisi alio libertimè consentiente. Non est etiam tentatio propriè, apprehensio & affectus potens de se mouere ad fugam mortis v.g. quamuis ex præcepto necessariæ, aut similis obiecti; nisi vel sit in subiecto quod possit ad peccandum allicere, vt in nobis contingit, qui etiam nostris internis cogitationibus & affectibus tētamur: vel ab extrinseco immittatur animo hostili, & ad peccatum inducere conante: qualis fuit tentatio Christi à Dæmone in deserto, vt fusiùs exponit Delugo disp. 22. num. 4. & sequentibus. Neque verò potuit Dæmon huiusmodi passiones aut cogitationes, vel vllas alias excitare in Christo (vt in nobis facit) per se immediatè, & sine externa propositione obiecti. Illa enim subiectio ad Dæmonem, Christum dedecebat: ac ne id quidem licuisset Dæmoni erga homines in statu innocentiæ. Qua de re plura idem author num. 7. vbi nonnulla refert Sanctorum Patrum testimonia in eius confirmationem.

66. Aduerto quartò circa dolorem & tristitiam, dupliciter accipi dolorem. Primò, pro obiecto dolorifero, quod est læsio aliqua, vel mala affectio corporis, sensu tactus percepta, loquendo de dolore sensibili: vt cùm aliquis vulneratur, flagellatur, comburitur. Cui læsioni aliæ similes respondent perceptæ aliis sensibus, sed non vocantur dolores: vt fœtor perceptus odoratu: amaritudo cibi & potus, gustu: sonorum dissonantia, auditu: obiectorum visibilium horror seu deformitas horribilis & molesta, visu. Secundò, pro actu vitali displicentiæ molestæ circa tale obiectum; qui actus est in appetitu sensitiuo, loquendo de dolore sensibili, & sequitur cognitionem obiecti doloriferi. Tristitia verò est displicentia vitalis & molesta de aliis obiectis disconuenientibus non sensu tactus perceptis: vt de amissione bonorum temporalium, de incuria alicuius inimicitia, de carcere, minis, & similibus obiectis disconuenientibus, sensu tantùm interno apprehensis vt talibus: loquendo similiter de tristitia sensibili existente in appetitu inferiori. Vltra quam est tristitia voluntatis de peccatis, de ira diuina, de amissione gratiæ, & aliis obiectis disconuenientibus, per intellectum cognitis, & propositis voluntati vt malè afficientibus.

Dupliciter dolor accipitur.

Tristitia quid sit?

67. Sunt tamen aliqui Recentiores qui dicunt dolorem, & gaudium seu voluptatem sensibilem non esse actus potentiæ cognoscitiuæ, nec procedere ex cognitione. Cùm enim, inquiunt, aliquis ense percutitur, dici non potest cuius ille dolor sit repræsentatio. Non enim ensis; neque motus: eundem enim sine gladio scindente potest experiri dolorem. Item cùm dentes dolent: is dolor cuiusnam, inquiunt, obiecti est repræsentatio? Idem putà de dolore qui remanet facta læsione, cùm ampliùs nulla est læsio quę fiat actu. Idē de dolore qui ex fame oritur in orificio vētriculi. Conimbricenses quidem lib. 2. de Anima cap. 11. quæst. 2. art. 2. & Dandin. in eundem lib. digress. 60. assignant causas doloris sensibilis, seu tactus, de quo ibi loquuntur, excessum primæ qualitatis in subiecto viuente, aut solutionem continui, aut distensionem. Verùm licet hæc omnia dolorem causent: non sunt tamen adæquata causa doloris: nam quodcunque corpus durum, siue naturæ frigidæ, siue calidæ, applicatum immediatè carni cuticula denudatæ, dolorem causat, qui etiam auulso illo corpore aliquantulum remanet. Ridiculum autem est dicere, dolorem illum esse perceptionem calidi aut frigidi. Qui enim ità dolet, nec de calore, nec de frigiditate corporis tangentis conqueritur. Est item ridiculum, & contra sensum, existimare, eum qui dolet dentibus, conqueri tantùm quòd percipiat calorem aut frigus in dentibus. Imò vniuersaliter qui dolet, sæpe de nulla primarum qualitatum cogitat, nec de vlla partium separatione, aut distensione. Mitto, quòd dolere potest aliquis ex continui solutione, qui tamen ignoret à qua causa sit ille dolor, cùm non putet se vulneratum. Cùm itaque non sit vlla cognitio clarior sensitiuâ: omninò mirum videtur, quòd voluptas & dolor cognitiones sensus dicantur, cùm ignoretur quid per eos actus repræsentetur. Itaque commodiùs isti actus dicentur esse actus potentiæ vitalis, sed non repræsentatiuæ: ita vt tactus operatio sit perceptio vitalis alicuius è primis qualitatibus: dolor autem & voluptas sint operationes vitales animæ, quibus anima bene aut malè habetur, vt ea, à quibus ad huiusmodi actus determinatur, prosequi aut fugere possit. Hæc illi, qui alibi idem asserunt de dolore & gaudio voluntatis.

Opinio noua de dolore & gaudio.

Conimbr. Dand.

68. Sed dicendum est primò, Communem sententiam Philosophorum, circa voluptatem & dolorem sensibilem, non esse quòd sint cognitiones sensus, vt isti videntur significare his verbis proximè relatis, *Omnino mirum videtur* &c. Sed potiùs quòd sint vitalis quædam complacentia, vel actus vitalis displicentiæ molestæ, & male afficientis sentientem. Qui actus præsupponit quidem cognitionem; sed non est cognitio formaliter, neque cum illa est ita connexus, vt absolutè nequeat esse cognitio sine tali affectu. Etenim tota perfectio illius cognitionis, & multò maior, est in Deo, tum circa illa eadem obiecta, tum circa alia sibi displicentia, vt peccata; in quo tamen non est dolor, neque tristitia. Et quādo in Martyribus impediebatur talis actus displicentiæ molestæ, & anxiæ, maléque afficientis: impediebatur dolor, licet non impediretur cognitio tormenti, siue obiecti doloriferi.

Refutatur.

69. Secundò, Non est verum, omnem cognitionem sensitiuam talem esse, vt nulla sit clarior: sunt enim multæ obscuræ, à quibus obiectum non bene discernitur: & quidem nulla discernit perfectè obiectum in indiuiduo: multæ autem nec speciem, nec genus: vt cùm homo procul videtur, visu nondum discernente sitne lapis, aut stipes, aut animal. Quare non bene colligunt dolorem non procedere ex cognitione sensitiua, neque in ea vllo modo consistere, ex eo quòd non discernimus sæpissimè causam doloris, sed confusè cognoscimus, seu sentimus aliquid nobis molestum & disconueniens: vt fit in exemplis in obiectione allatis. Nec obest, quòd illa obiecta sint proximè applicata. Nam potentia sensitiua nondum est satis expedita, & applicata ad cognoscendum, aliquo alio præuenta, aut occupata, & impedita: vel non habet vim perfectè & distinctè cognoscendi talia obiecta: quemadmodum sensus internus non potest cognoscere distinctè actus sensuum externorum: nec intellectus, suos proprios actus, aut voluntatis. Neque enim discernit sintne, substantia, vel accidens: distincti à potentia, vel indistincti: naturales, vel supernaturales in entitate? Imò neque ipsi intellectui humano, & philosophis supra citatis, aut aliis, puto distinctè notas esse causas omnes doloris sensibilis, & ab illis sufficienter assignatas. Tertiò, Cuiusnam potentiæ vitalis erunt illi actus vitales, si non sunt potentiæ cognoscitiuæ, neque appetitiuæ? Certè enim non sunt vegetatiuæ tantùm, aut loco-motiuæ. Alias autem potentias vitales in hominibus, & in animalibus nullus hactenus Philosophorum aut Theologorum agnouit: quibus nolumus, sine maiori fundamento, contradicere, & nouas potentias vitales inuehere.

70. An, & quomodo timor fuerit in Christo? Aduerto quintò circa timorem, S. Thomam quæst. 15. artic. 7. c. videri remouere à Christo perfectam rationem timoris: eò quòd, inquit, apprehensio mali futuri, si omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem. Vnde Arist. 2. Rhetor. cap. 5. circa medium, *Timor non est, nisi vbi est aliqua spes euadendi. Quando enim nulla spes est euadendi, apprehenditur malum vt præsens: & sic magis causat tristitiam, quàm timorem.* Christus autem habebat omnimodam certitudinem, & scientiam perfectam circa omne malum sibi euenturum.

Respondent Caietanus, & Thomistæ communiter, sanctum Thomam remouere solummodo timorem à Christo in parte superiori animæ, in qua erat cognitio certissima mali futuri. Sed aberrant omnino ab eius mente. Nam D. Thom. tota illa quæst. 15. apertè loquitur de timore, & aliis passionibus animæ Christi in parte inferiori. Deinde hæc responsio minùs bene consulit honori & doctrinæ D. Thomæ. Nam est contra Scripturam & Sanctos Patres, dicere, Christum non timuisse mortem, & quædam alia, secundum voluntatem, & partem superiorem, vt fusè ostendit Vasques disp. 62. cap. 3. num. 17. & sequentibus. Vasquez.

Alii, vt Suares in commentario articuli 7. quæst. 15. & Vasques ibidem num. 26. aiunt Aristotelem loqui tantùm de timore mali efficaci, & inducente ad illius fugam efficaciter, & ad quærenda, atque applicanda media quibus vitetur: ad quem solum timorem conantur Rhetores inducere auditores. Sed neque illi bene assequuntur mentem Aristotelis, qui tantùm loco cit. ait eos non timere qui vel putant se nihil posse pati, vt illi qui sunt in magna fortuna: vel spe neglecta melioris status, non curant quidquid ampliùs patiantur, velut iam malis immortui: siue sit spes mali illius imminentis euadendi, siue non sit: vt rectè ex verbis Aristotelis ostendit Delugo disp. 22. num. 37. Sed non placet quod ait num. 35. posito quòd iuxta sententiam Thomistarum supra relatam timor esse non possit in voluntate, cum certitudine mali imminentis: posse nihilominus esse pro priori signo rationis actum timoris de malo imminenti: etiamsi in eodem instanti reali, pro posteriori naturæ, cognoscatur illud malum vt certissimè futurum: si tamen pro priori nondum cognoscebatur vt certò futurum, sed vt possibile, & vt imminuens: quia, inquit, illa motiua quæ pro illo signo apparent, mouent ad aliquam fugam illius mali: quæ cùm sit fuga mali imminentis, nondum apparentis vt certò futuri, erit perfectus actus timoris. Et quidem in Christo fuisse talem actum timoris, probat, quia timor ille inducebat ad consultationem & electionem mediorum. Ab illo enim timore mortis motus fuit Christus ad orandum Patrem pro auertendo periculo mortis. Ergo ille timor non oriebatur ex præscientia mortis certò futuræ. Quomodo enim posset ex tali præscientia excitari ad orandum pro auertendo malo imminente? Ergo oriebatur solùm ex cognitione possibilitatis & periculi imminentis. Hæc Delugo. 71. Delugo.

Sed imprimis existimo certitudinem mali futuri non excludere actum timoris, etiam efficacis, & inducentis ad consultationem, & electionem mediorum auertendi malum imminens, pendens à nostra libertate vt sit vel non sit: quemadmodum neque actum spei, seu veri desiderii efficacis, & mouentis ad media procurandi bonum oppositum, vt ostendimus tom. 3. disp. 16. de Spe, sect. 6. Deinde si excluderet, vt supponit & sentit auctor citatus; non sufficeret prioritas signi, quam ipse ponit in Christo. Nam Christus per scientiam beatificam erat præuentus & præoccupatus, per quam certissimè cognoscebat omne malum sibi euenturum, priùs tempore quàm timeret in horto, & oraret. Ergo non poterat timere perfectè, quia timor perfectus non potest esse sine obiecto sibi necessario. Neque satis est dicere, quòd non procederet ex illa cognitione certa. Cùm aliunde iam ante haberet voluntas impedimentum insuperabile vt non procede- 72. Certitudo mali futuri nō excludit timorem.

ret, independens à sua libertate, etiam antecedenter: sicut visio beatifica impedit ne Beatus peccet deinceps per vllos actus: atque etiam per illos qui non procedunt ex visione beatifica, sed ex alia cognitione. Vide quæ supra diximus disput. 10. sect. 2. quæst. 1. contra similem modum philosophandi eiusdem authoris, de gaudio & tristitia Christi.

73. Admiratio duplex: & quæ eius causæ. Aduerto sextò circa passionem admirationis, duplicem illam esse. Vnam, quæ oritur ex ignorantia, vel defectu cognitionis: vt quando effectus insolitus videtur & causa ignoratur: vnde oritur in appetitu desiderium sciendi causam: vel quando cognoscitur res aliqua magna & admirabilis, quæ nostram cognitionem excedit: vt Deus, qui licet videatur à Beatis, est tamen illis semper admirationi, quia eorum notitiam excedit infinita sua magnitudine, & desiderant semper in eum aspicere. Alteram, quæ oritur solùm ex apprehensione & æstimatione rei magnæ & singularis: etiamsi causa cognita sit, si causam habet: ex qua oritur in appetitu affectus delectationis ex rei magnitudine proueniens, & in eius laudem inclinans. Magnæ, inquam, vel in seipsa: vt cùm magnum aliquem virum miramur, solis splendorem, maris amplitudinem, cœlorum magnitudinem: vel respectiuè in ordine ad aliquem: vt quando miramur scientiam pueri, & fidem hominis parum instructi. Sed vlteriùs vt locus sit tali admirationi, debet res illa magna vel superare naturam, aut vires naturales admirantis, quippe qui, v.g. in tali ætate tantam scientiam habere non potuisset, nec tantam fidem cum tam parua instructione: vel occurrere supra admirantis expectationem, & superare modum eorum obiectorum quæ communiter illi occurrunt, & ordinariè ab ipso cognoscuntur: vel excedere captum naturalem cognoscentis, licet aliunde supernaturaliter scientiam ipsius habeat: vel denique nouo quodam modo cognosci, & aliter ac meliùs quàm antea immediatè: quo pacto qui mare sæpius vidit, miratur tamen illud cùm de nouo prope accedit, meliusque cognoscit intuendo, quàm antea cùm abstractiuè cognosceret. Dicit enim admiratio defectum quendam admirantis, propter quod locum in Deo non habet.

74. Vasquez. Delugo. Hanc distinctionem admirationis sumptam ex D. Augustino fusiùs exponit Vasques disp. 68. cap. 4. eandemque tandem post exactam discussionem admittit Delugo disp. 22. sect. 4. n. 50. in fine, in qua tota sectione longè latèque hac de re disputat. Sed non placet quòd num. 44. vt tueatur veram admirationem in Christo, recurrit ad prioritatem naturæ, quatenus scilicet euentus mirabilis superabat cognitionem quam Christus habebat pro priori naturæ. Illa enim prioritas cognitionis alterius, respectu admirationis, posita scientia beatifica priùs tempore præcedente, ac semper perseuerante, patitur easdem difficultates, quas prioritas cognitionis ad timorem Christi, de quo supra: & ad tristitiam, de qua diximus disp. 10. sect. 2. qu. 1.

Christus tamen fuit capax admirationis propriè dictæ: & quidem vtriusque modi supra explicati. Primò scilicet, ex defectu cognitionis rei alicuius magnæ respectu animæ Christi, & eius captum, etiam supernaturalem, excedentis: vt Maiestatis Dei, quem etiam Beati, licet videant continuò, mirantur tamen eandem ob causam, eique se submittunt, vt suum omnem captum superanti infinita sua magnitudine: captum, inquam, omnem, etiam supernaturalem: neque enim Deum comprehendere possunt, id est, cognoscere quantum cognoscibilis est: vndè in eo contemplando se deficere sentiunt. Secundò, etiam ex occursu alicuius obiecti singularis & insoliti, superantis cognitionem quam Christus relictus solis naturæ viribus habuisset. Cuiusmodi fuit fides Centurionis Matth. 8. & Chananeæ, Matth. 15. Solis enim viribus naturalibus Christus non iudicasset tam excellentem fidem futuram fuisse in homine gentili militiæ addicto, & parum instructo: vel in muliere alienigena & infideli, qualem & quantam in Israël, id est, in populo fideli, & per Prophetas, ac per seipsum instructo, non inuenerat: Similique modo poterat Christus admirari non modò secundum voluntatem, res spiritales: sed & secundum partem inferiorem (in qua sunt passiones) euentus sensibiles, stupendos, atque mirabiles naturæ humanæ, quantumuis naturaliter perfectæ, solis viribus naturalibus relictæ. Cuiusmodi est celeritas motus cœlestis, solertia multorum animalium, vis magnetis, & similia. Quod verò ait S. Thom. 1. 2. quæst. 32. art. 8. in corp. admirationem esse desiderium sciendi causam occultam: non est intelligendum formaliter, vel identicè, sed causaliter tantùm: quia scilicet causat desiderium sciendi causam occultam: idque non semper, neque de omni admiratione: sed frequenter & vt plurimum: quia plerumque causa rei, quam miramur, est occulta: vt docet Aristoteles 1. Rhetoric. cap. 11. Quem S. Thom. ibidem allegat §. *Sed contra*. Quare poterat Christus mirari etiam ea, quorum causam aliunde sciebat: vt nos diu miramur aliqua artificia, etiam postquam eorum causa nobis fuit detecta.

75. Fuit in Christo propriè admiratio.

S. Thom.

Aristot.

DISPVTATIO DECIMA-QVARTA,

De Subiectione, Filiatione, & Prædestinatione Christi.



DE materia huius disputationis agit S. Doctor quæst. 20. 23. & 24. In quarum prima docet Christum fuisse subiectum Patri: & quia ab illo acceperat id quod erat: & quia suberat illius potestati, & dispositionis & quia tenebatur ei obedire. Sibimetipsi verò non fuisse subiectum, si subiectio ad personam eius diuinam referatur: secus autem, si ad humanam respectu diuinæ. In secunda affirmat Christum non esse Filium Dei adoptiuum, vt sunt alij iusti: quia est filius naturalis: filiatio autem adoptiua est tantùm participata similitudo filiationis naturalis. In tertia asserit dici posse Christum esse prædestinatum: quia vnio duarum naturarum in Christo fuit à Deo præordinata ab æterno. Prædestinatio autem, propriè accepta, est quædam diuina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam Dei sunt facienda in tempore. Et Christum, secundum quod est homo, fuisse prædestinatum vt esset Filius Dei. Quia hoc dicimus conuenire alicui secundum quod homo, quod ei conuenit ratione naturæ humanæ. Natura verò humana fuit in tempore Verbo vnita secundum præordinationem Dei æternam: & hoc per gratiam ei collatum est vt Filio Dei in persona vniretur. Ideóque solùm ratione naturæ humanæ prædestinatio competit Christo. Et denique Christi prædestinationem esse exemplar & causam nostræ prædestinationis: quia filiatio adoptiua est quædam participatio & imitatio filiationis naturalis: & Deus ita præordinauit ab æterno salutem nostram prædestinādo, vt per Iesum Christum compleretur: iuxta illud Ephes. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* Hucusque D. Thom.

SECTIO I.

An Christus fuerit subiectus Deo, vel hominibus?

1\. Christus vt homo fuit Deo subiectus.

DIco primò Christum, secundum quod homo est, fuisse verè subiectum Dei potestati, tam iuris, quàm facti. Ita D. Thom. qu. 20. art. 1. Probatur, quia potestas facti est vis & facultas agendi aliquid reipsa: vt producendi, destruendi, alterandi, mouendi &c. Potestas vero iuris est potestas agendi aliquid licitè, vel iustè & honestè: vel etiam potestas dominii & iurisdictionis ad regendum, præcipiendum, prohibendum &c. Christus autem cum sit creatura secundum quod homo formaliter, potuit à Deo produci, conseruari, & destrui absolutè loquendo: licet ex Dei voluntate & decreto non sit ampliùs moriturus, sed in æternum cum Patre regnaturus. Item etiam quatenus creatura est, & creatura rationalis, subest supremo dominio & potestati iuris, quam Deus habet titulo creationis in omnem creaturam, secundum quam potest licitè de creatura disponere prout vult: & speciatim potestati regendi & præcipiendi, quam Deus habet circa omnem creaturam intellectualem capacem præcepti, & moralis regiminis. Quæ omnia patent ex Scriptura, & ratione manifesta: neque egent maiori explicatione, vel confirmatione.

2\. Difficultas solum est primò, an Christus non tantum Deo subiectus fuerit, sed etiam hominibus, quoad potestatem iuris?

Sed non hominibus nisi voluntatie.

Respondeo & dico secundò, Christum voluntariè quidem se illis subiecisse: vt matri beatissimæ, & sancto eius sponso, de quibus dicitur Lucæ 2. *Et erat subditus illis*: in rigore tamen non fuisse obligatum vt illis se subiiceret, neque vllis legibus aut præceptis humanis subiectum fuisse, licet de potentia Dei absoluta non repugnauerit subiici. Ita Suarez disput. 43. sect. 2. Ratio eius est, quia Christus, etiam vt homo, habuit potestatem excellentiæ, & dominium, ac ius superioris ordinis supra vniuersos homines, vt ostendemus sect. 4. Ergo non magis potuit eorum legibus & præceptis obligari, quàm rex possit obligari lege, vel præcepto, ab aliquo sibi subiecto. Et hoc Christus significauit Matth. 17. cùm tributum postulatus, solui illud quidem, sed priùs indicauit se ab illo esse liberum, vt filium regis regum: Ferturque Ioannes XXII. damnasse erroris sententiam contrariam Marsilii Patauini, quam hodie Nouatores in odium exemptionis clericorum auidè amplectuntur. Ineptè autem opponunt illud Christi Domini ad Pilatum Ioan. 19. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Id enim permissiuè intelligendum est, id est, nisi Deus permisisset me capi à Iudæis, & tibi tradi, atque tandem occidi. Neque enim sermo ibi est de potestate iuris, sed facti: de quo idem Christus dixerat Luc. 22. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Quis enim tam horribiliter blasphemet, vt asserat tenebras, id est, Dæmones, potestatem iuris habuisse in Christum, & pro suo iure fecisse quæ sceleratissimè in eum commiserunt? Sanè Christus contrarium significauit, quando Pilato ita respondit Ioan. 19. *Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Notandum tamen potuisse Christum inire pacta seu contractus cum hominibus: & sic illis dare aliquam iuris potestatem in seipsum: non tanquam in inferiorem, sed tanquam in debitorem ex iustitia. Quo pacto Deus ipse obligat se hominibus ad nonnulla: vt ad augmentum gratiæ, & ad gloriam pro meritis retribuendam. Notandum etiam Christum potuisse absolutè carere illa potestate excellentiæ, quæ est donum morale distinctum à dono vnionis hypostaticæ: ideoque potuisse per Dei voluntatem hominibus esse subiectum, vt in postrema parte conclusionis dictum fuit, quæ maiori probatione non indiget.

Secunda difficultas est, an Christus fuerit subiectus omnibus legibus & præceptis diuinis? 3.

Fuit subiectus legibus diuinis confirmantibus ius naturale.

Respondeo & dico tertiò, Christum fuisse subiectum omnibus legibus & præceptis diuinis confirmantibus ius naturale: aliis verò purè positiuis, non fuisse subiectum, nisi iis quæ specialiter ad ipsum dirigebãtur: vt fuit speciale pręceptum moriẽdi pro hominibus: At non communibus legibus & præceptis, siue in lege naturali, siue in Mosaica, siue in Euangelica latis. Declaratur & probatur responsum. Præcepta diuina duplicia sunt. Quædam ex parte naturalia, nimirum ratione materiæ & obiecti, quibus scilicet ea solùm præcipiuntur aut prohibentur, quæ iure ipso naturali, & vi rationis naturalis præcepta vel prohibita sunt: vt adorare Deum, honorare parentes, non peierare, non mentiri, non occidere iniustè, nõ fornicari, non furari: & his omnibus Christus vt homo subiectus fuit, quia tenebatur viuere secundum regulam rectæ rationis confirmatam ab authore naturæ. Tenebatur, inquam, non solùm eo modo quo Deus tenetur, seu potiùs, non potest mentiri, peierare &c. ex essentiali perfectione & rectitudine suæ veritatis & bonitatis, à qua non potest deflectere: sed vi regulæ naturalis & diuinæ, seu obligationis à superiore impositæ: cum ipse secundùm humanitatem non sit supremus Dominus, neque regula suarum actionum.

Alia Dei præcepta sunt purè positiua, quibus præcipit aliquid non aliunde necessarium, aut prohibet aliquid non aliunde illicitum. Et hæc iterum duplicia sunt: quædam priuata, quæ vni aut paucis fiunt: Alia communia; cuiusmodi fuit in lege naturæ præceptum circuncisionis: & in lege Mosaica, præcepta omnia cerimonialia, tam positiua: quàm negatiua: & in lege euangelica, præcepta quæ pertinent ad sacramẽta 4.

Præcepta Dei positiua multiplicia.

baptismi, pœnitentiæ, Eucharistiæ, &c. Præcepta diuina communia legis Euangelicæ lata sunt ab ipso Christo eius legis authore: & lata sunt propter remedium peccati, & augmentum gratiæ: puris scilicet viatoribus, vtriusque capacibus. Ergo non obligant Christum: quia princeps non obligatur legibus à se latis, ne directiuè quidem, quando leges respiciunt subditos vt tales, id est, secundum eam rationem, secundum quam princeps non potest, aut non debet secundum rectam rationem, se illis conformare. In his verò in quibus recta ratio dictat debere Principem illis conformari, tenetur, non vi legis proximè, sed vi rationis naturalis, leges suas seruare: quatenus turpe est Principem in illis discordare à subditis.

Vide tom. 2. disp. 28. sect. 3.

5. Non fuit subiectus præceptis positiuis legis Mosaicæ.

Præcepta positiua legis Mosaicæ, & præceptum circumcisionis datum tempore legis naturæ, licet non à Christo, sed ab ipso Deo sint data, non obligauerunt Christum, vt rectè docent S. Thom. quæst. 37. art. 4. c. & D. August. lib. quæst. in Matth. quæst. 10. Idque Christus ipse significat, cum ait Matth. 12. *Dominus est filius hominis etiam sabbati*: Quasi diceret, vt exponit August. loco cit. se non esse subiectum legi, quia erat verus Rex & dominus legis. Deinde lex antiqua *propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat*: id est Christus: & vt esset noster pædagogus in Christo, donec veniret fides euangelica, vt ait Paulus ad Galatas cap. 3. vers. 19. & 24. id est, posita fuit hominibus imperfectis ex natura sua, & peccato subiectis, directioneque & remedio indigentibus. Talis autem Christus non fuit, qui vlteriùs cùm esset finis & complementum totius legis antiquæ, eamque esset abrogaturus, non debuit illi subiici.

6. Soluuntur argumenta in contrarium.

Nec obest illud Matth. 5. *Non veni legem soluere, sed implere*. Et ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Et cap. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est vniuersæ legis faciendæ*. Christus autem fuit circuncisus. Ergo fuit debitor legis faciendæ.

Quomodo Christus & cur legem impleuit?

Ad primum enim Respondeo Christum impleuisse legem, perfectè eam seruando: quamuis ei non esset subditus, sed solùm vt exemplum præberet, & calumniandi occasiones vitaret, & vt eam esse diuinam & sanctam facto suo confirmaret; vel etiam impleuisse, id est, consummasse per mortem suam, & passionem, aliaque omnia in lege præfigurata & promissa: ad eum modum, quo veritas implet figuram, & donatio promissionem.

Ad secundum Respondeo Christum fuisse factum sub lege quoad executionem suæ incarnationis, non quoad ius: id est, factus est tempore legis, quamuis non legi subiectus.

Ad tertium, dico Paulum loqui de hominibus peccato obnoxiis, pro quibus solis circumcisionis lex fuerat lata, & consequenter illa, quæ ex ea sequebantur, præcepta.

Superest ergo vt Christus iis solum præceptis diuinis positiuis subiectus fuerit, quæ priuatim ad ipsum pertinebant, vel ad paucos alios cum illo. Cuiusmodi fuit præceptum fugiendi in Aegyptum, & ibi manendi aliquot annis, quod ipsum cum sancto Ioseph & Beata virgine comprehendebat: & præceptum redimendi homines, ac moriendi pro illis, quod mandatum se à patre accepisse profitetur Christus Ioan. 10. vers. 18. & cap. 14. vers. vlt. *Sicut*, inquit, *mandatum dedit mihi pater, sic facio*: & alia quædam, de quibus ait generatim Ioan. 15. v. 10. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego præcepta Patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione*. Quibus verbis non consonat falsa interpretatio Theophylacti existimantis Christum ita loquutum, vt audientium infirmitati sese accommodaret: non autem quod verè vllis mandatis obnoxius esset. Sed vlterius refellitur, quia, vbi non est verum mandatum, non est vera obedientia: At Christus fuit verè obediens, vt patet ex Philipp. 2. v. 8. & clariùs Rom. 5. v. 19. vbi Christi obedientia comparatur cum Adami inobedientia, quæ sine dubio fuit vera & propria. Et quidem valde conueniens fuit homines perditos per inobedientiam primi Adæ, reparari per obedientiam secundi: & bonis eius operibus addi laudem & meritum obedientiæ non repugnantis personæ maiestati, plurimumque facientis, ad Dei gloriam & hominum exemplum.

7. Quibusnā præceptis Dei positiuis fuerit subiectus?

Illa fuerūt vera præcepta respectu Christi.

SECTIO II.

An Christus vt homo sit verè ac propriè seruus Dei, aut filius adoptiuus?

8. Conclusio negatiua.

RESpondeo negatiuè. Sic enim puto cum Vasque, Delugo, & aliis Recentioribus, definitum fuisse à Concilio Nationali Francfordiensi trecentorum Episcoporum, ex Italia, Gallia, & Germania; & ab Adriano I. in epistola præmissa eidem Concilio. Vbi damnantur Fœlix & Elipandus hispani Episcopi, quòd Christum filium adoptiuum & seruum appellarent. Verba Adriani sunt, columna 5. illius epistolæ, *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deluſit, vt adoptiuum eum filium, qui ſi purum hominem, calamitati humanæ subiectum, & (quod pudet dicere) seruum eum, impii & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimeſcitis venenoſa lingua suſurrare? Cur non veremini querui ob relatores, Deo odibiles, illum seruum nuncupare?* Quibus verbis Adrianus in illos acriùs inuehitur, quod seruum appellarent, quàm quòd filium adoptiuum, vt patet ex parenthesi (*quod pudet dicere*) atque vtrumque apertè damnat, sed magis secundum, quàm primum improbat, quod notent Medina, Didac. Aluarez, Suarez, & alii infra citandi, qui

Adrian.

filium adoptiuum esse negant, sed seruum esse contendunt. Concilium verò in epistola ad Episcopos Hispaniæ non longe à fine, *Intelligite*, inquit, *in hac professione vestra duplice diabolicæ fraudis latuisse dolos*, &c. *Dum & Dominum nostrum Iesum Christum, quem Deum colimus, & adoramus, seruum prædicatis, & adoptiuum*.

9. In eodem Concilio refutatur apertè illa distinctio, quòd Christus sit filius naturalis & dominus secundum naturam diuinam, adoptiuus autem & seruus secundum humanam. Asseriturque Nestorizare, & Christum in duas personas diuidere eos qui illud asserunt quia seruitus, & adoptio dicunt personam extraneam, & alienam ab eo cuius seruus aut filius adoptiuus est. Verba Synodi hæc sunt in libro sacrosyllabo col. 5. initio: *Porrò adoptiuus dici non potest nisi is qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus, & gratis ei adoptio tribuitur. Etenim non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstatur. Sicut nos aliquando cum essemus peccando filii iræ, alieni eramus à Deo: & per proprium & verum filium eius, qui non eguit adoptione, adoptio nobis filiorum donata est*, &c. *proprius filius factus est ex muliere, non adoptiuus*. Et columna penult. initio, *Corde credamus ad iustitiam, ore autem confiteamur ad salutem, Dominum nostrum Iesum Christum verum Dei filium, non putatiuum, proprium in vtraque natura, non adoptiuum*. Et in epistola Concilii ad Episcopos Hispaniæ, columna 16. initio: *Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio quâ pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet? & certissimum est, si ut præfati sumus, alium esse proprium, alium filium adoptiuum. Nonne tunc duo filii erunt Deo Patri, vnus proprius, & alter adoptiuus, quod nullus Catholicus audet dicere? Quid est aliud dicere eandem virginem adoptiuum vel seruum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse? Si Deus generatus est: nequaquam adoptiuus, sed filius. Quia alia persona est proprii filii, alia adoptiui vel serui*.

10. Rursus Adrianus in epistola sua, columna 5. in fine, & duabus sequentibus, impropriè & metaphoricè interpretatur loca veteris Testamenti, in quibus Christus vocatur seruus. Quod necesse non erat si aliquod genus veræ & propriæ seruitutis in Christo agnouisset. Potuisset enim de illo explicare in sensu vero ac proprio, additque in nouo Testamento, in quo, cessante vmbra & figura, veritas fuit manifestata, nusquā vocari seruum, sed filium & dilectum. *Nam*, inquit, *etsi in vmbra prophetiæ dictus est seruus propter seruilis formæ conditionem quam sumpsit ex virgine*, &c. *Nunquid propterea serui nomen ei imponere debemus?* Et paulò post, allatis, Iob, Dauidis, Isaiæ, Ambrosii, & Gregorii magni locis, quibus Elipando fauere videbantur, subdit, *Nunquid docuerunt eum seruū vel adoptiuum prædicare, cum vniuersalis Ecclesia euangelicis atque apostolicis imbuta lucidissimis documentis, Deum ac dominum suum totis medullis cordis, tota animi deuotione, in dextra eum Patris profitetur sedentem. Postquam autem cessauit vmbra veritatis, & ipsa in promptu manifestata est veritas, quæ sub allegorica sylua latebat: nusquam eum à Patre vocatum seruum legimus, sed filium & dilectum, & suum: nec filium, Dominum suum appellasse, sed Patrem. Nam Deus & homo erat qui secundum Deum dicebat, Ego & Pater vnum sumus: & secundum hominem, Pater maior me est. Et tamen non ait, Pater dominus meus est, sed maior*.

Probatur ex Cōcilio Francf.

Ad idem confirmandum plura Scripturæ & Patrum testimonia adducit Vasques disput. 80. cap. 6. & 7. quem consule. Ratio verò ex Concilio citato reddi potest, quia quod attinet ad seruitutem, illa non naturæ solius, sed personæ alienæ & inæqualis nomen est: id est, ille qui strictè ac propriè dicitur seruus, debet esse persona diuersa à Domino: debet item esse talis, vt cum Domino nec in bonis, nec in honore, nec in sede communicet ex debito, saltem ad æqualitatem. Propterea enim filii, quamuis parui, non sunt serui, neque vxores: quia habent, per se loquendo, ius ad æqualem participationem, aut successionem bonorum & honoris. At Christus ratione vnionis hypostaticæ est persona eadem cum Deo, cui propter vnionem humanitatis suæ cum Verbo competit Dominium in creaturas, & æqualitas bonorum, & honoris ac sedis, cum Deo, propter quam dicitur ad dexteram eius sedere. Hanc rationem tradit Concilium verbis supra relatis, cùm ait: *Alia est persona proprii filii, alia adoptiui vel serui*. Et Adrianus suprà, cùm ideo negat Christum seruum dici posse, quia Ecclesia in dextera eum Patris profitetur sedentem, id est, in æquali gloria, quæ æqualitas sequitur necessariò ex identitate personæ: illa verò est quæ maximè opponitur seruituti strictè & propriè dictæ. 11.

Probatur ratione.

Adoptio & seruitus non conueniūt nisi personæ alienæ, & inæquali.

Quod verò attinet ad adoptionem, ea quoque personæ non naturæ nomen est: significatque personam, quæ non naturaliter, sed adoptiuè tantum, filius est, id est, affectu voluntatis. Est enim adoptare, optare aliquem in filium, & velle vt sit filiùs, cùm non sit talis naturaliter, sed alienus & extraneus. *Alia enim est persona proprii filii, alia adoptiui*, vt ait Concilium citatū in epistola ad Episcopos Hispaniæ col. 16. &, *Adoptio nihil est aliud, nisi charitatis copulatio, quâ pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet*, vt dicitur initio eiusdem columnæ. Et in libro sacrosyllabo eiusdem Concilii col. 7. *Adoptiuus non nisi affectatæ locutionis alienus dicitur filius. Omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem*, &c. *Ita namque ex vtraque parte, vtinam, aduerbium eleganter insitum, vt si dicas, vtinam sis mihi in filium adoptiuum: & è contra: vtinam merear à te in filium adoptari*. Ex quibus Concilij verbis sic rectè arguit Vasques disput. 89. capite 11. numero 71. Ille qui adoptatur in filium, non secundum naturam, sed solo affectu coniungitur adoptanti. Id 12.

Adoptio quid sit.

namque ipsa vox, adoptio, significare videtur, est enim vox optantis seu desiderantis, Quare adoptare aliquem in filium nihil aliud est, quàm voluntate, & desiderio, loco filii naturalis aliquem sibi subrogare. Et perinde est, sibi adoptare filium; atque desiderare sibi habere pro filio eum, qui alioqui secundum naturam sibi coniunctus non est, ad curam & gubernationem paternam, & ad hæreditatem illi dandam tanquam filio naturali. Atque ita nos adoptamur à Deo, quando per iustificationem gratis à Deo, à quo sumus extranei, & nullo modo filii naturales, in filios & hæredes vitæ æternæ assumimur. At Christus ratione hypostaticæ vnionis est persona Dei propria, & naturaliter coniuncta per generationem, non autem extranea. Ergo non potest dici filius adoptiuus; sed proprius & naturalis.

13. *Christus inquantum homo reduplicatiuè, non fuit seruus, aut Filius Dei adoptiuus.*

Ex his collige Christum, ne quidem reduplicatiuè inquantum hominem, seruum propriè aut filium adoptiuum dici posse. Siue reduplicatio sumatur eo sensu, quo denotat causam propter quam, vel id ratione cuius prædicatum tribuitur subiecto simpliciter: vt cùm dicitur, Christus quâ homo mortuus est, crucifixus, sepultus, ascendit in cœlum: siue alio sensu, quo denotat partem aliquam secundum quam prædicatum tribuitur subiecto non simpliciter, sed secundum illam dumtaxat, vt cùm dicitur Aethiops est albus secundum dentes, Homo est immortalis secundum animam: neque enim propterea dicitur simpliciter & sine addito Aethiops albus, aut homo immortalis: qui duo modi reduplicandi notandi sunt. Dico igitur neutro sensu verè dici ac propriè Christum, inquantum hominem, esse seruum aut filium adoptiuum secundum humanitatem: tum quia, vt Concilium Francford. sæpius affirmat, nomen serui & filii non est nomen naturæ, sed personæ extraneæ: tum etiam quia licet humanitas, vt sic, præscindat ab vnione hypostatica, sitque indifferens ad seruitutem & adoptionem, aut ad eius oppositum: tamen in Christo est re ipsa hypostaticè vnita: seruitus autem, & filiatio adoptiua, includunt in suo conceptu & denominatione non præcisionem solùm, sed & negationem vnionis hypostaticæ, id est, vt natura eius, qui dicitur seruus, aut filius adoptiuus, non sit re ipsa vnita personæ diuinæ, & per talem vnionem facta persona propria, non extranea; & particeps ad æqualitatem honoris & cultus diuini. Propter quod Patres Concilii Francford. in epistola ad Episcopos Hispaniæ colum. 12. post medium, sic aiunt: *Vnitas personæ, quæ est in Dei filio & filio Virginis, adoptionis tollit iniuriam.* Et

Damasc. Damascenus lib. 3. de Fide, cap. 21. *Seruitutis*, inquit, *& dominationis nomina non naturas, indicant, sed ex eorum sunt genere quæ ad aliud referuntur* (id est, significant suppositum relatiuè ad dominum, vel ad seruum) *quemadmodum & paternitatis & filietatis voces.* Et paulò post, *Si exilibus quibusdam cogitationibus, hoc est, subtilibus mentis imaginationibus, id quod creatum ab eo quod increatum est seiunxeris: sanè seruilis ordinis esset caro, nisi Deo Verbo copulata esset. At cum semel ei personaliter vnita est: quonam iam pacto in seruilem classem redigetur.* Indeque sic concludit: *Ex quo perspicuè constat eum appellatione dumtaxat, ac nomine tenus seruum dici, cum hoc minimè sit, verùm nostrâ causâ serui formam susceperit, ac seruus nobiscum vocatus sit*, id est, acceperit naturam humanam de se seruilem, atque etiam conditionem seruilem serui officium obeundo, & seruilia munia exercendo, non modò erga Deum, sed & erga homines ipsos. Verè enim dicebat Apostolis Lucæ 22. vers. 27. *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.*

SECTIO III.

Refutantur quæ responderi solent testimoniis ex Concilio Francfordiensi allatis.

Contra id quod diximus, Christum non posse dici strictè ac propriè seruum Dei, sentiunt Suares disp. 44. Valentia quæst. 20, Tannerus qu. 7. dub. 3. num. 17, Paludan. in 3. disp. 12. qu. 3. Medina, Didac. Aluar. Cabrera, & alii Thomistæ ad qu. 20. art. 1. vel 2. quorum authorum primus rem ferè certam esse pronunciat: postremus ait contrariam sententiam esse improbabilem, temerariam, & periculosam in fide, si intelligatur de seruitute connaturali naturæ humanæ. Fauet etiam S. Thom. qu. 20. art. 1. ad 2. vbi admittit Christum non minùs posse dici secundum naturam humanam, esse seruum, quàm esse Deo subiectum: est autem verè & propriè subiectus: ergo & seruus. Et qu. 23. art. 4. ad 3. discrimen esse ait inter filiationem adoptiuam, & seruitutem: quòd seruitus, vel subiectio ad Deum, non solùm respicit personam, sed etiam naturam: secus autem filiatio. Vnde Christus non est filius adoptiuus: quia quâ persona, est naturalis Dei filius: est tamen seruus, quia secundum naturam humanam est supremo Dei dominio subiectus. 14. *Opinio quorũdam Christum esse seruum Dei.*

Testimoniis autem ex Concilio Francford. allatis, cuius authoritatem recipiunt aduersarii, quia licet diu latuerit (propter quod D. Thomæ non fuit notum) & non ita pridem opera Laurentii Surii in lucem prodierit: tanta tamen Ecclesiæ consensione receptum est: vt temerarium videatur authoritatem velle illi adimere, quemadmodum Suares ipse fatetur disput. 44. sect. 1. §. *Ad definitionem igitur*: & quidem plurimi antiqui historici indubitanter asserunt Fœlicem & Elipandum in Concilio Francford. sub Adriano I. & Carolo magno fuisse con- 15. *Refutatur prima eorum euasio.* *Suar.*

demnatos: Illis inquam testimoniis respondent aliqui nihil de Christi seruitute ibi definitum fuisse, sed de adoptione tantùm, de qua sola ex professo tractabatur.

At hoc apertè repugnat epistolæ Adriani, & toti Concilio: nam magna vtriusque pars insumitur in errore de seruitute refutando atque damnando.

Secunda euasio. Alii dicunt damnari tantùm Elipandum quòd irreuerenter & insolenter de Christo loqueretur: & non quòd seruum simpliciter assereret. Verùm apertè patet ex Adriani & Concilii verbis supra relatis, non damnari tantùm insolentiam, sed & appellationem serui.

16. Tertia euasio. Alii tertiò respondent Concilium loqui tantùm de speciali seruitute fundata in conditione seruili, quâ, is qui seruus est, non ex amore paret & reueretur dominum, sed ex timore pœnæ, & quasi coactè. At si ita erat, debuisset Concilium testimonia & rationes afferre, quibus ostenderet Christum ex amore paruisse. Hoc autem omnino non facit, sed aliis rationibus & testimoniis probat Christum non esse seruum, propter maiestatem personæ: aitque Christum non esse seruum secundum humanitatem, quia eadem persona non potest esse serui & domini: Et quia ille qui adoratur vt dominus, esse seruus non potest. Item Adrianus ait loca Veteris Testamenti de seruitute Christi esse metaphoricè intelligenda. Quod non diceret, si tantùm spiritum timoris seruilis damnaret. Denique ex epistola Elipandi in eodem Concilio relata, constat Elipandum non in eo errasse, vt fusiùs ostendit Vasques disput. 80. cap. 5. Vasquez.

17. Quarta euasio. Quartò, respondent alii Concilium loqui solùm de seruitute pœnali ex peccato contracta, aut de seruitute ipsa peccati. Quod, inquiunt, constat ex his verbis epistolæ Concilii: *Vnde Adam seruus factus est, nisi ex peccato? Christus autem non fecit peccatum. Ideo seruus non est peccati, sed magis liberator & redemptor eorum qui serui sunt peccati.* Respondeo Concilium ibi per inductionem enumerare omnes species seruitutis, vt eas omnes à Christo excludat. Vnde subdit: *Sed fortè seruum hominis eum fuisse dicitis? At est dominus omnium. Anne Angelorum eum seruum vultis dicere?* &c. *Quia dicitis de Deo Patre*, &c. Patet ergo Concilium & Adrianum generaliùs loqui, & conditionem quamcunque seruilem à Christo excludere: eaque de causa Scripturæ loca metaphoricè interpretari de seruitute tantùm quoad appellationem, aut quoad officium & obedientiam. Deinde ex nullo testimonio constat Elipandum adeo desipuisse vt Christo seruitutem peccati, vel ex peccato ortam tribuerit. Eius autem mens satis erat nota Concilio per ipsius epistolam, quam refutat. Quod enim ait Lorca disput. 78. num. 22. id constare ex Elipandi confessione, in qua Christum captiuum vocat: non est verum. Nam per captiuum, intelligit captum seu comprehensum & ligatum ab hominibus, flagellatum, & crucifixum &c. vt ex ipsius verbis rectè ostendit Delugo disp. 28. nu. 21. apud quem plura vide contra hanc euasionem. Adde quod Adrianus remouet etiam à Christo eam seruitutem, quam Iob, & aliis sanctis concedit: at sancti non sunt serui peccati. Et vel nullam aliam seruitutem propriè dictam agnoscit, quàm peccati: vel contra. Si primum: ergo ex definitione Adriani Christus non est propriè seruus vllo modo. Si secundum: quare Adrianus dicit omnia Scripturæ loca de Christi seruitute esse impropriè intelligenda: cum possint propriè intelligi de seruitute naturali, id est, de subiectione creaturæ ad Deum, vt volunt Aduersarij? Lorca.

Quintò denique, Suares respondet damnari tantùm Elipandum quòd Christum purum seruum, & purum filium adoptiuum cum Nestorio affirmaret. Quod probat ex quibusdam Concilii verbis, & ex antiquis ac nouis historicis. Additque parum consulere famæ illius Concilii, & Adriani, eos qui contendunt damnatum ab illis fuisse Elipandum simpliciter, ac tam acriter reprehensum ab Adriano, propter modum loquendi à Scriptura & Patribus tam frequenter vsurpatum. 18. Quinta euasio.

Sed hæc euasio euidenter à Vasque disp. 89. cap. 8. refellitur his argumentis. Primò, si Elipandus planè fuisset Nestorianus, & duas in Christo asseruisset personas: non adeo suæ causæ confideret, vt Carolum Magnum, quem Catholicum & doctum agnoscebat, sollicitaret per literas, vt coacto Concilio Episcoporum Latinorum suam sententiam approbaret, vt constat ex epistola Caroli, quæ habetur in fine Concilij Francford. Quomodo enim sperasset Carolum Magnum, & Latinos, in errorem Nestorii, generali Concilio damnatum, consensuros? Secundò, Patres Concilii loquuntur de errore Elipandi vt nouo, & diuerso ab antiquo errore Nestorii. Nam in epist. ad Episcopos Hispaniæ col. 15. initio sic aiunt: *Dices, cur times adoptiuum Christum Dominum nominare? Dico tibi, quia nec Apostoli eum sic nominauerunt: nec sancta Dei Ecclesia Catholica consuetudinem habuit eum sic nominandi, imò nec credere eum adoptiuum esse.* At si cum Nestorio Elipandus planè sensisset: neque huiusmodi interrogatio tam aperto errori conueniens fuisset: neque solùm respondissent Patres id non esse consuetum in Ecclesia, sed olim fuisse expressè damnatum. Et col. 17. in fine dicunt Elipando & sociis, *Nolite per humanas inuentiones fluctuare.* Et col. 18. *Nolite nouas versare quæstiunculas.* Si autem Elipandus apertè Nestorizabat: non fluctuabat per humanas inuentiones, sed post veteres hæreses certò abibat: neque nouas versabat quæstiunculas, sed veterem & insignem errorem sequebatur. Præterea Carolus Magnus in epistola sua, de sententia Elipandi velut noua & 19. Reiicitur. 20.

inaudita loquitur. Et quod tertio loco valde notandum est, Adrianus & Concilium supponunt tanquam concessum, & certum apud Elipandum, vnicam esse in Christo personam: indeque inferunt, nō esse seruum, nec filium adoptiuum: quia alia est persona filii; alia adoptiui, vel serui. Et ex eo quòd dicatur seruus vel adoptiuus, inferunt duas in Christo asseri personas, adeoque Elipandum incidere in errorem Nestorii. At non esset ad hoc absurdum deducendus, si hoc ipsum ab initio fatebatur: & eius error iisdem erat argumentis refellendus, quibus Nestorius in Concilio Ephesino fuit conuictus & damnatus. Quartò, non fuisset ratio cur Adrianus diceret loca veteris Testamenti de seruitute Christi, metaphoricè intelligi debere. Sat enim fuisset respondere Elipando loca illa de Christo secundum naturam humanam intelligi: & Christum esse seruum, sed non purum: atque ita Scripturæ proprietatem seruare quantum fieri poterat.

21. Quintò, Elipandus in sua confessione, & epistola, fatetur expresse Dei filium, Deitate exinanita, hominem factum: & Bonosum (quem Nestorius est sequutus) apertè damnat, quòd crediderit Christum non fuisse de Patre ante sæcula propriè genitum, neque incarnatum: & suam, ac suorum cum Beato & Heterio controuersiam in eo consistere affirmat, quòd isti dicerent vnam personam non posse ex parte esse proprium filium, & ex parte adoptiuum: proprium filium diuinitate, & adoptiuum humanitate. Quod si Concilium aliquando dicit Elipandum Nestorizare: hoc facit per illationem, vt antea diximus: deducendo illum ad incommodum, nempe ad errorem Nestorii: quod signum est illum ab eius hæresi abhorruisse. Eademque de causa veteres illi & recentes Historici aiunt Elipandum & Fœlicem fuisse Nestorianos, quòd in eorum errorem per consequentiam inciderent. Ionas certè Aurelianensis, illius temporis scriptor, lib. 1. de cultu imaginum ipso initio, & Ado Viennensis in Chronico ad annum 793. apertè docent damnatos fuisse Fœlicem & Elipandum, quòd Christum secundum humanitatem, & secundum quod homo est, adoptiuum Dei filium esse dicerent: quo etiam sensu seruum esse dicebant. Denique Concilium eodem modo negat dici posse Christum esse seruum, ac filium adoptiuum. Atqui non potest dici adoptiuus secundum humanitatem: ergo nec seruus ex mente Concilii.

Ionas Aurelianensis. Ado Vien.

22. Meritò autem damnati fuerunt Fœlix & Elipandus, quòd alio sensu, nempe stricto & proprio, non autem lato solùm & improprio, vt Scriptura & Patres, seruum esse contenderent, Ecclesia resistente & scandalum patiente. Sicut olim propositiones aliquæ à Patribus vsurpatæ, fuerunt damnatæ in Pelagianis alio sensu eas vsurpantibus. Concilii vero authoritati detrahunt potiùs aduersarii, cùm, vt ostendimus, sæpius fateri coguntur Adriani Papæ argumenta fuisse inefficacia, & inepta ad probandū quod intēdebat, & quod definiebat, si definiuit solùm id quod volunt aduersarii: quàm nos qui Adriani & Concilii verba generaliter sumimus vt sonant, sine limitatione ipsorum argumentis repugnante, quasi Concilium aut Adrianus sibi ipsis contradixerint. Quomodo autem Scriptura & Patres Christum seruum appellauerint, mox dicemus. Patet ergo ex dictis non esse certum, imo neque verum id quod Suares cum aliis initio citatis affirmat. Censura vero Cabreræ tam facilè contemnitur ab assertoribus huius sententiæ, quam leuiter ab illo ferri solent. D. Thomas denique in 3. dist. 10. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 3. dixit tantùm Christum aliquo modo posse dici seruum: quod in 3. par. quæst. 20. art. 1. exponit de subiectione seruitutis, secundum quod omnis creatura Deo seruit, eius ordinationi subiecta: iuxta illud Sapient. 16. *Creatura tibi factori deseruiens*: secundum quod etiam filius Dei Philipp. 2. dicitur formam serui accepisse.

Quare damnati Fœlix & Elipandus in Concilio Francford.

D. Thom.

SECTIO IV.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ pro Christi seruitute.

23. Obiicit primò Suares loca veteris Testamenti, in quibus Christus vocatur sæpius seruus Dei: Isaiæ 42. *Ecce seruus meus, suscipiam eum*, &c. & cap. 52. *Ecce intelligit seruus meus, exaltabitur*, &c. vbi vtroque loco in Hebræo est *Heued*, quæ vox seruum vilioris & durioris conditionis significat. Et cap. 53. *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos*. Ezechiel. 34. *Suscitabo super eas pastorem vnum qui pascat eas, seruum meum Dauid*. Zachariæ 3. *Adducam seruum meum orientem*, &c. Respondeo cum Adriano Papa, & Damasceno supra relatis, hæc omnia non esse eo sensu intelligenda, quòd Christus fuerit propriè seruus statu & conditione: sed vocari seruum, quia talis fuit similitudine, propter naturam eandem cum aliis hominibus, ex Virgine assumptam: vel etiam quia talis fuit officio & ministerio, vt ait Concilium Francford. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ columna 12. post medium, cuius verba hæc sunt: *Et si eum propheta seruum nominasset; non tamen ex conditione seruitutis, sed ex humilitatis obedientia, quâ factus est Patri obediens vsque ad mortem*.

Prima obiectio. Quo sensu Christus vocatur seruus in Scriptura?

24. Opponit secundò loca noui Testamenti, in quibus Christus videtur seruus tacitè vel expressè dici. Nam Matth. 12. repetitur illud Isaiæ 42. tanquam de Christo dictum, *Ecce seruus meus, suscipiam eum*, &c. Nec obest quod in Matthæi textu pro seruo, est, *puer*, Græce, παῖς iuxta LXX. Nam voces illæ seruum quoque significant: præ-

Secunda obiectio ex nouo Testam.

sertim quando ad ætatem referri non possunt. Deinde Matthæi 11. Christus Deum dominum suum vocat his verbis, *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ*: Vbi nomine cœli & terræ, omnia in illis contenta significat. Et Matth. 4. cùm Dæmoni tentanti sic respondit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*: Et, *Non tentabis Dominum Deum tuum*: tacitè significauit Deum esse Dominum suum sibi adorandum, & non tentandum. Dominus autem & seruus correlatiua sunt. Item iisdem locis vocat illum Deum suum &: clariùs Ioan. 20. *Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Et Matth. 27. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereli quisti me*? At Deus nullius est Deus, cuius etiam non sit supremus dominus; cum omnimoda dependentia & subiectione, vt possit eo vti quomodocunque voluerit. Neque dubium est quin Christus vt homo teneatur Deum adorare vero cultu latriæ, id est, seruitutis, ac recognitionis supremi & diuini dominii. Denique Philipp. 2. v. 6. Paulus expressè Christum nominat seruum cum sic ait: *Cùm in forma D i sset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam s rui accipiens, in simi i u inem hominum factus, & habitu inu ntus vt homo.* Vbi per formam serui, vera & propria natura, & conditio serui, intelligenda est: sicut per formam Dei, non potest aliud intelligi quàm propria natura & conditio Dei. Vnde Chrysost. Homil. 7. in epist. ad Philipp. eundem locum exponens: *Sicut*, inquit, *in forma Dei per fectus est D us: ita in forma serui perfectus est s uu.*

Chrysost.

25\. Explicantur loca Script. cit.

Respondeo primò, Adrianum in epistola supra citata apertè dicere Christum in nouo Testamento nusquam vocari seruum: nec patrem vocare dominum suum. Secundò, non sine mysterio Matthæum cap. 12. vsum esse nomine Pueri significante filium, æquè ac seruum. cap. vero 11. Christus Deum, patrem suum dicit dumtaxat: dominum vero cœli & terræ vocat: quibus nominibus non est necesse vt omnia contenta, adeoque seipsum comprehendat. Cap. 4. tantùm respondet Dæmoni non alium, quàm Deum, esse adorandum cultu latriæ: eundemque non esse tentandum: verbis desumptis ex Deuteron. 4. quæ ad ipsum pertinebant quantùm opus erat ad Dæmonem refutandum. Addo, quamuis Christus Deum vocasset dominum suum: non tamen eo rigore, quo significat dominatum seruituti & conditioni mancipii relatiuè oppositum: sed eo tantùm, quo dominatum politicum & honorarium: quo sensu vir est dominus vxoris, pater filiorum, magistratus ciuium, Princeps subditorum. Tertiò, verum est Deum esse Deum Christi, posseque vti eius humanitate prout voluerit: neque tamen Christum esse propriè seruum, ob dignitatem & æqualitatem personæ: Neque Deo subiectum esse cum negatione æqualis participationis bonorum & honoris, vt requirit serui conditio. Debet autem Deo cultum latriæ, id est, obsequii & honoris, vt primo enti & principio rerum omnium, dominoque supremo vniuersorum, titulo creationis: diuersa tamen ratione sui & aliorum, ob differentiam personæ & conditionis suæ à conditione aliorum.

Paulus verò per formam serui, naturam de se seruilem, id est, humanam, intelligit: 26.
at non seruilem conditionem eiusdem naturæ hypostaticè vnitæ, vt exponit Concilium Francford. in epist. ad Episcopos Hispaniæ colum. 12. in fine; vbi ad idem confirmandum refert Leonis Papæ verba Sermon. 2. de Natiuitate Christi, cap. 4. *Assumpta est de matre Domini natura, non culpa: creata est forma serui sine conditione seruili.* Et Augustini Homil. 39. *Dominus noster etiam in forma serui non seruus, sed in forma etiam serui Dominus fuit.* Chrysostomus denique per formam serui, humanitatem: per seruum perfectum, hominem perfectum intelligit: Nam quòd Christus non fuerit seruus natura ipsa & conditione, sed officio tantùm ad tempus, docet aperte idem Chrysost. Homil. 13. in epist. ad He ræos: *Sicut enim seruus factus est* (inquit) *Sic & Pontifex & minister. Sed seruus factus non mansit seruus. Sic & minister factus, non mansit minister. Non enim ministri est sedere, sed stare.* Quod si naturá fuisset seruus: mansisset semper seruitus, vt natura.

Leo.

August.

Chrysost.

Opponit tertiò Suares testimonia Patrum, quorum multa exponi facilè possunt vt loca Pauli & Chrysostomi iam explicata: alia difficiliora hæc sunt. Athanasius Serm. 3. contra Arianos: *Quatenus in confesso est eum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit siue seruus, siue filius hominis appelletur. Omnes enim istiusmodi voculæ in ratione humanitatis bene & propriè competunt. Illaque omnia non substantiam Verbi, sed hominem eum fuisse demonstrant.* Augustinus epist. 178. in fine, *In qua eum infirmitate* (carnis) *non solum sub itum, sed etiam seruum euidentissimè confitemur.* Hieronymus in epist. ad Titum cap. 1. vers. 1. *Nec mirum quamuis sanctos homines, Dei seruos nobiliter appellari: cum per Isaiam Prophetam Pater loquatur ad filium, Magnum tibi est vocari te seruum meum.* Notat autem Suarès hæc & similia dici à Patribus disputando contra Arianos, qui ex seruitute Christi negationem diuinitatis eius inferre conabantur. Neque illis respondent Christum vocari impropriè seruum: sed ostendunt seruitutem humanitatis non repugnare diuinitati personæ & hypostasis.

27\. Tertia obiectio ex Patribus.

August.

Hieron.

Respondeo, Patribus contra Arianos disputantibus satis fuisse ostendere Verbũ, & Christum secundũ naturam Verbi, esse Patri cõsubstantialem: licet secundum humanitatem esset subiectus & seruus aliqua ratione, de qua contra Arianos non erat quæstio. Athanasius autẽ Græcè sic habet in sermone cit. aliquantũ à principio pag. mihi 194. lit. A.
[illegible]
[illegible]
[illegible]

28\. Quo sensu Patres Christum seruum esse dixerint.

φησι πάντα γὰρ ταῦτα τὰ λεξείδια τῆς ἀνθρωπίνης οὐσίας ἴδια τυγχάνει ὄντα, καὶ τὰ τοιαῦτα, οὐ τὴν οὐσίαν τοῦ λόγου, ἀλλὰ τὸ ἄνθρωπον αὐτὸν γεγενῆσθαι σημαίνει. Id est, verbo ad verbum: *Siue factus sit, siue creatus, siue formatus, siue seruus, siue filius ancillæ, siue filius hominis, siue constitutus in loco, siue peregrinus, siue sponsus, siue patruelis, siue frater. Hæc enim omnia vocabula substantiæ humanæ propria sunt, & huiusmodi non substantiam Verbi, sed ipsum hominem fuisse significant.* Id est, hæc omnia vocabula conueniunt Christo, eique tribuuntur secundum naturam humanam, non secundum diuinam. Ita vt vox illa Athanasii, *propria sunt*, non appellet proprietatem significationis vocis, *seruus*, & aliarum prædictarum: sed proprietatem subiecti, seu naturæ, propter quam Christo tribuuntur hæc vocabula, & cuius sigillatim sunt propria, id est, cui specialiter & secundum se conueniunt. Cum enim in Christo sint duæ naturæ, diuina & humana: huiusmodi nomina non ei conueniunt ratione vtriusque, sed specialiter & singulariter ratione humanæ:

29. Expenditur locus Athanasii. Hunc esse sensum Athanasii probo Primò, ex eo quod immediatè subiicit, explicans id quod antea dixerat: καὶ τὰ τοιαῦτα, &c. Id est, hæc enim omnia vocabula substantiæ humanæ propria sunt. Secundò, quia eodem modo ait nomina sponsi, patruelis, & fratris, de Christo dicta, propria esse humanæ substantiæ, æquè ac nomen serui. Atqui manifestum est illa non tribui Christo secundum propriam vocis significationem: Christus enim est tantùm sponsus, patruelis, & frater, latè & metaphoricè: ergo per τὸ *propria sunt*, non intelligit proprietatem significationis, sed subiecti huiusmodi attributorum, designando illud, & distinguendo ab alia Christi natura, cui secundum se non conueniunt. Tertiò, quia Athanasius eodem loco negat Christum esse propriè seruum: & Verbum per Incarnationem factum esse seruum, ne quidem adiectiuè, & denominatiuè à natura assumpta. Nam eodem modo negat factum esse seruum, quo asserit factum esse Christum. Sic enim ait non multo post, pag. mihi 196. lit. D. *Fieri enim homini proprium est. Verùm non simpliciter eum hominem fecit: sed vt omnium dominaretur, omnesque chrismate sanctificaret, hominem fecit. Nam quamuis speciem serui acceperit Verbum, quod in forma Dei subsistebat: non tamen assumptio illa carnis, verbum seruum, aut mancipium reddidit, quod natura rerum dominus erat: sed potius inde omnium hominum libertas confecta est. Verbum autem naturaliter dominus, postquam homo natum esset per formam serui, dominus & Christus omnium factum est.* Similia habet multò post in eodem Sermone pag. 215. lit. C. & D.

30. S. Augustinus loco cit. in obiectione non ait Christum esse propriè seruum: sed nos illum euidentissimè confiteri esse seruum: eo scilicet modo, quo seruus est. Sicut euidentissimè confitemur Christum esse vitem veram, ostium, viam, lapidem angularem, & similia, eo sensu, quo de Christo in Scriptura asseruntur.

D. Hieronymus potest & debet intelligi de seruo quoad appellationem, ratione officii: quidquid sit de conditione seruili, aut non seruili, secundum quam Christus differt ab aliis sanctis. Iuxta ea quæ addit paulò post: *Si moueat quempiam Dominum saluatorem, qui vniuersitatis est conditor, seruum dici, non mouebitur si ipsum ad Apostolos audit loquentem: Qui voluerit inter vos esse maior, sit omnium minister: &, Filius hominis venit non vt ministraretur sibi, sed vt ministraret.* Plura de hoc argumento ex Patribus desumpto vide apud Delugo disp. 28. sect. 4. Delugo.

31. Quarta obiectio diluitur. Opponit quartò Suares hanc rationem: Christus, quà homo, est verè creatura ex nihilo producta: ergo ratione creationis subest supremo Dei dominio à quo producta est, & à quo pendet essentialiter, eique subest ad omnem vsum quem voluerit. Tale enim dominium Deo competit in res omnes ab ipso creatas, & quidem tam necessariò & connaturaliter, vt eo se priuare non possit. Vnde meritò Cyrill. Alexand. lib. 4. dialogi de Trinitate col. 6. lit. D. Cyrill. *Seruile, inquit, factum est quidquid productum ex nihilo. Ita & diuinus nobis exclamat Dauid ad dominum vniuersorum: quoniam omnia seruiunt tibi.*

Respondeo ex Concilio Francford. hanc subiectionem & dependentiam non sufficere ad conditionem seruilem, sed vlteriùs requiri distinctionem & inæqualitatem personæ, cui non debeatur æqualis participatio bonorum & honoris, sicut debetur Christo ratione hypostasis & diuinitatis.

32. Refellitur instantia. Instabis quia non est æqualitas inter Christum secundum humanitatem, & Deum. Nam humanitas non est æquè sancta & beata & adorabilis, ac ipse Deus, qui essentialiter est beatus & sanctus: & non modo respectiuè, sed & absolutè adorabilis. Ergo licet ad rationem serui propriè dicti, requiratur carentia æqualitatis; illa sufficienter reperitur inter Deum, & Christum vt hominem.

Respondeo carentiam æqualitatis, quæ præcipuè requiritur ad rationem serui propriè dicti, esse carentiam æqualitatis in sede, id est, in honore debito. Christus autem, vt homo, sedet ad dexteram Patris, id est, vt explicat S. Leo Serm. 1. de ascensione, æquali fruitur honore cum ipsa diuinitate. Leo. Terminat enim humanitas eandem adorationem cum diuinitate, propter vnionem in eadem hypostasi: omnium creaturarum, cœlestium dignitaté supergressa, supraq; omnes Angelicos ordines & Archangelorum altitudinem eleuata, atq; illius gloriæ sociata in throno, cuius naturæ copulabatur in filio: inquit S. Leo loco cit.

non sunt hìi, neque naturales, neque adoptiui. Et verum est quod ait Paulus: *Si filius & hæres.* At non vice versa: si hæres, & filius.

Vasquez. Ad id quod addunt Gabriel & Maior supra relati, respondeo cum Vasq. disp. 89. cap. 13. initio, humanitatem, licet gratuitò assumptam ad vnionem hypostaticam, & ad participationem æternæ hæreditatis; non tamen posse dici adoptiuam: Quoniam ille qui adoptatur, est natura suâ extraneus adoptanti, ita vt etiam post adoptionem maneat re ipsa extraneus, neque sit naturali coniunctione & filiatione propinquus. At humanitas Christi, etiamsi natura suâ sit extranea, gratuitòque fuerit assumpta: post assumptionem tamen naturaliter mansit vnita, & non ampliùs extranea: neque enim ampliùs affectu solo, sed reipsâ Dei est.

38. Explicatur locus Hilarii. Locus verò Hilarii qui à nonnullis obiicitur ex lib 2. de Trin. *Potestas dignitatis non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*: corruptus est, & emendatus in aliis exemplaribus, quæ habent, *Adoratur*; vt rectè monet Vasques cap. 15. vel impropriè est intelligendus, vt respondet S. Thom. quæst. 23. a. 4. ad primum.

Porrò cum dicimus Christum esse filium naturalem, etiam secundum humanitatem: non est sensus quòd humanitas sit filia: sed quòd humanitas sit ratio, secundum quam conuenit etiam illi, esse filium naturalem. Simili sensu, quo dici solet Christum secundum humanitatem esse filium virginis. Qua de re plura sect. sequenti, precipuè num. 48.

Iuuandus hic mihi videtur & corrigendus Vasques citata disput. 89. cap. 15. num. 93. vbi perplexè laborat in intelligendo sensu loci cuiusdam epistolæ Caroli Magni ad Elipandum, quæ habetur post Concilium Franceford. Sic autem habet: *Exemplum mihi Constantini Imperatoris proposuistis, cuius initium B. Isidorum laudasse dicitis, & finem doluisse. Quod ne mihi accidat per quendam Beatum, quem Antiphrasin nominastis, benignè suadetis.* Labor & error Vasquis in eo versatur, quòd particulam, *per Beatum*, coniungat cum, *Suadetis*: cùm potiùs ad verbum, *accidat*, referenda sit. Sensus enim est: suadetis ne patiar me decipi per Beatum in quæstione præsenti. Erat autem Beatus ille Presbyter apud Astures, vir in sacris literis eruditus: qui cum Heterio Vxumensi Episcopo, se fortiter opposuit Elipando, & scripto eum potenter refutauit. Ideóque rogat Elipandus Carolum Magnum ne patiatur se ab ipso decipi, sicut Constantinus post præclara initia, fuit tandem ab Arianis in fraudem & errorem inductis, vt ipse & quidam alii existimarunt. Qua de re vide Baron. ad annum Christi 336. Constantini 31. num. 63. & seq. Vbi hanc falsam existimationem refutat pluribus Scriptorum veterum testimoniis, Sozomeni lib. 2. Historiæ cap. 30. in fine, Athanasii in ep. ad Solitarios, Epiph. hær. 69. Hil. l. 1. ad Constantium, & Theodor. lib. 2. Hist. c. 5.

SECTIO VI.

Quomodo Christus in quantum homo sit filius Dei naturalis?

RAtio dubitandi est quia Christus in quantum homo non procedit à Deo per naturalem generationem, quæ definitur à philosophis, *Origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ.* Christus enim in quantum homo non procedit in similitudinem naturæ diuinæ, à Deo vt principio viuente coniuncto: similitudinem, inquam, perfectam & sufficientem ad naturalem generationem, quæ ex se tendit ad specificam similitudinem; licet interdum in generationibus imperfectis creaturarum eam non assequatur; vt quando mulus ex asino & equa generatur. 39. Proponitur difficultas.

Respondent aliqui Recentiores, quorum confusè meminit De Lugo disp. 31. num. 12. totam illam definitionem generationis naturalis Christo verè ac propriè conuenire: quia primò procedit à Deo, *vt viuens à viuente*: vterque enim est substantia viuens. Secundò procedit etiam *in similitudinem naturæ*; quia homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei. Tertiò procedit quoque, *à principio coniuncto*; quia in Christo intrinsecè est substantia & essentia Dei, vnita eius humanitati, mediante hypostasi Verbi. Responsio quorundam Theologorum.

Sed contrà: primò, hinc sequeretur, in eo casu, quo persona Patris aut Spiritus sancti esset vnita humanitati loco personæ Verbi, Christum vt hominem non minùs fore filium Dei naturalem, quàm nunc sit: quod esse falsum ostendemus inferiùs. Secundò, sequeretur Christum esse filium naturalem totius Trinitatis, id est, trium personarum diuinarum æqualiter: quia non minùs ab vna quàm ab alia procedit vt viuens à viuente, in similitudinem naturæ, & à principio coniuncto per essentiam diuinam mediatè vnitam humanitati: iuxta explicationem datam illius definitionis. Tertiò, hæc explicatio inducit nouum genus filiationis naturalis inauditum, & corrumpit sensum veterum philosophorum ac theologorum, qui intellexerunt generationem naturalem esse originem viuentis à viuente, tendentem ex se ac per se ad similitudinem naturæ vniuocæ. Idemque docent sancti Patres, vt Hilarius in lib. de Synodis contra Arianos, Anathematismo 7. vbi sic ait: *Pater itaque non potest alienæ à se ac dissimilis substantiæ pater dici, &c. quia diuersitatem paternæ naturæ natiuitas naturalis non recipit.* Christus autem, vt homo, est diuersæ naturæ à Deo, ac similis tantùm imperfectè & analogicè. Neque vnio hypostatica tendit ad dandam illi hanc similitudinem qualemcunque, sed potiùs eam naturâ priùs præsupponit. Neque enim est productio extremorum quæ vniuntur, sed eorum naturâ 40. Non satisfacit. Hilarius.

definienti Christum vt hominem esse verè ac propriè filium Dei naturalem, idque deducenti ex Scripturæ verbis propriè intellectis, adeoque de propria filiatione, Matth. 3. & 17. aliisque locis, vt sect. 5. ostendimus.

44. Denique sequeretur Christum vt hominem esse filium naturalem ipsius Verbi, & Spiritus sancti, æquè ac Patris. Quam sequelam Vasquez & Suarez admittunt: Sed contra Sanctum Thom. quæst. 32. a. 3. in fine corp. vbi ait Christum non debere dici filium Dei, neque ratione creationis, neque ratione iustificationis; sed solùm ratione generationis æternæ, secundum quam est filius Patris solius. *Et ideo*, inquit, *nullo modo debet dici Christus filius Spiritus sancti, nec etiam totius Trinitatis.* Item est contra antiquos theologos, qui nunquam huiusmodi filiationem admiserunt, sed vel de illa penitùs tacent, vel eam expressè negant: vt Alexander Alensis, S. Bonauentura, Albertus, Gabriel, & Durandus, quos citant Basilius Legionensis tom. 1. Variarum disput. relect. 4. & Cardin. Delugo disput. 31. num. 21. qui hanc quæstionem tractat accuratissimè. Item est contra D. Augustinum loco supra citato, affirmantem Christum nullo modo filium Spiritus sancti credi vel intelligi posse. Et denique contra Concilium Francford. quod explicans ex professo filiationem Christi naturalem, nusquam ait Christum esse filium totius Trinitatis, aut Verbi, & Spiritus sancti: sed Patris solùm, per æternam generationem: & matris, per temporalem. Tertiæ vero filiationis naturalis ad totam Trinitatem, quam Vasquez & Suarez inducunt, nusquam meminit. Atque ad probandum Christum esse filium naturalem, non alia profert Scripturæ loca, quàm ea quibus affirmatur Christum esse *Verbum Dei, & Filium Patris æterni, qui nunquam non fuit pater*, per æternam scilicet generationem Verbi diuini.

S. Thom.

Basil. Leg. De Lugo.

45. Neque verum est quod dicunt authores nominati, Adrianum in fine suæ epistolæ referre ad totam Trinitatem illud Matth. 3. & 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: quasi tota Trinitas Christum his Verbis filium suum nominet. Nam quod ait Adrianus ponderans Verbum illud, *complacui*, *Si secundum diuinitatem (Christi) dixisset, nequaquam diceret, in quo mihi bene complacui, sed tantummodo, in quo mihi bene placui. Sed dum dicit, complacui, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas*: hoc inquam facilè alio sensu explicari potest. Nempe quòd pater solus loquatur, & Christum secundum humanitatem filium suum nominet, in quo sibi ipse placeat cum aliis duabus personis diuinis, easque tantùm in obliquo comprehendat. Complacere enim est cum alio sibi placere.

Exponitur Adriano.

46. Quòd si dicas Patrem æternum sibi etiam placere in diuinitate Christi, cum Verbo & Spiritu sancto: ideóque argumentum illud Adriani fore inefficax. Respondeo primò, hanc instantiam posse in aduersarios retorqueri. Secundò, dico argumentum Adriani esse probabile, & fundatum in communi vocis acceptione, *complacui*, quæ communiter sumitur pro libero consensu plurium in aliquo sibi placentium. Personæ autem diuinæ non liberè sed naturali necessitate consentiunt in amando & sibi placitam habendo diuinitatem: quare potiùs in ea bene sibi placent, quàm complacent. Christi verò humanitatem libero consensu, id est, libera actione tribus personis communi, crearunt, & gratam sibi fecerunt per vnionem hypostaticam: atque ita liberè in ea sibi complacuerunt. Sanè si tres personæ loquebantur, significantiùs id expressissent dicendo, *Hic est Filius noster dilectus, in quo nobis bene complacuit*, sicut Genesis primo, cùm tres personæ de homine formando loquerentur, dixerunt in plurali numero: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cum ergo verba Adriani facilè possint hunc sensum recipere: debent omnino sic explicari, ne voluntariè dicatur contradixisse Concilio Francford. quod approbat in eadem epistola, & Concilio Toletano primo contrarium disertè affirmanti in assertione fidei contra Priscillianistas.

47. Propter hæc censeo cum Delugo disputat. cit. num. secundo & sequentibus, & Basilio Legion. suprà, plurimisque aliis quos iste citat, Christum inquantum hominem non aliter esse filium Dei naturalem, quàm per æternam generationem, id est, per vnionem hypostaticam cum filio à Patre genito ab æterno, ratione cuius est filius Patris: ac, si Pater & Spiritus sanctus vniretur humanitati; non esset propterea homo ille filius, sed Pater, aut Spiritus sanctus. Quam doctrinam sumo ex D. Thom. quæstio 32. a. 3. vbi affirmat Christum debere dici filium Dei solùm ratione generationis æternæ, secundum quam est filius Patris solius: & ex Concilio Francfordiensi non aliter probante Christum esse filium Dei naturalem, quàm per ea Scripturæ testimonia, quibus dicitur esse Verbum Patris, & Filius ab æterno genitus: in quem sensum accipienda est Concilii definitio.

Vera responsio: quomodo Christus vt homo sit filius Dei naturalis.

D. Thom.

48. Dupliciter autem intelligi potest hæc propositio: *Christus inquantum homo, vel secundum humanitatem est filius Dei naturalis*, vt rectè notat Delugo supra num. 25. & sequentibus. Primò, in sensu tantùm specificatiuo, non reduplicante naturam, velut

rationem propter quam ei conuenit filiatio naturalis; vt cùm dicimus, Christus inquantum homo natus est, passus, mortuus, & sepultus: sed tantùm designando subiectum, cui conuenit hæc denominatio per communicationem idiomatum; sicut eidem conuenit esse Verbum, & esse Deum. Et hoc tantùm sensu definitur à Concil. Franford. Christum vt hominem esse filium Dei, vt fatetur Suarez, & fusè probat Delugo loco cit. Secundò, in sensu reduplicatiuo cadente non in solam humanitatem, sed in suppositum: id est, non in solum formale & expressum significatum hominis, sed in confusum & materiale, quod in Christo est hypostasis filii. Et hic sensus verus est. Christus enim quà tale suppositum, & secundum hypostasim Verbi, naturamque diuinam mediatè vnitam in hypostasi, est formaliter filius Patris æterni, per æternam generationem ab eo productus vt viuens à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ.

49. Obiectio bimembris. Dices hac ratione Christum non magis esse filium Dei naturalem, quàm esset lapis Verbo vnitus hypostaticè, quod est absurdum. Item si Pater aut Spiritus sanctus vnirentur humanitati, persona ex tali vnione resultans esset filius Dei, & hæres naturaliter, haberet enim ius naturale ad bona diuina: & tamen non esset filius modo iam explicato, sed per simplicem deificationem substantialem, ratione vnionis hypostaticæ cum aliqua persona diuina.

Ad 1. membrum obiectionis. Respondeo ad primum, nomen filii & denominationem, vndecunque sumatur, non tribui propriè nisi viuentibus, vt docet S. Thom. quæst. 32. a. 3. in corp. & quidem communiter ac magis propriè solis animalibus: maximè verò intellectualibus seu rationalibus.

50. Ad secundum. Ad secundum, nego talem personam fore filium naturalem, sed fore Patrem aut Spiritum sanctum. Nec obest quòd esset naturaliter hæres, & haberet ius naturale ad bona diuina. Non enim quidquid ius tale habet, est filius: alioqui Spiritus sanctus esset filius, quia habet ius naturale & essentiale ad bona diuina. Nec quicunque est hæres naturalis, est filius: vt patet in humanis. Neque enim illi quibus filii desunt, desinunt habere hæredes naturales: sed filius tantùm dupliciter dicitur ex antiquo & communi vsu vocis: nempe vel per naturalem generationem, vt filius naturalis: vel per adoptionem, id est, assumptionem personæ extraneæ ad curam paternam, & ad hæreditatem: vt filius adoptiuus. Neutrum autem haberet persona de qua loquimur: quare non esset filius, quamuis esset Deo magis coniuncta, & plus iuris haberet ad Dei bona, quàm persona solùm adoptata in filium.

SECTIO VII.

An Christus fuerit prædestinatus vt esset Filius Dei?

Svppono primò prædestinare ex vi vocis, & vsu frequenti Scripturæ, nihil esse aliud, quàm prædecernere, præordinare, præconstituere, priùs velle vt aliquid sit, vel fiat. Componitur enim ex voce, *destinare*, id est, ordinare, constituere, decernere, iuxta illud 1. Corinth. 7. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo*, id est, statuit, decreuit, ordinauit: & ex particula, *præ*, quæ antecessionem temporis, vel rationis, aut naturæ significat inter decretum, & rem decretam, quæ est aut fit vi decreti: Quasi dicas, ante decernere, priùs constituere. Ex vsu tamen communi theologorum restricta fuit vox prædestinandi ad voluntatem diuinam efficacem & absolutam circa beatitudinem supernaturalem, & alia gratiæ beneficia, quæ ad illam ordinantur. Vnde simpliciter & sine addito non dicuntur prædestinati, nisi illi qui efficaciter ad tale bonum ordinati sunt. 51. Prædestinare quid sit.

Suppono secundò, dupliciter posse dici aliquid prædestinari, aut esse prædestinatum, id est, præordinatum, & prædecretum. Primò, absolutè & secundum se: quatenus decretum est vt esset, aut fieret ab eo à cuius voluntate pendet vt sit aut fiat. Secundò, respectiuè: quatenùs per antecedentem voluntatem, seu præconstitutionem, ordinatur ad aliquid aliud: putà ad gratiam, gloriam, & similia. Et tunc id ad quod ordinatur, debet esse diuersum ab eo quod ordinatur ad ipsum: quia non potest ordinari ad seipsum: & vana esset ac inutilis huiuscemodi ordinatio. 52. Prædestinatio duplex.

His præmissis, Dico primò Christum fuisse prædestinatum filium Dei absolutè, atque ita posse dici simpliciter prædestinatum ratione illius maximi gratiæ beneficii, atque ad beatitudinem maximè ordinati, quo scilicet per vnionem hypostaticam ex humanitate & hypostasi Verbi ac natura diuina, libera Dei actione vnitis, constitutus est, atque vt talis ab æterno destinatus. Probatur quia Christus vt talis, fuit à Deo præordinatus ab æterno, id est, volitus & decretus vt esset, & à libera Dei voluntate pependit vt Christus esset, id est, suppositum illud constans ex humanitate & hypostasi Verbi. Eoque sensu Concil. Tol. XI. cap. 1. affirmat credendum esse Christum & factum & prædestinatum fuisse, secundum quod de Maria Virgine natus est. & in eundem sensum S. Anselm. in caput 1. epist. ad Romanos, versu 4. Theologi communiter cum D. Thoma 3. par. quæst. 24. art. 1. & Cornelius à lapi- 53. Christus fuit prædestinatus filius Dei, absolutè. Anselm. Cornel.

de, aliique interpretes exponunt illud Pauli ad Rom. 1. vers. 3. & 4. *Qui factus est ei ex semine D. uid secundum carnem : qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis.* Quamuis nonnulli hunc locum aliter intelligant, quos refutat Cornelius ad versus citatos. Eaque est aperta D. Thomæ sententia art. citato, in corp. vbi sic ait : *Prædestinatio propriè accepta est quædam diuina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam Dei sunt facienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam vnionis à Deo, vt Deus esset homo, & homo esset Deus. Nec potest dici quòd Deus ab æterno non præordinauerit hoc se facturum in tempore, quia sequeretur quòd diuinæ menti aliquid de nouo accideret. Et ideo oportet dicere quòd ipsa vnio naturalis in persona Christi cadat sub æternam Dei prædestinationem, & ratione huius Christus dicitur esse prædestinatus.* Huc

De Lugo.

vsque D. Thom. Eodemque sensu puto, quicquid dicat Delugo disp. 32. num. 5. de Christo dici posse, Hic homo est prædestinatus. Nam, *hic homo*, est nomen suppositi, quod in Christo existit per maximum gratiæ donum collatum humanitati, id est, per vnionem hypostaticam Verbi.

54. Christus non fuit respectiuè prædestinatus vt esset filius Dei.

Dico secundò Christum, vt est hic homo non fuisse prædestinatum vt esset filius Dei respectiuè, quasi ad aliud. Probatur, quia id ad quod aliquid prædestinatur hoc modo, debet esse aliquid aliud vltra & extra substantialem eius constitutionem : neque enim dicimus, v. g. prædestinari hominem ad animam rationalem, vel vt sit animal : cum hæc ipsa sint de intrinseca & essentiali constitutione hominis. At Christus est hic homo substantialiter, per id quòd est filius Dei. Nam, *hic homo*, significat hoc suppositum per hypostasin Verbi : quare Christus vt est hic homo, non potest dici prædestinatus ad hoc, tanquam ad aliud, scilicet vt esset Dei filius ; imò neque vt esset Deus, quia licet Deitas mediatè solùm vniatur humanitati : vnitur tamen ex omni necessitate vi ipsius vnionis hypostasis : adeo vt Christus, vi ipsiusmet constitutionis suæ substantialis, sit necessariò Deus, nec quoad hoc pendeat ab alio Dei decreto. Consentiunt Durandus in 3. dist. 7. q. 3. Toletus in cap. 1. epist ad Rom. & Becanus de Incarnatione cap. 19. quæst. 2. conclus. 1.

Durand. Tolet. Becan.

55. Opinio contraria.

Contrarium verò sentiunt Suarez disp. 50. sect. 2. Vasquez disput. 90. cap. 3. & Delugo disput. 32. sect. 2. Ratio eorum est quia hic homo, vt sic, non includit in suo proprio conceptu suppositum filii Dei; sed solum vagè & confusè suppositum huius naturæ humanæ, siue id quod subsistit in hac humanitate : vel, vt ait Vasquez, significat solùm directè naturam humanam singularem, connotando indirectè, & vagè, seu confusè, suppositum hoc aut aliud. Præconcipitur ergo hic homo vt sic, prius ratione quàm concipiatur esse filius Dei : & per diuinam prædestinationem ordinatur vt sit filius Dei naturalis.

Refutatur.

Respondeo, licet hic homo non includat in suo conceptu rationem suppositi filii Dei formaliter & explicitè : Tamen à parte rei, non alio est hic homo, quàm eo ipso, quo est suppositum filii Dei : & id quod subsistit in hac humanitate, non est aliud, quàm diuinum suppositum filii Dei. Quare non rectè dicitur ad hoc prædestinari, tanquam ad aliud : siquidem verè non est aliud, sed illud ipsum iam est à parte rei independenter ab vlteriori Dei ordinatione, & decreto libero. Vnde ad hoc non ordinatur per diuinam prædestinationem, tanquam ad aliquid vlterius, quod iam non habeat necessariò vi suæ constitutionis substantialis, & ad quod possit esse vtilis alia Dei ordinatio, diuersa à decreto de hoc homine, id est, Christo constituendo.

56. Humanitas Christi fuit prædestinata respectiuè.

Alia tamen est ratio humanitatis, quæ rectè dici potest fuisse prædestinata ad vnionem hypostaticam, vt loquuntur & sentiunt D. Thom. in 3. distinct. 10. quæst. 3. quæstiunc. 1. Gabriel ibidem quæst. vnica a. 3. dub. 2. Bonauentura distinct. 7. art. 2. quæst. 3. Durandus, ibidem quæst. 3. num. 10. Ricard. quæst. 2. principali art. 4. Scot. ibid. quæst. 3. Vasquez disp. 91. cap. 2. num. 10. Suarez disp. 50. sect. 4. Ratio est quia humanitas Christi fuit ab æterno prædestinata ad vnionem. Deus enim nihil facit in tempore, quod ab æterno non præordinauerit. Sicut ergo in tempore dedit humanitati vnionem hypostaticam : ita eandem ab æterno illi præordinauit. Et, quod est idem, præordinauit humanitatem ad vnionem hypostaticam. Quæ præordinatio est prædestinatio.

Obiicies ex D. Thom. quæst. 24. a. 1. ad 2. non conuenire naturæ, sed personæ vt sit prædestinata : quia, inquit, prædestinari est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter finem beatitudinis.

57. Non solùm supposita, sed & illorum partes dici possunt prædestinari ad aliquid.

Respondeo, quidquid ad aliud præordinatur, siue sit natura, siue sit persona, & siue ordinetur ad salutem, siue ad aliud quidpiam, posse ex vi vocis & vsu frequenti Scripturæ dici ad aliud prædestinari. Atque ita humanitas Christi potest dici prædestinata respectiuè non modo ad vnionem hypostaticam, sed & ad gratiam, & gloriam, aliaque dona ipsi collata, & ab ipsa distincta. Quod tamen attinet ad modum loquendi communiorem, distinguendum est. Quando enim est sermo de termino prædestinationis, qui personæ attribui potest : solet tunc dici persona ad illum fuisse prædestinata, & non natura sola. Nam personæ & supposita sunt subiecta, quibus attribuuntur ea, quæ ipsis conueniunt, ipsaque ab illis denominantur. Quando verò naturæ soli conuenit aliquid, & non potest conuenire supposito : potest natura

dici ad illud prædestinata: quo modo natura humana fuit prædestinata ad vnionem, quia ipsa vnita est per se purè, & non in aliqua persona existens, vnione sibi propria, id est, vnione ipsius naturæ carentis propria & naturali subsistentia. Neque enim subsistens aut suppositum fuit vnitum Verbo, sed humanitas sola.

58. Christus fuit prædestinatus ad dona accidentalia gratiæ, gloriæ, &c. Potest etiam rectè dici Christus fuisse prædestinatus ad gratiam & gloriam accidentalem, & ad dignitates morales quas habuit, vt rex, vt sacerdos, vt mediator, vt caput Angelorum & hominum, ad aliaque dona accidentaria. Nam Christus propriè est suppositum illud naturæ humanæ constans ex natura humana, & hypostasi Verbi, cuius esse primarium non consistit in sanctitate accidentali, neque in gloria, neque in titulis illis & donis commemoratis: sed in eo quòd sit suppositum constans ex humanitate, & diuina hypostasi. Illi autem supposito Deus ab æterno decreuit sanctitatem accidentariam, & beatitudinem, & officia, & dignitates, aliaque dona, quibus absolutè poterat carere; atque ipsum ordinauit, & destinauit ad illa eadem, cum posset absolutè non destinare. Quæ destinatio cum longè ante præcesserit executionem, quatenus hæc longè posteriùs fuerunt executioni tradita; potest rectè dici prædestinatio, & Christus potest dici prædestinatus ad illa eadem: vt benè docent Altisiod. in summa lib. 3. tract. 1. cap. 2. Scotus & Durandus in 3. dist. 7. quæst. 3. Valentia quæst. 23. punct. 2. Suarez disp. 50. sect. 3. Vasquez disp. 92. cap. 2. fauet etiam Scriptura Actor. 10. vbi Christus dicitur constitutus iudex viuorum & mortuorum, græcè ὡρισμένος, id est, destinatus, decretus: & Psalm. 2. Propheta in persona Christi sic loquitur: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* & Hebr. 5. vers. 4. & 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Si & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum*, &c.

Altisiod. Scotus. Durand. Valent. Suarez. Vasquez.

59. Contraria sententia. Contrarium sentiunt Thomistæ quidam, asserentes Christum non posse dici propriè prædestinatum ad gratiam, gloriam, & alia prædicta: quia prædestinatio propriè & simpliciter dicitur esse ad id, quod est præcipuum & supremum in prædestinato: cuiusmodi non sunt in Christo, gratia, gloria, & alia prædicta: sed vnio hypostatica, & filiatio naturalis. Deinde nullus dicitur propriè prædestinari ad ea, quæ naturaliter consequuntur eius substantiam, quæque non sunt ei gratuita. Prædestinatio enim dicit ordinem ad aliquod gratiæ beneficium, quod sit gratuitum ipsi prædestinato. Indeque fit vt Verbum non possit dici prædestinatum, neque absolutè vt esset filius Dei, neque respectiuè vt esset homo & vniretur hypostaticè humanitati: quia hæc non fuerunt illi beneficia gratiæ. Gratia autem, & gloria, & cætera prædicta, consequuntur vnionem hypostaticam, vt proprietates connaturaliter debitæ: & non sunt illi beneficia gratiæ: ergo Christus non potest dici fuisse ad illa prædestinatus.

Respondeo hanc restrictionem prædestinationis ad id quod est primum & præcipuum, fieri ad placitum; cùm ex vi vocis & vsu Scripturæ, Patrum, & Theologorum, latiùs extendatur. Quamuis autem gratia, & alia dona Christo collata, sequantur moraliter vnionem hypostaticam, eique plurimùm conueniant: non tamen physicè ex illa sequuntur, danturque per aliam actionem Dei liberam. Et quamuis physicè sequerentur ex vnione, non propterea non essent gratuita, & indebita humanitati secundum se. Ac sine dubio erant Christo materia gratiarum actionis, æquè ac vnio hypostatica; sufficit enim quòd sint gratuita alteri parti compositi. Reiicitur.

DISPVTATIO DECIMA-QVINTA.

De Officiis Christi.


E officiis Christi disputat S. Thomas partim q. 7. art. 8. vbi docet Christum fuisse prophetam, quatenus ea quæ procul erant ab aliorum viatorum notitia & cognoscebat, & annunciabat, cùm tamen esset ex parte viator. Partim quæst. 21. 22. & 26. In quarum prima docet Christo vt homini conuenisse orare secundum partem animæ superiorem: non autem secundum inferiorem, nisi quatenus pars superior illius affectum, tamquam eius aduocata exprimebat; vt nos doceret se veram naturam humanam suscepisse cum omnibus naturalibus eius affectibus: licereque homini secundum naturalem affectum aliquid velle, quod Deus non vult: & hominem debere affectum proprium diuinæ voluntati subiicere. Addit conueniens fuisse Christum pro se orare, vt nobis orandi exemplum daret, & patrem suum omnis boni authorem ostenderet. Semperque ipsius orationem fuisse à Patre exauditam, quia eius voluntas absoluta semper erat Deo conformis.

In secunda quæst. affirmat, Christo maximè conuenire esse Sacerdotem: quia est mediator inter Deum, & homines, per quem bona diuina hominibus sunt collata: & pro peccatis satisfaciens, se ipsumque offerens in sacrificium, humanum genus Deo reconciliauit. Et Christum, inquantum hominem, non solùm fuisse Sacerdotem; sed & hostiam perfectam, simul propitiatoriam ad remissionem peccatorum, & pacificam ad conseruationem gratiæ, & holocaustum ad consummationem vnionis cum Deo per gloriam. Habereque plenam vim expiandi peccata, & quoad culpam, per infusionem gratiæ; & quoad pœnam, per satisfactionem abundantem. Non conuenisse tamen Christo effectum sui sacerdotii in se recipere, sed potiùs ipsum aliis communicare: quia non indigebat medio vt ad Deum accederet, eratque fons totius sacerdotii. Denique illius sacerdotium manere in æternum, esseque secundum ordinem Melchisedec: tum quia vi illius bona æterna consequimur: tum etiam propter consummationem sacrificii Christi, & excellentiam veri eius sacerdotii præ figurali sacerdotio legis.

In tertia quæst. asserit conuenire Christo soli esse perfectum mediatorem inter Deum & homines, quatenus morte sua genus humanum Deo reconciliauit: nihil tamen prohibere aliquos alios dici mediatores secundum quid, prout cooperantur ad vnionem hominum cum Deo dispositiuè, aut ministerialiter. Est autem Christus mediator secundum quod homo: quia vt sic distat à Deo in natura: & ab hominibus in dignitate, & gratia, & gloria. Estque medius est inter Deum & homines. Eidem quoque vt tali conuenit homines cum Deo coniungere, præcepta & dona Dei hominibus exhibendo, & pro hominibus satisfaciendo, & interpellando. Est autem vtrumque de ratione mediatoris: quòd videlicet habeat rationem medii, per distantiam ab vtroque extremorum: & officium coniungendi, ea quæ sunt vnius deferendo ad alterum. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

De Oratione Christi.

1. Christus vt homo vere orauit hac in vita.

PRIMA Conclusio: Christus vt homo verè orauit hac in vita mortali, tum pro se, tum pro aliis. Ita S. Thom quæst. 21. a. 1. Patetque ex pluribus Scripturæ locis. Matt. 14. *Et dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Marc. 14. *Procidit super terram, & orabat vt si fieri posset transiret ab eo hora.* Luc. 22. *Rogaui pro te Petre*, &c. Ioannis 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*: & paulò post, *Ego pro eis rogo.* Et denique ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quæ omnia propriè intelligenda sunt, sicut veritas historiæ, & Scripturæ sinceritas, & Ecclesiæ Patrumque authoritas postulat: maximè cùm tam frequenter & constanter in Scriptura idem asseratur, nihilque cogat ad improprium sensum recurrere. Neque enim vera & propria oratio, id est, prout hic strictè sumitur, supplicatio Deo facta tanquam superiori, Christum vt hominem dedecebat, sed potiùs ei valde conueniebat. 1. vt Deo hunc religionis cultum exhiberet. 2. vt orandi nobis exemplum præberet. 3. vt modis omnibus salutem nostrum operaretur, merendo, satisfaciendo, & impetrando. 4. vt ea fierent quæ non nisi propter eius orationem futura Deus statuerat. Addit 5. S. Thom. vt se Dei filium esse demonstraret. Contra quod potest obiici Christum potiùs orando demonstrasse se esse filium hominis, cùm oratio illi non vt Deo, sed vt homini tantùm conueniret. Orare enim est inferioris, respectu superioris.

Sed respondendum est Christum se filium Dei demonstrasse non orando quomodocunque Deum, sed illum vt Patrem suum naturalem apertè inuocando, & per Lazari suscitationem, aliaque omnia, quæ efficaciter ab eo postulabat, infallibiliter impetrata, hanc veritatem confirmando, propter quod Christus dicebat ante Lazari suscitationem Ioan. 11. vers. 41. *Pater gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quoniam semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi vt credant quia tu me misisti.*

2. Obiectio 1. ex Damasc.

Obiicies Damasc. 4. de fide ca[p]. 9. post medium, asserere Christum non ve[rè] sed simulatè orasse; vt quædam alia simulatoriè tantum fecit, v. g. quando ad ficum accessit quærens ex ea fructum Marc 11. & quando se abscondit ne lapidaretur à Iudæis, Ioan. 8. & cùm de Lazaro interrogauit, *vbi posuistis eum*, simulans se nescire, Ioan. 11. & quando finxit se longius ire, Luc. 24. *His enim & similibus* (inquit Damasc.) *neque vt Deus, neque vt homo opus habebat: verùm ratione humanitati congruente ad id se conformabat, quod vsus atque vtilitas poscebat, v. g. ob eam causam precabatur, vt se impium quendam Deique aduersarium minimè esse demonstraret, atque vt Patrem, à quo originem ducebat, honore afficeret.*

Fueritne aliqua simulatio in oratione Christi.

Respondeo cum Suar. disp. 45. sect. 1. sensum Damasceni non esse quòd Christus simulauerit tantùm se orare, ac non verè orauerit, qui sensus apertè repugnaret locis Scripturæ citatis, ex quibus constat orasse Christum etiam tunc, cùm nulla simulatione, vel simulationis specie opus erat: vt cùm solus pernoctabat in oratione Dei Luc. 6. cùm solus in horto ante passionem ter prolixè orauit vsque ad sudorē sanguineum, Luc. 22. Quibus temporibus & locis simulationis similitudo erat superuacanea. Neque etiam tantùm simulauit, quando, vt ait Paulus Heb. 5. supplicauit in cruce cum lachrymis & clamore valido. Sed sensus Damasceni est, quod licet Christus verè orauerit, sicut & verè ad ficum accessit, & verè se abscondit, verè de Lazaro interrogauit: aliqua tamen simulatio fuit in eius oratione, quatenus Christus videbatur ostendere se egere oratione, cùm tamen eā non egeret, sed posset aliter facere ea quæ impetrabat: sicut non egebat accedere ad ficum, abscondere se, interrogare de Lazaro: & tamen accedendo, abscondendo se, & interrogādo, videbatur ostendere se non posse aliter cognoscere ficum, aut locum sepulturę Lazari, aut Iudęorum vim effugere: eatenusque simulatè agebat. Eodē sensu Euthymius & alii quidam loqui videntur, qui an sit omnino verus, examinabitur sequēti conclusione.

Minus verò placet quod respondet Vasq. disp. 81. c. 2. n. 11. Orationem Christi posse spectari dupliciter. 1. comparatione solum naturæ humanæ, quæ erat proxima causa efficiens orationem: & sic verè & non simulāter orabat, quia egebat auxilio diuino, tanquam ex se imbecillis & impotens ad ea, quæ à Deo postulabat. 2. potest considerari vt relata ad naturam & personam diuinam: & sic habuit aliquid simulationis. Dum enim humanitas Christi exteriùs coram hominibus orabat; indicare videbatur personam, in qua orabat, impotentem & imbecillam esse ad ea quæ postulabat, & se non esse æqualem Deo, à quo illa petebat. Non placet, inquam, hæc expositio: quia pars eius prior non conuenit illis Damasceni verbis, *His & similibus, neque vt Deus, neque vt homo opus habebat.* Et in fine non aliam reddit causam cur Christus vt homo orauerit, quàm exemplum pietatis & honorem Patris. 3. Vasquez.

Obiicies 2. ex eodem Dam. lib. 3. de fide c. 24. Oratio est ascensio mentis in Deum. At Christi mens, Deo vnita beatificè ab instanti conceptionis, non potuit de nouo in Deum ascendere: ergo nec orare. Item Christus ab instāti cōceptionis sciuit certissimè quidquid futurum erat, saltē quod ad ipsum specialiter pertinebat: ergo sciuit futura esse vel non esse futura ea, quę postulabat. Nemo autē prudenter postulat id quod iam scit futurum esse, aut quod iam scit non esse futurū. Si enim scit futurū, non est opus vt postulet: Si nō futurum; 4. 2. Obiectio.

inutiliter postulat vt sit futurum. Respondeo Christum, licet Deo vnitum beatificè, potuisse de nouo ascẽdere in Deum per actus intellectus & voluntatis inferiores visione & amore beatifico, per quos Deo sua desideria pro se vel pro aliis proponeret. Sicut Beati in cœlo simili modo pro nobis orant, atque etiam pro seipsis Apocalyp. 6. vers. 9 *Vidi subtus altare animas interfectorum*, &c. Præscientia verò Christi non impediuit vtilitatem aut necessitatem orationis ipsius, quia præsciebat suam ipsius orationem esse medium vtile, vel etiam necessarium iuxta Dei decretum, vt essent futura quæ postulabat. Prudenter verò postulamus, & vtiliter, id quod scimus interuentu nostræ orationis esse futurum.

5. *Christus orauit ex necessitate.* Secunda conclusio: Christus ex vera necessitate interdum orauit: neque orando assecutus est quæcunque simplici tantum, & inefficaci, licet vero, desiderio postulauit: Secus autem quæcunque voluit efficaciter. Prima pars huius conclusionis est Suar. disp. 45. sect. 1. §. *Dicendum tamen est*: vbi docet æterna Dei ordinatione constitutum fuisse, vt multa per Christum non aliter fierent, quàm interuentu orationis, & per viam impetrationis. Ac sicut propter homines redimendos necessarium fuit illum mori, secundum Dei ordinationem: ita propter aliqua obtinenda necesse fuit illum orare. Verumtamen sicut necessitas moriendi non fuit ex insufficientia personæ, quasi non posset aliter nos redimere, si Deus voluisset: sic orationis necessitas non fuit ex indigentia personæ: quasi semota Dei præordinatione non posset aliter efficere, quidquid orando impetrauit: sed quia Dei voluntas erat, vt nonnisi orando illa efficeret.

6. *Fueritne semper exaudita eius oratio?* Secunda pars eiusdem conclusionis est D. Thom. qu. 21. art. 2. Caiet. Medinæ, & aliorum Theologorum ad art. 4. eiusdem quæst. Alberti, Bonau. Ricardi, Durand. Gabr. Maior. in 3. distinct. 17. Qui doctores distinguunt duplex genus orationis in Christo. Vnum procedens ex desiderio, & voluntate efficaci: & hoc dicunt semper impletum fuisse in Christo, iuxta illud Ioannis vndecimo. *Ego autem sciebam quia semper me audis*, & alia multa, quæ diximus alibi de voluntate efficaci Christi semper impleta. Alterum procedens ex simplici desiderio, vero quidem, sed non omnino efficaci & patiente permissionem oppositi. Cuiusmodi fuit oratio in horto de morte vitanda. Et huiusmodi orationes non semper fuisse exauditas, patet ex Scriptura Psal. 21. vers. 3. vbi Dauid in persona Christi sic loquitur: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi*, id est, non imputabitur mihi ad stultitiam diu noctuque clamare. Vel, quòd me non exaudias, non tribuetur insipientiæ & delictis meis, quæ non habui: sed peccatis hominum quæ in me luenda suscepi. Et Matth. 26. vers. 39. orauit ter Christus vt calix passionis ab eo transiret, nec impetrauit.

7. *Contraria sententia eiusque argumenta.* Contrarium sentit Vasques disp. 82. cap. 5. affirmans Christum nihil orasse, quod non impetrauerit, voluisseque efficaciter quicquid orauit, ac proinde illud omne obtinuisse. Et obiicit præcipuè, Primò, Quidquid petimus fieri, efficaciter desideramus, & ad illud consequendum omnia media quæ nouimus adhibemus, si veraciter ex animo postulamus. Secundò, Qui ex desiderio rei orat, iam adhibet aliquod medium ad rem obtinendam, ac proinde eius desiderium non est solum simplex & inefficax. Tertiò, Christus sperare non poterat quod sciebat impossibile: atqui sciebat esse impossibile vt non pateretur, propter Dei decretum sibi notum: ergo non poterat illud sperare. Ergo nec orare. Quis enim dicat orationem esse illam quæ est sine vlla prorsus spe & confidentia? Aut quis tribuat Christo orationem cum desperatione & diffidentia impetrandi id, pro quo orabat? Adde illud Iacob. 1. vers. 6. *Postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Ex quibus D. Iacobi verbis constat orationem debere esse cum fiducia & certa spe obtinendi quod petitur.

8. *Ad primũ.* Ad primum Respondeo, nos frequenter desiderare tantùm secundum quid, & sub conditione, id quod ex animo postulamus: neque velle id quocunque medio & labore possibili assequi, ac ne quidem precibus importunis; sed si illi, quem oramus, non incommodum vel graue sit, vel si facilè obtineri possit.

Ad secũdũ. Ad secundum: Qui orat vult eatenus efficaciter, id est, eò vsque vt tale medium adhibeat: sed non propterea vult omnino efficaciter & absolutè, ita vt non sit paratus permittere euentum oppositum quantum est ex se: ac si tale medium non succedat, paratus sit adhibere quodcunque aliud possibile. Quemadmodum Deus vocans reprobos, eisque præbens auxilia sufficientia; vult eatenus efficaciter eorum salutem. At non omnino, neque absolutè, ita vt non sit permissurus oppositum.

Ad tertiũ. Ad tertium, Nego omnem orationem debere esse cum fiducia & certa spe impetrandi id quod petitur absolutè. Certè enim cùm, iuxta sanctorum consilium, bona temporalia, opes, valetudo, & similia petuntur à Deo sub conditione, si eius gloriæ & nostræ saluti expediant: non petuntur cum fiducia impetrandi absolutè. Iacobus autem eos tantùm reprehendit, qui non credunt aut hæsitant circa Dei potentiam & bonitatem, similes illis qui dicebant Psalm. 77. *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Nunquid & panẽ poterit dare, aut parare mẽsam populo suo?* sed nõ eos qui certissimè credentes Deum esse omnipotentem, & summè bonum, dubitant de euentu orationis, vel quia Deo fortè non placet quod petunt, vel propter suam indig-

nitatem, vel ob aliquid aliud. Et quamuis Christus certissimè sciret non euenturum id quod petebat; poterat tamen inefficaciter id desiderare, & suum desiderium offerre Deo, atque exponere, ad Deum honorandum, ad exemplum submissionis nobis exhibendum, suumque affectum Deo nobisque testandum.

10. Christus etiam nunc orat in cœlo.

Tertia conclusio: Christus etiam nunc orat in cœlo pro hominibus, non tantùm interpretatiuè, merita sua præterita, & seipsum Patri præsentem exhibendo: sed etiam expresse nobis diuina beneficia postulando. Ita D. Thomas in 4. dist. 15. qu. 4. art. 6. quæstiunc. 2. ad 1. Abulensis in cap. 14. Matthæi quæst. 142. Tolet. in caput. 16. Ioannis annotat. 35. vbi addit contrariam sententiam esse improbabilem, Suar. disput. 45. sect. 2. Et quidem aliquo modo saltem interpretatiuo orare constat certissimè ex Scriptura ad Rom. 8. vers. 34. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* 1. Ioan. 2. vers. 1. *Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum.* Quòd verò non tantùm interpretatiuè, sed etiam expressè oret, docent multi Sanctorum Patrum, in eumque sensum exponunt loca citata.

Vigilius. Vigilius lib. 1. contra Eutychetē in fine: *Dicite ergo o Doctores egregii, cum Patrem hodie filius interpellat, secundum deitatem suam, an se unum dispensationem humanitatis postulat?*

Iustin. Iustinus in lib. quæstionum ad Orthodoxos, quæst. 105 *Si enim carnis imbecillitatibus superior resurrectione effectus, tamen vt confessionis nostræ Pontifex pro nobis loquitur & rogat: quanto magis cùm etiam corporis imbecillitatibus erat obnoxius, magno clamore & firmo, atque lacrymis agebat, cum quibus preces ei qui se liberare à morte posset, offerret?*

August. Augustinus in præfat. Psalm. 85. *Oratur in forma Dei, orat in forma serui.* Et paulò ante dixerat, *Orat pro nobis, & orat in nobis, & oratur à nobis. Orat pro nobis vt Sacerdos noster. Orat in nobis vt caput nostrum. Oratur à nobis, vt Deus noster.* Et epist. 59. in solutione 5. quæst. de Christo sic ait: *Nunquid interpellat, & non etiam postulat? Imò verò quia postulat, pro eo positum est, interpellat.*

Ambros. Ambrosius in cap. 8. epist. ad Rom. circa illa verba, *Quis accusabit aduersus electos Dei?* sic ait: *Christus resurgens semper causas nostras agit apud Patrem, cuius postulatio contemni non potest, quia in dextera Dei est.*

Gregor. Gregorius Magnus in 5. Psal. pœnitentialem, paulo post initium, *Quotidie Christus orat pro Ecclesia, de quo testatur Apostolus Paulus, quia sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis.*

11. Ratio demum est, quia oratio non dedecet Christum in cœlo, neque quia est Deus, cùm sit etiam homo, & alioqui neque in hac vita mortali orasset: neque etiam, quia est beatus: alioqui sancti non possent pro nobis orare. Aliunde verò est per se decens & vtilis, cùm sit actus religionis valens ad Deum honorandum, & ad impetrandum quod petitur, si expediat. Cúmque Christus in cœlo Deum colat adoratione, gratiarum actione, & aliis actibus latriæ; quidni etiam oratione? Quidni etiam nunc salutem nostram operetur tali medio sibi decenti, nobis vtili, & Deo glorioso?

Contrarium sentiunt Vasques disp. 82. cap. 2. Becan. cap. 17. qu. 4. Delugo disput. 27. num. 63. post Medinam, Spencæum, & alios quos Vasques citat, affirmantes Christum in cœlo orare tantùm interpretatiuè quatenus eius orationes fusæ in hac vita mortali, & merita ac passiones, sunt in conspectu & memoria Dei, & à Christo præsente, scienteque ad dexteram Patris, exhibentur illi quodammodo obiectiuè, Deumque sollicitant ad exequendum id quod promeritæ sunt. 12. Contraria sententia.

Non satisfacit Scripturæ & Patrum auctoritatibus.

In quem etiam sensum conatur Vasques cap. 4. exponere, loca Scripturæ & Patrum suprà citata. Sed non satisfacit. Primò, quia ad tale genus intercessionis non esset necesse Christum viuere: neque enim vt Christi merita moueant Deum obiectiuè, est opus actu vitali, neque Deus eget præsentia reali & viua Christi, vt meminerit meritorum ipsius, nihilque efficacitatis inde accedit ipsius meritis. Atqui Paulus Hebr. 7. affirmat Christum etiam nunc in cœlo viuere, vt pro nobis interpellet, eo scilicet modo ad quem necessarium est viuere: *Semper viuens*, inquit, *ad interpellandum pro nobis.* Secundò, Vigilius probat contra Eutychianos Christi humanitatem non esse exinanitam post resurrectionem, aut consumptam per diuinitatem, ex eo quòd Christus, etiam post resurrectionem, secundum illam postulat. Quod argumentum nullam vim haberet, si non postularet eo modo, ad quem vita est planè necessaria. Non est autem necessaria, vt merita Christi, ante ipsius mortem facta, maneant in Dei conspectu & memoria, indeque habeant vim impetrandi suo valore morali. Iustino etiam quadrare non potest expositio Vasquis, vt ipsemet fatetur. Neque Augustino, qui eodem modo affirmat Christum orare pro nobis, quo oratur à nobis. Atqui oratur à nobis quotidie de nouo formaliter & expressè. Et posteriori loco, Pauli verba ad Hebr. de vitali interpellatione, exponit de vitali postulatione & oratione. Ambrosius quoque loquitur de postulatione quæ nunc in cœlo fiat; quam ait contemni non posse, quia fit ab eo qui in dextera Dei est. Certè enim oratio facta in terris & in hac vita mortali, non trahit vim & dignitatem ex eo quòd Christus iam in cœlo sit. Quippe quia hoc est posterius eius oratione, aliisque operibus, quibus illam exaltationem in cœlo ad dexteram Dei promeritus est. Adde quòd Ambrosius loquitur de præsenti: *Christus agit causas nostras apud Patrem*, postulando scilicet, vt indicant verba sequentia. Gregorius denique loquitur apertè de noua & quotidiana oratione, vitalique interpellatione, post Apostolum quem citat.

Deinde opponit Vasques cap. 2. aliqua 13.

Respondetur iis quæ opponit ex auctoritate. Patrum testimonia. Sed primum quod affert ex Concilio Francford. non excludit à Christo modum orandi expressum, licet de interpretatiuo tantum loquatur. Similiterque alii quidam Patres cùm vnum asserunt, non propterea alium negant, aut excludunt. Quia simplex assertio vnius, non est negatio alterius non incompossibilis. Nazianz. verò videtur solùm negare modum orandi seruilem. Subiicit enim post verba à Vasq. relata: *Aduocatum habemus Iesum, non si nostra causa ad Patris pedes aduoluentem, seruiliterque abiicientem. Procul sit ista seruilis sinè suspi io, spirituque indigne.* Alij quidam, vt Chrysost. hom. 15. in epist. ad Rom. citatus à Vasq. cap. 3. tantùm docent Christum non orare in cœlo ex necessitate & indigentia, sed ex charitate: cum possit aliter quæcumque vult præstare. Rupertus verò, & Simeon Thessalonicensis, vel Cabasilas, qui apertè cum Vasq. sentiunt, neque numero, neque authoritate comparandi sunt cum Patribus à nobis ante citatis.

Chrysost.

14. Satisfit eius argumentis ex ratione. Tertiò opponit Vasques cap. 3. has rationes: Christus morte sua, & meritis totius vitæ, obtinuit quidquid vnquam Pater hominibus concessurus erat; & omnem potestatem spiritualem accepit, vt eâ vtatur prout voluerit, & opus nostræ redemptionis perfecit. Ergo nihil amplius postulat: frustra enim peteret quod iam impetrauit & perfecit, & cuius dandi plenissimam habet potestatem. Probat antecedens ex Scriptura, Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Hebr. 10. *Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Et cap. 9. *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta*: Re autem inuentâ, frustra pro illa inuenienda fit oratio, sed gratiæ agendæ sunt. Sicut etiam frustra quis postulat id, quod est iam positum in sua potestate, aut impetratum, vel perfectum. Item si Christus nunc in cœlo pro nobis oraret, mereretur: quia eius oratio esset digna effectu quem impetraret. Tertiò, Possemus nunc Christum orare vt pro nobis oret: quod in Ecclesia inauditum est.

15. Ad primum Respondeo, Quemadmodum Christi impetratio hac in vita, & potestas ei collata, & consummatio atque inuentio nostræ redemptionis, non impedit quo minùs nos Deum orare debeamus, & Sancti ipsi pro nobis orent, vt per huiusmodi orationes Christi merita nobis applicentur: sic neque impediunt quin Christus possit orare de nouo, & merita sua per orationem nobis applicare, sicut applicat per sacrificium Eucharistiæ, per sacramenta, & per alia media. Nec obest quòd iam omnia generatim impetrauit hac in vita. Possunt enim speciatim per orationem nouam applicari merita, quibus olim impetrauit: Quemadmodum gratias omnes impetrauit olim; & tamen applicatio impetrationis, & meritorum, fit per causas nouas, quas non excludit generale meritum, vel impetratio generalis, sed eas potiùs requirit secundum Dei & Christi ordinationem: sicut causæ generales, requirunt causas particulares sibi subordinatas in ordine ad speciales effectus. Adde quòd licet Christus iam olim specialiter omnia impetrasset, sine ordine ad orationes nunc fundendas, omniaque in manu & potestate sua absolutè haberet; id tamen non obstaret quò minùs Christus, etsi non ex indigentia vel necessitate, tamen ex affectu religionis ad Deum colendum, eique se submittendum, peteret iterum, cùm executio facienda est, id quod satis iam olim impetrauerat, suasque preces cum nostris coniungeret, aduocatum nostrum & intercessorem agendo, vt loquuntur Scriptura, & Patres citati.

Oratio Christi in cœlo non repugnat eius meritis & impetrationi in hac vita.

Ad secundum: Nego propterea Christum mereri: quia tempus merendi ad vitæ huius mortalis spatium Christo, æque ac nobis, definitum est à Deo, sine cuius ordinatione nihil possumus apud eum mereri. Præcisè autem impetrare vi orationis, non est mereri, ne quidem de congruo, vt alibi diximus. 16.

Christus non meretur in cœlo.

Ad tertium Respondeo, cùm Suare supra, in orationibus priuatis posse eum, qui bene sciat distinguere Christum vt hominem in cœlo pro nobis orantem, illum orare vt suæ orationis nos participes efficiat, & efficacem meritorum suorum, quæ Patri repræsentat, applicationem nobis obtineat. Item vt nostram orationem suæ coniungat, & Patri offerat. In orationibus verò publicis seruanda est Ecclesiæ consuetudo, quæ nunquam dicit, *Christe ora pro nobis*, sed, *exaudi nos*, vel, *miserere nostri*. Tum ad vitandos errores Arij, & Nestorij: Tum quia Ecclesia dirigit orationem ad personam, quæ est diuinum suppositum: Tum denique quia quando aliquid postulamus ab aliquo, præsertim publicè; oportet illum titulo magis honorifico compellare, & supremam illius potestatem agnoscere.

Possitne Christus orari vt pro nobis oret?

Obiicit etiam Delugo supra, orationem, propriè & strictè loquendo, connotare vel includere carentiam potestatis plenæ & absolutæ in eo qui orat. At Christus accepit à Deo plenam potestatem & absolutam disponendi de omnibus in cœlo & in terra Matth. 28.

Vtrũ oratio sit semper signum defectus potestatis?

Respondeo id verum esse de oratione ex indigentia: at non de illa quæ fit ex reuerentia solum, & ex abundantia. Vtraque autem est vera oratio & propriè dicta, quia est supplicatio facta Deo vt superiori.

SECTIO II.

De Christo vt Sacerdote, eiusque Sacerdotio.

PRIMA Conclusio: Christus fuit verus Sacerdos, & semetipsum Deo in verum 17

Christus fuit verus sacerdos.

sacrificium obtulit. Ita D. Thom. qu. 22. art. 1. & 2. definiturque expresse in Concilio Ephes. can. 10. & in Trident. sess. 22. cap. 1. traditur verò apertè à D. Paulo, variis locis, quibus affirmat Christum fuisse Pontificem à Deo constitutum, *secundum ordinem Melchisedech* Hebr. 5. vers. 6. & *Tradidisse semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Ephes. 5. vers. 2. &, *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo,* Hebr. 7. vers. 27. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Hebr. 9. vers. 13.

18\. Sacerdotii munia.

Ad declarationem nota, licet Sacerdoti alia multa munera soleant conuenire, vt orare, docere, preces populi Deo offerre, sacra & diuina populo tradere: specialiter tamen dici Sacerdotem in ordine ad sacrificium. Vnde licet possit quis alia munia præstare: propriè tamē non dicitur Sacerdos, si non possit sacrificare. Est autem sacrificium propriè dictum oblatio Deo facta per immutationem rei oblatæ ad protestandam supremam Dei excellentiam. Vt quando in lege veteri occidebantur animalia ad protestandum Deum esse authorem vitæ & necis, comburebantur fruges, incendebantur suffitus, & similia. Potest tamen intentio sacrificantis referri ad aliud cum protestatione excellentiæ diuinæ coniunctum. Vt ad aliquid impetrandum à Deo tanquam bonorum omnium authore: ad gratias illi agendas de acceptis: ad Deum propitiandum & placandum pro peccatis. Sicque in lege veteri aliqua erant sacrificia pacifica, ad impetrandum vel gratias agendum: alia propitiatoria pro peccatis: quas omnes differentias & perfectiones sacrificium Christi & legis Euangelicæ comprehendit.

19\. Sacrificii multiplex.

Rursus sacrificium potest esse (generatim loquendo, & abstrahendo ab hac aut illa lege) vel priuatum, vel publicum. Priuatum est, quod offertur ab aliquo vt priuato, & priuata authoritate: cuiusmodi erant in lege naturæ sacrificia Abelis & Caini, de quibus Paul. Hebr. 11. vers. 4. *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo.* Publicum est, quod offertur nomine alicuius communitatis à persona ad id munus constituta authoritate publica: Cuiusmodi olim fuerunt sacrificia apud omnes Gentes exceultas, apud quas fuerunt publici Sacerdotes, & sacrificia publica. Porro Sacerdos propriè & specialiter dicitur is, qui publica authoritate, id est, communitatis, vel Principis, aut Dei domini vniuersorum, constituitur ad offerendum sacrificium publicum, id est, nomine communitatis: Cuiusmodi erant Sacerdotes legales siue Aaronici: Cuiusmodi etiam nunc sunt Sacerdotes Euangelici.

Sacerdos propriè quis dicatur.

Christus autem authoritate ipsa Dei, qui summus omnium communitatum, & totius Ecclesiæ Princeps & caput est, & ad quem maximè pertinet Sacerdotes & sacrificia, cæteraque omnia, quæ ad suum cultum pertinent, instituere & decernere, fuit constitutus Sacerdos vt docet Paulus ad Hebr. 5. versu 1. & quinque sequentibus. Et ab eodem mandatum accepit offerendi seipsum in sacrificium, vt post Psalmistam testatur idem Apostolus Hebr. 10. vers. 5. & sequentibus, iuncto cap. Ioan. 10. vers. 18. Dupliciter verò Christus seipsum obtulit Deo in sacrificium. Primò, Incruentè in Eucharistia, per mysticam immolationem suiipsius mortuo quodam modo positi sub speciebus eucharisticis, vt dicemus alibi: aut per mysticam (vt alii malunt) separationem corporis sui à sanguine sub speciebus panis & vini, aut per realem vtriusque productionem sub iisdem speciebus. De qua oblatione sermo est Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11. De eademque Sancti Patres disertissimè: Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium, Hieron. ep. ad Marcellam ut migret Bethleem, & epist. 126. ad Eu grium. August. lib. 4. de doctrina Christiana cap. 21. & lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 22. & epist. 95. ad Innocentium Papam: Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 1. quorum verba fideliter relata vide apud Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 6. & Iaubertum de Barrault tom. 3. Clypei cap. 12. §. 2. & 3. Et hanc ob causam inter alias dicitur Christus esse Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, cuius sacrificium in pane & vino, fuit typus specialis sacrificij Eucharistici. 20.

Christus fuit Sacerdos Dei auctoritate.

Obtulit se ipsum incruente in Euchatistia.

Cyprian. Hieron.

August.

Ambros.

Barrault.

Secundò, Christus seipsum obtulit cruentè more Aaronico, quando in cruce animam suam & vitam Deo obtulit ad protestandam ipsius excellentiam, in remissionem peccatorum nostrorum, aliosque fines. De quo sacrificio loquitur Paulus capite citato, & alibi sæpius in eadem epist. ad Hebr. 21.

Christus obtulit se cruente in cruce.

Quod si quæras quomodo Christus in cruce sacrificauerit, cùm seipsum non interfecerit non magis quàm Martyres, qui quando mortem pro Christo patiuntur, non censentur propriè sacrificare. Respondeo Christum verè sacrificasse, quia voluntariè & propria vi spiritum tradidit atque à corpore separauit, quem tormenta non poterant illi eripere, si retinere voluisset. Tradidit, inquam, ad protestandam supremam Dei excellentiam per sui immutationem, in quo consistit ratio sacrificij. Et hoc Christus significauit Ioan. 10. cum sic dixit: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* In quo Christus differt à Martyribus: atque etiam in eo quòd Martyres tales dicuntur, eò quòd passi sunt ex virtute charitatis & fortitudinis pro causa fidei, vel ad fidem pertinente: Christus autem ex virtute speciali religionis, ad protestandum Deum esse authorē & vitæ necis, &

supremum omnium rerum dominum. Item Christus authoritate publica, id est, diuina erat constitutus ad offerendum Deo tale sacrificium: Vnde erat propriè Sacerdos respectu illius. At non Martyres, quorum licet permulti fuerint Sacerdotes instituti ad offerendum sacrificium Eucharistiæ: non tamen ad offerendum seipsos in verum sacrificium.

22. Fuit Sacerdos secundum naturam humanam.

Secunda Conclusio: Christus fuit Sacerdos secundum naturam humanam: & secundum eandem fuit simul hostia, templum, & altare: non autem secundum naturam diuinam. Ratio primæ partis est, quia natura secundum quam Christus est Sacerdos, id est, à qua debent elici propriæ illius vt Sacerdotis operationes, debet esse natura Deo inferior & subiecta, quæ ipsum colat, & apud ipsum per sacrificium & supplicationes intercedat. At Christus vt Deus, siue secundum naturam diuinam, non est inferior: ergo non est Sacerdos vt Deus, sed vt homo. Denominatiuè tamē per communicationem idiomatum dici potest Deus esse factus Sacerdos, & sacrificasse; sicut dicitur factus homo, passus, mortuus, & sepultus. Vnio quoque hypostatica contulit infinitam dignitatem & efficaciam Sacerdotio Christi, & sacrificio æque ac eius meritis & satisfactionibus: quatenus sacrificans erat persona diuina, per hypostasin Verbi constituta.

23. Secunda pars conclusionis, quòd scilicet Christus secundum naturam humanam fuerit etiam hostia, seu victima Deo oblata, & templum, & altare, Probatur quia licet Christus ipse fuerit oblatus & immolatus; natura tamen, secundum quam conuenit illi offerri per sacrificium, & immolari seu occidi, non fuit natura diuina, quæ est immortalis & immutabilis, cuique potiùs immolatio & sacrificium oblatum fuit: sed natura humana, quæ ad protestandam supremam Dei excellentiam fuit immutata & destructa. Atque ita Christus secundum illam fuit victima, siue hostia: & secundum eandem fuit etiam templum, id est, locus Dei cultui specialiter deputatus & consecratus, in quo sacrificium illud peractum est, metaphorâ ductâ ab Ecclesiis & ædificiis materialibus, in quibus Deus colitur specialiter. Quo sensu Paul. 1. Cor. 4. Sic loquitur fidelibus: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Eadem quoque, quoad corpus præcipuè, fuit altare illius cruenti sacrificij: quatenus sanguine victimæ fuit perfusa. Quamquam etiam crux ipsa, supra quam victima fuit cæsa, conuenienter ara dici potest. Præcedentia confirmant sancti Patres, Fulgent. lib de Fide ad Petrum cap. 2. in fine, *Solus* (Christus) *Sacerdos, sacrificium, & templum. Et hæc omnis Deus secundum formam serui*, id est, hominis. Et Ambrof. 3. de Fide cap. 5. *Idem Sacerdos, idem & hostia. Sacerdotium tamen & sacrificium humanæ conditionis officium est.* Et paulo post; *Nemo igitur vbi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi ius diuinitatis ascribat.* Similia habet August. lib. 1. de Consensu Euangelistarum cap. 3.

Fulgent. Ambrof. August.

Contrarium verò sentiunt Caluin. & sectarij, affirmantes Christum secundum Deitatem fuisse sacerdotem: secundum verò humanitatem fuisse victimam. Sed nihil obiiciunt magni momenti: & ratio superiùs allata, sumpta ex officio & conditionibus Sacerdotis, quæ Deo conuenire non possunt, euidenter conuincit Christum secundum Deitatem non fuisse Sacerdotem.

24. Christus orauit etiā pro seipso vt Sacerdos.

Tertia Conclusio: Christus non pro nobis solùm, sed etiam pro seipso orauit vt Sacerdos, & sacrificium obtulit, tametsi non eodem modo. Prima pars colligitur ex Hebr. 5. vers. 6. & 7. Vbi postquam Apostolus de Christo dixit, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: subdit immediatè, *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quæ connexio verborum Pauli probabiliter indicat orationes illas fusas à Christo fuisse secundū eam considerationem, secundum quam de ipso dixerat, *Tu es Sacerdos in æternum*, &c. Et fuisse eo fine Deo oblatas, vt per resurrectionem & gloriam sui corporis saluus fieret à morte, id est, à morte non absorberetur; sed ipse potiùs eam absorberet: iuxta illud 1. Corinth. 15. vers. 54. *Absorpta est mors in victoria.* Nec obest quòd in contrarium opponit vnus è recentioribus disput. 29. de Incarnat. nu. 28. Eius enim interpretatio non tam apertè quadrat textui, sed minùs aptè coniungit ea, quæ Paulus diuidit.

25. Confirmatur, quia cùm oratio & sacrificium Sacerdotis non tantùm valeat ad peccatorum expiationem, sed & ad gratiarum actionem pro beneficiis iam acceptis, & ad noua impetranda; nulla est ratio negandi Christum eò suam orationem & sacrificium retulisse vt Deo gratias ageret de beneficiis sibi collatis, & ad gloriam corporis, suique nominis exaltationem impetrandam, quam etiam interdum à Deo postulauit, Ioan. 12. *Pater saluifica me ex hac hora*: Et cap. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*, &c. Paulus quoque Philipp. 2. clarè docet mortem Christo profuisse ad nominis ipsius exaltationem, cùm de illo sic ait: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Neq; dicas profuisse tantùm per modum meriti: Cum enim potuerit æquè ad hoc prodesse per modum sacrificii, existimandum potius est voluisse Christum vt omni optimo modo sibi prodesset. Adde quòd Christus vt homo tenebatur Deum adorare cultu latriæ, veluti authorem vitæ & necis, atque principium rerum omnium, supremumque largitorem omnium bonorum, siue acceptorum, siue accipiendorum. Cúmque ipsius sacrificium esset aptissimum ad huiusmodi cultum & protestationem excellentiæ diuinæ; probabilius est Chris-

tum hoc excellentissimo genere protestationis vsum fuisse, pro suo illo debito erga Deum, suo etiam nomine, persoluendo.

26. Secunda pars conclusionis, quòd non eodem modo pro se, & pro nobis Christus sacrificauerit, patet, quia pro nobis sacrificauit etiam ad expiationem peccatorum nostrorum, qua ratione non potuit pro seipso sacrificare. Eoque sensu intelligo quod ait Concilium Ephes. can. 10. refertur que à D. Thom. qu. 22. art. 4. 5. *Sed contra*: Si quis dicit Christum pro se obtulisse oblationem, & non magis pro nobis solum (non enim indiguit sacrificio qui peccatum nescit) anathema sit. Intelligo, inquam, cum Suar. in Comment. art. cit. de sacrificio vt propitiatorio, & prout refertur ad peccatorum expiationem, quâ ratione Christo prodesse non potuit. Quæ autem Vasq. disp. 84. cap. 2. obiicit in contrarium, non sunt magni momenti, vt fatetur Delugo disp. 29. n. 21. & sequentibus vbi ea refutat. Ipse verò idem cum Vasq. sentiens opponit num. 24. Licet Christus sacrificium suum, siue incruentum in Eucharistia, siue cruentum in cruce, obtulerit in gratiarum actionem pro beneficiis sibi collatis, vel pro gloria corporis obtinenda: id tamen non sufficere vt dicatur pro se sacrificasse: alioqui Sacerdotes possent dici sacrificare pro sanctis in cœlo regnantibus, cùm gratias Deo agunt sacrificando, de beneficiis illis collatis, aut cùm illis à Deo postulant canonizationem, vel maiorem populi deuotionem, & similem gloriam extrinsecam. Concludit autem rationem veram cur Christus non possit dici pro seipso sacrificasse, vel orasse vt Sacerdos, esse quia Sacerdos, vt Sacerdos, est minister publicus seu medius inter Deum & alios, qui per seipsos non possunt, cum tanta authoritate ad Deum accedere, ideóque pro illis intercedit ex tali authoritate, quando fungitur officio Sacerdotis.

Sed non eodem modo ac pro nobis.

S. Thom.

Suarez.

Vasquez.

Delugo.

Sed contra: primò, ex hoc vltimo sequeretur non posse vnum Sacerdotem pro alio sacrificare: quod est absurdum, & contra praxim Ecclesiæ, quilibet enim Sacerdos pro ipso etiam Summo Pontifice quotidie sacrificium offert ex præscripto Ecclesiæ, vt patet ex initio Canonis Missæ. Secundò, Ad primum argumentum dico, non esse negandum verè dici posse id, quod vniuersa Ecclesia Latina dicit in ipso Missæ sacrificio. Sic autem ipsa loquitur in oratione secreta Missæ de S. Bartholomæo, die 24. Augusti, *Beati Apostoli tui Bartholomæi solemnia recensentes, quæsumus Domine, vt eius auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi laudis hostias immolamus.* Tertiò, Si Sacerdos verè dicitur sacrificare pro illis quibus petit prosperum iter, vt in Missa pro iter facientibus; vel pacem temporalem, vt in Missa pro pace; vel fœlicem exitum alicuius negotii temporalis; vt quotidie fit secundum praxim Ecclesiæ à nemine reprehensam, & secundum modum loquendi ab omnibus vsurpatum: quidni etiam Christus dici possit sacrificasse pro se ipso, offerendo mortem suam pro gloria corporis sui obtinenda, suique nominis exaltatione, quæ longe maius bonum est illis suprà enumeratis? Eodemque modo dici potest offerre pro sanctis, qui illis orat maiorem honorem: sicut ex præscripto Ecclesiæ quotidie offerimus sacrificium Eucharisticum *vt illis proficit ad honorem, nobis autem ad salutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris*: vt dicitur in oratione Missæ post manuum ablutionem.

Possitne pro sanctis sacrificium offerri?

Frustra verò conatur idem auctor, cum Vasque suprà citato, extendere canonem Ephesinum ad omnem rationem sacrificij: cùm manifestum sit loqui Concilium de sacrificio tantùm vt propitiatorio, & rationem ipsius Concilii non plus probare, quàm quòd Christus non indiguerit tali sacrificio, cùm esset sine peccato. Verùm quamuis homines nunquam peccassent, vel non essent peccaturi: possent nihilominus & deberent offerre sacrificium alia intentione. Non obest etiam quod ait Paulus Hebr. 5. vers. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Etenim Paulus asserit quidem vnum, quod reipsa est; sed non enumerat alia omnia Sacerdotis officia, quorum aliqua possent absolutè consistere sine illo primo offerendi pro peccatis. Nam quamuis homines non peccarent, tenerentur tamen lege naturali protestari per sacrificia Dei excellentiam, & gratias ei agere de beneficiis acceptis, & alia sibi necessaria postulare. 27.

Quo autem sensu Christus à Paulo Hebr. 7. vers. 17. post Dauidem Psalm. 109. v. 4. dicatur esse Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, vide apud Cornelium & alios Pauli interpretes loco citato. Breuiter dico particulam, *in æternum*, quæ sola habet difficultatem, intelligendam esse de æternitate à parte post: vel moraliter sumpta, id est, vsque ad mundi consummationem, quousque durabit sacrificium Eucharistiæ, ab ipso oblatum principaliter per Sacerdotes vt legatos suos & ministros: vel physicè & in rigore, quatenus semper orabit & interpellabit ex potestate Sacerdotali ad impetrandum sanctis varia beneficia. Sufficit enim manere in perpetuum functionem aliquam Sacerdotalem, ad hoc vt semper duret denominatio Sacerdotis, quamuis non duret amplius functio sacrificandi, à qua velut præcipua Sacerdos dictus est. Quia sufficit illam habuisse, & deinceps aliquod officium circa sacrificium à se oblatum exercere ex potestate Sacerdotali, quæ latiùs patet, quàm ad sacrificandum: vt faciet Christus in perpetuum applicando suis precibus sacrificium in cruce peractum, vt sanctis impetret varia beneficia, & gaudia accidentalia. Hinc etiam factum est vt Christus non habuerit simpliciter successores, vt Sacerdotes 28.

Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

dotes Aaronici : quemadmodum affirmat Apost. ad Hebr. 7. Licet enim Christus Matth. 26. Apostolos constituerit Sacerdotes, & ad offerendum sacrificium Eucharistiæ suos quodammodo successores : id tamen non obest, quin Christi Sacerdotium sit æternum simpliciter & sine successore. Quia Apostoli, & alii deincepss, non illi successerunt, sicut Leuitici Leuiticis succedere solebant : nempe in locum ipsorum subrogati cum æquali dignitate & potestate, eò quòd ipsorum sacerdotium omnino morte finiretur : sed tantùm ita succedunt Christo, vt ab eo semper manente Sacerdote supremo simpliciter, & principalem suam potestatem ac dignitatem incommunicabiliter retinente, habeant longè inferiorem & dependentem ab illo, eiusque beneficio participatam & subordinatam, ac vicariam potestatem, per quam ipsius nomine sacrificent, & visibiliter nobis ministrent; vt ampliùs patebit ex sequenti conclusione. Consentit Cardinalis Delugo disp. 29. sect. 3. vbi Vasquis & aliorum quorumdam explicationes minùs probabiles refutat.

29. Quarta conclusio : Potestas Christi Sacerdotalis fuit Pontificalis, & suprema quædam potestas in vniuersam Ecclesiam, soli Deo subordinata, nullique alteri communicata cum tanta excellentia & independentia : vnde etiam meritò dicitur potestas excellentiæ. Christum quidem fuisse Pontificem docet Paulus cap. cit. vers. 26. *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus.* Et capite 8. versu 1. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis.* Habuisse verò potestatem in Ecclesiam vniuersam, patet ex Matthæi cap. vltimo, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Patet etiam ex eo quòd Christus totam Ecclesiam fundauit, & modum quo regenda erat constituit, legesque generales & æternas illi imposuit, superioresque à quibus deinceps nomine suo regeretur, constituit, & potestatem tam ordinis, quàm iurisdictionis, omnem quam habent, illis dedit, sacramenta denique omnia quibus homines sanctificarentur instituit. Quæ omnia constant ex historia euangelica, & epistolis Pauli Ephes. 4. v. 11. aliisque locis. Hæc autem Christi potestas non fuit quidem omnino suprema : Nam omnis potestas Christi vt hominis, Deo inferior est, & ab eo pendet : ideóque non fuit potestas absolutæ & independentis authoritatis, sed ministerialis respectu Dei. Fuit tamen inter ministeriales suprema & excellens, cui nulla alia par est. Nam omnes aliæ potestates Ecclesiæ sunt ab illa dependentes, & ab illa institutæ. Et omnes alii Sacerdotes sunt Christi ipsius ministri, vt de Apostolis ipsis testatur Paulus 1. Cor. 4. vers. 1. Nullus alius habet potestatem instituendi Ecclesiam, & mutandi ea quæ in perpetuum sunt à Christo sancita. Nam omnis alia potestas manauit à Christo, qui non dedit potestatem ea mutandi quæ ipse voluit esse perpetua. Nullus alius potest instituere sacramenta, imò neque eorum substantiam mutare, vt patet ex Trident. sess. 21. cap. 2. initio. Nullus alius potest nomine suo, & meritis propriis, remittere peccata, & sanctificare per sacramenta, vt Christus aut sine illis efficere id quod sacramenta efficiunt, quemadmodum Christus sacramentorum author, & ab ipsis independens, remittebat sine illis peccata, quibus volebat, vt Paralytico, Magdalenæ, Latroni. Nullus alius potest sacrificium instituere, sed omnes alii tenentur modum sacrificandi ab eo præscriptum seruare. Quibus de causis potestas Christi Sacerdotalis vocatur à Theologis potestas excellentiæ, & potestas principalis, licet ministerialis, & non simpliciter suprema, sed diuinæ subdita. Ratio verò est quia propter dignitatem vnionis hypostaticæ debebatur Christo vt esset Sacerdos, non quocunque, sed excellentissimo modo ac perfectissimo.

Ess summus Pontifex Ecclesiæ.

Pro quo nota, ad officium Sacerdotis spectare non modò vt sacrificium offerat, sed etiam vt præstet alia quæ ad salutem pertinent animarum : licet non omnibus & singulis Sacerdotibus hæc omnia officia conueniant. Etenim Sacerdos constituitur vt sit medius inter Deum & homines : habetque duplicem habitudinem. Alteram ad Deum quem oret, laudet, & colat sacrificiis aliisque actibus religionis, nomine totius populi. Alteram ad populum, quem de rebus salutis doceat, regatque & dirigat per doctrinam, per præcepta, per leges, & alia media ad finem supernaturalem : eundemque pro potestate sibi tradita sanctificet, & cum Deo coniungat. Quæ omnia licet non conueniant omnibus Sacerdotibus, par enim omnibus potestas non datur : debent tamen in supremo & principali Sacerdote reperiri. Alioqui enim non esset satis consultum bono Ecclesiæ regimini. Christus ergo summus Ecclesiæ Sacerdos, & pontifex excellentissimus, debuit excellentissimo modo hæc omnia præstare. Quanquam necesse non fuit vt parem potestatem tribueret illis, quos operis sui vicarios constituit, ad exequendum id quod supererat vsque ad finem mundi. Imò nec potuit tanta potestas vlli puræ creaturæ conferri. Nulla enim pura creatura potest offerre sacrificium, aut instituere sacramenta, quæ ex merito offerentis & instituentis habeant vim satisfaciendi de condigno ex rigore iustitiæ pro peccatis. Nulla pura creatura potest offerre Deo orationes, & alia opera, quibus officium Mediatoris inter Deum & homines exerceat, tanti valoris ad Deum honorandum, demerendum, aut placandum, quanti sunt Christi orationes & opera, ob dignitatem personæ offerentis. Quamuis non repugnet communicari puræ creaturæ potestatem Christi multiplicem, 30.

Officium Sacerdotale multiplex.

omnem scilicet illam quæ sine vnione hypostatica esse potest. Cuiusmodi est potestas influendi aliquo modo in alios per modum capitis, potestas instituendi sacramenta, & sacrificia, ad effectus quos Deus voluerit, &c. Quanta verò potestas fuerit reipsa concessa summo Pontifici supremo Christi vicario, non est huius loci explicare.

SECTIO III.

De Regno Christi.

31\. EX his collige Christum habuisse potestatem spiritualem, regiam, & monarchicam supra totam Ecclesiam, iuxta illud Ps. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Et Daniel. 2. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur* &c. Et Luc. 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quæstio autem superest, an Christus non modò spiritualem, regiam potestatem, sed & temporalem habuerit, ita vt fuerit rex temporalis alicuius regni, puta Iudaici, vel omnium, & totius vniuersi? An item habuerit dominium temporale in res omnes?

32\. *Christus habuit regiam potestatem directam.* Respondeo & dico primò, Christum non solùm habuisse potestatem spiritualem & indirectam in res omnes temporales, quatenus erat necessarium ad finem regiminis spiritualis: sed habuisse quoque ius regium directum seu temporale, & potestatem in totum vniuersum excellenti quodam modo: licet ea potestate circa nullum regnum particulare vsus sit, nec reges temporales suo iure vel vsu priuauerit. Ideoque fuit rex temporalis tantùm in actu primo, id est, quoad ius & potestatem legitimam: non in actu secundo, id est, quoad vsum & exercitium talis potestatis. Ita S. Antoninus, Almainus, Turrecremata, Nauarr. Durand. Ostiensis, & alij, quos citant & sequuntur Vasq. disp. 87. cap. 2. nu. 11. Suar. disp. 48. sect. 2. & Delugo disp. 30. sect. 1. num. 4. *Vasquez. Suarez. Delugo.* Probatur primò, Quia talis potestas decebat Christi maiestatem, & nulli eius officio repugnabat. Secundò, Scriptura eam Christo variis locis tribuere videtur. Nam Apocal. 1. dicitur *Princeps regum terræ.* Et cap. 19. dicitur habere scriptum in femore suo, id est, in humanitate *Rex regum, & Dominus dominantium.* Et Matth. vltimo, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quæ & similia non possunt aptè intelligi de sola potestate spirituali, vt putat Vasq. quia Summus Pontifex, quamuis habeat potestatẽ spiritualem in reges Christianos velut subditos Ecclesiæ, non dicitur Rex simpliciter, & Princeps regum terræ, Rex regum, & Dominus dominantium. Neque verè dicere potest, datam sibi esse omnem potestatem, cum non habeat temporalem directam. Neque in lege antiqua Summus Sacerdos dicebatur rex Iudææ, aut rex regum & Principum Iudæorum. Adde quod ex opposito absurdum sequeretur: nempe Christum non potuisse vt hominem præcipere hominibus, & Angelis, nisi ea quæ pertinent ad regimen spirituale: atq; in aliis nos illi obedientiam iure negare potuisse, tanquam limites suos transgredienti, si plus præcepisset per possibile vel impossibile.

33\. *Abstinuit tamen ab illius vsu.* Abstinuit tamen Christus ab illius potestatis exercitio, neque vllum penitùs temporale regnum administrauit: quia non decuit omnino vt potestatem purè ciuilem exerceret: cùm illa, comparatione spiritualis & diuinæ, vilis sit. Et quemadmodum non decet vt Rex exerceat minora officia, ad quæ tamen exercenda habet potestatem, satis autem est si per alios illa exerceat: ita cùm Christus propter fines maiores venisset, & omnium maximos, vt sanctificator, vt glorificator, vt redemptor &c. non decebat vt per se exerceret potestatem merè ad finem naturalem & politicum. Præterea exercitium regiæ potestatis non bene conueniebat cum exemplis patientiæ, paupertatis humilitatis, & obedientiæ vsque ad mortem crucis, quæ Christus nostra causa debebat exhibere. Propterea aiebat ipse Matt. 21. vers. 21. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Et Luc. 22. vers. 25. *Reges gentium dominantur eorum,* &c. Et Ioan. 18. vers. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis,* id est, haberem ministros & satellites more Regum temporalium, qui me contra Iudæos defenderent. Habuit ergo Christus potestatem solùm generalem, & diuinæ similem, non præiudicantem particulari potestati cuiusque Regum temporalium, nec vsui huius potestatis circa suum regnum: neque iuri communitatum in eligendis aut continuandis regibus suis, iure electiuo, aut hæreditario, vt communiter fit.

34\. *Habuit etiã dominium in actu primo generale.* Dico secundò, Christum habuisse similiter per se & directè dominium quoddam in actu primo, generale, excellens, ac diuino simile, ad vtendum rebus omnibus creatis in ordine etiam ad finem temporalem: licet dominium in actu secundo, id est, vsum illius potestatis, & peculiare dominium non habuerit, nisi tantùm rerum paucissimarum, quæ ipsi donabantur, vel quas aliter acquirebat, ita vt earum dominio peculiari alij priuarentur, nec possent sine Christi iniuria eas, ipso inuito, sibi vendicare. Posterior pars definitur à Ioanne XXII. in Extrauagante, *Cum inter nonnullos, de verborum significationibus,* vbi definit habuisse Christum rerum paucarum dominium, proprium scilicet & exclusiuum dominij peculiaris aliorum: quod quàm exiguum fuerit & pene nullum docet Christus ipse Matth. capite 8. versu 20. cùm sic ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet*

vbi caput suum reclinet: Idemque confirmat Scriptura aliis locis in quibus Christi paupertas prædicatur. Habuit tamen tale dominiū circa pecunias v. g. sibi datas in suam & Apostolorum sustentationem. Propter quod Iudas eas vsurpans, vocatur fur & latro, Ioan. 12. vers. 6.

35. Suarez. Nauar. Delugo. Tanner. Prior verò pars est Suar. suprà assertione 2. Nauar. in caput *Nouit, de iudiciis*, notabili 3. num. 8. & sequentibus, & aliorum quos citat. Quibus accedunt Delugo disp. 30. sect. 2. Tannerus qu. 7. dub. 4. & alij recentiores. Probatur quia tale dominium optimè Christo conueniebat, tanquam hæredi vniuersorum, & Filio Dei naturali, neque vlli eius officio repugnabat, imò interdum conueniebat illo vti, vt cùm Matth. 21. absolutè præcepit adduci sibi asinam, & pullum eius; & si quis aliquid diceret, responderi, *Dominus his opus habet*. Deinde absurdum esset, & Christo indignum non potuisse ipsum vti rebus temporalibus pro libitu, & de illis disponere, si voluisset, ad finem & vsum temporalem, sine hominum licentia, vel sine iniuria & obligatione ad restitutionem, ipsis inuitis. Cùm que Christus fuerit Rex & Dominus omnium, etiam temporalis in actu primo, vt antea probauimus: negari non potest quin habuerit saltem dominium altum & generale in res omnes in actu primo. Hoc enim ius continetur in regia potestate. Sed neque decet ipsius maiestatem dicere quòd non habuerit ius amplius & vniuersalius disponendi de subditis suis, eorumque bonis, non modò iure alto, quantum exigit bonum commune: sed & aliter ad suum bonum peculiare, vel quouis alio modo, sine cuiusquam iniuria.

36. Prima sententia contraria Christum fuisse iure subditum Regibus. Contrarium sentiunt primò Marsilius, & Iandunus, existimantes Christum non modò non habuisse ius in reges temporales; sed etiam iure illis subiectum fuisse, & tributum soluere debuisse. Qui error damnatus fuit à Ioanne XXII. teste Vasque supra cap. 1. & repugnat Scripturæ Matth. 17. vbi Christus tributum postulatus, significat apertè se ab illo soluendo liberum esse, & non soluere ex debito, sed ad vitandum scandalum.

Secunda sententia Christum fuisse Regē temporalē regni Iudaici. Secundo Armacanus, Baconus, & alii pauci senserunt Christum, ratione generationis temporalis ex familia Dauid, habuisse ius speciale regni temporalis in Iudæos. Quod confirmant ex Luc. 1. *Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius*. Et Matth. 27. *Tu es Rex Iudæorum? Tu dicis*. Et Ioan. 12. *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel*. Verùm hæc de regno Christi spirituali intelligenda sunt, vel de temporali in actu primo: Deinde regnum iudaicum potiùs pertinuisset ad Ioseph, qui à Dauide per Salomonem descendebat; quàm ad Christum, qui per Nathan, ex quo Beata Virgo. Neque constat Ioseph fuisse primum inter eos, qui in linea Salomonis descenderant; & quamuis ita esset, non potuisset ipse regnum in filium tantùm putatiuum, aut ad summum adoptiuum, transferre, in præiudicium successoris legitimi.

Tertio Franciscus Victoria, Bartholomæus Medina, & alii quidam censent Christum habuisse tantùm ius regni spiritale, non autem vllum ius temporale in alios reges & regna. Probant primò ex Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Et ex hymno illo Ecclesiastico in festo Innocentium, *Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia*. Si enim Christus habuisset ius temporale in omnia regna: abstulisset aliis regibus ius regni, quia duo reges eiusdem regni esse nequeunt: & ad summum omnes alii reges essent tantùm vicarii Christi in regia dignitate. Secundò, Sequeretur Summum Pontificem, qui Christi potestati successit, esse regem temporalium omnium mundi regnorum. Tertiò, Christus non habuit ius regni temporalis, iure hæreditario, vt ante ostendimus de regno Iudaico, de quo solùm potest esse suspicio: neque electione populi, vt constat, quia nulla talis fuit efficax. Neq; Dei concessione, quæ sine fundamento asserenda non est: nullum autem est fundamentum asserendi, & frustra fuisset in Christo ius regni temporalis, cùm nunquam esset illo vsurus. 37. Tertia sententia Christum nullū ius temporale habuisse.

Responde tertius argumentis. Ad primum respondent aliqui Christum tantùm asserere suum regnum non ducere originem à mundo, sed à Deo. Verum legitimus eius sensus, vt colligitur ex sequentibus in textu, est, quòd Christus non regnaret in hoc mundo, in quo si actu & quoad vsum regnasset, habuisset satellites qui impedirent ne à Iudæis traderetur. Eademque de causa Christus non eripuit aliis Regibus vsum regnandi, quia eos reliquit & permisit regnare, nec vllam illis legem circa politicam gubernationem imposuit, sicut re vera poterat. Imò nec ius particulare illis abstulit: quia ius illud Christi generale & excellens, est simile & propinquum diuino generali, quod non impedit iura particularia creaturarum circa idem obiectum. Vnde etiam cæteri reges non sunt propriè Vicarii Christi, in iure temporali: quia non sunt priuati proprio dominio & potestate regia: neque illam à Christo acceperunt, vt eius vice exerceant.

38. Ad secundum Respondeo Christum non dedisse Summo Pontifici omnem potestatem, quam habebat, ne spiritualem quidem: cùm Summus Pontifex non possit instituere sacramenta, dare gratiam extra sacramenta, remittere peccata absque sacramentali confessione & absolutione, & alia nonnulla Christi singulariter propria.

Ad tertium Respondeo Christum fuisse regem Dei constitutione, sicut per eandem fuit caput & Sacerdos. Cuius constitutionis sufficiens fundamentum in probatione assertionis fuit suprà explicatum. Neque frustra ius illud fuit, licet vsu caruerit: Fuit enim magnum decus & ornamentum humanitatis Christi, quòd in femore suo scriptum habe-

ret *Rex regum, & Dominus dominantium.*

39. Quarta sententia contraria: Christum nō habuisse ius dominij in res temporales.

Quarto denique Vasques disp. 87. cap. 6. contendit Christum non habuisse ius dominii in res temporales, exceptis iis paucis quarum habebat proprietatem. Primò, quia nullus hoc ius Christo tribuit, exceptis paucis recentioribus. Secundò, Quia Ioannes XXII. in Extrauagante, *Cum inter nonnullos, De verborum significationibus*, ait Christum rerum paucissimarum dominium habuisse. Tertiò, Quia omne dominium sufficienter diuiditur in dominium excellētiæ, & vtilitatis: quorum prius, est solius Dei, ratione creationis & conseruationis omnium rerum, ex qua prouenit vt possit rem quamlibet destruere, vel ad alium transferre, fine cuiusquam iniuria. Posterius verò non potest esse duorum circa eandem rem, aut partem illius, in solidum, vt dicitur lege, *Vt certo. §. Si duobus, ff. commodati, & contra.* Ratio est quia non potest in vtriusque vtilitatem æquè referri: vnde fit vt dominium vnius impediat dominium alterius. Quare si Christus haberet dominium rerum omnium in solidum, priuaret alios suo dominio. Habuit ergo Christus ius quidem regium in omnes, id est, iurisdictionem seu facultatem supremam ius dicendi in omni controuersia ciuili, ferendi leges, & verbo etiam præcipiendi, cui cæteri parere debeant. At non habuit dominium omnium rerum, quia ius regium rectè potest ad aliquem pertinere, absque dominio earum rerum aut personarum, in quas habet prædictam facultatem & iurisdictionem. Neque enim Rex est dominus fundi, aut domus Petri, & aliorum subditorum. Hæc Vasques.

40. Satisfit eius fundamentis.

Ad quæ Respondeo primò, non paucos, etiam antiquiores & grauiores, tale dominium Christo tribuere locis cit. à Suare disp. 48. sect. 2. §. *Secunda sententia.* Secundò, Ioannem XXII. Extrauag. citata loqui de dominio proprio & peculiari, priuatiuo dominii aliorum hominum circa eandem rem: de quo dominio quæstio est in Extrauag. illa, occasione dominii, aut non dominii Mendicantium ordinis S. Francisci. Tertiò, Vltra dominium excellentiæ supremæ, quod in Deo est, dari inter creaturas duplex dominium: aliud directum, quod potest esse sine vlla vtilitate: aliud vtile. Quæ duo dominia possunt esse in diuersis in solidum circa eandem rem, vt ostendimus in tract. de Iustitia. Lex verò citata debet intelligi de duobus dominiis eiusdem rationis & eiusdem ordinis. Sicut autem eadem res potest esse simul sub dominio Dei & creaturæ, quia potest simul pendere à Deo pro ipsius voluntate, & nihilominus Deo permittente nec destruente rem illam, potest homo ea vti prout voluerit, atque ita habere dominium vtile in solidum (imò & directum subalternum) vt ait Vasques ibidem num. 46. Ita potest esse sub dominio Christi excellenti & generali, & simili dominio Dei, in eo quòd licet vti posset creaturis, & alios illis priuare, relinquit tamen aliis earum vsum & proprietatem, perinde ac si circa illas nullum haberet ius.

Vasquez

De cætero, verum est quod addit Vasques, aliud esse dominium iurisdictionis, quale est dominium Regis in eo ipso quod Rex est: & aliud dominium proprietatis vel vtilitatis in res aut personas, quod Rex non habet nisi in res illas vel personas quæ alio titulo peculiariter ipsi deuinctę sunt, tanquam propriæ, aut eius vtilitati subiectæ. Habet tamen Rex dominium proprietatis & peculiare in ius regnandi, eo ipso quòd Rex est: & qui ab eius vsu sine causa illum impediret, vel tali iure spoliaret; peccaret sine dubio contra iustitiam commutatiuam. Vnde argumentum Vasquis potest in ipsum retorqueri. Fatetur enim Christum fuisse Regem temporalem in actu primo totius vniuersi. Ergo simul fuerunt duo reges eiusdem regni, putà Imperii Romani vel Iudaici: vel alii Reges non fuerunt verè Reges, sed Christi vicarii & ministri. Item, vel alii Reges non habuerunt dominium proprietatis, & peculiare circa ius suum regnandi: vel dominium eiusdem rei fuit penes duos. Si autem dominium vnius rei potuit esse penes duos, nempe dominium illius iuris: non apparet quidni æquè esse possit dominium rerum aliarum. Quare Vasqui, æquè ac nobis, fatendum est posse dari duos dominos in solidum eiusdem rei, æquè ac duos Reges eiusdem regni: non æquales & independentes, sed subordinatos, quorum scilicet vnus alteri subsit: sicut reipsa Reges omnes subsunt Deo supremo omnium Regi ac domino: quod tamen non impedit ne illi subordinati, sint verè Reges & domini, etiam supremi in suo ordine, quatenus à Deo vel à Christo non priuantur potestate ante accepta legitimè. Supremi, inquam, inter puros homines, quamuis subiecti Deo & Christo. Nullum enim alium superiorem agnoscunt in temporalibus, vt nec Summus Pontifex in spiritualibus.

41. Dominium iurisdictionis est diuersum à dominio proprietatis vel vtilitatis.

Dominium eiusdem rei in solidum posse esse penes duos simul?

42. Occurritur obiectioni.

Dices, si Christus habuit dominium rerum omnium & singularum in actu primo; ergo peccant contra iustitiam, & furtum committunt respectu Christi, illi omnes qui contra eius voluntatem re aliqua vtuntur. Respondeo negando sequelam, cum Delugo supra num. 22. Nam quamdiu Christus retinet solummodo actum primum, & cedit actu secundo, id est, vsu sui iuris, relinquit res in statu in quo antea erant, eodemque modo licitas & illicitas. Si quid tamen sibi proprium faceret iure peculiari; peccaretur contra iustitiam erga Christum circa huiusmodi: quemadmodum Iudas verè peccauit peccato furti surripiendo loculos Christo datos ad vitæ subsidium. At eiusmodi non sunt bona Ecclesiastica, quorum dominium peculiare non est penes Christum, sed est penes clericos beneficiarios, vel penes Ecclesias, quibus applicantur, vt docuimus in tract. de iustitia cum Molina, Lessio, Delugo hoc loco, aliisque pluribus.

43. Christus simul pauper & diues, Rex & non Rex, &c. Ex dictis hactenus de regia Christi potestate & dominio possunt facile conciliari Scripturæ loca specie tenus pugnantia. Quorum aliqua tribuunt Christo regiam potestatem, & dominium omnium rerum, asseruntque ipsum fuisse Regem Iudæorum, dominum vniuersorum, Regem Regum, & Dominum dominantium. Alia affirmant ipsum fuisse pauperem, & fere nihil habuisse. Item quædam affirmant regnasse, vt Luc. 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum*: Et Isaiæ 23. *Et regnabit Rex, & sapiens erit.* Alia, non regnasse in hoc mundo, neque venisse dominari & ministrari, sed ministrare, Ioan. 18. & Luc. 22. Christus enim habuit regiam potestatem & iurisdictionem non solùm spiritualem, sed etiam temporalem in actu primo, & dominium excellens rerum omnium, similiter in actu primo, licet non regnauerit temporaliter in actu secundo, neque vsum dominii aut dominium peculiare, & vsum rerum nisi paucissimarum habuerit, adeóque fuerit pauper. Item regnauit Christus spiritualiter condens leges, sacramenta instituens, præscribens ordinem & regimem Ecclesiæ velut spiritalis Monarchiæ, constituensque Pastores & duces spiritales. Non regnauit autem temporaliter, neque more Regum temporalium dominatus est, stipatus satellitio, famulitio, & pompa regali.

SECTIO IV.

De Christo vt Propheta, Iudice, Legislatore, capite Ecclesiæ, & mediatore.

44. Christus fuit propheta. HAec omnia officia Christo vt homini competere docet Scriptura disertissimè variis locis. Propheta enim nuncupatur Deuteron. 18. vers. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Quæ verba Petrus de Christo exponit Actor. 3. vers. 22. Et Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Et cap. 24. vers. 19. *Qui fuit vir propheta, potens opere & sermone.* Et quidem constat ex Euangelio Christum omnia Prophetæ munia excellenter præstitisse. Nam futura prædixit, occulta reuelauit, docuit populum & instruxit more Prophetarum, vitia reprehendit, & errantes ad rectam viam salutis reducere studuit, vt videre est passim in historia Euangelica.

45. Christus Legislator. Secundò, Legislator dicitur Isaiæ 33. vers. 22. *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster ipse saluabit nos.* Et Matth. cap. quinto, sexto, & septimo Christus multas leges pronunciat: estque ipse auchor legis Euangelicæ, de qua lege Paulus sic ait 1. Cor. 9. vers. 29. *Illis qui sine lege erant*, id est, Gentilibus, *factus sum tanquam sine lege essem: cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Notat autem rectè Becanus (Becan.) cap. 25. Leges seu præcepta perpetua à Christo lata esse triplicia. Moralia, de quibus Matth. 5. 6. & 7. Sacramentalia, de quibus Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Et cap. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis*, &c. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et denique præcepta fidei, Ioan. 14. vers. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et Marc. vltimo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ex quo triplici genere præceptorum, sola sacramentalia fuerunt à Christo propriè & simpliciter instituta: alia verò duo, aucta vel magis explicata, atque etiam Christi auctoritate confirmata, vi cuius nos obligant, non vi Legis Mosaicæ iam abrogatæ. Attamen omnia præcepta moralia erant ante Euangelium. Antiqui etiam credebant implicitè quæcunque in lege Euangelica explicitè creduntur. Notat præterea Suares disp. 47. sect. 2. potestatem legislatiuam Christi fuisse cum singulari excellentia nulli alteri concessa. Primò, quia fuit diuina quodammodo, ratione suppositi diuini. Vnde ius ab ipso conditum vocatur diuinum simpliciter. Secundò, Propter excellentiam legum & præceptorum. Tertiò, Quia per illam potuit abrogare legem veterem. Quartò, Quia fuit amplissima in vniuersum mundum, *Euntes ergo docete omnes gentes*, &c. &, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Quintò denique, quia potuit hanc potestatem vicario suo impertiri, licet non æqualem communicauerit.

46. Christus Iudex. Tertiò, Iudex vocatur Actor. 10. vers. 42. *Ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum*: Et Ioan. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis est.* Et Matth. 25. vers. 31. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua*, &c. Vbi etiam forma extremi iudicii per Christum vt hominem exercendi describitur. Nec obest quod dicitur Ioan. 3. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Sensus enim est, Christũ non venisse primo aduentu ad mundum condemnandum, sed ad salutis viam illi aperiendam, & media suppeditanda. Porro sicut diximus supra de sacerdotio, hæc omnia officia fuerunt in Christo cum singulari quadam excellentia, quæ nulli puræ creaturæ communicata fuit: Quemadmodum fundamentum, propter quod tanta cum excellentia fuerunt ei concessa, fuit in Christo planè singulare, nempe vnio hypostatica, cui erant veluti connaturaliter debita.

47. Christus caput Ecclesiæ hominum & Angelorũ. Quartò, Caput Ecclesiæ dicitur Ephes. 1. vbi Paulus de Deo loquens sic ait: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.* Et cap. 4. eiusdem epist. *Veritatem facientes in cha-*

ritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, augmentum corporis facit. Item Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso: pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Ratio quoque conuenientissima in Pauli verbis includitur. Scilicet quia Christi dignitas ex vna parte postulabat vt ipse omnibus præficeretur: & propter ipsum, omnis sanctitas, & gratia, ac gloria, tribueretur: & ex alia parte, vt omnia sub vno, & ad vnum, vnirentur: quo modo vniuersitas non dispersa, neque dissipata, sed vnita & collecta, non tantùm ad Deum, sed etiam ad præstantissimum Dei opus, quod est Christus, perfectionem & vnitatem maiorem acciperet.

Si quis dicat Deum ipsum, sicuti est principium omnis creaturæ, & causa sanctitatis omnis, ita potuisse esse caput hominum & Angelorum. Respondeo non esse talem proportionem inter Deum & creaturam, qualis est inter Christum & creaturam: cùm Christus vt homo sit factus & creatus: Vnde magis propriè quoad illud est caput creaturarum, tanquam habens maiorem cum illis similitudinem.

48. Porro Ecclesia, cuius Christus est caput, comprehendit etiam Angelos, vt significat Apostolus verbis relatis ex Ephes. & Coloss. 1. quæ nos alibi in eundem finem expendimus disp. 9. sect. 6. Ibidemque ostendimus Christum non esse Caput Ecclesiæ formaliter per aliquid physicum sibi intrinsecum, puta, per vnionem hypostaticam, aut per gratiam & virtutes, quibus idoneus est vt sit caput ad regendum & influendum vitam spiritalem in membra: sed per Dei constitutionem, quâ *ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*, vt ait Paulus Ephes. 1. id est, homines & Angelos ei subiecit vt ab ipso penderent, & non nisi per ipsius merita, gratiæ beneficia vitamque spiritalem participarent. Quod est aliquid amplius quàm esse tantùm Regem aut Dominum. Quamuis enim Rex & Dominus sit caput suorum subditorum per præeminentiam, quam habet ad mouendum illos & regendum: non tamen est caput per influxum vitæ naturalis, aut supernaturalis in subditos. Vnde non est idem penitùs in Christo esse Regem aut Dominum, quod Christo conuenit respectu omnium creaturarum: &, esse caput ad influxum vitæ spiritalis, quo pacto est Caput Ecclesiæ. Hoc enim plus includit: nempe vt per influxum meritorum Christi apta sint membra participare vitam spiritalem: & vt hæc vita per ipsum deriuetur ad omnes qui talis vitæ sunt participes. Dominus verò & Rex est caput ratione iuris quod habet regendi & gubernandi, secundum quod pendent ab illo subditi. Sic quoque 1. Corinth. 11. cùm dicitur, *Caput mulieris vir*, non est similis ratio capitis, sed consistens in iure & dominio gubernandi.

Quintò denique Christus, secundum quod homo, est perfectus mediator inter Deum & homines, solusque principalis & perfectus mediator: licet alij secundum quid mediatores inter Deum & homines dici possint. Ita S. Thom. quæst. 26. art. 1. & 2. Ac primò quidem Christum esse mediatorem inter Deum & homines patet ex 1. Timoth. 2. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Patet item ex dictis de Christi Sacerdotio. Omnis enim Sacerdos est mediator inter Deum & homines; licet non omnis mediator sit Sacerdos. Duobus autem modis præcipuè Christus dicitur mediator, vt notat Vasq. disp. 83. cap. 1. initio. Nimirum primò, quatenus eius personalitas, tanquam commune vinculum, coniunxit duas naturas, diuinam & humanam. Quo sensu Basilius, Gregor. Nyssenus, Epiphan. Tertull. Hilar. Fulgent. & alij Patres Christum frequenter vocant mediatorem. Quanquam hac ratione non tam est proprie mediator, quàm medius, per participationem & coniunctionem vtriusque extremi: sicut homo est medius inter Angelos & res purè corporeas. Mediator enim est nomen officij, non naturæ. 49.

Christus Mediator Dei & Hominum.

Secundò, & magis propriè dicitur mediator ratione officij intercessoris inter Deum & nos. Quod officium quadrupliciter Christus exercuit. Tot modis scilicet, quot solet exerceri, vt notat Vasques loco citato. Primò enim mediator quis constitui solet per modum iudicis arbitri, ad causas discernendas & iudicandas, litesque amicè componendas. Secundò, Per modum proxenetæ, qui ab vna parte ad aliam pacta & conuentiones deferat: quo sensu Moyses Deuteron. 5. ait: *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos, in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius.* Et de eodem Paulus ad Galat. 3. *Data est lex per Angelos in manu mediatoris.* Tertiò, Per modum deprecatoris, interpellando apud vnum pro alio. Quartò, Per modum satisfactoris, satisfaciendo alteri pro eo qui debet. Christus autem hæc omnia præstitit. Nam primò, fuit arbiter à Deo constitutus inter ipsum & nos, qui de causis peccatorum nostrorum iudicaret, nosque ipsi amicè reconciliaret: non pro merito nos condemnando, sed pœnam peccatorum nostrorum in se suscipiendo, vt Deus nobis parceret. Secundò, Dei voluntatem & pacta nobis detulit. Quo sensu Malach. 3. vers. 1. vocatur *Angelus*, id est, nuncius, *testamenti.* Tertiò, Pro nobis orauit & interpellauit, adhucque in cœlis interpellat, vt dicitur Hebræor. 7. Et denique quartò, Pro nobis Deo plenissimè satisfecit, cùm *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* 1. Timoth. 2.

Christus quatuor officia mediatoris exercuit.

50. Est mediator secundum naturam humanam.

Cum autem duæ sint in Christo naturæ, diuina & humana: officium & actiones mediatoris exercuit secundum naturam humanam, vt rectè docet S. Thom. q. 26. a. 2. Illius enim est, & non diuinæ naturæ, discernere & componere causas inter Deum & nos, pœnam nostrorum peccatorum in se suscipiendo. Illius item fuit Dei pacta & conuentiones ad nos deferre, tanquam vnius à se diuersi, ad alterum. Est enim de ratione medii & mediatoris, vt differat ab vtroque extremorum. Christus autem secundum naturam diuinam non differt à Deo. Illius denique fuit, & non naturæ diuinæ, orare pro nobis, sacrificare, pati, mereri, nosque perfectè redimere ac pro peccatis hominum plenè satisfacere. Necessarium tamen fuit naturam illam esse vnitam hypostaticè: non tantùm quia conueniens erat mediatorem participare naturam vtriusque extremorum: sed quia ita omnino oportebat vt ea munera cum tanta perfectione exerceret, traheretque ab hypostasi dignitatem moralem infinitam, sine qua non potuisset plenè Deo satisfacere, & cum tanta efficacitate orare, mereri, &c. Ab illa verò vnione accepit Christus excellentiam mediatoris quæ nulli alteri conuenit, nec potest vlli puræ creaturæ conuenire. Nulla enim potest ex perfecta iustitia pro peccatis hominum satisfacere, & cum tanta plenitudine mereri, aliaque munia mediatoris exercere. Nam Christus Dei filius naturalis, per se Deo gratissimus, & ad quiduis consequendum aptissimus, fuit maior quouis alio interuentore, qui inter Deum & homines esse posset. Fuitque mediator inter Deum, & vniuersum genus Angelorum & hominum. Quocirca fuit summus & generalis mediator, qualis nullus est alius. Eaque de causa Apost. 1. Timoth. 2. ait Christum esse vnum, id est, vnicum mediatorem, excellentem scilicet & perfectum, supremum & vniuersalem, vel vt vulgò dicitur, mediatorem redemptionis. Nisi potius sensus Pauli sit, vnum esse Deum, & vnum esse Iesum Christum, qui est mediator inter Deum & homines. Ita vt particula, *vnus*, referatur ad Christum: particula verò, *mediator*, sit tantum Christi epithetum: eodem modo ac si dixisset, vnus est Deus, vnus & Iesus Christus iustus vel sanctus. Qua de re plura sectione sequenti.

S. Thom.

Vnio tamen hypostatica fuit necessaria vt esset tam perfectus mediator.

51. Sunt præter Christum alii mediatores

Quocumque verò sensu Paulus intelligatur, non impedit quin alii possint esse mediatores secundum quid, & Christo inferiores, inter Deum & homines. Nam simili modo licet dicatur Matth. 5. *Vnus est magister vester Christus*: alios tamen ipse constituit in Ecclesia magistros, & Doctores, vt dicit Apost. Ephes. 3. & per se notum est. Licet item ipse solus sit lux prima & principalis, *quæ illuminat omnem hominem*, vt dicitur Ioan. 1. quo sensu asseritur de Ioanne Baptista ibidem, *Non erat ille lux*, & de quolibet Apostolo, alioue homine idem asseri potest: nihilominus tamen idem Christus Apostolos vocat lucem mundi Matth. 5. *Vos estis lux mundi*: nimirum quia à Christo acceperunt vnde possent aliis hominibus lucere.

Atque ita Moyses fuit mediator inter Deum & homines, quando Iudæis legem à Deo per Angelos acceptam tradidit: sicque à Paulo vocatur cap. 3. ep. ad Galat. 19. Et cùm pro populo intercessit vt Deus eum non deleret, fuit mediator intercessionis Exod. 32. Et Isaac Gen. 25. quando pro sua vxore sterili Rebecca intercessit vt conciperet. Et Iob c. 42. quando amicis veniam impetrauit. Quo etiam pacto S. Angeli, & Beati cum Christo regnantes, & iusti hac in vita alii pro aliis orantes, iuxta consilium Iacobi Apostoli cap. 5. possunt dici mediatores intercessionis. Neque vllius momenti sunt quæ in contrarium obiiciunt Hæretici, vt ostendemus paulò post. Est autem differentia inter Christum, & alios mediatores apud Deum, quòd Christus per seipsum accedit ad Deum, & interpellat: alii verò per Christum, id est, per virtutem ab illo deriuatam. Qua etiam ratione, vltra alias supradictas, Christus est mediator excellens & supremus, id est, independens ab alio mediatore, & à quo pendent cæteri.

Et quamuis Apostolus 1. Timoth. 2. & Hebr. 9. loquens de Christo vt mediatore meminerit tantùm redemptionis: certum tamen est: Christum fuisse mediatorem, non solùm vt redemptorem, sed etiam vt sanctificatorem, & glorificatorem: non per passionem dumtaxat, sed & per orationes, aliaque merita & opera bona. Eaque ratione Christus fuit mediator etiam inter Angelos & Deum: & inter primos parentes & Deum, ante peccatum, cùm nondum opus erat redemptione & passione. Neque tantùm nos redemit à peccato post lapsum: sed insuper omnibus hominibus obtinuit omnia gratiæ dona, & adoptionem filiorum Dei, & sanctitatem, & gloriam, atque augmentum gratiæ sanctificantis, & gloriæ, quam vnquam consecuti sunt, siue tempore legis naturæ, siue Mosaicæ, siue Euangelicæ: Quæ omnia differunt à pura remissione peccati, suntque aliquid magis ad Deum accedens, nosque magis illi coniungens. Verum enim est quod ait Paulus Ephes. 1. *Benedixit nos Deus, in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*. Scriptura tamen frequentiùs meminit redemptionis: quia illud fuit beneficium speciale hominum, quibus Scriptura loquitur: & quia continet liberationem à malo, cuius homines communiter maiorem sensum habent, quàm adeptionis boni & quia magis commendat Christi humilitatem, obedientiam, & charitatem, quarum virtutum exemplo homines maximè indigent. Non desunt tamen Scripturæ loca, quibus Christi mediatio commendatur generaliùs in ordine ad gratiam & gloriam, etiam respectu Angelorum: vt in secunda disput. ostendimus. Cùm autem Paulus Hebræor. 9. vers. 15. sic de Christo ait: *Ideo*

52. Christus non fuit mediator solum vt Redemptor.

Cur vocetur specialiter mediator noui Testamenti, licet fuerit etiã veteris? *noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum praeuaricationum quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae haereditatis*: explicat quidem vnum effectum & finem illustrem Christi vt mediatoris: sed non omnem: neque alios excludit. Causa verò cur specialiter eum vocet noui Testamenti mediatorem, tum ibi, tum cap. 8. & 12. eiusdem epistolae, est quia Christus Testamentum nouum per seipsum immediatè condidit & executus est. Ad eum tamen pertinuerunt etiam illi qui ante noui Testamenti celebrationem fuerunt sanctificati per merita Christi venturi, quorum anticipatio quaedam per fidem & expectationem fuit illis tributa. Atque eo sensu fuit Christus mediator etiam veteris Testamenti, & omnium hominum, atque Angelorum, in quocunque statu quo gratiam vel gloriam adepti sunt.

SECTIO V.

An praeter Christum possint esse alii mediatores inter Deum & nos?

53. Prima obiectio haereticorum, ex Script. CONtra id quod supra diximus mediationem Christi excellentem, & principalem, non impedire quin inter Deum & nos possint esse alii mediatores, sentiunt Haeretici huius temporis, & obiiciunt primò illud primae Timoth. 2. vers. 5. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Vbi ponderant Paulum eodem modo dicere Christum esse vnum mediatorem, id est, vnicum, ad exclusionem omnium aliorum: quo dicit Deum esse vnum, id est, vnicum, ad exclusionem omnium aliorum Deorum: neque magis terminum, *Mediator*, admittere posse distinctionem vllam, quàm terminum, *Deus*. Respondeo primò, sensum illius loci hunc esse: vnus est Deus, & vnus Iesus Christus qui est mediator Dei & hominum. Ita vt particula, *vnus*, cadat in Christum, non in mediatorem: excludatque dumtaxat plures Christos, sicut excludit plures Deos, vt diximus sectione praecedenti. Secundò, dato quod volunt Nouatores, particulam, *vnus*, cadere in mediatorem, quod etiam volunt aliqui Patres & Scriptores Catholici, sed non est necessarium: Respondeo

54. Diluitur. Paulum verbis sequentibus significare & determinare quo sensu velit Christum esse vnicum mediatorem: nempe redemptionis: subiicit enim immediatè post: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Quare non excludit nisi plures mediatores redemptionis: neque contradicit ei quod dixerat ad Galat. 3. Moysem fuisse mediatorem interuentionis inter Deum & populum Israël. Quin etiam immediatè ante verba relata in obiectione, idem Apostolus vers. 1. & sequentibus capitis illius 2. epist. 1. ad Timoth. manifestè docet debere fideles esse pro aliis mediatores intercessionis apud Deum, orando pro illis, idque bonum & Deo gratum esse: sic enim ait: *Obsecro igitur vos primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram salvatore nostro Deo*. Et Coloss. 4. vers. 2. & 3. *Orationi instate vigilantes in ea, in gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, vt Deus nobis aperiat ostium*, &c. Quare sensus, quem Paulo affingunt Nouatores, est plenus contradictionis, & planè alienus à verbis & à mente Apostoli.

Obiiciunt secundò illud Tertull. cap. 30. Apologet. *Haec ab alio orare non possum, quàm à quo me scio consecuturum. Quoniam ipse est qui solus praestat: & ego sum cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum obsecro, qui propter eius disciplinam occidor, qui ei offero opimam & maiorem hostiam*. Respondeo primò, locum illum à Nouatoribus corruptè referri. Nam verba illa, *qui eum solum obsecro*, non leguntur in vllis exemplaribus antiquis aut recentibus, nequidem per Typographos haereticos excusis: sed vbique habetur, *Qui eum solum obseruo*. Secundò, dico Tertull. per illa verba, *Haec ab alio orare non possum*, &c. & per ista, *Qui eum solum obsecro*, data & non concessa lectione Haereticorum: loqui tantùm de illo quem ipse oraret & obsecraret vt authorem bonorum quae postulabat: qui est solus & verus Deus, quique solus vt talis orandus est. Loquitur enim eo loco Tertull. contra Gentiles petentes à Diis suis salutem Imperatorum totiusque reipublicae, quam praestare non poterant, quamque solus verus Deus, vt author omnium bonorum, praestare potest propria potestate & authoritate: eo scilicet modo: quo Gentiles putabant Deos suos eam praestare posse. 54. 2. Obiectio ex Tertull.

Obiiciunt tertiò illud Origenis lib. 8. contra Celsum: *Solus Deus super omnia inuocandus est, & eius vnigenitus*: & Ambros. in oratione de obitu Theodosii post medium, *Sed tamen tu solus Domine inuocandus es, tu rogandus*. Respondeo primo, Origenem eodem libro disertè affirmare *infinita millia sanctorum Angelorum pro nostro genere humano intercedere*. Secundo, Origenem loqui de inuocatione facta alicui, vt Deo: iuxta mentem Celsi, quem refutat, contendentis orandum & sacrificandum esse Daemonibus, vt Deo. Quemadmodum patet ex iis quae dicit Origenes, praecipuè paulò post initium libri citati, iterumque versus finem. Tertiò, locum Ambrosii malitiosè truncari. Sic enim habet integrè: *Sed tamen tu solus Domine inuocandus es, tu rogandus vt eum in Filiis repraesentes. Tu Domine custodiens etiam paruulos in hac humilitate, saluos facito sperantes in te. Da requiem perfectam seruo tuo Theodosio, requiem quam praeparasti sanctis tuis*. Ex quibus 55. 3. Obiectio ex Origene & Ambrosio.

verbis patet, quo sensu dixerit Ambr. Deum solum inuocandum esse & rogandum. Nempe tanquam eum cuius sit Theodosium in filiis repræsentare, & æternam illi beatitudinem impertiri. Quod nos fatemur ad Deum solum pertinere. Aliorum enim non est hoc dare, sed impetrare à Deo largitore.

56. 4 Obiectio ex D August. Obiiciunt quartò, illud August. lib. de quantitate animæ, c. 34. *Deus solus est (animæ) colendus est, qui solus eius est author. Homo autem quilibet alius, quanquam sapientissimus & perfectissimus, vel prorsus qualibet anima rationis compos, atque beatissima, amanda tantummodo & imitanda est, eique pro merito atque ordine, quod ei congruit, deferendum. Nam Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et tractat. 22. in Ioan. Christus excludit omnes alios mediatores, cùm iuxta mentem August. dicit, *Non habes quò eas, nisi ad me: non potes ire, nisi per me.* Et lib. 2. contrà epist. Parmeniani cap. 8. *Homines omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusque mediator est.* Et paulò post: *Nam si esset mediator Paulus, essent vtique & cæteri coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent: nec ipsi Paulo constaret ratio, quâ dixerat: Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Vbi notant Hæretici Augustinum loqui de mediatore intercessionis, & non redemptionis: Quia disputat contra Parmenianum, qui dicebat Episcopum esse mediatorem inter Deum & homines.

57. Ad primum respondeo D. August. ibi tantùm asserere nullum alium esse animæ colendum vt Deum, & vt superiorem seipsa: quod pro vno & eodem sumit ibidem Augustinus. Putat enim eo loco, quem alibi correxit, ne Angelos quidem esse superiores anima, Deoque propinquiores: vt patet ex initio cap. cit. vbi sic habet: *Quemadmodum fatendum est animam humanam non esse quod Deus est: ita præsumendum nihil inter omnia quæ creauit, Deo esse propinquius.* Et paulò post: *Hic ergo solus Deus animæ colendus est, neque discretè neque confusè. Quidquid enim anima colit vt Deum, necesse est vt melius esse quàm seipsam putet.* Cùm autem ait verbis in obiectione relatis, *Quælibet anima rationis compos, atque beatissima, amanda tantummodo & imitanda est, eique pro merito atque ordine, quod ei congruit, deferendum*: non excludit mediationem intercessionis, quæ satis includitur in postremis illis verbis, *Quod ei congruit*, &c. Alioqui fideles hac in vita non possent alii alios orare vt pro se intercedant: Quod est contra Scripturam, & ipsius Dei consilium aut præceptum, Iob 42. vers. 8. & contra Pauli exhortationem, & exemplum, ad Ephes. 6. vers. 18. & 19. & Coloss. 4. vers. 2. & 3.

August lib. 1. Retract. cap. 26.

Ad secundum respondeo, cùm omnes alii mediatores inter nos & Deum sint Christo subordinati, eiusque meritis nitatur eorum intercessio: nos per illos non aliò quàm ad Christum ire, & per Christum ad Deum: nec nisi per illum, id est, non sine vi & influxu meritorum ipsius, ire posse quò tendimus, nempe ad æternam beatitudinem.

Ad tertium dico Augustinum, eo capite negare Episcopos esse mediatores, eo sensu, quo Parmenianus utique Donatistæ asserebant suos Episcopos esse mediatores: nempe nullis peccatis obnoxios: quoniam alioquin (vt ipsi existimabant) non possent à Deo exaudiri, iuxta illud Ioan. 9. vers. 31. *Deus peccatores non audit*: & non indigentes vt vllus alius pro eis intercedat: cum ipsorum sit pro cæteris omnibus intercedere. In quo Episcopos suos Christo similes esse volebant, qui est omnis peccati expers, & ita pro nobis est mediator intercessionis apud Deum, *vt pro ipso nullus interpellet, sed ipse pro omnibus*: Hoc ita esse patet ex iis quæ dicit August. cap. 7. lib. 2. contra epist. Parmeniani. *Omitto dicere*, inquit, *quam scelerata superbiâ dicant neminem esse inter collegas suos vel seipsos, cum aliqua macula & vitio, non membrorum, sed quod peius est morum.* Et paulò post: *Nullamne maculam habuit & vitium non dico cæteris, sed ipse Parmenianus, aut ipse Donatus? Sed tanto isti amore hominum cæci sunt, vt corde impudico adulteros mentis suæ, vni legitimo viro coæquare non dubitent. Vt quod de solo Domino Iesu Christo dici potuit, etiam in Donato perfectum esse contendant.* Et cap. 105. eiusdem libri, *Ita vos miseris plebibus venditatis, commemorantes ex Propheta, Si peccauerit populus, orabit pro eo sacerdos. Si autem sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo? vt vos sine peccato esse credant, & peccata sua vestris orationibus purganda committant. Magni homines vos, excelsi, cælestes, diuini, non iam homines, sed Angeli, qui pro plebibus oratis, & pro vobis plebes orare non vultis.* Et cap. ipso octauo in obiectione citato respondens illi Scripturæ loco, *Si peccauerit populus*, &c. 1. Reg. 2. vers. 25. & alteri, quo Donatistæ simul abutebantur, *Deus peccatores non audit*, Ioan. 9. vers. 31. opponit illis hæc verba primæ Ioan. 2. *Fratres hæc scribo vobis vt non peccetis. Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quem locum sic expendit Augustinus: *Hoc quàm verâ & piâ humilitate dictum sit audiant Donatistæ, si habent aures vnde audiant. Ioannes enim dicit: Hoc scribo vobis vt non peccetis. Si itaque sequeretur & diceret: Et si quis peccauerit, aduocatum habetis apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis vestris: seipsum à peccantibus quasi segregasse videretur, vt iam non ei opus esset propitiatione quæ fit per mediatorem sedentem ad dexteram Patris, interpellantem pro nobis: Quod vtique non solùm superbè, sed etiam, falsò diceret. Si verò ita diceret: Hæc scripsi vobis vt non peccetis: & si quis peccauerit, mediatorem me habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis vestris: sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum* (nempe in sensu explicato cap. 7. & cap. 105.) *Quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, &*

58. Expenditur locus difficilis D. Augustini.

non sicut Anti hristum intueretur? Tum in eundem sensum subiicit verba in obiectione relata: *Homines enim omnes Christiani inuicem se commen ant oration bus su s. Pro quo autem nullus interpellat, sed ips p omnibus, hic vnus ve usque medi tor est*, &c. Videri potest Iaubertus de Barrault parte 2. Clypei cap. 2. vbi hæc omnia fusiùs & diligenter prosequitur. Itaque August. contendit tantùm vnum & solum Christum esse talem mediatorem intercessionis: vt ipse pro omnibus intercedat, & nullius intercessione indigeat, ac neque vnquam indiguerit. In quo differt à sanctis & beatis Angelis vel hominibus, qui non sine Christi interuentu beatitudinem adepti sunt, eiusque & aliorum intercessione indiguerunt, cum essent in statu viæ seu tendentiæ ad beatitudinem, vt probat ibid. August. exemplo Pauli Apost. Coloss. 4. vers. 3. Eodemque sensu negat Paulum cæterosque Apostolos fuisse mediatores, verbis vltimis in obiectione relatis.

DISPVTATIO DECIMA-SEXTA.

De Adoratione Christi.

DE adoratione Christi disputat S. Thomas tota quæst. 25. & art. 1. docet vnam esse Christi adorationem, & vnum honorem, ex parte eius qui adoratur; quia in Christo est vnica persona, & vnica hypostasis, vnumque suppositum: sed ex parte causæ quâ honoratur, posse dici esse plures adorationes: vt scilicet alio honore colatur propter sapientiam increatam, & alio propter sapientiam creatam. 2. Vnam eandemque personam Christi adorari adoratione latriæ, propter suam diuinitatem; & adoratione duliæ, propter creatas perfectiones humanitatis. 3. Cùm Christus adoretur adoratione latriæ; consequenter eius imaginem eodem cultu adorandam esse. Nam imagini exhibetur solùm reuerentia inquantum est imago. Quia reuerentia non nisi rationali naturæ debetur. Vnde motus reuerentiæ, qui est in imaginem inquantum est imago, est vnus & idem cum illo qui est in prototypum. 4. Christi Domini crucem, in qua crucifixus est, latriæ cultu adorandam esse, tum propter Christi re-

præsentationem; tum etiam propter membrorum eius contactum. Crucis vero illius effigiem in alia quauis materia, priori tantùm ratione, latriæ cultu adorandam esse. Ratio est, quia honos seu reuerentia non debetur nisi naturæ rationali per se: Creaturæ autem insensibili non debetur nisi ratione naturæ rationalis. Idque dupliciter: nimirum vel inquantum eam repræsentat, vel inquantum ei quocumque modo coniungitur. Priori modo consueuerunt homines venerari regis imaginem: posteriori eius vestimentum. Vtrumque autem venerantur eadem veneratione, quâ venerantur regem. 5. Beatam Virginem non esse adorandam cultu latriæ cum sit pura creatura; sed cultu Hyperduliæ, propter eius eminentiam supra cæteras creaturas, inquantum ipsa est mater Dei. 6. Denique cum sanctos in veneratione habere debeamus, eorum quoque corpora & reliquias venerari nos oportere: quia vt rectè sanctus August. lib. 1. de ciuit. cap. 1. Si paterna vestis & annulus ac si quid est huiusmodi tantò carius est posteris, quantò erga parentes est maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multò familiariùs atque coniunctiùs, quàm quælibet indumenta gestamus, hæc enim ad ipsam naturam hominis pertinent. Itaque qui habet affectum ad aliquem; etiam ea, quæ de ipso restant post mortem, veneratur, non solùm corpus aut partes corporis, sed etiam aliqua exteriora, vt vestes, &c. Cùm igitur sanctos Dei venerari debeamus tanquam membra Christi, Dei filios & amicos, & nostros intercessores: debemus pariter eorum reliquias honore congruo prosequi; & præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa & organa Spiritus sancti in eis habitantis & operantis, quæque sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Vnde & ipse Deus huiusmodi reliquias conuenienter honorat, miracula operando in earum præsentia. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Præmittuntur aliqua de adoratione in communi.

1. Quid sit adoratio?

ADORATIO in communi definiri potest, Actus reuerentiæ quo quis alterum tanquam sibi præcellentem honorat, propter eius excellentiam: illum vt talem agnoscendo, eique se voluntariè submittendo, & submissionem suam signo aliquo idoneo ipsi exhibendo. Quæ definitio sumitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 84. art. 1. & 2. Nam art. 1. in corp. dicit adorationem ordinari in reuerentiam eius qui adoratur. Et in solutione primi respondet Deum debere adorari; & nihilominus posse etiam adorari creaturas aliquo modo Deo inferiori: quia Deo debetur reuerentia propter eius excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur, non secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem. Deinde art. 2. in corp. affirmat duplicem ab hominibus, qui anima, & corpore constant, offerri Deo adorationem. Vnam spiritualem, quæ sistit in interiori mentis deuotione, illa scilicet, quá noster affectus se Deo subiicit propter ipsius excellentiam, vt explicat in fine corporis; atque etiam talem affectum signo aliquo spirituali ei exhibet. Alteram corporalem, quæ consistit vltra affectum internum supradictum, in exteriori corporis humiliatione: putà, genuflexione, prostratione, & similibus talem affectum submissionis significare aptis. Et quia, inquit, in omnibus actibus latriæ id quod est exterius refertur ad id, quod est interius, sicut ad principalius: ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem. Vt videlicet per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo: quia connaturale est nobis, vt per sensibilia ad intelligibilia procedamus. Postremò in solutione secundi addit, quòd sicut oratio primordialiter est quidem in mente, secundariò autem verbis exprimitur: ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reuerentia consistit Secundariò autem in quibusdam corpora-

libus humilitatis signis: sicut genu flectimus nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum, prosternimus autem nos, quasi profitentes nos nihil esse ex nobis. Huc vsque S. Thom. q. citata, vbi ex professo de adoratione disputat.

2. Explicatur definitio adorationis.

In hac definitione particula, *Actus reuerentiæ, quo quis alterum honorat*, ponitur loco generis: latiùs enim patet reuerentia, & honoratio, quàm adoratio, vt dicemus paulò post: Et vt ait S. August. in lib. contra Sermonem Arianorum, *Honorat quidem omnis qui adorat: non autem adorat omnis qui honorat*. Reliquæ particulæ simul sumptæ tenent locum differentiæ, restringuntque genus honorationis, & reuerentiæ ad specialem illam, quæ propriè dicitur adoratio.

Addidi autem in fine eiusdem definitionis, *Et submissionem suam aliquo signo illi exhibet*: quia, vt rectè notat August. Bernal disp. 68. de Incarn. sect. 1. num. 8. & 10. ad conceptum adorationis necessarium est, vt signum submissionis exhibeatur ab adorante, rei, quæ adoratur, illamque afficiat aliquo modo, & respiciat non solùm tanquam obiectum, *cui*: verum etiam tanquam subiectum, seu causam recipientem, vel physicè, sicut humilis deosculatio v. g. afficit Christi pedum imaginem, aut pedes summi Pontificis; vel saltem moraliter, sicut genuflexio, vel prostratio coram illis facta, ad nostram submissionem animi, & internam reuerentiam ipsis, vel aliis significandam. Alioquin enim, si quis v. g. genibus flexis cum summo Pontifice loqueretur de alio, tanquam sibi præcellente, & superiore, deque sua erga illum submissione: non propterea istum adoraret, sed laudaret dumtaxat: quamuis illius præcellentiam respectu sui, & suam erga illum submissionem animi significaret verbis humilibus iunctis tali corporis gestui, non ad ipsum, sed ad Pontificem directo.

3. Vnde collige 1. quo sensu intelligenda sit vulgata definitio adorationis sumptæ ex D. Damasc. Orat. 1. de Imag. pag. 5. ante medium: Adoratio est submissionis, & humiliationis nota. Et orat. 3. Est animi cedentis, submissi, atque humilis significatio.

Quomodo differt ab aliis actibus religionis?

Collige 2. adorationem differre ab honore, & laude: quia laus, & honor versantur etiam circa personas non præcellentes, sed æquales, aut inferiores. Nam Deus ipse honorat sanctos, & laudat. Secus autem adoratio: ideoque Deus neminem adorare potest, quia nullum habet excellentiorem, cui se submittat. Differt etiam à cultu, veneratione, & reuerentia: quia hæc latiùs patent, quàm adoratio. Cultus enim comprehendit omnes actus religionis. Veneratio autem, & reuerentia, tametsi propriè & strictè sumptæ respiciunt superiorem, & præcellentem, in eoque cum adoratione conueniunt: tamen adoratio, vt dicam paulò post, maiorem quandam submissionis notam requirere mihi videtur, quàm quæ ad simplicem reuerentiam, aut qualemcunque venerationem sufficeret.

Collige 3. quos actus includat, vel importet adoratio. Nimirum ex parte intellectus importat, velut actum sibi præuium, existimationem, aut apprehensionem excellentiæ alterius. Ex parte autem voluntatis, in qua formaliter consistit adoratio, quippe quæ virtus moralis est, includit affectum, & intentionem recognoscendi illam excellentiam per aliquam submissionem, eiusque significationem exhibitam rei adoratæ. Et denique signum aliquod, seu notam talis submissionis quâ consummatur adoratio, voluntariè exhibitam actu aliquo interno, vel externo, spiritali, aut corporali. Potest enim hic actus esse multiplex. Nempe vel corporeus, vt genuflexiones, prostrationes, pectoris percussiones cum profunda corporis submissione, & similia: vel spiritalis, si nimirum ab aliqua potentia spiritali exerceatur aliquis actus qui procedat ex affectu adorandi, & sit aptus ad profitendam & indicandam submissionem animi, nostramque intentionem eam profitendi. Cuiusmodi possunt esse aliqui actus, intellectus & voluntatis, atque etiam potentiæ motiuæ spiritalis. Vt v. gr. si ex affectu colendi Deum applicetur intellectus ad recognoscendam & protestandam diuinam excellentiam, asserendo se recognoscere Deum vt supremum omnium Dominum, atque hanc ipsam recognitionem illi exhibendo & offerendo in cultum & adorationem. Item si applicetur ad cogitandum de Dei Maiestate, & simul de propria vilitate: quòd ex se nihil sit, quòd in omnibus bonis à Deo pendeat, quòd peccare possit & in nihilum redigi; applicetur, inquam, ad id firma asseueratione significandum & protestandum. Hæc enim cogitatio & assertio, sicut animi submissionem erga Deum gignere & fouere potest: sic aptissimum est signum eiusdem submissionis, & intentionis eam significandi. Multóque magis anima genuflectit spiritualiter coram Deo per illam recognitionem & protestationem mentalem, ad hunc finem ordinatam ex affectu colendi Deum, ipsique Deo exhibitam: quàm corporaliter genuflectat per poplitis inflexionem & demissionem vsque ad terram. Item sicut per internam & mentalem locutionem possumus ipsis conceptibus intellectus significare Deo desiderium, quod habemus in voluntate, aliquid ab ipso obtinendi, & intentionem id illi significandi, vt fit in oratione mentali: sic per mentalem locutionem, seu per conceptus possumus illi exprimere submissionem quæ est in voluntate, & intentionem nostram eam exprimedi, quæ multò meliùs significatur per tales conceptus, quàm per signa corporea. Sunt enim conceptus signa naturalia, & viuæ expressiones earum rerum, quarum sunt notæ. Neque propterea non differt adoratio à laude. Laus enim non tendit directè ad significandam submissionem animi, vt facit adoratio: sed ad excellentiam laudati prædicandam: vnde laudamus interdum etiam eos qui non sunt nobis

Signa interna adorationis possunt esse multiplicia.

nobis excellentiores, quibusve nos propterea non submittimus. Possunt tamen ambæ in eundem actum coincidere, & frequenter coincidunt.

Similiter voluntas ex affectu submittendi se Deo, potest in signum illius affectus & submissionis imperare sibi actum quo coram Deo illam approbet, atque intentionem se Deo submittendi, gaudeatque de tali submissione & intentione, ac Dei maiestatem præ sua vilitate admiretur, id est, veneretur, & quasi obstupescat: vel actum timoris reuerentialis, quo à Deo quodammodo se retrahat, & intra suam vilitatem se colligat, reformideturque ad tantam maiestatem accedere, vel eam contemplari. Hi enim actus voluntatis, & similes, sunt valde apti naturâ suâ ad protestandum affectum primarium submissionis, à quo procedunt, & intentionem significandi talem submissionem.

Denique etiam per potentiam motiuam spiritalem possunt Angeli v. g. sine corpore assumpto demittere se coram Deo per motum localem sursum deorsum, in signum venerationis: ad eum modum quo nos caput demittimus, corpus inclinamus, genuflectimus, aut prosternimur. Sic cùm ad Christum in præsepi iacentem descenderunt Angeli; potuit ille motus descensus, & mansio in loco illo vili & inferiori, assumi ab Angelis in signum adorationis Christi, quem hoc actu, & aliis internis adorauerint, iuxta illud Hebræor. 1. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius.* Vide Suar. tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. c. 2. vbi in his omnibus fere nobiscum sentit.

5. Verum interna submissio sit propriè adoratio? Contrarium docet Vasquez disput. 93. vbi contendit internam submissionem voluntatis non esse propriè adorationem: neque vllam esse adorationem propriè dictam, nisi eam quæ consummatur per actus externos, & corporales, vt per genuflexionem, & similes: sicut temperantia propriè non est, nisi quæ consummatur in actu externo moderati vsus cibi, & potus, & voluptatum: aliaque id genus, quorum affectus est quidem in voluntate; species verò propria non est sine actu externo & corporeo, quo affectus ille mandatur executioni, vt homicidum, adulterium, & similia.

Primum argumentum Vasq. cap. 3. num. 31. est, quia si esset aliquis actus adorationis interiùs consummatus, adoratio non esset potiùs constituenda inter actus exteriores religionis, quàm inter interiores: sicut ob eandem rationem D. Thom. 2. 2. quæst. 82. initio, non ponit orationem inter actus exteriores religionis, sed inter interiores, eò quòd non solùm habeat exteriorem operationem, sed etiam internam quæ interiùs consummatur. Atqui adoratio constituitur inter actus religionis exteriores, vt patet ex D. Thom. 2. 2. q. 84. init.

S. Thom. Respondeo D. Thom. eadem quæst. 84. a. 2. in corp. aperte docere, duplicem esse adorationem. Vnam spiritalem, quæ consistit in interiori mentis deuotione, de qua generatim disputauit quæst. 82. Alteram corporalem, de qua disserit quæst. 84. Et in solutione 2. argumenti comparat illam adorationem spiritalem cum mentali oratione, aitque illam esse adorationem primariam. Item quæst. 103. eiusdem partis, art. 1. dicit, honorem relatum ad Deum non postulare actum exteriorem, sed in solo interiori reperiri, cùm tamen honor erga homines postulet. Sicut autem honor erga Deum non postulat simpliciter actum externum: ita nec animi submissio illi exhibita & significata.

6. Quomodo illi conueniat ratio adorationis? Secundum arg. Actus ille interior adorationis, qui intus consummatur, siue dicatur reuerentiæ, siue adorationis circa Dei excellentiam, cùm sit actus voluntaris, nihil aliud esse potest quàm complacentia aliqua de diuina excellentia. Hic autem affectus nulla ratione ad virtutem religionis, sed ad varias alias virtutes pertinere potest. Quod ex eo confirmatur, quia opposita displicentia, vel odium, non esset peccatum sacrilegii contra virtutem religionis, sed contra charitatem, vel humilitatem. Respondeo primò, illam internam adorationem posse fieri multipliciter, & consummari per varios actus non modò voluntatis, sed etiam intellectus, & potentiæ executiuæ, vt paulò ante ostendimus. Secundò, eandem pertinere ad virtutem religionis, quia est specialis Dei cultus (si loquamur de eius adoratione) fitque ex affectu colendi Deum, ob specialem honestatem in cultu illo consistentem, exhibendo illi tale testimonium ipsius excellentiæ, atque intentionis nostræ eam protestandi. Et similiter displicentia opposita esset contra virtutem religionis, si exerceretur ex affectu inhonorandi Deum, vt testimonium inhonorationis & contumeliæ. Imò licet alio affectu formali exerceatur; induit nihilominus malitiam sacrilegii vt qui furatur propter luxuriam, induit nihilominus malitiam iniustitiæ: & qui ex odio Dei blasphemat, peccat non modò contra charitatem, sed & contra religionem.

Tertium arg. Si submissio illa animi nullo signo externo exhibita, esset adoratio, sequeretur quemlibet actum elicitum, seu affectum religionis, versari circa adorationem, quia versatur adæquatè circa cultum, id est, honorem cum submissione exhibitum. Consequens autem est absurdum. Nam adoratio est specialis actus religionis, qui debet à deuotione, oratione, laude, oblatione, sacrificio, voto, & iuramento distingui, sicut etiam distinguitur à D. Thom. enumerante & exponente religionis opera, 2. 2. q. 82. & seqq.

7. Non omnis actus religionis est adoratio. Respondeo primò, Virtutem religionis esse affectum non modò colendi Deum, sed etiam honorandi conuenienter, abstrahendo ab expressa submissione animi, de qua non semper cogitatur laudando, vouendo, iurando, &c. Secundò, Non esse necessarium illos actus à D. Thoma enumeratos ita distingui, vt alii

in aliis non includantur. Nam sacrificium includitur in oblatione: siquidem omne sacrificium est oblatio: licet non omnis oblatio sit sacrificium. Et ex D. Thom. 2. 2. quæst. 84. a. 2. in Corp. adoratio interna deuotio quædam est. Tertiò, Alios esse actus adorationis præter illam internam submissionem animi, nempe illius signa & notas internas vel externas: secundum quos actus adoratio magis distinguitur ab aliis actibus religionis. Quartò, Non quamcunque submissionem internam, eiusque significationem esse propriè adorationem, sed profundam: Quemadmodum adoratio externa non est quicumque corporis gestus, aut reuerentia & nota honoris ac submissionis: sed profunda demissio, iuxta vim vocis hebraicæ *Hisstachaua*, quâ in Scripturis exprimitur adoratio: iuxtaque vulgatum loquendi, & sentiendi modum. Neque enim v. g. dicitur adorare ille, qui alium licet præcellentem capite solùm aperto salutat. Eóque putant aliqui pertinere illud Anastasii Episcopi Theopoleos citati in vii. Synodo Act. 4. *Quid enim aliud est, quàm honoris alicui exhibiti velut emphasis Adoratio?* id est, honor, & submissio exhibita modo quodam excellenti. Verùm vt bene aduertit Bernal. disp. 68. n. 4. Interpres parum fideliter hunc locum reddidit, in quo non aliud dicit Anastasius, nisi τιμῆς γὰρ ἐμφανεῖ ἡ προσκύνησις Id est, *Honoris indicium seu manifestatio est adoratio.* Et vt paulò post ait Tharasius Anastasii sententiam referens, *honoris symbolum*.

S. Thom.

8. Quartum argumentum: Si adoratio posset interiùs consummari per aliquos actus internos, factos ex affectu Deum colendi, eique se submittendi, maximè per actus fidei, spei, & charitatis. Hoc autem dici nequit: alioqui per omnes alios virtutum actus internos, & externos, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ, &c. posset consummari adoratio. Et reddere ius, comedere temperatè, & similia, essent adorare: quod est absurdum. Probatur sequela: quia vel actus fidei, spei, & charitatis, sunt materia & obiectum affectus adorationis tanquam signa naturalia submissionis, vel tanquam signa ex instituto. Primum dici nequit, quia tales actus non significant naturaliter submissionem animi Deum colentis. Si secundum: Alii omnes actus virtutum possunt æquè assumi ex instituto & beneplacito, atque referri ad talem submissionem protestandam.

9. Resp. 1. Si adoratio posset tantùm consummari per actus externos & corporeos, vt vult Vasq sequeretur Angelos non posse verè & propriè Deum adorare, quia non habent actus corporeos. At hoc non est verum. Scriptura enim frequentissimè & constantissimè affirmat Angelos Deum adorare. Quæ locutiones Scripturæ tam frequentes, debent in vero & proprio sensu accipi, quoad fieri potest. Imò Scripturam loqui de propria adoratione satis constat aliquibus locis, vt Psal. 96. vbi postquam dixit: *Confundantur omnes qui adorant sculptila, & qui gloriantur in simulachris suis*: immediatè subiicit: *Adorate eum omnes Angeli eius.* Opponens adorationi Gentilium circa Idola, adorationem Angelorum circa Deum, propriam scilicet, æquè ac illam. Vnde D. August. in eund. locum: *Discant*, inquit, *Pagani adorare Deum. Angelos volunt adorare: Angelos imitentur, & illum adorent, qui ab Angelis adoratur.* Neque dicas Angelos Deum adorare in corpore assumpto. Primò, quia etiamsi corpus assumant, non exercent in illo actus vitales corporeos. Secundò, dubitari nequit quin in republica Angelica, independenter à corpore, alii alios honorent, eisque tanquam superioribus se submittant, illumque honorem & submissionem aliquo signo spiritali testentur: putà, mentis conceptibus, aut speciebus, vel motu locali spiritali: quæ non minùs apta sunt ad animi submissionem significandam, & intentionem nostram eam significandi; quàm inflexiones & motus corporis. Ergo similiter possunt suam submissionem & reuerentiam erga Deum testari.

Angeli verè & propriè adorant Deum.

August.

10. Resp. 2. Ea quibus tanquam signis & notis submissionis completur adoratio, quæque sunt propria materia affectus adorandi, debere naturalem proportionem habere ad significandam directè & expressè submissionem animi, nostramque intentionem illam significandi: vel si hoc à natura non habent tanquam signa naturalia; debent habere ex publica institutione, facta cum authoritate. Quam proportionem aut institutionem non habent omnia virtutum opera: sed tantùm illa quæ in sententiæ nostræ explicatione protulimus, & quæ sunt his similia. Est autem differentia inter materiam propriam alicuius virtutis, & inter ea quæ solùm possunt ad eam pertinere per imperium vel directionem. Nam v. g. vsus moderatus cibi, potus & voluptatum, est materia propria affectus temperantia, quæ virtus per hos actus consummatur. At non oratio, vel eleemosyna, quæ possunt tamen ad eam impetrandam ordinari, eoque fine imperari ab affectu temperentiæ: & omnes actus virtutum possunt à qualibet ad se referri: at non propterea sunt propriè ipsius actus, & materia siue obiectum proprium. Porro licet omnes actus religionis contineant aliquam submissionem animi, eamque naturaliter significent: itemque actus obedientiæ significent aliquam submissionem erga superiorem, cuius mandatis obtemperamus: non tamen expressè, & speciali intentione præcipua & primaria, eò tendunt vt significent nostram intentionem submittendi nos: quemadmodum facit adoratio. Sed laus v. g. directè ac præcipuè tendit ad prædicandam Dei excellentiam: oratio, ad impetrandum: votum, ad firmandam voluntatem in bono promisso: Iuramentum, ad assertionem confirmandam: obedientia, ad implenda mandata superioris: humilitas, ad nos continendos intra proprios terminos, ne plus quàm par est, extollamur respectu Dei, vel

Non omnis actus virtutis est adoratio.

aliorum: charitas, ad amandum Deum vt in se bonum: spes ad eundem diligendum, vt bonum nostrum, & sic de aliis. Ex quibus facile est intelligere quomodo differat adoratio ab aliis virtutum actibus.

SECTIO II.

Quotuplex sit adoratio?

11. Adoratio diuiditur 1. in internam & externam.

EX dictis patet adorationem diuidi posse primò in internam, quæ fit actibus internis: & externam, quæ externis. Per internos intellige spiritales: per externos verò, omnes corporeos & materiales. Ita vt interna adoratio sit illa quæ sola mente fit. Externa verò, illa quæ quomodocumque exercetur per corpus. Hanc autem diuisionem prater D. Thom. 2. 2. quæst. 84. art. 2. verbis relatis initio sectionis præcedentis, tradit etiam disertè S. Damasc. lib. 4. de Fide cap. 13. initio, vbi sic ait: *Nam quia ex visibili simul & inuisibili, hoc est, ex ea natura quæ intelligentia percipitur, & ex ea quæ in sensum cadit, constamus; duplici quoque adorationis genere illum rerum omnium parentem & architectum afficimus: quemadmodum videlicet, & mente, & corporis labiis psallimus.*

2. In latriam, duliam, hyperduliam, & obseruantiam politicam.

Secundò, diuiditur ex parte obiecti, seu excellentiæ rei adoratæ, in latriam, duliam, hyperduliam, & obseruantiam ciuilem seu politicam. Latria non tam ex vi vocis, quæ significat seruitutem, æquè ac dulia; quàm ex vsu & placito sanctorum Patrum, & Theologorum, significat singularem & excellentem adorationem, qua Deo propter summam eius excellentiam tribuitur. Dulia similiter ex vsu & accommodatione Patrum, & Theologorum, significat cultum religiosum inferiorem, siue adorationem quæ Sanctis exhibetur. Quòd si illa sanctitas sit singulari quadam ratione excellens, cuiusmodi est sanctitas Dei Matris immaculatæ; adoratio illi respondens vocatur hyperdulia: si denique submissio & adoratio tribuitur alicui, non vt sancto & Dei amico, aut personæ sacræ; sed vt sapienti, potenti, superiori, &c. Talis adoratio est ciuilis & politica obseruantia, quæ frequenter in Scripturis adoratio appellatur Gen. 23. 33. 42. 43. 49. 50. aliisque locis, vbi dicitur Abraham adorasse filios Heth; & Iacob, fratrem suum Esau; & filios Iacob adorasse fratrem suum Ioseph, & Bethsabæe adorasse Dauidem. Hæc tamen adoratio non pertinet ad virtutem religionis, sed ad ciuilem obseruantiam.

12. In quo consistat hæc differentia adorationum.

Porro hæc differentia adorationum non est in solis actibus & signis externis & corporeis, quæ fere omnia (exceptis nempe perpaucis, cultum supremum significantibus, quod tamen non habent ex natura sua, sed solùm ex instituto, vt verba quædam latriæ propria, & sacrificia) sunt de se indifferentia ad cultũ supremum, vel ad inferiorem; & ad sacrum, vel ad ciuilem; possuntque licitè hominibus tribui, vt genuflexiones, incuruationes corporis, prostrationes &c. sicut patet ex Gen. 43. v. 26. & cap. 50. v. 18. aliisq; locis. Sacrificia verò licet hominibus offerri non possint: ex instituto tamẽ est quòd actus ille externus restringatur ad significandum Deum esse authorem rerum omnium. Alioqui enim mactatio animalium, liquorum effusio, thuris incensum, & similia possent ad alium finem referri. Ab interno igitur affectu & æstimatione atque intentione pendet qua specie honoris & cultus deferantur hæc signa. Sique per illa intendit quis se alteri submittere vt Deo, latria est: si vt sancto, dulia: si vt viro sapienti, potenti, dominanti &c. obseruantia politica.

13. Conceptus adorationis sitne illis vniuocus?

Circa hanc diuisionem quæri solet an conceptus adorationis ab illis omnibus abstractus sit vniuocus? siue, an omnes illæ adorationes conueniant vniuocè sub nomine adorationis? Resp. affirmatiuè: conueniunt enim in communi ratione cultus excellentiæ alienæ, confusè concepta, abstrahendo à variis differentiis huiusmodi excellentiarum, & variis modis eam colendi. Quare non habent tantùm commune nomen adorationis: sed & rationem nomine significatam, id est, conceptum formalem vniformem; & conceptum obiectiuum ei respondentẽ. Nec obest quod opponit Vasq. contrarium sentiens disp. 98. num. 18. & seq. inde sequi eandem virtutem contineri sub duplici genere proximo & disparato. Respondeo enim nihil in eo esse absurdi, facta diuersimodè generum & specierum distributione ac serie, quæ ad placitum facta est, & variè adhuc fieri potest, secundum varias rerum considerationes & comparationes ad inuicem. Qua de re plura vide apud Delugo disp. 33. n. 8. & 9. Neque enim lubet in re leui & purè logica immorari.

Vasquez.

Delugo.

14. 3. Diuiditur in absolutam, & respectiuam.

Tertiò, diuiditur adoratio in absolutam, & respectiuam. Absoluta est illa, quá aliquid adoratur propter se, seu propter intrinsecam excellentiam, quam habet in seipso. Respectiua est, quá aliquid adoratur propter excellentiam alterius, ob habitudinem vel coniunctionem quam habet cum illo cuius est talis excellentia. Priori modo conuenienter adorantur ea solùm quæ sunt perfectiora ipso adorante: quia nemo potest conuenienter se submittere rebus inferioribus propter seipsas: Posteriori verò modo possunt etiam res aliæ adorari. Possumus enim nos illis submittere non propter seipsas, sed propter excellentiam naturæ adorabilis, ad quam pertinẽt aliquo modo: seu propter coniunctionem vel habitudinem quam habent cum natura adorabili. Quod iterum potest dupliciter fieri: propriè scilicet, vel impropriè. Propriè adoratur id quod verè in seipso adoratur, licet adoretur propter aliud. Impropriè verò, id quod adoratur tantùm loco alterius: ita vt licet signa externa adorationis ipsi exhibeantur, seu corã ipso fiant: affectus tamen internus & in-

Dupliciter potest aliquid adorari, propriè & impropriè.

in aliis non includantur. Nam sacrificium includitur in oblatione: siquidem omne sacrificium est oblatio: licet non omnis oblatio sit sacrificium. Et ex D. Thom. 2. 2. quæst. 84. a. 2. in Corp. adoratio interna deuotio quædam est. Tertiò, Alios esse actus adorationis præter illam internam submissionem animi, nempe illius signa & notas internas vel externas: secundum quos actus adoratio magis distinguitur ab aliis actibus religionis. Quartò, Non quamcunque submissionem internam, eiusque significationem esse propriè adorationem, sed profundam: Quemadmodum adoratio externa non est quicumque corporis gestus, aut reuerentia & nota honoris ac submissionis: sed profunda demissio, iuxta vim vocis hebraicæ *Hisstachaua*, quâ in Scripturis exprimitur adoratio: iuxtaque vulgatum loquendi, & sentiendi modum. Neque enim v. g. dicitur adorare ille, qui alium licet præcellentem capite solùm aperto salutat. Eòque putant aliqui pertinere illud Anastasii Episcopi Theopoleos citati in vii. Synodo Act. 4. *Quid enim aliud est, quàm honoris alicui exhibiti velut emphasis Adoratio?* id est, honor, & submissio exhibita modo quodam excellenti. Verùm vt bene aduertit Bernal. disp. 68. n. 4. Interpres parum fideliter hunc locum reddidit, in quo non aliud dicit Anastasius, nisi τιμῆς τὸ ἐμφανὲς ἡ προσκύνησις Id est, *Honoris indicium seu manifestatio est adoratio.* Et vt paulò post ait Tharasius Anastasii sententiam referens, *honoris symbolum.*

S. Thom.

8. Quartum argumentum: Si adoratio posset interiùs consummari per aliquos actus internos, factos ex affectu Deum colendi, eique se submittendi, maximè per actus fidei, spei, & charitatis. Hoc autem dici nequit: alioqui per omnes alios virtutum actus internos, & externos, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ, &c. posset consummari adoratio. Et reddere ius, comedere temperatè, & similia, essent adorare: quod est absurdum. Probatur sequela: quia vel actus fidei, spei, & charitatis, sunt materia & obiectum affectus adorationis tanquam signa naturalia submissionis, vel tanquam signa ex instituto. Primum dici nequit, quia tales actus non significant naturaliter submissionem animi Deum colentis. Si secundum: Alii omnes actus virtutum possunt æquè assumi ex instituto & beneplacito, atque referri ad talem submissionem protestandam.

9. Resp. 1. Si adoratio posset tantùm consummari per actus externos & corporeos, vt vult Vasq. sequeretur Angelos non posse verè & propriè Deum adorare, quia non habent actus corporeos. At hoc non est verum. Scriptura enim frequentissimè & constantissimè affirmat Angelos Deum adorare. Quæ locutiones Scripturæ tam frequentes, debent in vero & proprio sensu accipi, quoad fieri potest. Imò Scripturam loqui de propria adoratione satis constat aliquibus locis, vt Psal. 96. vbi postquam dixit: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis:* immediatè subiicit: *Adorate eum omnes Angeli eius.* Opponens adorationi Gentilium circa Idola, adorationem Angelorum circa Deum, propriam scilicet, æquè ac illam. Vnde D. August. in eund. locum: *Discant*, inquit, *Pagani adorare Deum. Angelos volunt adorare: Angelos imitentur, & illum adorent, qui ab Angelis adoratur.* Neque dicas Angelos Deum adorare in corpore assumpto. Primò, quia etiamsi corpus assumant, non exercent in illo actus vitales corporeos. Secundò, dubitari nequit quin in republica Angelica, independenter à corpore, alii alios honorent, eisque tanquam superioribus se submittant, illumque honorem & submissionem aliquo signo spiritali testentur: putà, mentis conceptibus, aut speciebus, vel motu locali spiritali: quæ non minùs apta sunt ad animi submissionem significandam, & intentionem nostram eam significandi; quàm inflexiones & motus corporis. Ergo similiter possunt suam submissionem & reuerentiam erga Deum testari.

Angeli verè & propriè adorant Deum.

August.

Resp. 2. Ea quibus tanquam signis & notis submissionis completur adoratio, quæque sunt propria materia affectus adorandi, debere naturalem proportionem habere ad significandam directè & expressè submissionem animi, nostramque intentionem illam significandi: vel si hoc à natura non habent tanquam signa naturalia; debent habere ex publica institutione, facta cum authoritate. Quam proportionem aut institutionem non habent omnia virtutum opera: sed tantùm illa quæ in sententiæ nostræ explicatione protulimus, & quæ sunt his similia. Est autem differentia inter materiam propriam alicuius virtutis, & inter ea quæ solùm possunt ad eam pertinere per imperium vel directionem. Nam v. g. vsus moderatus cibi, potus & voluptatum, est materia propria affectus temperantiæ, quæ virtus per hos actus consummatur. At non oratio, vel eleemosyna, quæ possunt tamen ad eam impetrandam ordinari, eoque fine imperari ab affectu temperantiæ: & omnes actus virtutum possunt à qualibet ad se referri: at non propterea sunt propriè ipsius actus, & materia siue obiectum proprium. Porro licet omnes actus religionis contineant aliquam submissionem animi, eamque naturaliter significent: itemque actus obedientiæ significent aliquam submissionem erga superiorem, cuius mandatis obtemperamus: non tamen expressè, & speciali intentione præcipua & primaria, eò tendunt vt significent nostram intentionem submittendi nos: quemadmodum facit adoratio. Sed laus v. g. directè ac præcipuè tendit ad prædicandam Dei excellentiam: oratio, ad impetrandum: votum, ad firmandam voluntatem in bono promisso: Iuramentum, ad assertionem confirmandam: obedientia, ad implenda mandata superioris: humilitas, ad nos continendos intra proprios terminos, ne plus quàm par est, extollamur respectu Dei, vel 10.

Non omnis actus virtutis est adoratio.

aliorum: charitas, ad amandum Deum vt in se bonum: spes ad eundem diligendum, vt bonum nostrum, & sic de aliis. Ex quibus facile est intelligere quomodo differat adoratio ab aliis virtutum actibus.

SECTIO II.

Quotuplex sit adoratio?

11. Adoratio diuiditur 1. in internam & externam.

EX dictis patet adorationem diuidi posse primò in internam, quæ fit actibus internis: & externam, quæ externis. Per internos intellige spiritales: per externos verò, omnes corporeos & materiales. Ita vt interna adoratio sit illa quæ sola mente fit. Externa verò, illa quæ quomodocumque exercetur per corpus. Hanc autem diuisionem præter D. Thom. 2. 2. quæst. 84. art. 2. verbis relatis initio sectionis præcedentis, tradit etiam disertè S. Damasc. lib. 4. de Fide cap. 13. initio, vbi sic ait: *Nam quia ex visibili sumus & inuisibili, hoc est, ex ea natura quæ intelligentia percipitur, & ex ea quæ in sensum cadit, constamus; duplici quoque adorationis genere illum rerum omnium parentem & architectum afficimus: quemadmodum videlicet, & mente, & corporis labiis psallimus.*

2. In latriam, duliam, hyperduliam, & obseruantiam politicam.

Secundò, diuiditur ex parte obiecti, seu excellentiæ rei adoratæ, in latriam, duliam, hyperduliam, & obseruantiam ciuilem seu politicam. Latria non tam ex vi vocis, quæ significat seruitutem, æquè ac dulia; quàm ex vsu & placito sanctorum Patrum, & Theologorum, significat singularem & excellentem adorationem, quæ Deo propter summam eius excellentiam tribuitur. Dulia similiter ex vsu & accommodatione Patrum, & Theologorum, significat cultum religiosum inferiorem, siue adorationem quæ Sanctis exhibetur. Quòd si illa sanctitas sit singulari quadam ratione excellens, cuiusmodi est sanctitas Dei Matris immaculatæ; adoratio illi respondens vocatur hyperdulia: si denique submissio & adoratio tribuitur alicui, non vt sancto & Dei amico, aut personæ sacræ; sed vt sapienti, potenti, superiori, &c. Talis adoratio est ciuilis & politica obseruantia, quæ frequenter in Scripturis adoratio appellatur Gen. 23. 33. 42. 43. 49. 50. aliisque locis, vbi dicitur Abraham adorasse filios Heth; & Iacob, fratrem suum Esau; & filios Iacob adorasse fratrem suum Ioseph, & Bethsabæ adorasse Dauidem. Hæc tamen adoratio non pertinet ad virtutem religionis, sed ad ciuilem obseruantiam.

12. In quo consistat hæc differentia adorationum.

Porro hæc differentia adorationum non est in solis actibus & signis externis & corporeis, quæ fere omnia (exceptis nempe perpaucis, cultum supremum significantibus, quod tamen non habent ex natura sua, sed solùm ex instituto, vt verba quædam latriæ propria, & sacrificia) sunt de se indifferentia ad cultũ supremum, vel ad inferiorem; & ad sacrum, vel ad ciuilem; possuntque licitè hominibus tribui, vt genuflexiones, incuruationes corporis, prostrationes &c. sicut patet ex Gen. 43. v. 26. & cap. 50. v. 18. aliisq; locis. Sacrificia verò licet hominibus offerri non possint: ex instituto tamẽ est quòd actus ille externus restringatur ad significandum Deum esse authorem rerum omnium. Alioqui enim mactatio animalium, liquorum effusio, thuris incensum, & similia possent ad alium finem referri. Ab interno igitur affectu & æstimatione atque intentione pendet qua specie honoris & cultus deferantur hæc signa. Sique per illa intendit quis se alteri submittere vt Deo, latria est: si vt sancto, dulia: si vt viro sapienti, potenti, dominanti &c. obseruantia politica.

Circa hanc diuisionem quæri solet an conceptus adorationis ab illis omnibus abstractus sit vniuocus? siue, an omnes illæ adorationes conueniant vniuocè sub nomine adorationis? Resp. affirmatiuè: conueniunt enim in communi ratione cultus excellentiæ alienæ, confusè concepta, abstrahendo à variis differentiis huiusmodi excellentiarum, & variis modis eam colendi. Quare non habent tantùm commune nomen adorationis: sed & rationem nomine significatam, id est, conceptum formalem vniformem, & conceptum obiectiuum ei respondentẽ. Nec obest quod opponit Vasq. contrarium sentiens disp. 98. num. 18. & seq. inde sequi eandem virtutem contineri sub duplici genere proximo & disparato. Respondeo enim nihil in eo esse absurdi, facta diuersimodè generum & specierum distributione ac serie, quæ ad placitum facta est, & variè adhuc fieri potest, secundum varias rerum considerationes & comparationes ad inuicem. Qua de re plura vide apud Delugo disp. 33. n. 8. & 9. Neque enim lubet in re leui & purè logica immorari. 13. Conceptus adorationis sitne illis vniuocus? Vasquez. Delugo.

Tertiò, diuiditur adoratio in absolutam, & respectiuam. Absoluta est illa, quâ aliquid adoratur propter se, seu propter intrinsecam excellentiam, quam habet in seipso. Respectiua est, quâ aliquid adoratur propter excellentiam alterius, ob habitudinem vel coniunctionem quam habet cum illo cuius est talis excellentia. Priori modo conuenienter adorantur ea solùm quæ sunt perfectiora ipso adorante: quia nemo potest conuenienter se submittere rebus inferioribus propter seipsas: Posteriori verò modo possunt etiam res aliæ adorari. Possumus enim nos illis submittere non propter seipsas, sed propter excellentiam naturæ adorabilis, ad quam pertinẽt aliquo modo: seu propter coniunctionem vel habitudinem quam habent cum natura adorabili. Quod iterum potest dupliciter fieri: propriè scilicet, vel impropriè. Propriè adoratur id quod verè in seipso adoratur, licet adoretur propter aliud. Impropriè verò, id quod adoratur tantùm loco alterius: ita vt licet signa externa adorationis ipsi exhibeantur, seu corã ipso fiant: affectus tamen internus & in- 14. 3. Diuiditur in absolutam, & respectiuam. Dupliciter potest aliquid adorari, propriè & impropriè.

tentio honorandi, sit tota ad aliud quod in illo repræsentatur. Exempli gratia, legatus Regis aliquando honoratur vt legatus, & tunc verè ac propriè honoratur in seipso, licet propter Regem: Aliquando honoratur loco Regis, honore proprio Regibus. Et tunc ipse impropriè honoratur: propriè verò Rex in ipso honoratur.

15. *Item per se, vel per accidens.*

Rursus dupliciter potest aliquid adorari vel honorari. Per se scilicet, vel per accidens. Per se honoratur, tum suppositum vel compositum, in quo est causa venerationis: Tum etiam ipsa causa venerationis. Suppositum vel compositum, *vt quod*: causa venerationis, *vt quo*. Per accidens verò honoratur id, quod est coniunctum accidentaliter rei quæ honoratur, neque est ipsa causa venerationis, sed tamen ad ipsam aliquo modo pertinet. Vt quando v. g. summus Pontifex honoratur, per se honoratur ille homo qui est summus Pontifex: materialiter quidem homo, formaliter verò vt Pontifex: Per accidens verò thiara, purpura, & reliqua illi homini adiuncta per accidens, ad dignitatem illam aliquo modo pertinentia, excepta tamen Pontificia dignitate quæ honoratur per se *vt quo*. Dixi, *adiuncta per accidens*: notandum enim ex Suarez disput. 53. sect. 2. ea quæ sunt per se coniuncta rei quæ per se adoratur *vt quod*, debere dici per se coadorari, & non tantùm per accidens. Atque ita partes coadorantur per se cum toto: & Christi humanitas per se coadoratur cum Verbo, quia Verbo per se vnita est, & Christo per se inest tanquam illius pars intrinseca & essentialis. Quare non tantùm adoratur per accidens, vt purpura Regis cum ipso adoratur, quia per accidens ei coniuncta est. Licet interdum sancti Patres vt Epiphanius in Anchorato, & Augustin. sermone 58. de Verbis Domini in fine, vtantur exemplo purpuræ regiæ, ad explicandum quomodo Christi humanitas coadoretur cum Verbo. Argumento scilicet sumpto à fortiori, ad probandum, quòd si purpura, quia Regem induit, est cum ipso adoranda: multò magis humanitas, qua non modò indutum est Verbum diuinum, sed est cum ipsa substantialiter coniunctum, & per se vnitum in vnitate suppositi. Dixi præterea, adiuncta per accidens aliquo modo pertinentia ad excellentiam, propter quam res honoratur: Quia, si v. g. summus Pontifex peccator est, non honorantur peccata, cùm ipse honoratur: quia ad illam dignitatem non pertinent, sed potiùs eam dedecent.

Suarez.

Epiphan. August.

16. *Obiectum adorationis duplex: quod, & quo, seu propter quod.*

Notandum præterea, aliud interdum esse id cui exhibetur honor aut adoratio: & aliud, id ratione cuius ei exhibetur. Itemque aliud esse id cui formaliter exhibetur: & aliud, id cui materialiter. Nam formaliter exhibetur excellenti, siue ei quod formaliter constituitur per excellentiam: vt Regi, tanquam Regi: & Præsuli, tanquam Præsuli: non tanquam huic vel illi homini. Quocirca prout ipsum excellens formaliter est diuersum; sic agnitio excellentiæ, eiusque protestatio, & submissio illi exhibita, debet esse diuersa. Ideoque quoniam in vnum possunt conuenire multæ dignitates, & multæ excellentiæ diuersarum specierum; potest idem honorari diuersis honoribus, ratione excellentiarum diuersarum: & honor qui illi conuenit sub vna ratione excellentiæ, non conuenit sub alia. Sicut Rex qui simul est Dux aut Comes, non est honorabilis regia adoratione, spectatus solum vt Comes aut Dux: vt etiam rectè aduertit Suarez sect. cit.

Potest aliquis esse multis titulis diuersimode adorabilis.

17. *Honor non solis personis tribuitur, sed etiam rebus aliis.*

Nota denique, licet honor præcipuè tribuatur personis, seu suppositis intellectualibus, vt ait S. Thom. quæst. 25. a. 2. in corp. aliarum tamen rerum, etiam in actionibus consistentium, esse quandam venerationem, vt sacramentorum v. g. & sacrificiorum, itemque etiam rerum non intellectualium, vt imaginum, reliquiarum, & vestium aut vasorum sacrorum. Quin etiam non est idem personas honorari per se, & esse id, quod per se formaliter honoratur. Etenim id quod per se formaliter honoratur, est ipsum excellens prout tale est: quod non semper est ipsa persona per se: sed interdum quidem habent supposita in seipsis intrinsecam excellentiam propter quam honorantur: & tunc sunt ea quæ per se formaliter honorantur, quia per se sunt excellentia: quo modo Christus est per se adorabilis, aut Deus ipse, ratione excellentiæ intrinsecæ & substantialis. Interdum verò habent excellentiam extrinsecè adiunctam, aut accidentariam: & ita se habent materialiter, honoranturque non formaliter ipsa, sed excellens illud formaliter, quod per talem excellentiam constituitur honorabile. Quo modo Rex honorat Sacerdotem vt Sacerdotem, quamuis alioqui minimè dignum ipsius honore, & veneratione, ob vilitatem personæ per se consideratæ: & imago fictilis honoratur, non ex parte materiæ, sed ex parte repræsentationis. Confirmatur & declaratur ab opposito. Nam cùm aliquis iustè inhonoratur, vt v. g. fur aut homicida, non inhonoratur persona per se, quæ naturaliter, vt est suppositum naturæ rationalis, habet excellentiam: sed inhonoratur vt prauus & malefactor. Propterea verò dicitur honor aut inhonoratio tribui supposito: quia suppositum est illud cui tribuitur, licet non sit illud cui formaliter exhibetur.

Personæ non semper per se formaliter honorantur.

His de adoratione in communi præmissis, explicandum est primò, an & quomodo Christus, eiusque humanitas possit adorari? Secundò, an etiam Christi mater, & sancti? Tertiò, quo cultu crux & imago Christi, aliorumque sanctorum reliquiæ, & imagines, possint honorari? De quibus D. Thom. tota quæst. 25. cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs explicabitur.

S. Thom.

SECTIO III.

An, & quomodo Christus eiusque humanitas possit adorari?

18\. Christus vt Deus, per se formaliter cultu latriæ adorandus est.

Prima propositio: Christus vt Deus est adorandus adoratione latriæ, per se propriè & formaliter, seu propter se. Patet, quia in Christo vt Deo est excellentia naturæ supremæ, cui per se propriè ac propter se debetur cultus supremus latriæ, seu protestatio supremæ excellentiæ. Nec obest, quòd Deus in Christo sit humana carne indutus. Neq; enim propterea desinit esse Deus, & honore diuino dignus. Sicut Rex retinet regiam dignitatem, licet vestibus vilioribus induatur.

19\. Christus vt Christus est dignus latria.

Secunda propositio: Christus vt Christus, & in quantum hic homo, constans humanitate & hypostasi Verbi, est adorandus suprema adoratione latriæ: Ita vt eadem adoratione coadoretur ipsa eius humanitas: nec tantùm Deus, sed etiam homo, vt homo specificatiuè, adoretur. Ita Suar. disp. 53. sect. 2. conclus. prima: Vasq. disput. 95. cap. 2. & alii communiter cum D. Thom. quæst. 25. a. 1. & 2. Probatur prima pars, quia tale suppositum habet in seipso supremam excellentiam, quæ est causa supremæ venerationis, nempe ipsam diuinitatem inhabitantem corporaliter, & realiter identificatam hypostasi, propter quam identificationem ipsa hypostasis est digna cultu latriæ, Christumque reddit ab intrinseco & propter se formaliter adorabilem, quia verè & realiter continet in seipso causam supremæ venerationis, nempe diuinam excellentiam. Secunda pars probatur, quia licet humanitas non sit suprema excellentia, nec ratio propter quam Christus est adorandus adoratione latriæ: ideòque Christus vt homo reduplicatiuè, id est, propter humanitatem vt sic, non sit dignus tali adoratione: neque humanitas propter se adoretur cultu illo supremo: Quia tamen est pars intrinseca eius totius, cui adoratio latriæ exhibetur, & est per se vnita Verbo in vnitatem suppositi: coadoratur eadem adoratione cum toto & cum Verbo: eadem ratione qua corpus animæ vnitum, adoratur eadem adoratione duliæ, quâ ipsa anima Sancti alicuius, propter sanctitatem animæ inhærentem: Vel potiùs sicut eadem adoratione quâ adorantur aliæ personæ, coadorantur partes quæ illas constituunt. Sic enim persona Christi constans ex diuinitate & natura humana, cùm non sit minùs vna per se, quàm quilibet homo; adoratur vna adoratione, qua per se primò ipsa persona adoratur, concomitanter verò humanitas coadoratur.

20\. Aliter Christus, & aliter eius humanitas cultu latriæ adoratur.

Vnde collige differentiam esse inter humanitatem, & inter Christum, in ordine ad adorationem. Nam humanitas non adoratur latriâ propter se, sed tantùm propter Verbum coadoratur in toto. Christus verò, qui est persona diuina, non debet dici coadorari, sed adorari vt homo Deus: quia verbum coadorandi, adiunctum personis, significat distinctionem vnius ab alia. Neque adoratur propter aliud, sed propter se, quia verè in seipso continet causam supremæ adorationis, quæ est diuina excellentia. Quemadmodum tamen totus homo sanctus adoratur cultu duliæ propter sanctitatem animæ inhærentem, velut causam formalem adorationis: sic totus Christus adoratur cultu latriæ propter diuinitatem corporaliter in ipso habitantem. Et sicut eodem cultu duliæ, quo sanctus adoratur propter animæ sanctitatem, coadoratur corpus vnitum animæ, quamuis corpus non sit homo, nec tantam habeat excellentiam, quantam habet homo vel anima eius: sufficit enim vnio corporis cum anima, vt adoratio totius ab illo participetur: sic licet humanitas non sit Deus, nec excellentiæ diuinæ; potest tamen latria coadorari propter vnionem cum Verbo diuino: quia, vt rectè Suar. affirmat loco supra citato, de ratione latriæ solùm est vt persona adorata sit verus Deus: non est autem necesse vt quidquid coadoratur, sit etiam Deus, sufficit enim si personæ Dei coniunctum sit. Quia licet hæc summa adoratio ad naturam assumptã aliquo modo pertineat, non tamen æquè principaliter, ac pertinet ad ipsam personam per se primò adoratam, & ad propriam & connaturalem eius naturam.

Confirmatur eadem veritas ex Conciliis generalibus, à quibus satis apertè definita fuit. Præcipuè ab Ephes. & Alexandr. in epist. ad Nestor. & in 8. anathematismo: & à V. Synodo generali collatione 8. can. 9. vbi definitur sub anathemate, vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum eius carne adorari debere. Fauet etiam Trid. sess. 13. c. 5. & can. 6. decernens, sacramentum Eucharistiæ latriæ adoratione venerandum esse, ob præsentiam ipsius diuinitatis: Eademq; est doctrina sanctorum Patrum: Cyrilli l. 1. de Fide ad Reginas, aliquantò post initium vbi ait, in Christo non esse vnam naturã quæ adoratur, & aliam quæ non adoratur, sed vnam Verbi naturam incarnatam, adorabilem cum carne sua, vna adoratione. & Athanasii lib. de Incar. Christi, longè post initium, cuius hæc verba sunt: *Et quia increati corpus factum est, ideo eius corpus dicitur, cuius factum est. Ac proinde illi sacra offertis, adhibetisque vestram adorationem: eaque de causa ritè legitimaque ratione adoratur, & diuina adoratione colitur*. Diuina, inquit, id est, suprema & Deipropria. Et Epiph. in Anchorato circa medium vbi affirmat Christi carnẽ cum Verbo coadorari, sicut cũ Rege purpura coadoratur. Quod ex ipso repetit Dam. l. 3. de fide c. 8. & lib. 4. c. 3. & orat. 1. de Imaginibus sub initium, vbi constanter docet Christi carnem vna adoratione cũ diuinitate esse colendam. Et Chrysost. hom. 5. in ep. ad Hebr. fere initio, *Re[illegible], inquit, m[illegible] & a[illegible]bile, & stupore plenum est, carnem [illegible]* [illegible] *& adorari ab A[illegible]* [illegible] mirum illud [illegible] ram Patris, vt dici[illegible] licet adoratione, & [illegible] esse secundum humanitate[illegible]

21\. Ephesin.

Cyrill.

Athanas.

Epiphan.

Damasc.

Chrysost.

de Ascés. exponit, cùm de Christi humanitate in cœlum ascendẽte sic ait, *Nec vlius sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in Filio.* August. denique in illud Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius*, per scabellum intelligens Christi humanitatem, ait, propter vnionem cum Verbo simul eadem adoratione esse venerandam. Quod idem docent Cassiodorus ibidem, & Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. & plures alii sanctorum Patrum.

August. Cassiodor. Ambros.

22. Obiicies primò, Non sufficere vnionem cum Verbo vt humanitas eadem & æquali cum Deo adoratione colatur: sicut non sufficit eadem vnio, vt humanitas ametur ęquali amore cum Deo, id est, super omnia. 2. Sacrificium non potest Christo vt homini offerri, sed tantùm vt Deo. Ergo nec alii cultus latriæ. Antecedens probatur ex August. lib. 10. de Ciuit. cap. 20. vbi de Christo sic loquitur: *Cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat: tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quam sumere. Ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ.*

August.

Ad primum Respondeo, Non sufficere quidem vnionem cum Verbo vt humanitas absolutè omnino & propter se adoretur cultu latriæ, vel ametur super omnia: secus tamen vt coadoretur eadem adoratione quà Deus, & coametur super omnia propter diuinitatem sibi vnitam, considerata vt pars totius per se constituti ex illa atque ex humanitate & hypostasi Verbi in vnitatem suppositi diuini, adorabilis cultu latriæ propter excellentiam diuinam sibi intrinsecam, & essentialem toti composito. Cum hac tamen differentia & inæqualitate tendendi actus interni adorationis, vel amoris: quòd diuinitas adoratur & amatur super omnia propter se, qui modus excellentior est: Humanitas verò coadoratur & coamatur super omnia propter diuinitatem, ob vnionem substantialem cum illa. Nam propter se & simpliciter non est adorabilis tanto cultu, neque amabilis tanto amore: illum tamen participat, & eodem ac æquali honore atque amore gaudet per participationem, ob vnionem hypostaticam.

Vnio hypostatica sufficit humanitati vt coadoretur cultu latriæ, & coametur super omnia.

23. Ergo, inquies, Deus amat necessariò & essentialiter Christi humanitatem Verbo vnitam: siquidem illam amat super omnia, & eodem amore quo ipsam diuinitatem, quam necessariò & essentialiter amat.

Resp. Negando sequelam: nam humanitatem tantùm coamat per participationem, ex hypothesi quòd sit physicè vnita diuinitati, & pars vnius suppositi cum illa: quæ hypothesis contingens est: vnde amor in illa fundatus est contingens.

Humanitas Christi non amatur à Deo essentialiter & necessariò

Ad secundum Respondeo, absolutè loquendo sacrificium posse offerri Christo vt homini specificatiuè, æquè ac alios cultus latriæ: Reipsa tamen sacrificium legis Euangelicæ non ipsi offerri, quia nullum in ea sacrificium est aut fuit, præter sacrificium cruentum in cruce, & incruentum in Eucharistia. In primo Christus solus fuit offerens & sacerdos, quà homo. Ergo non sibi obtulit vt homini, sed Deo. Sacrificium enim est actus sacrificantis, protestantis Deo suam submissionem, & summam eius excellentiam, ac dominium vitæ & necis. Christus autem vt homo solùm, & non vt Deus, erat Deo subiectus. In secundo quoque Christus est semper principaliter offerens, sacerdotes verò Euangelici sunt tantùm eius ministri, in ipsius persona sacrificantes, & loquentes, cùm sacrificant, vt docent sancti Patres Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. & 5. Chrysost. hom. 83. in Matth. Concil. Florent. in decr. Eugenii §. *Forma huius sacramenti*, & Trident. sessione 22. cap. 2. vbi sic ait: *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.*

24. Possitne sacrificium offerri Christo vt homini?

Ambros. Chrysost.

Nec obest locus citatus ex D. August. sed potiùs nobis fauet. Cùm enim ait Christum vt hominem maluisse sacrificium esse, quàm sumere: significat, potuisse absolutè sacrificium sumere, alioqui non posset Christi humilitas hinc commendari. Neque rationem reddit ex intrinseca repugnantia & impossibilitate; sed ab incommodo extrinseco: *Ne*, inquit, *vel hac occasione quisque existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ.* Quæ tamen existimatio non habuisset par fundamentum in aliis creaturis: sicut non est quòd quisque existimet quamlibet creaturam posse adorari absolutè, & per se propriè, cultu latriæ, ex eo quòd Christus vt homo tali cultu adoratur. 25.

Tertia propositio: Christus vt homo, spectatus secundum excellentias creatas, quibus eius humanitas [illegible]atur, est adorabilis propter illas, non cultu latriæ, sed hyperduliæ. Ratio est, quia Christus secundum illas excellentias, & propter illas, est dignus adoratione; cùm secundum illas, omnibus aliis rebus creatis superemineat. At non est dignus propter illas adoratione latriæ, cùm illæ excellentiæ, seu perfectiones, non sint increata & suprema excellentia: ergo tantùm inferiori, simili illi quà sancti coluntur ob sanctitatem & gloriam: quæ tamen, quia longè supereminent omnibus sanctorum aliorum perfectionibus supernaturalibus, hyperdulia potiùs quàm dulia dici debet. Confirmatur, quia, vt paulò ante diximus, quando in vnum & idem concurrunt multæ excellentiæ diuersæ rationis; illud est formaliter adorabile diuersimodè, propter diuersas excellentias. Adoratio enim sicut præcipuè respicit formale, propter quod exhibetur: ita ex eo diuersitatem vel vnitatem recipit, & proportionatur excellentiæ, in qua fundatur. Atqui in Christo sunt diuersæ excellentiæ, creata & increata: ergo potest propter illas adorari diuersimodè, adoratione vtrique proportionata. Sic etiam Rex, qui simul est Dux aut Comes, est multipliciter hono- 26.

Christus propter excellentias creatas quas habet, est adorabilis cultu hyperduliæ

rabilis. Et spectatus vt Rex, est dignus regio honore: secus autem spectatus solùm vt Comes, vel vt Dux. Eodem sensu D. Thom. qu. 25. art. 1. in corp. ait, cùm in Christo sit tantùm vna persona; vnam esse Christi adorationem, ex parte eius qui adoratur. Sed ex parte causæ quà honoratur, posse dici plures adorationes: id est, vnicam esse Christi personam adorabilem, quæ non potest vt duæ adorari: licet plures habeat causas adorationis propter quas potest pluribus & diuersis adorationibus honorari, vt clariùs liquet ex art. 2. ad 1. vbi dicit, carni Christi seiunctæ per mentem à Verbo, deberi adorationem, non quidem latriæ, quia condita seu creata est: sed duliæ excellentioris, quam hyperduliam vocant.

27. Porro, sicut quando Christus vt homo-Deus adoratur cultu latriæ propter diuinitatem, eadem adoratione latriæ coadoratur eius humanitas: sic vice versa cùm adoratur cultu duliæ propter excellẽtias creatas, coadoratur eodem cultu eius diuinitas. Dixi, cùm adoratur vt homo-Deus, aut Deus-homo: quia si mente præscindatur humanitas à diuinitate, & sine illa consideretur: sine illa quoque & sola adorabitur. Quamuis autem in Christo diuinitas & humanitas sint vnitæ; possunt tamen seorsim considerari & adorari: Nam Christus ipse vt homo adorabat perfectissimè diuinitatem, eique se plenissimè submittebat: Neque tamen adorabat humanitatem; non enim se sibi ipsi submittebat humanitas. Adoratio autem est ad alium cui adorans se submittit. Imò quamuis simul consideretur, potest voluntas intendere se submittere vni, & non alteri, actu præcisiuo, quoad præsentem affectum adorationis.

28. *Inter illas non est cẽsenda vnio hypost.* Quæres, an inter huiusmodi excellentias creatas censenda sit dignitas vnionis hypostaticæ, & vnio ipsa prout se tenet ex parte humanitatis, estque vsus quidam illius? Respondeo, vsum illum non posse spectari sine diuinitate adiuncta, cùm essentialiter non sit aliud, quàm natura humana vt adiuncta Verbo. Quare Christum aut eius humanitatem adorari propter illum vsum, est adorari propter Verbum humanitati adiunctum, quæ adoratio debet esse latriæ. Dignitas quoque vnionis hypostaticæ reipsa non est aliud, quàm status naturæ humanæ Verbo vnitæ, per quam vnionem attollitur natura humana ad fastigium diuinitatis. Quare adorare Christi humanitatem propter illam dignitatem vel sanctitatem & Deificationem, est illam adorare propter Verbum ipsi adiunctum. Falluntur enim Vasques & alij qui putant hanc dignitatem vel sanctificationem humanitatis esse aliquid distinctum ab vnione hypostatica, & ab ipsa resultans, vt ostendimus disp. 2. sect. 6. num. 60. Neque illis assentimur, qui putant vnionem esse entitatulam tenentem se ex parte humanitatis, & realiter adæquatè distinctam à Verbo, quos refutauimus disp. 5. sect. 7.

Dices cum Delugo disp. 35. num. 43. humanitatem adorari specificatiuè propter excellentiam Verbi, siue vnionis, absque eo quòd illa adoratio terminetur ad Verbum. Sicut possumus adorare hominem iustum, propter iustitiam qꝰam habet, absque eo quòd ille actus terminetur ad ipsam iustitiam adorandam. Potest enim aliquid esse ratio propter quam aliud adoratur; & tamen non esse, neque intrare intrinsecè in rem quæ adoratur: adeóque non adorari. Nam, inquit, adoratur solùm id, cui nos submittimus. Licet autem aliquid sit ratio, propter quam nos alteri submittimus: non propterea tamen nos ei rationi submittimus: imò interdum est talis, vt ei conuenienter nos submittere nequeamus. Nam licet ego submittar Petro, quia iustus vel sapiens est: ipsa tamen iustitia, vel sapientia, non est digna, nec apta cui ego me submittam. Nõ ergo adoratur necessariò ratio formalis, præcisè ex eo quòd sit ratio formalis. Quia non semper habet proportionem vt ipsi submittamur. Imò quamuis habeat proportionem, sicut habet diuinitas, propter quam adoratur humanitas: Potest tamen ex intentione nostra submissio non ad illam ferri, vt ad id cui nos submittimus. Sed solùm vt ad rationem, propter quam nos humanitati submittimus. Quemadmodum si diligerem Christi humanitatem amore amicitiæ supernaturalis, ob participationem diuinitatis quam habet per vnionem hypostaticam, sicut amantur alij homines per charitatem supernaturalem ob coniunctionem aliquam supernaturalem cum Deo: non propterea Deum amarem tali actu amore amicitiæ, quamuis sit capax talis amoris. Sic etiã cùm Deum proximo diligimus, tanquam summum eius bonum: non amatur Deus tali actu amore amicitiæ, sed proximus. Et contra, si proximum diligo propter Deum: non amatur proximus amore amicitiæ, sed Deus. Hæc Delugo, qui inde infert num. 54. adorationem illam humanitatis Christi præcisè propter vnionem hypostaticam, non esse latriam, sed hyperduliam in gradu excellentissimo, vel aliam adorationem mediam innominatam. 29.

Possitne præscindi vnio hypostatica à Verbo in adoratione humanitatis propter illum?

Respondetur, Aliud quidem esse id cui exhibetur honor, aut adoratio, siue submissio: & aliud, id ratione cuius exhibetur. Siue, aliud esse, id cui nos submittimus: & aliud, id propter quod nos submittimus, quod sæpissime diuersum est ab eo, cui nos submittimus, & terminat tantùm adorationem vt ratio formalis & causa, seu motiuum submissionis. At inde non sequitur adorationem humanitatis Christi, propter vnionem hypostaticam, non esse verè latriam. Nam, vt suprà diximus, & alibi probauimus, vnio hypostatica essentialiter nihil aliud est, quàm humanitas Verbo adiuncta, & Verbum adiunctum humanitati substantialiter & physicè. Ergo adorare humanitatem propter vnionem hypostaticam, est eam adora- 30.

re propter Verbum ei adiunctum substantialiter & physicè in vnum ens per se. Ergo hoc est illam adorare propter excellentiam diuinam sibi intrinsecè adiunctam. Quod autem adoratur propter diuinam excellentiam sibi intrinsecè adiunctam, adoratur cultu latriæ, & quidem absoluto: sicut quod adoratur propter excellentiam gratiæ & gloriæ intrinsecè sibi adiunctam & inhærentem, adoratur cultu absoluto duliæ, vel hyperduliæ, vt Sancti & B. Virgo. Ergo Christus adoratur cultu latriæ, quando adoratur propter vnionem hypostaticam. Atque ita vnio hypostatica non est censenda inter excellentias creatas, propter quas Christus potest adorari cultu hyperduliæ. Nimirum quia non est excellentia purè creata, sed includit, aut est ex parte excellentia increata, quatenus vnio hypostatica est ipsa extrema sibi mutuò per se immediatè adhærentia, quorum vnum, nempe Verbum, est increatum & diuinum.

Ex quibus sequitur non esse verum quod idem auctor addit num. 47. & tribus sequentibus: vnionem, totam scilicet & adæquatè sumptam, non includere intrinsecè ipsum Verbum; sed solam humanitatem & vnionem, seu concretum ex humanitate & vnione, quæ à parte rei (vt ipse quidem existimat) sunt duæ entitates distinctæ adæquatè à Verbo. Quare, inquit, potest considerari illud concretum, non quidem sine eo quod consideremus Verbum in obliquo & extrinsecè, quia vnio dicit ordinem essentialem ad Verbum: sed sine eo quòd includamus Verbum intrinsecè in illo concreto. Ac per consequens poterit adorari humanitas prout coniuncta cum vnione, & prout faciens concretum cum ipsa, non adorato Verbo, quod non includitur in illo concreto quod adoratur. Atque ita humanitas vt vnita Verbo, etiam reduplicatiuè, potest adorari, absque eo quòd adoretur personalitas Verbi. Hæc ille: quæ procedunt ex fundamento alibi refutato, quòd nimirum vnio totaliter, & integrè sumpta, sit entitatula intermedia, inhærens soli humanitati, & realiter à Verbo distincta: adeóque concretum ex humanitate, & vnione, sit aliquid purè creatum, & adæquatè distinctum à Verbo. Cùm è contrario vnio, sumpta adæquatè, includat intrinsecè Verbum æquè ac humanitatem, sitque duo illa sibi mutuò adhærentia per seipsa, id est, per simplicem vsum suæ vnibilitatis: adeóque concretum vnionis includat intrinsecè Verbum, sitque ipsum compositum, id est, extrema simul sumpta vt sibi mutuò adhærentia: & adorare tale concretum vt tale, sit adorare ipsum Verbum & humanitatem, vt adiuncta, sibique mutuò adhærentia substantialiter & physicè in vnitatem suppositi. Quæ omnia clariora euadent ex sequentibus considerationibus, & solutione argumentorum contrariorum.

31. Vnio hypostatica includit intrinsecè ipsum Verbum.

SECTIO IV.

Confirmatur amplius doctrina proximè proposita, & respondetur argumentis contrariis.

IN eo quod diximus, Christi humanitatem præcisam per mentem à Verbo, & ab vnione hypostatica, posse adorari cultu hyperduliæ propter excellentias creatas gratiæ & gloriæ, consentiunt Scotus, Durand. Gabriel, Almainus, Henricus, Paludanus, Caietan. & alij quos refert & sequitur Suar. disp. 53. sect. 3. Eademque est aperta doctrina S. Thom. qu. 25. art. 2. ad 1. vbi referens verba Damasceni lib. 4. de Fide, cap. 3. aientis humanitatem subtili cogitatione à Verbo distinctam, & præcisam, non esse adorandam vtpote conditam: subiungit, Damascenum intelligendum esse de adoratione latriæ. *Tunc enim, inquit, sic intellectæ vt separatæ à Dei verbo, deberetur adoratio duliæ, non cuiuscumque, sed cuiusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.* Ratio est, quia humanitas Christi potest sine vllo errore, & sine vlla culpa, concipi præcisè, non concepta vnione hypostatica. Nam in tali præcisione simplici non est error, cùm non negetur esse vnita, sed tantùm simplici præcisione abstrahatur, id est, consideretur non considerata vnione: Abstrahentium autem non est mendacium. Neque etiam in ea præcisione est culpa, aut vitium voluntatis: quia non tenemur semper cogitare de vnione hypostatica: aut nunquam cogitare de Christi humanitate non considerata eius diuinitate & vnione hypostatica. Sed potiùs sicut liberum est & licitum cogitare præcisè & inadæquatè de Dei attributis, & de rebus aliis quæ metaphysicè aut physicè constant ex multis: & naturam diuinam præscindere à personis: sic &c. Iam verò humanitas ita præcisè considerata habet gratiam & gloriam excellentem, aliaque dona supernaturalia, propter quæ manet adorabilis, tanquam superior omnibus aliis rebus creatis. Et quemadmodum voluntas potest in illam ita consideratam ferri per amorem, admirationem, & laudem: ita & per adorationem excellentiæ, quæ in tali natura intelligitur, præcisá licet ab vnione. 32. Humanitas præcisa ab vnione hypostatica, potest coli hyperdulia.

Confirmatur: Quia talis adoratio nihil habet vitij, nec per excessum, nec per defectum: Non quidem per excessum, quia humanitas tam excellens, est digna tali honore. Neque etiam per defectum: quia sicut non tenemur cogitare semper de vnione, aut de Verbo, quando cogitamus de humanitate: ita neque tenemur semper adorare diuinitatem Verbi, cùm adoramus humanitatem: aut nunquam adorare humanitatem, nisi simul adorando diuinitatem, & alioqui abstinere ab actu adorationis. Imò multò melius est affici ad humanitatem, dum ita 33. Talis adoratio nihil habet vitii.

consideratur, per amorem & adorationem: quàm abstinere ab huiusmodi actibus, quando nondum cogitatur de diuinitate & vnione hypostatica. Confirmatur secundò, Quia si reipsa humanitas esset à Verbo separata, & tamen haberet huiusmodi excellentias: multò magis esset propter illas adorabilis, quàm Sancti, & Beata Virgo. Ergo in illa per mentem præcisè considerata ab vnione, manet sufficiens obiectum adorationis hyperduliæ. Et quamuis reipsa sit vnita; non est solùm adorabilis propter vnionem, sed & propter alias excellentias, adoratione proportionata; sicut propter illas est amabilis, & laudabilis.

34. Contraria sententia Vasquez. Delugo.

Contrarium sentiunt Vasques disput. 96. cap. .. & sequentibus, & Delugo disput. 35. num. 57. quorum prior contendit humanitatem sine Verbo non posse per se adorari cultu hyperduliæ, neque de facto, neque de iure, seu licitè. Posterior negat licitè posse id fieri, quamuis de facto possit: quorum argumenta, quia continent aliquam difficultatem, & maioris explicationis occasionem nobis præbebunt, singillatim proponenda & diluenda sunt.

Cyrill.

Ac primò quidem opponit Vasquez epistolam decimam Cyrilli, quæ est Concilij Alexandrini, approbata in Ephes. vbi damnatur hæc propositio, *Propter eum qui hominem induit, eum qui indutus est, veneror: propter inuisibilem adoro visibilem*. Et in 8. anathematismo eiusdem epist. damnatur qui dixerit assumptum hominem vnà cum Deo Verbo adorandum & glorificandum, & Deum tanquam alterum cum altero appellandum esse: & non magis vna adoratione Emmanuelem honorat, & vnam illi glorificationem adaptat. Item in Synodo V. Generali, seu Constantinop. II. Collat. 8. can. 9. sic dicitur:

Constant.

Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducit, separatim Dei Verbo, & separatim homini: vel si quis ad interemptionem carnis, vel ad confusionem Deitatis & humanitatis, vnam naturam siue substantiam eorum quæ conuenerunt, introducens, sic Christum adorat: sed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, anathema sit.

35. Quo sensu prohibeatur duplex Christi adoratio? Cyrill.

Respondeo, Duas priores propositiones damnari in sensu Nestorij & Theodori, qui duas in Christo personas ponebant, & duas adorationes, duabus personis exhibendas introducebant: vt patet ex eodem Cyrill. in Apologet. vbi exponens anathematismum citatum, sic ait: *Igitur factus est anathematismus contra eos, qui modis omnibus diuidunt Emmanuelem in hominem propriè, & Deum Verbum propriè.* Vbi per particulam, *propriè*, videtur intelligere seorsim. Et in lib. ad Euoptium in expositione contra Theodoretum pro eodem 8. anathematismo, sic habet: *Non hominem assumptum esse dicimus à Deo Verbo, & copulatum sibi secundum habitudinem quandam, qua extrinsecus intelligatur: sed hominem eum factum esse diffinimus.* Quibus verbis apertè significat per hominem indutum, & assumptum, Concilium non intellexisse solam humanitatem, sed humanum suppositum, quod negat assumptum fuisse moraliter per habitudinem quandam, & tantùm vt tale esse adorandum, sicut Nestorius & Theodorus asserebant. Neque magni sunt momenti quæ contra hanc solutionem (insinuatam ab ipso D. Thoma qu. 25. art. 1. in fine corp.) opponit Vasq. cap. 5. num. 26. quasi Concilium variis canonibus vnum & idem in substantia definire nequiuerit, diuersasque propositiones Nestorianorum, eundem errorem tegentes, condemnare. S. Thom. Vasquez.

36. Tertius verò locus ex Synodo V. Generali, quem magis vrget Vasq. est similiter intelligendus de iis, qui dicebant Christum in duabus naturis adorari tanquam duo supposita: ex quo duas adorationes obiectiuè completas, id est, circa duo completa & perfecta supposita introducebant: quales erant Nestorius & Theodorus. Verùm sicut illud Concilium declarauit naturas in Christo mansisse inconfusas: ita non negauit quin plurium naturarum excellentiæ possent in eodem supposito agnosci. Atqui diuersarum excellentiarum agnitio, & professio, non est vna eademque adoratio. Quare Concilium non damnauit tales adorationes, sed eas tantùm, quæ pluralitatem personarum in Christo ponebant. Confirmatur, quia humanitas Christi, ex eo quòd sit vnita Verbo, non amittit suam essentiam, nec desinit esse creatura, nec fit per se intrinsecè diuina, nec habet parem cum Verbo dignitatem. Quare nemo potest profiteri eius excellentiam intrinsecam esse parem cum diuina: nec potest propter illam adorari latriâ, sed tantùm propter excellentiam diuinam adiunctam.

37. VII. Synod.

Secundò opponit Vasq. num. 35. illud VII. Synodi actione 6. Tom. 6. *Cùm Ecclesia Catholica Christum pingit humanâ figurâ, non eum diuidit à diuinitate illi vnita*: Et actione 3. prope finem: *Adoramus Christi imaginem, quemadmodum facies eius visa est, non tamen à Deitate separata: absit vt ita sentiamus, cùm ab ipsa conceptione cum Deitate vnita sit.* Quibus verbis non vult Concilium admittere adorationem humanitatis sine diuinitate. Atqui si hæc præcisa, & coniuncta adorari posset, debebat vtrumque modum adorationis admittere, & ab errore contra Iconoclastas impugnantes defendere: non autem Catholicam doctrinam vno solum modo, adorandi nempe humanitatem cum diuinitate, explicare.

Resp. Concilium loqui de diuisione & separatione non præcisiua solùm, sed negatiua, secundum mentem Hæreticorum illorum qui ad hoc absurdum Catholicos deducere conabantur, quòd nimirum Christum in suis imaginibus adorarent vt purum hominem; cùm imago nõ possit hypostasim diuinam & Deitatem repræsentare. Ex quo inferebant, Christum non posse pingi, nec adorari in sua Quo sensu Christus non sit separandus à diuinitate?

imagine picta, sine separatione negatiua humanitatis à Verbo, repræsentando scilicet & profitendo illum esse purum hominem: Quo sensu negat Concilium, adorari humanitatem sine diuinitate realiter coniuncta. De adoratione verò præcisiua non erat ibi quæstio, neque necessitas illam explicandi.

38. Cyrill. Opponit tertiò, Testimonia Patrum Cyrilli Alexand. Athanasii, Theodoreti, & Augustini. Quorum primus in Apologet. pro duodecim capitibus, in defensione 8. docet filium Dei cum carne sua, vna confidentia esse honorandum & adorandum: non duabus; ita vt vna corpori tribuatur, altera Verbo. Addit Vasq. confidentiam esse necessariò rationem adorationis: quare qui plures admittit adorationes seorsim, plures etiam debet admittere sedes & confidentias humanitatis: ac proinde Christum in duos diuidere, ne duas sedes & confidentias vni & eidem tribuat, ideóque Patres & Concilia duas adorationes semper damnarunt. Athanas. verò in epistola contra Arianos ad Adelphium fratrem, aliquantò post initium, sic habet: *Nec istiusmodi corpus*, (Christi scilicet) *seorsim discriminatum à Verbo adoratione prosequimur: nec Verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus.* Et Theodoretus in ep. ad Ephes. cap. 1. vers. 6. ait, non videri differentiam esse adorationis inter humanitatem assumptam, & Verbum. August. denique in Psalm. 98. monet non esse cum cogitatione remanendum in carne, quando Christum adoramus, ne à spiritu non viuificemur.

39. Respondeo, Cyrillum loqui de carne vt coniuncta Verbo: quo pacto vnâ, & non duabus adorationibus colitur, & vnam habet confidentiam cum Verbo. Quæ tamen confidentia non est causa sola, neque necessaria adorationis cuiuscumque, sed latriæ solùm. Sicut enim humanitas, considerata sine illa, habet aliquam excellentiam adorabilem: ita propter illam adorari potest. Quæ excellentia sit ne dicenda sedes, quæstio est de nomine. Meliùs autem videtur nomine sedis metaphoricè intelligere thronum gloriæ in quo quiescit humanitas, quæ cùm præcisè consideratur secundum alias excellentias, habet quò ascendat vlteriùs, & non ibi quiescit. Athanas. verò loquitur de reali discriminatione seu separatione: vt patet ex illis verbis: *Neque Verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus.* Quis enim neget Verbum à carne præcisum per mentem, id est, sine humanitate consideratum, esse adorabile? at non separatum realiter ab humanitate, quia reipsa non est tale, vt Athan. addit ibid. immediatè post: *Sed cùm sciamus*, inquit, *Verbum esse carnem, illud iam in carne suum Deum agnoscimus.* Theodoretus non citatur fideliter: tantùm enim ait Christum semper fuisse adoratum ab Angelis vt Deum: & fuisse quoque ab illis adoratum vt hominem. Et quamuis diceret id quod ex illo refertur in obiectione, posset facilè iuxta nostram sententiam explicari: quòd nimirum loquatur de natura humana vt assumpta, quam verum est adorari eadem & non differenti adoratione, quâ Verbum. Quanquam alioqui differentia aliqua est in modo, quo hæc adoratio tendit in Verbum, & in humanitatem. Nam tendit in Verbum propter excellentiam intrinsecam: in humanitatem verò tendit propter Verbum, & propter excellentiam adiunctam. Augustinus denique monet solùm non esse cogitandum Christum non esse aliud quàm carnem, sine spiritu diuino, à quo non viuificantur qui sic de Christo cogitant. Quare Patres citati nihil habent contra adorationem de qua loquimur. Quòd si neque etiam illam asserunt aut illius meminerunt, non est mirum, cùm huiusmodi præcisiones non speculentur, sed eas Scholæ relinquant. Damasc. tamen de ea non obscurè loquitur loco suprà citato & explicato à D. Thom. quæst. 25. art. 2. ad 1. Damasc. D. Thom.

40. Opponit quartò duplicem rationem. Primò enim licet cultus & honor rebus deferatur media cogitatione: vt tamen digna sit illis adoratio & decenter exhibeatur, debent apprehendi secundum maximam dignitatem, quam in se habent. Ergo humanitas Christi non potest conuenienter adorari, nisi apprehensa vnione hypostatica, & propter illam. Secundò, Non tantùm indecens est Christi humanitatem aliter apprehendere & adorare: verùm etiam, si adsit recta fides, & ignoratio non impediat, non possumus humanitatem Christi vnitam Verbo non considerare, cùm eam adoramus. Sicut cùm aliquis videt Ludouicum XIII. quem bene nouit, aut ipsius imaginem: statim apprehendit in ipso regiam dignitatem, imò ratione illius ipsum ab aliis distinguit.

Respondeo ad primum: sicut Christus potest conuenienter amari & laudari secundum omnem rationem amabilem & laudabilem; sic & adorari, etiam propter inferiores, non quidem excludendo supremam, sed tantùm ab ea præscindendo per cogitationem, vt non necessariâ ad huiusmodi adorationem.

Ad secundum: sicut qui rectam de Deo fidem habent, neque ignorant esse trinum, possunt tamen præscindere essentiam à personis, & eam præcisam mirari, amare, laudare, adorare: sic &c. Neque est necesse vt qui nouit Ludouicum XIII. cogitet semper de regia eius dignitate, sed potest de aliis eius perfectionibus cogitare, easque mirari, laudare, & venerari.

Instabis cum Delugo disp. 35. num. 57. & sequentibus, Christum non posse decenter adorari in tali statu præcisionis, quia ex tali præcisione sequitur quòd ipsius prætextu tractetur persona indecenter, & aliter ac reipsa tractari deberet: vt qui tractaret Regem instar Comitis tantùm, quia Comes est. Ratio, inquit, à priori est, quia cultus, quem alicui exhibemus, est significatio distantiæ 41. Possit ne Christus decenter coli hyperdulia?

quam profitemur esse inter nostrã dignitatem, & illius, cui exhibetur. Quare quò maior & excellentior est cultus, eò maiorem fatemur distantiam nostræ conditionis ab eo qui colitur. Et quo minor est cultus, eò minorem significamus esse istam distantiam & inæqualitatem, eóque magis nos æquare volumus illi quem colimus, atque illum è sede superiori ipsi debita ratione maioris excellentiæ quam habet, ad inferiorem & nobis viciniorem deiicimus.

Respondeo negando antecedens. Potest enim sine indecentia reddi honor proprius cuiusque excellentiæ, modò maior qui debetur maiori excellentiæ, non excludatur positiuè, aut fiat aliquid quo excludi videatur, vel non fiat hæc præcisio modo aliunde disconuenienti, aut contra debitum. Fateor enim posse aliunde in eo peccari, præsertim in externa significatione talis præcisionis, & in signis honoris ratione illius exhibitis. Idque solùm probant exempla aliqua à Delugo allata num. 64.

42. Ad rationem verò ab eodem propositam Respondeo nos expressè profiteri distantiam quæ est inter nos, & personam quam colimus, vt excellentem tali genere excellentiæ, non excludendo distantiam maiorem quam habet ratione maioris excellentiæ, cui non propterea nos æquamus, neque personam ab illa deiicimus. Et quidem vsu communi receptum est, vt habentibus varias dignitates, maiores & minores, reddantur certis temporibus & locis honores modò maiores, modò minores illis proportionati. Ex. gr. Reges qui sunt canonici, vel Abbates quarundam Ecclesiarum, habent ibi sedem canonici, vel Abbatis: alibi honorantur & considerantur vt Comites, vel Duces talis Ducatus, aut Comitatus, alibi alios titulos recipiunt, & honores eis proportionatos.

43. Addo iuxta doctrinam auctoris supra nominati, citata disp. 35. num. 65. posse licitè orari Christi humanitatem præcisam à Verbo: & paulò ante num. 64. affirmat Christum vt hominem potuisse exercere actum duliæ, & cultum circa alios homines, & Angelos: vt erga matrem & S. Ioseph, quibus fuit subditus: erga Sacerdotes, Principes, & nobiles, quibus sine dubio signa consueti honoris & reuerentiæ exhibebat: alioqui notam singularitatis & superbiæ incurrisset. Neque verò fictè ea exhibebat, sed ex vera submissione interna, quæ non erat illi impossibilis: quia tametsi esset simpliciter & absolutè longè superior & excellentior illis omnibus: considerando se tamen præcisè secundum naturam humanam distinctam ab aliis ornamentis, inueniebat se inferiorem Angelis & hominibus, vel gratia & sanctitate, vel Sacerdotio, nobilitate, aliisque titulis. Sicut etiam Principes & Prælati exhibent signa reuerentiæ suis subditis, considerando in illis aliquam qualitatem, propter quam sunt excellentiores ipsis Principibus, aut Prælatis, secundum naturam spectatis. Secus tamen Deus, qui nulla ratione est inferior suis creaturis: vnde non potest eas colere. Hæc ille. Ex quibus duplex argumentum in fauorem nostræ sententiæ desumo.

Christus in terris viués honorem aliis deferebat.

Primò enim, si potest Christi humanitas præcisè orari sine indecentia, vt verè affirmat auctor citatus: ergo potest sine indecentia coli vt talis: quia oratio erga Deum, & Christum, & Sanctos, est cultus quidam religionis. Atque hoc ipsum subtiliter aduertit Delugo obiici sibi posse. Respondet autem num. 67. differentiam esse: quia licèt per orationem recognoscamus implicitè excellentiam illius, quem oramus: non tamen collocamus illum in tali gradu vel sede determinata respectu nostri, sicut facimus per propriam adorationem: quæ collocatio non potest fieri præcisè, sed necessariò est totius suppositi. Sicut enim si physicè poneretur quis in sede reali, non posset poni cum præcisione: sic nec quando ponitur significatiuè per titulum aut notam honoris, potest poni cum præcisione: quia ille titulus substituitur pro ipsa reali collocatione in sede & loco debito. 44.

Sed contra: quia illa collocatio in tali gradu, vel sede, est planè metaphorica, intellecta de interna adoratione, & submissione animi recognoscentis hanc aut illam excellentiam: vel de signis externis de se indifferentibus ad excellentias maiores & minores significandas, iuxta intentionem adorantis: nihilque est aliud, quàm præcisio mentis & voluntatis, versantis circa minorem excellentiam, illam æstimando vt par est, & personam propter illam honorando. Sicut ergo potest licitè & sine indecentia præscindi excellentia humanitatis ab excellentia diuinitatis, & vt talis coli, orari, amari, laudari: quidni & æstimari quantum par est, atque huius æstimationis & submissionis nostræ erga illam signum aliquod exhiberi? 45.

2. Si Christus ipse sine indecẽtia potest circa honorem aliis exhibendum præscindere suam humanitatem à gratiæ ornamentis, atque ab ipsa vnione hypostatica & excellentia diuina, vt se Angelis, & hominibus submittat ex animo: quidni etiam possimus nos præscindere sine indecentia varias Christi excellentias, non vt ipsum Angelis hominibusque submittamus, quemadmodum se ipse submittebat per actus internos: sed vt seorsim singulas eius excellentias pro merito æstimemus & honoremus? 46.

Dices esse differentiam: quia Christus per humanitatem poterat cedere suo iure, seque voluntariè demittere è sede sibi debita, & in inferiori collocare: nos autem eum deiicere non possumus sine indecentia, & iniustitia. Sed respondeo non esse hic propriè & verè deiectionem è sede superiori, ac collationem in sede inferiori: sed esse tantùm præcisionem vnius excellentiæ ab alia, sine vitiosa alterius exclusione. Qui enim præcisè cogitat de Christi humanitate, non pro- 47.

præterea negat eam esse vnitam hypostaticè, & ornatam aliis gratiæ donis. Quare argumentum manet in sua vi: quòd scilicet possit hæc præcisio fieri à nobis sine indecentia, sicut reipsa facta est à Christo.

48. Instabis, quia D. Thom. quæst. 25. a. 1. & 2. asserit adorationem propriè deberi toti rei subsistenti, id est, supposito. Ergo non est verum quod diximus, humanitatem ipsam posse adorari præcisam à Verbo. Respondeo D. Thomam non sine causa dixisse, *propriè*: nimirum quia maximè, & præcipuè solet adoratio exhiberi rebus subsistentibus, seu personis. Verumtamen præter res subsistentes, sunt etiam res aliæ, quibus honor conueniens tribui potest. Sicut tribuitur v. g. sacramentis, quæ in actione consistunt; & crucis figuræ manu formatæ in aëre, quæ similiter consistit in motu: & imagines à materia abstractæ non minùs essent venerabiles. Neque enim honorantur propter aurum, vel lignum, aliamve materiam, sed propter sacram repræsentationem aut consecrationem. Moneo denique, in publica adoratione sequendum esse morem Ecclesiæ, quæ non alio cultu publico, quàm latriæ, Christum adorat: sicut etiam non aliter ipsum, quàm vt Deum orat. Licet priuatim orari possit eius humanitas vt pro nobis oret: similiterque possit priuatim hyperduliæ cultu adorari propter creatas excellentias præcisè spectatas.

S. Thom.

Adoratur propriè & præcipuè res subsistens sine ratione.

SECTIO V.

An, & quo cultu Beata Virgo Christi mater, & Sancti sint adorandi?

49. OMissis facilioribus, vel tritis & vulgaribus apud Scriptores controuersiarum, cuiusmodi est quòd B. Virgo, & sancti, tam Angeli, quàm homines, non possint ob excellentiam suam creatam adorari strictè & propriè, id est, cultu latriæ Deo proprio: possint tamen adoratione impropria & latiùs sumpta, quæ respectu B. Virginis vocatur hyperdulia; & respectu aliorum, dulia: Quódque ille cultus non sit tantùm ciuilis, sed sacer & religiosus; quia cultus debet esse proportionatus excellentiæ ob quam defertur: at excellentia propter quam colitur B. Virgo, non est ciuilis tantùm, sed sacra & supernaturalis, nempe gratia, & gloria, & dignitas matris Dei: excellentia quoque, propter quam sancti coluntur, est ordinis longè excellentioris, quàm sit quæcunque ciuilis dignitas, nempe sanctitas supernaturalis, & dignitas filiorum Dei, atque hæredum regni cœlestis, & cum Christo regnantium: quare adoratio illi excellentiæ proportionata, maior est quacumque ciuili adoratione. His, inquam, omissis,

50. Dico primò, non modò B. Virginem, & sanctos vita functos & cum Christo regnantes coli posse hyperdulia, & dulia, id est, cultu sacro fundato in motiuo sacro & supernaturali: sed etiam iustos adhuc viuos. Probatur primò, quia illa excellentia sacra & supernaturalis, vbicumque reperitur, est digna tali veneratione. Ergo quando reperitur in iustis hac in vita, possunt iusti & sancti hac in vita propter illam honorari. Probatur secundò, exemplo sanctorum in Scriptura. Nam 3. Reg. 18. Abdias Eliam adorauit, quia sanctus erat & Propheta Domini, quamuis Abdias esset in maiori dignitate ciuili constitutus. Et filii Prophetarum adorauerunt Elisæum, postquam viderunt spiritum Eliæ in eo requieuisse, 4. Reg. 2. Honor autem fundatus in huiusmodi excellentia dignitatis propheticæ & sanctitatis, non est honor merè ciuilis, sed altioris ordinis, quippe fundatus in altiori excellentia. Perfectio enim adorationis sequitur naturam excellentiæ, in qua fundatur: quæ quò maior est, debet maior esse adoratio, & æstimatio, atque submissio personæ præcellenti. Quare ille cultus non fuit ciuilis, sed sacer & religiosus: qualis etiam fuit cultus quo Saul animam Samuëlis adorauit, 1. Reg. 28. & quo Abraham, Loth, Iosuë, Manuë, & alii viri sancti adorauerunt Angelos, Gen. 18. & 19. Iosuë 5. Iudicum 13. Qui non propterea reprehenduntur, vt alioqui debuissent, ne factum illud in exemplum traheretur: sed potiùs illud factum vt laudabile narratur. Ex quo habent Hæretici cultum sacrum & religiosum non ita esse Dei proprium, vt nulli alteri possit licitè tribui.

Non modò sancti de-

functi possunt coli religiosè, sed etiam viui.

Confirmatur ex D. August. lib. 20. contra Faustum c. 21. vbi sic ait: *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo in hac vita coluntur sancti Dei homines, &c. Sed illos tantò deuotiùs, quantò securiùs post incerta omnia superata.* Differentia tamen est, quia licet vtraque adoratio fundetur in excellentia eiusdem ordinis: tamen sicut status Beatorum longè perfectior est & gloriosior, ratione visionis beatificæ, & adhæsionis perfectæ cum Deo per amorem excellentem & indefectibilem, ac denique propter Dei fruitionem, eiusque honoris, potentiæ, & gloriæ participationem, quippe qui iam cum Christo regnant, sedentque in throno gloriæ cum ipso, vt dicitur Apocalyp. 3. vers. 21. Ita coli possunt ac debent longè maiori veneratione, & quidem solemni & publica, si sunt in canonem Sanctorum relati, & ab Ecclesia propositi; vt sancti, vel Beati. Alii verò possunt quidem priuatim coli ab iis quibus constat moraliter de ipsorum beatitudine: sed non publicè, quia sapienter propter bonum Ecclesiæ regimen id prohibitum est cap. 1. & 2. *de Feriis*. 51.

August.

Dico secundò, Beatam Virginem & sanctos, homines vel Angelos, non modò coli posse adoratione respectiua, propter ipsam diuinam excellentiam in illis vt in viuis imaginibus & templis elucentem: quæ adoratio ad latriam pertinet, si excellentia ipsa diuina immediatè & proximè in ipsis adoretur, estque 52.

Sancti possunt coli non modò adoratione respectiua, sed etiam absoluta.

estque propriè adoratio ipsiusmet Dei, coadoratio verò Sãctorum, vt sunt aliquid Dei eodem modo, quo dicemus inferiùs de imaginibus: verùm etiam coli posse adoratione absoluta, propter intrinsecam excellentiam, creatam supernaturalem & à Deo participatam, quæ est propriè B. Virginis & SS. adoratio, & hyperdulia vel dulia vocatur. Ita docet Adrianus Papa in epist. ad Constantinum & Irenem, versus finem, cùm ait sanctos à nobis venerari & coli, quia decet eos honor & veneratio propter iustitiam eorum. Ratio est, quia Sancti sunt digni honore & veneratione, non tantùm spectati vt Dei templa, & imagines viuæ, per gratiam reformatæ, & diuinâ gloriâ illustratæ, vel vt amici & domestici Dei, & vt cum illo coniuncti tanquam aliquid ipsius: verùm etiam propter gratiam & gloriam intrinsecè ipsis inhærentem, ipsosque in excellenti gradu sanctitatis supernaturalis constituentem. Quæ veneratio absoluta dicitur, quia fundatur in perfectione propria & intrinseca, & non tantùm in relatione ad excellentiam extrinsecam. Quemadmodum proximus est amabilis per charitatem supernaturalem non tantùm propter Deum, sed etiam propter se, & propter intrinsecas perfectiones supernaturales, vero amore amicitiæ, qui ad ipsum terminetur velut obiectum propter se diligibile. Quia tamen, vt rectè notat Suar. disp. 52. sect. 2. (Suares.) excellentia illa supernaturalis creata & intrinseca, propter quam cultus hyperduliæ & duliæ tribuitur absolutè B. Virgini & SS. Angelis vel hominibus, est coniunctio supernaturalis cum Deo per gratiam & gloriam, & consortium quoddam naturæ diuinæ, vt loquitur Petrus Apost. Epist. 2. cap. 1. v. 4. vel vt ait D. Thom. 1. 2. quæst. 110. art. 3. (S. Thom.) est suprema quædam participatio naturæ diuinæ, pertinens aliquo modo ad ordinem diuinum, atque ad Dei gloriam ex natura sua tendens: idcirco honor qui Beatis tribuitur propter hanc sanctitatem, dicitur totus in Deum referri: quia in Deum vt illius authorem terminatur aliquo modo, & refunditur: sicut honor filiorum redundat in parentes. Quo sensu possunt intelligi SS. Patres, cùm dicunt, Deum in sanctis honorari: & honorem Sanctorum redundare in Dominum: & Christum honorari, quãdo honorantur Martyres: & honorem quem Sanctis exhibemus, esse argumentum nostræ erga Deum beneuolentiæ.

57. *Vterque modus adorandi SS. pertinet ad eandem virtutem religionis.*

Quòd si quæras, an vterque modus adorãdi Sanctos, propter Deum scilicet, & propter excellentiam propriam, pertineat ad eãdem virtutem, & ad ipsam virtutem religionis, an verò potiùs ad habitum distinctum? Respondeo, Ex dictis alibi de Religione, cõstare probabiliùs esse eundem habitum supernaturalem religionis extendi ad Deum colendum propter se, & ad Sanctos quoque colendos, non tantùm propter Deum, sed etiam propter se. Quemadmodũ eadem charitas supernaturalis extẽditur ad Deum propter se amandum, & ad amandos proximos, tam propter seipsos, spectatos in ordine supernaturali, quàm propter Deum: & eadem virtus pœnitẽtiæ supernaturalis valet ad dolendum de quacumque offensa, siue contra Deum, siue contra homines commissa, spectata in ordine supernaturali, prout ad Deum aliquo modo pertinet. Aliter enim non est obiectum virtutis supernaturalis, sed pœnitentiæ merè humanæ. Consentit Marsilius in 3. q. 8. art. 1. (Marsil.) idemque probabile censet Suares sect. 3. disp. cit. §. *Circa hanc difficultatem*: (Suares.) & Delugo disp. 35. num. 22. (Delugo.) vbi tantùm ait sententiam contrariam probabilem sibi videri. Rectèque notat n. 14. & seqq. posse dari habitus abstractos & ampliores, vnius & eiusdem speciei, qui versentur circa cultum alteri debitum ob eius excellentiam, propter honestatem generalem, quæ est in cultu debito exhibẽdo: abstrahendo à variis differentiis excellentiarum: sicut dari potest virtus honestatis quæ versetur circa honestũ, quà tale, abstrahendo à differentiis & speciebus honestatis. Et talis habitus iuuat ad quoscumque actus virtutis, quatenus in omnibus reperitur ratio formalis generica circa quam versatur. Similiterque dari potest habitus, tam acquisitus, quàm infusus, circa rationem generalem iustitiæ, temperantiæ, aliarumque virtutum: abstrahendo à specialibus obiectorum rationibus formalibus, quæ sub illa ratione generali continentur.

Aduersus prædicta de cultu B. Virginis & Sanctorum opponunt præcipuè Nouatores, 54. 1. Illud Deuteron. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*: Notantque illud à Christo repeti Matth. 4. v. 9. & opponi Sathanæ qui non ab eo cultum latriæ petebat. 2. Quòd Mardochæus, Ester 13. Amanum adorare recusauerit, *Ne*, inquit v. 14. *honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quẽquam adorarem excepto Deo meo*. 3. Quòd Petrus Apostolus Cornelium prohibuerit ne se adoraret, Act. 10. & Angelus Ioannẽ, Apoc. 19. Item 4. quòd Paulus Coloss. 2. v. 18. reprehendat eos qui Angelos religiosè colebãt: & Canon 35. Concilii Laodiceni, atq; (Laodicen.) Irenæus lib. 2. cap. 58. (Irenæus.) damnent aliquas inuocationes & nominationes Angelorum. 5. Quòd Epiphanius hæresi 79. (Epiphan.) grauiter reprehendat, & hæresis damnet mulieres aliquas quæ in Syria statuam Mariæ circumferebant, eique liba & munera offerebant. 6. denique Quòd Adrianus Papa in epist. ad Constant. (Adrianus.) & Iren. dicat, non alium Sanctis honorem tribuendum esse, nisi eum, quem hac in vita nobis inuicem tribuimus per salutationem & dilectionem: nempe humanum & ciuilem.

55. *Quomodo Deus solus adorandus?*

Ad primum iampridem respondit S. Augustinus (August.) lib. 1. quæst. super Genes. quæst. 61. non ibi dictum fuisse *Dominum Deum tuum solum adorabis*: sicut dictum est, *& ei soli seruies*, græcè λατρεύσεις quia, inquit, licitum est alios adorare, vt variis Script. locis & exemplis ibidem ostendit: quamuis non liceat alteri seruitutem & cultum latriæ ex-

hibere. 2. Respondeo Deum quoque solum adorandum esse absolutè ob propriam excellentiam, adoratione latriæ, quam adorationem Sathan à Christo postulabat, vt fatetur Caluin. in Harmonia, ad locum Matth. cit. quamque ab initio affectauit & ab Idololatris obtinuit. Ideóque meritò Christus locum illum Scripturæ eius impudentiæ opposuit. Quanquam neque vllo alio cultu dignus est Diabolus, propter summam nequitiam, & statum damnationis.

56. Cur Mardochæus Amanum adorare recusauit?

Ad secundum Respondeo, Mardochæum noluisse quotidie genua flectere Amano palatium ingredienti, ne cerimoniam genuflexionis (frequenter soli Deo apud Iudæos exhiberi solitam, aliis verò non nisi rarò, & grauiori de causa) exercens quotidie erga Amanum, recederet à Iudaicis institutis & moribus, scandalumque præberet Iudæis, quasi honorem Deo debitum ad hominem transferret: neue illum honorem, Deo tantùm sic tribui solitum, transferret ad hominem, & ne quenquam alium exceptò Deo suo sic adoraret. Neque verò ignorauit Mardochæus posse tum Amanum, tum alios homines in potestate & dignitate præcellenti constitutos adorari ciuiliter: & tamen Aman adorationem tantùm ciuilem postulabat, sed Iudæis scandalosam, propter rationem allatam.

57. Cur Petrus Cornelium & Angelus Ioannem adorare se prohibuit?

Ad tertium: Si Petrus Cornelium prohibuit ne se adoraret, & Angelus Ioannem: primum factum est modestiæ causa: vt quotidie inter homines fit, licet alii ab aliis debeant honorari: Secundum, vt ostenderet Angelus quanti ab Angelis homines fierent ob dignitatem naturæ ipsorum à Deo assumptæ: præsertim verò Apostoli, familiares ipsius Christi, & Principes Ecclesiæ, supra Angelos fortè glorificandi: de quorum numero Ioannes erat.

Religio angelorum, quid sit?

Ad quartum: Id quod dicitur à Paulo Coloss. 2. v. 18. *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum*, dicitur de iis qui Angelos Christo, tanquam puro homini, præferebant. Vel potiùs de iis qui Iudaicam legem Christi legi anteponebant, tanquam ignobiliori, quòd hæc ab homine puro tradita esset: illa per Angelos, vt dicitur Galat. 3. v. 19. Vnde eam vocabant Religionem Angelorum: vt exponunt fusè & eruditè Card. Perron. in responsione ad Regem Angliæ pag. 1051. & Iaubertus de Barrault parte 2. Clypei c. 4. §. 28. Canon verò 35. Concilii Laodiceni, & Irenæus, loquuntur de nominationibus & inuocationibus magicis Angelorum: vel de iis qui, Christo excluso, Angelos nominabant, vel nomina vana, instar Basilidis, Angelis affingebant, vt fusiùs iidem authores prosequuntur.

Perron. Barrault.

59. Mariæ cultus damnatus ab Epiphanio, quisnam esset?

Ad quintum Respondeo, Epiphanium damnare meritò eiusmodi mulieres, tum quòd Mariæ sacrificarent Collyrida, id est, tortam panis, vt idem Epiphan. testatur: tum etiam quòd publicum sacrificandi munus sibi arrogarent. Nam soli Deo sacrificandum est. Et sacrificandi munus, non mulieribus, sed viris solis ritè ordinatis, conuenit. Idem autem Epiphan. hæres. 79. disertè profitetur Mariam Virginem cæteris esse honoratiorem propter mysterium Incarnationis, id est, honorandam esse vt matrem Dei sanctissimam: qui titulus honoris est sacer & religiosus, quamuis diuino longè inferior. Formulæ verò quædam alloquendi Beatam Virginem quas obiiciunt Hæretici, vel piè explicari possunt, vel ad sensum Ecclesiæ non sunt.

Epiphan.

Adrian. Honor SS. quomodo similis nostro?

Ad sextum: Adrianus Papa, quando in epist. cit. non multò ante finem sic ait de adoratione Sanctorum: *Qualis verò iste est adorationis honor è profectò non alius, quàm is, quo nos peccatores quoque inuicem prosequimur, salutantes nos inter nos, per honorationem & dilectionem*: Non hoc, inquam, ait ad asserendum adorationem Sanctorum esse merè ciuilem: sed in eo nostræ similem esse vult, quòd neutra est latria, siue suprema adoratio, sed longè inferior & honoraria, quamuis fundata in diuersa excellentia. *Honorantur enim Sancti propter eorum iustitiam & sanctitatem, vt qui eorum imagines viderint, ad eorum imitationem inducantur*: Quemadmodum idem Pontifex immediatè antea dixerat.

SECTIO VI.

De adoratione crucis, reliquiarum, & imaginum, tum Christi, tum Sanctorum.

SVppono primò, Crucem Christi Domini aliam esse veram, id est, illam ipsam ex qua pependit, cuius adhuc extant particulæ, & pluribus in locis visuntur: aliam esse pictam, & veluti illius ac Christi pendentis imaginem: siue in aëre solùm manu formatam: siue auro, ære, ligno, charta, vel alia materia expressam. De priori, vt de reliquiis Sanctorum, & rebus vsu vel tactu eorum consecratis, philosophandum est: quemadmodum & de clauis, lancea, spongia, spinis, aliisque velut Christi reliquiis. De posteriori verò censendum est cum proportione, vt de Sanctorum imaginibus. Ita nimirum vt propter Christum hæc omnia coli possint, simili & proportionali modo, quo Sanctorum reliquiæ vel imagines coluntur propter ipsos. Est tamen adoratio huiusmodi crucis magis respectiua, quàm adoratio imaginis Christi, vel reliquiarum. Refertur enim primò & immediatè ad crucem Christi veram, quam repræsentat: secundò & mediatè ad Christum. Item crux vera adoratur secundum suas particulas, quamuis non in modum crucis dispositas: secus autem crux picta, iuxta illud Authoris quæstionum ad Antiochum apud Athanasium quæstione 41. *Si quis infidelium nos reprehendat tanquam lignum adorantes; possumus diuisis duobus crucis brachiis, & figurâ crucis sublatâ, contemnere ligna illa vt inutilia: osten-*

59. Crux Christi duplex: vna vera, alia picta.

Posterior magis respectiuè adoratur.

Athanas.

dereque infideli nos non lignum sed formam crucis adorare. Ratio differentiæ est, quia crux picta non est honoranda, nisi quia veram crucem repræsentat, & Christum in ea pendentem. Sublatâ autem crucis figura non eam ampliùs repræsentat. At verò crux vera non est adorabilis propter figuram crucis duntaxat: sed ob physicum contactum corporis Christi, cuius fuit ara ad se immolandum, & instrumentum triumphi de peccato, dæmone, & morte reportati.

60. Suppono 2. Omnia in titulo sectionis commemorata, honore aliquo & cultu sacro propter Christum & Sanctos esse digna: vt definitum fuit in Concil. Nicæno II. & contra hæreticos huius temporis fuse probant Bellarm. tom. 2 lib. 2. de Sanctis, Barraut tom. 2. clyp. c. 32. & seqq. & plures alii. Summa probationum est: 1. vsus & praxis Ecclesiæ antiquæ, apud quam omnia supra dicta fuerunt in honore, vt testantur sancti Patres, & historici antiquissimi, Ambros. Hieron. August. Chrysost. Theodoret. & alii. 2. Miracula diuinitus edita in honorem prædictorum, & in fauorem eorum qui sacrum illis cultum deferebant, vt testantur iidem Patres & historici. 3. Quia ad honorem Christi & Sanctorum pertinet, vt non tantùm ipsi, sed & illa quæ ad ipsos aliquo modo pertinent, honorentur propter ipsos, cultu respectiuo, & sacro seu religioso, quippe fundato in Christi & SS. excellentia supernaturali.

Crux imagines & reliquiæ sunt cultu sacro dignæ.

61. His præsuppositis, quæstio est an crux vera vel picta, & imagines Christi possint latriæ cultu adorari: ex cuius controuersiæ decisione patebit, quid de cultu duliæ & hyperduliæ Sanctorum & B. Virginis sentiendum sit quoad eorum reliquias & imagines.

Imagines Christi duob. modis adorari possunt.

Qua de re Dico primò, imagines Christi duobus modis adorari posse. Priori modo scilicet, ita vt ipsæ sint tota materia proxima directa & immediata adorationis: Christus verò tantùm materia remota, vel potiùs ratio propter quam adorantur, quæque solùm adoretur in obliquo, quatenus imago propter ipsum adoratur: sicut quando diligitur proximus propter Deum, materia proxima dilectionis est proximus: Deus verò est ratio propter quam proximus diligitur: Et quando eleemosyna datur pauperi propter Christum; eleemosyna fit immediatè soli pauperi: Christus verò est ratio propter quam fit. Posteriori modo possunt adorari imagines, ita vt ipsæ non sint tota materia proxima, seu terminus immediatus & directus adorationis: sed tantùm pars & adiunctum quoddam termini directi & immediati, quia nimirum adoratio proximè & immediatè terminatur ad prototypum repræsentatum in imagine: imago verò consideratur velut adiunctum quoddam prototypi, vnum quodammodo constituens cum illo: atque ita simul cum illo coadoratur, & adoratio prototypi in illam quodammodo redundat: sicut purpura regia cum Rege coadoratur, & alia eidem Regi coniuncta coadorantur per accidens.

Primò, vt tota materia proxima directa & immediata adorationis.

2. Vt pars & adiunctum termini directi & immediati adorationis.

62. Inter hos duos adorandi modos magna est differentia: quia adoratio imaginum Christi, & Dei, priori modo facta (quæ est propria imaginum adoratio: tunc enim imagines adorantur per se: posteriori autem modo adoratur potiùs prototypum, quàm imago) adoratio, inquam, imaginum Christi & Dei priori modo facta, non est latria, sed cultus inferior, vt rectè docent Suar. disp. 54. sect. 4. §. *Ad primum ergo fundamentum contrariæ sententiæ*, & sect. 5. §. *Atque hinc potest*, Bellarm. lib. 2. de Sanctis c. 24. & alii quos isti citant. Probatur primò ex Concil. Nicæno II. act. 7. in definitione fidei, vbi dicitur expresse, imagines habendas esse, & maximè imaginem Domini & Dei Saluatoris nostri Iesu Christi: *quo per earum inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem, & desiderium veniant: iisque salutationem & honorariam adorationem exhibeant: non tamen secundum fidem nostram veram latriam, quæ solùm diuinæ naturæ competit: sed quemadmodum typo venerandæ & viuificæ antis crucis, & sanctis Euangeliis, & reliquis sacris oblationibus, suffitorum & luminarium reuerenter accendimus. Imaginis enim honor in prototypum resultat. Et qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum.* Hucusque Concilium. In cuius extremis verbis nota particulam, *quoque*, quæ clarè indicat non adorari solum exemplar, sed & ipsam imaginem. Negat verò apertè Concilium verbis relatis imaginem Christi & crucem coli latriæ adoratione: sed tantùm cultu inferiori, vt Euangeliorum librum & similia. Probatur 2. Quia licet imago repræsentet prototypum, semper tamen est ab illo distincta, & non est eius excellentiæ, cuius est prototypum. Ergo honor qui conuenit prototypo, non conuenit imagini per se. Ergo non potest imago eodem cultu adorari per se. 3. Quamuis propter Deum velim bonum proximo: tamen non idem volo bonum quod Deo. Ergo similiter licet honor tribuatur imagini propter Christum: tamen non tribuitur honor idem. Et quia honor recipit varietatem, vt id quod honoratur, quia est protestatio excellentiæ: ideo si id quod honoratur in imagine non est Deus, nec aliquid eiusdem excellentiæ cum Deo: non apparet quomodo honor ille appelletur latria: nisi etiam quiuis cultus, qui tribuitur propter Deum, appelletur latria, quod nequaquam fit. Si verò quis obiiciat: Ratio propter quam colitur imago Christi & Dei est infinita: nempe excellentia ipsius Christi & Dei. Ergo summus honor debetur eius imagini. Respondeo negando consequentiam, quia imago non est adæquata prototypo, neque capit excellentiam illius. Alioquin sequeretur etiam proximum, dum diligitur propter Deum, esse summè diligendum: quod non est verum.

Priori modo non coluntur eodem cultu quo prototypum, sed inferiori.

Suarez.

Bellarm.

Nicæn.

63. Posteriori modo adorantur imagines, seu potiùs coadorantur per accidens, eodem cultu, quo prototypum, vnoque & eodem actu,

Posteriori modo coadorantur eodem cul-

tu quo prototypum. qui directè & principaliter fertur in prototypum imagine repræsentatum: in imaginem verò concomitanter, vt in adiunctum illius, & vnum cum illo moraliter constituens. Vt rectè docent Suar. disp. 54. sect. 4. §. *Dicendum ergo est*, & Bellarm. lib. cit. cap. 23. post D. Thom. 3. p. q. 25. a. 3. Caiet. ibid. aliosque plurimos. Quod adhuc dupliciter fieri potest. 1. Impropriè; ita vt solùm prototypum adoretur actu interno, sola verò signa externa, genuflexiones, &c. imagini exhibeantur vice exemplaris quod in illa honoratur. 2. Etiam propriè, sed per accidens, ita vt ipsa quoque interna veneratio redundet in imaginem, & ab ea participetur tanquam ab adiuncto exemplaris. Et hunc secundum modum adorationis imaginum probant ea quæ diximus de coadoratione humanitatis Christi cum Verbo: & corporis viri sancti, cum ipso sancto: possunt enim imaginibus, & aliis adiunctis, cum proportione applicari. Quod ampliùs confirmabitur paulò post ex iis quæ cōtra Durand. & Vasq. subiiciemus. Nunc autem abstrahendo ab vtroque modo, probatur hæc imaginum coadoratio Concil. & Patrum testimoniis. Nam in Concil. Nicæno II. act. 4. sic dicitur: *Christiani imagines Christi & martyrum tenentes, & osculantes, animo videmur nobis Christum ipsum, aut martyres amplecti.* Et actione 6. tom. 6. *Cum diuinam crucis effigiem, & venerandas imagines amore & desiderio amplectimur, ad ipsum prototypum respicimus.* Trid. sess. 25. in decr. de sacr. Imag. *Per imagines quas osculamur, & coram quibus procumbimus, Christum adoramus, & sanctos veneramur.* Vbi per, *adoramus*, videtur intelligere latriam, vt vulgò sumi solet: per, *veneramur*, duliam. Basil. lib. de Spiritu sancto c. 18. *Rex*, inquit, *dicitur Regis imago: & non duo Reges. Neque imperium scinditur, neque gloria diuiditur. Quia sicut potestas est vna, ita & glorificatio est vna.* Similia dicunt alii Patres à Suare vbi supra relati. Ratio demum est, quia talis modus adorationis est possibilis: & non est inordinatus, sed conueniens. Sicut enim sanctitas & excellentia personæ redundat in alia ipsi adiuncta: ita honor illi tributus primò & per se, potest in alia redundare, quatenus illi adiuncta sunt, & velut vnum cum illo apprehenduntur animo.

Suarez. Bellarmin. S. Thom. Caiet. Nicæn. Trident. Basil.

64. Dico 2. Veram Christi crucem, aliasque eius reliquias, spongiam, lanceam, spinas, clauos &c. posse similiter duplici modo adorari, eodemque genere cultus, quo eius imagines. Idemque dico de SS. imaginibus & reliquiis, tum eorum corporibus aut illorū particulis, tum vestibus, aut rebus aliis, vsu vel tactu eorum consecratis. Quę omnia propter ipsorum animas B. honorantur, siue vt animo coniuncta, & tanquam pars materiæ proximæ adorationis: siue vt tota materia proxima, ad animas tamen B. relata, & propter illarum excellentiam honorata: qui posterior cultus est priori inferior, vt supra dixi de Christi imaginibus quando per se honorantur. Ratio huius conclusionis eadem est quæ præcedentis, & ex seqq. amplius declarabitur.

SECTIO VII.

Refutatur contraria sententia.

Contraria sententia Vasquez. 65. Contra doctrinam precedentem sentit ex parte Vasq. disp. 108. c. 3. & seqq. vbi contendit, imaginē non nisi cum exemplari posse adorari: non autem per se, ita vt ipsa sit tota materia proxima seu terminus immediatus adorationis. Deinde docet, quando imago cum exemplari adoratur, solum signum externum adorationis, quod ipse vocat adorationem in signo, exhiberi imagini vice exemplaris: totum verò affectum internum & æstimationem, quam vocat adorationem in spiritu & veritate, terminari ad solum prototypum. Ex vtroque verò, externo scilicet & interno, conflari vnicam adorationē. Quia adoratio propriè sumpta non est solum signum externum sine affectu interno honorandi, sine quo simulatio vel irrisio est. Neque affectus internus sine signo externo est adoratio, sed tantùm affectus adorationis. Ac proinde adoratio vnica ibi est, communis imagini ac prototypo. Hoc idem ante Vasq. docuerant Durand. in 3. dist. 9. q. 2. Holchot in Sapientiam lect. 158. & Acastro contra hæreses, Verbo *Adoratio*.

Durand. Holchot. Castro.

Refutatur. 66. Sed hæc opinio videtur esse planè à vero aliena. Nam Concilia definiunt simpliciter, & SS. Patres affirmant, imagines esse adorandas, easque vocant venerandas & honorabiles, aiuntque honorabiliter adorari, honorem debitum illis exhiberi, ex animi desiderio venerari, & similia. At hæc vera non essent si sola signa externa ad imaginem, totus verò affectus internus ad prototypum dirigeretur: ergo, &c. Maior probatur. Nam in Concilio Nicæno II. act. 7. in definitione fidei, definitur sub anathemate imagines esse adorandas. Ibid. act. 3. dicitur nō tantùm adorari exemplar in imagine, sed etiam imaginem propter exemplar adorari. Et act. 4. referuntur hæc verba Leontii: *Imaginem adorans, non materiam aut colores, sed inanimatum Christi characterem adorat.* Et act. 7. in ep. Synodi ad omnes Ecclesias: *Quare eas honorabiliter adoramus & salutamus*, imagines scilicet. Et act. 6. in fine: *Non indignas habemus imagines honore, salutatione, & veneratione, debitamque illis venerationem & adorationem dare debemus.* Et act. 2. Euthymius Episc. Sardens. sic loquitur: *Ob eam causam venerandas imagines ex toto corde cum debito honore & salutatoria adoratione suscipio.* Et Trid. sess. 25. decr. 2. ait, *Debitum honorem & venerationem eis esse impartiendam.*

Nicæn.

67. Minor autem, quòd scilicet in opinione Durandi & Vasq. hæc vera non essent, probatur, quia si signa tantùm externa possent ad imagines dirigi: ipsa nō nisi impropriè & abusiuè possent adorari. Quare Cōcilia definientia imagines esse adorādas, impropriè & abusiuè locuta essent. Contra verò Hęretici ab illis damnati, negantes imagines esse adorandas, essent, verè & propriè locuti. Probo antecedens: quia sola exterior actio, sine inten-

tione colendi rem quæ dicitur adorari, non est adoratio, nisi fortasse ficta vel apparens. Est enim adoratio signum seu emphasis honoris, vt loquitur Nicænum II. act. 4. id est, signum honoris qui exhibetur illi rei quæ dicitur adorari. Nam vt per se constat, adoratio non est signum alieni honoris, sed proprii eius qui adoratur, id est, submissionis illi exhibitæ. Absurdum enim & ridiculum est dicere, Petrum à me adorari, quando coram illo tantùm, exhibeo signa submissionis meæ & reuerentiæ erga Paulum. Ergo si signa externa diriguntur ad imaginem sine intentione ipsam honorandi, sed solum prototypum: non adoratur imago sed prototypum. Et nisi exhibeam ipsi imagini notam alicuius submissionis erga illam, non possum propriè dici ipsam adorare.

68. Confirmatur, Quia adoratio est species honoris. Ergo nemo adorat, nisi id quod honorat. Ergo si osculando Christi crucem, non ipsam honoro, sed Christum solum: non ipsam verè adoro, sed Christum. Confirmatur 2. Quia sicut ille qui ad præsentiam creaturæ exurgit per affectum ad Deum laudandum & amandum, non propterea verè dici potest laudare & diligere creaturam, licet præsentiâ creaturæ excitetur, & coram illa exhibeat signa externa laudis & amoris: sic, &c. Adde, quòd si intentio honorandi non dirigitur ad imaginem, neque dirigi potest: verè ipsæ non sunt honorabiles & venerandæ, sicut terra non est honorabilis & adorabilis, vel paries, licet coram illo genu flectatur, vel aliud signum honoris erga Deum & sanctos exhibeatur. Estque planè incredibile, Concilium non aliter definiuisse imagines esse adorabiles quàm terram. Item si intentio honorandi non dirigitur ad ipsas etiam Christi & Sanctorum imagines, neque dirigi potest: ergo ipsæ neque honorabiliter adorantur, neque ex animi desiderio & toto corde honorantur, & cum debito honore & veneratione coluntur, vt aiunt Concilia locis citatis, neque illis verè salutationem & honorariam adorationem exhibemus, vt affirmat Concilium Nicænum II. act. 7. in definitione fidei. Nicæn.

69. Refutatur euasio. Suarez. Neque respondeas, veram quidem adorationem exerceri non posse sine intentione cultus siue honoris interni: non tamen esse necessarium vt adoratio, & intentio cultus ad idem referantur. Nam vt rectè Suar. disp. 54. sect. 3. sicut vera adoratio, vt sic essentialiter & formaliter requirit intentionem adorandi: ita adoratio huius vel illius rei requirit essentialiter proportionalem intentionem adorandi talem rem. Adoratio enim generatim est submissio interna vel externa, id est, nota internæ submissionis erga adoratum. Item, quia honor vnius non potest verè esse honor alterius rei distinctæ, nisi in illam aliquo modo redundet, aut ab ea participetur: ergo non potest honor prototypi dici honor imaginis, nisi in illam aliquo modo redundet. Ergo sub ea ratione potest ac debet intendi vt sit vera adoratio imaginis. Confirmatur, quia si quis ex mera intentione submittendi se Deo, terram deosculatur, vel coram pariete genu flectit, vel pectus suum percutit in signum reuerentiæ: non propterea verè ac propriè adorat terram, parietem, aut pectus suum, licet coram illis reuerentiæ signa exhibeat; sed solum Deum. Ergo vt actio exterior habeat rationem veræ adorationis respectu illius rei circa quam proximè versatur, non sufficit simplex voluntas exercendi talem actionem coram illa re, aut in illa, ex intentione cultus circa aliam rem: sed necesse est vt intentio cultus se extendat ad omnem rem quæ propriè dicitur adorari. Ac si sufficeret vt imago dicatur adorari, coram ipsa genu flectere, vel ipsam deosculari humiliter, & in ipsa vel coram ipsa exhibere signa externa adorationis, ad significandam internam submissioné, quam habemus erga solum exemplar: sufficeret quoq; flectere genu coram pariete, terram osculari, vel pectus suum percutere ad significandam internam submissionem nostram erga Deum & sanctos, ad hoc vt paries, terra, & pectus nostrum, diceretur à nobis adorari: quod perabsurdum est.

Respondebis, differentiam esse: quia genuflexionem fieri præcisè coram pariete, non est eam fieri ipsi parieti, sicut fit imagini. Sed contra: quæro quid hoc sit, genuflexionem fieri ipsi imagini, & non tantùm coram imagine? quæque sit differentia inter parietem & imaginem quoad meum affectum & intentionem, nisi quòd intendo ipsam imaginem honorare, illique me aliquo modo submittere propter prototypum, eamque submissionem tali nota externa significare: hoc autem circa parietem non intendo? Cùmque illa genuflexio sit aliquis honor, & cultus externus exhibitus ipsi imagini; debet procedere à voluntate, seu affectu interno, illum ipsi exhibendi. Hic autem affectus est submissio interna, quam contendimus fieri ad ipsam imaginem propter exemplar. Neque enim volumus probare, debere adorantem se submittere imagini, tanquam suo superiori & Domino, vel excellentiori se: quæ existimatio & submissio esset inepta & irrationabilis: sed quòd habeat affectum internum exercendi erga imaginem genuflexionem, & alia signa externa honoris quæ exhibentur superioribus, ob excellentiam exemplaris, id est, Dei vel sancti, qui meretur honorari etiam in sua imagine. 70. Alia euasio refellitur.

Pro contraria sententia multa opponit Vasq. disp. 108. c. 3. & seqq. Ac primò adducit authoritatem D. Thomæ, & aliorum plurium Scholasticorum, qui non solùm docent imaginem cum exemplari eodem motu adorationis posse adorari: verùm etiam ipsam per se, nisi exemplar contineat, & cum eo coniungatur, non esse alicuius venerationis & adorationis capacem: ac proinde non nisi cum exemplari, cum quo integrum & proximum terminum adorationis constituit, esse colendam. 71. Vasquez.

Explicantur testimonia adducta pro contraria sententia.

Respond. D. Thomam, & aliquos alios à Vasq. citatos primum quidem asserere: at secundum non negare: sed tantùm quòd imagines materialiter sumptæ, & secluso exemplari non tantùm vt termino, verùm etiam vt ratione formali adorationis, non sint dignæ adoratione: quod nos æquè asserimus.

72. Obiectio ex Trident.

Opponit secundò, authoritatem Trident. sess. 24. in decret. de sacris imaginibus, vbi sic dicitur: *Imagines porro, in templis præsertim habendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam: non quòd credatur inesse aliqua in his diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ: sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: vt per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Hæc Trid. Ex quibus infert Vasquez 1. Imagines non posse per se coli: alioqui deberet illis inesse aliqua diuinitas, aut virtus & excellentia cultu digna. 2. Signa externa ita terminari ad imagines, vt per illas & in illis, exemplaria ex corde veneremur: atque ita imagines coniunctas exemplari, & nullo modo ab eo diuisas adoremus. Cúmque Concilium non loquatur de aliquo modo peculiari venerandi imagines, sed generatim de honore eis debito, ac proinde de quouis modo & ratione ob quam dignæ sunt adoratione: dicendum est, non aliter posse adorari imagines iuxta mentem Concilii, quod alioqui non satis explicasset debitum modum venerationis ipsis exhibendæ.

73. Resp. ad primum, Vt aliquid propter aliud honoretur & adoretur, non esse necessarium vt in ipsomet sit aliqua virtus & excellentia; sed sufficere, si sit in illo propter quem honoratur. Atque ita sufficit esse in Christo & in sanctis excellentiam, propter quam eorum imagines adorantur: licet in ipsis nulla diuinitas, aut virtus inesse credatur.

Ad secundum resp. Quocumque modo honoretur imago vt imago, siue per se, siue per accidens: semper eius honorem referri ad prototypum, tanquam ad terminum remotum vel proximum, mediatum vel immediatum, talis adorationis. Quia nimirum vel imago adoratur tantùm propter prototypum, vt rationem formalem proximam adorationis: vel per modum vnius cum ipso coadoratur. Porro Concilia definiunt tantùm imagines esse adorabiles; modum autem quo possint adorari, Theologis explicandum & examinandum relinquunt.

74. Tertiò, Opponit Concil. Nicænum II. act. 7. cuius verba initio retulimus. Sed ea potiùs nobis fauent, cùm negant Christi imaginibus cultum latriæ: quod necessariò debet intelligi de imaginibus per se: nam alioqui per accidens coadorantur cultu latriæ Dei & Christi imagines, vt fatetur Vasq. disp. 110. cap. [illegible] num. 15. qui frustra respondet Concilium negare tantùm imaginibus latriam in spiritu, id est, internam adorationem quæ à Concilio intelligitur per *veram latriam*: quia scilicet latria in signo, siue adoratio externa sola, terminatur ad imaginem, eique vice exemplaris exhibetur. Quod putat confirmari verbis illis Concilii: *Imaginis enim honor in prototypum resultat: & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum*, id est, prototypum: & nonnullis Tharasii testimoniis, quæ refert & expendit cap. 13.

Vasquez.

Verùm hæc verba possunt facilè explicari eodem modo, quo alia paulò ante relata ex Trident. & Vasqui potiùs apertè aduersantur. Primum patet, quia siue imago adoretur directè propter prototypum, siue cum illo coadoretur: honor illi exhibitus redundat in prototypum, ratione cuius adoratur, aut coadoratur: & prototypum in ea adoratur: sicut Deus diligitur in proximo, quando proximus propter Deum, vel vt aliquid Dei diligitur. Secundum ostendo, quia Concilium dicit, *Honor imaginis.* At iuxta Vasq. non tribuitur honor imagini, sed exemplari. Item Concilium sic ait: *Qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum.* Vbi particula, *quoque*, significat imaginem verè & simili quodam modo, quo exemplar adorari. Tharasius verò per latriam in spiritu, intelligit cultum diuinum, affectu ad aliquem vt supremum numen terminato, exhibitum: vt colligi potest ex Anastasio cit. paulò post. Deinde Concilium Nicænum affirmat simpliciter exhibendam esse imaginibus salutationem & honorariam adorationem, non autem veram latriam. At signum externum tantùm non est honoraria adoratio. Imò neque est verè imaginis adoratio, vt rectè obseruat Suar. loco supra cit. Quia sicut adoratio exterior nisi ex intentione cultus procedat, non est vera, sed ficta adoratio, si absolutè consideretur: ita etiam respectiuè non potest adoratio exterior esse vera adoratio alicuius rei, si nullo modo ex intentione colendi illam, sed aliam, procedat: multóque minus dici potest honoraria adoratio eiusdem rei, si non fit ex intentione honorandi illam. Neque est magis dicenda honoraria, quàm latria. Imò potius latria, quia signa externa latriæ Dei vel Christi imaginibus exhibentur, neque aliter illis honor vllus defertur iuxta Vasquem. Quare eius interpretatio est omnino aliena à mente Concilii. Vnde neque, vt ipse putat, Concilium loquitur de vnica adoratione duobus diuisa; imagini, quoad signum externum; & exemplari quoad affectum internum: sed potiùs distinguit duas adorationes, Vnam honorariam, & latria inferiorem, quæ tribuatur imaginibus: aliam supremam & latriæ, quæ conuenit soli naturæ diuinæ, per se scilicet, & propter se. Cùm autem idem Concilium dicit actione 4. non esse duas adorationes, sed vnam imaginis & primi exemplaris: intelligit duas absolutè & independenter, ita vt imaginis adoratio non pendeat ab adoratione exemplaris. Illa

75. Explicatur Concilium Nicænum.

enim verba sunt Ioannis legati orientis, qui post relatum Athanasii testimonium ex sermone 4. contra Arianos, & Basilii magni ex lib. de Spiritu sancto, dicentis, *Qui adorat imaginem, in ea ipsum Regem adorat.* sic infert, approbantibus aliis Concilii Patribus: *Vnde B. Pater instruit non esse duas adorationes, sed vnam, imaginis & primi exemplaris.* Duas scilicet absolutè: ita vt imago adoretur sine exemplari, & non cum ipso aut propter ipsum: iuxta illud eiusdem Concilii actione 6. tom. 6. *Cùm diuinam crucis effigiem, & venerandas imagines amore & affectu amplectimur, & ipsum prototypum respicimus.*

76. Concil. Nicæn. agnoscit duplicem adorationem imaginum.

Malè verò supponit Vasq. ibid. non alibi loqui Concilium de modo adorationis imaginum: & Patres antiquiores priùs in synodo allegatos, vt in eorum traditione definitionem suam fundaret, non loqui de alia adoratione imaginum, quam per accidens, & qualem Vasquez solam admittit. Nam ex textu Concilii, & quibusdam etiam à Vasq. ipso relatis, contrarium satis apparet. Cuiusmodi est id quod Concilium ait act. 7. in definitione fidei, imaginibus exhiberi honorariam adorationem, tametsi non veram latriam: quod, vt supra expendimus, debet necessariò intelligi de imaginibus Christi & Dei, quatenus per se adorantur. Item, quod ibidem ait, honorem imaginis redundare in prototypum: & eum qui adorat imaginem, adorare quoque descriptum in ea argumentum, id est, prototypum per eam repræsentatum. Cuiusmodi etiam est testimonium Anastasii Episcopi Theopoleos, allegatum ab eadem synodo act. 4. Vbi, vt fatetur ipse Vasq. disput. 108. cap. 4. n. 27. duplicem imaginum adorationem adstruere videtur, cùm dicit imagines, etiam Dei & Christi, esse adorandas, sicut sanctos, quibus non exhibetur latria: quod de adoratione per accidens, aut coadoratione intelligi non potest, vt antea probauimus, & ostendemus iterum paulò post.

Vasquez.

77. Idemque faciunt SS. Patres.

Quartò, opponit plurima Sanctorum Patrum testimonia: qui vel de vno modo adorationis loquuntur, & alium non negant: vel ex dictis facilè explicari, & cum nostra sententia conciliari possunt: tantúmque negant imagines materialiter sine ordine ad exemplar, ac non propter illud vel cum illo, esse adoratione dignas. Quin etiam eorum aliquos videri loqui de adoratione imaginum per se, & duplicem earum adorationem astruere fatetur Vasq. cap. 4. n. 27. de Anastasio Episcopo Theopoleos, & de Adriano summo Pontifice in scripto de Imagin. idem etiam fatetur paulò post. Nec obest quòd Patres dicunt interdum non honorari vel adorari imaginem, sed exemplar. Hoc enim in rigore non est accipiendum. Alioqui Vasqui, æquè ac nobis obesset, cùm ipse fateatur imagines aliquo modo adorari, neque id sine hæresi negari possit, cùm à Nicæno II. expressè definitum sit. Sicut autem Vasquez hæc loca Patrum exponit de negatione solùm adorationis in spiritu, id est, vt ipse explicat, de submissione interna: ita nos ea explicamus de negatione solùm adorationis absolutæ, sine respectu ad exemplar, propter cuius excellentiam debent adorari. Quæ adoratio respectiua tam parua est respectu absolutæ, vt præ illa nulla dici possit. Sicut amor concupiscentiæ erga bonum quod volumus alteri, nullus esse dicitur, respectu amoris amicitiæ erga personam. Sicut etiam dicere solemus eum qui amat alium propter seipsum, non illum amare, sed seipsum. Ita Delugo disput. 36. num. 47. apud quem plura vide de hoc Vasquis argumento. Delugo.

78. Soluuntur rationes pro contraria sententia.

Quintò opponit Vasquez triplicem rationem. Prima est, quia nulla res inanima, aut irrationalis, sine rationali, capax est secundum se honoris, cultus, & reuerentiæ, seu adorationis: neque potest illi homo conuenienter se submittere, nec nisi irrationabiliter & stultè illi seruire. Sed imago est res irrationalis & inanima; quantumuis vt imago, sine exemplari tamen consideretur: ergo secundum se, sine exemplari, non est capax adorationis & reuerentiæ. Secunda ratio est, quia religio est pars potestatiua iustitiæ. At iustitia est semper ad alterum rationis participem, non ad rem inanimatam aut irrationalem: ergo & religio: ergo & adoratio, quæ est actus religionis. Tertiò, imago & quæuis res inanima vel irrationalis secundum se non est capax iniuriæ: ergo nec venerationis & honoris, nisi coniuncta cum rationali. Nam si vt aliquid habeat rationem iniuriæ, non potest in imagine aut in re inanima sistere, sed transire debet in rem rationalem, tanquam in id cui proximè fit iniuria: ita etiam vt aliquid habeat rationem honoris, non ad imaginem solam, sed ad exemplar referri debet. Quibus etiam argumentis contendit Vasq. non posse internum affectum adorationis ad imaginem terminari per coadorationem: quia imago est res inanima & irrationalis, carens excellentia, cui homo se submittat, quæque sit capax veri honoris & adorationis internæ. Idemque docet de Sanctorum reliquiis disp. 113. cap. 2. Vasquez.

79. Quomodo res inanimæ sunt capaces adorationis?

Ad primum respondeo, Rem inanimam non esse capacem adorationis propter se: neque sine rationali, vt motiuo saltem & ratione formali, propter quam adoretur: secus autem sub tali motiuo, digno vt non tantùm ipsi propter se, sed etiam alteri propter illud tribuatur honor & adoratio. Neque vllum est inconueniens submittere se rei irrationali, non propter ipsam, sed propter exemplar: vt imagini propter Deum quem repræsentat. Quia hoc non est seruire imagini propter seipsam, sed propter Deum; quod est seruire Deo in ipsa. Vnde per talem adorationem homo non ita se submittit imagini, vt profiteatur se inferiorem illa: sed solùm profitetur imaginem pertinere, seu esse aliquid eius qui superior & excellentior est.

Ita Suar. supra sect. 5. §. *Ad replicam.*

Ad secundum Resp. Religionem poni inter partes potestatiuas iustitiæ, quia est ad alterum, licet non planè eodem modo, quo iustitia, sed vel proximè vel remotè, directè vel obliquè. Semper autem veneratio imaginis versatur circa Deum vel sanctum: quatenus vel cum illo coadoratur per modum totius: vel si est tota materia proxima adorationis; respicitur tamen Deus aut sanctus, & honoratur in obliquo siue indirectè. Ideò enim imaginem eius honoramus, vt ea adoratione reddamus illi cultum, quem ei debemus, non tantùm in seipso, sed & in aliis ad ipsum pertinentibus, propter ipsum.

80. Tametsi nō sunt capaces iuris & iniuriæ.

Ad tertium: Nego paritatem. Nihil enim inanimū aut irrationale est capax iuris & iniuriæ, ideóque non potest illi propriè fieri iniuria, neque debitum reddi, aut quidquam propriè illi deberi: secus autem honoris & venerationis. Et quamuis excellentia digna per se & propter se adoratione, non sit intrinsecè in imagine, sed in extrinseco exemplari, propter quod honoratur: hoc tamen sufficit vt affectus quoque internus submissionis & adorationis ad illam terminetur immediatè propter exemplar. Non tanquam ad habentem in seipsa huiusmodi excellentiam, aut veluti dignā tali affectu propter seipsam: sed vt relatam ad exemplar, à quo habet extrinsecè rationem cur honoretur. Sicut legatus Principis magis honoratur propter Principem, quàm alioqui mereretur. Et aliquis amore indignus propter se, potest propter Deum amari intensissimè.

SECTIO VIII.

Soluuntur aliqua dubia circa venerationem imaginum, & reliquiarum.

81. Imago Christi nō potest orari, neque potest illi sacrificari.

DVbium est primò, an sicut Imago Christi potest in recto simul adorari seu coadorari cum exemplari: ita possit simul orari, aut simul illi sacrificari. Respondeo negatiuè cum Suar. disp. 54. sect. 4. in fine, Vasq. disp. 109. num. 23. & De Lugo disp. 36. n. 76. & seqq. Prima pars probatur, quia oratio est allocutio naturæ intellectualis, à qua petimus vt aliquod bonum nobis faciat, aut malum aliquod auertat. Hæc autem non potest dirigi nisi ad naturam intellectualem, quæ nos audiat, & ex sua libera voluntate possit facere id quod postulamus, possitque nostris precibus moueri vt facere velit. Quare alia est ratio honoris ac venerationis; & alia orationis. Secundæ vero partis ratio est, quia sacrificium est protestatio supremæ excellentiæ, & potestatis vitæ ac mortis, residentis immediatè in eo, cui fit. Quare non potest nisi summè excellenti in seipso, id est, Deo ipsi fieri.

82. Vtramque partem responsi confirmat Trid. Priorem quidem, sess. 25. in decreto de Imag. vbi dicit imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum sanctorum, in templis præsertim, habendas & retinendas esse, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam. Non quòd credatur inesse aliqua in eis diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ: vel quòd ab eis sit aliquid petendum: vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, &c. Posteriorem confirmat sess. 22. cap. 3. vbi ait, Quamuis in honorem & memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueuerit: non tamen illis sacrificium offerri, sed Deo soli qui illos coronauit.

Objicies primò, Quando Christum oramus, oratio ad ipsum totum dirigitur, adeoque non ad solam eius diuinitatem, & animam; sed etiam ad corpus. Resp. dirigi ad totum, quia totum illud est compositum intellectuale vnum per se, quamuis non intelligat, neque velit ex parte corporis: estque principium totale beneficiorum quæ ab ipso postulantur. At compositum, seu potiùs aggregatum ex imagine & exemplari, non est tale. 83.

Objicies secundò, Interdum solum Christi corpus orari, vt in illa vulgari oratione, *Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi salua me. Sanguis Christi inebria me.* Resp. Hæc dici synecdochice, sumēdo partem pro toto: ita vt oratio reipsa ad totum Christum dirigatur, non ad solum corpus vel sanguinem.

Objicies tertiò, Crucem Christi, & imagines interdum orari. Vt cùm sic canit Ecclesia, O *Crux aue spes vnica, Auge piis iustitiam, Reisque dona veniam.* Et, *salue sancta facies Christi redemptoris*, &c. Quæ tamen postrema oratio non est recepta à tota Latina Ecclesia, vt prior. Respondeo. Hæc dici figuratè: vt illa Scripturæ, *Terra, terra, audi verbum Domini. Obstupescite cæli. Audite cæli quæ loquor: audiat terra verba oris mei. Benedicite sol & luna Domino. Benedicite stellæ cæli Domino.* Figuratè, inquam, vel alloquendo & orando Christum in sua cruce vel imagine, in qua repræsentatur: vt fit in illis duabus primis orationibus. Vel sumendo continens pro contento, cœlum & terram pro Angelis & hominibus ibi degentibus: vt in tribus prioribus Scripturæ locis modò allatis: vel ad exprimendum aut excitandum nostrum affectum erga aliquid: putà ad reuerentiam verbi Dei, ad stuporem improbitatis & stultitiæ hominum, ad Dei laudem & benedictionem, id est, prædicationem ipsius excellentiæ: quo sensu possunt omnia loca Scripturæ citata intelligi. 84. Orationes Ecclesiæ directæ ad imagines, sunt figuratè accipiendæ.

Objicies quartò: Sacrificium potest offerri Christo toti, ac non tantùm eius diuinitati, aut Christo præcisè vt Deo. Ergo & eius imagini. Resp. Id ideo fieri posse, loquendo absolutè, quia suprema excellentia verè residet immediatè in toto illo composito ex naturis diuina & humana, conuenientibus in vnum ens per se. At aggregatum ex Christo & imagine non est vnum per se con- 85. Sacrificiū potest offerri Christo.

tinens immediatè supremam excellentiam in sua essentiali & substantiali constitutione. Dixi id fieri posse loquendo absolutè: Nam re ipsa non fit. Neque enim aliud in Ecclesia offertur sacrificium, quàm Eucharistiæ: quod à Christo ipso vt homine & sacerdote semper offertur principaliter. Non offert autem sibi ipsi vt homini, & quoad est idem cum hostia seu re oblata; sed Deo. Sacrificium enim est actus religionis, & religio est ad alterum: quippe quę est pars potestatiua iustitiæ: vel pars subiectiua principalis. Poterat tamen aliud sacrificium institui, quod toti Christo posset offerri. Quod autem ait Athanas. lib. 1. de Incarn. Christi, aliquantò post initium, sic loquens de Christi corpore: *Et quia Increati corpus factum est, ideo corpus eius dicitur cuius fac. um est. Ac proinde illi sacra offertis, adhibetisque vestram adorationem, eaque de causa rite, legitimaque ratione adoratur, & diuina adoratione colitur.* Hoc, inquam, non est ita intelligendum, vt per hanc particulam, *illi sacra offertis*, intelligantur sacrificia propriè dicta: sed dona sacra, vel signa religionis, vt variæ oblationes frugum, & terræ fructuum, suffitus, luminaria, & alia huiusmodi quæ corpori Christi in sacramento Eucharistiæ religiosè à fidelibus exhibebantur: vt rectè exponunt Vasq. disp. 96. num. 62. & Delugo disp. 34. num. 48.

Athanas.

Vasquez. Delugo.

86. Dubium est 2. An reliquiæ Sanctorum adorentur propter excellentiam quam nunc habent Sanctorum animæ? An verò propter excellentiam quam habuerunt eo tempore, quo reliquiæ ad eos pertinuerunt? Resp. propter vtramque adorari posse, & diuisim, & coniunctim. Vtraque enim diuisim, & coniunctim, sufficit ad duliæ venerationem. Quin etiam illa potest alicui deferri propter excellentiam nondum in eo existentem. Sicut legimus S. Antonium Patauinum solitum honorare eximiè ciuem quendam Aniciensem, alioqui non ita honorabilem secundum statum præsentem, præsciens diuinitus illum Martyrem Christi futurum. Notandum tamen non posse adorari, propter sanctitatem futuram, omnia quæ ad sanctos pertinuerunt antequam sancti essent & Deo grati. Aliqua enim sunt quæ sine indecentia non possent adorari: vt peccandi instrumenta per se mala, quibus ad Deum offendendum vsi sunt. Putà, epistolæ quas Paulus acceperat à Principe sacerdotum ad Christianos comprehendendos Actor. 9. si adhuc extarent: aut magici characteres quibus sanctus Cyprianus martyr Iustinam decipere conatus est. Solent tamen honorari specialiter cubicula in quibus Sancti nati sunt: & alia similiter quæ ad ipsos pertinuerunt specialiter, & quorum veneratio nullam continet indecentiam.

Reliquiæ SS adorantur propter excellentiam quam illi olim habuerunt: atq; etiam propter illam quam nunc habent.

87. Dubium est 3. An possint similiter adorari propter sanctitatem præteritam reliquiæ eorum, qui postea in peccato mortui sunt, & ad eos pertinuerunt cùm sancti essent? Item, an si sanctorum animæ desinerent esse, possent adhuc eorum reliquiæ adorari propter sanctitatem præteritam?

Ad primum Resp. negatiuè. Quia talis adoratio continet indecentiam: & quia status finalis peccati præualet, quoad hunc effectum, sanctitati præteritæ; redditque peccatorem, & quæ ad eum pertinent, indignum adoratione. Alioqui possemus Diabolum adorare propter sanctitatem quam habuit initio suæ creationis: quod perabsurdum est.

Non possunt adorari reliquiæ eorum qui aliàs iusti, obierunt in statu peccati mortalis.

Ad secundum respondet Delugo disp. 37. sect. 3. num. 27. & sequentibus, posse quidem remotè adorari propter Deum, ad quem specialiter pertinuerunt Sanctorum corpora, tanquam instrumenta ipsius gloriæ, & vasa ac templa Spiritus sancti: sed non posse adorari propter sanctitatem, & dignitatem illius sancti qui extitit, & cuius illæ reliquiæ fuerunt, si non ampliùs existeret ipsius anima. Quia omnis actus religionis est actus iustitiæ protestatiuus. Ergo est ad alterum cui redditur debitum per illum actum. Sicut ergo non esset detractio iniusta erga hominem penitùs extinctum anima & corpore: sic neque esse potest adoratio religiosa. Perit enim omne ius, & debitum ei respondens, subiecto iuris penitùs extincto. Adeóque non est ampliùs locus actibus iustitiæ, & religionis, qui non versantur nisi circa debitum alteri.

Contrarium mihi probabilius videtur. Primò, quia si, vt idem auctor fatetur num. 32. charitas & odium possunt versari circa hominem non existentem: quidni & religio, id est, honor & cultus religiosus. Nam charitas est virtus ad alterum, sicut religio. Et verum non est omnem actum religionis versari circa debitum rigorosum & strictè sumptum: imò nec quidem circa debitum honestatis. Multi enim actus religionis, æquè ac ciuilis obseruantiæ, versantur circa cultum, qui sine vlla indecentia omitti posset. Et quando dicitur generatim religionem versari circa cultum debitum alicui reddendum: oportet per, *debitum*, intelligere conuenientem & decentem. Conuenit autem & decet honorare excellentiam personæ quę fuit, quamuis ampliùs non sit: & propter ipsam honorare reliquias quæ ad ipsam specialiter pertinuerunt: præcipuè verò corpus, quod fuit hospitium & compars tam sanctæ & excellentis animæ, quamuis hæc ampliùs non extaret. 2. Aliquis actus religionis versari potest circa aliquid, quod in honore religioso habeatur propter excellentiam supernaturalem alicuius personæ futuræ. Quidni ergo & propter excellentiam alicuius personæ præteritæ? Probo antecedens: quia negari nequit quin Abraham, Dauid, & alii Christi progenitores, præcipuè B. Virgo, haberi possent in honore eximio, propter excellentiam Christi ex ipsis nasciturí, ab iis quibus id reuelatum fuisset. Et quidem Abraham Gen. 24. iurare fecit Eliezer super femore suo, vt super materiâ iuramenti & religionis, propterea quòd

88.

Si SS. animæ desinerent, adhuc possent honorari eorum reliquiæ, ob sanctitatem præteritam.

Christus ex eo femore erat nasciturus, iuxta doctrinam aliquorum interpretum, quam admittit Delugo.

89. Respondet verò idem auctor num. 30. femur Abrahæ iam tunc fuisse rem sacram & adorabilem, non propter Christi humanitatem, quæ non existebat; sed propter Deum, qui iam tunc sibi deputauerat Abrahamum, tanquam suum progenitorem & consanguineum. Sed contra: primò, Interpretes huic expositioni adhærentes, causam huius venerationis ad Christum ipsum ex eo nasciturum referunt. Secundò, Abraham non fuit progenitor & consanguineus Dei vt Dei, sed vt incarnati, id est Christi. Ergo si femur Abrahæ fuit tunc adorabile eam ob causam; fuit adorabile propter Incarnationem & propter Christum post futurum.

90. *Sintne reliquiæ adorandæ sub conditione*

Dubium est 4. An reliquiæ sint adorandæ sub conditione? propterea quòd fieri potest vt aliquę falsæ proponantur adorandæ. Resp. primò, Non esse adorandas sub conditione expressa, si non est legitima causa dubitandi, an sint veræ reliquiæ. Ratio est, quia talis modus adorandi in tali casu est indecens: vt si quis patri vel regi, de quo non esset legitima dubitatio, sic diceret: Honoro te si tu es pater meus: vel si tu es Rex meus. Et quamuis non sit de fide has reliquias in particulari esse veras: sufficit esse de fide, quòd veræ reliquiæ Sanctorum sint adorandæ, adiuncto altero iudicio prudentiæ, quòd omnibus expensis, hæ reliquiæ sint pro veris habendæ. Ex quibus duobus iudiciis sequitur adoratio supernaturalis circa veras reliquias, concurrente Spiritu sancto, vt alibi diximus generatim de virtutibus. Quamuis item prudenter iudicetur generatim fieri posse vt aliquæ falsæ reliquiæ proponantur pro veris: id non sufficit ad prudenter dubitandum de his & illis in particulari; sed debet esse aliqua ratio specialis. Sicut licet prudenter iudicetur generatim aliquos esse filios illegitimos: id non sufficit ad prudenter dubitandum de hoc aut illo in particulari, si non sit ratio specialis de illo dubitandi.

91. *Resp.* 2. Quando est legitima ratio dubitandi de aliquibus reliquiis, eas non posse licitè adorari à dubitante, sine conditione expressa. Quia si absolutè adorat: exponit se idololatriæ materialis periculo. Idemque dico de hostia consecrata à sacerdote, de quo meritò dubitaretur, an verè consecrauerit, vel an sit verè sacerdos.

Resp. 3. In omni adoratione legitima reliquiarum inesse virtualem & tacitam conditionem: quatenus scilicet legitimè adorans, quamuis reipsa adoret absolutè, & ex iudicio absoluto quòd sint pro veris reliquiis habendæ: ita tamen affectus est, vt si non essent veræ reliquiæ, non vellet adorare. Quod tamen non impedit quo minùs præsens affectus adorationis sit absolutus. Quemadmodum Episcopus ordinans in sacerdotem, aliquem quem putat esse Diaconum, & non est: vult & intendit absolutè illum ordinare. Quamuis si sciret non esse Diaconum; non vellet, neque licitè posset velle eum ordinare.

Superest notare, cauendum esse ab indecentia in adorandis sanctorum reliquiis. 92. *Cauenda indecentia in adoratione reliquiarum.* Cuiusmodi esset, si tunc adorarentur cùm iam ampliùs non censentur moraliter esse eorum reliquiæ: putà, quia per transmutationem corpus eorum transiit in vermes, aut serpentes, aut ab aliquo animali deuoratum est, & in substantiam eius conuersum, sicut olim martyres interdum à feris deuorabantur. Qualis item esset in adorandis reliquiis asinæ quæ Christum portauit, vel manu eius qui Christo alapam impegit, & similibus. Quæ licet Christum attigerint immediatè, vt vera Crux: non possunt tamen sine indecentia adorari: maximè verò ea quæ sceleratè & nefariè Christum contigerunt, vt manus illa, & manus crucifigentium, & os Iudæ osculum proditoriè infigentis. Et hactenus de adoratione imaginum & reliquiarum. Nam quæ in contrarium obiiciuntur ab Hæreticis huius temporis, fuerunt plenissimè soluta à Cardin. Bellarm. lib. 2. de Sanctis, Iauberto de Barrault Archiepisc. Arelatensi parte 2. Clypei cap. 38. & aliis controuersiarum scriptoribus, apud quos legi possunt. Vtrum verò adoratio crucis, imaginum & reliquiarum non solùm sit licita & honesta, verùm etiam sub præceptum cadat, vide apud Suar. disp. 54. se. 7.

TRACTATVS SECVNDVS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.



XPLICATIS Incarnationis & Vitæ Christi misteriis, disputat S. Thomas de Sacramentis nouæ Legis, quæ à Christo specialiter instituta sunt, & ab ipsius meritis sanctificandi vim habent. Sunt enim media quibus Christo coniungimur, & veluti instrumenta, quibus ipsius merita nobis communicantur, & gratia propter eadem omnibus ritè suscipientibus infunditur. Seu potiùs, quia Christus est causa vniuersalis totius hominum sanctificationis, omniumque beneficiorum, quæ illis à Deo conferuntur in ordine gratiæ, quippe de cuius plenitudine omnes accipimus: Sacramenta sunt veluti causæ particulares ab eo constitutæ, vt per eas generalis eius influxus applicetur, & determinetur ad varios effectus: sicut in rerum naturalium productionibus causæ particulares determinant influxum causarum generalium. Vel etiam quia Ecclesia hortus Sponsi cœlestis est, manu ipsius consitus, & excultus: sunt illa veluti septem diuini fontes, & perennes scaturigines aquæ viuæ salientis in vitam æternam, quibus illa perpetuò irrigatur, & fertilis fœcundaque redditur. Fontes, inquam, illi de quibus Isaias spiritu prophe-

tico dixerat: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Vel etiam, quia Ecclesia regnum cœlorum est, ad enarrandam Dei gloriam toto orbe expansum; sunt illa veluti septem eius sidera dominantia, quales respectu mundi corporei Planetas esse dicunt Astrologi; quibus Christus mirabiles effectus gratiæ iugiter in homines influit: per quæ scilicet, vt ait Trident. initio sess. 7.* Omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. *Sunt, inquam, septem stellæ mysticæ, quas in manu tornatili Regis nostri munifici vidit Ioannes Apostolus, Apocal. 1. Quarum perpetua conuersione, benignoque aspectu, & influxu fauorabili; sua erga nos beneficia continuò dispensat. Vel denique, quia Ecclesia est domus Dei viuentis, cuius fundamenta in montibus sanctis, dilecta super omnia tabernacula Iacob: sunt illa veluti septem eius columnæ, manu ipsius sapientiæ incarnatæ excisæ; quibus Ecclesia superædificata, in æternum firma, tectaque stat.*

Bipartitam autem disputationem de Sacramentis sanctus Doctor instituit. Et in priori quidem parte, quam præsenti tractatu explicandam suscipimus, tradit ea, quæ septem Sacramentis nouæ legis communia sunt. In posteriori verò, quæ est de singulis sacramentis in specie; declarat ea, quæ sunt cuiusque propria. Priorem expedit quæstione sexagesima, & quinque sequentibus. In quibus disputat primò, de natura, siue ratione, & definitione communi sacramentorum. Secundò, de illorum necessitate. Tertiò, de effectibus. Quartò, de causa. Quintò, de numero, & ordine eorum inter se. Quæ omnia sequentibus disputationibus, eiusdem S. Thomæ ductu, & diuini luminis ope declarare conabimur: eòque accuratiùs, quòd cognitio sacramentorum admodum vtilis, & necessaria est, ignorantia verò valde periculosa, & error maximè perniciosus, præcipuè in iis, quæ pertinent ad illorum substantiam, vel ad dispositionem necessariam ex parte recipientis: de qua tamen nonnullæ sunt, & non leues inter Theologos controuersiæ.

De iisdem disputant scholastici cum Magistro in 4. dist. 1. Alensis 4. parte Summæ quæst. 1. Hugo de S. Vict. lib. 1. parte 9. Vvaldens. tom. 2. de Sacr. Alan. lib. de Sacr. in genere. Bellar. tom. 2. controu. 1. Perronius lib. 1. de Euchar. & alii recentes controuersiarum

siarum scriptores. Ambros. verò, & si qui alii Patres de Sacramentis scripserunt, de illis solùm in particulari tractant. Generaliores enim has considerationes, & abstractiones, Theologis relinquunt.

DISPVTATIO DECIMA-SEPTIMA.

An detur aliqua communis, & generica ratio Sacramentorum?



OTERAT huius quæstionis decisio supponi ex Philosophia, nisi, propter instantiam nouorum Nominalium, qui tum istic, tum pluribus aliis locis recens exorti sunt, operæ pretium videretur communem sententiam, quam plerique illorum vel non sincerè proponunt, vel non satis intelligunt, exponere breuiter, & confirmare: tum contrariis eorum argumentis respondere. Ita tamen, vt totam hanc quæstionem theologicè magis, quàm philosophicè tractemus. Dabit veniam lector huic digressioni necessariæ hoc loco, & tempore; atque, vt existimo, non ingratæ, neque inutili futuræ illis omnibus, quibus cum nouis Nominalibus subtilibus, & eruditis, vel intercedit, vel nota est contentio. De qua licet multa dixerimus tom. 1. disp. 3. sect. 5. 6. & 7. ad tuendam distinctionem rationis inter attributa diuina: longè tamen plura supersunt hoc loco addenda; vbi breuiter tactis dumtaxat rationibus theologicis, & philosophicis, quas ibi fusiùs prosecuti sumus, conabimur veram sententiam pluribus aliis confirmare, & magis illustrare, præcipuisque aduersariorum argumentis satisfacere.

SECTIO I.

Exponitur vera, & communis sententia.

1. Dico primò, dari vnum conceptum formalem repræsentantem expressè sacramenta nouæ legis, prout conueniunt inter se, & non expressè repræsentantem eadem sacramenta, prout differunt inter se: ita vt concipiens non cogitet expressè & distinctè de huiusmodi differentiis. Hoc vel ipsa experientia euidens est. Qui enim tantùm expressè cogitat de sacramento nouæ legis vt sic, id est, de signo efficaci gratiæ ex opere operato; non cogitat expressè, quòd aliquod tale signum consistat in ablutione aquæ naturalis, & tali verborum formula, *Ego te baptizo*, &c. aliud in vnctione chrismatis, aliud in speciebus eucharisticis cum corpore & sanguine Christi: neque de aliis differentiis & speciebus sacramentorum à Christo institutis, aut possibilibus institui; poterant enim aliæ infinitæ institui. Sic etiam euidens est, eum qui tantùm expressè cogitat de animali, id est, de principio substantiali sensitiuo, non cogitare expressè de differentiis & speciebus omnium animalium, siue existentium, siue possibilium in infinitum: quarum differentiarum plurimæ nobis ignotæ sunt, cùm tamen omnia animalia tam existentia, quàm possibilia, repræsententur expressè illo conceptu, prout conueniunt in principio substantiali sentiendi.

2. Datur etiam vnus obiectiuus. Dico secundò, sacramenta prout expressè repræsentantur conceptu illo vniformi, ea tantùm exprimente prout conueniunt, & non prout specie vel numero differunt, posse dici esse vnum obiectiuè, id est, vnum obiectum vniforme, vel vnum conceptum obiectiuum: vnum, inquam, ratione seu conceptu, per extrinsecam denominationem à conceptu illo formali, quo repræsentantur: quatenus scilicet ea, quæ à parte rei multa sunt, aut esse possunt, specie & numero differentia; sunt obiectum vnius conceptus formalis, à quo vniformiter repræsentantur, & expressè cognoscuntur per modum vnius, id est, non expressis ipsorum differentiis specificis, aut numericis. Ac multa quidem reipsa sunt quæ cognoscuntur: sed non cognoscuntur expressè vt multa sunt: sed potiùs sunt vnum prout obiiciuntur cognitioni, quatenus cognoscuntur sine differentiis, & sine pluralitate. Probatur, quia sicut res concepta solet dici conceptus, ex eo quòd concipiatur, quemadmodum & res visa dicitur visio, & res volita dicitur voluntas seu volitio, quibus loquendi modis Scriptura ipsa sæpius vtitur, Isaiæ 1. vers. 1. & cap. 38. vers. 5. Ezech. 1. vers. 1. & 13. Matth. 7. vers. 22. & cap. 12. vers. 50. & alibi: ita, quæ vno conceptu formali vniformi concipiuntur, dici possunt vnum conceptu, & vnum obiectum vniforme talis conceptus, siue vnus conceptus obiectiuus terminans illum conceptum formalem vniformem. Quod satis patet ex communi vsu Philosophorum & Theologorum, exceptis paucis Nominalibus, qui neque numero, neque authoritate sunt cum aliis comparandi, neque ius habent terminos & modos loquendi vsitatos imo utandi pro libito, contra sensum & vsum communem.

Quem penes & ratio est, & ius, & norma loquendi.

3. Scio quidem non illa omnia quæ dicuntur de conceptu formali, posse dici per extrinsecam denominationem de obiecto. Nam ex gr. obiectum non dicitur spirituale, eò quòd concipiatur conceptu spirituali: at non propterea negari debet quæuis denominatio, neque potest, nisi repugnante Scriptura, & communi vsu Doctorum. Præterquam quòd specialis est ratio, vt obiectum denominetur vnum ex vniformi repræsentatione multorum, per modum vnius, id est, non expressis eorum differentiis & pluralitate. Quia scilicet, vt rectè aduertit Molina in primam partem quæstione 28. a. 2. disput. 3. terminus ille, *conceptus obiectiuus*, est terminus connotatiuus, qui de formali significat conceptum mentis, prout extrinseca denominatione rem ipso apprehensam denominat conceptam, sicut coloratum denominatur extrinsecè visum à visione: de materiali verò supponit pro re ipsa concepta, quoad id præcisè quod de ea concipitur. Est enim, inquit, proprium nostrorum actuum animæ extrinsecè denominantium aliquid cognitum, apprehensum, &c. vt solùm supponat pro re cognita quoad id præcisè, quod de ea percipitur. Nec valet argumentatio, quà ex identitate quam habet aliquid cum re cognita, infertur illud esse etiam cognitum aut apprehensum. Quin potiùs vel committitur fallacia accidentis; vel secundum alios Dialecticos, variatur appellatio. Vt si cognoscas aliquem venire, nescias tamen quis sit; non valet argumentatio, Cognoscis illum esse venientem: sed ille veniens est Petrus: ergo cognoscis Petrum. Quia ergo vocabulum, *conceptus obiectiuus*, nomen est connotatiuum, supponens solùm pro re concepta quoad id præcisè quod de ea concipitur, fit, vt licet multa sint reipsa quæ concipiuntur; si tamen non concipiuntur quatenus multa sunt, id est, secundum pluralitatem & differentias, sed potiùs confunduntur in vnum, & sine illis differentiis exprimuntur; exprimantur & attingantur per modum vnius, & quasi vnum quid, ideóque meritò denominentur vnum obiectiuè, & vnus conceptus obiectiuus.

Molina.

4. Ille conceptus com- Dico tertiò, huiusmodi conceptum obiectiuum esse communem siue vniuersalem, &

munis est vniuersalis & genericus.

genericum. Vniuersalem, quia est vnum in multis, vel aptum esse in multis, vt definitur Vniuersale ab Aristotele 7. Metaphys. cap. 13. id est, vnum ratione seu conceptu, & multa realiter actu vel aptitudine, de quibus idcirco aptum est prædicari eo modo quo cum illis realiter identificatur, diuisim scilicet de quolibet. Cùm enim dico Baptismum esse sacramentum, non est sensus quòd Baptismus sit omne sacramentum, aut sit id omne quod conceptu sacramenti expressè repræsentatur: sed dumtaxat quod sit aliquod sacramentum, siue aliquid conceptu sacramenti repræsentatum, nempe istud ipsum quod est Baptismus. Habet ergo iste conceptus obiectiuus quòd sit vniuersalis ex duobus. Primò scilicet, ex eo quòd sit multa à parte rei actu vel aptitudine. Secundò, ex eo quòd illa multa vno conceptu formali vniformiter repræsententur; à quo vnum ratione seu conceptu dicuntur per extrinsecam denominationem. Quòd verò sit genericus, ex eo habet, quòd conueniat vniuocè pluribus essentialiter differentibus, aptusque sit de illis prædicari in quæstione quâ quæritur, quid res sit. Ex quo collige, vniuersale obiectiuum non esse sine mentis operatione, à quo sortitur vnitatem per extrinsecam denominationem à conceptu formali, quo ea quæ sunt multa, repræsentantur expressè non vt multa, sed quasi vnum quid, vnius formæ & rationis, in qua omnia conueniunt, seu similia sunt; non expressis differentiis quibus multiplicantur, id est, non expressè conceptis iisdem prout à parte rei multa sunt, & prout inter se differunt. Quam doctrinam expressè tradit sanctus Thom. Opusc. 56. his verbis. *Vniuersale ergo est vnum & plura: plura, inquantum in pluribus est, alioqui non posset prædicari de pluribus: vt homo in re est plura, quia de pluribus prædicatur. Est autem vnum in cognitione. Quia licet plura, secundum quod plura, non constituant vnum intellectum*, (id est, vnum conceptum vniformem) *tamen plura, secundum quod similia sunt, constituunt vnum intellectum, ita quòd intellectus non potest distinguere inter similia: & idem intellectus cùm apprehendit hominem & leonem inquantum conueniunt in vna operatione*, scilicet sensitiua (& consequenter in principio talis operationis) *vnico intellectu apprehendit, etsi in re sint multa. Talis enim vnitas* (per intellectum) *non opponitur illi multitudini*, reali scilicet. Husque D. Thomas: qui his vltimis verbis occurrit tacitè præcipuo Nominalium argumento: non posse simul vnum & idem esse vnum & multa. Quasi verò non possit esse multa realiter, & vnum ratione.

D. Thom.

Perperam autem obiiciunt hinc sequi, terminum aut conceptum animalis significare animal quoddam conflatum ex omnibus animalibus, quod est impossibile. Neque enim significat vnum quoddam animal, sed omnia confusè, non expressa pluralitate, & differentiis quibus distinguuntur. Similiterque vox ista, *Sacramentum*, non significat vnum quoddam Sacramentum conflatum ex omnibus sacramentis nouæ, & antiquæ legis: sed omnia confusè, quatenus in eo conueniunt, quòd sunt signum sacrum & sensibile gratiæ, permanenter à Deo institutum: non exprimendo speciales differentias, quòd huiusmodi signa vel sint inefficacia gratiæ, vt sacramenta antiquæ legis: vel efficacia, vt sacramenta legis nouæ: & adhuc specialiùs, quòd sint efficacia gratiæ per modum regenerationis, vt Baptismus: aut corroborationis, vt Confirmatio: aut nutritionis, vt Eucharistia: & sic de aliis.

Dico quartò, in hoc concipiendi modo nullam esse falsitatem, aut deceptionem: sed tantùm præcisionem, & inadæquationem: quatenus non expressè concipitur quidquid res est. Probatur, quia qui ita concipit, non affirmat esse distincta, quæ distincta non sunt: aut esse vnum ea, quæ sunt distincta: neque etiam vnitatem, aut distinctionem intrinsecam rebus affingit: sed tantùm exprimit inadæquatè rei vnius, & eiusdem perfectionem. Cùm enim res non tantùm conueniat essentialiter cum aliis, verùm etiam differat: concipitur quidè expressè prout cum aliis conuenit, at non prout ab illis differt. Et licet eodem realiter conueniat & differat (quod enim concipitur per conceptum genericum, non differt à parte rei ab eo quod concipitur per conceptum specificum & differentialem in vna & eadem re) nihilominus illud ipsum non concipitur expressè secundum totam suam amplitudinem virtualem, & æquiualentiam ad multa, à qua non tantùm habet vt cum quibusdam aliis conueniat, sed etiam vt ab illis essentialiter differat. V.g. homo licet eodem realiter sit substantia seu res per se subsistens, corpus, viuens, animal, & rationalis: tamen eius essentia non concipitur expressè adæquatè, quando concipitur tantùm vt substantia corporea, viuens, aut sentiens, in quo conuenit cum aliis substantiis corporeis: quia vlteriùs habet vt sit rationalis, in quo longè supereminet brutis, & conuenit ex parte cum Angelis. Sic etiam diuina substantia non concipitur expressè adæquatè quidquid est, & secundum totam virtualem amplitudinem, quando expressè concipitur tantùm vt intellectiua, non concipiendo expressè quòd sit etiam volitiua & operatiua, quòdque sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus per proprietates relatiuas. Denique per huiusmodi concipiendi modum non concipiuntur res aliter quàm sint (quod sæpius obiiciunt & inculcant Nominales) sed tantùm non concipiuntur quolibet conceptu perfectè omni modo quo sunt, aut quidquid sunt. Perfectè, inquam, & expressè, quamuis identicè tota res simplex concipiatur. Quemadmodum quando, vt fatentur aduersarii, concipiuntur confusè ea quæ sunt distincta,

F2

In hoc concipiendi modo non est falsitas, sed præcisio.

non propterea concipiuntur peruersè & aliter quàm sint; sed tantùm concipiuntur imperfectè conceptu confuso respondente termino communi & confusè significanti. Et quando absoluta concipiuntur comparatiuè, & comparantur inter se: non propterea [illegible] concipiuntur peruersè; quia non concipiuntur vt relatiua intrinsecè, sed extrinseca tantùm comparatione referuntur, & ab illa denominantur relatiuè.

6. Dico quintò: In hoc præscindendi & inadæquatè concipiendi modo, id quod non concipitur expressè quatenus tale, cognoscitur tantùm identicè: hoc est, reipsa idem est cum eo, quod expressè cognoscitur: ipsum tamen non concipitur secundum propriam rationem vt talem, quâ differt virtualiter ab eo quod expressè cognoscitur, & secundum quam aptum est terminare alium conceptum dissimilem, quo ipsa exprimatur. Exempli gratia, qui cognoscit sacramentum, vt sic; non cognoscit differentias Baptismi, & Eucharistiæ, vel aliorum sacramentorum, vt tales. Qui concipit Deum præcisè, non concipit proprias rationes & differentias Patris, Filii, & Spiritus sancti, vt tales sunt, & prout faciunt eos inter se differre: non concipit, inquam, formaliter vt tales, sed tantùm identicè, quatenus concipit aliquid, quod à parte rei est idem cum illis. Probatur primò, quia ille concipit multa per modum vnius: ergo non illa concipit vt multa sunt. Secundò, Ille conceptus est vniformis. Atqui non esset vniformis, sed multiformis, si repræsentaret proprias cuiusque formas & differentias, vt tales. Tertiò, Illud non cognoscitur illo conceptu, quod vi illius penitus ignoratur, aut eo saluo penitus potest ignorari. Atqui saluo conceptu animalis, possunt ignorari penitus differentiæ animalium vt tales, & reipsa infinitæ ignorantur. Saluo etiam conceptu Dei confuso & præciso, qualem homines habent, potest ignorari Trinitas personarum vt talis, & à multis reipsa penitus ignoratur: ergo, &c. Confirmatur, Quia de fide est Ethnicos Philosophos Dei notitiam ex mundi fabrica esse assecutos, Rom. 1. vers. 20. Atqui ex mundi fabrica non potuerunt assequi notitiam mysterii Trinitatis: *Nemo enim nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare,* Matth. 11.

Id à quo præscinditur per conceptum, cognoscitur tantùm identicè.

7. Dico sextò, Licet ille præcisè & inadæquatè cognoscendi modus non mutet obiectum: res enim cognitæ non mutantur à nostra cognitione: meritò tamen dum præcisè cognoscitur denominatur præcisum, per extrinsecam denominationem à formali præcisione quæ est in intellectu, id est à cognitione præcisiua & inadæquatè exprimente. Dumque distinctis conceptibus difformibus, seu dissimilibus eadem res inadæquatè exprimitur; meritò dicitur distingui ratione, & esse distincta ratione, per extrinsecam denominationem ab actibus intellectus, quibus respondet diuersimodè, quique in illam tendunt velut in diuersa obiecta. Probatur, quia sicut res denominatur extrinsecè cognita à cognitione, dicitúrque conceptus obiectiuus, prout respondet conceptui formali quem terminat: ità potest denominari præcisa à præcisione: & dici conceptus obiectiuus præcisus, prout respondet conceptui formali præcisiuo. Item sicut quando multa cognoscuntur per modum vnius vno conceptu formali vniformi, dicuntur esse vnum conceptu, & vnus conceptus obiectiuus: sic quando vnum cognoscitur vt multa, diuersis conceptibus difformibus (id est, diuersas veluti formas seu rationes intrinsecas repræsentantibus, & inadæquatè expressiuis) dici potest multa conceptu & ratione distincta, per extrinsecam denominationem à conceptibus intellectus distinguentibus, & inadæquatè exprimentibus. Cuius distinctionis fundamentum est in re ipsa, quatenus propter suam virtualem amplitudinem capax est terminare plures conceptus difformes: formaliter verò distinctio est in solo intellectu distinguente, id est, distinctis actibus & difformibus concipiente, à quibus res extrinsecè tantùm denominatur distincta obiectiuè, sicut à cognitione denominatur cognita. Hæc omnia satis patent ex ipso vsu & modo communi loquendi: sic enim omnes loquuntur & sentiunt, exceptis paucis Nominalibus, quos certè neque genus humanum, neque Philosophia, vel Theologia loquendi magistros sibi constituit, quique possunt ac debent meritò & prudenter aliis tam multis & tam doctis postponi: maximè cùm Scripturæ diuinæ, Concilia œcumenica, & sancti Patres ità loquantur, vt videbitur sectione sequenti.

Obiectum meritò denominatur præcisum, à præcisione mentis, & distinctum à diuersis conceptibus difformib.

Confirmatur: quia, vt antea dixi cum Molina, terminus iste, *Conceptus obiectiuus*, est nomen connotatiuum, significans de formali conceptum formalem, à quo res extrinsecè denominatur concepta: & de materiali supponens solùm pro re concepta, quoad id præcisè quod de illa concipitur. Ergo si res concipitur inadæquatè, non exprimendo quidquid est; conceptus obiectiuus supponit pro illa inadæquatè sumpta secundùm id quod exprimitur: & aliter supponit, quàm alius conceptus obiectiuus denominatus à formali conceptu aliter rem eandem exprimente, & quasi nouam perfectionem intrinsecam detegente. Ergo est alius & alius conceptus obiectiuus, quia res aliter & aliter concipitur & exprimitur. Quare licet, verbi gratia, sapientia, iustitia, misericordia, cæteráque Dei attributa, in sua reali formalique ratione sint à parte rei vnum quid simplicissimum: in ratione tamen conceptuum obiectiuorum, per comparationem ad con- 8.

Conceptus obiectiuus, pro quo supponat.

ceptus formales inadæquatos quos de illis formamus, sunt multa: adeoque dici possunt multi conceptus obiectiui, respondentes diuersis conceptibus formalibus, & diuersis nominibus non synonimis significati. Multi, inquam, non intrinsecè & in re ipsa, sed per extrinsecam denominationem à multis & difformibus conceptibus formalibus.

Simili autem modo intelligendum est quod dici solet à Realibus, quodque vel dissimulatur, vel malè intelligitur à Nominalibus, speciem componi ex genere & differentia: genus contrahi per differentiam ad speciem constituendam: res ipsas subiici & prædicari, quando affirmatur Baptismus est sacramentum, Petrus est homo, & similia: intelligenda, inquam, hæc sunt per extrinsecam denominationem ab actibus intellectus componentibus, contrahentibus, subiicientibus, aut prædicantibus, &c. Alioqui enim sicut in re non est intrinsecè distinctio: ita nec compositio, contractio, vel subiectio. Intellectus verò est qui per actus suos formaliter componit, contrahit, subiicit, prædicat rem eandem diuersimodè conceptam: concipiendo, v. g. hominem non solùm esse id quod expressè respondet conceptui animalis, sed insuper esse rationalem, & non posse concipi expressè adæquatè, nisi expressè concipiatur vt animal, & vt rationalis: quorum primum confundit hominem in modo concipiendi cum aliis animalibus: secundum verò ab illis distinguit, concipiturque vt quid magis determinatum & distinctum, ac distinctiuum generis communioris.

10. Termini vocales non prædicantur secundum se, sed penes significatum.

Quod autem dicunt Nominales, terminos vocales, aut mentales, seu conceptus ipsos formales, prædicari & subiici, vel est euidenter alienum à veritate, vel in sententiam nostram coincidit. Si enim intelligant terminos aut conceptus formales prædicari & subiici secundum se: id apertè repugnat veritati propositionis, quæ cùm affirmet prædicatum esse idem cum subiecto, siue esse realiter ipsum subiectum, Petrus est homo, Homo est animal: Certè non potest id esse verum de terminis aut conceptibus formalibus: Nam vnus horum terminorum non est alius, sed realiter differt ab illo. Conceptus quoque formalis Petri differt realiter ab altero conceptu, quo concipitur homo. Debent ergo intelligere, quòd subiiciantur termini illi, vel prædicentur, secundum suum significatum: nam in nullo alio identificantur, neque secundum aliud potest verè affirmari prædicatum & subiectum esse idem realiter. Hoc autem est quod nos asserimus: ergo Nominales differunt tantùm modo loquendi. Quod etiam patet ex eo quod aiunt, voces prædicari in suppositione personali, hoc est, intelligendo identitatem esse in significatis, in eo saltem pro quo vterque terminus supponit. v. g. cùm dicitur Petrus est homo, prædicatur, inquiunt, nomen, homo, de nomine Petrus, non supponendo pro se, sed pro significato: alioqui propositio esset falsa: nam nomen, homo, non est nomen Petrus.

Neque respondeant, sensum proprium & immediatum harum propositionum esse, terminus, Petrus, supponit pro eodem, pro quo supponit terminus, homo. Etenim illa expositio violenta est, & aliena à sensu communi: nullus enim præter Nominales opinione sua præoccupatos, ita eas intelligit aut resoluit, possuntque multò meliùs planiúsque intelligi: nempe quòd de rebus ipsis immediatè loquamur, easque per conceptus & per voces enunciemus. Deinde illa expositio ridicula est. Sic enim v. g. quando in foro litigabitur, An hic ager sit meus? lis in eo posita erit, An terminus *hic ager*, supponat pro eodem pro quo supponit terminus, *meus*? Et cùm quæretur in iudicio, an Petrus Paulum interfecerit? Sensus erit, An terminus, *Petrus*, supponat pro eodem, pro quo supponit terminus, *interfecerit*? Cùm denique quæretur, an Petrus propter homicidium sit suspendio dignus? Sensus erit, an terminus, *Petrus*, supponat pro eodem, pro quo supponit, *suspendio dignus*? Quæ omnia quàm sint à vero & à communi sensu remota, nemo non videt. Aut igitur falsum, aut ridiculum asserunt Nominales; vel nobiscum in eo sentiunt. 11.

Eodem vitio puto eos laborare in doctrina de Vniuersalibus, & de præcisione ac distinctione rationis: magisque in modo loquendi, quàm in re ipsa dissentire à communi sententia, vt Suarez obseruauit parte 1. lib. 1. de Essentia Dei cap. 13. n. 2. vbi dicit vereri se, ne Nominales vtantur nominibus æquiuocè, & magis differant à communi sententia in modo loquendi, quàm in re. Videntur enim, inquit, solum negare omnem veram distinctionem inter attributa indistincta in re. Nam distinctio quæ dicitur esse per conceptus nostros non est vera distinctio: quia quod est in se indiuisum, non potest per extrinsecos actus mentis distingui. Hoc enim est argumentum, quo maximè vtuntur: & probat quidem distinctionem rationis non esse veram & intrinsecam rebus: non tamen probat non esse aliqualem distinctionem nostro modo concipiendi, & quasi per extrinsecam denominationem: seu esse distinctionem non rerum secundum se, sed prout menti nostræ obiiciuntur. Hæc ibi Suarez. Et in Metaphys. disp. 6. sect. 9. num. 8. ait vix esse credibile, venisse in mentem Nominalium, aut vllius Philosophi, opinionem asserentem genus & differentiam, similiaque attributa, nec re, nec etiam ratione distingui; sed esse omnino idem, etsi diuersis vocibus significentur. Gabriel quoque in primo dist. secunda, quæst. vndecima in fine ait se & alios nominales non tam in re differre, quàm in modo loquendi, quoad formalem distinctionem inter naturam & relationes diuinas personales, de quibus ibi disputat. 12. Suarez.

SECTIO II.

Confirmatur amplius vera & communis sententia.

13. Sententia Nominaliũ repugnat Aristoteli. Aristot.

Siue autem in modo loquendi, siue in re ipsa dissentiant, probatur amplius vera & communis sententia. Primò, quia opinio negans vniuersalia obiectiua, & distinctiones rationis præcisiuas, repugnat apertè philosophorum Principi Aristoteli 7. Metaph. (vel vt alii numerant 6.) cap. 13. definienti vniuersale, *vnum in multis*, vel, *aptum esse in multis*. Et lib. 1. de Interpretatione cap. 5. *Vniuersale est id quod de multis aptum est prædicari*. Quæ definitiones, neque nominibus, neque conceptibus formalibus conueniunt. Hæc enim non sunt vnum in multis, sed tantùm sunt vnum multa significans aut repræsentans. Neque sunt vnum aptum prædicari de multis, quia quidquid de aliquo prædicatur in recto (vt prædicantur vniuersalia de inferioribus) affirmatur esse idem cum illo. At nomina, vel conceptus formales, non sunt idem cum rebus significatis & repræsentatis, neque cum nominibus & conceptibus minùs communibus: ergo non sunt apta de illis prædicari. Denique nomina & conceptus formales possunt quidem esse vniuersale in significando aut repræsentando, quando multa per modum vnius significant aut repræsentant vniformiter: at non sunt vniuersalia in essendo & prædicando, qualia agnoscit & definit Aristoteles locis citatis.

14. Idem Philosophus lib. 1. de Interpret. cap. 5. initio sic habet: *Cùm autem rerum aliæ sint vniuersales, aliæ singulares; vniuersale dico quod de pluribus aptum est prædicari, quale est homo. Singulare autem, quod non, quale est Callias*. Et 1. Poster. cap. 2. ait, Ea quæ sunt maximè vniuersalia, esse à sensibus remotissima: propinquissima verò, singularia ipsa. Quod idem repetit 1. Metaphys. cap. 2. Hoc autem non potest intelligi de nominibus ipsis, quæ omnia sunt æquè sensibus exposita: neque de conceptibus nostris formalibus, qui sunt æquè omnes à sensibus remoti & spiritales. Idem lib. 3. Physic. cap. 3. dicit, actionem & passionem esse idem re, sed differre secundum rationem. Et in Categ. cap. 1. dicit vniuoca esse, quorum ratio nomine significata est eadem: sicut è contrario, Aequiuoca sunt, quorum ratio nomine significata est diuersa. Denique tam aperta est doctrina Aristotelis, vt Nominales quidam, eâ perspectâ, resipuerint, quemadmodum de Burlæo & Paulo Veneto referunt Conimbric. quæst. 1. in Præfationem Porphyrii art. 2. §. *Demum accedit*. Conimbr.

15. Eadem sententia repugnat D. Thomæ.

Secundò, Eadem opinio non minùs apertè repugnat Theologorum Principi D. Thomæ 1. parte quæst. 55. art. 3. ad 1. & 2. & quæst. 85. art. 3. ad 1. & 1. 2. q. 29. art. 6. in corpore, aliisque locis, vbi perspicuè admittit naturas vniuersales abstractas à singularibus. Et 1. parte quæst. 13. toto articulo 4. manifestè admittit distinctionem rationis per conceptus inadæquatos inter attributa diuina, & aliqua soluit argumenta Nominalium in contrarium, siue ab ipso inuenta, siue ab aliis iam ante proposita; atque in fine corporis, ita concludit: *Sicut diuersis perfectionibus creaturarum respondet* (in Deo) *vnum simplex principium repræsentatum per diuersas perfectiones creaturarum variè & multipliciter: ita variis & multiplicibus conceptibus intellectus nostri respondet vnum omnino simplex, secundum huiusmodi conceptiones imperfectè intellectum. Et ideo nomina Deo tributa, licet significent vnam rem; tamen quia significant eam sub rationibus multis, non sunt synonima*. Et ad 3. ait, Deum esse vnum re, & plures secundum rationem: quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter eum repræsentant. Nimirum quia, vt rectè exponit Molina, intellectus noster ea quæ sunt in Deo, ex his quæ sunt in rebus creatis concipit: vt sapientiam diuinam ex creata, iustitiam diuinam ex creata, & sic de reliquis. Quare sicut diuersæ perfectiones creaturarum sunt simpliciter & indiuisè in Deo tanquam in causa, nullaque earum adæquatè ac plenè imitatur perfectionem diuinam: Ita diuersi conceptus perfectionibus creaturarum proportionati, quos de Deo formamus, significant quidem in Deo vnam simplicissimam entitatem, in se simpliciter & indiuisè habentem rationes omnes formales perfectionum simpliciter quæ in rebus creatis sunt diuisæ: nullus tamen eorum eam adæquatè quoad perfectiones omnes, quas indiuisim habet, repræsentat. Ideóque licet illa in se indiuisim sit sapientia, iustitia, misericordia, & cætera huiusmodi perfectiones: conceptus tamen & nomen sapientiæ solùm illam significat, quia est sapientia, & non quia est iustitia, aut misericordia, nec secundum iustitiæ & misericordiæ rationem. Vnde fit, vt illa simplicissima entitas sit distincti conceptus obiectiui, conceptibus illis formalibus respondentes; ita scilicet vt distinctus conceptus obiectiuus sit Deus vt habet rationem sapientiæ, à seipso vt habet rationem iustitiæ vel misericordiæ: distinctus, inquam, non re, neque ratione formali à parte rei, quasi in Deo alia res, aut alia ratio formalis sit sapientia à iustitia, misericordia, aut quouis alio attributo: sed ratione solùm & denominatione extrinseca, propter diuersos conceptus formales, quos de Deo formamus inadæquatè concepto.

pugnat D. Thomæ. Quomodo & cur Deus sit multa per rationem.

Idem S. Doctor 1. parte quæst. 28. a. 2. in fine corporis asserit essentiam diuinam ratione distingui à relatione, prout, inquit, in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ. Et ad 2. *In Deo*, inquit, *non est alia res, sed vna & eadem, quæ non perfectè exprimitur* D.Thom.

relationis nomine, qui sub significatione talis nominis cõprehensa. Et ad 3. addit, Quòd si in diuina perfectione nihil plus contineretur, quàm quod significat nomen relatiuum, sequeretur quòd esse eius esset imperfectum, vtpote ad aliquid aliud se habens: sicut si non contineretur ibi plus quàm quod nomine sapientiæ significatur, non esset aliquid subsistens. Hæc D. Thomas.

16. Repugnat etiam SS. Patribus. Tertiò, Eadem opinio repugnat Sanctis Patribus, qui communi consensu essentiam diuinam à relationibus, seu proprietatibus personalibus, & attributa essentiæ diuinæ affirmant inter se ratione distingui: vt videre est apud Didacum Ruis disp. 12. de Trinit. sect. 3. vbi Basilii, Epiphanii, Iustini, Theodoreti, Gregorii Nysseni, Nazianzeni, Cyrilli, Chrysostomi, Ioannis Damasceni, Ambrosii, Hilarii, Augustini & aliorum Patrum luculenta testimonia refert. Basilij verba lib. 1. contra Eunomium hæc sunt: *Quæcumque repentina comprehensione simplicia videntur & vnica, varia verò ac multiplicia si subtilius exquirantur: hæc enim mente diuiduntur, opinione sola diuisa dicuntur.* Quod paulò post Deo applicans addit: *Incorruptibilem ac ingenitum Deum dicimus, diuerso mentis obiectu* (id est, diuerso conceptu obiectiuo) *his nominibus appellantes.* Et lib. 5. contra eundem Eunomiũ sub initium: *Quæcumque,* ait, *Patri vt Deo, non vt Patri insunt, & quæcumque Filio vt Deo non vt filio insunt, ea etiam Spiritui insunt.* Vbi nota Basilium loqui de attributis essentiæ diuinæ vt de multis: vbi autem est multitudo, est distinctio. Similia sunt quæ ex aliis Patribus refert Didacus Ruis, quibus addo illud ab eo prætermissum, ex Anselmo lib. de Incarnat. Verbi cap. 2. *Cautissimè,* inquit, *ad Sacræ paginæ quæstiones accedant, sunt monendi illi vtique nostri temporis Dialectici, imò & Dialecticæ hæretici, qui quidem non nisi flatum vocis putant esse substantias vniuersales.* Et inferiùs. *Qui enim nondum intelligit quomodo plures homines in specie sint vnus homo; qualiter in illa secretissima & altissima Natura comprehendet, quomodo plures personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sint vnus Deus?* Hæc Ansel. Notat etiam Did. Ruis disp. 12. de Trinit. se. 1. Nominales habere pro ducibus Arianos & Eunomianos, qui acriter impugnabant distinctionem rationis, eò quòd viderent illam Catholicis esse necessariam ad explicandum & defendendum mysterium Trinitatis.

Ruis.

Basilius.

Anselmus.

17. Non ignoro aliqua in contrarium proferri à nouis Nominalibus ex Aristot. D. Thoma & aliquibus Patribus: sed ea tam leuia sunt, vt mirum sit viros doctos & subtiles, eorum leuitatem non videre. Vnicum est eiusdẽ Anselmi in Proslogio cap. 18. quod habet aliquam speciem difficultatis: Deo enim sic loquitur. *Tu es ipsa vnitas, nullo intellectu diuisibilis. Ergo vita, & sapientia, & reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt vnum.* Addi potest definitio Concilii Rhemensis sub Eugenio III. *In Theologia inter essentiam & personam ratio non distinguat.* Sed Respondeo, Concilium loqui de distinctione à parte rei, iuxta mentem Gilberti Porretani, ibi damnati: vt rectè ostendit Vasques 1. par. disp. 120. c. 1. & 2. & nos fusiùs alibi diximus. Anselmi verò sensus est, nullum esse intellectum, quantumuis subtilem & perspicacem, qui possit in naturæ diuinæ vnitate, & simplicitate, distinctionem vllam intrinsecam, & realem deprehendere: ac vitam, sapientiam, & reliqua non esse partes realiter: sed non negat posse ratione distingui. imò disertè id affirmat ibidem, cùm ait paulò ante verba relata: *Certè vita es, sapientia es, veritas es, bonitas es, beatitudo es, æternitas es, & omne verum bonum es. Multa sunt hæc: non potest angustus intellectus meus totum vno simul intuitu videre, vt omnibus delectetur.* Vide tom 1 disp. 3 sect. 7. n. 47.

Quartò, Eadem sententia repugnat Scripturæ, & Conciliis: vt Florentino sess. 18. & 19. vbi sæpius asseritur, relationes sola relatione distingui ab essentia diuina. Quod licet non sit definitio Ecclesiæ, quia non dicitur in definitionibus Concilii, sed in disputatione circa processionem Spiritus sancti, habita inter Ioannem Theologum agentem partes Latinorum, & Marcum agentem partes Græcorum: Magnę tamen debet esse authoritatis, quia Concilium annuere videtur, & approbare hanc illius assertionem, de qua nulla fuit contentio, sed vnanimis consensus inter Græcos & Latinos, vt rectè notat Molina in 1. partem disp. 2. ad art. 2. quæst. 28. Imò Concilium illam speciatim & disertè approbat sess. vlt. in Confessione fidei missa à Latinis ad Græcos: cùm sic ait, *Ne substantiam re; non autem sola ratione, ab hypostasibus, & personis differre, credere videamur &c.* Videri possunt quę diximus supra disp. 5. sect. 4. num. 36. vbi alia duo illustria testimonia Conciliorum addidimus, & expendimus. Vnum ex Tolet. VI. & XI. affirmantibus *Solum Filium assumpsisse humanitatem in eo quod proprium est Filii, non quod est commune Trinitati.* Alterum ex VI. Synodo generali act. 8. sub finem, vbi dicit Patrem & Spiritum sanctum nihil in incarnatione habere commune nisi benignissimam voluntatem. Quibus verbis manifestè asseritur aliqua distinctio inter essentiam communem, & proprietatem Filii: diciturque aliquid esse in Filio commune, secundum quod non vnitur humanitati: & aliquid proprium, secundum quod vnitur. Quod ampliùs idem Concilium affirmat act. XI. in epistola Sophronii, quæ approbatur act. 13. asserens, tres personas diuinas esse vnum, & idem realiter, secundum quod Deus sunt, id est, secundum Deitatem: *Dum secrsim consideratur, ipsâ intelligentiâ, quod non separabile separante:* id est, cùm distinguitur per mentem id quod in re distinctum non est, Deitas scilicet à proprietatibus personalibus. 18. Repugnat etiam Conciliis.

19. Repugnat etiam scripturis. Christus quoque Ioan. 16. v. 15. de attributis diuinis, sibi vt Verbo communicatis tanquam de multis loquitur, (vbi autem est multitudo, est distinctio) cùm sic ait: *Om-*

nia quæcunque habet Pater, mea sunt. Quòd enim Christus de essentia diuina, eiusque attributis ibi loquatur, docent Sancti Patres, & interpretes; ac series contextus id exigit. Nam, vt rectè ait Cardinalis Tolet. ibidem, Christus his verbis respondet tacitę obiectioni. Nimirum cùm Spiritus sanctus à Patre procedat (vt ipse paulò ante affirmauerat) & ab illo accipiat quidquid habet: quo modo verè ipse dicat, *De meo accipiet?* Respondet, inquam, quia eadem est essentia Patris, & mea; omnia quæ Patris sunt, mea etiam sunt. Nec excludo Patrem, quando meum hoc esse dico: sed vnam vtriusque substantiam, & essentiam ostendo. *Omnia*, inquit, *quæcunque habet Pater mea sunt: propterea dixi, Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Sed, quod amplius est, & omni exceptione maius, hanc expositionem apertè tradit Concilium Florent. sess. vlt. in literis vnionis, id est, in decreto fidei, vbi sic definit: *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo dedit gignendo, præter esse Patrem.*

Paulus quoque Roman. 11. vers. 33. de Dei attributis, tanquam de multis loquitur, cùm sic ait: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Et Isai. 55. vers. 8. & 9. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Et Psal. 102. vers. 7. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israël voluntates suas.* Et Psal. 144. vers. 9. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Et Prou. 16. vers. 11. *Pondus, & statera iudicia Domini sunt.* Ex quibus, & infinitis aliis similibus Scripturæ locis perspicuè intelligitur Spiritum sanctum, & scriptores Canonicos ab ipso inspiratos, longè abfuisse à sententia Nominalium, qui hos loquendi modos tantopere refugiunt, & tam seuerè damnant. Patet insuper eosdem Nominales, quando existimant se solos rectè hac in parte, cæteros autem peruersè sentire, & loqui; non solum Aristotelem, D. Thomam, & totam fere scholam Philosophorum, & Theologorum ita loquentem, sententemque damnare: sed & Concilia, & sanctos Patres, & Scripturam ipsam diuinam: quod certè, ne quid grauius dicam, minùs decere mihi videtur Christianum Philosophum.

20. *Repugnat denique rationi.*

Quintò denique eadem opinio repugnat rationi. Nam vt fusiùs alibi diximus, necessarium est distingui saltem virtualiter, & ratione cum fundamento in re, ea de quibus verificantur duo contradictoria: cùm euidenter impossibile sit idem de eodem & secundum penitus idem verè affirmari, & negari. Atqui de natura diuina v. g. & de proprietatibus personalibus, deq; ipsis attributis essentialibus verificantur duo contradictoria. Verum enim est, & de fide, quòd Pater seu paternitas generet, essentia non generet: voluntas spiret, intellectus non spiret, sed generet. Ergo necessarium est essentiam diuinam distingui saltem ratione à paternitate, & intellectum à voluntate. Deinde, nisi essentia, & proprietates diuinæ distinguerentur, ratione saltem, & virtualiter: itemque intellectus, & voluntas diuina, non possent distingui principia formalia diuinarum processionum, siue origines actiuæ Filii & Spiritus sancti: ita vt ille verè dicatur generari per intellectum, non per voluntatem: iste spirari per voluntatem, & non per intellectum. Nam quæ nullo modo differunt, ac ne ratione quidem, sunt penitus idem. Ergo si intellectus, qui est principium generationis, nullo modo differt, ne ratione quidem, à voluntate, quæ est principium spirationis, est penitus idem cum illa. Ergo non est diuersum ab illa principium, sed idem penitus re & ratione. Sequeretur præterea personas diuinas non distingui realiter inter se. Quia non distinguuntur per essentiam, vt fide diuina certum est. Neque etiam per proprietates personales, si illæ sunt penitus idem cum essentia re, & ratione: & si in Deo nihil est aliud re, & ratione, quàm ipsa essentia: nihil autem est aliud, si nihil est in Deo, ratione distinctum ab illa. Vbi enim non est aliud re & ratione, quàm essentia; non est, per quod distinguantur personæ, quæ non distinguuntur per essentiam. Sequeretur etiam Filium, & Spiritum sanctum non produci verè, & realiter. Quia de fide est non produci essentiam. Ergo si in illis nihil aliud est, quàm essentia, ne ratione quidem, & virtualiter ab illa distinctum, nihil est, quod verè, & realiter producatur. Quæ argumenta, quia fusiùs alibi prosecuti sumus, sufficit hoc loco ea breuiter indicasse. *Tomo 1. disp. 3. sect. 6. n. 36. & seq.*

21. *Refellitur effugium.*

Addo dumtaxat nihil aduersarios contra eorum vim iuuare exemplum, quo recentiores quidam vtuntur, ceræ videlicet vnius, & eiusdem, tribus in locis simul constitutæ sub diuersis figuris triangulari, quadrata, & orbiculari. Quo in casu, inquiunt, cera illa vna numero, & realiter eadem, esset tres figuræ realiter distinctæ, quæ tamen figuræ nec re, nec ratione à cera distinguuntur. Nihil, inquam, id iuuat. Est enim pariter impossibile tres illas figuras eiusdem ceræ realiter distingui inter se, si neque virtualiter, neque ratione distinguuntur à cera. Vel enim cera distinguitur realiter à seipsa per seipsam, quod euidenter implicat: vel figuræ, per quas distinguitur, non sunt sola ipsa cera, sed aliquid aliquo modo ab ea distinctum. Et quidem patet euidenter ceram posse totam esse & concipi sine illis figuris: quamuis figuræ illæ nec esse possint, nec concipi sine cera saltem confusè concepta: quare distinguuntur ratione saltem, præcisione non mutua. Argumenta verò quibus contendunt aduersarii nulla ratione distingui, tantùm probant, figuram non esse formam re aut ratione distinctam & mutuò præcisam. Et absurdum est, existimare figuras illas eiusdem ceræ distingui realiter inter se, posito quòd

non differant realiter ab ipsa. Hoc enim est contra sensum omnium antiquorum, & totius Ecclesiæ inducere mysterium Trinitatis in res quaslibet creatas, etiam vilissimas, quoad id quod in ipso singulare, difficillimum, ineffabile, & summe mirabile omnibus visum est, nempe quoad vnitatem realem eiusdem cum tribus realiter distinctis inter se, & tamen indistinctis realiter ab illo. Deinde si simplices modi se habendi realiter indistincti ponunt nihilominus realem distinctionem, neque plus distinguuntur personæ diuinæ, quàm res eadem diuersimode modificata per modos indistinctos: sequitur primò, Christum tribus in hostiis positum distingui realiter, & tam distingui, quàm tres personas diuinas. Habet enim tres modos intrinsecos præsentiæ, diuersis actionibus acquisitos, tribus nempe transsubstantiationibus. Præsertim verò si hostiæ sint diuersæ figuræ, & consequenter Christus diuerso modo illis accommodetur, vt vnicuique intimè & adæquatè præsens sit. At hoc nullus Catholicorum asserit, neque sine absurditate dici potest.

22. Altera ratio contra Nominal. Sequitur secundò, Deum volentem mundum creare, & nolentem mundum creare: vel Deum amantem Petrum quando est in gratia, & odio habentem quando est in peccato mortali (quos actus aliqui eorum quos impugnamus, affirmant esse temporaneos in Deo, & vnum alteri succedere) sequitur, inquam, Deum ita se habentem distingui realiter, ita vt illi modi intrinseci se habendi ponant in Deo distinctionem realem: quod omnino dici nequit. Sic enim in Deo non tantum esset trinitas, sed & quaternitas, & innumerabilis multitudo realis, contra Concilium Lateranense cap. *Damnamus*. Et quidem argumenta quibus probant figuras illas distingui realiter, idem probant de huiusmodi actibus diuinis, seu modis se habendi. Nempe quòd illæ figuræ sint incompossibiles in eodem simul & semel: nam cera eadem eodem in loco non potest esse simul rotunda & quadrata; quódque sint principium diuersarum actionum: quia si est rotunda, est proximè apta vt celeriter circumvoluatur; quod non habet vt quadrata. Hæc, inquam, idem de Deo probant. Nam similiter illi actus non possunt Deo conuenire simul, in opinione aduersariorum: & sunt principium diuersarum actionum: Nam Deus vt amans Petrum, quando est in gratia, vult illi dare vitam æternam, & reipsa dabit vi illius actus, si moriatur in gratia: secus autem vt odio habens existentem in peccato mortali. Quod item aiunt ad idem probandum, Quoties ita multiplicantur modi se habendi intrinseci, vt nihil sit aut esse possit, quod seipso simpliciter possit esse quilibet illorum modorum, toties est realis oppositio inter illos modos: At ita se habent tres figuræ eiusdem ceræ: ergo &c. Hoc, inquam, Deo æquè applicari potest. Nam Deus seipso simpliciter non magis est efficax volitio mundum creandi, & nolitio efficax eiusdem; quàm cera sit seipsa simpliciter, aut possit esse seipsa simpliciter tres illæ figuræ. Intelligunt autem per esse simpliciter, esse secundum essentiam purè sumptã, & non vt aliqualiter se habentem, aliter quàm sit ei essentiale se habere. Argumentũ verò quod vlterius sumunt à sensu discernente huiusmodi figuras, inefficax est. Nam sensus quoque discernit durationem rei sensibilis à prima existentia, id est, cognoscit rem durare, si durat. Et tamen duratio non distinguitur realiter à re durante, & à prima eius existentia, vt rectè censent ipsimet aduersarii. Quare fatendum est, differentias etiam virtuales rerum sensibilium posse sensibus discerni. Verùm de hoc effugio, aliisque similibus excogitatis circa mysterium Trinitatis ad tuendas & promouendas opiniones Nominalium diximus fusiùs suo loco: vbi etiam ostendimus hæc argumenta, si quid valerent, æque probare modos distingui realiter à re modificata; quod tamen negant aduersarii. Vide tom 1 disp. 25. sect. 8.

23. Distinctio rationis quid requirat? His duabus rationibus theologicis adiungi possunt aliæ philosophicæ. Tertiò enim ad distinctionem rationis ratiocinatæ sufficit ex parte obiecti amplitudo quædam virtualis, & æquiualentia ad multa, propter quam possit concipi diuersis conceptibus inadæquatè, & imperfectè illam exprimentibus: à quibus conceptibus res ipsa denominetur ratione, seu conceptu distincta. Est autem euidens dari talem amplitudinem in Deo, & in pluribus aliis rebus, licet à parte rei simplicibus, & indistinctis. Neque minùs euidens est, posse huiusmodi res inadæquatè concipi à nobis, ita vt aliquas earum perfectiones exprimamus, de aliis verò vt talibus non cogitemus, neque minùs eas ignoremus, quàm si non essent. Nam philosophi Ethnici, qui naturali lumine cognoscebant ex creaturis Deum esse, non cognoscebant esse trinum in personis, quod nonnisi per reuelationem cognosci potest. *Nemo enim nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Matth. 11. v. 27. Neque etiam cognoscebant secreta Dei consilia, quæ, vt ait Paulus, sunt hominibus inscrutabilia: *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Rom. 11. v. 34. Ipsi etiam Beati, qui Deum clarè vident, non illum vident adæquatè quantus est, neque cognoscunt comprehẽsiuè, & quantum cognoscibilis est: soli enim sibi notus est quantus est, vt rectè ait Minutius Fœlix in Octauio: Et est de fide, aut fidei proximũ, Deum esse cuiuis alteri incomprehensibilem, præterquam sibi ipsi, vt alibi ostendimus, tom. 1. disp. 8. sect. 7. n. 58.

24. Et in quo consistat, seu quomodo fiat? Præterea, ad præcisionem, & distinctionem rationis ratiocinatæ sufficit cognoscere imperfectè, & inadæquatè rem aliquam: ita vt quædam illius attributa perinde ignorentur à cognoscente, ac si non essent reipsa. Euidens autem est res multas sic à nobis cognosci. Ergo euidens est dari præcisionem, &

distinctionem rationis ratiocinatæ. Maior patet ex ipsa definitione præcisionis, & distinctionis rationis. Nam præscindere, & distinguere ratione, nihil est aliud, quàm secernere cognitione ea, quæ sunt indistincta à parte rei. Fit autem illa secretio hoc ipso quòd cognoscimus rem, secundum aliquam illius perfectionem, non cognitâ aliâ quamuis realiter indistinctâ. Minor autem probatur inductione. Nam Ethnicus Deum cognoscens lumine naturali, non minùs ignorat trinitatem personarum, & relationes, seu proprietates notionales, realiter licet indistinctas ab essentia diuina, quàm si reipsa non essent. Quare vt tales non sunt obiectũ cognitionis respectu illius: sed tantùm identicè, quatenus cognoscit aliquid, quod à parte rei est idem cum illis, nimirum deitatem, seu diuinam essentiam, quam penitus ignorat esse tripliciter subsistentem, neque id potest sine lumine reuelationis cognoscere: iuxta illud Christi Matth. 11. vers. 27. *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Item Philosophus Ethnicus de Deo cogitans, non minus ignorat aliqua eius cõsilia libera, præsertim circa prædestinationem, & alia mysteria supernaturalia, quàm si reipsa non essent. Ergo præscindit per mẽtem Deum, de quo cogitat, ab huiusmodi actibus eius liberis, licet reipsa indistinctis, quos Deum habere penitùs ignorat, quique non magis sunt obiectum cognitionis illius, quàm si Deus reipsa nihil tale deliberasset.

Item, licet inhæsio accidentium non distinguatur ab illis in re, vt alibi ostendimus: non tamen de illa cogitatur necessariò, quotiescunque cogitatur de illorum entitate. Imo neque sensibus percipitur, sed perinde ab illis ignoratur, ac si reipsa non inhærerent. Qui enim v. g. videt species consecratas, non aliter eas videt post consecrationem, quàm ante: neque possumus visu discernere species consecratas, à non consecratis. Sicut autem illa sensuum præcisio prouenit ex ipsorum imperfectione: sic intellectus nostri limitatio facit vt multa inadæquatè, & imperfectè concipiamus, non penetrando vno & simplici mentis intuitu quidquid res est, quantaue sit eius perfectio. Idque eò magis, quòd rerum plurimarum essentiam non cognoscimus, nisi ex earum effectibus, qui sensim, & successiuè à nobis cognoscuntur, causæque suæ perfectionem, & amplitudinem virtualem sensim & successiuè nobis detegunt.

25. Rursus illa quibus per se primò, id est, conuertibiliter cõueniunt diuersæ proprietates, differũt saltem ratione: alioqui cur non omnes eidem, æquè primò conuenirent. Atqui attributis eiusdem rei conueniunt per se primò diuersæ proprietates. Nam attributo entis conuenit per se primò esse vnum, verum, bonum: attributo substantiæ, esse aptum per se subsistere: attributo corporis, esse naturaliter impenetrabile: attributo animalis, esse sensitiuum: attributo rationalis, esse risibile. Similiter, quod prædicatur de aliquo in primo modo dicendi per se, id est, tanquam aliquid ingrediens ipsius definitionem & conceptum essentialem, distinguitur saltem ratione ab eo, quod non potest ita prædicari: quia non est de tali conceptu obiectiuo, vt sic, alioqui per se primò prædicaretur. Atqui attributa quædam eiusdem rei indistincta realiter, prædicantur de illa in primo modo dicendi per se: alia non. Ex. gr. de homine prædicatur per se primò, quòd sit rationalis, non quòd sit mobilis, aut risibilis: de Deo dicitur per se primò, quòd sit intelligens, volens, omnipotens; non quòd sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: de anima vt rationali, dicitur quòd sit principium intelligendi, & volendi; non autem, vt præcisè est sensitiua, aut vegetatiua: & de eadem vt intellectiua affirmatur, quòd sit principium intelligendi, non autem quòd sit principium volendi, quod non est de conceptu essentiali intellectiui vt sic: cùm vel in Deo ipso debeant necessariò distingui ratione, vt sint principia diuersa processionum Filij, & Spiritus sancti, veréque dici possit Filium generari per intellectum, non per voluntatem, vt paulò ante diximus.

Vlterius, visio quæ simul est albi & nigri, minùs est similis visioni albi solius, quàm duæ albi visiones sunt similes inter se: & quàm esset ipsamet, si esset visio albi tantũ. Ergo est similis inæqualiter. Vbi autem est minus & inæquale, est distinctio, & quãtitas aliqua, saltem virtualis. Ergo visio illa, quæ simul est albi & nigri, habet quantitatem aliquam saltem virtualem: & quidem manifestum est illam visionem esse duplicem virtualiter, & æquiualere duabus, quarum vna sit albi solius, altera nigri solius. Hoc posito, nihil prohibet illam visionem concipi vt est albi solius, non cogitando de illa prout est etiam visio nigri. Ergo potest cognosci præcisè & inadæquatè. Sic etiam potest diuina intellectio cognosci vt est aliquorum obiectorum: Et nullus Beatorum est qui adæquatè illam cognoscat: cùm non possit cognosci adæquatè nisi actu infinito terminato distinctè ad obiecta infinita. Sic peccatum commissum in duplici specie, putà furti, & sacrilegij, cùm aliquis rem sacram furatus est: potest cognosci & explicari vt furtum, non vt sacrilegium. Neque sufficit in confessione explicari vt furtum: sed si quis circumstantiam sacrilegij per obliuionem omisisset, teneretur postea eam confiteri, & dicere se in peccato aliquo ante confesso omisisse confiteri circũstantiam sacrilegii. Non tamen iterum confiteri tenetur peccatum furti, vt furtum est. Quod apertè ostendit posse hęc conceptu distingui. 26. Confirmat. variis exemplis.

Denique, Attributa diuersa eiusdem rei differunt definitione: & superiora in serie categorica, sunt quidem de conceptu perfecto & definitiuo inferiorum: at non inferiora, de conceptu superiorum. Ex. gr. alia 27.

Attributa eiusdem rei differũt ratione.

Attributa inferiora non sunt de conceptu superiorum.

est definitio substantiæ vt sic, alia corporis aut animalis. Et substantia quidem est de definitione corporis & animalis; at non corpus, neque animal est de definitione substantiæ, vt sic. Ergo hæc differunt conceptu, non formali tantùm, sed etiam obiectiuo significato per conceptum formalem: aliud enim mihi obiicio, & plus cognosco, quando hominem cognosco vt est corpus aut animal, quàm prout est substantia. Confirmatur, quia illa quorum vnum non est de conceptu alterius prout obiicitur & expressè cognoscitur, distinguuntur conceptu, tum formali, tum etiam obiectiuo. Atqui attributa diuersa eiusdem rei ita se habent: ergo, &c. Maior est clara: nam quod non obiicitur, differt obiectiuè, id est, in ratione obiecti, ab eo quod obiicitur: cùm istud sit obiectum, illud non. At id quod non est de conceptu eius quod obiicitur, prout obiicitur, non obiicitur: ergo, &c. Minor verò patet exemplis manifestis. Rationale enim non est de conceptu animalis, prout obiicitur & cognoscitur tantùm quà animal est: Nec animal est de conceptu corporis: nec corpus de conceptu substantiæ: nec substantia de conceptu entis: nec iustitia de conceptu misericordiæ in Deo; nec Paternitas de conceptu essentiæ. Sed hæc omnia sunt nouum obiectum respectu intellectus, non cognitum priore conceptu, neque ingrediens in prioris obiecti definitionem intrinsecam & absolutam.

SECTIO III.

Respondetur argumentis Nominalium.

28. SVfficiunt quæ hucusque diximus ad veritatis adeo manifestæ confirmationem. Superest vt respondeamus argumentis præcipuis, quibus tum veteres, tum recentes Nominales eam labefactare conati sunt.

Primùm igitur Gabriel in lib. 1. Sentent. dist. 2. quæst. 1. a. 1. Maior dist. 8. quæst. 1. Gregor. dist. eadem quæst. 2. a. 1. & alii veteres Nominales negantes attributa diuina, & alia huiusmodi distingui ratione, hoc præcipuè argumentum opponunt: Obiectum quod in seipso à parte rei est indiuisum, non potest per aliquid extrinsecum distingui. Intellectio autem nostra est extrinseca obiecto: ergo per illam obiectum non potest distingui. Minor est euidens. Maior probatur. Quia per illud idem res distinguitur formaliter, & intrinsecè, per quod est aut constituitur formaliter in suo esse intrinseco. Quod enim facit ens, facit vnum, id est, indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: & per id, quo res est id quod est, non est quidlibet aliud, adeóque distinguitur à quolibet alio.

Respondeo cum Vasque disput. 117. in 1. part. cap. 1. in fine, hoc argumentum friuolum esse: nam quamuis in se, & intrinsecè nihil reipsa diuidi, & distingui possit formaliter per aliquid extrinsecum, vt bene probat argumentum propositum in confirmationem maioris: rectè tamen per extrinsecum aliquid potest denominari diuisum, & distinctum: multa enim talia appellantur ab aliquo extrinseco. Distinctio autem rationis non tribuitur rebus, tanquam ipsis intrinseca, sed per extrinsecam denominationem à ratione, seu conceptu distinguente, id est, inadæquatè concipiente. Cuius distinctionis fundamentum quidem est in re ipsa, quatenus capax est concipi distinctis, & inadæquatis conceptibus, ob virtualem suam amplitudinem: ideoque dicitur distinctio rationis esse fundamentaliter, seu virtualiter in reipsa: formaliter tamen in solo intellectu est.

Secundò, Hurtadus, qui primus ex recentioribus scriptoribus mihi notis Nominalismum in situ & puluere cum suis authoribus & libris gothicis sepultum suscitare conatus est, disput. 5. Metaphys. sect. 10. num. 116. & sequentibus primæ editionis, aliqua obiicit, quibus tantùm probat cognitionem vniuersalem terminari immediatè ad omnia singularia contenta intra speciem vel genus, vt sunt similia in aliqua ratione, propter quam similitudinem omnia cognoscuntur confusè tantùm per modum vnius: neque ex parte obiecti respondere formalitatem aliquam obiectiuam distinctam ratione à singularibus, vt similibus. Quod verum quidem est, sed nobis non obest, neque ostendit rationem illam obiectiuam omnium vt similium, & per modum vnius conceptorum, non præscindi, neque distingui ratione ab iisdem singularibus conceptis vt dissimilibus, & secundum propriam cuiusque differentiam priore conceptu non expressam. Disputatione verò sexta sect. 4. hanc præcisionem & distinctionem rationis impugnans, obiicit primò, num. 46. distinctionem rationis esse formaliter in intellectu, & non in obiecto. Ergo obiectum esse ratione distinctum, non est formaliter in obiecto, sed in intellectu. Ergo distinctio conceptuum non se tenet ex parte obiecti. Vbi enim non est ratio per quam aliquid sit formaliter distinctum, non potest aliquid esse distinctum: quia distinctum est tale formaliter à distinctione, sicut album ab albedine; & vbi non est albedo non potest esse formaliter album. 29. Hurtad.

Respondeo, Distinctionem rationis non esse formaliter & intrinsecè in obiecto, neque se tenere ex parte obiecti formaliter & extrinsecè: sed dumtaxat obiectum denominari distinctum ratione, per extrinsecam denominationem ab actibus intellectus formaliter distinguentibus: qui actus sunt ipsa distinctio formalis denominans obiectum distinctum: sicut cognitio, quæ est formaliter in intellectu, denominat ob- 30.

Distinctio rationis est formaliter in intellectu, & denominatiuè tribuitur obiecto.

iectum cognitum denominatione extrinseca.

31. Sed instat Hurtadus, hinc sequi distinctionem illam non attingere duas formalitates sibi respondentes ex parte obiecti, prout obiectum condistinguitur adæquatè à cognitione. Quia obiectum, vt distinguitur adæquatè a cognitione, non habet plures formalitates. Ergo cognitio vt adæquatè distincta ab obiecto non attingit plures formalitates. Implicat enim attingi per cognitionem obiecti ea, quæ non sunt in obiecto. Probat antecedens: quia sine pluralitate formalitatum non possunt esse plures formalitates: nam in ratione plurium constituuntur per pluralitatem. Sed in obiecto, vt adæquatè distincto à cognitione, non est pluralitas formalitatum: quia ipsæ cognitiones sunt plures formalitates & distinctiones. Cognitiones autem non sunt in obiecto, vt adæquatè distincto à cognitionibus ipsis: ergo pluralitas formalitatum non est in obiecto, vt distinguitur à cognitione. Ex his itaque sic argumentor: Vbi non est distinctio rationis, non est pluralitas formalitatum. Atqui distinctio rationis non est in obiecto, sed in intellectu, quia est actus distinguens: ergo pluralitas non est in obiecto, sed in intellectu: neque in obiecto sunt plures formalitates, quæ esse non possunt sine pluralitate.

32. Quomodo attingat duas formalitates. Respondeo, Distinctionem intellectus non attingere duas formalitates ex parte obiecti, quæ sint duæ à parte rei in obiecto spectato absolutè, & sine ordine ad cognitionem: sed quæ sint duæ, seu potiùs duæ dicantur, per extrinsecam denominationem ab actibus intellectus difformibus, & inadæquatè concipientibus, ac velut in duo diuidentibus secundum modum concipiendi & exprimendi id, quod in re vnum & idem est. Quo sensu intellectum seu cognitionem attingere duas formalitates in obiecto, non est aliud, quàm attingere obiectum conceptibus diuersis & inadæquatis. Ad quod non est necesse pluralitatem formalitatum esse intrinsecè in obiecto, & præsupponi cognitioni, aut conuenire obiecto per se formaliter sine ordine ad cognitionem: sed sufficit, obiectum esse tale, vt possit fundare & terminare diuersos conceptus difformes & inadæquatos, quibus diuersimodè & inadæquatè exprimatur: quos dum terminat, dicitur distingui ratione seu conceptu, per extrinsecam denominationem ab huiusmodi conceptibus. Neque propterea necesse est cognosci illam denominationem, aut obiectum cognosci formaliter & expressè vt distinctum: Quemadmodum ad hoc vt res cognita denominetur à cognitione, non est necesse cognosci illam denominationem, aut cognitionem, terminari ad rem vt cognitam, cognoscendo non modò rem, sed & ipsam cognitionem. Hoc enim ipso quòd res cognoscitur, habet sufficienter vnde cognita denominetur: & eo ipso quòd distinctis conceptibus inadæquatis attingitur, habet vnde denominetur ratione distincta.

Ad vltimum argumentum Respondeo, Distinctionem rationis esse virtualiter seu fundamentaliter in obiecto, modo supra explicato; formaliter verò esse in intellectu, & tribui obiecto per extrinsecam denominationem. Idemque dico de pluralitate formalitatum, quæ non sunt in obiecto plures nisi virtualiter, formaliter verò & actu plures denominantur per extrinsecam denominationem à cognitionibus inadæquatè exprimentibus. Nihilque aliud est in sententia nostra, obiectum distingui in plures formalitates obiectiuas, quàm, obiectum vnum & idem re, inadæquatè ab intellectu exprimi. Et totum quidem id quod concipitur est realiter in obiecto, siue est vnum & idem obiectum à parte rei: pluralitas verò seu distinctio non est formaliter in obiecto, sed tribuitur illi per extrinsecam denominationem, quatenus respondet pluribus & diuersis conceptibus inadæquatè rem eandem exprimentibus.

Obiicit secundò num. 49. Antequam cognoscatur animal, exempli gratiâ, non habet ex parte sui aliquid per quod formaliter sit aliud à rationali. Ergo cognitio de animali, non attingit illud, quasi aliud à rationali: & consequenter non cognoscit animal sine rationali. Probat consequentiam: quia non potest cognosci animal ex parte sui quasi aliud formaliter à rationali, nisi ex parte animalis sit aliud à rationali, & habeat per quod sit aliud: sicut non potest cognosci vt album, nisi habeat albedinem. Respondeo, admisso antecedente, distinguo consequens. Non attingit animal quasi aliud à rationali intrinsecè & in reipsa: concedo. Non attingit, id est, non exprimit, id quod in reipsa est animal rationale, prout est animal, & non prout est rationale, & consequenter non cognoscit animal non expresso seu non cognito rationali, vt sic: Nego. Ad probationem consequentiæ Respondeo, Animal non cognosci quasi aliud intrinsecè & formaliter à rationali, sicut album cognoscitur vt formaliter & intrinsecè album: sed id quod à parte rei est animal rationale, cognosci & exprimi vt animal, & non cognosci & exprimi vt rationale; atque ita distingui cognitione, & dici distinctum, per extrinsecam denominationem. Cuius distinctionis fundamentum est virtualis amplitudo obiecti capacis terminare diuersas cognitiones inadæquatè expressiuas essentiæ ipsius rei. Quod fundamentum malè impugnat Hurtadus cùm addit: Vbi non est aliud & aliud ex parte obiecti, non posse fundari cognitionem vnius sine alio, quia obiectum non 33.

non fundat cognitionem eorum quæ non sunt in ipso. Respondeo enim sufficere vt sit aliud & aliud virtualiter ex parte obiecti, id est, sit obiectum capax ratione suæ amplitudinis virtualis terminare conceptus diuersos inadæquatè expressiuos. Et quemadmodum in diuinis sufficit hæc virtualis amplitudo, & distinctio virtualis ex parte rei, vt possit essentia communicari sine paternitate, & vt filius generetur per intellectum, non per voluntatem; seu per essentiam diuinam, quà intellectiua est, non quà volitiua: sic & c. Cui argum. Non. in. satisfacere non possunt.

34. Opponit tertiò Hurtadus n. 53. Cognitio de animali, v. gr. per se non terminatur nec immediatè, nec formaliter ad rationale. Ergo distinguuntur à parte rei animal & rationale. Probat consequentiam: tum quia à parte rei conuenit vni aliquod prædicatum, quod à parte rei non conuenit alteri; quod in creaturis est magnum signum distinctionis: tum etiam quia cognitio se tenens in intellectu, non attingit formaliter rationale, & attingit formaliter animal. Ergo non solùm est diuersitas in cognitione ipsa, sed etiam in obiecto cognito: quia non solùm cognitio est in se distincta, sed etiam illi respondet obiectum distinctum. Respondeo, Cognitionem de animali terminari immediatè ad rationale identicè, sed non terminari ad rationale formaliter, id est, exprimendo illud prout est rationale: quia non concipitur res expressè quà rationalis est, quamuis sit rationalis realiter & intrinsecè. Ad probationem consequentiæ dico, Prædicatum quod conuenit vni, conuenire à parte rei alteri identicè: & cognitionem quæ attingit formaliter & expressè animal vt sic, attingere rationale identicè, quamuis illud non exprimat prout rationale est. Vnde non sequitur esse formalem seu actualem diuersitatem in obiecto ipso per se spectato, vel sine ordine ad diuersas cognitiones: sed vnum & idem exprimi diuersimodè, & denominari distinctum extrinsecè à diuersis cognitionibus, quatenus illis subest, & ab illis quodammodo diuiditur, seu diuisim attingitur per expressiones inadæquatas: quando vno conceptu exprimitur vt animal, altero vt rationale: vnde ab vno extrinsecè denominatur cognitum & expressum vt animal est, & non expressum prout est rationale.

35. Instat Hurtadus: Animali non potest conuenire aliquod prædicatum intrinsecum vllo modo, quin idem conueniat rationali. Ergo nec extrinsecum. Quia sicut intrinseco prædicato non potest subiici per partes, ita neque extrinseco: propterea quòd comparatione vtriusque est indiuisibile. Respondeo, Animali illi quod à parte rei est rationale, id est, homini, nihil conuenire, quod non conueniat rationali identicè: posse tamen hominem, & rem aliam quamlibet virtualiter multiplicem, multipliciter concipi, & secundum diuersas rationes, & quasi partes virtuales, pati diuersas denominationes, & intrinsecas, & extrinsecas, diuersaque prædicata quæ affirmentur de conceptibus obiectiuis, aut virtualiter diuersis per se, aut formaliter & actu per extrinsecam denominationem à conceptibus distinguentibus. Sic enim, verbi gratia, substantia diuina, quà essentia est, nec generat, nec generatur: quà paternitas est, generat: quà filiatio, generatur: quà essentia est, cōmunicatur tota, quà paternitas non communicatur. Sic etiam homo, quà animal est, sentit: quà rationalis, discurrit & intelligit.

36. Malè autem supponit Hurtadus num. 36. & alibi sæpiùs, ex parte obiecti esse tantùm diuersa connotata, vel diuersos effectus in quibus fundetur distinctio rationis: verbi gratia, hominem concipi vt animal, quando cōcipitur cum operatione sentiendi: vt rationale verò, quādo cōcipitur cum operatione discurrēdi: & per illas tantū operationes distingui ratione, seu respectu horum connotatorum. Etenim intellectus non distinguit tantùm illas operationes, aut concipit tantummodo obiectum in ordine ad illas, sed intelligit in obiecto ipso esse virtualem quandam amplitudinem, à qua habet vt sit radix & principium talium operationum: quam amplitudinem penetrat & cognoscit expressè diuersis conceptibus, inadæquatè totum illud virtuale exprimentibus. Exempli gratia, homo habet talem amplitudinem essentialem, vt vi suæ essentiæ sit principium vegetandi, sentiendi, intelligendi, & volendi. Quorum primum exprimitur conceptu viuentis corporei, seu vegetantis: secundum, conceptu animalis: tertium, conceptu rationalis. Et Deus habet substantiam tam amplam virtualiter, & multiplicem eminenter, vt contineat quidquid aliæ continent, & infinitè plura: sitque potens ad generandum, spirandum, creandum, iustificandum, glorificandum, & ad omnem effectum possibilem: cognoscat, velit, prouideat, prædestinet, &c. Neque hæc differunt tantùm penes connotata. Nam cognitio essentialis, verb. gr. & volitio, comparatæ ad eadem obiecta, non differunt penes connotata: & tamen distinguuntur ratione: quia illa est principium generationis Filii, non ista. Cognitio, inquam essentialis, quam Deus habet de seipso, & de possibilibus, est principium generationis Verbi: Secus autem volitio essentialis eorumdem obiectorum. Et omnipotentia non generat nec spirat: licet ex parte obiecti non differat à cognitione atque volitione possibilium. Quod verò idem auctor affirmat disputatione sexta, sectione quarta, numero 55. sententiam nostram verbis tantùm differre à Scoti opinione: non est verum: neque ab ipso bene refertur illius sententia. Omittit enim quod præcipuum est, Scotum scilicet affirmare, distingui reipsa intrinsecè ea, quæ nos tantùm extrinsecè distin-

Distinctio rationis nō est tantùm penes connotata extrinseca, vel diuersos effectus eiusdem rei.

qui asserimus. Sic enim habet in 1. dist. 8. quæst. 2. loquens de distinctione, quæ est inter sapientiam, & veritatem diuinam: *Est ergo*, inquit, *ibi distinctio præcedens intellectum omni modo: vnde sapientia in re formaliter non est veritas in re*, &c. In eumque sensum Gregorius Ariminensis ibidem, & alii meliùs intelligentes, Scotum interpretantur. Idem confirmant quæ ex Scoto retulimus & refutauimus tom. 1. disput. 3. sect. 4. Quod denique obiicit Hurtadus de Petro Tarantasio, siue Innocentio V. nullius est momenti, vt fatetur author mox citandus, eiusdem licet opinionis cum Hurtado.

SECTIO IV.

Aliæ Nominalium obiectiones soluuntur.

37. Arriaga. RODericus de Arriaga recens & accuratus Philosophiæ scriptor disp. 5. Logicæ, sect. 2. spretis aliis quorumdam Nominalium argumentis, quæ magnam vim non habere fatetur, hæc opponit. Primò, non minùs contradictoriè opponuntur cognosci & non cognosci, respondere, & non respondere ex parte obiecti; quàm existere, & non existere, produci, & non produci. Sed repugnat existere hominis animalitatem, & non existere eius rationalitatem: Item produci animalitatem, & non produci rationalitatem, quamtumuis distinguantur virtualiter: Ergo etiam implicat cognosci animalitatem, & non cognosci rationalitatem: & respondere ex parte obiecti animalitatem, absque eo quòd respondeat rationalitas. Maiorem, in qua est difficultas, sic probat: Existere, & non existere opponuntur contradictoriè, eò quòd particula, *non*, cadens supra verbum, *existere*, negat illud quod per idem fuerat affirmatum. Atqui eadem particula cadens supra verbum, *cognosci*, non minùs negat id quod per ipsum fuerat affirmatum: ergo &c. Si respondeas, cognosci, esse quid extrinsecum obiecto: Instat, quia non minùs sunt contradictoria affirmatio & negatio formæ extrinsecæ, quàm affirmatio & negatio formæ intrinsecæ: cùm contradictio consistat præcisè in affirmatione & negatione eiusdem rei, siue in forma & negatione formæ. Si iterum respondeas, cognosci realiter & identicè rationalitatem, quando cognoscitur animalitas, licet formaliter & expressè non cognoscatur: Instat, quia tam contradictoria sunt, cognosci formaliter, & non cognosci formaliter; quàm cognosci, & non cognosci absolutè. Quando enim negatio cadit supra modum, tam facit contradictionem de modo, quàm si esset propositio simplex. Hæc ille à numero 25. ad 29.

Cui Respondeo primò, Ipsum non satis, meo quidem iudicio, cohærenter loqui, cùm paulò post num. 43. respondens huic argumento Realium: Quando eminus video animal se mouens: cognosco clarè esse animal, & non cognosco esse rationale: ergo præscindo animal à rationali: concedit in terminis, me posse cognoscere de Petro esse animal, non cognoscendo esse rationale. Ex quo concesso, sic argumentor: Qui cognoscit de Petro esse animal, non cognoscendo esse rationale, cognoscit & non cognoscit vnum & idem: quia in Petro animal & rationale sunt vnum & idem. Sed per te, possum cognoscere de Petro, esse animal, non cognoscendo esse rationale: ergo possum cognoscere, & non cognoscere vnum & idem. Ergo malè antea contendebas id esse impossibile; neque video, quomodo possint hæ duæ assertiones excusari à contradictione. 38. Non est contradictio, idem cognosci, & non cognosci secundum quid, confusè & expressè.

39. Respondet Arriaga, non inde sequi, quòd aliquid cognoscatur ex parte obiecti, & aliquid non: sed tantùm quòd obiectum cognoscatur aliqua claritate, non verò totali. At hoc effugium nullum est. Nam rationale se tenet ex parte obiecti. Sed per te non cognoscitur rationale: ergo non cognoscitur aliquid ex parte obiecti. Item rationale est quid intrinsecum & essentiale Petro. Et hoc non cognosco nisi identicè, cùm tamen expressè cognoscam esse animal, possimque hoc de Petro affirmare, non illud: ergo aliquid intrinsecum cognoscitur expressè, & aliquid non.

Respondet idem auctor num. 44. Rationale vel posse sumi pro rationalitate obiectiua: & in hoc sensu falsum est, me non affirmasse illam: affirmaui enim animalitatem, quæ est idem formalissimè cum rationalitate. Vel posse sumi pro ipsa rationalitate, vt clarè cognita: & in hoc sensu verum est me illam non cognouisse, id est, me non habuisse cognitionem omnino claram de illa entitate, eam scilicet cognitionem quæ explicatur per vocem, *rationale*. Ex hoc autem non infertur aliquid defuisse ex parte obiecti, quod non cognosceretur: sed tantùm defuisse perfectam cognitionem obiecti.

40. Refellitur euasio. Sed contra: Primò, Rationale prout facit differre Petrum à brutis, est rationalitas obiectiua. Atqui non cognosco expressè rationale, prout facit differre Petrum à brutis, sed tantùm confusè & identicè, quatenus idem est realiter cum animalitate: ergo non cognosco expressè rationalitatem obiectiuam, sed tantùm confusè & identicè. Nec obest, quòd à parte rei animalitas Petri sit formaliter rationalitas: id est, eadem entitas Petri quæ est animalitas, sit per seipsam, & non per formam realiter distinctam, & superadditam, rationalitas. Non enim quæstio est, an sit realiter formaliter talis, sed an expressè cognoscatur vt talis: quod non fieri, euidens

est ipsâ experientiâ. Secundò, Rationalitas clarè cognita, est rationalitas obiectiua: Cognosci enim, & obiici cognitioni idem est. Ergo malè distinguitur rationalitas in obiectiuam, & clarè cognitam, quasi in membra diuisionis opposita. Tertiò, Per te verum est, me non cognouisse clarè rationalitatem, id est, me non habuisse cognitionem omnino claram de illa entitate, quæ est animalitas & rationalitas, & tamen cognouisse clarè animalitatem, id est, cognouisse clarè eam entitatem prout est animalitas: ergo cognoui clarè, & non cognoui clarè eandem entitatem, quod tu contendis esse contradictorium. Cognoui clarè secundum quid, & non cognoui clarè omnino & adæquatè, sed quasi ex parte: cognoui clarè prout animal est, non cognoui clarè prout rationale est. Ergo non tantùm deest perfecta cognitio obiecti: sed etiam est aliquid ex parte obiecti, quod non clarè & expressè cognoscitur, quà tale est, sed tantùm confusè & identicè.

41. Deinde idem Author sectione quarta, disputationis citatæ fatetur, & fusè probat contra Hurtadum, dari præcisionem obiectiuam in diuinis inter essentiam & relationes, hoc præcipuè argumento: quia si in conceptu Patris correspondederent simul cum essentia diuina relationes Filii & Spiritus sancti, idem prorsus ex parte obiecti cognosceretur per conceptum Patris, quod per conceptum totius Trinitatis. Vnde sicut dici non potest, Tota Trinitas non est tota Trinitas: nec, Pater non est Pater: ita non posset dici, Pater non est Filius, neque Spiritus sanctus: Item Verbum diuinum solùm immediatè vnitum est humanitati: Verbum diuinum generatur: Spiritus sanctus non generatur: Pater à nullo procedit. Quæ propositiones, si non daretur præcisio inter Verbum, & alias personas, quamuis eâdem essentiâ constantes, essent omnino falsæ: quia æquiualerent istis, Tota Trinitas immediatè vnita est humanitati: Tota Trinitas generatur: Tota non generatur, sed procedit: Tota à nullo procedit: quæ sunt omnino falsæ. Hæc ille numero sexagesimo quinto, & sexagesimo nono. Ex quibus sic argumentor: Datur præcisio obiectiua inter essentiam & relationes diuinas, quamuis essentia & relatio sint vna res simplicissima à parte rei, cum sola distinctione virtuali: Ergo non implicat idem re cognosci, & non cognosci. Ergo in creatis vbi erit distinctio virtualis, quamuis non æqualis diuinæ inter essentiam & relationes, poterit idem cognosci & non cognosci, expressè scilicet & formaliter ex parte cognitionis. Ergo argumentum cui innititur tota probatio Arriagæ, & machina præcipua Nominalium, corruit. Confirmatur, quia vel præcisio repugnat creaturis propter simplicitatem, quia nimirum si sunt vnum quid simplex & indiuisibile, non potest vnum cognosci sine alio: vel specialiter propterea quòd creaturæ sunt. Si primum: ergo non minùs Deo repugnat, quippe qui non minùs simplex est physicè & realiter: Si secundum: assignanda est ratio differentiæ, quæ cum nulla specie probabilitatis assignari potest.

Datur distinctio rationis inter essentiam & relationes diuinas

Ad argumentum autem supra propositum numero trigesimo septimo Respondeo in forma, negando minorem in sensu quo proponitur ab aduersario. Magis enim opponuntur contradictoriè existere, & non existere, produci, & non produci: quàm Petrum cognosci expressè vt animal, & non cognosci expressè vt rationale. Imò, in hoc secundo nulla est contradictio propter diuersitatem cognitionum quæ connotantur per verbum, *cognosci expressè*, à quibus cognitionibus obiectum denominatur extrinsecè cognitum expressè, prout tali, vel tali expressæ cognitioni respondet per amplitudinem suam virtualem inadæquatè & non omnino expressam. Sensus enim est, Petrum, quando solùm cognoscitur expressè vt animal, terminare cognitionem claram & expressam animalis: & non terminare cognitionem claram & expressam rationalis. Diciturque illa cognitio non penetrare, seu non exprimere, & attingere clarè quidquid res est. Secundò, ad confirmationem minoris dico cognosci expressè vt animal, & non cognosci expressè vt rationale: vel contra: non esse affirmationem & negationem eiusdem; ob diuersitatem connotatorum, & distinctionem virtualem rei, in qua fundantur huiusmodi connotata. Tertiò, ad minorem Respondeo, Quamuis repugnet produci, vel non existere animalitatem Petri, & non existere, vel produci rationalitatem eius: plurima tamen esse indistincta realiter, quæ possunt non produci, & non existere secundum quid. Nam modi intrinseci non distinguuntur realiter à re modificata: & tamen res potest sine illis produci & existere, id est, potest res produci & existere, & non ita se habere. Quando enim, verbi gratia, producitur anima rationalis, non producitur omnis motus, nec omnis informatio quam potest habere: & quandiu homo existit, non existunt omnes modi intrinseci, quos habere potest, imò neque simul omnes possunt existere, cùm multi sint incompossibiles, vt sedere & stare, quiescere & moueri, ascendere & descendere. Sic potest esse quantitas, & non esse extensa, quamuis extensio non distinguitur in re: potest esse accidens, & non inhærere: potest esse substantia, & non subsistere subsistentiâ propriâ. Ex his patet, hoc primum argumentum Arriagæ non tanti esse momenti, vt propter illud Ouiedus, & alii quidam recentiores in illius sententiam ire debuerint. 42.

43. Opponit secundò numero trigesimo primo, non posse dari præcisiones obiectiuas per notitiam intuitiuam in sententia Realium. Ergo neque dari possunt per notitiam abstractiuam. Ergo per nullam. Respondeo, licet antecedens admittatur à plerisque Realibus: melius tamen ab aliis negari, sicut à nobis iam sæpius alibi negatum & impugnatum fuit. Nam Beati qui Deum vident, non vident adæquatè eius infinitatem, quæ finita visione adæquari nequit: neque comprehendunt totam eius intelligentiam, omnipotentiam, immensitatem, & alia attributa singillatim infinita. Oculus quoque corporeus cùm lumen & colorem videt, non videt inhæsionem, licet re indistinctam, nec potest species consecratas distinguere à non consecratis: vt faceret si claré & expressè inhæsionem attingeret. Sic etiam cùm actus nostros internos intellectus & voluntatis intuitiuè cognoscimus & experimentaliter, non discernimus, an à potentiis distinguantur, & an sint spirituales: sed quoad hoc confusè tantùm & identicè eos cognoscimus.

Notitia intuitiua potest esse præcisiua.

44. Opponit tertiò numero trigesimo tertio, naturam genericam vel specificam non posse præscindi à singularitate ex parte obiecti. Quod sic probat: quia vnitas ita includitur in conceptu entis, vt nullo modo, nec ratione ratiocinata ab illo distinguatur, etiam in sententia Realium. Ergo non potest ens concipi sine vnitate. Ergo nec sine singularitate, quia vnitas & singularitas idem sunt. Confirmatur, quia si singularitas distingueretur virtualiter à natura; non posset per eam natura multiplicari, vt patet exemplo naturæ diuinæ, quæ quia est ex se vna, quantumuis identificetur cum pluribus personis, nihilominus non multiplicatur in illis. Ergo singularitas naturæ non potest vllo modo ab illa distingui, ne quidem ratione, aut virtualiter. Ergo nec potest correspondere ex parte obiecti natura sine singularitate. Ergo nec præscindi obiectiuè.

Respondeo, negando antecedens cum eius probatione, intellectum de numerica vnitate, de qua loquitur aduersarius. Nam, vel ipso Arriaga fatente paulò post, inter concipi vt vnum & vt plura, datur medium, scilicet præscindi ab vtroque: sicut quando concipio hominem: neque concipio illum vt album, neque vt non album, sed præscindo. Dico igitur posse concipi expressè vt sic, substantiam, animal, hominem, & similia: non expressè concepto, quòd à parte rei sint vnum numero, vel multa: licet quidquid existere verè concipio, sit à parte rei vnum, vel multa singularia: sicut homo qui concipitur, est à parte rei albus, vel non albus.

Natura cõmunis potest præscindi à singularitate.

45. Ad confirmationem, Respondeo negando sequelam antecedentis: quòd videlicet si singularitas distingueretur virtualiter à natura creata, non posset per eam natura multiplicari realiter: sicut natura diuina non multiplicatur realiter per proprietates personales virtualiter à se distinctas. Aliter enim natura creata vniuersalis est vna: & aliter natura diuina. Neq; enim propterea tota natura creata ita cõfusè cõsiderata, singularitatibus nõ expressè cognitis, est vnica numero, & immultiplicabilis, vt natura diuina: Sed est ipsa multiplex, & multiplicata toties, quot sunt singularia, quibus non expressè cognitis, potest ipsa cognosci, atque ita potest præscindi à singularibus, non tantùm formaliter in conceptu, sed etiam obiectiuè per extrinsecam denominationem. Dixi me negare antecedens intellectum de numerica vnitate: notandum enim, triplicem à Philosophis distingui vnitatem: numericam scilicet, formalem, & vniuersalem. Ex quibus numerica sola est vera, & propria vnitas. Formalis verò est conuenientia multorum, & similitudo in natura. Vniuersalis est, non-expressio pluralitatis, quam natura concepta habet, vel habere potest à parte rei. Quam vnitatem non nego habere naturam genericam, & specificam, præcisam à singularitate.

Vnitas triplex: numerica, formalis, & vniuersalis.

SECTIO V.

Vndecim alia Nominalium argumenta contra communes conceptus obiectiuos refutantur.

Svperioribus argumentis plura Recentiores addunt, quæ breuiùs poterunt expediri, suppositis iis, quæ in præcedentium refutatione diximus. Sunt autem illa duplicis differentiæ. Priora impugnant speciatim vniuersales conceptus obiectiuos. Posteriora, generatim omnes præcisiones, & distinctiones rationis. De istis dicemus sectione sequenti: prioribus verò nunc satisfaciendum est: quorum primum sic habet: Vniuersale quod traditur à Realibus inutile est, nec enim Physicus aut Metaphysicus disputans de rebus realibus, habet quidquam pro obiecto, quod reale non sit. At quodcumque reale, secundum quod est reale, singulare est: ergo hi philosophi nihil præter singularia speculantur, per conceptus tamen vniuersales. 46.

Respondeo, Vniuersale, quod à nobis assignatur, esse scientiis vtilissimum. Cùm enim multa inter se conueniant, debent simul, & vno loco exponi ea, quæ communia sunt, & præmitti tractationi particularium, ne in eorum expositione sæpius communia repetantur. Atque ita Physicus priùs disputat de corpore naturali, vt sic, id est, de compositis naturalibus per modum vnius consideratis, prout conueniunt inter se, abstrahendo à differentiis corporis

Vniuersale, est scientiis vtile.

ris cœlestis, vel sublunaris; simplicis, vel mixti; inanimati, vel animati: quas differentias, & species postea contemplatur. Sic etiam Metaphysicus priùs disputat de ente, vt sic; quàm de eius inferioribus. Et Theologus, priùs de actibus humanis, de peccatis, de virtutibus, de Sacramentis in genere; quàm de eorum speciebus, & differentiis. Neque propterea habent aliquid pro obiecto, quod reale non sit. Et quidquid est reale, est quidem singulare à parte rei vnum; aut multiplex: sed non consideratur vt singulare, cùm multa singularia vno communi conceptu vniformi confusè cognoscuntur.

47. Quomodo scientiæ versentur circa vniuersalia? Secundum argumentum: Vniuersalia sunt obiecta scientiarum. Sed constituta ex materiali, & aliquo formali distincto à singularibus, non sunt obiecta scientiarum. Ergo non sunt vniuersalia. Respondeo, Scientias, & conceptus formales vniuersales, terminari ad singularia confusè concepta per modum vnius, qua ratione sunt vniuersalia, non per aliquam formam intrinsecè constituentem; sed per extrinsecam denominationem à conceptu vniuersali, sine quo impossibile est concipi tali modo, & quo posito impossibile est non esse concepta tali modo: sicut impossibile est cognosci sine cognitione, & posita cognitione, non esse cognitum id quod cognoscitur. Quare non fingitur illud formale extrinsecum, à quo denominatur vniuersale vnum: cùm non sit aliud, quàm cognitio confusa, & vniformis, tendens in multa vniformiter, & per modum vnius, id est, non expressis eorum differentiis, & reali multiplicitate.

Tertium argumentum: Vel id quod terminat cognitionem vniuersalem, secundum id, secundum quod terminat, est aliquid vnum essentialiter aptum esse in multis secundum se; vel non. Si primum: datur vniuersale à parte rei ante omnem operationem intellectus, & aliquid vnum essentialiter identificatum cum multis realiter distinctis. Si secundum: ergo cognitio vniuersalis non terminatur ad aliud, quàm ad ipsa singularia. Respondeo, Id, quod terminat cognitionem vniuersalem, esse realiter multa, & vnum dumtaxat per extrinsecam denominationem, quatenus confusè per modum vnius cognoscuntur, id est, non expressa pluralitate, & differentiis, quibus distinguuntur. Et cognitionem vniuersalem non terminari ad aliud, quàm ad ipsa singularia, sed per modum vnius confusè repræsentata.

Id quod terminat cognitioné vniuersalé est multa realiter, & vnum ratione per extrinsecã denominationem.

48. Quartum argumentum: Nihil identificatum cum vno, id est, cum vna re, potest identificari cum multis realiter distinctis, distinctione maiori strictè sumpta. Sed vniuersale illud, si daretur, identificaretur cum multis eiusmodi: Ergo, &c. Respondeo, data, & non concessa maiori, ob mysterium Trinitatis, distinguendo minorem: Identificaretur cum multis secundum vnum, & idem realiter, nego. Secundum multa realiter, & vnum tantùm ratione, diuisim illis identificatum, concedo.

Quintum argumentum: Si darentur vniuersalia, ratio hominis esset in Petro v. gr. Atqui nihil est in seipso, nec pars sui, & oppositum nonnisi peruersè concipi potest. Respondeo, hoc argumentum friuolum esse, & minus philosopho Christiano conueniens. Ex eo enim sequeretur, Scripturam diuinam, & Concilia œcumenica, & Sanctos Patres, peruersè concipere, & loqui, quando dicunt, in Deo esse virtutem, sapientiam, potentiam, & similia, à Deo æquè indistincta, atque ratio hominis à Petro indistincta est: Item essentiam diuinam totam Filio communicari, à quo tamen non distinguitur in re: totam esse in tribus, & singulis personis, quibuscum tamen identificatur, neque pars illarum est. Explicent ergo aduersarii has locutiones Scripturæ, Patrum, & Conciliorum; tum eodem sensu propositiones nostras intelligant.

Sextum argumentum: Si daretur tale vniuersale, illud constitueretur multis realiter diuersis. Sed tale vnum constitutum ex realiter diuersis non potest esse idem cum quolibet: ergo non esset vnum in multis. Item illud deberet esse commune homini, & bruto: & ita homo participaret aliquid, quod esset realiter brutum: & brutum participaret aliquid realiter rationale. Respondeo ad minorem, tale vnum non esse idem re cum quolibet secundum se totum, & collectiuè, sed diuisim: esseque vnum ratione tantùm, multiplex verò in re. Vnde homo nihil participat, quod est realiter brutum; sed tantùm, quod est simile bruto aliquatenus, & propter illam similitudinem vnitur conceptu, seu concipitur eodem conceptu confusè. 49. Vniuersale quomodo vnum in multis?

Septimum argumentum: Quidquid est à parte rei, singulare est, & reipsa incommunicabile. Ergo nullum singulare potest esse vniuersale. Sed multa etiam singularia non sunt communia cuilibet singulari: ergo multa singularia non sunt vnum quid vniuersale. Respondeo, nullum singulare solum esse vniuersale: sed multa singularia confusè concepta per modum vnius, esse vniuersale; quia sunt vnum in multis, id est, vnum ratione, & realiter multa, quibus illud, vnum ratione, diuisim identificatur.

Octauum argumentum: Nihil quod non sit de essentia alicuius, potest fieri de eius essentia per operationem intellectus. Sed ante operationem intellectus nullum vni- 50.

43. Opponit secundò numero trigesimo primo, non posse dari præcisiones obiectiuas per notitiam intuitiuam in sententia Realium. Ergo neque dari possunt per notitiam abstractiuam. Ergo per nullam. Respondeo, licet antecedens admittatur à plerisque Realibus: melius tamen ab aliis negari, sicut à nobis iam sæpius alibi negatum & impugnatum fuit. Nam Beati qui Deum vident, non vident adæquatè eius infinitatem, quæ finita visione adæquari nequit: neque comprehendunt totam eius intelligentiam, omnipotentiam, immensitatem, & alia attributa singillatim infinita. Oculus quoque corporeus cùm lumen & colorem videt, non videt inhæsionem, licet re indistinctam, nec potest species consecratas distinguere à non consecratis: vt faceret si clarè & expressè inhæsionem attingeret. Sic etiam cùm actus nostros internos intellectus & voluntatis intuitiuè cognoscimus & experimentaliter, non discernimus, an à potentiis distinguantur, & an sint spirituales: sed quoad hoc confusè tantùm & identicè eos cognoscimus.

Notitia intuitiua potest esse præcisiua.

44. Opponit tertiò numero trigesimo tertio, naturam genericam vel specificam non posse præscindi à singularitate ex parte obiecti. Quod sic probat: quia vnitas ita includitur in conceptu entis, vt nullo modo, nec ratione ratiocinata ab illo distinguatur, etiam in sententia Realium. Ergo non potest ens concipi sine vnitate. Ergo nec sine singularitate, quia vnitas & singularitas idem sunt. Confirmatur, quia si singularitas distingueretur virtualiter à natura; non posset per eam natura multiplicari, vt patet exemplo naturæ diuinæ, quæ quia est ex se vna, quantumuis identificetur cum pluribus personis, nihilominus non multiplicatur in illis. Ergo singularitas naturæ non potest vllo modo ab illa distingui, ne quidem ratione, aut virtualiter. Ergo nec potest correspondere ex parte obiecti natura sine singularitate. Ergo nec præscindi obiectiuè.

Respondeo, negando antecedens cum eius probatione, intellectum de numerica vnitate, de qua loquitur aduersarius. Nam, vel ipso Arriaga fatente paulò post, inter concipi vt vnum & vt plura, datur medium, scilicet præscindi ab vtroque: sicut quando concipio hominem: neque concipio illum vt album, neque vt non album, sed præscindo. Dico igitur posse concipi expressè vt sic, substantiam, animal, hominem, & similia: non expressè concepto, quòd à parte rei sint vnum numero, vel multa: licet quidquid existere verè concipio, sit à parte rei vnum, vel multa singularia: sicut homo qui concipitur, est à parte rei albus, vel non albus.

Natura cōmunis potest præscindi à singularitate.

45. Ad confirmationem, Respondeo negando sequelam antecedentis: quòd videlicet si singularitas distingueretur virtualiter à natura creata, non posset per eam natura multiplicari realiter: sicut natura diuina non multiplicatur realiter per proprietates personales virtualiter à se distinctas. Aliter enim natura creata vniuersalis est vna: & aliter natura diuina. Neq; enim propterea tota natura creata ita cōfusè cōsiderata, singularitatibus nō expressè cognitis, est vnica numero, & immultiplicabilis, vt natura diuina: Sed est reipsa multiplex, & multiplicata toties, quot sunt singularia, quibus non expressè cognitis, potest ipsa cognosci, atque ita potest præscindi à singularibus, non tantùm formaliter in conceptu, sed etiam obiectiuè per extrinsecam denominationem. Dixi me negare antecedens intellectum de numerica vnitate: notandum enim, triplicem à Philosophis distingui vnitatem: numericam scilicet, formalem, & vniuersalem. Ex quibus numerica sola est vera, & propria vnitas. Formalis verò est conuenientia multorum, & similitudo in natura. Vniuersalis est, non-expressio pluralitatis, quam natura concepta habet, vel habere potest à parte rei. Quam vnitatem non nego habere naturam genericam, & specificam, præcisam à singularitate.

Vnitas triplex: numerica, formalis, & vniuersalis.

SECTIO V.

Vndecim alia Nominalium argumenta contra communes conceptus obiectiuos refutantur.

46. Svperioribus argumentis plura Recentiores addunt, quæ breuiùs poterunt expediri, suppositis iis, quæ in præcedentium refutatione diximus. Sunt autem illa duplicis differentiæ. Priora impugnant speciatim vniuersales conceptus obiectiuos. Posteriora, generatim omnes præcisiones, & distinctiones rationis. De istis dicemus sectione sequenti: prioribus verò nunc satisfaciendum est: quorum primum sic habet: Vniuersale quod traditur à Realibus inutile est, nec enim Physicus aut Metaphysicus disputans de rebus realibus, habet quidquam pro obiecto, quod reale non sit. At quodcumque reale, secundum quod est reale, singulare est: ergo hi philosophi nihil præter singularia speculantur, per conceptus tamen vniuersales.

Respondeo, Vniuersale, quod à nobis assignatur, esse scientiis vtilissimum. Cùm enim multa inter se conueniant, debent simul, & vno loco exponi ea, quæ communia sunt, & præmitti tractationi particularium, ne in eorum expositione sæpius communia repetantur. Atque ita Physicus priùs disputat de corpore naturali, vt sic, id est, de compositis naturalibus per modum vnius consideratis, prout conueniunt inter se, abstrahendo à differentiis corporis

Vniuersale est scientiis vtile.

ris cœlestis, vel sublunaris; simplicis, vel mixti; inanimati, vel animati: quas differentias, & species postea contemplatur. Sic etiam Metaphysicus priùs disputat de ente, vt sic; quàm de eius inferioribus. Et Theologus, priùs de actibus humanis, de peccatis, de virtutibus, de Sacramentis in genere; quàm de eorum speciebus, & differentiis. Neque propterea habent aliquid pro obiecto, quod reale non sit. Et quidquid est reale, est quidem singulare à parte rei vnum, aut multiplex: sed non consideratur vt singulare, cùm multa singularia vno communi conceptu vniformi confusè cognoscuntur.

47. Quomodo scientiæ versentur circa vniuersalia? Secundum argumentum: Vniuersalia sunt obiecta scientiarum. Sed constituta ex materiali, & aliquo formali distincto à singularibus, non sunt obiecta scientiarum. Ergo non sunt vniuersalia. Respondeo, Scientias, & conceptus formales vniuersales, terminari ad singularia confusè concepta per modum vnius, qua ratione sunt vniuersalia, non per aliquam formam intrinsecè constituentem; sed per extrinsecam denominationem à conceptu vniuersali, sine quo impossibile est concipi tali modo, & quo posito impossibile est non esse concepta tali modo: sicut impossibile est cognosci sine cognitione, & posita cognitione, non esse cognitum id quod cognoscitur. Quare non fingitur illud formale extrinsecum, à quo denominatur vniuersale vnum: cùm non sit aliud, quàm cognitio confusa, & vniformis, tendens in multa vniformiter, & per modum vnius, id est, non expressis eorum differentiis, & reali multiplicitate.

Tertium argumentum: Vel id quod terminat cognitionem vniuersalem, secundum id, secundum quod terminat, est aliquid vnum essentialiter aptum esse in multis secundum se; vel non. Si primum: datur vniuersale à parte rei ante omnem operationem intellectus, & aliquid vnum essentialiter identificatum cum multis realiter distinctis. Si secundum: ergo cognitio vniuersalis non terminatur ad aliud, quàm ad ipsa singularia. Respondeo, Id, quod terminat cognitionem vniuersalem, esse realiter multa, & vnum dumtaxat per extrinsecam denominationem, quatenus confusè per modum vnius cognoscuntur, id est, non expressa pluralitate, & differentiis, quibus distinguuntur. Et cognitionem vniuersalem non terminari ad aliud, quàm ad ipsa singularia, sed per modum vnius confusè repræsentata.

(Id quod terminat cognitioné vniuersalé est multa realiter, & vnum ratione per extrinsecã denominationem.)

48. Quartum argumentum: Nihil identificatum cum vno, id est, cum vna re, potest identificari cum multis realiter distinctis, distinctione maiori strictè sumpta. Sed vniuersale illud, si daretur, identificaretur cum multis eiusmodi: Ergo, &c. Respondeo, data, & non concessa maiori, ob mysterium Trinitatis, distinguendo minorem: Identificaretur cum multis secundum vnum, & idem realiter, nego. Secundum multa realiter, & vnum tantùm ratione, diuisim illis identificatum, concedo.

Quintum argumentum: Si darentur vniuersalia, ratio hominis esset in Petro v. gr. Atqui nihil est in seipso, nec pars sui, & oppositum nonnisi peruersè concipi potest. Respondeo, hoc argumentum friuolum esse, & minus philosopho Christiano conueniens. Ex eo enim teneretur, Scripturam diuinam, & Concilia œcumenica, & Sanctos Patres, peruersè concipere, & loqui, quando dicunt, in Deo esse virtutem, sapientiam, potentiam, & similia, à Deo æquè indistincta, atque ratio hominis à Petro indistincta est: Item essentiam diuinam totam Filio communicari, à quo tamen non distinguitur in re: totam esse in tribus, & singulis personis, quibuscum tamen identificatur, neque pars illarum est. Explicent ergo aduersarii has locutiones Scripturæ, Patrum, & Conciliorum; tum eodem sensu propositiones nostras intelligant.

Sextum argumentum: Si daretur tale vniuersale, illud constitueretur multis realiter diuersis. Sed tale vnum constitutum ex realiter diuersis non potest esse idem cum quolibet: ergo non esset vnum in multis. Item illud deberet esse commune homini, & bruto: & ita homo participaret aliquid, quod esset realiter brutum: & brutum participaret aliquid realiter rationale. Respondeo ad minorem, tale vnum non esse idem re cum quolibet secundum se totum, & collectiuè, sed diuisim: esseque vnum ratione tantùm, multiplex verò in re. Vnde homo nihil participat, quod est realiter brutum; sed tantùm, quod est simile bruto aliquatenus, & propter illam similitudinem vnitur conceptu, seu concipitur eodem conceptu confusè. 49. (Vniuersale quomodo vnum in multis?)

Septimum argumentum: Quidquid est à parte rei, singulare est, & reipsa incommunicabile. Ergo nullum singulare potest esse vniuersale. Sed multa etiam singularia non sunt communia cuilibet singulari: ergo multa singularia non sunt vnum quid vniuersale. Respondeo, nullum singulare solum esse vniuersale: sed multa singularia confusè concepta per modum vnius, esse vniuersale; quia sunt vnum in multis, id est, vnum ratione, & realiter multa, quibus illud, vnum ratione, diuisim identificatur.

Octauum argumentum: Nihil quod non sit de essentia alicuius, potest fieri de eius essentia per operationem intellectus. Sed ante operationem intellectus nullum vni- 50.

uersale est de essentia rerum. Ergo, &c. Neque respondeas, vniuersalia materialiter sumpta esse de essentia singularium. Nam vniuersalia materialiter sumpta, sunt ipsa singularia. Atqui singularia non sunt de essentia singularium, sed sunt ipsa essentia singularium. Ergo falsò dicuntur esse de essentia, & esse in singularibus, & contrahi per singularitates. Respondeo, hanc instantiam eandem esse cum quinto argumento, cui iam responsum est. Sensus huiusmodi propositionum est, vniuersalia materialiter sumpta esse idem essentialiter cum singularibus: Petrum esse hominem essentialiter: & nec esse posse, nec concipi, quin sit, & concipiatur homo: Petrum cum aliis conuenire vt homo est, distingui verò prout hic est, & non concipi expressè vt distinctum, quamdiu non concipitur vt est hic.

Vniuersale quomodo constituatur?

Nonum argumentum: Ratio vniuersalis hominis vel constituitur ex vna ratione existente à parte rei identificata cum Petro, vel ex illa, & aliis omnibus possibilibus præcisè, & formaliter conceptis. Quo posito, quæro, an actus, quo cognoscitur præcisè homo, qui est in Petro (si præcisè cognoscitur) sit formaliter idem cum eo, quo aliæ rationes hominis cognoscuntur? Si non: ergo illa est diuersa ab aliis. Et ita cùm omnes cognoscuntur, actus ille vniuersalis fertur in infinitas rationes diuersè: adeòque illius significatum non potest esse vniuocum cuilibet homini: & omnes homines differunt inter se plusquam numero, scilicet in ratione hominis præcisa. Si verò ille actus etiam alias repræsentet, quæ multiplicatæ sunt, & consequenter plures in pluribus; sequitur quòd idem actus possit esse vniformis imago multorum. Ergo ex vniuersalitate actus malè infertur vniuersalitas obiectiua. Respondeo, rationem hominis non constitui vniuersalem ex vnica ratione identificata realiter cum Petro, sed ex illa, & aliis realiter distinctis, per modum vnius confusè conceptis. Et actum, quo cognoscitur præcisè homo, qui est cum Petro identificatus (non prout Petrus est, realiter distinctus ab aliis, & illis tantùm similis) repræsentare quidquid aliud Petro simile est in ratione hominis, esseque vniformem imaginem multorum. Sed ex illa vniuersalitate actus bene, & necessariò inferri vniuersalitatem obiectiuam, eo sensu, quo à nobis asseritur: nempe per vnitatem & denominationem extrinsecam obiecti ab illo conceptu vniuersali, multa per modum vnius repræsentante.

51. Quomodo sit in multis.

Decimum argumentum: Id quod esset essentialiter vniuersale, deberet intrinsecè constitui ex materiali aliquo, & aliqua vnitate non reali: item que ex vniuersalitate resultante, aut certè conceptu formali vniuersali. Sed nullum tale constitutum intrinsecè posset esse in multis diuisim, nec identificari cum singularibus: singularia enim non sunt realiter talia constituta. Ergo vniuersale non est quicquam huiusmodi. Sed etiam res, vt distinctæ ab illa vniuersalitate, & vnitate secundùm se, non sunt essentialiter vnum quid aptum esse in multis: ergo nihil est, de quo dici possit, quòd sit essentialiter vnum quid aptum esse in multis. Respondeo, res sumptas primò intentionaliter, non esse vniuersales essentialiter: sed dici tales accidentariò per extrinsecam denominationem à conceptu vniformiter multa repræsentante. Et esse in multis diuisim, seu identificari cum multis secundum suum esse reale; non autem secundum illam vnitatem rationis, & extrinsecam denominationem. Ac sicut nihil est, de quo dici possit, quòd sit visum essentialiter, sed quidquid videtur, dicitur visum per extrinsecam denominationem à vidente: ita nihil est, de quo dici possit, quòd sit essentialiter vniuersale: cùm vniuersale non sit aliud, quàm multa realiter per modum vnius repræsentata vniformiter: semper autem accidentale, & extrinsecum est multis illis, repræsentari per modum vnius, & tali conceptui respondere. At forma extrinseca nunquam est essentialis denominato, etiam vt denominato: quippe quod denominatur extrinsecè ab illa. Dixi, *res sumptas primò intentionaliter*: quia secundæ intentiones sunt quidem essentialiter id quod sunt: & aggregatum per accidens ex illis, & ex primis intentionibus, est quidem essentialiter id quod est; verùm vniuersale non est tale aggregatum, sed solùm est multa per modum vnius concepta: vnum extrinseca vnitate per rationem: ac realiter, & intrinsecè multiplex.

Vndecimum argumentum: Reales dicunt dari communem rationem Vniuersalis, quæ genus sit ad genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. Sed hoc posito datur processus in infinitum, & nulla omnino sunt indiuidua sub istis vniuersalibus. Nam inferiora Vniuersalis debent esse essentialiter Vniuersalia, siquidem ratio superioris participatur essentialiter ab eius inferioribus: & rursus hæc inferiora, quia sunt essentialiter Vniuersalia, debent habere alia inferiora, quæ sint quoque essentialiter Vniuersalia, & sic in infinitum. Adde, quòd species tam latè pateret, quàm genus, quod est ridiculum. Quia nulla res potest esse vniuersalis, quæ non possit esse genus. Ratio enim generica potest fundari aquè, ac ratio Vniuersalis, in quibuslibet rebus creatis, tam substantiis, quàm accidentibus. Ergo genus tam latè patet, quàm Vniuersale. Et tamen genus est species Vniuersalis: ergo species tam latè patet, quàm genus, cui subiicitur: quod est impossibile, cùm genus debeat latiùs extendi, quàm Species vnica, & conuenire pluribus specie differentibus.

52. Quomodo ratio vniuersalis sit genus ad genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens.

Respondeo, Cõmunem rationem Vniuersalis comparari posse ad Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, vel materialiter sumpta, & primò intentionaliter: & sic non est genus ad illa, sed est accidens logicum, illis tantùm conueniens per

extrinsecam denominationem, vt paulò ante diximus: vel secundò intentionaliter: & sic vniuersalitas est genus ad genereitatem, speciecitatem, & alias secundas intentiones speciales quinque Vniuersalium, quæ specie differunt inter se sub ratione communi Vniuersalitatis. Neque propterea datur processus in infinitum, aut huiusmodi Vniuersalia nulla habent singularia sub se. Nam hæc, & illa genereitas, sũt singulares solo numero differentes: itemque hæc Speciecitas, & illa, & sic de cæteris. Differunt enim solùm ex parte materialis, cui applicantur: formaliter verò sunt omnino similes. Et quælibet est quidem essentialiter vniuersalitas *vt quo*, id est, ratio formalis, & extrinseca alicuius vniuersalis: sed non est vniuersalis, *vt quod*, id est, non est vnum ratione, & multa realiter de quibus aptum sit prædicari. Vniuersalitas autem ab illis abstracta, duo habet: nempe & quòd sit ratio vniuersalis vt quo: & quòd ipsa sit re multiplex, & vna ratione per aliam secundam intentionem, & extrinsecam denominationem, atque ita sit vniuersalis, etiam *vt quod*. Nam secundæ intentiones possunt aliæ aliis aduenire: Et vniuersalitas quando abstrahitur ab hac, & illa vniuersalitate, se habet, vt animal, quod abstrahitur ab homine, & leone: vel vt homo, qui abstrahitur à Petro, & Paulo. Primum illud, nempe ratio vniuersalis *vt quo*, est id quod est essentiale vniuersalitatibus inferioribus, specie, vel numero differentibus, quodque de illis prædicatur essentialiter; non autem secundum. Sicut cùm homo dicitur esse essentialiter in Petro, & Paulo, deque illis prædicari essentialiter; sermo est de homine sumpto primò intentionaliter; non autem de ratione extrinseca speciei, vt sic. Hinc etiam fit, vt species, quâ species est, non tam latè pateat, quàm genus, cui subiicitur. Quia vniuersalitas non tantùm est genereitas, sed & speciecitas, & quæuis alia secundarum intentionum, quibus quinque vniuersalia formaliter spectata; & secundò intentionaliter, differunt specie. Huc vsque priora Recentiorum illorum argumenta contra rationes communes, siue vniuersales obiectiuas. Sequuntur alia, quibus generatim impugnant quascunque præcisiones seu distinctiones rationis.

SECTIO VI.

Satisfit aliis Nominalium argumentis contra quascunque distinctiones rationis.

53. Distinctio rationis non affingit rebus diuersitaté.

SIc igitur habet duodecimum illorum argumentum. Cognitio nihil fingens, si nulla sit in rebus diuersitas, nullam in eis deprehendere potest. Atqui nulla est in re simplici diuersitas ante operam intellectus: ergo si quæ deprehendatur, ei affingitur. Sed hoc posito non sunt in rebus plures rationes obiectiuæ (loquor enim de obiecto secundum id, quod cognoscitur) ergo, &c. Respondeo, nullã obiecto affingi diuersitatem, neque in eo deprehendi: sed obiectum extrinsecè denominari diuersum: & distinctum prout respondet diuersis conceptibus difformibus inadæquatè exprimentibus: quorum conceptuum fundamentum est in ipsa virtuali amplitudine obiecti multiformiter conceptibili: multiformiter, inquam, & non tantùm magis, aut minùs clarè secundum eandem formam, cuiusmodi sunt conceptus definitionis & definiti; vt conceptus hominis, & conceptus animalis rationalis, qui tantùm differunt ratione ratiocinante, & nihil noui intellectui obiiciunt, neque habent duos conceptus obiectiuos, sed eundem magis aut minùs clarè cognitum: quod non sufficere ad distinctionem rationis ratiocinatæ, seu virtualem, rectè docet Molin. 1. p. quæst. 28. disp. 3.

Decimum tertium: Si darentur in Deo multæ rationes obiectiuæ, sequeretur Deum non esse ens simplicissimum: & Deum esse diuersum à seipso, ac non esse Deum. Nam vna Dei formalitas formaliter sumpta, esset simpliciter Deus. Sed illa esset diuersa ab alia, quæ etiam esset Deus. Ergo Deus esset diuersus à Deo. Item Deus posset desinere, & incipere esse. Nam per formalistas, aliqua ratio obiectiua Dei, putà creatio, seu actio ad extra, potest incipere, & desinere. Sed illa ratio formaliter sumpta est reipsa Deus. Ergo aliquid, quod est realiter Deus, potest incipere, & desinere: Ergo Deus ipse potest incipere & desinere, incipiente, vel desinente eo, quod est Deus. Præterea idem posset esse sine seipso realiter: quia si idem possit esse sine aliquo, cum quo est idem: potest esse sine seipso realiter: cùm *idem*, & *ipsum* sint termini synonymi. Vlteriùs idem esset necessarium, & contingens, quod est impossibile, sumendo necessarium pro eo, quod non potest non esse, & contingens pro eo, quod potest non esse: Nam Deus est ens necessarium: eius verò actio ad extra est contingens: sed Deus, & eius actio sunt vnum, & idem realiter. Ergo, &c.

Ad hæc alibi iam respondimus. Primò, Deum non obstante illa distinctione rationis fundata in eius perfectione infinita, & amplitudine virtuali, esse realiter simplicissimum: quia distinctio rationis non est distinctio in re, sed æquiualentia perfectionis rei simplicis ad multa distincta. Secundò, Deum propterea non differre à seipso realiter; sed solummodò consideratum inadæquatè secundum vnam rationem expressè conceptam, putà iustitiam aut misericordiam, intellectum aut voluntatem, differre à seipso considerato secundum aliam. Tertiò, Deum non posse simpliciter desinere, vel incipere: sed solùm posse desinere, vel incipere taliter se habere ad extra, quando desinit, vel incipit agere. Quartò, idem similiter non posse esse sine seipso simplici- 54. Quomodo sint in Deo diuersæ rationes obiectiuæ, etiam contingentes.

ter: sed solùm posse esse sine seipso vt taliter se habente: id est, posse esse, & non taliter se habere, v. g. posse Deum esse, & non creare, aut non esse vnitum humanitati: posse hominem esse, & non moueri localiter. Quintò, idem posse esse necessarium simpliciter quoad esse, & contingens quoad modum taliter se habendi. Sicque Deus est necessariò Deus, sed contingenter creat, contingenter intelligit futura libera, & contingenter, ac liberè vult efficaciter quidquid extra se vult efficere. Sextò, tres vltimas difficultates communes esse aduersariis: qui negare non possunt, quin Deus aliter quodammodo se habeat intrinsecè, quando intelligit contingentia, quando vult aliquid liberè, quando creat, quando vnitur hypostaticè humanitati per hypostasim Verbi. Nam quòd Deus intelligat contingentia, vel liberè velit, est aliquid à parte rei, nullo fingente intellectu: & non esset tale, si Deus, vt potuit, non intelligeret ea contingentia, aut non liberè vellet. Et hoc non est aliquid Deo extrinsecum: Nam Deus non intelligit, neque vult per aliquid extrinsecum; sed per actus vitales, & immanentes, quibus tendit in obiectum sibi extrinsecum. Item, hoc qualecunque est, non distinguitur in re à Deo, vt fatentur aduersarii: & tamen Deus sine eo esse potuit: & Deus si talis est, contingenter est talis, cognoscens scilicet, & volens hoc modo contingenti: & secundum aduersarios potest incipere & desinere esse talis: nam secundum illos Deus potest incipere, & desinere intelligere, & velle contingenter. Quod licet falsò de actibus intellectus & voluntatis dicatur, vt ostendimus alibi: omnino tamen verum est de actione creandi, & de quolibet vsu potentiæ diuinæ operantis ad extra, deque vnione Verbi ad humanitatem. Nam vnio hypostatica se tenens ex parte Verbi (quod vnitur per seipsum, atque secundum se, non minùs, quàm humanitas) est modus se habendi realis, & intrinsecus Verbo, sine quo tamen Verbum potest esse absolutè, quique incepit esse, & contingenter est. Tam enim propriè vnitum est Verbum humanitati, quàm humanitas Verbo. Neque est tantùm intimè præsens localiter humanitati, & eius modo intrinseco se habendi per vnionem: nam hoc etiam Patri, & Spiritui sancto conuenit, qui tamen non vniuntur: sed ipsum vlteriùs adhæret per se, & coniungitur humanitati; quod non habent aliæ personæ. Estque euidenter impossibile quidquam vniri alteri, sine vnione, & adhæsione, seu coniunctione reciproca vtriusque ad alterum, per vsum suæ vnibilitatis: qui vsus æquè intrinsecus est, ac ipsa vnibilitas. Et alienum est à veritate id, quod aliqui dicunt, vnionem esse in sola humanitate, & extrinsecè tantùm terminari ad Verbum. Quomodo enim potest illud vniri, si vnio est illi tantùm extrinseca, & contigua solùm, vel intima localiter? Et cur non dicitur vnio æquè terminari ad Patrem vel ad Spiritum sanctum; cùm Pater, & Spiritus sanctus non minus sint illi præsentes vbique & indistantes, quàm Verbum?

55. Similiter Deus, quando actu creat, se habet aliter ad extra, quàm ante, nullo fingente intellectu: operatur enim verè & realiter, cùm antea non operaretur: & non operatur quia creatura est: sed è contrario ideo creatura est, quia Deus operatur. Ideo enim creatura incipit esse, quia Deus aliter circa illam se habet: id est, quia nunc illam producit, eiusque potentia est nunc actu producens cùm antea posset tantùm producere. Si enim potentia eodem modo se haberet, quo antea: esset otiosa, & nihil produceret. Vt ergo creatura producatur, necessarium est Deum vim suam exercere; & illa vti, & de puro actu primo transire ad actum secundum, & ad statum exercitii, id est, de potente agere, fieri actu agentem. Confirmatur, quia agere, & producere non dicitur per meram denominationem extrinsecam, ita vt causa in se manente, vt antea sine vsu virtutis suæ, alibi oriatur effectus: sed ipsamet causa debet se impendere, & virtutem suam. Neque euadunt difficultatem, qui recurrunt ad complexum significabile. Nam vel res aliter se habet, quàm ante, & verè subest aliquid à parte rei signo complexo, vel non. Si primum: manet difficultas, & recurrunt argumenta supra facta. Si secundum: illud complexum significabile est merum figmentum, & nomen sine re: nec dici potest in quo fundetur: neque enim in exemplo allato de actione, fundari potest in sola existentia rei, quæ causa est, & rei quæ est effectus. Nam sæpissime potest esse vtraque sine causalitate, & dependentia vnius ab alia: vt patet in causis creatis. Posset enim v. g. esse idem ignis, & idem calor, quamuis non esset ab igne.

56. Decimum quartum argumentum: Quidquid oritur de nouo, non erat antea secundum id formaliter, secundum quod existit de nouo. Sed formalitas oritur de nouo secundum aliquid reale, & positiuum: ergo illud positiuum, & reale, non erat antea secundum id, secundum quod de nouo existit. Ad maiorem respondeo, Id quod oritur, aut est de nouo, non fuisse antea eo modo quo de nouo est. Ac si est de nouo simpliciter, & secundum suum esse, non fuit antea simpliciter, & secundum suum esse. Sin autem est solùm de nouo taliter se habens: non fuit antea taliter se habens, id est, non tali modo se habuit. Ad minorem dico, formalitatem v. g. vnionis hypostaticæ, non esse nouam entitatem aliquam, aut formam physicam, quæ oriatur de nouo secundum se: sed esse ipsamet extrema taliter se habentia, id est, immediatè coniuncta: quæ cùm vniuntur de nouo, verum est illa tunc incipere taliter se habere; licet non incipiant neque oriantur simpliciter, & secundum esse, supposito quòd secundum illud præexstiterint vnioni, id est, fuerint reipsa priusquam vnirentur. Sicut

seipsa Verbum præextitit vnioni hypostaticæ, id est, fuit Verbum ab æterno, priusquam tali modo se haberet respectu humanitatis. Et hoc argumentum debent etiam soluere aduersarii, vt patet ex iam dictis. Censent enim vnionem non distingui ab extremis.

57. Decimum quintum argumentum: Omne visibile aut inuisibile est creatura Dei, ex Concil. Nicæno in Symbolo. Sed exercitium voluntatis creatæ v.g. quod Formalistæ admittunt, est visibile aut inuisibile. Ergo est creatura seu effectus Dei. Sed hoc est falsum. Nam si est à Deo, est natura priùs in Deo exercitium potentiæ diuinæ, ad exercitium creaturæ ponendum. Sed hoc posito exercitium creaturæ erit ab aliquo priori, quo posito non potuit non sequi ab eo: ergo illud exercitium non est liberum, quod hæreticum est. Negare autem exercitium illud esse à Deo, est repugnare Concilio affirmanti omne visibile, & inuisibile esse à Deo. Deinde gratis Formalistæ eximerent diuinæ operationi istam formalitatem seu rationem obiectiuam, cùm alias omnes fateantur esse Dei effectus, etiam si non sint entitates nouæ, vt dicunt.

Exercitium agentis siue actio sit-ne aliquid productum? Respondeo primò, Hanc difficultatem æquè soluendam esse ab aduersariis: cùm manifestum sit Deum, vel creaturam actu operantem, exercere vim suam, circa effectum, & verè ac realiter operari, cùm antea non operaretur: atque omnem effectum, seu liberum, seu non liberum, prodire à causa, vt actu influente, non autem vt otiosa, quemadmodum paulò superius ostendimus. Secundò, dico actionem, siue *agere*, non esse formam re vel ratione distinctam à causa, eique superuenientem, & ab aliquo productam. Si enim talis esset, deberet re, vel ratione procedere à causa ipsa, saltem in agentibus liberis: & procederet à causa non vt otiosa; sed vt se exercente. Quare ad actionem requireretur præuium aliud exercitium: & ad hoc aliud: & sic in infinitum. Sed actio, siue *agere*, est modus se habendi simplex, & incompositus re, & ratione: nec est aliquid productum vt sic, sed est causa per seipsam producens, & influens in aliud; causa, inquam, aliter se habens, non aliquid in se recipiendo, sed in aliud per se influendo, & per se intrinsecè agendo, atque eatenus tantùm se aliter habendo intrinsecè. Valde enim notandum est non omnem modum aliter se habendi consistere in receptione, aut quasi receptione alicuius formæ, aut quasi formæ: sed aliqui in eo solo consistunt, quòd res seipsam circa aliud exerceat, aut per seipsam aliter alteri respondeat, aut simpliciter nouo modo se habeat in seipsa, vel in ordine ad aliud. Tertiò, hic modus se habendi qui dicitur actio, siue agere, est in causis creatis à Deo identicè. quatenus Deus dedit causæ entitatem, & vim se exercendi: atque etiam pendet à Deo formaliter vt actio est, non vt in ipsam, vel in causam de nouo influente, sed vt cooperante, & concurrente ad eundem effectum. Causa enim secunda pendet à prima in operando: non quòd prima debeat in illa aliquid efficere præuium effectui: sed quia secunda non potest operari nisi prima coagente, & influente simul in effectum. Quartò, ad auctoritatem Concilii Nicæni respondeo, mentem illius esse, quòd nihil extra Deum sit, quod ab ipso non sit, & pendeat aliquo modo: idque de exercitio causæ creatæ verum est in sensu explicato. Quamuis non sit necesse vt Deus sit auctor & causa efficiens cuiuscunque modi se habendi formaliter, & quasi proximè, & immediatè: cùm non omnes existant per veram actionem. Quod non tantùm verum est de actione, siue exercitio causæ agentis: sed etiam de passione, seu exercitio causæ patientis: quod si fieret, deberet, saltem quando fieret à causis secundis, fieri cum concursu subiecti, & sic ante passionem daretur passio in infinitum. Item de duratione, quæ est modus intrinsecus, quo res durans aliter se habet, quàm si tantùm in instanti esset. Hoc enim ipso, quòd res creata non desinit, durat; neque opus est alia actione, quàm ea, qua primò producta fuit. Falsum ergo est id solùm asseri de actione. Neque est eadem conditio modorum omnium se habendi. Quæ autem illa sit, partim experientiâ; partim ratiocinatione colligendum est. — Non omnes modi se habendi existunt per veram actionem.

58. Instabis, quia cùm quidquid est, sit à se, vel ab alio: illud exercitium debet esse à se, vel ab alio. Non est autem à se: neq; etiam ab alio: quia si esset ab alio, & si esse à principio, est esse mediante exercitio inter principium, & id quod est à principio: dabitur aliquid medium inter principium, & hoc reale exercitium: & sic in infinitum. Respondeo, quidquid est simpliciter, esse à se vel ab alio: & quidquid est tali, vel tali modo, esse à se, vel ab alio, tali vel tali modo: id est, habere à se vel ab alio, vt sit tali modo. Causa creata simpliciter, id est, entitas, & vis causæ, ab alio est: quod autem tali modo sit, id est, causans & se exercens, siue influens in effectum, à se habet, non aliquid in se producendo, sed producens actu effectum, seipsa, & per se. Quamquam & hoc ipsum aliquo modo est à Deo, atque à Deo pendet: nempe quatenus causa creata à Deo habet vim illam se exercendi, & non potest se exercere sine Dei concursu ad eundem effectum. — Quomodo actio est ens ab alio.

59. Decimum sextum argumentum: Idem realiter esset principium sui simpliciter & realiter. Ex. gr. quando res seipsam extendit, est realiter principium, & causa extensionis; sed extensio est formalitas ab ipsa indistincta, & est ipsamet res extensa: ergo res extensa est principium sui ipsius realiter. Respondeo, extensionem non esse formam ratione distinctam, quasi inhærentem rei extensæ, & constituentem illam formaliter extensam: sed esse simplicem modum se habendi, sicut actionem, præsentiam localem, durationem, & similia; eadem enim — Res modificant seipsas, quamuis seipsas producere nequeant.

argumenta, quæ probant hæc non esse formas in re distinctas, probant similiter non esse formas ratione distinctas, constituentes aliquod compositum re vel ratione. Quomodo autem possit res esse causa suæ extensionis, licet extensio non distinguatur vt forma à re extensa, non est difficultas nobis specialis, sed communis aduersariis, qui fateri debent res habere vim modificandi seipsas per extensionem, & multos alios modos, sentiuntque nobiscum, modos non distingui in re à rebus modificatis. Neque propterea res est causa sui ipsius simpliciter, sed tantùm est causa vt taliter se habeat. Cùm autem dicimus interdum rationes obiectiuas oriri alias ab aliis, & vnam ab alia præsupponi: Sensus est, non quòd reipsa oriatur, aut præsupponat; quemadmodum fingunt aduersarii: sed quòd res æquiualeat per suam virtualem amplitudinem, aut similis sit duobus distinctis, quorum vnum ab alio oritur, & illud præsupponit. Sic verbi gratia volitio Dei realiter simplex æquiualet intentioni finis, & electioni mediorum, quarum hæc ab illa causatur in creaturis, illamque præsupponit. Et intellectio diuina simili modo se habet respectu volitionis. Quam prioritatem virtualem si negant aduersarii, repugnant mysterio Trinitatis: nullam enim possunt rationem reddere, cur Filius sit secunda persona, & cur Spiritus sanctus procedat à Filio, ac non ambo æquè primò procedant à solo Patre. Neque etiam negare possunt diuinam entitatem simplicissimam æquiualere multis prioribus, & posterioribus, in creaturis; quam æquiualentiam tantùm intendimus explicare per huiusmodi prioritates.

Quomodo rationes obiectiuæ sint aliæ aliis ratione priores.

60. Decimum septimum argumentum ex multis conglobatum: Si pro diuersitate conceptuum formalium magis, aut minùs communium, deberent multiplicari formalitates, seu rationes obiectiuæ; ratio entis in Deo differret à ratione sapientiæ: & ratio substantiæ, à ratione vitæ vel potentiæ. Et ita Deus non esset ens formaliter per sapientiam, nec substantia per vitam, aut potentiam: quod est falsum. Nam sapientia vel est ens, vel nihil est. Vita quoque & potentia in Deo non est accidens, sed substantia per seipsam formaliter. Deinde si substantia distinguitur ab ente; substantia vt distinguitur formaliter ab ente, nihil est formaliter, quia non est ens formaliter: Et quod non est formaliter ens, formaliter nihil est. Si autem ratio substantiæ vt distincta à quacunque alia ratione sit ens, frustra affingitur ei ratio entis, per quam fiat ens. Idemque dico de ratione corporis comparata ad substantiam, & de aliis inferioribus comparatis ad superiores. Denique ratio substantiæ secundum se formaliter estne spiritualis, vel corporea? Si primum; quomodo est realiter idem cum corporibus? Si secundum: quomodo est realiter idem cum spiritibus?

Ad primum Respondeo, Rationem entis differre à ratione sapientiæ præcisione tantùm non mutua, quatenus potest quidem expressè concipi ratio entis, non expressè concepta sapientia vt sic: licet non vice versa. Ratio enim entis imbibitur transcendentaliter in conceptu sapientiæ, & quouis alio conceptu reali. Neque ibi est propriè compositio rationis, sed quasi modificatio. Ratio quoque vitæ, & potentiæ substantialis, & essentialis, qualis in Deo concipitur, includit rationem substantiæ in suo conceptu formali & expresso. Ad secundum dico substantiam, vt distinctam ab ente præcisione non mutua, esse formaliter tale ens: & iam concipi expressè, non vt ens simpliciter, sed vt ens tale, distinctum ab accidentibus. Neque propterea ei affingitur ratio entis: sed ipsa tantùm extrinsecè respondet duobus conceptibus difformibus, quorum vno concipitur expressè vt ens: alio, vt substantia. A parte verò rei eodem indiuisibiliter est realiter formaliter ens, & substantia. Ad tertium Respondeo, rationem substantiæ communem non esse realiter vnam, sed multiplicem, per modum vnius confusè conceptam: & esse corpoream in rebus corporeis: spiritualem in spiritualibus, viuentem in viuentibus, rationalem in rationalibus, licet huiusmodi differentiæ non cognoscantur, vt tales, conceptu præciso substantiæ.

Ratio entis distinguitur ab interioribus præcisione non mutua.

Decimum octauum argumentum: Ex hac imaginatione multiplicate rationes pro diuersitate conceptuum formalium, sequeretur in Petro verbi gratia esse innumeras singularitates, imò singularitatem non esse singularitatem. Nam singularitas est vltima determinatio entis. Sed daretur communis ratio singularitatis: ergo illa singularitas non esset singularitas, quia vlteriùs deberet contrahi, atque ita non esset vltima entis determinatio. Quòd si contrahitur: ergo per aliam singularitatem. Et hæc in eo conueniret cum aliis contractiuis eiusdem, quòd illam contraheret. Illa itaque ratio, in qua conueniret, debebit contrahi: & sic in infinitum. Simili argumento, probant indiuiduum non fore indiuiduum, sed fore vniuersale, falsóque definiri, quod de vno solo prædicatur. Respondeo, singularitatem quamlibet, prout est à parte rei, esse vltimam determinationem. Singularitas verò in communi, seu ratio communis singularitatis non est vnica singularitas, sed est multæ singularitates per modum vnius conceptæ: expressè quidem, prout in eo conueniunt, quòd quælibet est vltima determinatio: confusè verò, prout diuersæ numero inter se: quæ diuersitas expressè cognoscitur per alios conceptus, quibus res singulares magis innotescunt, & quibus prior conceptus obiectiuus magis determinatur: ad eum modum, quo ens determinatur ad substantiam, vel accidens. Neque propterea singularitas non est singularitas, sed tantùm multæ singularitates per modum vnius conceptæ, non sunt vnica singularitas. Neque etiam datur processus in infinitum: quia, 61.

Quomodo possit abstrahi communis ratio singularitatis, & contrahi sine processu in infinitum.

licet singularitas in communi contrahatur per conceptum cuiuslibet particularis: illa tamen, prout cum aliis conuenit, & abstrahitur, non est aliud, quàm communis ratio singularitatis: Neque potest alia ratio singularitatis abstrahi. Quare non abstrahitur noua, & noua ratio, vt allò infert obiectio. Idem dicendum est de indiuiduo: quod cum definitur de vno solo prædicabile, definitur indiuiduum materialiter sumptum, prout conuenit cum aliis in communi ratione indiuidui. Quæ ratio est ratio sub qua definitur, id est, sub qua traditur vna definitio omnibus communis, & vt aiunt, est definitum *quo*. Indiuiduum verò materialiter sumptum, & prout est à parte rei, est definitum *quod*, id est, id cui talis definitio competit.

62. Decimum nonum: Si pro diuersitate effectuum arguendæ essent diuersæ formalitates, seu rationes obiectiuæ in principio eorum: essent infinitæ rationes intellectus humani, siue infiniti intellectus à se inuicem diuersi. Nam pro diuersitate obiectorum cognoscibilium ab intellectu, deberent esse alii, & alii intellectus simul. Atqui in rebus cognoscibilibus est processus in infinitum: nullumque est possibile cognosci, cui actu respondere non debeat peculiaris intellectus formaliter diuersus: quia respectu eius est productiuus actus formaliter diuersi ab actibus repræsentatiuis aliorum obiectorum diuersorum. Atqui si intellectus humanus haberet actu formalitates infinitas, seu rationes obiectiuas diuersas, esset actu infinitus, quod est aperte falsum: ergo, &c. Idem puta de quocunque agente respectu effectuum numero diuersorum. Prout enim esset aptum concurrere ad vnam singularitatem, esset aliud à seipso, prout apto concurrere ad aliam: & ita in infinitum.

Distinctio rationis duplex: præcisiua, & solùm determinatiua.

Respondeo, non esse arguendam rationum obiectiuarum diuersitatem in causa, ex quacunque diuersitate effectuum. Notandum est enim primò duplicem esse distinctionem rationis ratiocinatæ. Vnam, quæ consistit in mutua præcisione rationum conceptarum: cuiusmodi sunt verbi gratiâ conceptus iustitiæ, & misericordiæ in Deo. Alteram, quæ est tantùm maior, aut minor determinatio, vel conceptus prioris obiectiui simplex modificatio: cuiusmodi sunt conceptus entis, & substantiæ; speciei, & indiuidui; rei simpliciter, & rei vt agentis, aut præsentis. Prior distinctio attingit rationes obiectiuas diuersas. Posterior non attingit propriè diuersas, sed eandem diuersimodè. Nam conceptus substantiæ non est conceptus rationis, quæ non sit ens: sed est conceptus entis taliter se habentis per seipsum intrinsecè, nempe apti per se subsistere. Quare illi conceptus non multiplicant rationes intrinsecas in vna, & eadem re; vt facit distinctio mutua præcisiua: sed eandem tantùm determinant, aut modificant. Nota secundò, quod iam sæpius inculcauimus, & valde aduertendum est, distinctionem rationum obiectiuarum mutuò præcisiuarum fundari in amplitudine virtuali obiecti, secundum quam æquiualet rebus distinctis, & potest fundare plures conceptus difformes, quibus diuersæ veluti formæ intrinsecæ apprehendantur, & noua perfectio obiecti detegatur. Alioqui enim, licet multiplicentur conceptus formales, non multiplicantur obiectiui intrinseci. Vt quando homo concipitur conceptu hominis, & conceptu expressiori animalis rationalis: vel quando actio concipitur, vt modificans agens, & vt tendens ad terminum: aut albedo concipitur modò, vt visibilis, modò vt imaginabilis, modò vt intelligibilis: qui conceptus non differunt ex parte albedinis, sed ex parte extrinsecorum, quibuscum comparatur: eadem enim ratio obiectiua albedinis, quæ est visibilis, est etiam imaginabilis, & intelligibilis, ac sine dubio intelligitur à Deo: sicut eadem ratio, quæ amatur, cognoscitur: voluntas enim non fertur in rationem incognitam. Eadem quoque ratio obiectiua actionis, quæ est modus agentis, est tendentia ad terminum & eadem est ratio obiectiua definiti, & definitionis, quæ est tantùm clarior explicatio definiti.

Distinctio rationum obiectiuarum mutuò præcisiuarum, in quo fundetur.

63. Sic igitur vt ex diuersitate effectuum arguantur diuersæ rationes obiectiuæ in causa: debent esse tales effectus, vt ex illis arguatur amplitudo virtualis causæ, & æquiualentia ad multas alias virtutes re distinctas: quæ non bene arguitur ex diuersitate numerica effectuum, quos vel diuisim, vel successiuè causa potest producere. Etenim nulla causa est potens ad vnum indiuiduum, quæ per se non sit potens ad quodlibet aliud à se distinctum diuisim, & successiuè ad infinita, dummodo virtus causæ infinitâ duratione conseruetur: quandiu enim erit, poterit operari, modò adsint aliæ conditiones ad operandum requisitæ. Quare per hoc non æquiualet pluribus, neque bene concipitur vt multiplex æquiualenter, aut quasi habens nouam perfectionem, ex eo: sed tantùm comparatur ad plura extrinseca, & distinguitur tantùm ratione ratiocinante. Nec etiam quælibet distinctio specifica effectuum arguit illam amplitudinem & æquiualentiam causæ. Oculus enim verbi gratiâ non æquiualet pluribus potentiis visiuis realiter distinctis, ex eo quòd valeat ad plura visibilia specie diuersa: cum nulla sit, nec esse possit potentia visiua; quæ non valeat ad plura, quamuis in eo intensiuè saltem differre possint. Intellectus quoque non est multiplex virtualiter ex eo præcisè, quòd valeat ad plures actus specie diuersos, qualescunque illi sint: sed ex eo quòd æquiualeat potentiis cognoscitiuis internis, & externis realiter distinctis: verbi gratia, quia valet ad intelligenda omnia visibilia, vt oculus: audibilia, vt auditus, &c. Et insuper ad percipiendas rationes conuenientiæ, & disconuenientiæ rerum sensibilium, vt sensus internus: & vlteriùs ad insensibilia, vt intellectus.

Quomodo ex diuersitate effectuum arguatur virtualis amplitudo causæ?

angelicus, & diuinus. Sic etiam lux solis, vt exsiccatiua, æquiualet siccitati: & vt calefactiua, æquiualet calori, realiter distinctis inter se, & à luce. Sic etiam omnipotentia diuina distinguitur ratione, quatenus æquiualet virtuti hominis ad generandum hominem: caloris ad calefaciendum: solis ad illuminandum: & infinitis aliis virtutibus realiter distinctis in creaturis existentibus, aut possibilibus: propter quod est capax distinctionis in infinitas rationes obiectiuas quasi extensiuè, vltra infinitatem intensiuam virtualem, quam habet quatenus potest simul infinita. Intellectus verò, & voluntas diuina sunt infinita simpliciter intensiuè: quia possunt simul velle, & intelligere infinita: atque etiam extensiuè, si possibiles sint infinitæ potentiæ volitiuæ, & intellectiuæ diuersæ ex parte obiectorum; & modo tendendi in illa; quibus diuinus intellectus & voluntas æquiualeant. Habent item actus ratione diuersos infinitos circa obiecta infinita, atque ita infinitæ sunt in actu secundo.

64. Vigesimum & vltimum: Qui ponunt rationes obiectiuas, ideo eas ponunt, quia putant non posse plura per aliquem terminum, vel conceptum vniformiter repræsentari, nisi habeant aliquid commune, quod ab illis abstrahatur per actum præcisiuum. At hoc apertè falsum est. Nam habeatur conceptus, cui subordinetur *Intelligibile*, qui terminus aptus est significare Petrum, Chimæram, non ens. Quænam igitur ratio communis ab illis abstrahi potest? Vel enim illa est formaliter ens, vel non ens. Si primum: quomodo educta est è chimera? Si secundum: quomodo potuit præscindi ab ente? Item dari potest conceptus vniformis contradictoriorum, vel contrariorum. At illa vt sic, non habent vnam rationem communem: alioqui per rationem communem præcisam à differentiis constituerentur opposita, quod est falsum; nam potiùs constituerentur conuenientia. Denique conceptus confusus, & distinctus possunt esse eiusdem obiecti. Ergo frustra multiplicantur rationes obiectiuæ propter conceptus confusos, & distinctos.

Respondeo primò retorquendo: Si Petrus, Chimæra, non ens, possunt concipi vno conceptu vniformi, qui respondeat huic termino, *Intelligibile*: Ergo debet vniformiter, & inuariabiliter repræsentare vnumquodque illorum diuisim, vt ipsi loquuntur. Atqui si repræsentat, seu exprimit vitaliter ens, quomodo potest idem inuariatus exprimere Chimæram, aut non ens? Secundo directè Respondeo, hunc terminum, *Intelligibile*, esse denominatiuum extrinsecè, seu denominationem extrinsecam significantem de materiali id quod intelligitur, aut intelligi potest: de formali, intellectum, aut intellectionem, tanquam formam extrinsecam, propter quam denominatur intelligibile. Hoc formale reale est, & secundum illud omnia intelligibilia conueniunt realiter, id

Quis conceptus respondeat termino *Intelligibile*?

est, forma illa realis est omnibus communis, & propter illam possunt omnia verè denominari intelligibilia. Materiale verò abstrahit à reali, & non reali, & sunt omnia intelligibilia, siue entia, siue non entia, aut fictitia, confusè concepta per modum vnius, id est, non conceptis differentiis, & diuersitate illorum inter se. Vnde sunt vnum obiectiuè, & vna ratio, seu consideratio obiectiua; id est, vnum per considerationem obiectum, & reipsa multiplex, sed imperfectè, & confusè, sine multiplicitate, & sine differentiis apprehensum. At non sunt vna ratio alio sensu, quem aduersarii videntur intendere; nempe vnica quædam formalitas intima omnibus intelligibilibus, & eadem numero in omnibus existens, de qua aptè quæratur, sitne ens, aut non ens? Et quidquid dicatur, quomodo potuerit abstrahi ab ente, & non ente? Est enim omnia intelligibilia, quæ partim sunt entia, partim non entia, sed confusè concepta, non expressis, neque conceptis talibus differentiis, prout sunt talia intelligibilia, sed tantùm prout sunt intelligibilia simpliciter.

Similiter, quando vno conceptu vniformi cognoscuntur contradictoria, vel contraria: concipiuntur quatenus conueniunt in denominatione illa desumpta ex comparatione vnius ad aliud, aut ad negationem sui, cui contrariè, vel contradictoriè opponitur. Quemadmodum enim esse simile, vel dissimile; æquale, vel inæquale; duplum, vel subduplum; & similia, dicuntur per denominationem ex comparatione vnius ad aliud: sic contraria, & contradictoria dicuntur talia respectu, & comparatione alterius: in qua comparatione possunt conuenire, quia simili modo se habent respectu alterius. Atque ita omnia relatiuè opposita, conueniunt in eo, quòd relatiuè opponantur: & priuatiuè opposita similiter: Itemque contraria, & contradictoria. Quemadmodum etiam omnia similia, omnia dissimilia, omnia æqualia, omnia dupla, omnia subdupla, conueniunt in eo quòd simili modo, vel proportione comparentur ad aliud, secundum has denominationes: & secundum hoc possunt concipi vno conceptu vniformi, cui respondent per modum vnius conceptus obiectiui. Ratio igitur communis oppositorum est ipsa opposita confusè concepta, quatenus conueniunt in eo quòd opponantur. Et non constituit illa opposita, neque conuenientia, nisi hoc sensu, id est, est ipsa opposita confusè cognita prout conueniunt in comparatione & denominatione oppositionis, abstrahendo à specialibus rationibus, quibus differunt, & sunt incompatibilia inter se. Neque repugnat contraria, vel contradictoria conuenire formaliter in illo conceptu communi, & tamen esse opposita? quia in eo ipso conueniunt, quòd habeant comparationem oppositionis: opponuntur verò secundum proprias rationes quæ subsunt tali comparationi. Atque ita dici possunt conuenire formaliter,

65. Quomodo contradictoria cognoscuntur vno conceptu vniformi?

liter, id est, secundum comparationem, & rationem communem oppositionis: opponi verò materialiter, secundum proprias rationes incompatibiles inter se. Denique potest quidem eiusdem obiecti secundum eandem rationem esse conceptus confusus seu minùs expressus, & distinctus: vt definiti, & definitionis: at non propter quoscunque conceptus confusos, & distinctos, multiplicantur rationes obiectiuæ: sed solùm propter conceptus difformes, quibus multæ veluti formæ, & perfectiones eiusdem rei repræsentantur, & intellectui obiiciuntur, vt iam sæpius diximus.

66. Instabis, quia hi termini sunt communes, & vniuersales, indiuiduum, intelligibile, ens, substantia. Et tamen quilibet eorum significat singularia adæquatè, licet confusè, & diuisim. Ergo peruersè ex terminis communibus, & vniuersalibus arguitur in rebus ipsis vniuersalitas, & rationes inadæquatæ, ac præcisæ. Probatur minor. Nam hic terminus, *Singulare*, significat, id quod est distinctum à quocunque alio. At quodlibet existens à parte rei adæquatè sumptum est huiusmodi: ergo hic terminus *Singulare*, vel *Indiuiduum*, significat quodlibet ens existens à parte rei adæquatè sumptum. Et hoc argumentum, inquiunt, rem demonstrat. Addunt esse impossibile, vt hic terminus *Indiuiduum* significet aliquid commune, & præcisum. Quia nullum tale commune est vnum realiter distinctum à quocunque alio ente. Imò si esset, esset realiter plura entia. Ergo hic terminus *Indiuiduum*, licet sit in significando communis, non significat aliquid commune. De hoc termino *Intelligibile* constat, inquiunt, significare formaliter id omne quod intelligi potest. Sed quodlibet singulare adæquatè sumptum est intelligibile, nihilque est omnino, quod non sit intelligibile sub omni ratione: ergo hic terminus significat quodlibet singulare adæquatè sumptum. Et tamen est terminus communis. Ergo, &c. De hoc termino, Ens, idem liquet. Nam singularia adæquatè sumpta, esse possunt: & quæcunque sunt, sunt adæquatè sumpta. Ergo sunt entia. Ea ergo significantur adæquatè per hunc terminum *Ens*, licet confusè. Item hic terminus, *Substantia*, formaliter significat id quod est aptum esse, & ineptum alteri inhærere. Sed quælibet singularis substantia adæquatè sumpta est talis: Ergo, &c.

Termini illi, indiuiduum, intelligibile, ens, substantia, &c. non exprimunt quicquid rei est.

Respondeo, Terminos illos communes, siue vocales, siue mentales, hoc ipso, quòd confusè multa significant secundum aliquam conuenientiam, quam exprimunt, non expressis differentiis, vt sic præscindere à differentiis, & esse inadæquatos secundum expressionem: neque attingere differentias, vt tales, nisi identicè: Alioqui enim vi horum terminorum perinde ignorantur, ac si non essent. Vt tales, inquam: quia totæ quidem attinguntur, vt sunt ens, intelligibile, singulare, aut substantia se totis intimè, & adæquatè: at non prout se totis quoque differunt, & sunt ens tale, vel tale intelligibile, tale singulare, talis substantia, &c. In forma igitur, distinguo minorem primi argumenti. Quilibet horum terminorum significat singularia adæquatè, realiter, & identicè, prout se totis sunt Ens, Intelligibile, Singulare, &c. Concedo. Adæquatè formaliter, significando quòd sint tale ens, tale intelligibile: Nego. Hoc enim, vt sic, non significatur, neque repræsentatur intellectui. Neque dicas huiusmodi differentias, vt tales, esse formaliter ens, singulares, intelligibiles: ergo significantur, & repræsentantur vt tales, terminis, & conceptibus entis, singularis, intelligibilis. Respondeo enim non esse tantùm formaliter ens, sed esse tale ens determinatum ad talem differentiam entis: & repræsentari quidem formaliter vt ens, at non vt tale ens, quod, vt sic, latet vi illorum terminorum, & conceptuum.

Ad probationem minoris distinguo minorem iterum. Quodlibet existens à parte rei, adæquatè sumptum, est huiusmodi, nempe distinctum à quocunque alio, & singulare: tantùm: Nego. Et tale distinctum à quocunque alio, & hoc singulare determinatum, quod vt sic non exprimitur termino, & conceptu singularis simpliciter: Concedo. Ad id, quod additur, nullum commune esse vnum realiter, distinctum à quocunque alio ente, ac proinde non esse singulare. Respondeo, non esse vnum singulare, nec vnum realiter distinctum à quocunque alio ente, sed esse multa singularia realiter, & multa distincta, concepta confusè, & inadæquatè formaliter; exprimendo solùm ea quatenus conueniunt in eo, quòd vnumquodque est distinctum à quouis alio ente: & non exprimendo, neque per se intelligendo, quomodo differant inter se, non obstante illa conuenientia. Per hæc soluuntur aliæ instantiæ de terminis communibus entis, substantiæ, intelligibilis; atque ita omnibus Nominalium obiectionibus abundè satisfactum videtur. 67.

DISPVTATIO DECIMA-OCTAVA.

Quid sit Sacramentum in genere?

DE definitione Sacramenti in genere, id est, generalis eius conceptus, disputat S. Thomas quæst. 60. quatuor primis articulis. Quorum summa est, Sacramentum esse in genere signi, & esse signum rei sacræ sanctificantis homines. Quia verò in nostra sanctificatione tria possunt considerari: videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi: & forma illius, quæ consistit in gratia, & virtutibus: & finis vltimus, qui est vita æterna. Hæc omnia per sacramenta significantur. Vnde sacramentum est signum rememoratiuum eius quod præcessit, scilicet passionis Christi: & demonstratiuum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ: & prognosticum, id est, prænunciatiuum futuræ gloriæ. Cúmque naturale sit homini vt per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilium: Sacramentum, quod homini spiritalia & intelligibilia bona significat, quibus homo sanctificatur, debet esse res sensibilis, & signum sensibile: quia sapientia diuina vnicuique rei prouidet secundum suum modum. Addit art. 5. & sequentibus, significationem illam sensibilem consistere in quibusdam rebus & verbis à Christo determinatis. Qua de re dicemus disput. sequenti. Interea ex dictis colligi potest hæc definitio sacramenti, abstractè & genericè sumpti, iuxta doctrinam à D. Thoma traditam, Sacramentum est signum sensibile rei sacræ sanctificantis homines.

SECTIO I.

Referuntur & expenduntur variæ definitiones Sacramenti generalissimè sumpti.

1. Status quæstionis. ACRAMENTVM in genere potest dupliciter sumi. Primò, pro genere abstracto à quibuscunque sacramentis, siue legis antiquæ, naturalis, aut Mosaicæ; siue nouæ, & Euangelicæ. Secundò, pro genere abstracto à sacramentis legis nouæ: quæ acceptio sacramenti strictior est, quàm prima, de ea verò dicemus sect. 3. Nunc de priori quæstio est. Quærimus ergo quis sit conceptus genericus sacramenti, communis omnibus sacramentis cuiuscunque legis? Difficile autem est conceptum illum, & sacramenti tam generaliter sumpti definitionem assignare ipsi omnino propriam, & adæquatam.

2. Sacramentum in genere non satis exactè definitur, signum rei sacræ. Dicunt aliqui sacramentum ita sumptum definiri posse signum rei sacræ, vt definitur à Magistro in 4. initio primæ distinct. Sed hæc definitio latiùs patet, quàm sacramentum propriè dictum, vt hîc sumitur. Multa enim sunt signa rei sacræ, quæ non sunt sacramentum. Vt Euangelium, Imagines Dei, & Christi, & Sanctorum, serpens æneus, arca fœderis, & aliæ figuræ sacræ veteris Testamenti, columba, & nubes lucida super Christum apparens in signum præsentiæ Spiritus sancti, Matth. 3. & 17. aliaque innumera. Quòd si dicas cum D. Thom. quæst. 60. art. 2. in corp. nomine rei sacræ intelligi in prædicta definitione rem sacram homines sanctificantem, formaliter scilicet; idque sufficere ad communem definitionem sacramenti, vt putant Sot. Ledesm. & alii Thomistæ communiter: Manet adhuc difficultas: nam Euangelium loquens de gratia sanctificante, & de remissione peccatorum, est signum rei sacræ homines sanctificantis formaliter: & tamen non est sacramentum. Idemque dico de transitu maris rubri, qui significat eductionem hominum de Dæmonis seruitute in libertatem filiorum Dei, quæ fit per gratiam, & remissionem peccatorum in Baptismo: & de serpente æneo, qui significabat liberationem à morte peccati, & vitam spiritualem hominibus dandam per Christi passionem: quæ tamen, & similia, non erant sacramenta.

3. Nec sufficit dicere quòd sit signum practicum. Propterhoc addunt aliqui, nomine signi in prædicta definitione intelligendum esse non qualecunque signum rei sacræ sanctificantis homines formaliter, neque signum merè speculatiuum: sed signum practicum, id est, quod sit causa eiusdem rei sacræ formaliter homines sanctificantis. Sed hæc opinio si loquatur de perfecta sanctificatione, quæ fit per gratiam habitualem, manca est: quia non conuenit sacramentis antiquæ legis, quæ vt ait Florent. in Decret. Eugenii, non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant. Vnde à Paulo ad Galat. 4. vers. 9. vocantur infirma, & egena elementa: nimirum infirma ad conferendam iustificationem, & egena, seu vacua gratiæ, quam tantùm significabant. Sin autem, vt vult Melch. Canus in relect. de Sacram. par. 1. sub finem, loquatur hæc opinio de sanctificatione perfecta, vel imperfecta; ita vt sacramentum dicatur esse signum illud, quod significat, & confert aliquam sanctitatem siue perfectam, quæ fit per gratiam habitualem, siue imperfectam, & legalem, qualem aliquæ cerimoniæ antiquæ legis conferebant: peccat iam hæc definitio per excessum: quia ex ea sequeretur professionem religiosam; benedictionem Abbatum, tonsuram Clericorum, consecrationem summorum Pontificum, & vnctionem regum, esse sacramenta: quia sunt signa, quæ significant, & conferunt moralem aliquam, & legalem sanctitatem, quatenus personas illas à communi hominum conditione secernunt, vt eas Deo speciali quodam modo deuinciant, & consecrent, propter quod altiori quadam, & sacra veneratione dignæ sunt. At certum est non esse sacramenta: alioqui plura essent sacramenta quàm septem in Euangelica Ecclesia, contra definitionem Florent. in Decreto, §. *Nouæ legis*, & contra sensum, ac fidem omnium Catholicorum. Canus.

4. Aut quod conferendo aliquam sanctificationem, significet veram sanctitatem. Idcirco Suar. disput. 1. de Sacram. sect. 2. conclus. 2. & 3. censet de ratione sacramenti esse, non modò vt significet, & conferat aliquam sanctificationem saltem imperfectam, verùm etiam vt conferendo aliquam sanctitatem, significet veram sanctitatem animæ. Itaque, inquit, si hæc interna, & vera sanctitas per ipsum sacramentum, vel in ipso confertur: per illud etiam significatur. Si verò solùm conferat legalem, & imperfectam sanctitatem; nihilominus, vt verum sacramentum sit, necesse est, vt aliquid altius, ac diuinius, internam scilicet ac veram, & perfectam sanctitatem significet. Vnde concludit sect. 4. paulò ante finem, Sacramentum in communi sic esse definiendum: Est signum sensibile ad sanctificationem aliquam conferendam, & veram animæ sanctificationem significandam institutum. Vel, Sacramentum est sacra cerimonia, & sensibilis, homines aliquo modo sanctificans, & veram animæ sanctitatem ex institutione significans. Quas definitiones ait conuenire omnibus sacramentis, & habere particulas sufficientes ad excludenda omnia signa sacra, quæ non sunt sacramenta; qualia sunt sacrificium, vsus aquæ benedictæ, & similia. Verùm hæc definitio nimis latè patere mihi videtur: conuenit enim aliquibus, quæ sacramenta, non sunt, vt sacrificio Missæ, quod de se confert aliquam sanctitatem imperfectam ex opere operato, nempe remissionem peccatorum quoad liberationem à reatu pœnæ coram Deo: & significat ve-

ram sanctitatem; nempe Christum sub ratione cibi, & potus sacri sub speciebus constitutum ad specialem animæ nutritionem, per gratiam, & veram sanctitatem: & tamen sacrificium Missæ, quà tale, seu consecratio corporis & sanguinis Christi non est sacramentum, vt ostendemus suo loco, & Suar. ipse fatetur disp. 1. de Sacram. sect. 1. §. *Dubitatio verò*. Item conuenit hæc definitio vnctioni chrismatis in vertice baptizatorum; & applicationi salis, ac saliuæ, linguæ, & auribus eorundem; quæ sunt cerimoniæ sacræ conferentes aliquam sanctificationem moralem, & imperfectam; & veram animæ sanctitatem significantes, nempe vnctionem per gratiam, & dona Spiritus sancti, atque ad hoc significandum, & moraliter sanctificandum sunt institutæ.

Suares.

5. Hac de causa Tanner. q. 1. de Sacram. in genere num. 47. sequutus Valentiam quæst. 1. punct. 1. colum. 4. §. *Addendum est*, censet sacramentum debere significare gratiam, quæ in ipso eius vsu conferatur. Sed contra: Vel hic auctor intelligit gratiam conferri in vsu sacramenti vi ipsius, & ex opere operato: vel aliunde ex opere operantis, id est, propter aliquem actum ipsius recipientis sacramentum, vel ministri, vel alterius, cuius intuitu detur gratia. Primus sensus est falsus: quia sacramenta veteris legis erant vera sacramenta; & propriè dicta. Sic enim simpliciter appellantur à Patribus, & à Conciliis, & tamen non conferebant gratiam ex opere operato, vt definit Florent. loco sup. cit. Secundus autem sensus est falsus, & inutilis. Falsus, quia sacramenta antiquæ legis non exigebant ex natura sua, vel ex Dei institutione, aut præcepto, opus operantis dignum gratia sanctificante, cuius vi gratia conferretur in eorum vsu; putà, contritionem perfectam, vel amorem Dei super omnia: nusquam enim extat talis institutio, aut præceptum diuinum. Inutilis, quia deficiente tali institutione Dei, quæ reuera non est: licet cerimoniæ sacræ exercerentur cum actu contritionis, vel amoris Dei super omnia, seu fidei viuæ, & charitate formatæ, non propterea ex eo sacramenta dici debent: sicut vsus aquæ lustralis, tunsio pectoris, esus panis benedicti, & similia non sunt dicenda esse sacramenta, quamuis exerceantur cum actu contritionis, aut dilectionis causatiuo gratiæ: neque enim tales actus interni sunt de essentia huiusmodi cerimoniarum, neque operantur vt sacramenta; sed vt merita, vel dispositiones ad gratiam sufficientes, eodem modo, quo sine talibus externis cerimoniis operarentur.

Tanner. Valent. Aut quod significet gratiã quæ in ipso eius vsu conferatur.

6. Aliter ergo hanc efficacitatem, & sacramenti definitionem exponit Delugo disp. 1. de Sacram. in genere: vbi postquam asseruit n. 8. Sacramentum non solùm esse signum sanctitatis internæ præsentis, vel futuræ; sed etiam signum, & causam alicuius sanctitatis præsentis perfectæ, vel imperfectæ: Addit num. 26. ad complendam sacramenti definitionem, omne sacramentum non solùm debere significare veram, & internam sanctitatem præsentem, vel futuram; sed eam debere aliquo modo causare. Quomodo autem sacramenta veteris legis eam causarent, sic exponit num. 17. quia, inquit, licet non causarent gratiam in suscipientibus illa, & ideo dicerentur vacua, & egena: tamen significabant gratiam nobis dandam per Christum, quam quidem gratiam non significabant merè speculatiuè, sed practicè: quia illa sacramenta erant promissiones quædam diuinæ, mediis quibus Deus promittebat, & repromittebat Christum venturum ad saluandos homines. Vnde ab Apostolo, & Patribus frequenter vocantur promissiones, & vmbræ, & figuræ futurorum. Hinc autem fit, illa sacramenta non fuisse signa merè speculatiua nostræ salutis & gratiæ, sed practica: quia promissio rei non se habet speculatiuè circa rem promissam, sed practicè, quam scilicet aliquo modo causat. Nam qui promittit, postea mouetur à sua promissione ad implendum quod promisit: atque adeò promissio est etiam causa moralis rei promissæ. Hæc Delugo.

Delugo.

Vel quod illam aliquo modo causet.

Cuius doctrina subtilis licet, & ingeniosa, patitur tamen aliquas instantias. Primò enim, inde sequeretur sacrificium Eucharisticum esse sacramentum: id est, non modò cibum, & potum sacrum, ex corpore & sanguine Christi, ac speciebus panis & vini effectum, & permanentem: sed etiam ipsam consecrationem, & oblationem transeuntem; quod tamen & meritò negat idem auctor n. 17. Probatur sequela, quia illa oblatio, & consecratio significat veram animæ sanctitatem, quippe quæ significat Christi corpus, & sanguinem sub speciebus constitutum per modum cibi, & potus, ordinati ad spiritualem nutritionem, quæ fit per gratiam: & significat practicè, æquè, aut magis, quàm veteris Testamenti figuræ: quippe quæ non modò Christum venturum ad saluandos homines promittit, sed reipsa exhibet in genere causæ efficientis physicæ, vel moralis. Secundò, oratio externa & sensibilis, qua Ecclesia ipsa, vel aliquis priuatus petit à Deo, vel impetrat sanctificationem sibi vel aliis, aut augmentum gratiæ sanctificantis, esset sacramentum: quia hæc oratio significat veram animæ sanctitatem, & quidem practicè, eam reipsa conferendo, & sanctificando causaliter in genere causæ moralis, quatenus mouet Deum ad conferendam sanctitatem, vel eius augmentum. Tertiò, similiter omnis actus meritorius actu externo completus, esset sacramentum quia significat, & confert veram animæ sanctitatem per augmentum gratiæ ex promissione diuina. Idemque dico de actu contritionis, vel dilectionis Dei super omnia, disponente ad primam gratiam, cui Deus in Scriptura promisit iustificationem, ideoque vi promissionis mouet Deum ad peccatorum remissionem, & primæ gratiæ infusionem, quam idcirco practicè significat. 7.

Denique Marat. disp. 1. de Sacram. in ge- 8.

Mærat. Vasquez. Non est solum de ratione sacramenti vis significandi gratiā sanctificantem. nere sect. 1. & 2. sequutus Vasq. disp. 128. cap. 3. censet vim efficiendi sanctitatem, siue perfectam, siue imperfectam, non esse de ratione sacramenti, sed tantùm vim significandi gratiam formaliter sanctificantem: & sacramentum in communi accuratè, & clarè definiri posse, si dicatur esse Rei sacræ, seu gratiæ formaliter sanctificantis homines, signum sensibile, sacrum, stabile, à Deo institutum. Per sacrum autem non intelligit sacrans formaliter, aut efficienter, vt patebit ex iis, quæ de eorundem auctorum doctrina subiiciemus, Verùm, vt diximus in refutatione primæ opinionis, tota hæc definitio conuenit Euangelio, quod non est sacramentum, & tamen est signum gratiæ, sensibile, sacrum, stabile, à Deo institutum iuxta illud Marc. vlt. vers. 15. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, &c.* Quare ex allatis huc vsque definitionibus nulla planè satisfacit.

9\. Infirmum verò est argumentum, quo Vasq. & Mærat. præcipuè mouentur ad asserendum vim sanctificandi non esse de ratione sacramenti: nempe quia vel sermo est de perfecta sanctificatione: & hæc non conuenit sacramentis antiquæ legis. Vel de abstrahente à perfecta, & imperfecta: & hic conceptus non est vniuocus: quia sanctitas perfecta, & imperfecta, conueniunt tantùm analogicè: sanctitas enim imperfecta est tantùm impropriè sanctitas. Quare sacramenta nouæ, & antiquæ legis non conueniunt vniuocè. Leue, inquam, hoc argumentum est. Nam vt omittam S. Thom. in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 10. quæstiunc. 3. ad 5. & alios quos refert Suar. disp. 1. sect. 2. §. *Secunda sententia*, in fine, affirmare sacramenta nouæ & antiquæ legis non conuenire vniuocè: Respondeo, A sanctificatione perfecta, & imperfecta, posse abstrahi communem conceptum vniuocum sanctificationis sumptæ præcisè, pro consecratione, & coniunctione speciali cum Deo: speciali inquam, id est; non communi rebus, quæ ad Deum ex naturali tantùm, & communi naturæ conditione pertinent: qui conceptus abstrahit à particularibus differentiis sanctificationis perfectæ per gratiam, & imperfectæ per emundationem à macula legali, aut per deputationem moralem ad cultum diuinum, & similibus modis. (Suares.)

SECTIO II.

Vera sententia, & solutio obiectionum.

10\. Posset sacramentum institui in rebus insensibilibus. EX dictis liquet, non esse facile veram sacramenti tam latè sumpti definitionem tradere: quæ vt melius inuestigetur, supponendum est primò, sermonem esse de definitione, & conceptu communi sacramentis iis, quæ ipsa fuerunt instituta: non autem quibuscunque possibilibus institui, putà signis insensibilibus & planè spiritualibus, quæ ad significandam, & efficiendam sanctificationem, quam significant, & efficiunt sacramenta sensibilia, potuisse à Deo institui meritò affirmant Ocham in 4. q. 1. col. 1. Camerac. ibid. art. 3. Gab. dist. 1. q. 1. a. 1. not. 1. & Vasq. disp. 128. n. 35. Quidni enim v. gr. meditatio interna, & purè mentalis mortis Christi, potuit à Deo institui in signum efficax sanctificationis, etiam perfectæ? Signum, inquam, cognoscibile ipsi meditanti, & Angelis quibus vellet patefacere, & multò magis Deo, quem moueret efficaciter ad gratiam conferendam. (Ocham. Camerac. Gabr. Vasquez.)

11\. Sacramenta omnia de facto instituta sunt signa sensibilia. Suppono secundò, Citra controuersiam esse, quòd Sacramenta omnia, in quacunque lege instituta, fuerint signa sensibilia: idque valde conuenienter naturæ hominum, qui solent à sensibilibus duci ad notitiam spiritualium, & insensibilium, cùmque corpore & spiritu constent, debent vtroque colere Deum: nec poterant aptiùs congregari in vnum corpus Ecclesiæ visibilis, quàm per sacrificia, & sacramenta sensibilia: cùm denique peccando se rebus sensibilibus subiiciant frequenter, contra Dei voluntatem; conueniens fuit vt submitterentur à Deo sacramentis sensibilibus, ad quærendum peccati remedium. Plura in huius rei confirmationem Sanctorum Patrum testimonia congerit Suar. disp. 1. sect. 3. conclus. 1.

12\. Sunt etiam signa sacra. Suppono tertiò, Certum esse apud omnes Theologos sacramenta omnia cuiuscunque legis, fuisse signa sacra, saltem ratione significationis, & ex parte rei significatæ: id est, fuisse, & esse signa alicuius rei sacræ. Nam vt ait S. August. epist. 5. *Longum est conuenienter disputare de veritate signorum, quæ cùm ad res sacras pertinent, sacramenta appellantur,* id est, quando sunt signa rerum sacrarum, & diuinarum: vt confirmat lib. 2. de Doct. Christ. cap. 3. & patet inductione. Nam sacramenta omnia antiquæ legis erant signa Christi venturi, & gratiæ per ipsum conferendæ: nostra verò sunt signa efficacia eiusdem gratiæ, conueniuntque cum sacramentis veteris legis, in eo quòd gratiam significarent: differunt autem, quia vetera gratiam significabant, sed non causabant: nostra verò eam non modò significant, sed etiam continent, & dignè suscipientibus conferunt, vt ait Florent. in decreto §. *Nouæ legis.* (August.)

13\. Sacramenta sacrant formaliter seipsis. Dixi, saltem ratione significationis, & ex parte rei significatæ: quia alio sensu intelligi potest sacramenta esse sacra secundum se, id est, esse sacras quasdam, & religiosas cerimonias ad Dei cultum pertinentes, & seipsis formaliter sacrantes, & sanctificantes moraliter eos, quibus applicantur. Et hic sensus verus etiam est, quia sacramenta omnia sunt actiones quædam, & cerimoniæ ex institutione saltem sacratæ, id est, sacræ factæ, & ad Dei cultum religiosum specialiter deputatæ. Vnde qui peccant malè administrando, aut

recipiendo sacramenta, peccant omnium consensu peccato sacrilegii contra virtutem religionis. Atque ex ea consideratione puto sacramentum non minùs dictum esse, quàm ex priori, nempe ex significatione rei sacræ. Nam sicut vestimentum dicitur id, quo vestimur formaliter: & ornamentum id, quo ornamur: sic sacramentum, id quo formaliter sacramur: fauet etiam vox græca μυστήριον, respondens voci latinæ, *sacramentum*, in Scriptura: dicitur enim à græco μυεῖν quod est initio sacris, & consecro. Mysteria enim apud antiquos dicebantur initia, quibus mystæ consecrabantur, seu initiabantur. Duplex autem est consecratio, & sanctificatio. Vna legalis, & moralis, quæ est deputatio ad cultum diuinum, vel emundatio ab aliqua macula legali, aut alia quæpiam coniunctio cum Deo: conuenitque non solùm hominibus, sed & rebus inanimatis, vt templis, & vasis, & vestibus, & locis sacris: & de hac in præsenti loquimur. Alia est per gratiam sanctificantem: & hæc non tribuitur formaliter per sacramenta, sed significatur quidem per omnia sacramenta, efficitur autem per ea sola, quæ nouæ legis propria sunt.

Soluitur obiectio.

Obiicies, Matrimonium esse nouæ legis Sacramentum, & tamen non est ceremonia sacra & religiosa, sanctificans seipsa formaliter, sed est contractus ciuilis, cui Christus addidit solùm vim significandi, & efficiendi gratiam. Respondeo, matrimonium ex quo à Christo institutum est in sacramentum, & quatenus est tale inter Christianos, non esse ampliùs merum contractum ciuilem, sed actionem sacram piè, & sanctè obeundam à coniugibus, vt Christi ministris, qui peccant contra religionem, si secus faciant. Idemque dico de ceremoniis quibusdam veteris legis, quæ sine institutione erant merè prophanæ.

14. Altera obiectio trimembris.

Opponunt etiam eruditi quidam recentiores: Quamuis sacramentum sit res sacra, & sacra ceremonia: tamen effectus formalis, quem dat formaliter participanti sacramentum, non est constituere eum seipso formaliter sacrum, sed tantùm participem rei sacræ. Nam etiam sacramenta sunt res optimæ, & benedictæ à Deo, non minùs quàm sacræ: & tamen omnes suscipientes non constituunt formaliter optimos, aut à Deo benedictos: quod facerent, si verum esset, quòd quia sacramentum est res sacra, reddat formaliter sacrum. Confirmatur, quia sacramentum Eucharistiæ est res sacratissima, & tamen non omnes, qui Eucharistiam recipiunt, constituuntur hoc ipso formaliter sacri: imò qui indignè suscipiunt, fiunt execrabiles. Atqui si rei sacræ formalis effectus esset constituere recipientem sacrum per modum causæ formalis, hoc esset commune omnibus recipientibus: quia forma non potest esse in aliquo subiecto, sine effectu formali. Deinde secundò, Si sacramentum, quia est res sacra, formaliter sacrat recipientem: ergo & sacrificium sacrat formaliter offerentem; quod tamen nos alibi negamus. Probatur sequela: nam & sacrificium est res sacra, & offerens sacrificium non minùs ei vtitur, quàm suscipiens sacramentum vtiatur sacramento. Neutrum enim se habet vt subiectum physicum, sed tantùm vt habens habitudinem quandam moralem, quæ tanta est, aut maior aliquando, in offerente sacrificium. Tertiò, sicut gratia, quam conferunt sacramenta nouæ legis, non est eorum effectus in genere causæ formalis, sed efficientis: ita sanctitas, quam sacramentum generaliùs sumptum confert, non est illius effectus formalis, sed efficientis: quo pacto sacramenta veteris legis dabant legalem quandam sanctitatem, quæ nihil erat aliud, quàm ius cohabitandi populo Dei, & participandi sacris & religiosis eius ceremoniis.

Ad primum Respondeo, Quando dicimus Sacramentum, generaliter loquendo, esse ceremoniam sacram, intelligimus non quomodocunque sacram, sed talem vt sit instituta ad sacrandum formaliter seipsa, & sanctificandum morali quadam sanctitate: ita vt subiectum illam recipiens, hoc ipso maneat Deo deuinctum specialiter, tanquam ad ipsum peculiari modo pertinens: sicut consecrationes templorum, vasorum, & vestimentorum sacrorum, sacrant illa formaliter, eo ipso, quòd illis applicantur tales ceremoniæ, per Ecclesiam ad hunc finem institutæ. Non sic autem institutum est sacramentum, vt constituat formaliter optimum, aut benedictum à Deo. Quare non sequitur, quòd si constituat formaliter sacrum modo prædicto, debeat etiam constituere optimum, & benedictum à Deo. Ad confirmationem Respondeo, recipientem Eucharistiam hoc ipso formaliter fieri sacrum, & sanctum morali sanctitate supradicta, id est, peculiari modo ad Deum & ad Christum pertinentem, velut eius commensalem, & domesticum: quamuis non fiat sacer, & sanctus quoad veram sanctitatem consistentem in gratia, & iustitia supernaturali, sed potiùs execrabilis. Sicut ille, qui in statu peccati mortalis ordinatur sacerdos; fit sine dubio hoc ipso Deo deuinctus speciali modo, tanquam sacrorum minister, & diuino cultui peculiariter deputatus: tametsi quoad veram sanctitatem fiat execrabilis, & sacrilegus. Refutatur.

Ad secundum, nego paritatem. Sacrificium enim non comparatur ad offerentem, tanquam ad subiectum; sed solùm vt ad causam efficientem: neque est institutum ad illum formaliter sacrandum; sed ad Deum colendum: neque versatur ex institutione circa vllum subiectum, à quo physicè, vel moraliter recipiatur; sed circa materiam, quæ offertur, & circa Deum, in cuius honorem immolatur. Sacramentum verò ex sua institutione versatur circa aliquod subiectum: debet enim necessariò ab aliquo recipi, & ad id tendit ex natura sua, seque habet ad recipientem, velut ad subiectum physicum, aut

morale cui applicatur, id est, in quo physicè, vel moraliter recipitur, vt patet inductione per sacramenta legis nouæ, & veteris.

Ad tertium Respondeo, non omnem effectum sacramenti esse sanctitatem illam moralem, quam confert seipso formaliter, quamuis sacramenta nouæ legis, æquè ac alia conferunt: sed vltra illam confert effectiuè aliam sanctitatem: siue veram, vt sacramenta nouæ legis: siue legalem, dando ius cohabitandi populo Dei, & participandi religiosis eius cerimoniis, vt sacramenta legis veteris. Falsum verò est nullam aliam esse sanctitatem, quam illa contulerint: est enim alia sanctitas moralis, qualem supra descripsimus, quæque etiam rebus inanimatis conuenit, vt vasis, templis, & vestibus diuino cultui deputatis: illaque per sacramenta veteris legis, æquè ac nouæ conferebatur, hoc ipso quod sacramenta recipiebantur, & homines per illa initiabantur, iuxta vim vocis græcæ μυεῖσθαι, à μυῶ, id est, sacris initio, cui respondet vox *Sacramentum*, vt sup. diximus.

15. Vis significandi & efficiendi sacramentorum est ex institutione.

Suppono quartò, vim significandi, & sanctificandi sacramentorum non esse ex sola rei natura, sed ex institutione. Ita S. Thom. quæst. 60. a. 5. & alii communiter, sequiturque ex dictis: nam cùm, vt modò diximus, sacramenta omnia sint signa gratiæ sanctificantis, vel tunc collatæ, vel aliquando conferendæ, sanctificentque seipsis aliquo modo morali formaliter: & tamen sint signa sensibilia, id est, consistant in rebus sensibilibus ex toto, vel ex parte: non potest tota illorum significatio, & vis, esse ex sola rei natura. Nam res sensibiles non significant naturaliter gratiam sanctificantem, neque sanctificant moraliter, id est, Deo dicant, & deputant specialiter, vel cum eo coniungunt peculiariter, sine Dei ipsius, vel alterius agentis liberi, & intelligentis ordinatione. Dixi, totam eorum significationem: quia non nego partem aliquam sacramenti significare naturaliter gratiam. Nam verbi gratiâ in sacramento Pœnitentiæ, attritio, quæ est vna pars eius essentialis, potest esse dolor de amissa pulchritudine gratiæ, cum spe, seu desiderio eam recuperandi. Hic autem actus significat naturaliter gratiam, ad quam, velut ad obiectum habet ordinem essentialem. Addunt aliqui recentiores, licet de facto verum sit omnia sacramenta fuisse signa ad placitum instituta; neque ex natura sua habere quòd significent gratiam: de possibili tamen non repugnare dari aliquam rem sensibilem, quæ propter connexionem, quam ex natura sua habet cum gratia, possit illam significare. Nam vbicatio corporis Christi in Eucharistia est materialis, & tamen est accidens supernaturale, & in aliquorum sententia dicit ex se ordinem ad gratiam sacramentalem; quam corpus Christi potest ibi causare, ex eoque ordine intrinseco accipit supernaturalitatem. Item dotes corporis gloriosi sunt materiales, & tamen sunt etiam supernaturales propter ordinem intrinsecum, quem habent ex se ad visionem beatam, & per consequens ad gratiam habitualem, quæ est semen gloriæ. Ergo similiter potest esse aliqua qualitas materialis ex natura sua significans gratiam præsentem, vel futuram. Hæc illi: quæ vera esse non puto: sed potiùs nullam esse rem naturalem, quæ habeat ex natura sua connexionem cum gratia, nec in genere causæ efficientis, nec materialis, vel formalis, aut finalis.

Ad primum autem illorum argumentum, dico vbicationem corporis Christi in Eucharistia non esse accidens, nisi logicum, & supernaturale tantùm in modo, vt ostendemus suo loco: quatenus scilicet est supra vim causarum naturalium, quòd Christi corpus tali modo constituatur totum in toto, & totum in qualibet parte, more connaturali angelis & animæ rationali. Quòd verò ex se dicat ordinem ad gratiam sacramentalem, fictitium est: neque ex eo accipit denominationem supernaturalis: sed ex eo quòd superet vim causarum naturalium. Ad secundum Respondeo, dotes corporis gloriosi esse tantùm supernaturales quoad modum intrinsecum; aut extrinsecum; non autem quoad substantiam, neque propter ordinem intrinsecum, quem habeant ex se ad visionem beatam, & ad gratiam; qui ordo sine ratione asseritur: sed quia supra vim causarum naturalium est, vt tales qualitates (quibus aliquæ similes habentur in specie in aliis subiectis, quibus conueniunt vi causarum naturalium) conueniant humano corpori simpliciter, aut tam intensè, & permanenter. Nam agilitas, claritas, subtilitas, & impassibilitas conueniunt naturaliter quibusdam aliis rebus creatis, & naturalibus. Vt agilitas igni, & Angelis; claritas soli, & stellis; subtilitas spiritibus, & accidentibus, etiam materialibus, vt luci & aliis; impassibilitas corporibus cœlestibus. Quòd tamen agilitas, saltem tanta; quódque aliæ dotes prædictæ corpori humano conueniant, supra naturam est. 16.

Obiicies ex D. August. epist. 23. ad Bonifac. Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent. Quibus verbis significare videtur August. sacramenta debere naturalem quandam similitudinem habere cum rebus, quarum signa sunt, adeoque illas significare naturaliter, nempe naturali repræsentatione. Respondeo primò, D. August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 3. comparare significationem sacramentorum, cum verborum significatione, quæ sine dubio ex instituto est. Et lib. 3. cap. 9. ait sacramentum esse signum diuinitus institutum. Secundò, ad locum in obiectione citatum respondent aliqui cum Suar. disput. 1. sect. 3. §. *Sed obiici potest*, D. August. ibi loqui de similitudine imperfecta, & analogica, ad quam Deus attendit instituendo sacramenta ad gratiam perfectè significandam. Verbi gratiâ assumpsit cor- 17. August. Suarez.

poris ablutionem per aquam, ad significandam emundationem animæ à peccato per gratiam: quia est aliqua analogia inter vtrumque. Sed hic non est sensus D. August. qui ibi loquitur de similitudine solùm quæ conuenit sacramentis per repræsentationem ex instituto, propter quam nomen rei significata tribuitur interdum ipsi signo, & sacramento. V. g. inquit, quia Baptismus est sacramentum, id est, sacrum signum fidei, vocatur fides. Sicut qualibet die Dominica dicimus Christum resurrexisse hac die: quia scilicet hic dies festus institutus est ad recolendam memoriam Resurrectionis. Liquet autem quòd non accipiant hanc denominationem ex sola naturali analogia, quæ non est maior in die dominica respectu resurrectionis, quàm in quauis alia: nec in ablutione Baptismi respectu fidei, vel gratiæ mundantis à peccato; quàm in ablutione manuum, vel totius corporis extra baptismum. Sensus ergo D. Augustini est, quòd sacramenta non essent sacramenta, nisi haberent ex institutione quandam similitudinem, id est repræsentationem earum rerum, quarum sunt sacramenta: id est, nisi essent rerum illarum signa: qui sensus nobis omnino nihil obest.

18. Omnia sacramenta fuerunt à Deo instituta permanenter.

Suppono quintò & vltimò, ea omnia quæ communi sensu Theologorum, & Catholicorum nuncupantur, & censentur fuisse sacramenta in quacunque lege, fuisse à Deo instituta: idque permanenter, id est, publica, stabili, & constanti lege, vt semper videlicet vsurparentur, quandiu duraret status ille religionis, pro quo fuerunt instituta. Prima pars sumitur ex D. August. lib. 3. de Doct. Christ. cap. 9. vbi dicit, Sacramentum esse signum diuinitùs institutum. (August.) Est etiam communis Theologorum cum D. Thoma quæst. 64. aientium, non posse verum sacramentum institui, nisi à solo Deo; aut ex speciali Dei commissione, quorum vtrumque hîc intelligo. Vtraque verò pars probatur inductione. Nam sacramentum legis naturalis institutum in remedium peccati originalis, siue circumcisio, siue quoduis aliud, fuit à Deo institutum, & datum hominibus, qui non poterant sine Dei institutione mederi peccato originali vllo signo sensibili; durauitque, quandiu lex purè naturalis durauit: Nunquam enim ea lex destituta fuit tali aliquo remedio. Sacramenta quoque legis Mosaicæ, quæ successit naturali, fuerunt omnia à Deo instituta, vt patet ex libris Exodi, & Leuitici: Durareuntque, quandiu lex eadem perseuerauit, vt liquet ex Scriptura, & Historia veteris & noui Testamenti. Septem denique sacramenta legis nouæ fuerunt omnia immediatè à Christo instituta, vt ostendemus suo loco; durantque vi institutionis vsque ad mundi consummationem: vt de Eucharistia speciatim affirmat Apost. 1. Corinth. 11. v. 26. De Baptismo quoque idem colligitur ex Math. vlt. v. 19. & 20. & de Ordine, quo instituuntur Ecclesiæ pastores & ministri, ex Ephes. 4. v. 11. 12. 13. De aliis verò par est ratio & necessitas. Et de omnibus constat ex consuetudine Ecclesiæ, semper ea sacramenta vsurpantis: Ecclesia autem Euangelica vsque ad mundi finem durabit, vt affirmat Apost. loco cit. epist. ad Ephes.

Conueniens autem fuit sacramenta à Deo ipso, & permanenter institui. Nam ad maiorem eorum venerationem facit, quòd sint à Deo ipso instituta: indeque sacramenta sunt signa præstantissima, non modò ex parte significationis, & rei significatæ: sed etiã ex parte instituentis ad significandum. Deinde pertinet ad Deum, qui solus est auctor gratiæ, instituere vera signa gratiæ infallibiliter conferendæ, siue in eorum vsu, siue post, per Christi merita ad hunc finem applicata: Permanentia verò esse debuerunt, id est, stabili lege institui ad perpetuum vsum: quia cùm eo fine sint instituta, vt per ea fideles vel in vnam Ecclesiam visibilem congregentur, Deique cultum vniformiter suscipiant, & profiteantur: vel in vnitate fidei, & diuini cultus conformitate contineantur: conueniens fuit ea durare, quandiu durat status religionis, in quo instituuntur. Cùm denique sint velut Ecclesiæ columnæ, quo sensu Cyprian. August. & alii exponunt illud Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum*, id est Ecclesiam Euangelicam, *Excidit columnas septem*, id est septem sacramenta instituit: debent columnæ firmiter stare, quãdiu domus stat. Vide etiam Trident. sess. 21. cap. 2 ait, Ecclesiam non habere potestatem in substantiam sacramentorum, sed eam semper saluam esse debere, quamuis accidentales cerimoniæ circa eorum vsum, ab Ecclesia induci, vel tolli & mutari possint. 19. Conueniẽs fuit ita institui.

Nec obest quod obiicit vnus è Recentioribus disp. 1. de Sacram. num. 48. dubitari posse, num manuum impositio facta super caput Iosue Deuter. vlt. fuerit sacramẽtum consecrans Iosue in ministrum Domini, & significans gratiam legis nouæ. Secundò, quidquid sit de hoc, & aliis similibus, non bene argui ab iis, quæ facta sunt, vt ex hoc solo negetur possibile aliud sacramentum non stabile. Tertiò, ad vnitatem, & stabilitatem religionis sufficere, si omnibus fidelibus sint communes cerimoniæ principales, & ritus: licet aliquid extraordinarium obiter fiat. Sicut ad fidei vnitatem sufficit, si omnibus proponantur articuli principales: licet alicui aliquando reueletur à Deo aliquod mysterium, cuius fides non pertineat ad totum corpus Ecclesiæ. Confirmatur exemplo sacrificii Abrahæ circa proprium filium in lege naturali, & sacrificii Christi in cruce, quorum neutrum transiit in exemplum; nec stabilitum fuit per legem permanentem: sed fuit ritus extraordinarius semel vsurpandus. 20. Obiectio tri membris.

Ad primum enim Respondeo, Id de quo auctor ille dubitat, negari ab aliis communiter, sicut etiam negatur communiter, 21. Refutatur

Vasquez. præterquam ab eodem num. 52. & à Vasq. disp. 239. in 3. p. num. 35. cerimoniam. qua Christus insufflauit in Apostolos dicens, *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata*, &c. Ioannis 20. & verba illa Christi ad Paralyt. Lucæ 5. v. 20. *Remittuntur tibi peccata tua*: & similia ad Magdalenam, Lucæ 7. v. 48. fuisse sacramenta: idque non alia de causa, nisi quia hæc fuerunt tantùm obiter à Christo vsurpata, & non permanenter instituta, vt scilicet eædem ceremoniæ eodem modo factæ à ministris Euangelicis semper valerent ad sanctificationem, & peccatorum remissionem. In modis autem loquendi, & verborum significationibus explicandis, habenda est ratio sensus, & vsus communis,

Quem penes & ratio est, & vis, & norma loquendi.

22. Ad secundum Respondeo primò, Quæstionem esse in præsenti de iis, quæ facta sunt, vt antea præmonuimus, id est, de conceptu communi omnibus sacramentis in quacunque lege institutis. Secundò, ex cõmuni sensu, & vsu, vim significandi nominis huius *Sacramentum* ita fuisse restrictam ad ceremoniam stabili lege institutam, vt aliæ sub idem nomen venire non possint.

23. Ad tertium Dico, Omnia sacramenta esse ceremonias principales, & substantiales, ac fundamentales religionis, atque ad totum corpus Ecclesiæ pertinentes: vnde non est par ratio de particularibus illis reuelationibus, aut de sacrificio Abrahæ. Sacrificium verò cruentum Christi in cruce ex parte offerentis, & ex parte rei oblatæ, est idem cum sacrificio Eucharistiæ. Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa, vt ait Trident. sess. 22. cap. 2. Quare sacrificium illud stabilitum fuit per legem permanentem, quatenus Deus statuit, vt semper in Ecclesia immolaretur mysticè, & incruentè, idem qui semel in cruce visibiliter, & cruentè immolatus est. Modus autem cruentè ipsum immolandi non debuit permanenter institui, & semper in Ecclesia cõtinuari: quia repugnat Christi immortalitati, & impassibilitati, ac gloriæ corporis, quâ conuenientius fuit Christum frui peracto opere nostræ redemptionis. Trident.

24. Soluitur instantia. Instabis, Quia duratio non mutat speciem rei, quæ durat. Ergo si cerimonia durans ex stabili, & constanti lege, est sacramentum; erit pariter, quamuis non duret. Respondeo, licet duratio sacramentorum, quam ex lege, & institutione Dei sortita sunt, accidentalis sit logicè, rebus iis, quibus sacramenta constant, physicè spectatis, atque etiam virtuti significandi, & causandi (quòd enim res magis aut minùs duret, non variat eius naturam physicè loquendo, aut etiam metaphysicè quoad conceptum eius essentialem, & primarium) moraliter tamen, & in ordine ad vsus humanos plurimum differt res eadem per modum actionis transeuntis obiter vsurpata, à se ipsa publica, & constãti lege instituta, vt religiosa cerimonia. Etenim illa institutio publica facta promulgatione, cum pacto diuino de effectu semper & infallibiliter præstando, videtur rem tali pacto, & promulgationi subiectam efficere moraliter alterius rationis, longéque aliter æstimabilem reddit, vt rectè docent Suares disp. 1. sect. 3. in fine, & Gregorius Ruis in 4. Cont. 4. in respons. ad 6. argumentum. Addo, quidquid sit de differentia specifica, multa esse quæ non dicuntur aliquo nomine, nisi tali quodam modo se habeant: V. g. iussio Principis non dicitur lex, nisi sit stabilis, & perpetua: alioquin enim est simplex mandatum, seu præceptum: & in physicis aqua non dicitur nix, aut glacies, nisi tali modo concreta. Suares. Ruis.

25. Vera definitio sacramenti in communi. Ex his omnibus colligi potest definitio sacramenti in communi, quam quærimus, quæ sic breuiter tradi potest: *Est signum sacrum, & sensibile gratiæ, permanenter à Deo institutum.* Per signum sacrum, intellige sacrum non modò ratione significationis, quod per particulam *gratiæ*, quæ post sequitur in definitione, satis exprimeretur: sed & ratione sui, quod nimirum est tale, vt seipso sacret formaliter, id est, in genere causæ formalis sanctificet moraliter eum cui applicatur, eo ipso, quòd illi applicatur: sicut omnes causæ formales tribuunt subiecto suum effectum formalem eo ipso, quòd illi vniuntur. Reliquæ partes definitionis ex dictis notæ sunt. Eam verò bonam esse, & adæquatam probo, Quia nullum est sacramentum, cui non conueniat: & non conuenit vlli rei, quæ non sit sacramentum: adeóque conuenit omni & soli sacramento: nihil etiã continet, quod in conceptu sacramenti necessarium non sit ad excludenda ea omnia, quæ non sunt sacramentum, atque ad illius rationem propriam perfectè explicandam.

26. Probatur esse exacta. Ac primò, quòd nullum sit aut fuerit sacramentum, cui non conueniat, ostendimus toto discursu præcedenti. Deinde, quòd nulli rei conueniat, quæ non sit sacramentum, quódque per aliquam illius particulam excludantur alia omnia, quæ non sunt sacramenta, patebit inductione per ea omnia, quæ fuerunt contra aliorum definitiones allata, quibus similia sunt quæcunque alia afferri possunt. Nam Euangelium, imagines Dei, Christi, & Sanctorum, Serpens æneus, Arca fœderis, & similes figuræ veteris Testamenti, & columba, vel nubes supra Christum apparens, non sunt Sacramẽta; quia non sunt signa sacra sacrantia formaliter seipsis. Idemque dico de transitu maris rubri, & ingressu in terram promissionis, qui etiam non fuit permanenter institutus, vt sæpius fieret. Professio verò Religiosorum, tonsura Clericorum, benedictio Abbatum, consecratio, seu vnctio Regum, & summorum Pontificum, non est cerimonia

à Deo instituta, sed ab Ecclesia sine speciali Dei commissione, vt & aliæ multæ cerimoniæ. Idemque dico de vnctione chrismatis in vertice baptizatorum, & applicatione salis, ac saliuæ, linguæ, & auribus eorundem. Sacrificium autem Eucharistiæ, non moraliter & legaliter sanctificat seipso formaliter: alioqui sanctificaret quemcunque, cui applicaretur, & eo solo, quo illi applicaretur: quod est falsum: nam sanctificatio, quam tribuere dicitur, est liberatio à pœna coram Deo. At illam non confert omnibus, quibus applicatur, sed solùm homini iusto, cui applicatur ad hunc finem, vt docent Theologi communiter cum D. Thoma q. 79. art. 3. (D. Thom.) Deinde illam non confert formaliter, sed potius in genere causæ efficientis, quatenus mouet Deum, vt propter illam oblationem, tam ipsi gratam, remittat pœnam debitam ab homine iusto, pro quo offertur. Sicut propter sacrificium taurorum, & arietum, iunctum precibus Iob, remisit Deus pœnam (Iob 42.) peccati Eliphas Themanitæ, & duobus eius sociis. Similiter oratio, qua quis gratiam Dei postulat, & impetrat, non est signum sensibile à Deo institutum ad sanctificandum moraliter seipso in genere causæ formalis, vt neque actus meritorius, & contritio, vel dilectio Dei super omnia, disponens ad iustificationem. Si quæ fuerunt autem sacrificia in lege veteri sanctificantia formaliter seipsis legaliter, & simul gratiæ significatiua, & permanenter instituta diuinitùs: vt sacrificia, quibus in ea lege sacerdotes initiabantur, de quibus vide cap. 29. Exodi: ea fuerunt simul sacramenta, & sacrificia: quanquam diuerso respectu: sacrificium enim, vt sic, refertur ad Dei cultum, id est, ad supremam Dei excellentiam protestandam, vt auctoris omnium rerum, & domini vitæ, & mortis hominum: sacramentum verò, quà tale, refertur ad hominum sanctificationem.

27. Colligi etiam potest ex dictis, verum esse (D. Thom.) quod ait S. Thom. q. 60. a. 1. in c. & ad 1. sacramentum communissimè sumptum, vt hîc sumitur, non poni in genere causæ efficientis, sed in genere signi: quia, inquit, non oportet quòd sacramentum semper importet causalitatem. Nimirum quia sufficit ad rationẽ sacramenti, vt seipso formaliter sanctificet aliquo modo legali imperfecto, & simul sit signum sensibile gratiæ permanenter à Deo institutum: tametsi verum est, sacramenta omnia tam legis veteris, quàm nouæ, vltra formalem illam sanctitatem moralem, aliam contulisse, & conferre in genere causæ efficientis: illa quidem legalem solùm, id est, ius liberè conuersandi cum populo Dei, & participandi religiosis eius cerimoniis, aliisque priuilegiis: ista verò gratiam verè, & coram Deo iustificantem.

Perperam verò obiiciunt aliqui recentiores, non bene excludi sacramentalia à definitione sacramenti, per hoc solum, quòd non fuerunt à Deo instituta, sed ab Ecclesia: tum quia, inquiunt, non constat aliquas Baptismi v. g. cerimonias non fuisse à Christo ipso institutas: tum etiam, quia iuxta hanc sententiam, possent aliqui ritus à Deo non instituti esse omnino pares virtute, & efficacia sacramentis: & per hoc vnicum deficere à ratione sacramenti, quòd non essent instituti à Deo. Cuius contrarium supponunt omnes Theologi, cùm dicunt, nullam creaturam posse propria auctoritate instituere vllum sacramentum propriè dictum. Hoc enim frustra diceretur, & frustra Trident. sess. 7. can. 1. diceret anathema asserentibus, non omnia legis nouæ sacramenta esse instituta à Christo: nam hæc ratio loquendi vsurpatur ad asserendum aliquam esse excellentiam in sacramentis propriè dictis, cuius homines non possunt esse auctores & causæ.

Ad quæ Respondeo primò, satis constare ex communi sensu Theologorum, qui sine dubiò manauit ab antiquorum traditione, cerimonias accidentales Baptismi, & aliorũ sacramentorum, esse ex institutione Ecclesiæ: idque supponit Trident. sess. 21. cap. 2. cùm dicit, posse Ecclesiam illas immutare, dummodo salua maneat sacramentorum substantia. Secundò, quod communiter docet Theologi, non posse vllam puram creaturam esse auctorem sacramentorum, & instituere ritus qui habeant parem efficaciam cum sacramẽtis: intelligendum esse, sicut expressè etiam ab illis asseritur, de sacramentis nouæ legis habentibus vim sanctificãdi coram Deo per remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ. Nam quòd Ecclesia possit instituere cerimonias, & reipsa instituerit aliquas, habentes vim sacrandi moraliter, & conferendi legalem aliquam sanctitatem, non negant Theologi, neque iure in dubium vocari potest: sique id negent aduersarii, apertè sibi contradicunt, cùm alibi docent, quatuor Ordines minores esse cerimonias ab Ecclesia institutas: & tamen ordinem Exorcistarum magis sanctificare moraliter, & valere ad nobiliorem effectum, quàm consecrationem sacerdotum legis Mosaicæ, quæ tamen erat sacramentum veteris legis à Deo institutum, & figura sacerdotii Euangelici. Docent etiã, sacramenta legis veteris non aliam contulisse sanctitatem, quàm conuersandi liberè cum populo Dei, & participandi sacris eius cerimoniis. Atqui certum est, & euidens, ritum absoluendi ab excõmunicatione institutum ab Ecclesia habere parem effectum. (Diluitur obiectio.)

Perperam quoque obiiciunt, definitionem à nobis datam non esse vniuocam, quia est relatiua ad effectus sub aliquo nomine æquiuoco consideratos: nempe ad sanctitatem legalem, quam efficiebant sacramenta legis veteris: & ad veram sanctitatem, quam efficiunt sacramenta legis nouæ: quæ duæ sanctitates æquiuocè tantùm, vel analogicè conueniunt, & sub eodem nomine inuoluuntur in prædicta definitione. Respondeo enim duplicem sanctitatem poni à nobis in definitione cõmunissima sacramenti, & duplici nomine significari, Vna est sãctitas imperfecta; 28. (Definitio sacramenti communissimè sumpti est vniuoca.)

& moralis tãtùm, seu consecratio passiua, quę significatur hac particula definitionis, *Est signum sacrum*, id est, cerimonia sacrans formaliter seipsa: & in suo conceptu nihil aliud includit, quàm coniunctionem specialem cum Deo, siue specialiter esse Deo deiunctum. In eo autem conueniebant sacramenta legis veteris cum sacramentis nouæ legis, quòd efficerent homines, quibus applicabantur, specialiter Deo deiunctos, per seipsa formaliter. Quare conueniunt in illo conceptu communi, & confuso. Altera sanctitas est vera, & perfecta, quæ significatur nomine gratiæ, in eadem definitione. In eo autem conueniunt etiam sacramenta veteris, & nouæ, quòd omnia significent veram sanctitatem, abstrahendo ab hac differentia, quòd sacramenta veteris legis significabant tantùm; at nouæ legis sacramenta significant practicè, & effectiuè; ita vt efficiant illud ipsum quod significant, veramque sanctitatem animæ, & gratiam iustificantem dignè suscipientibus conferant. Verùm hæc sanctitas non ponitur à nobis in definitione sacramenti generalissimè sumpti, velut illius effectus in genere causæ efficientis, vt malè supponunt aduersarii: sed tantùm velut terminus significationis sacramentalis: ita vt sensus definitionis sit, sacramenta omnia, tam veteris legis, quàm nouæ, sacrare formaliter seipsis, id est, sanctificare modo quodam imperfecto, & morali, & vlteriùs esse signa veræ, & perfectæ sanctitatis: quod de omnibus illis verum est, & vniformi conceptu exprimi potest. Quare falsum est, definitionem nostram eodem nomine æquiuoco significare diuersos effectus æquiuocè tantùm, vel analogicè conuenientes sub illo.

SECTIO III.

Quid sit Sacramentum prout est proximum genus ad septem legis nouæ sacramenta?

29. SVppono in hac quæst. æquè ac in præcedenti, non inquiri definitionem *quid rei*, sed *quid nominis*, vt loquuntur philosophi: id est, non inquiri definitionem vnius alicuius rei cujus natura explicetur per principia eius intrinseca, & essentialia: sed descriptionem, & explicationem significati respondentis huic voci *Sacramentum*: quod significatum non est vnica res, sed ex multis constat, & multa importat, partim intrinseca, partim extrinseca ei, quod in recto significat vox sacramenti, & pro quo dicitur supponere. Quæritur ergo quodnam sit integrum, & proprium significatum respondens huic voci, Sacramentum nouæ legis?

Definitio sacramenti prout est genus proximum ad septem sacramenta nouæ legis.

Respondeo sic definiri posse: Est signum sacrum, & sensibile permanenter à Deo institutum ad significandam, & efficiendam gratiam infallibiliter, & ex opere operato. Quæ definitio bona esse probatur, quia nullum tale signum est, quod non sit legis nouæ sacramentum: & nullum etiam est legis nouæ sacramentum, quod non sit tale signum: nihilque in hac definitione continetur, quod non sit necessarium ad conceptum Sacramenti nouæ legis, vt à sacramentis veteris legis, & à quibusdam aliis distinguatur, quemadmodum ex dicendis patebit.

30. Dixi primò, Sacramentum nouæ legis esse signum: quod illi conuenire ex genere suo affirmat S. Thom. quæst. 60. a. 1. Idemque docet Trident. sess. 7. can. 6. de Sacram. in genere, pronuncians sacramenta nouæ legis esse signa efficacia gratiæ, quam significant: & Florent. in Dec. S. *Nouæ legis*. Cum autem signum duplex sit; alterum naturale, quod significat ex natura sua, id est, quod aliquid aliud præter seipsum naturaliter ingerit potentiæ cognoscenti, vt fumus, ignem; vestigium leonis, leonem. Alterum ex institutione, quod significat ad placitum, & ex impositione, non ex natura ipsa rei, vt hedera appensa significat vinum vendibile: Sacramenta nouæ legis sunt signa huius secundi generis, nempe ex instituto, saltem quoad perfectam, & claram significationem, vt patet inductione. Quamuis enim lotio aquæ in Baptismo aliquam habeat analogiam cum lotione, & sanctificatione animæ: & vnctio chrismatica in Confirmatione, cum corroboratione interna, quæ per gratiam fit: & comestio cibi ac potus Eucharistici, cum nutritione spirituali: & reliqua sacramenta habeant similem analogiam cum re, cuius sunt signa, eaque Christus sapienter instituerit seruata quadam proportione cum re significata: illa tamen imperfecta est, & insufficiens, vt ex sola rei natura possit is qui ignorat diuinam institutionem, intelligere vnam ex alia.

Probatur esse signum ex instituto

31. Verba quoque sacramentalia, quæ sunt altera pars essentialis sacramentorum nouæ legis, non significant gratiam sanctificantem ex natura sua: nam si sunt verba propriè dicta, & ore prolata, (vt esse debent necessariò, & essentialiter in omnibus, excepto matrimonio) significant tantùm ex instituto id, ad quod significandum fuerunt ab hominibus, vel à Christo imposita. Expressio verò consensus interni in matrimonio, facta per nutus, vel gestus naturales, non est, magis quàm verba, signum naturale coniunctionis animæ cum Christo per gratiam sanctificantem: nihil enim naturale potest ex natura sua sola esse signum sensibile rei supernaturalis. Quin etiam nulla verba sacramentalia, aut quasi verba, qualia à Christo sunt assumpta in formam sacramentorum, significant clarè gratiam sanctificantem ex vi solius primariæ institutionis, ac sine noua institutione à Christo addita: multóque minùs significant verè illam conferri infallibiliter. Nam verbi gratiâ, forma essentialis sacramenti Pœnitentiæ, *Absoluo te à peccatis*, aut forma sacramenti Extremæ-vnctionis, *Dimittat tibi Deus quidquid peccasti per visum*, &c.

non significat perfectè, & clarè gratiam sanctificantem, quæ à remissione peccatorum distincta est, ex Trident. sess. 6. cap. 7. initio, & circa medium. Aliæ verò sacramentorum formæ multò minùs eam significant, vt constat inductione. Quin etiam forma sacramenti Pœnitentiæ, seposita Dei institutione, significaret tantùm humanam remissionem peccati, quâ homines remittunt peccata prout in se, aliosue commissa sunt, secundum potestatem, quam naturaliter à se, vel ex aliorum commissione habent, vt rectè notat Aegid. Con. ad quæst. 60. num. 15. Forma verò Extremæ-vnctionis significaret tantùm illam optari, & peti à Deo, sed non infallibiliter fieri. Quare licet sacramenta nouæ legis habeant quandam analogiam, & similitudinem imperfectam cum re cuius signa sunt, itáque Christus sapienter, & ob suauiorem ordinem prouidentiæ instituerit, seruata quadam proportione cum re significata: nullam tamen habent cum illa naturalem similitudinem, aut significationem perfectam.

32. Quomodo sit causa gratiæ. Dixi secundò, Sacramentum esse signum sensibile permanenter institutum ad significandam, & efficiendam gratiam infallibiliter ex opere operato: quarum particularum duæ priores patent ex dictis sect. 2. Postrema verò sic intelligenda est, vt sacramentum efficiat gratiam per se, id est, non per accidens: & proximè in genere signi practici, id est, tanquam signum, cui promissio diuina est alligata immediatè, quoue Deus excitatur immediatè ad dandum effectum sacramentalem propter Christi merita: id est, quod Christus obtulit præcisè Patri, vt sua merita applicaret vsurpantibus hoc signum. Nam particula illa, *Per se proximè*, intelligenda est hoc sensu, quòd sacramentum per se proximè Deum moueat, ad gratiam conferendam propter merita Christi: quod non facit consecratio Eucharistica, nec confectio Chrismatis. Non autem quòd sacramentum per se proximè gratiam ipsam efficiat. Causa enim moralis nunquam proximè efficit, sed tantùm mediantè causa physica, quam mouet, aut applicat ad effectum ponendum.

33. Dixi præterea, *infallibiliter*: nempe quantum est ex se, si non sit obex, seu impedimentum gratiæ ex parte recipientis: Et, *ex opere operato*, id est, eo ipso, quòd tale signum ponitur, & tale opus religiosum exercetur; absque eo quòd requiratur actus ex parte suscipientis, aut ministrantis, qui gratiam collatam mereatur, aut sit eiusdem ordinis, & dignitatis cum illa, atque illi satis proportionatus in specie, & in gradu; vel qui ad eam impetrandam habeat vim de se sufficientem sine tali opere, vel cerimonia: cuiusmodi sunt actus supernaturales contritionis, aut dilectionis Dei super omnia, quos cùm exercemus, iustificamur vi illorum ex opere operantis. Hanc autem partem definitionis tradit expressè Trid. sess. 7. can. 6. 7. & 8. *de Sacramentis in genere*. Per eam verò reiiciuntur primò sacramenta veteris legis, quæ non habebât vim conferendi gratiam ex opere operato: sed tantùm sanctificandi sanctitate quadam legali, id est, vi legis consistente; & morali, id est, æstimatiua. Secundò, Reiiciuntur etiam sacramentalia nouæ legis, & quædam aliæ cerimoniæ Ecclesiasticæ: cuiusmodi sunt vsus aquæ lustralis, consecratio Abbatis, tonsura clericorum, & sanctimonialium; vnctio regum, & imperatorum: quæ sanctitatem quandam moralẽ tribuunt: at non physicam, & præcipuam, gratiam scilicet supernaturalem, ex operẽ operato. Tertiò, Reiiciuntur item actus virtutum, qui non ex opere operato, sed ex opere operantis sanctificant, tanquam condignæ dispositiones, vel causę meritoriæ, aut impetratoriæ gratię, sufficientes, quantum est ex se, vi solius affectus interni, quamuis deesset actus externus, seu opus exteriùs operatum, vel alia cerimonia affectui interno adiuncta: vt actus contritionis, & amoris Dei super omnia, & oratio facta cum omnibus requisitis ad gratiam impetrandam. Quartò, Reiicitur quoque consecratio Eucharistica, quæ non per se proximè valet ad gratiam efficiendam, tanquam signum, quo Deus immediatè moueatur ad eam conferendam, & cui immediatè promissionem suam alligauerit ad hunc effectum: sed ad ponendum corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini; & ad sacramentum efficiendum, per quod tantùm sanctificat. Idemque dico de consecratione Chrismatis, seu de cerimonia, quâ oleum balsamo miscetur, & benedicitur ab Episcopo, ad sacramentum Confirmationis efficiendum.

Quomodo alia reiiciantur à definitione sacramenti.

Quintò denique, Per eandem particulam reiiciuntur hæreticorum definitiones de quibus latè Bellarm. tom. 2. lib. 1. de Sacram. in genere cap. 14. & sequent. Quas definitiones licet familiari leuitate, & inconstantia sæpius cudant, atque reforment: omnes tamen in eo conueniunt, quòd sacramenta velint esse tantùm inania quædam, seu vacua signa gratiæ, id est, extrinseci cuiusdam fauoris diuini: aut signacula externa promissionis diuinæ, & prædestinationis nostræ, aut sigilla iustitiæ Christi per fidem apprehensæ, & nobis applicatæ: quam fidem excitant velut externa quædam motiua: vel denique, vt Caluino placet 4. Instit. cap. 14. num. 1. Externa quædam symbola quibus beneuolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, & Angelis, quàm apud homines testamur. Quam definitionem, reiectis aliis, simplicem, & propriam sacramenti esse ait. Sed hic error commodiùs refutabitur disp. 21. sect. 1. Interea legi potest eius, & aliorum hæreticorum expressa condemnatio in Trid. sess. 7. can. 6. 7. & 8. *de Sacramentis in genere*. 34. Definitio sacramenti data ab hæreticis. Caluin.

Circa

35. Sacramenta præter gratiam alia multa significant.

Circa eandem particulã definitionis Nota primò, Sacramenta nouæ legis non tantùm vim habere significandi gratiam, sed & alia multa. Nam vt rectè notat D. Thom. q. 60. art. 5. in c. Sacramenta nouæ legis significant præterea causam meritoriam nostræ sanctificationis, eiusque finem vltimum, qui est vita æterna. Vnde, inquit, sacramentum est signum rememoratiuum eius quod præcessit, videlicet passionis Christi: & demonstratiuum eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ: & prognosticum futuræ gloriæ. Sic Baptismus v. g. præter interiorem animæ lotionem per gratiam, significat mortem, & sepulturam, & resurrectionem Christi gloriosam, & nostrã; vt dicitur Rom. 6. v. 3. & sequentibus. Sacramentum Eucharistiæ Christi mortem annunciat 1. Corinth. 11. v. 36. Et sacramentum Matrimonii significat mirabilem Christi coniunctionem cum Ecclesia, siue per naturam in mysterio Incarnationis, siue per gratiam, vt in iustificatione fit, Ephes. 5. v. 32. Vnde collige, non omnia quæ significantur à Sacramentis, effici ab illis: significãt enim prædicta mysteria, quæ non efficiunt.

Sunt signa rememoratiua, demõstratiua, & prognostica.

36. Sacramenta præter gratiam alia quæ dã efficiunt.

Nota secundò, Sacramenta nouæ legis, præter gratiam sanctificantem, consistentem in remissione peccatorum, & infusione habituum supernaturalium, alia quædam efficere. Nam Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem, id est, signum aliquod spiritale indelebile, vt definit Trident. sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere. Tribuunt etiam singula ius ad auxilia fini suo conuenientia, quæ Deus dabit infallibiliter tempore opportuno, nisi ponatur obex. V. gr. Baptismus, quo in vitam spiritalem renascimur, dat ius ad auxilia necessaria, vt vitam homine Christiano dignam viuamus. Confirmatio verò, quã in fide corroboramur, & veluti Christi militiæ adscribimur, tribuit ius ad auxilium speciale, quo confirmatus possit fortiter Christi fidem profiteri, cùm opus est, & resistere oppugnationibus. Eucharistia sacramentum amoris, valet ad amorem diuinum excitandum. Sacramentum Pœnitentiæ, ad peccata vitanda. Extrema vnctio, ad pellendum morbum, aut patienter ferendum, & mortem fœliciter obeundam. Ordo denique, ac Matrimonium, ad statum vtrumque decenter exercendum. Insuper sacramẽta quædam tribuunt aliquod aliud esse, aut posse morale: v. g. Baptismus constituit in esse Christiani subditi Ecclesiæ, & capacis aliorum sacramentorum: sacramentum Ordinis Sacerdotalis dat moralem potestatem conficiendi corpus Christi, & absoluendi à peccatis. Ordo Episcopalis confert potestatem confirmandi & ordinandi, quam alii Sacerdotes ex vi suæ ordinationis non habent.

37. Quid sit sacramentũ causare gratiã ex opere operato.

Nota tertiò, particulam illam, *Ex opere operato*, aliter à quibusdam explicari: quorum aliqui tantùm in modo loquendi, alii etiam sensu à nobis discrepant. Nam Vasq. disput. 135. n. 30. ait, ex opere operato aliquem iustificari, nihil esse aliud, quàm ita virtute solius operis tali modo facti iustificari, vt licet in ministro non sit fides, neque bonus motus animi, imò potius malus: sed tantùm voluntas faciendi opus illud intentione instituentis: nihilominus opere illo exteriori fiat iustificatio, & Deus illam concedat respiciens solùm opus illud ita factum, non autem bonum affectum, aut dignitatem ministri: cùm potiùs si illam respiceret, gratiam suam negare deberet, nempe quando minister huiusmodi opus prauo affectu efficeret. Iustificari autẽ ex opere operantis, esse, iustificari aut proprio opere, aut etiam alieno per modum dispositionis, seu impetrationis, & cuiusdam meriti. Hæc Vasq. Cui opponi potest, ex ea definitione sequi, Matrimonium non conferre gratiam ex opere operato, quia non iustificat coniuges, qui sunt eius ministri, sine aliquo actu fidei supernaturali, & bono motu animi. Sed nihilominus verum est quod ait Vasq. sacramenti efficaciam non pendere à bono affectu ministri, à quo tantùm requiritur vt faciat opus à Christo institutum, cum intentione faciendi iuxta illius institutionem: Itàque docent communiter SS. Patres, & Theologi, vt ostendemus disp. 22. sect. 6. & habetur expressè causa 1. q. 1. c. *Multi sæcularium*: vbi dicitur, sacramẽta operari, vt instrumenta Dei, quia illorum effectus non pendet à sanctitate ministri. Neque amplius Florent. in decreto Eugenii requirit ex parte ministri, quàm intentionem faciendi id quod Christus instituit. Ad instantiam verò in contrarium allatam respondendum est, coniuges esse simul ministros, & subiectum sacramenti matrimonii (quod huic sacramento peculiare est) & bonum illum affectum non requiri in illis, vt sunt ministri sacramenti, sed quatenus sunt subiectum ab illo sanctificandum. Cuius rei signum est, quòd si vnus coniugum sit bene dispositus, & alter malè: huius malitia (qui tamen est minister) non oberit, quo minùs alter bene dispositus sanctificetur vi sacramenti matrimonii. Itaque illa Vasq. interpretatio bona est, & à nostra reapse non differens. Prior tamẽ à nobis data n. 33. paulò clarius rem explicare videtur. Quæ verò contra illam opponuntur à quibusdam recentioribus soluentur in fine sectionis.

Secundò Aegid. Coninx q. 62. a. 1 dub. 1 num. 4 dicit, sacramenta causare gratiam ex opere operato, idem esse, atque eam causare in omni sufficiẽter disposito, siue non habente obicem: non per modum meriti, & prout habent rationẽ actionis laudabilis: sed prout considerantur secundum suam entitatẽ & quatenus habent rationem entis quodammodo naturaliter operantis, abstrahendo ab omni dignitate conferẽtis, & merito suscipientis. Contra verò, illud opus causare gratiã ex opere operantis, quòd eam causat quatenus est actio laudabilis, & veræ virtutis, habẽsque rationẽm meriti saltem de cõgruo. Hęc Aegid. Cui oppono, in sacramẽto Pœnitẽtiæ 38.

38. Altera explicatio operis operati.

contritionem, vel attritionẽ causare gratiam, quatenus sunt contritio vel attritio libera, & laudabilis, & actus veræ virtutis: Deus enim talem exigit à pœnitẽte, & ab illa, vt tali, mouetur ad peccatorum remissionem, & collationem gratiæ in sacramento: & tamen contritio, & attritio causant ex opere operato in eodem sacramẽto. Ergo non bene definitur ab Aegidio efficacia operis operati. Neque responderi potest, sacramentum præscindere ab eo quòd attritio sit opus laudabile. Nam implicat sacramẽtum Pœnitentiæ requirere attritionem prout est attritio: & non illam requirere prout est actus virtutis, adeoque vt opus laudabile. Atqui illam requirit prout est attritio, id est, dolor de peccatis ex honesto motiuo, cum proposito non peccãdi de cætero. Dici etiam nequit, attritionem pœnitẽtis non esse causam gratiæ, sed totam efficaciam sacramenti Pœnitentiæ consistere in absolutione: id enim manifestè est contra Trid. sess. 14. cap. 3. initio: vt suo loco amplius confirmabitur.

39. *Tertia & noua eiusdem expositio.* Alii tertiò dicunt, hanc particulã, ex opere operato, triplicem sensum habere. Primò enim, inquiunt, opus operatum significat id quod circa aliquem fit, ipso passiuè se habẽte: quod contingit, inquiunt, in omnibus sacramentis circa recipientes sacramenta, vt patet in Baptismo, Confirmatione, &c. cuius operis, quando habetur ratio, non attenditur is circa quem fit, & in quem fructus illius redũdat. Non attenditur, inquam, vt operans, cùm hoc non operetur, sed ab alio patiatur. Secũdò, opus operatum significat opus externum, vltra voluntatem operantis aliquid ex se cõferens ad effectum. Nam in operibus meritoriis, aut quasi meritoriis tantumdem valet actus voluntatis efficax sine opere externo, quod præstaret, si posset; quãtum valeret cum ipso opere externo, cæteris paribus. Quando autem ex opere externo accedit aliquis gratiæ effectus, qui non accederet, nisi opus externum esset; tunc habet rationem operis operati. Nam tunc non attenditur solus affectus liber, & imputabilis operantis, qui consistit in solo affectu volũtatis proximè, & immediatè libero. Tertiò, & maximè propriè, operari ex opere operato significat non tãtùm opus externum, quod fit, peculiarẽ quandam vim addere supra affectũ operantis: sed etiam habere vim infallibilem. Ratio est; quia hoc est perfectè habere effectum ex opere operato, si ex eo ipso, quòd opus positum est, infallibiliter sequatur effectus. Hæc illi. Ex quibus inferunt primò, quòd si aliquod opus externum, vt eleemosyna, aspersio aquæ lustralis &c. habeat aliquam vim impetrandi auxilia ad pios affectus, quibus deleantur peccata, sed non impetret infallibiliter: non operatur ex opere operato talem effectum. Et contra, licet aliqua vim infallibilem habeant ad suum effectum, quæ tamen ex opere externo non habent vim maiorem, aut non habent opus externum, non dicuntur operari ex opere operato. Ita contritio extra sacramẽtum, licet infallibiliter cõferat effectum, non confert ex opere operato. Et oratio, quam pro se quisque facit, omnibus circumstantiis requisitis comitata, est infallibilis circa necessaria ad salutem: & tamen non dicitur ex opere operato vim habere: quia quòd exteriùs fiat oratio, aut quòd in loco sacro, vel aliter, non addit nouã vim infallibilem. Inferunt secundò, vt aliquid habeat vim operis operati, egere speciali quadam promissione, & institutione diuina, alligata operi externo. Nam communiter promissiones diuinæ in Scriptura fiunt bene operantibus. Laus autem, & imputabilitas boni operis, est tota in affectu voluntatis. Vt ergo opus ipsum externum vim contineat, debet hoc habere ex speciali promissione. Cúmque non habeat de se illam proportionem quam habet actus internus virtutis liber, & imputabilis, vt à Deo acceptetur; debet id habere ex institutione Dei, qui det illi propter merita Christi id, quod non habet suo merito, & ex sua natura.

Quæ doctrina non est vera omni ex parte. Nam primò, Falsum est quod ait, opus operatum, primo sensu acceptum, habere locum in omnibus sacramentis circa recipientes sacramenta. Etenim quædam sunt sacramenta, in quibus recipiens, & is, in quem fructus sacramenti redundat, attenditur vt operãs, non modò dispositiuè, vt cõtingit in omnibus sacramentis nouæ legis, quæ recipiuntur ab adultis, & rationis vsum habentibus, quibus non sunt sacramẽta sine ipsorum intentione, & non sunt vtilia sine conuenienti dispositione: sed etiam, vt conferens aliquam partem sacramento essentialem, vt cõtingit in sacramentis Pœnitẽtiæ & Matrimonii. Nam actus quidam pœnitentis sunt de essentia sacramẽti pœnitentiæ: & consensus coniugum per signa de præsenti expressus, est de essentia sacramenti matrimonii. 40. *Refutatur prædicta expositio.*

In secundo, & tertio sensu, si per opus externũ intelligatur actus externus sensibilis, vt videntur doctores illi intelligere, præsertim in exemplo orationis, quo vtuntur, malè restringitur opus operatum ad actum huiusmodi. Nam actus interni, & per se insensibiles, operantur gratiam ex opere operato in sacramentis pœnitentiæ & matrimonii, non minùs, quàm opus externum sensibile confessionis, aut expressionis consensus interni: & tam non potest efficere gratiam actus ille externus sine interno, quàm internus sine externo. Virtus enim sacramentalis fundatur in vtroque indiuisibiliter: id est, intuitu vtriusque simul, & non separatim, Deus mouetur efficaciter, vt gratiam cõferat propter Christi merita. Omitto, quòd (loquendo generaliùs) posset solus actus internus ex institutione Dei operari gratiam ex opere operato. Nam si Deus instituisset vnicuique meditanti Christi passionem infundere gratiam, modò non sit obex: meditatio illa quamuis purè interna, & æque efficax siue in loco sacro fieret, siue non, & siue aliquo signo proderetur

exterius, siue non; operaretur gratiã ex opere operato, æquè ac facit ablutio baptismi, aut vnctio confirmationis. Quo pacto diximus sect. 2. post Ochamũ, Gab. & alios, potuisse Deum instituere aliqua sacramenta purè interna, & insensibilia.

41. *Cur oratio non dicitur operari ex opere operato.* Tertiò, Ratio vera & propria cur oratio, omnibus conditionibus requisitis comitata, non dicatur operari ex opere operato ea, quę sunt ad salutẽ oranti necessaria, non est, quia nulla vis infallibilis ei additur, ex actu externo sensibili, nẽpe ex eo, quòd exteriùs fiat oratio, aut quòd in loco sacro: sed ex eo quòd vel sit de se satis proportionata tali effectui, cùm debeat esse oratio hominis iusti ex fide viua; vel quòd non impetret infallibiliter, quoties petit, vel etiam semper id ipsum quod petit; sed vel hoc, vel aliud, quod ad orantis salutẽ, aut Dei gloriam magis expedit. Certè quidem non impetrat infallibiliter aliis, pro quibus oratur, vt docet S. August. tract. 102. in Ioan. init. quod ne quidem facit oratio Ecclesiæ ipsius, vt notat Vasq. tõ. 4. in 3. p. dub. 1. ad art. 3. q. 87. n. 16. & experientia id notum est. Ecclesia enim sæpius orat pro conuersione Infidelium, quam non impetrat.

Quartò, iuxta hanc explicationem operis operati non apparet, quomodo circumcisio, & aliud remediũ peccati originalis paruulorum ante circũcisionem, non contulerit gratiam ex opere operato, vt faciunt sacramenta nouæ legis. Nam posito actu fidei viuæ offerentis paruulum, conferebatur gratia infallibiliter paruulis: & non conferebatur sine intuitu operis externi, id est, signi sensibilis, sine quo actus fidei viuæ parentum nõ profuisset paruulis ad impetrandã illis gratiam: & tamen certum est ex Florent. in Decreto, sacramẽta nouæ legis in eo differre ab antiquis, quòd conferunt gratiam, ex opere scilicet operato, vt ait Trident. sess. 7. can. 8. *De sacramentis in genere.*

Soluuntur obiectiones contra nostram sententiam Contra nostram expositionem datam n. 33. obiiciunt aliqui recentiores 1. Ex illa sequi, quòd si iam Deus institueret, vt omni attrito daretur gratia, attritio diceretur iustificare ex opere operato, quia non est proportionata ex se gratiæ obtinendæ: quãtumuis Deus eã spectaret, vt opus laudabile pœnitentis, sicut nunc contritionem considerat. Sed consequens est falsum, quia tunc nihil haberet attritio, vnde non esset dicẽda opus operantis: quandoquidem consideraretur, vt opus merentis imperfectè, & nullam haberet analogiam ad vim huius vocis, *opus operatum.* Ita probabiliter multi censent paruulos, qui iustificabantur in veteri lege precibus parentum, vel Ecclesiæ, non necessariò eguisse, vt parẽtes haberent actum dilectionis Dei super omnia, sed longè inferiorem: & tamẽ dicunt, paruulos illos fuisse iustificatos ex opere operãtis, quia dumtaxat per vim impetratiuam operãtium. Secundò, inquiunt, Ex nostra sententia sequeretur, contritionem iustificare ex opere operato, quia ex nullo alio cap. possemus in casu supra posito attribuere attritioni iustificanti, denominationẽ iustificãtis ex opere operato, nisi quia Dei misericordia suppleret attritionis imperfectionem, & plus faceret, quàm attritio de se, & seclusa Dei promissione mereatur. At si hoc est, etiam nunc contritio extra sacramentum iustificat ex opere operato. Nam cõtritio non iustificat ex natura sua, nec cõtinet perfectam satisfactionem offensæ diuinæ, sed summa est Dei benignitas, quod contritione cõtentus sit. Cõfirmatur: nam attritio nõ est penitùs disproportionata gratiæ, sed est opus Spiritus sancti, quod sine eius gratia non possumus exercere, vt docet Trid. sess. 14. c. 4. Quòd autẽ attritio minùs habeat proportionis, quàm contritio, non variat speciẽ. Denique, inquiunt, iuxta nostrã sententiã sacramẽtum pœnitentiæ non iustificaret ex opere operato, quando pœnitens accedit cum actu perfectę contritionis: quia tunc non iustificatur vi operis disproportionati gratiæ.

Ad primum Respondeo in eo casu fore adhuc vim operis operati, nõ omnino qualis est in sacramentis nouæ legis reipsa institutis: in quibus licet ex parte recipientium adultorũ requiratur aliqua bona dispositio, & pius animi affectus: secus tamen ex parte ministri, prout minister est: qui modus iustificandi ex opere operato eò perfectior est, quò signum externum minoribus aut paucioribus conditionibus requisitis iustificat, eo ipso quòd ponitur. Adhuc, inquam, fore vim aliquã operis operati, in eo quòd infallibiliter posito tali actu, & vi illius tanquam signi Deum mouẽtis efficaciter, & infallibiliter, daretur gratia sanctificans, ad quam ille non habet sufficiẽtem proportionem ex genere suo, cùm sit in gradu longe inferiore habitu charitatis, qui est forma præcipua nostræ sanctificationis. Qui autem dicunt paruulos in circumcisione fuisse iustificatos vi illius cerimoniæ, cum attritione sola parentũ, & sine fide viua, id est, informata actu charitatis, reipsa concedũt id quod verbo tenus negant, circumcisionẽ scilicet habuisse vim aliquã iustificãdi ex opere operato, vt ostendemus disp. 20. sect. 3. 42.

Ad secundum, Nego sequelã: nam contritio perfecta, tametsi non est par remissioni peccati mortalis; est tamen naturaliter proportionata gratiæ sanctificãti, id est, charitati habituali: cùm sit eiusdẽ generis, & perfectionis cum illa: Sicut actus naturales sunt eiusdẽ generis & perfectionis, cum habitibus naturalibus sibi respondentibus. Ac sicut isti producuntur vi physica suorum actuum: ita illi debent quodammodo connaturaliter, id est, naturali quadam congruitate, produci vi morali actuum eiusdem generis & perfectionis: Sunt enim illis proportionati in genere causæ moralis, & merentur de congruo illorum infusionẽ. Quomodo verò peccatorũ remissio sequatur ex infusione gratiæ, seu charitatis, diximus suo loco in tract. de Iustific. Sed attritio non est huiusmodi, cùm sit actus longè inferior, & differat ab actu charitatis

non intensione solùm, aut alia differentia accidentali, sed essentiali perfectione, secundū quam falsum est magis, & minus non variare speciem, & non ponere aut tollere proportionem.

Sacramentum pœnitentiæ, cuius pars est contritio, operatur nihilominus ex opere operato.

Ad tertium Respondeo, Sacramētum pœnitentiæ in eo casu operari nihilominus ex opere operato: non solùm quia ex se non requirit actum contritionis, sufficit enim attritio vt operetur: sed etiam quia in eo casu cōfert gratiam, supra proportionem contritionis, & multò maiorem, quàm respōdeat operi operantis, id est, quàm illa mereatur de congruo. Cùm enim sacramenta meliùs operentur vi sua in meliùs dispositis, maior cōfertur gratia vi ipsius sacramenti, & operis operati, accedenti cum contritione, quantò hæc dispositio melior est simplici attritione. Ac sicut martyrium adultorū, quamuis nō iustificet sine aliquo actu charitatis, & fidei viuæ, vt alibi dicemus; tamen eam confert ex opere operato: quia longè maiorem dat vi operis externi, id est, mortis reipsa obitæ, quàm solus actus charitatis mereatur: Sic sacramentum pœnitentiæ operatur ex opere operato in pœnitente accedente cum actu contritionis; quia plus illi gratiæ confert, quàm mereatur contritio.

Disp. 23. sect. 4.

SECTIO IV.

Soluuntur difficultates circa doctrinam præcedentem.

43. Prima difficultas de sacramentalibus.

CONtra datam definitionem obiicitur 1. Omnia in ea posita conuenire quibusdā sacramentalibus, vt vocantur, quæ tamen sacramenta nouæ legis non sunt, neque eorum numero septenario comprehenduntur. Vt v. g. aquæ lustrali, quippe quæ valet ad delenda peccata venialia, & consequenter ad infundendam gratiam, sine cuius infusione nulla peccata remittuntur in hac vita. Vnde in Can. *Aquam. de Consecrat. dist.* 3. eadem aqua dicitur mundare, purificare, atque etiā sanctificare. Secūdò, data definitio non satis distinguit sacramenta nouæ legis, à sacramentis veteris legis, & speciatim à circumcisione, quæ videtur habuisse quidquid in hac definitione positum est, etiā vim sanctificandi præcipua sanctitate, iuxta illud Pauli Rom. 4. *Accepit Abraham signum circumcisionis, signaculum iustitiæ, fidei, &c.* Et Gen. 17. *Masculus, cuius præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Quod intelligit D. August. etiam de infantibus, & de pœna damni, quam patiebantur ob peccatum originale non remissum, defectu circumcisionis. Vnde per argumentum à contrario colligitur, circumcisionem habuisse vim delendi peccatum originale, & consequenter sanctificandi eos omnes, quibus rite applicabatur.

2. difficultas de circūcisione.

3. difficult. de mart.

Tertiò denique, de martyrio specialis est difficultas, quippe quod per se, & non solùm ratione actus fortitudinis, sanctificandi vim habet: vt patet in Innocentibus ab Herode occisis, quos omnes indifferenter colit Ecclesia vt martyres, & sanctos, eorumque omnium reliquias vbicumque repertas veneratur. Supponit ergo illos fuisse iustificatos, & eximiè sanctificatos vi martyrii per se, & ex opere operato, non autem ratione actus fortitudinis, cuius exercendi nondum erant capaces. Neque dicas, Innocentes illos fuisse aliunde iustificatos, nempe vi circumcisionis. Primò, quia circumcisio sola non contulisset illis tantam sanctitatem, quantam in illis, vt eximiè sanctis, & non vulgaribus, veneratur Ecclesia. Secundò, incredibile, & falsum est, omnes fuisse circumcisos: cùm ex lege non possent ante octauum diem circūcidi, & multi ante eum diem fuerint interfecti: iussit enim Herodes omnes interfici à bimatu, & infra. Tertiò, inter Iudæos versabantur Gentiles, quorū filii non circūcidebātur, & permixtim cum aliis occisi sunt, iussu Herodis neminem excipientis, sed omnes suo edicto crudeli, ne vnus Christus effugeret, includentis. Quartò, laus, quam illis tribuit Ecclesia, cùm sic orat: *Deus, cuius hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* &c. omnibus conuenit, non circumcisis æquè, ac circumcisis. Neque enim eos laudat Ecclesia à circumcisione, sed à morte. Quintò, Sancti Patres eos omnes commendant indiscriminatim, vt sanctos & martyres. Cyprian. ser. 5. de Stella, & Magis, post medium, Leo in serm. de Epiphan. sub finem, August. epist. 28. Bern. serm. 66. in Cantic. longè post medium, & alii, qui etiam hanc doctrinam extendūt ad quosuis alios infantes pro Christo occisos.

Neque item respondeas martyrium aliunde excludi à definitione sacramenti hac particula, *Institutum*: eò quòd martyrium non sit à Deo vel à Christo institutum, sed à persecutoribus iniustè illatū; vel quia sacramentum debet esse cerimonia sacra, & religiosa, vnde qui violant sacramenta, sunt sacrilegi, & peccant contra virtutem religionis: martyrium verò per se, & prout est opus externum, non est sacra cerimonia, sed potiùs homicidium iniustum. 44.

Refutātur variæ responsiones.

Nam contra primā expositionem sic insto: Vel sensus est, quòd martyrium secundum se non fuerit à Christo institutum, vel quòd non fuerit institutum secundum quod est signum, & causa efficax gratiæ. Si primum, ergo neque matrimonium erit sacramētum, quia non fuit institutum à Christo secundum se, sed est contractus naturalis. Si secundum: falsum est, Christum aut Deum non instituisse martyrium in signum, & causam sanctificationis; & consequenter in signum. Nam omnis causa est signum sui effectus. Atqui martyrium ex institutione diuina est causa gratiæ sanctificantis: Deus enim statuit dare gratiam martyrium patientibus,

paruulis quidem simpliciter, adultis verò maiorem saltem, quàm ex opere operantis essent consecuti: vnde coluntur martyres, vt eximiè sancti: Ergo, &c. Contra secundam verò responsionem dico primò, non omne sacramentum esse cerimoniam sacram. Nam Eucharistiæ sacramentum consistit essentialiter non in sacra cerimonia, seu actione religiosa, sed in corpore, & sanguine Christi, sub speciebus consecratis. Secundò, matrimonium secundum se, & physicè spectatum, non est sacra cerimonia, sed contractus ciuilis: & accidentariò tantùm est sacra, & religiosa cerimonia, quatenus refertur ad coniugium Christi cum Ecclesia repræsentandum, & ad quærendam à Deo gratiam vt auctore omnis sanctitatis, in quo est quædam veneratio religiosa, & protestatio supremæ illius excellentiæ. At martyrium etiam referri potest ad sacram repræsentationem, putà mortis Christi; & ad Dei cultum, vt agnoscatur auctor vitæ, & necis, quemadmodum fit in sacrificiis. Quid enim vetat, vel martyres ipsos, si possunt, vt adulti, passionem suam eò referre: vel, si non possunt, vt paruuli, Ecclesiam eorum defectum supplere? Confirmatur, quia passio, & mors Christi fuit verum sacrificium: omne autem sacrificium est aliquo modo sacra cerimonia, ac religiosa, seu ritus Deum colendi. Et tamen Christi passio, prout erat opus crucifigentium, erat peccatum, & homicidium iniustum. Ergo similiter passio martyrum, licet, prout est à persecutoribus, sit peccatum: potest aliunde esse sacra cerimonia, & religiosa, prout acceptatur ad Christi mortem repræsentandam, & ad Deum colendum, ad fidem Christianam suo sanguine obsignandam, & ad alios fines sacros.

45. Sacramentalia non tollunt venialia, neque gratiã dant ex opere operato: sed excitatiuè vel impetratoriè.

Hæc sunt quæ præcipuè contra datam Sacramenti nouæ legis definitionem obiici possunt, ex quorum solutione clarior euadet. Ad primum autem, Respondendum est aquam lustralem, & alia sacramentalia, non operari remissionem venialium, neque gratiæ infusionem ex opere operato: sed vel impetratiuè, vel excitatiuè ad illam conferre: quatenus scilicet vel impetrant nobis sufficientem dispositionem ad huiusmodi effectum, præsertim ob Ecclesiæ preces, atque suffragia, quæ per illa sacramentalia nobis applicantur: vel iuuant ad excitandum animum ad sufficientem dolorem peccatorum, quem dolorem sequitur ex opere operantis, & meritoriè de condigno, vel de congruo, remissio venialium, & gratiæ infusio. Canon verò citatus sic intelligendus est, vel quòd aqua lustralis valeat ad sanctificationem veram, & propriè dictam impetratiuè, aut excitatiuè, vt modò dictum est: vel potiùs loquitur de quadam sanctitate, & purificatione morali, quæ rebus etiam inanimatis, vt vasis, templis, & vestibus conferri potest: qualem in lege veteri conferebant cerimoniæ legales: & qualis erat sanctificatio populi Israëlitici per cinerem vitulæ sanguine aspersum, quo exemplo canon citatus vtitur.

Circumcisio non cõferebat gratiam ex opere operato.

Ad secundum Respondeo cum D. Thom. q. 70. art. 4. in fine corp. circumcisionem non contulisse gratiam ex opere operato: sed fuisse tantùm signaculum iustitiæ fidei, id est, iustitiæ, & gratiæ per fidem acceptæ, hoc est, per actum internum, & protestationem externam fidei viuæ, seu affectiuæ, & actui charitatis coniunctæ. Nam, vt ait D. Thom. in circumcisione conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio: ita scilicet quòd homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro paruulis. Vnde & Apostolus dicit Rom. 4. quòd Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei: quia videlicet iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante. Potest & alia dari huiusce loci explicatio, de qua alibi. Alter verò sumptus ex Gen. 17. exponitur communiter à Doctoribus de adultis, & de pœna mortis, vel excommunicationis, cuius illi rei fiebant, ob transgressionem mandati circumcisionis. Quod mandatum non transgrediebantur infantes incapaces præcepti, & obligationis moralis præceptiuæ, aut prohibitiuæ: ac si moriebantur ante diem octauum, ante quem circumcidi non poterant, non deerat aliud remedium, quo à peccato originali mundari possent: vt neque deerat fœminis, quibus nequibat ritus ille circumcisionis applicari.

46. Martyrium non est sacramẽtum, duplici de causa.

Ad tertium Respondeo, Martyrium non esse Sacramentum, vt perperam concessit Maior in 4. dist. 4. q. 3. in fine; Vbi ne videatur apertè repugnare sensui Ecclesiæ de septenario numero sacramentorum, quem sensum postea expressit Florentinum in Decreto Eugenii, & Trident. sess. 7. can. 1. *de Sacram. in genere*, ait, martyrium sub baptismo contineri, ideoque non augere numerum septenarium. Sed neque hoc Durandum excusat. Nam Ecclesia non agnoscit aliud sacramentum Baptismi, quam Baptismum fluminis; vt satis liquet ex Trident. sess. cit. can. 2. de Baptismo, vbi definit aquam veram & naturalem esse illi efficiendo necessariam: & ex Florent. in Decret. Eugen. §. *Hæc omnia Sacramenta*, iuncto §. proximè sequenti, vbi materiam & formam illius assignat, à Martyrio longè differentem. Martyrium, inquam, non est sacramentum duplici de causa. Primò, quia non est signum sacrum formaliter, id est, sanctificans seipso moraliter, & legaliter martyrem, tanquam sacra cerimonia ad hoc instituta. 2. Quia ad rationem sacramenti non sufficit, quòd sit opus externum, in quo detur gratia: sed oportet vt ipsum opus illam efficiat, tanquam causa instrumentalis effectiua ad hoc à Christo instituta, & assumpta, vel posita ab ipsius ministro: id enim significat nomen causæ positum in definitione sacramenti. In mar-

tyrio autem, licet detur gratia vel simpliciter sine opere operantis, vt paruulis; vel maior quàm ex opere operantis, vt adultis, qui multò plus accipiunt gratiæ, quàm mereatur solus actus virtutis sine martyrio consummato: ipsa tamen passio non illam efficit, quia non est ad hoc à Christo instituta, vt causa instrumentalis, nec ibi operatur homo vt minister Dei, & ideo non dicitur illud opus operari per virtutem latentem Spiritus sancti sibi moraliter inditam, & coniunctam vt causæ instrumentali: quemadmodum Baptismus, & alia sacramenta: sed solùm dicitur Spiritus sanctus ibi operari ex speciali priuilegio, sine causa instrumentali coëfficiente. Ita fere Suar. disput. 29. sect. 3. §. *Ad secundum argumentum.* Qua de re plura inferiùs cum de Baptismo sanguinis disputabitur.

47. Interea vero instari potest, quia sacramenta concurrere, & coëfficere sacramentaliter, non est aliud, quàm Deum mouere ad gratiam propter Christi merita infundendam. Atqui martyrium hoc facit. Ergo, &c. Respondeo, Coëfficere instrumentaliter non esse Deum mouere quocumque modo. Certum enim est non quidquid Deum mouet, & valet ex Dei institutione ad gratiam obtinendam, valere vt causam instrumentalem ad illam efficiendam. Nam contritio supernaturalis valet quidem vt dispositio sufficiens ex Trident. sess. 14. cap. 4. Nec tamen est causa efficiens, & instrumentum morale, quo Deus vtatur ad gratiam efficiendam; sed tantùm pertinet ad genus causæ materialis, & dispositiuæ, vt Trident. ibid. ait. Efficiens autem & materialis, ac formalis causa debent distingui in moralibus æquè, ac in physicis: dicuntur enim per analogiam ad causas physicas, ob aliquam earum imitationem, & similitudinem. Vnde causæ morales, quæ in modo causandi imitantur dispositiones physicas, aut causam materialem; debent dici causæ dispositiuæ, & per modum materiæ: quæ autem propiùs accedunt ad modum causæ physicè agentis, & efficientis; debent dici causare effectiuè: quæ denique imitantur causas formales physicas, debent censeri habere formalem causalitatem moralem. At verò sacramenta sunt causæ instrumentales iustificationis, & gratiæ: vt de Baptismo affirmat Trident. sess. 6. cap. 7.

Non quicquid mouet Deum ad dandam gratiam, coëfficit illam instrumentaliter.

Causa dispositiua, & efficiens distinguuntur etiam in moralibus.

Et quamuis non sit facile intelligere in quo consistat ratio mouendi moraliter effectiuè, id est, in genere causæ efficientis, & quomodo differat à motione dispositiua, vel meri priuilegii, aut similibus: dici tamen potest motionem hanc effectiuam, & instrumentalem sacramentorum in eo consistere, quòd sacramenta sint artefacta quædam moralia à Christo per eius ministros applicata subiectis, ex intentione gratiam in illis efficiendi, virtute causæ principalis, quæ meritoriè quidem Christus, physicè verò Deus est, adiungens se illis sacramentis, & vnam causam totalem efficientem cum illis constituens, cui partim physicè, partim moraliter respondet effectus: Deo quidem physicè, moraliter verò sacramentis, tanquam moralibus instrumentis à Deo assumptis, & eleuatis ad gratiam producendam: sicut artifex assumit, & tractat serram, malleum, & similia instrumenta, ad efficienda opera artificialia. Ac sicut instrumenta physica agunt per contactum physicum motu causæ principalis applicatum: ita sacramenta non agunt nisi à Deo per ministros applicentur subiectis recipientibus, egentque aliquo eorum contactu, vt operentur, vel sufficienti propinquitate, & morali coniunctione, vt patet inductione in omnibus sacramentis. Differentia quidem in eo est, quòd illa physicè concurrunt, suntque instrumenta physica; sacramenta verò moraliter tantùm: vnde sunt tantum instrumenta moralia, quibus moraliter, id est, æstimatiuè, tribuitur effectus. Sed nihilominus ratio concurrendi per modum instrumenti moralis post intelligi, ac declarari per analogiam ad modum, & rationem instrumenti physici. Opus verò externum Martyrii se habet tantùm per modum obiecti mouentis Dei misericordiam, vt det gratiam, & vitam æternam ei, qui pro se perdit temporalem: ad eum modum, quo miseria pauperis mouet ad dandam eleemosynam: vel miseria naufragorum posset regem mouere, vt cuicunque patienti naufragium in portu Aquitanico v. g. darentur centum aurei ex publico ærario.

Martyrium non est causa instrumentalis gratiæ.

Aliter respondet vnus ex recentioribus disput. 1. de Sacramentis num. 24. Martyrium, licet conferat gratiam ex opere operato, eamque significet, non tamen esse sacramentum, ac ne quidem sacramenti communissimè sumpti definitionem ei conuenire: quia non est cerimonia sacra instituta ad significandum per illam. Nam si esset talis, deberet poni à ministro ex huiusmodi intentione. Sic enim omnia sacramenta, vt valida sint, debent fieri à ministro cum intentione explicita, vel implicita faciendi sacramentum, & significandi id, ad quod institutum est tale sacramentum. Nam huiusmodi signa non significant nisi ex intentione operantis. Non est autem necesse, vt minister Martyrii, siue sit carnifex, aut persecutor fidei, siue ipse martyr voluntariè moriens, habeat talem intentionem, ac ne quidem, vt mori velit, vt patet in infantibus, & in eo, qui occiditur pro fide nolens eam negare, sed tamen mortem fugiendo quantum alioqui potest. 48.

Verùm licet sit necessaria intentio ministri in septem sacramentis propriis nouæ legis, iuxta Florent. in Decreto Eugenii §. *Hæc omnia sacramenta*: Tamen de quolibet alio, & de sacramentis omnibus veteris legis, sine sufficienti fundamento id assereretur. Et sacramentum per se loquendo significare potest ex institutione diuina, quamuis minister non intendat explicitè, vel implicitè significare per illud. Addo martyrem, qui fugit, ne fidem neget, & occiditur fugiendo, velle

Refutatur alius respondendi modus.

explicitè, aut implicitè mori si necesse sit ad fidem non negandam, & occidi potiùs, quàm eam negare: quamuis cupiat & conetur, si possit, vitam cum fide conseruare. Denique illa intentio ministri à nullo ponitur in definitione sacramenti, siue communissime sumpti, siue specialiùs, vt est genus proximum ad sacramenta nouæ legis. Ideoque responsio data non ostendit quomodo sacramenti definitio communissima non conueniat martyrio, qua de re tamen disputat auctor ille loco citato.

49. Vasquez. Aliter etiam respondet Vasq. disp. 153. cap. 4. num. 41. Martyrium non esse sacramentum, quia si esset signum rei sacræ, ac proinde sacramentum, deberet esse non tantùm quatenus est passio martyris, sed quatenus est actio Tyranni. Omne enim sacramentum debet esse signum rei sacræ, quatenus ab aliquo alicui adhibetur, vt patet in omni sacramento tam nouæ, quam veteris legis, nempe quatenus actio alicuius est. At non est credibile Deum instituere voluisse peccatum Tyranni ad gratiam significandam. Martyr autem, si infans est, nihil confert: si autem adultus est, requiritur tantùm ex parte eius, vt se disponat conuenienter ad martyrium, & ad gratiam, quam recipit. Adde quòd sacramentum debet esse remedium à Deo institutum, quo homo via ordinaria vti possit cum volet, ad suam vtilitatem: huiusmodi autem non est martyrium. Hac Vasquez.

Reiicitur altera responsio. Verùm hæc ersponsio, & similes in eo non satisfaciunt, quòd non ostendunt definitionem allatam sacramenti in communi, non conuenire martyrio. Nullam enim assignant eius particulam, quà excludatur martyrium à ratione sacramenti; sed assignant aliquas conditiones sacramenti, in definitione non comprehensas, quæ idcirco manca est, si conditiones illæ sunt essentiales, & non continentur in definitione. Nam definitio sacramenti non habet quòd sacramentum debeat esse signum rei sacræ, inquantum est actio, & non solùm, quatenus est passio: nec quòd debeat esse remedium à Deo institutum, quo homo via ordinaria vti possit, cum velit. Huiusmodi enim ne ipsi quidem ponunt in ea, quam assignant, definitione generali sacramenti: vt patet ex eorum definitionibus supra relatis sect. 1. num. 6. & 8.

Aliter denique Respondent eruditi quidam recentiores, triplicem esse causam cur martyrium non sit sacramentum. Primam, quia de ratione sacramenti est, vt sit signum, non qualecunque, & ex mero instituto, sed habens aliquam similitudinem cum gratia significata: iuxta vulgatam definitionem sumptam ex Hug. Victor. Sacramentum est inuisibilis gratiæ signum visibile, simul eius similitudinem gerens, & causa existens: & D. August. epist. 23. ad Bonif. *Si Sacramenta similitudinem quandam earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent.* Martyrium autem non habet talem similitudinem cum gratia. Secundam, quia sacramentum ita producit gratiam ex institutione, vt institutio illa purè se teneat tota ex parte Dei; atque id quod est, & dicitur sacramentum, nullam habeat ex parte hominum proportionem, quà quodammodo efficiantur digni Dei gratia, & salute. Qua de causa dicuntur esse causæ instrumentales gratiæ. Instrumentum enim habet motum ex parte causæ principalis, cuius virtus per illud operatur. Sic v.g. ablutio per aquam, nullam habet proportionem cum sanctificatione animæ per gratiam, sed eius causa se tenet omnino ex parte meræ voluntatis Dei gratuitæ. At martyrium habet proportionem cum salute animæ. Congruum enim est, vt qui mortem pro Christo subit, vitam ab illo æternam consequatur. Tertiam, quia martyrio deest aliquod genus institutionis, quæ continetur in nomine, & definitione sacramenti. Nam sacramentum nouæ legis, debet esse quædam solemnis cerimonia, quam Deus ad sanctificationem suæ Ecclesiæ per se proponit, & ideo vult per se in Ecclesia esse perpetuam. At verò Deus non inuitat ad martyrium per se, sed solùm ex occasione, quòd id exigat malitia persecutoris: neque vult martyrium in Ecclesia sua esse perpetuum: vnde multis sæculis potest esse Ecclesia sine martyrio, nunquam autem sine sacramentis: vult etiam Deus semper esse in Ecclesia, qui conferant sacramenta; at non qui inferant martyrium.

Sed hæc Responsio mihi quoque non satisfacit. Nam contra primam rationem obiici potest, dato quòd talis similitudo sacramentis nouæ legis necessaria sit. (quamquam alium esse sensum D. Augustini ostendimus num. 17.) martyrio non deesse aliquam similitudinem cum morte Christi in resurrectionem vitæ, & consequenter cum morte vitiorum, cuius mors Christi similitudo est. Ac sicut Baptismus sanctificandi vim habet ex institutione, quia Christi mortem aliquo modo repræsentat: ità martyrium, idque eò magis, quia nos Christo morienti similes facit reipsa, Baptismus autem solum in figura, vt ait Clem. Rom. lib. 5. Constit. cap. 7. 50. Tertia quorundam explicatio refellitur.

Contra secundam dico, non esse verum vniuersaliter, quòd in sacramentis nouæ legis non requiratur aliqua proportio ad gratiam, quam significant. Nam in sacramento Pœnitentiæ requiritur attritio, vel contritio supernaturalis, tanquam vna de partibus sacramenti, quæ habet aliquam proportionem cum gratia reconciliationis. Neque dici potest illud esse sacramento per accidens, & attritionem, aut contritionem non considerari, vt est bonum opus, & supernaturale, quatenus in sacramento est causa partialis gratiæ vt opus operatum, & non vt opus operantis. Nam cum determinatè requiratur ad constituendum sacramentum, prout est attritio, aut contritio supernaturalis, per se, &

tyrio autem, licet detur gratia vel simpliciter sine opere operantis, vt paruulis; vel maior quàm ex opere operantis, vt adultis, qui multò plus accipiunt gratiæ, quàm mereatur solus actus virtutis sine martyrio consummato: ipsa tamen passio non illam efficit, quia non est ad hoc à Christo instituta, vt causa instrumentalis, nec ibi operatur homo vt minister Dei, & ideo non dicitur illud opus operari per virtutem latentem Spiritus sancti sibi moraliter inditam, & coniunctam vt causæ instrumentali: quemadmodum Baptismus, & alia sacramenta: sed solùm dicitur Spiritus sanctus ibi operari ex speciali priuilegio, sine causa instrumentali coëfficiente. Ita fere Suar. disput. 29. sect. 3. §. *Ad secundum argumentum.* Qua de re plura inferiùs cum de Baptismo sanguinis disputabitur.

47. Non quicquid mouet Deum ad dandam gratiam, coëfficit illam instrumentaliter.

Interea vero instari potest, quia sacramenta concurrere, & coëfficere sacramentaliter, non est aliud, quàm Deum mouere ad gratiam propter Christi merita infundendam. Atqui martyrium hoc facit. Ergo, &c. Respondeo, Coëfficere instrumentaliter non esse Deum mouere quocumque modo. Certum enim est non quidquid Deum mouet, & valet ex Dei institutione ad gratiam obtinendam, valere vt causam instrumentalem ad illam efficiendam. Nam contritio supernaturalis valet quidem vt dispositio sufficiens ex Trident. sess. 14. cap. 4. Nec tamen est causa efficiens, & instrumentum morale, quo Deus vtatur ad gratiam efficiendam; sed tantùm pertinet ad genus causæ materialis, & dispositiuæ, vt Trident. ibid. ait. Efficiens autem & materialis, ac formalis causa debent distingui in moralibus æquè, ac in physicis: dicuntur enim per analogiam ad causas physicas, ob aliquam earum imitationem, & similitudinem. Vnde causæ morales, quæ in modo causandi imitantur dispositiones physicas, aut causam materialem; debent dici causæ dispositiuæ, & per modum materiæ: quæ autem propiùs accedunt ad modum causæ physicè agentis, & efficientis; debent dici causare effectiuè: quæ denique imitantur causas formales physicas, debent censeri habere formalem causalitatem moralem. At verò sacramenta sunt causæ instrumentales iustificationis, & gratiæ: vt de Baptismo affirmat Trident. sess. 6. cap. 7.

Causa dispositiua, & efficiens distinguuntur etiam in moralibus.

Et quamuis non sit facile intelligere in quo consistat ratio mouendi moraliter effectiuè, id est, in genere causæ efficientis, & quomodo differat à motione dispositiua, vel meri priuilegii, aut similibus: dici tamen potest motionem hanc effectiuam, & instrumentalem sacramentorum in eo consistere, quòd sacramenta sint artefacta quædam moralia à Christo per eius ministros applicata subiectis, ex intentione gratiam in illis efficiendi, virtute causæ principalis, quæ meritoriè quidem Christus, physicè verò Deus est, adiungens se illis sacramentis, & vnam causam totalem efficientem cum illis constituens, cui partim physicè, partim moraliter respondet effectus: Deo quidem physicè, moraliter verò sacramentis, tanquam moralibus instrumentis à Deo assumptis, & eleuatis ad gratiam producendam: sicut artifex assumit, & tractat serram, malleum, & similia instrumenta, ad efficienda opera artificialia. Ac sicut instrumenta physica agunt per contactum physicum motu causæ principalis applicatum: ita sacramenta non agunt nisi à Deo per ministros applicentur subiectis recipientibus, egentque aliquo eorum contactu, vt operentur, vel sufficienti propinquitate, & morali coniunctione, vt patet inductione in omnibus sacramentis. Differentia quidem in eo est, quòd illa physicè concurrunt, suntque instrumenta physica; sacramenta verò moraliter tantùm: vnde sunt tantum instrumenta moralia, quibus moraliter, id est, æstimatiuè, tribuitur effectus. Sed nihilominus ratio concurrendi per modum instrumenti moralis post intelligi, ac declarari per analogiam ad modum, & rationem instrumenti physici. Opus verò externum Martyrii se habet tantùm per modum obiecti mouentis Dei misericordiam, vt det gratiam, & vitam æternam ei, qui pro se perdit temporalem: ad eum modum, quo miseria pauperis mouet ad dandam eleemosynam: vel miseria naufragorum posset regem mouere, vt cuicunque patienti naufragium in portu Aquitanico v. g. darentur centum aurei ex publico ærario.

Martyrium non est causa instrumentalis gratiæ.

Aliter respondet vnus ex recentioribus disput. 1. de Sacramentis num. 24. Martyrium, licet conferat gratiam ex opere operato, eamque significet, non tamen esse sacramentum, ac ne quidem sacramenti communissimè sumpti definitionem ei conuenire: quia non est cerimonia sacra instituta ad significandum per illam. Nam si esset talis, deberet poni à ministro ex huiusmodi intentione. Sic enim omnia sacramenta, vt valida sint, debent fieri à ministro cum intentione explicita, vel implicita faciendi sacramentum, & significandi id, ad quod institutum est tale sacramentum. Nam huiusmodi signa non significant nisi ex intentione operantis. Non est autem necesse, vt minister Martyrii, siue sit carnifex, aut persecutor fidei, siue ipse martyr voluntariè moriens, habeat talem intentionem, ac ne quidem, vt mori velit, vt patet in infantibus, & in eo, qui occiditur pro fide nolens eam negare, sed tamen mortem fugiendo quantum alioqui potest. 48.

Verùm licet sit necessaria intentio ministri in septem sacramentis propriis nouæ legis, iuxta Florent. in Decreto Eugenii §. *Hæc omnia Sacramenta*: Tamen de quolibet alio, & de sacramentis omnibus veteris legis, sine sufficienti fundamento id assereretur. Et sacramentum per se loquendo significare potest ex institutione diuina, quamuis minister non intendat explicitè, vel implicitè significare per illud. Addo martyrem, qui fugit, ne fidem neget, & occiditur fugiendo, velle

Refutatur alius respondendi modus.

explicitè, aut implicitè mori si necesse sit ad fidem non negandam, & occidi potiùs, quàm eam negare: quamuis cupiat & conetur, si possit, vitam cum fide conseruare. Denique illa intentio ministri à nullo ponitur in definitione sacramenti, siue communissime sumpti, siue specialiùs, vt est genus proximum ad sacramenta nouæ legis. Ideoque responsio data non ostendit quomodo sacramenti definitio communissima non conueniat martyrio, qua de re tamen disputat auctor ille loco citato.

49. Vasquez. Aliter etiam respondet Vasq. disp. 153. cap. 4. num. 41. Martyrium non esse sacramentum, quia si esset signum rei sacræ, ac proinde sacramentum, deberet esse non tantùm quatenus est passio martyris, sed quatenus est actio Tyranni. Omne enim sacramentum debet esse signum rei sacræ, quatenus ab aliquo alicui adhibetur, vt patet in omni sacramento tam nouæ, quam veteris legis, nempe quatenus actio alicuius est. At non est credibile Deum instituere voluisse peccatum Tyranni ad gratiam significandam. Martyr autem, si infans est, nihil confert: si autem adultus est, requiritur tantùm ex parte eius, vt se disponat conuenienter ad martyrium, & ad gratiam, quam recipit. Adde quòd sacramentum debet esse remedium à Deo institutum, quo homo via ordinaria vti possit cum volet, ad suam vtilitatem: huiusmodi autem non est martyrium. Hac Vasquez.

Reiicitur altera responsio. Verùm hæc responsio, & similes in eo non satisfaciunt, quòd non ostendunt definitionem allatam sacramenti in communi, non conuenire martyrio. Nullam enim assignant eius particulam, quâ excludatur martyrium à ratione sacramenti; sed assignant aliquas conditiones sacramenti, in definitione non comprehensas, quæ idcirco manca est, si conditiones illæ sunt essentiales, & non continentur in definitione. Nam definitio sacramenti non habet quòd sacramentum debeat esse signum rei sacræ, inquantum est actio, & non solùm, quatenus est passio: nec quòd debeat esse remedium à Deo institutum, quo homo via ordinaria vti possit, cum velit. Huiusmodi enim ne ipsi quidem ponunt in ea, quam assignant, definitione generali sacramenti: vt patet ex eorum definitionibus supra relatis sect. 1. num. 6. & 8.

Aliter denique Respondent eruditi quidam recentiores, triplicem esse causam cur martyrium non sit sacramentum. Primam, quia de ratione sacramenti est, vt sit signum, non qualecunque, & ex mero instituto, sed habens aliquam similitudinem cum gratia significata: iuxta vulgatam definitionem sumptam ex Hug. Victor. Sacramentum est inuisibilis gratiæ signum visibile, simul eius similitudinem gerens, & causa existens: & D. August. epist. 23. ad Bonif. *Si Sacramenta similitudinem quandam earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent.* Martyrium autem non habet talem similitudinem cum gratia. Secundam, quia sacramentum ita producit gratiam ex institutione, vt institutio illa purè se teneat tota ex parte Dei; atque id quod est, & dicitur sacramentum, nullam habeat ex parte hominum proportionem, quâ quodammodo efficiantur digni Dei gratia, & salute. Qua de causa dicuntur esse causæ instrumentales gratiæ. Instrumentum enim habet motum ex parte causæ principalis, cuius virtus per illud operatur. Sic v.g. ablutio per aquam, nullam habet proportionem cum sanctificatione animæ per gratiam, sed eius causa se tenet omnino ex parte meræ voluntatis Dei gratuitæ. At martyrium habet proportionem cum salute animæ. Congruum enim est, vt qui mortem pro Christo subit, vitam ab illo æternam consequatur. Tertiam, quia martyrio deest aliquod genus institutionis, quæ continetur in nomine, & definitione sacramenti. Nam sacramentum nouæ legis, debet esse quædam solemnis cęrimonia, quam Deus ad sanctificationem suæ Ecclesiæ per se proponit, & ideo vult per se in Ecclesia esse perpetuam. At verò Deus non inuitat ad martyrium per se, sed solùm ex occasione, quòd id exigat malitia persecutoris: neque vult martyrium in Ecclesia sua esse perpetuum: vnde multis sæculis potest esse Ecclesia sine martyrio, nunquam autem sine sacramentis: vult etiam Deus semper esse in Ecclesia, qui conferant sacramenta; at non qui inferant martyrium.

Sed hæc Responsio mihi quoque non satisfacit. Nam contra primam rationem obiici potest, dato quòd talis similitudo sacramentis nouæ legis necessaria sit, (quamquam alium esse sensum D. Augustini ostendimus num. 17.) martyrio non deesse aliquam similitudinem cum morte Christi in resurrectionem vitæ, & consequenter cum morte vitiorum, cuius mors Christi similitudo est. Ac sicut Baptismus sanctificandi vim habet ex institutione, quia Christi mortem aliquo modo repræsentat: ita martyrium, idque eò magis, quia nos Christo morienti similes facit reipsa, Baptismus autem solum in figura, vt ait Clem. Rom. lib. 5. Constit. cap. 7. 50. Tertia quorundam explicatio refellitur.

Contra secundam dico, non esse verum vniuersaliter, quòd in sacramentis nouæ legis non requiratur aliqua proportio ad gratiam, quam significant. Nam in sacramento Pœnitentiæ requiritur attritio, vel contritio supernaturalis, tanquam vna de partibus sacramenti, quæ habet aliquam proportionem cum gratia reconciliationis. Neque dici potest illud esse sacramento per accidens, & attritionem, aut contritionem non considerari, vt est bonum opus, & supernaturale, quatenus in sacramento est causa partialis gratiæ vt opus operatum, & non vt opus operantis. Nam cum determinatè requiratur ad constituendum sacramentum, prout est attritio, aut contritio supernaturalis, per se, &

ex natura ipsius sacramenti, iuxtáque ipsius institutionem: falsum est non requiri prout est opus bonum, & supernaturale, adeóque habens aliquam proportionem cum gratia reconciliationis.

Contra tertiam dico, Deum non minùs velle vt martyrium patiantur fideles, supposito quòd id exigat malitia Tyranni: quàm velit vt accedamus ad sacramentum Pœnitentiæ, supposito peccato mortali post Baptismum commisso: neutrum autem Deus per se vult, & antecedenter: quia non potest antecedenter, & per se velle aliquid necessariò inuoluens, aut præsupponens peccatum. Non minùs etiam vult Deus, vt martyres in tali occasione semper mori velint, posita scilicet necessitate moriendi pro Christo, aut fidem negandi: quàm vt non desint sacerdotes, qui velint absoluere à peccatis post Baptismum commissis: vel vt ipsi pœnitentes velint de peccatis dolere, & confiteri, perque sacerdotalem *absolutionem Deo reconciliari. Posito autem quòd martyrium esset sacramentum: illius ministri essent ipsi martyres voluntariè mortem acceptantes, & offerentes Deo: non autem Tyranni, vel carnifices mortem illis iniustè inferentes. Sicut Christus, & non tortores. fuit sacerdos seipsum immolans, & offerens Deo sacrificium cruentum corporis & sanguinis sui.

SECTIO V.

Quid sit vis significandi, & efficiendi sacramentorum?

§ 1. Quid sit vis illa significandi & efficiendi?

RESpondeo, vim significandi sacramentorum esse ipsammet eorum entitatem, prout ratione institutionis apta est mouere intellectum ad cognitionem eius, quod significant: vim autem efficiendi esse eandem entitatem, prout ratione institutionis, & pacti diuini, apta est nobis applicare merita Christi, & Deum mouere, vt operetur effectum sacramentalem. Probatur, quia hoc solo posito, & quocunque alio re, vel ratione remoto, intelliguntur sacramenta habere vim significandi, & efficiendi gratiam sacramentalem eo modo, quo illam significant, & efficiunt, vt patebit refutatione contrariarum opinionum.

Non est propriè relatio rationis.

Primò enim, Sunt qui putant vim significandi ex instituto, siue in sacramento, siue in rebus aliis esse relationem rationis. Vnde inferunt sacramentum formaliter esse ens rationis: quia significatio ad placitum nihil est aliud, quàm relatio rationis. Sed hæc opinio, si loquatur de relatione rationis propriè dicta, est planè improbabilis, & absurda: quia nemine quicquam fingente sacramenta, & huiusmodi alia signa habent vim significandi hoc ipso, quòd ad hæc instituta sunt. Institutio autem non est figmentum rationis, sed actus intellectus, & voluntatis instituentis sufficienter promulgatus. Adde secundò, quòd sacramenta sunt opera diuina, & habent, quidquid sacramentaliter habent, ab institutione Christi. At Christus non finxit entia rationis, nec illa instituit in signa, & causas instrumentales gratiæ. Tertiò, Vis efficiendi sacramentorum fundatur in sacramentali eorum significatione, vt ostendetur sect. 6. Atqui vis efficiendi gratiam non potuit à Deo fundari in ente rationis, ita vt Deus ad fingendum, & errandum nos obligauerit, vt ab eo iustificemur vi illius figmenti, & erroris. Quid enim absurdius? Dixi vim significandi non esse relationem rationis propriè dictam, & sumptam pro figmento intellectus: alioquin enim, si per relationem rationis intelligatur aliquid reale, quod à nobis relatiuè, seu comparatiuè concipitur, & explicatur, quodque meliùs dicitur relatio secundum dici, verum est signum sacramentale tale esse, vt ostendemus sect. sequenti.

§ 2. Non est forma moralis intrinseca.

Secundò, Nonnulli opinantur vim significandi ex instituto in sacramentis, vel aliis signis, esse formam moralem intrinsecam rei, quæ in signum assumpta est, & in ea resultantem vi institutionis. Sed contra: Primò, Talis forma superflua est: posita enim, & cognita institutione, vox, aut alia res significat eo ipso, quòd ad significandum instituta fuit, semota realiter, aut per mentem quacunque formá intrinseca, quæ ex institutione dicitur resultare: ergo non habet quòd significet à forma illa intrinseca, alioquin eá remotá non significaret: sicut quia paries est albus formaliter per albedinem, non est albus eá remotá. Quotiescunque enim aliquid est tale sine aliqua forma, non constituitur tale formaliter ab illa. Atqui res instituta ad significandum, est signum, & potens ad significandum sine illa forma morali intrinseca: hoc enim ipso, quòd est instituta ad significandum, potest deducere in cognitionem rei significatæ eum, cui institutio nota est. Ergo, &c. Secundò, Signum ex instituto debet cognosci, vt inducat in cognitionem rei significatæ: definitur enim, id, quod cognitum, ducit in cognitionem alterius, ad quod significandum est institutum. Ergo si constitueretur in ratione signi per formam illam moralem intrinsecam, deberet ipsa cognosci: hoc autem falsum est. Cùm enim voces ex instituto significantes audimus, non cognoscimus illis inesse formam illam moralem, neque illam cognosci necessarium est: sed cognita re, quæ est signum, & institutione extrinseca, sufficienter deducimur in cognitionem rei significatæ. Tertiò, dicere id quod est tale moraliter dumtaxat, esse tale per nouam formam intrinsecam, est ignorare naturam mutationis, seu potiùs denominationis moralis: quippe quæ nihil ponit noui in re denominata: sed in eo tantùm consistit, quòd res sit alterius æstimationis quoad humanum vsum, vel actiones morales, quàm antea esset. Vnde verbi gratiá pecunia in se intrinsecè immutata mutat valo-

rem sola principis voluntate, ita statuente. Idque satis intelligunt homines: licet de noua forma intrinseca non cogitent. Et fundatur quidem denominatio moralis in aliquo physico intrinseco, vel extrinseco; sed nihil noui intrinsecum addit. Ex. gr. quòd aliquis dicatur peccator moraliter, seu habitualiter, fundatur in eo, quòd peccauit actu. Quòd aliquis sit, & dicatur summus Pontifex, fundatur in eo, quòd fuit electus legitime à Cardinalibus. Quòd nummus tantum valeat, fundatur in actu, quo principis voluntas ita statuit. Sed hęc nihil noui intrinsecum addunt: ac sine vllo tali additamento verificantur optimè morales illæ denominationes, esse peccatorem, esse Pontificem, &c.

53. Sacramenta & alia signa ex instituto non significant sola sua natura.

Tertiò, Sunt qui putent sacramenta, & alia signa ex instituto, sola sua natura, & entitate significare, ita vt institutio sit tantùm conditio sine qua non, aut potiùs causa huiusmodi signorum in fieri, quatenus illis dedit moraliter, vt significarent: de cætero tamen non esse opus recordari institutionis, quando signum actu significat id, ad quod semel institutum est. Probant, quia illud est formaliter signum per se ex instituto, quod secundum se cognitum ducit in cognitionem alterius. Sed verbi gratia vox sola secundum se cognita ducit in cognitionem alterius: ergo per se formaliter est signum ex instituto. Maior patet ex definitione signi ex instituto. Minor probatur: quia si opus esset alio cognito, esset nimirum opus, vt institutio cognosceretur. Sed hoc est falsum: nam animalia bruta, audita voce, ducuntur ad alterius rei cognitionem, cùm tamen non cognoscant institutionem. Prȩterea quoties auditur vox, & percipitur eius significatio: toties mens recordaretur institutionis. Sed ad illam recordationem duceretur à voce. Ergo vox per se duceret ad cognitionem illius, atque ita formaliter esset signum, quod cognitum duceret in cognitionem alterius: vel si ad hoc esset opus alia institutione, daretur processus in infinitum. Itaque quàm facilè quis dicet audita voce sola, animum cogitare de institutione, tam facilè dicere potest cogitare de eius significato. Hæc illi. Qui non satis subtiliter distinguunt signum ex instituto vt tale, significans scilicet vi, & ratione institutionis, ab eo, quod tantum ducit in notitiam alterius ratione simplicis connexionis specierum. Etenim signum ex instituto formaliter est illud, quod secundum se cognitum ducit in cognitionem alterius vi institutionis, & impositionis, tanquam causæ moralis: non autem vi solius connexionis specierum vtriusque, & causalitate naturali consistente in connexione vtriusque, qui est alius cognoscendi modus: propter quam connexionem animalia bruta, audita voce sola cogitant de eius significato, eodem modo, quo cogitant de cibo visa mensa, & mappa. Sed hoc non est vti signo ex instituto vt tali: eodemque modo nos, audita voce sola, recordamur institutionis propter connexionem specierum vtriusque: possumusque etiam recordari rei ipsius, cuius pariter species est connexa cum specie vocis ipsius. At hoc non est vti signo, vt signo ex instituto, sed vti solùm connexione specierum, quæ, si esset sine vlla institutione (vt est in plurimis) haberet eandem vim, & effectum. Vti verò aliquo tanquam signo ex instituto, est illud tanquam voluntariè impositum ad aliud repræsentandum, velut eius imaginem voluntariam, & quasi vicarium, cognoscere vi impositionis, & mutationis illius moralis. Quod sine notitia actuali impositionis fieri nequit: nisi enim cognoscatur impositio, non est medium cognitum: sed perinde se habet, ac si non esset, respectu eius, à quo ignoratur. Quare non potest illum determinare tanquam medium, & ratio cognoscendi; & ducere ad notitiam alterius, ad quod significandum res per se indifferens est.

Ex his in forma ad argumentum Respondeo negando minorem in sensu iam explicato: quòd scilicet vox sola, secundum se cognita, ducat in cognitionem rei significatę vi institutionis, tanquam causæ moralis, & non tantùm vi solius connexionis specierum vtriusque, naturali causalitate. Ad probationem minoris, dico animalia bruta non vti signo ex institutione: sed propter solam connexionem specierum cognoscere rem significatam. Quo etiam modo cognoscimus institutionē audita voce sola, sed tunc ratione posterius, *à quo*, deuenimus vi institutionis in cognitionem rei significatæ, si vtimur signo ex instituto, vt tali, quemadmodum frequenter vtimur. Et quidem experientia docet nos faciliùs meminisse nostræ institutionis confusè, quàm rei, propter quam signum aliquod instituimus. Vnde solemus vti notis quibusdam sensibilibus, & visui frequenter occurrentibus, vt meminerimus alicuius negotii, pro quo nobis in memoriam reuocando tales notas apponimus.

Quartò, existimant aliqui vim efficiendi sacramentorum esse motionem, aut qualitatem aliquam transeuntem diuinitus ipsis impressam, quâ physicè producunt gratiam. Alii verò dicunt esse ipsammet sacramentorum entitatem obedientialiter eleuatam ad concurrendum physicè cum Deo vtente sacramentis, velut physicis instrumentis. Verùm suppono ex disp. ... probabilius esse sacramenta moraliter tantùm operari; quia vis illa physica obedientialis non apparet possibilis vniuersim. Qualitas verò superaddita, & quæuis alia causalitas physica sacramentorum non est necessaria ad ea intelligenda, quæ de ipsorum efficacia dicuntur à Scriptura, Conciliis, & Patribus. Non sunt autem multiplicandæ difficultates mysteriorum fidei sine necessitate. Posito autem quòd sacramenta moraliter tantùm operentur, vis eorum optimè intelligitur in eo consistere, quòd ratione institutionis, & pacti diuini, apta sint Deum mouere infallibiliter 54. Vis efficiendi sacram. non est motio vel qualitas transiens.

ad ponendum effectum sacramentalem per modum causæ principalis ipsis coniunctæ, velut instrumentis, quotiescunque ritè suscipientur. Hoc enim primùm posito, & quocunque alio sublato, sacramenta sunt completè potentia moraliter, & causæ morales efficaces, quibus moraliter, hoc est, æstimatiuè secundum prudens iudicium, tribuatur effectus.

Quid sit agere moraliter, & ens morale. Pro quo nota primò, agere moraliter nihil esse aliud, quàm tali modo se habere aliquid, vt ei effectus iure imputari possit, tanquam agenti. Dicitur enim morale formaliter per ordinem ad æstimationem: verbi gratiâ, actus humani dicuntur morales, quatenus sunt æstimabiles, & imputabiles operanti, à quo liberè procedunt: ita vt propter eos, si boni sunt, possit iure laudari: si mali, vituperari. Quod est summè difficile, dicitur moraliter impossibile; & impotentia moralis dicitur illa, quæ vix potest in actum reduci: quia potentia tam difficulter operatiua habetur pro nulla æstimatiuè, id est, iure reputatur, & æstimatur quasi non esset. Qui ad peccandum hortatur, consulit, præcipit, aut aliter inducit, dicitur causa moralis peccati, quod tamen physicè non fecit: quia iure ei imputatur, vt facienti, id, quod per alium facit, vel ad quod iuuit, aut induxit. Sic etiam sacramenta dicuntur efficere gratiam moraliter, quia cùm ex vi institutionis excitent Deum ad eam physicè producendam, idem est fere, ac si producerent; & iure censentur aliquo modo concurrere ad physicam eius productionem: quare reputantur illam producere.

55. Institutio & impositio ad quid valeat. Nota secundò, Non tantùm effectus physicos, sed etiam morales posse esse ex natura rei, sine institutione extrinseca vt valeat ad talem effectum. Sicut enim calor ex natura sua vim physicam habet calefaciendi: ita consilium, & exhortatio habet ex natura sua vim moralem persuadendi: & imperium habet vim moralem vrgendi subditum; & deprecatio, flectendi animum: & miseria, excitandi affectum commiserationis.

Nota tertiò, ex Suar. disp. 1. de Sacram. sect. 3. §. penult. Institutionem, & impositionem, quamuis nihil physicè ponat in re, sed sit tantùm causa extrinsecæ denominationis à reali actu prouenientis: moraliter tamen reddere rem aptam & completè potentem ad significandum, vel efficiendum morali modo, & ad alia, ad quæ institutio, vel impositio facta est. Nam hæ denominationes extrinsecæ, quatenus manent in memoria, & in existimatione Dei, vel hominum, multum valent ad huiusmodi actiones morales: vt exemplis facilè potest declarari in potestate iurisdictionis, in gradu Doctoratus, & similibus. Hæc enim solùm per quandam extrinsecam deputationem, & denominationē fiunt. Hæc Suar. Atque ita sacramenta, licet nullam physicam qualitatem seu permanentem, seu transeuntem, aut motionem, recipiant à Deo, vt aliqui malè imaginantur: neq; etiam physicè concurrant propria entitate, & potestate obedientialiter eleuata ad productionem gratiæ, quod ostendemus suo loco esse minus probabile, & in aliquo casu esse euidenter impossibile: tamen habent vim moralem sufficientem eo ipso, quòd vi institutionis mouent Deum efficaciter, & infallibiliter ad gratiæ productionem. Vide infra disp. 21 sect. 6.

SECTIO VI.

An vis significandi & efficiendi sacramentorum sit aliquid relatiuum.

Respondeo, non esse aliquid relatiuum, licet relatiuè concipiatur, & significetur. 56. Conclusio negatiua. Tam enim falsum est existimare omnia quæ relatiuè significantur, & concipiuntur, esse relatiua in seipsis, quàm est à vero alienum negare penitùs omnes veras, & reales relationes, tam in Deo, quàm in creaturis. Declaratur, & probatur responsum. 1. Sacramenta, cùm ex genere suo sint signa, & causæ gratiæ, sunt relatiua saltem secundum dici: id est, secundum nomen, & secundum conceptum illi nomini respondentem. Vis sacramentorum est relatiua secundum dici, at non intrinsecè. Nam vox illa *signum*, dicitur in ordine ad significatum, & causa dicitur in ordine ad effectum. Vis quoque significandi, & efficiendi dicitur per respectum ad aliud quod significetur, & efficiatur, aut effici possit. Ita vt huiusmodi voces, quoad suum integrum significatum, præter rem, quæ est signum, vel causa, seu vis significandi, vel causandi, quam in recto significant, & denominant, importent in obliquo, & connotent aliquid aliud correlatiuè significatum, & enunciabile ad conuertentiam. Signum enim est significati signum: & significatum est signi significatum. Causa est effectus causa: & effectus est causæ effectus: vt Pater est filii pater, & Filius est patris filius. Sacramenta ergo dicuntur signa, & causæ, seu habere vim significandi, & efficiendi in ordine ad gratiam, quam significant, & efficiunt. Et gratia similiter dicitur effectus, & significatum in ordine ad sacramenta, à quibus significatur, & efficitur.

57. Non tamen propterea putandum est, id quod directè significatur nominibus illis relatiuis signi, & causæ, seu vim significandi, & efficiendi sacramentalem, esse intrinsece quid relatiuum. Etenim illud totum non est aliud, quàm materia, & forma intrinseca, seu entitas sacramentorum, prout ratione institutionis apta est mouere intellectum ad gratiam intelligendam, & Deum ad gratiam physicè producendam. At entitas sacramentorum non habet ex seipsa ordinem intrinsecum ad gratiam: neque illum capit ab institutione, quæ non mutat rerum entitatem, sed tantùm est causa & fundamētum æstimationis moralis, & denominationis extrinsecæ. V. gr. ablutio aquæ naturalis in Baptismo, & vox in hæc verba formata, *Ego te*

baptizo, &c. non habet ex natura sua ordinem intrinsecum ad gratiam significandam, & efficiendam: sed tantùm habet non repugnantiam, vt possit assumi ad eam significandam, & moraliter efficiendam. Cùm autem reipsa assumitur per institutionem, id est, quando instituitur ad significandum, & efficiendum, nihil accipit noui, seu morale, seu physicum, à quo mutetur intrinsecè. Quare institutio non facit vt intrinsecè referatur: sed tantùm est fundamentum relationis extrinsecæ, & comparationis, quæ fit per intellectum, atque denominationis relatiuæ respondentis conceptui relatiuo, & comparatiuo, quo scilicet entitas sacramenti comparatur cum gratia, quam apta est significare, & efficere.

58. Relata categorica sunt tãtum secundum dici.

Porro ex modo denominandi, & concipiendi relatiuè non bene infertur, res denominatas, & conceptas, esse intrinsecè relatiuas. Multa enim sunt relatiua tantùm secundum dici, vt fatentur omnes philosophi. Et est manifestum res absolutas posse per intellectum adinuicem comparari, & relatiuè significari. Cuiusmodi esse puto relatiua, quæ dicuntur categorica, distincta à transcendentalibus, & alia id genus relatiuè significata, cùm manifestè absoluta sint. Nam relationes categoricæ primi generis, quæ dicuntur fundari in identitate, & diuersitate, siue in vnitate, & multitudine, nihil aliud sunt à parte rei, nisi res quædam absolutæ, comparatæ inter se per intellectum, & propter illam comparationem relatiuè significatæ, quando dicuntur esse similes, aut dissimiles, æquales, vel inæquales, eiusdem essentiæ, vel diuersæ, distantes, vel indistantes, &c. Quamuis totum fundamentum huius comparationis, & denominationis relatiuæ absolutum sit, nihilque sit aliud, quàm substantia, vel forma aliqua accidentalis vtriusque extremi, nullum habens respectum intrinsecum ad aliam. Nam v. gr. vt duo homines sint, & dicantur esse idem inter se, id est, similis naturæ, & eiusdem essentiæ, sufficit vtrumque esse hominem, siue constitui naturâ humanâ, & ambos existere in rerum natura. Estque impossibile, vt ambo sint homines, & non sint idem, id est, similes in essentia, quantumuis re, vel ratione semoueatur omnis respectus intrinsecus. Quare nomine illo *Idem*, non significatur talis respectus intrinsecus, qui est impertinens vt illi sint eiusdem naturæ, id est, vt quilibet eorum sit homo, & ambo existant à parte rei. Similiterque duo alba, sunt inter se similia eo ipso quòd vtrumque est album, semoto quouis respectu intrinseco: Et duo quanta vnius palmi sunt inter se æqualia, hoc ipso quòd vtrumque palmarem habet quantitatem. Similiter homo per seipsum eo solo præcisè, quòd est homo, est diuersus à leone, & à quouis alio constante alia natura, quàm humana. Et albedo est dissimilis nigredini eo solo præcisè, quòd sunt albedo & nigredo: & palmus est inæqualis cubito, eo solo quòd ille palmus, iste cubitus est. Eæduæ res distant, vel indistant abinuicem eo solo, quòd inter illas immotas potest, vel non potest aliquid aliud interiici. Et duo homines, duæ quantitates duæ qualitates coëxistunt, eo solo quòd vtrumque existit hoc tempore. Existunt autem hoc vel illo tempore formaliter per seipsa, eo solo quòd vnumquodque illorum est in rerum natura, absque eo quòd se mutuò respiciant, & semoto re, vel ratione, tali respectu. Quare relationes categoricæ quæ dicuntur fundari in vnitate, & multitudine, vel identitate, & diuersitate, vt omnes supradictæ, sunt superfluæ, & sine fundamento sufficienti excogitatæ. Idemque dico de relationibus categoricis secundi generis, quæ dicuntur fundari in actione, & passione. Nam vt ille qui alium genuit, pater denominetur, falsò concipitur relatio resultare ex generatione, & coëxistentia filii. Quia sine tali resultantia potest verè dici pater, eo ipso quòd filium genuit: ita vt nomen patris denominet personam, quæ genuit, & connotet generationem, & filium vi illius existentem, significetque hunc qui dicitur filius, genitum esse ab alio, qui dicitur pater. Illeque est conceptus, quem naturali lumine formant omnes non præoccupati contraria opinione. Denique relationes tertii generis, quæ dicuntur fundari in mensura, inter scientiam, & scibile, &c. sunt æquè superfluæ, ac præcedentes, si per illas intelligatur aliud, quàm relatio transcendentalis scientiæ ad obiectum: quæ relatio est ipsamet natura scientiæ seu cognitionis tendentis per seipsam intrinsecè ad obiectum, eo ipso, quòd est vitalis eius expressio, & intentio, seu tendentia intellectus, vel habitus ad illam inclinans. Quare superflua est alia relatio categorica resultans ex scientia, & obiecto. Mitto alia plura argumenta philosophica, quæ apud alios videri possunt, præsertim apud Aureol. in 1. dist. 30. art. 2. Aureol.

59. Dantur veræ relationes transcendentales.

At non propterea negandæ sunt relationes transcendentales rerum, quæ per seipsas ad aliquid aliud tendunt, & ad illud ordinantur ex natura sua, sine quo etiam non possunt perfectè concipi: vt materia ad formam, & forma ad materiam: accidentia ad substantiam, potentiæ ad actus & effectus: actus ad obiecta: actiones, siue agentia vt sic, ad effectum: vnio ad extrema: species intentionales ad obiecta, quorum sunt semina naturaliter: creaturæ ad Deum, à quo pendent essentialiter, cùm ex naturâ suâ sint entia ab alio, multò magis quàm accidentia ex natura sua pendeant à subiecto, & sint entia in alio. Etenim materia est essentialiter propter formam, & propter compositum, illudque naturaliter appetit, nec sine forma est in statu naturali: forma est propter materiam: accidentia simili modo se habent ad substantiam. Vis efficiendi est id quod est naturaliter in ordine ad effectum possibilem, neque potest intelligi sine illo vt vis efficiendi. Et actus vitales intelligendi verbi gratiâ, &

volendi sunt essentialiter tendentiæ vitales ad obiectum: & manifestum est experientia, quod nunquam actus nostri intelligendi, & volendi, cognoscantur à nobis, (vt certè cognoscuntur experientiâ ipsâ) nisi comparatiuè, & in ordine ad obiectum: estque omnino inintelligibile, quomodo possint aliter concipi. Confirmatur, quia omnis cognitio est attentio ad suum obiectum: Ergo est tendentia, & respectus seu relatio ad illud. Nam qui attendit ad aliquid, tendit ad illud: tendentia autem ad aliud est relatio, & respectus ad illud. Item intentio finis est tendentia ad finem, & qui intendit finem, sine dubio tendit in finem: sunt enim hæc synonyma.

60. Certum est dari veras relationes in Deo. Denique hæc omnia esse absoluta plane gratis, & sine probabilitate affirmatur. Neque sine errore negari potest dari veras, & reales relationes inter personas diuinas producentes, & productas. Hoc enim D. Thom. affirmat esse alienum à fide orthodoxa q. 8. de potentia a. 1. in corp. nec immeritò, quia in Concilio VVormat. in ipsa professione fidei, initio sic habetur: *Quod Pater est, non ad se, sed ad filium est: & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est.* Vbi notandum est Concilium non dicere, quod Pater dicitur non ad se, sed ad Filium esse dicitur: quasi loquatur tantùm de nominibus relatiuis, vt perperam interpretantur aduersarii: sed dicere, *Quod Pater est*, à parte rei scilicet, *non ad se, sed ad Filium est.* Et Concilium Tolet. 11. in confessione fidei initio, affirmat personas diuinas hoc solo numero multiplicari, quod ad inuicem sunt: & in hoc numero carere quod in se sunt. Idem quoque in Concilio Flor. sess. 18. 5. *Dixi equidem* docet Ioannes Theologus, additque hunc esse sensum omnium Græcorum, & Latinorum, quorum etiam commune istud axioma est, sumptum ex Conciliis Tolet. & VVormat. supra citatis, *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Idem denique affirmant Athanas. August. aliique Patres, quorum aliqua testimonia retulimus, & expendimus 1. p. disp. 25. sect. 1. & plura videri possunt apud Didac. Ruis. disp. 9. de Trinit. sect. 2. & 3. Propter quæ omnia, contraria sententia damnatur meritò erroris in fide à grauissimis theologis, vt à D. Thom. loco supra citato, Molin. 1. p. quæst. 28. a. 1. initio commentarii, Cumel, & Bañez, ibid Suar. lib. 5. de Trinit. cap. 1. Granad. 1. p. tract. 3. de Trinit. disp. 1. n. 2. Ruis disp. 9. de Trinit. sect. 1. num. 5. & aliis, quos iste citat. Sed de his plura suo loco. Alienum enim esset à præsenti instituto fusiùs hæc tractare. Moneo tantùm, ex diuinis relationibus inter producens, & productum, optimum sumi argumentum pro realibus relationibus inter causas, & effectus in creatis. Cur enim producere, & produci sit relatiuum in diuinis, si non sit in creatis? Quare qui tollunt omnes relationes creatas, impetunt diuinas. Et quidem argumenta, quibus impugnant relationes creatas transcendentales, æquè impugnant diuinas, vt patet ex dictis 1. p. disp. 25. sect. 1. num. 9. & sequentibus, vbi præcipuis illorum argumentis respondimus. & 1. 2. disp. 4. sect. 2. num. 10. & sequentibus.

Aduerte præterea, id quod paulò ante diximus, causam & vim efficiendi esse id quod est in ordine ad effectum possibilem, adeoque esse relatiuam intrinsecè, non repugnare responso initio sectionis dato, quo diximus sacramentum, tametsi est causa gratiæ, & vis illam efficiendi, non habere tamen ordinem transcendentalem ad gratiam, neque esse intrinsecè relatiuum. Nam illud priùs à nobis dictum fuit de causis physicis, quæ ex natura sua causant, & habent vim efficiendi, adeóque ex natura sua, & ab intrinseco tendunt ad effectum. At sacramentum non est causa gratiæ ex natura sua, sed tantùm ex instituto, & pacto diuino non mutante rei naturam, sed tantùm faciente, vt sacramentum æstimetur moraliter agere, quatenus Deus vi pacti sui mouetur ad præsentiam sacramenti, vt gratiam producat, & infundat recipienti debitè sacramentum.

SECTIO VII.

An, & quis ordo sit inter vim significandi & efficiendi Sacramentorum?

Citra dubium est vim efficiendi esse priorem ordine dignitatis, id est, nobiliorem vi significandi, plus enim est efficere gratiam, quàm significare. Itemque ordine intentionis eandem vim efficiendi priorem esse, tanquam magis principaliter intentam ab auctore sacramentorum. Deus enim censendus est se accommodare rerum naturæ, & principaliùs intendere, id quod in obiecto principalius est, quando contrarium non apparet. Sed quæstio est de ordine naturæ & executionis: vtra re, vel ratione, aliam veluti fundamentum præcesserit? 61. Vis efficiendi est prior ordine dignitatis, & intentionis.

Variæ sententiæ de ordine naturæ. Opinantur aliqui nullum esse talem ordinem inter vim significandi, & efficiendi sacramentorum, sed illa esse æquè primo significatiua, & operatiua. Quia licet aliud sit significare, & aliud operari: in sacramentis tamen vnum & idem, quod est significatiuum, est etiam simul effectiuum; & vnus idemque effectus, qui producitur, simul & semel designatur. Ita vt neutra ratio, significandi scilicet, & efficiendi, possit ab altera separari, stante natura sacramenti: neque significatio prior sit veritate, sed se habeant simul & semel, & concomitanter essentialiter: quia nempe Deus simul tempore, & sine dependentia, vtramque vim sacramentis dedit, ea simul, & independenter instituens ad significandum, & efficiendum. Vnde inter vim significandi, & efficiendi neque est ordo temporis, neque naturæ, vel rationis.

Alii

62. Alii secundò putant vim efficiendi fundari non modò in vi significandi, sed & in veritate significationis. Ideo enim sacramenta operantur suum effectum, quia verè illum significant, & quia sunt signa practica instituta à prima veritate, ac consequenter necessariò vera, & infallibiliter operatura. Adde, quòd licet in propositionibus sacramentalibus, & similibus practicis propositionibus tria sint distinguenda: nimirum quòd significent, quòd sint veræ, & quòd sint practicæ, & effectiuæ eius, quod significant: potueritque efficiendi vis fundari solùm in significatione, quæ veritate prior est, quia non pendet ab existentia obiecti, à quo veritas pendet: cùm tamen vt veræ, perfectiores sint, quàm vt tantùm significatiuæ; probabilius est Deum fundasse vim efficiendi, non simpliciter in significatione, sed in ea simul cum veritate, vel in significatione, vt vera.

Alii tertiò, censent vim efficiendi fundari in significatione, & veritatem in vtraque; ita ut significatio sit naturâ, vel ratione, prior efficaciâ: & efficacia sit prior veritate. Quæ postrema opinio est Suar. disp. 58. sect. 6. Vasq. disput. 202. & aliorum plurium, vbi disputant de forma sacramenti Eucharistiæ: magisque accedit ad veritatem, quàm aliæ duæ præcedentes. Ex opposito tamen existimari posset vim significandi fundari in vi efficiendi. Omnis enim causa, quà causa est, est signum sui effectus; & si bene cognoscatur, in cognitionem illius inducit. Sicut vice versa effectus quia effectus est, est signũ suæ causæ, potestque in notitiam illius inducere.

63. Triplex significatio spectari potest in sacramẽtis nouæ legis.

Existimo distinguendum esse. Triplex enim est significatio sacramentorum. Prima est inchoata, & imperfecta quæ conuenit eorum materiæ, & formæ, ante, & citra diuinam institutionem. Materiæ enim sacramentorum habent quandam analogiam, & imperfectam similitudinem cum eorum effectibus supernaturalibus, qui adhuc magis per eorum formas significantur. V. g. ablutio externa corporis per aquam, habet analogiam cum ablutione interna animæ per gratiam: quæ significatio analogica magis determinatur per formam, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Quibus verbis secundum sensum ipsum, quem habent ab humana impositione, innuitur fieri sacra quædam ablutio. Secunda significatio, est significatio completa, & perfecta, quam habent sacramenta ab institutione diuina, & quam haberent, licet causæ non essent, & habent reipsa respectu aliquorum, quorum causæ non sunt. Sacramenta enim significant aliqua, quæ non efficiunt. Vt Baptismus mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi. Et sacramenta legis antiquæ significabant perfectè gratiam ex institutione Dei, quam tamen non efficiebant. Tertia significatio est illa, quæ connaturaliter conuenit illis vt causis. Eodem enim modo, quo cæteræ causæ, eò quòd sint causæ, significant effectum suum, possuntque ducere in eius cognitionem: itasacramenta eo ipso quòd instituta sunt in causas aliquorum effectuum, illos significant, & significarent, quamuis alia institutio deesset. Et quamuis sacramenta non sint causæ gratiæ naturaliter, sed ex Dei institutione: posito tamen, quòd sunt causæ per institutionem, non possunt vt tales intelligi quin ducant in notitiam effectus.

Hæc postrema significandi vis est ipsa vis causandi ex instituto, quatenus in cognoscendo suum importat effectum. Sicut tamen veritas propositionis dicitur esse proprietas illius, & posterior affirmatione, vel negatione, eo quòd eius conceptus importat aliquid, quod non importat affirmatio, vel negatio, nempe obiectum esse prout affirmatur aut negatur: ideóque conceptus affirmationis, vel negationis est magis simplex; & independens, quàm conceptus veritatis, qui vltra affirmationem dicit obiecti existentiam, & consistit in conformitate vtriusque: sic quia vis hæc significandi importat in suo conceptu aliquid, quod non importat vis causandi, nempe respectum ad intellectum, quem deducere possit in notitiam effectus, eo quòd causa illius sit: idcirco vis ista significandi est aliquo modo proprietas, & posterior vi causandi considerata vt tali. 64.

Secunda verò significatio ex tribus supra enumeratis fundatur sine dubio in prima, & est illâ posterior: ideo enim Christus tales materias, & formas assumpsit, & instituit ad perfectè significandam, & efficiendam gratiam; quia habebant aliquam analogiam, & proportionem imperfectam cum gratia, vt tali vel tali modo significanda, & efficienda: vt in eo seruaret Christus suauiorem prouidentiæ ordinem. Vnde etiam fit vt corrupto planè sensu verborum formæ, sacramentum non existat: quia nimirum Christus vim significandi, & efficiendi sacramentalem fundauit in tali sensu verborum.

65. Vis efficiendi sacrament. fundatur in significatione.

Inter secundam autem vim significandi, & vim efficiendi, est prioritas subsistendi consequentiâ: quatenus vis significandi in sacramentis latiùs patet vi efficiendi: multa enim significant, quæ non efficiunt: licet nihil efficiant, quod non significent. Comparando autem vim significandi, & efficiendi, respectu eiusdem, quod sacramentum significat simul, & efficit: incertum est, an sit ordo naturæ, & dependentiæ inter vtramque. Potuit enim Christus æquè primò, & independenter instituere sacramenta in signa, & causas gratiæ. Potuit quoque incipere ab eo, quod imperfectius est, & commune sacramentis veteris legis: nempe instituere primò in signa, independenter à causalitate: tum ratione posteriùs, & dependenter ab ista institutione, prouehere vlteriùs, & instituere in causas, quod nobilius est. Et hoc secundum probabilius videtur: quia solet Deus ab imperfectioribus incipere, & prouehere ad perfectiora, & nobiliora fundare in ignobilioribus.

Certum est illam non fundari in veritate significationis.

Siue tamen vis efficiendi fundetur in illa significatione, siue non; omnino certum, & euidens existimo non fundari in ipsa veritate propositionum sacramentalium, ita vt verba operentur, quà vera sunt, & non tantùm, quà significatiua. Ratio est, quia verba sacramentalia, quatenus fundant vim efficiendi, debent esse natura saltem priora effectu. Atqui vt vera, non sunt priora: quia vt vera supponunt esse id quod significant, adeóque supponunt effectum, qui significatur: ex eo enim, quòd res est, aut non est, propositio est vera, vel falsa: ergo verba sacramentalia, vt vera sunt, supponunt esse id, quod significant: adeóque non sunt illo priora, sed posteriora; & consequenter non sunt illius causa. Exempli gratia, Verba illa, *Ego te baptizo*, &c. intellecta de lotione spirituali per gratiam, vt vera sint, supponunt illam lotionem esse prout significatur. Et ista, *Hoc est corpus meum*, quatenus vera sunt, supponunt esse corpus Christi, prout significant. Ergo eatenus non sunt priora naturá, sed posteriora: ac proinde, vt sic, non possunt esse illius causa. Dico igitur cum Vasq. & Suar. supra citatis verba formarum sacramentalium non operari, vt vera sunt, sed potiùs vt vera sint: adeo vt veritas formæ sit potiùs causa finalis, quàm effectiua: sola autem significatio practica, vtpote prior veritate, fit causa instrumentaria effectiua existentiæ obiecti significati, & consequenter ipsius veritatis, quæ pendet ab existentia obiecti, nempe ab eo, quòd obiectum sit, prout esse affirmatur.

65. Refutatur contraria sententia.

Nec valet, quod respondet Aegid. Conin. quæst. 78. a. 5. num. 44. veritatem propositionis pendere ab existentia rei, non absolutè, & necessariò præsenti, sed vel præsenti, vel præteritá, vel futurá, prout in propositione affirmatur esse. Veritas autem propositionis practicæ de præsenti requirit quidem, vt res, quæ asseritur, existat eodem instanti temporis, quo habet completum suum esse: sed posteriùs naturá, quàm ipsa sit, quia hoc implicitè affirmat. Quare sicut relatio, quæ respicit terminum absolutè futurum, potest eo prior esse tempore: sic quæ respicit futurum posterius naturá, potest eo prior esse naturá. Talis autem est veritas propositionis practicæ. Ergo, &c. Non valet, inquam: quia si, vt fatetur Aegid. veritas propositionis practicæ de præsenti pendet ab existentia rei, vt futura, naturá posterius, quàm propositio sit completa: ergo non potest esse causa illius, vt ita futuræ: ergo neque potest esse causa existentiæ illius. Quia id, quod est causa cur aliquid existat eo tempore, vel instanti, quo existit, est etiam causa cur sit futurum pro eo tempore, vel instanti, quo est futurum: & significare aliquid ut futurum, nihil est aliud, quàm significare vt existens pro ea temporis differentia, pro qua futurum est. Ergo si veritas propositionis practicæ, id est, effectiuæ, non potest esse causa futuritionis rei, quam potius supponit: non potest etiam esse causa existentiæ eiusdem rei pro ea temporis differentia, quá extitura est. Itē illud prius natura, vel est inintelligibile, & impossibile; vel significat tantùm rem existere eodem instanti, quo propositio absoluitur; existere, inquam, dependenter ab eius veritate, vt causa suæ existentiæ. At non potest existere dependenter ab illa, si potiùs veritas propositionis existit dependenter ab existentia rei significatæ: alioquin idem esset prius priore se in existentia, & penderet à seipso, quia penderet à pendente à se.

Ex his facile est respondere fundamentis aliarum opinionum, quatenus nobis aduersantur. Vnum tamen superest, quod potest obiici: nempe vim significandi ex instituto effectum sacramentalem esse planè superfluam, cùm sacramenta per vim causandi satis illum significent, & eo ipso, quòd sunt instituta in causas, sint sufficienter signa connaturaliter. Respondeo, Sacramenta perfectiùs significare, cùm non significant tantùm, vt causæ, sed etiam vt signa peculiariter à Christo instituta ad effectum repræsentandum vi diuinæ impositionis: in eoque conuenire sacramenta nouæ legis cum sacramentis antiquæ legis, & differre à contritione, & ab aliis actibus sufficienter dispositiuis, aut meritoriis gratiæ, qui significant quidem gratiam, vt causæ: at non peculiariter, vt illius signa ex institutione. 67. Sacramenta N. L. non sunt frustra instituta ad significandum.

Dices vanum esse instituere peculiariter causam in signum sui effectus: verbi gratiâ ignem fumi, vel caloris. Resp. Verum id esse de rebus, quæ sunt causæ ex natura sua: secus autem de iis, quæ habent tantùm ab institutione, vt significent, & causent. Et quidem in sacramento Matrimonii clara est distinctio significationis ex instituto præcedentis causalitatem, & significationis connaturaliter eam sequentis. Nam Matrimonium in lege naturæ, & Mosaica habebat ex instituto diuino vim significandi coniunctionem Ecclesiæ cum Christo per gratiam, quam tamen tunc non efficiebat. Nota denique sacramentum per idem intrinsecè, etiam formaliter esse signum, & causam; idem enim est quod causat, & quod significat gratiam, nempe materia & forma sacramenti, vt talis: & differre tantùm in ordine ad extrinsecam institutionem in signum, vel in causam. Quod tamen non impedit, quin potuerit priùs institui in signum, quàm in causam modo supra explicato. 68.

DISPVTATIO DECIMA-NONA.

De Materia, & Forma Sacramentorum.



DE materia & forma Sacramentorum disputat S. Thomas quatuor postremis articulis quæst. 60. In quorum primo docet, in sacramentis nouæ legis, quibus homines sanctificantur, vtendum esse rebus ex diuina institutione determinatis. Quia non pertinet ad aliquem determinare illud quod est in potestate alterius. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio determinare res, quibus sanctificetur, sed hoc debet esse ex diuina institutione determinatum. In secundo affirmat, necessarium fuisse verba rebus adiungi, tum vt sacramenta essent conformia causæ sanctificanti, quæ est Verbum incarnatum, in eo quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis, carni sensibili est Verbum Dei vnitum. Tum etiam vt homini, qui est subiectum sanctificationis, magis proportionarentur: quippe qui componitur ex corpore, & anima. Cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. Tum denique propter perfectionem significationis. Nam vt rectè ait D. August. lib. 2. de Doct. Christiana

cap. 3. Verba inter homines obtinuerunt principatum significandi. In tertio, asserit in sacramentis res sensibiles se habere per modum materiæ; & verba, per modum formæ. Cúmque in illis requirantur determinatæ res sensibiles, quæ se habent sicut materia: multò magis requiri determinatam formam verborum: Nam in omnibus compositis ex materia & forma, principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis & terminus materiæ. Et ideo principaliùs requiritur ad esse rei determinata forma, quàm determinata materia: materia enim determinata requiritur, vt sit proportionata determinatæ formæ. In quarto, dicit mutationem formæ posse irritum Sacramentum reddere dupliciter. Vno modo, ex parte ministri proferentis verba, cuius intentio requiritur ad sacramentum: & ideo si intendat, per mutationem formæ, alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus; non videtur perfici sacramentum: quia non videtur quòd intendat facere id quod facit Ecclesia. Alio modo, ex parte significationis verborum. Si enim mutatio talis est, vt corrumpat debitum sensum & essentialem: sacramentum est irritum. Verba enim operantur in sacramentis quantum ad sensum quem faciunt. Huc vsque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus explicabitur.

SECTIO I.

Vtrum omnia Sacramenta perficiantur rebus vt materia, & verbis vt forma?

1. Non est de ratione sacramenti generalissimè sumpti perfici rebus vt materia, & verbis vt forma.



QVAESTIO esse potest vel generaliter de sacramentis quibuslibet, siue legis antiquæ, siue nouæ: vel specialiter de sacramentis tantùm à Christo institutis in lege Euangelica. De priori sensu quæstionis, dico primò, Non esse de ratione sacramenti generalissimè sumpti, prout omnia cuiuscunque legis sacramenta complectitur, vt perficiatur rebus, & verbis, tanquam materia, & forma. Ita S. Thom. quæst. 60. a. 6. ad 3. & alii communiter. Probatur, quia neque ex Scriptura, neque aliunde colligi potest sacramenta omnia veteris legis fuisse perfecta verbis quibusdam ad eorum essentiam pertinentibus, ita vt sine illis fieri non possent. Nam de circumcisione, quæ in lege naturæ instituta fuit Genes. 17. nihil tale habetur. Vltra circumcisionem verò, quæ in lege Mosaica perseuerauit, fuerunt in eadem lege alia sacramenta, vt cerimonia Agni Paschalis, esus panum Propositionis, ordinatio sacerdotum Aronicorum, ablutiones quædam, & sacrificia omnia expiatoria pro peccatis, quæ tollebant aliquam immunditiam legalem, vt docet S. Thom. 1. 2. quæst. 102. Sed neque in his omnibus reperiuntur fuisse instituta diuinitùs aliqua verba, quæ ad ea perficienda pertinerent essentialiter, ita vt sine illis non fierent. De aliquibus tamen id probabiliter asseri potest, vt de ritu sacrificii expiatorii pro peccato, de quo dicitur Leuit. 4. vers. 26. *Rogabitque pro eo Sacerdos*, (pro eo scilicet, pro quo expiando offerebatur sacrificium) *ac pro peccato eius, & dimittetur ei.* Qui loquendi modus videtur esse similis illi Iacobi 5. vers. 14. & 15. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quo loco Catholici colligũt verba deprecatoria, à sacerdote prolata, esse de essentia sacramenti Extremæ-vnctionis.

Ratio verò, cur sacramenta antiquæ legis non debuerint perfici rebus, vt materia, & verbis vt forma, hæc redditur à D. Thoma quæst. 60. art. 6. Quia cùm essent obscuriora, & figuræ tantùm, & vmbræ Christi venturi, non debuerunt ita expressè significare, ac sacramenta nouæ legis à Christo ipso instituta. Significatio autem quæ fit per verba expressior est. Nam, vt ait S. August. lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 3. circa medium, Verba inter homines obtinuerunt principatum significandi, quia verba diuersimodè formari possunt ad significandos diuersos conceptus mentis: & propter hoc per verba magis distinctè possumus exprimere, quod mente concipimus. 2. Cur sacramenta legis veteris non debuerint perfici verbis.

De posteriori sensu quæstionis dico secundò, Fide diuina certum esse sacramenta omnia nouæ legis perfici rebus quibusdam, vt materia, & verbis, vt forma. Quod tamen intellige de rebus, & verbis vel propriè sumptis, vel secundum aliquam proportionem. Prima pars conclusionis patet ex Florent. in decreto. S. *Hæc omnia sacramenta tribus perfi-* 3. Sacramenta omnia N. L. perficiuntur rebus & verbis, vt materia & forma.

ciuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. Hucusque Concilium. Patet etiam inductione per omnia sacramenta nouæ legis. Ratio verò à priori est institutio Christi, quę partim constat ex Scriptura, partim ex antiqua traditione, vt ostendemus, cùm de singulis sacramentis disputabitur. Huius vero institutionis tres rationes congruæ redduntur à D. Thom. q. 60. art. 6. in corp. quas in procemio disputationis retulimus. Nimirum 1. vt sacramenta nouæ legis sint conformia Verbo incarnato, in quo Verbum rei sensibili adiunctum est. 2. Vt homini constanti corpore, & anima, proportionetur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. 3. Quia ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, vt significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur: verba enim inter homines sunt aptiora ad significandū ex instituto, quā res.

4. Nomine autem rerum intellige vel substantias aliquas, vt aquam in Baptismo, Chrisma in Confirmatione, Corpus & Sanguinem Christi in Eucharistia, vel actus aliquos conferentis, aut recipientis sacramentū: vt actus pœnitentis in sacramento pœnitentiæ, consensum coniugum in Matrimonio, ablutionem, & vnctionem in sacramentis Baptismi, & Confirmationis: neque enim sufficit aqua sola, sed eius vsus, & ablutio necessaria est: idque significat forma Baptismi, *Ego te baptizo.* Vnde dici solet aqua esse materia remota, ablutio proxima: sicut in Confirmatione Chrisma est materia remota, vnctio proxima. Idemque dico de aliis sacramentis, in quibus aliqua actio materialis ministri, aut subiecti sacramenti circa aliud quidpiam necessaria est, tanquam circa materiam intrinsecam, & ex qua; vel extrinsecam, & circa quam: vt circa aquam, aut Chrisma, vel oleum; circa substantiam panis, & vini; circa peccata; circa ordinandos; circa corpora coniugum, quæ mutuò traduntur.

Dixi in secunda parte conclusionis, *Rebus, & verbis vel propriè sumptis, vel secundum aliquam proportionem*: propter ea, quæ mox dicenda sunt de sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonii, de quibus est specialis ratio, & difficultas.

5. Primò enim obiicitur, sacramentum Pœnitentiæ perfici potiùs verbis vt materia: nam confessio est eius pars materialis, & essentialis: confessio autem verbis fit. Neque dicas Concil. Florent. suprà loqui de materia non tantùm proxima, sed etiam remota, vt patet ex quibusdam quæ pro materia assignat, explicando materiam, & formam singulorum sacramentorum: peccata autem sunt materia remota sacramenti Pœnitentiæ, vt materia circa quam: & sunt aliquę res à verbis distinctæ. Nam contra: sequitur ex hac responsione, saltem pro aliqua parte materiæ assignari verba eo ipso, quòd conceditur confessionem vocalem esse partem materialem sacramenti Pœnitentiæ. Hoc autem videtur esse alienum à mente Concilii, quippe quòd hæc duo condistingui: & res solùm assignat pro materia; verba solùm, pro forma. Deinde aliqua sunt peccata, quæ sunt tantùm peccata oris, id est, verbo commissa: & de illis solis fieri potest confessio sacramentalis ab eo qui non habet alia mortalia adiuncta: æquè ac de solis peccatis cordis, vel operis. Similiterque satisfactio, quæ est altera pars materialis sacramenti Pœnitentiæ, fieri potest solis verbis, vt quando à sacerdote iniungitur tantùm aliqua vocalis oratio.

Respondeo 1. Vltra has duas partes materiales sacramenti Pœnitentiæ esse aliam tertiam, nempe contritionem cordis, aut attritionem, quæ est res à verbis distincta, per se quidem insensibilis, sed tamen sensibilis per verba, vel per alia signa externa dolorem internum testantia. Non est autem necesse sacramentū esse sensibile se toto, & omni sui parte, vt dicemus paulò post. 2. Dico confessionem peccatorum communiter quidem voce fieri, id tamen non esse sacramento essentiale neque necessarium; quia potest fieri scripto, vel nutu, vel gestu, sicut à mutis. Cùmque fit voce; habet nihilominus rationem rei per quandam proportionē: quatenus scilicet est actus pœnitentis, & accusatio sui ipsius, cui accidentarium est, quod verba adhibeantur: sufficit enim quæuis doloris, & sensibilis accusatio, quæ prout est inchoatio actus iudicialis, habet rationem materiæ, respectu sententiæ iudicis, quæ est eius perfectio. Similiterque satisfactioni accidentarium est, quòd verbis fiat: potest enim eleemosynis, flagellationibus, peregrinationibus, templorū, carcerum, & xenodochiorum visitationibus, & aliis piis operibus fieri. 3. Dico peccata oris non esse peccata formaliter, & materiam accusationis sacramentalis sine consensu formali, aut virtuali voluntatis. Quare peccata illa cōtinent aliquid præter verba. Concilium autem non ita assignat, & distinguit res ex parte materiæ, & verba ex parte formæ, vt intēdat excludere penitùs res omnes à sacramenti cuiuscunque forma, & verba à materia: alioquin sibi apertè contradiceret, cùm paulò post §. *Quartum sacramentum*, dicit oris confessionem esse materiā sacramenti Pœnitentię. Et §. *Septimum est sacramentum Matrimonii*, ait Matrimonium regulariter contrahi per verba de præsenti mutuum consensum exprimentia: significans posse aliter contrahi sine verbis propriè sumptis, per nutus, & alia signa, sicut à mutis contrahitur. Sed Concilii sensus est in omnibus sacramentis nouæ legis esse aliquid ex parte materię, quod est res aliqua à verbis distincta, siue illud solum sit tota materia, siue non: & ex parte formæ esse verba in Matrimonio regulariter; in aliis non modò regulariter, sed necessariò, penitùs, & essentialiter. Hac enim de causa Flor. in hoc sacramento solo vtitur hac voce, regulariter.

Quomodò sacramentum pœnitentiæ perficitur rebus vt materia.

6. Quomodo res & verba distinguantur in sacramento matrimonii. Obiicitur secundò non posse res & verba distingui in sacramento Matrimonii, vt materiam, & formam, quibus perficiatur. Nam interdum Matrimonium solis verbis perficitur, vt quando contrahitur per verba de præsenti. Vnde tunc temporis perficitur verbis tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ. Interdum etiam fit solis rebus, vt cùm aliqui nutibus contrahunt. Certum enim est verba non esse necessaria, sed sufficere quamlibet expressionem consensus interni, siue scripto fiat, siue nutu, aut gestu.

Huic difficultati varii varia respondent. Omissis autem aliis respondendi modis suo loco sigillatim examinandis, & refutandis, dico breuiter materiam contractus, & sacramenti Matrimonii remotam quidem, & circa quam, esse corpora coniugum, quæ mutuò traduntur proximam verò, & ex qua, esse mutuum consensum internum. Formam verò esse signa externa consensum internum exprimentia, quæ regulariter solent *esse* verba. Quam sententiam tenent Rebellus 2.p. de iustitiæ obligationibus lib. 2. quæst. 4. sect. 3. num. 12. Couarr. & Iuristæ communiter, aliique plures, qui citantur à Rebello, & à Sanche lib. 2. de Matrim. disp. 5. num. 2. Quibus accedit S. Thom. in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 1. ad 1. & 2. affirmans actus contrahentium esse materiam huius sacramenti, sicut actus pœnitentis sunt materia sacramenti Pœnitentiæ: formam verò esse verba, quibus consensus maritalis exprimitur. Vbi per actus contrahentium quos ait esse materiam, distinctos à verbis, quæ ait esse formam, D. Thomas nihil aliud intelligit, quàm internum vtriusque consensum. Nam ad Matrimonium nulli alii actus requiruntur essentialiter, quàm consensus internus vtriusque coniugis, & verba, vel alia signa externa; quibus ille consensus exprimitur: siquidem, vt definit Trid. & Florent. in Decreto Eugenii 4. *Septimum est sacramentum*, Matrimonium efficitur mutuo contrahentium consensu, regulariter per verba de præsenti expresso.

Iuxta hanc verò sententiam facilè est distinguere in sacramento Matrimonii materiam à forma: & res quæ sunt loco materiæ, à verbis, quæ sunt loco formæ: non enim minùs distinguuntur in Matrimonio, quàm in aliis sacramentis: cum hac solùm differentiâ, quòd in aliis loco formæ requiruntur necessariò, & essentialiter verba propriè dicta, id est, ore prolata, in Matrimonio autem regulariter quidem, id est, communiter, & ordinariè adhibentur: sufficiunt tamen scripta, nutus, vel alia signa, loco verborum consensum exprimentia, semperque habentia locum formæ, quatenus complent, determinant, & perficiunt consensum internum in esse signi sensibilis.

7. Nec obest, quod obiiciunt aliqui, consensum internum non esse sensibilem, ideóque non posse esse materiam sacramenti. Respondeo enim sacramentum non debere esse sensibile omni ex parte; sed sufficere, si ex aliqua sit, ex qua totum denominetur sensibile: sicut homo ex parte corporis denominatur corporeus, quamuis anima sit spiritalis. Non est etiam necesse, vt quidquid est materia sacramenti, sit sensibile. Nam contritio in sacramento Pœnitentiæ est vna de partibus materialibus; & in sacramento Eucharistiæ corpus, & sanguis Christi posita indiuisibiliter, & insensibiliter sub speciebus, sunt vel tota materia intrinseca, vel pars materiæ eiusdem sacramenti: & tamen hæc non sunt per se sensibilia. Si autem pars materiæ sacramenti potest esse insensibilis per se, quidni etiam tota? neque enim sacramentum definit esse sensibile, dummodo constet altera parte sensibili, vt paulò ante diximus.

Frustra quoque opponunt alii, fore vt intentio in aliis sacramentis sit eorum materia: & consensus Episcopi ordinantis, consensus inquam tradendi potestatem quam confert ordinato, sit materia Sacramenti Ordinis. Respondeo enim primò, hoc argumentum retorqueri posse in aduersarios: quippe qui non negant consensum coniugum, saltem vt signo externo expressum, esse materiam sacramenti Matrimonii: ex quo sequeretur intentionem, vt signo externo expressam (exprimitur autem hoc ipso, quòd sacramentum ritè confertur) fore materiam aliorum sacramentorum: similiterque consensum ordinantis fore materiam sacramenti Ordinis: si de istis, vt de consensu coniugum philosophandum esset.

Respondeo secundò, de materia, & forma sacramentorum tam in genere, quàm in particulari iudicandum esse ex traditione diuina, partim per Scripturam, partim per Ecclesiæ, & Conciliorum declarationem nobis significata. Nusquam autem Scriptura significat intentionem, aut consensum ordinantis esse materiam sacramentorum. Concilia verò, præcipuè Florent. in decreto Eugenii 4. *Hæc omnia*, significant intentionem se tenere ex parte causæ efficientis, in omnibus sacramentis. Consensus autem Episcopi ordinantis ad tradendam ordinato potestatem, quam illi confert per sacramentum Ordinis, non est necessarius, nisi prout est intentio faciendi id, quod Christus instituit: sufficit enim illa intentio absoluta. Quare ille alius consensus, prout distinguitur ab intentione sicut non est necessarius, ita neque est materia sacramenti. 8. Soluitur obiectio.

Respondeo tertiò directè, negando sequelam: quia sacramentum Matrimonii est essentialiter contractus. De ratione autem intrinseca, & essentiali contractus est consensus mutuus contrahentium. Est enim contractus voluntas efficax se mutuò obligandi, vel vt definitur. *L. Labeo ff. de verborum significationibus*, Contractus est vltro citroque obligatio: effectiua scilicet, id est, conuentio causans, & inducens obligationem mutuam. Itaque contractus Matrimonii est

essentialiter consensus mutuus coniugum: qui contractus, vt sit humanus, & sensibilis, debet esse consensus non purè internus, qui est insensibilis, sed externo aliquo signo, & sensibili manifestatus. Quod signum, quia determinat, & perficit consensum internum in esse sensibili, ideo iure dicitur habere locum formæ in sacramento Matrimonii. Consensus verò internus habet locum materiæ: per analogiam ad composita naturalia, in quibus pars illa, quæ perficit, & determinat, est forma; altera determinabilis, & perfectibilis est materia.

At Ordo, & alia sacramenta non sunt contractus, sed sacræ quædam cerimoniæ in alio genere institutæ: quarum aliquæ possunt exerceri circa infantes, & amentes absque vllo eorum consensu. In adultis verò, & ratione vtentibus requirunt intentionem recipientis, non vt partem, sed vt conditionem necessariam. In conferente autem, aut ministro requirunt omnes intentionem faciendi id quod Christus instituit, non vt componentem intrinsecè sacramentum, sed vt applicantem potestatem moralem efficiendi sacramentum, quæ potestas non operatur sine libera motione, & applicatione ministri, cui subest, vt dicemus disput. 22. sect. 3.

Cætera, quæ contra eandem sententiam obiiciuntur, diluentur alibi, vbi de materia, & forma Matrimonii ex professo disputabitur.

SECTIO II.

An Sacramenta omnia nouæ legis non modò perficiantur, sed etiam constent rebus quibusdam vt materia, & verbis vt forma?

9. NOta primò aliud esse perfici, & aliud constare intrinsecè, seu componi: neque enim omnia, quæ necessaria sunt ad aliquid perficiendum, illud componunt. Nam intentio ministri v.g. necessaria est ad sacramenta perficienda: nec tamen componit, sed est causa efficiens, & extrinseca, vel conditio illius causæ. Substantia panis, & vini necessaria est ad efficiendum sacramentum Eucharistiæ: nec tamen illud componit, sed perit, & destruitur per effectionem illius sacramenti.

Eucharistiæ sacramentum habet esse permanēs, alia non.

Nota secundò differentiam esse inter sacramentum Eucharistiæ, & sex alia nouæ legis sacramenta. Quòd hæc physicè consistant in vsu, & applicatione, & in aliqua actione transeunti, suntque tantùm quando fiunt, atque eorum effectio non distinguatur ab applicatione, siue vsu, & susceptione: vnde non possunt fieri sine subiecto, seu persona, cui applicantur. At verò sacramentum Eucharistiæ consistit in re permanenti, manetque physicè post effectionem: eiusque vsus, & applicatio distinguitur, & posterior est eius effectione. Consistit enim in corpore Christi, ac sanguine, & speciebus consecratis: manetque, quandiu sub iisdem speciebus maneret substantia panis, & vini naturaliter, & sensibiliter: eiusque effectio est consecratio, seu prolatio horum Christi verborum super panem, & vinum, *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei*: vsus verò est sumptio cibi illius, & potus sacri, qui vsus est posterior consecratione, seu effectione eiusdem cibi, & potus sacri.

10. His præmissis, Respondeo probabilius esse sacramenta omnia nouæ legis, siue in vsu, siue in esse permanenti posita, constare intrinsecè rebus quibusdam, vt materia, & verbis quibusdam, vt forma: intelligendo res, & verba, vt in priori sect. exposuimus. Probatur primò ex D. Thom. quæst. 60. art. 6. ad 2. Vbi generatim ait ex rebus, & verbis fieri quodammodo vnum in sacramentis: sicut ex forma, & materia: inquantum per verba perficitur significatio rerum. Et art. 7. in corp. probat sacramentorum formam debere esse determinatam, quia in sacramentis verba se habent per modum formæ: res autem sensibilis per modum materiæ: in omnibus autem compositis ex materia, & forma, principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis, & terminus materiæ: & ideo principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quàm determinata materia. Huc vsque D. Thom. cui plures alii Theologi assentiuntur. Fauet etiam Concilium Florent. supra citatum, affirmans omnia sacramenta nouæ legis perfici rebus quibusdam, & verbis, vt materia, & forma. Nomina enim materiæ, & formæ magis propriè sumpta, sunt nomina partium intrinsecè constituentium. Quamuis non omnia, quæ Florent. assignat pro materia, sunt materia componens intrinseca. Fauet item modus loquendi Catechismi Pii V. parte 2. cap. 1. Vbi ait materiam, & formam sacramentorum esse partes, ex quibus vnumquodque sacramentum necessariò conficitur, & constituitur. Et S. Thom. quæst. cit. & quæst. 86. a. vltimo. Et in 4. dist. 1. quæst. 1. a. 3. vbi ait sacramenta fieri, constare, & consistere ex materia, & forma, sicut Christus ex Verbo, & carne.

Omnia sacramenta nouæ legis constant rebus & verbis, vt materia & forma.

11. Ratio demum est, quia ex iis constituitur sacramentum nouæ legis, id est, sacræ rei signum, efficax gratiæ; ex quibus constituitur sacra & sensibilis cerimonia à Christo instituta ad significandam gratiam, quam efficit. Atqui in omnibus sacramentis nouæ legis illa cerimonia constituitur non ex solis rebus, neque ex verbis solis: sed ex vtrisque: ergo omnia sacramenta nouæ legis constituuntur ex rebus, & verbis. Et quia res habent rationem imperfecti, inchoati, & perfectibilis, ac determinabilis quoad significationem, respectu verborum, quæ perfectius, & magis determinatè significant: ideo res dicuntur componere sacramentum, vt materia; verba, vt forma. Componere, inquam,

non physicè, sed moraliter, morali quadam, seu æstimatiua vnione, qualis est in exercitu, oratione, & similibus artefactis. Confirmatur, quia nullum est sacramentum nouæ legis, in quo res aliquæ, & verba, non possint considerari vt concurrentia ad intrinsecam ipsius constitutionem, non omnino per accidens, aut per meram aggregationem; sed per se moraliter, & artificialiter ad vnum quoddam artefactum morale componendum, quod in rebus inchoëtur, ac fundetur essentialiter, vt in materia: verbis autem, quasi formâ, compleatur, determinetur, ac perficiatur, quoad vim significandi, & efficiendi, vt ex solutione obiectionum constabit. Ergo nullum est, quod non constet intrinsecè aliquibus rebus, vt materiâ, & aliquibus verbis, vt formâ.

12. *Contraria sententia.* Contrarium sentiunt Aegid. Conin. ad art. 6. quæst. 60. num. 41. Vasq. disput. 129. cap. 3. num. 36. Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 18. propos. 5. asserentes omnia quidem sacramenta nouæ legis, quæ in vsu solo consistunt, componi ex rebus, & verbis, vt ex materia, & forma: secus verò Eucharistiam: quia sacramentum Eucharistiæ, cùm sit res permanens, non potest intrinsecè constitui ex aliquo transeunti, cuiusmodi sunt verba, quæ statim desinunt. Addit Aegid. componi tamen ex illis aliquo modo extrinsecè. Quod valde impropriè, & abusiuè dictum est. Quidquid enim componitur ex aliquo, componitur intrinsecè ex illo: repugnatque principia componentia esse extrinseca, cùm non componant, nisi conferendo seipsa, & constituendo totum ex seipsis. Sotus verò, quidquid dicat Vasq. suprà, negare videtur in 4. dist. 3. a. 1. & dist. 8. & 14. art. 1. verba, seu formam esse partem intrinsecam sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia, inquit, in artificialibus materia est tota ipsorum substantia, & pro illa sola supponunt nomina, quæ significant res artificiales. Vt Baptismus supponit pro sola ablutione. Quæ ratio, si vera est, probat æquè de omnibus aliis sacramentis nouæ legis. Scot. denique in 4. dist. 16. quæst. 1. §. *De Pœnitentia*, docet sacramentum Pœnitentiæ consistere in sola absolutione. Et alibi generatim affirmat sacramentum quandoque consistere in sola forma, quandóque in sola materia, & aliquando in vtraque.

Quomodo verba consecrationis sint forma Eucharistiæ. Ad fundamentum Aegidii & Vasquis Respondeo, verba, postquam physicè desierunt post consecrationem panis, & vini, remanere moraliter, & æstimatiuè in hominum memoria, ac sine illis ita remanentibus species solas cum corpore & sanguine Christi non esse signum sensibile nutritionis spiritualis. Corpus enim, & sanguis Christi sunt in sacramento insensibili modo. Species verò consecratæ non differunt sensibiliter se solis à non consecratis, neque possunt sensibus discerni. Quare ad constituendum signum sensibile debent adiungi verba, quibus significatur sensibiliter latere corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini, tanquam alimentum, & potum spiritualem. Estque probabilius eadem verba fuisse à Christo instituta, & adhibita, vt partem totius cerimoniæ, vel signi sensibilis sanctificantis: non minùs quàm verba in baptismo & aliis sacramentis requisita, ad determinandam & perficiendam significationem materiæ, de se non satis significantis sensibiliter effectum sacramentalem. Neque verò sacramentum Eucharistiæ consistit totaliter in re permanenti physicè, sed tantùm maxima, & nobilissima ex parte, nempe ex parte corporis, & sanguinis Christi, ac speciebus.

Ad 2. argumentum pro Soti opinione allatum Respondeo nomina artificialium non supponere solùm pro materia, sed etiam pro forma, seu figura, quæ est de substantia, seu essentia artefacti, vt talis, quamuis interdum nomen sumatur à sola materia.

Ad 3. dico perfectam significationem consistere semper in vtroque, etiam in sacramento Pœnitentiæ, in quo, vt rectè ait S. Thom. quæst. 84. art. 1. actus pœnitentis significant ipsum à peccato recedere, & accedere ad gratiam, & reconciliationem. Adde, quod valde notandum est contra Scotum, Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. de actibus pœnitentis sic loqui: *Qui quatenus in pœnitente ad sacramenti integritatem, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Hæc Concilium. Partes autem componunt intrinsecè id, cuius sunt partes, & ad cuius integritatem pertinent. Dixit autem Concilium *integritatem*, non essentiam simpliciter, propter satisfactionem, quæ non est de essentia, sed tantùm de integritate sacramenti Pœnitentiæ, vt suo loco explicabitur. Eodem capite Tridentinum ipso initio affirmat vim huius sacramenti præcipuè sitam esse in illius forma, hoc est, in his verbis Sacerdotis, *Ego te absoluo*, &c. Cumque dicit, *præcipuè*, significat vim illam consistere quoque aliquatenus, licet minùs præcipuè in materia. In quo autem consistit vis significandi & efficiendi sacramentorum, consistit quoque illorum substantia. Quare falsum est, & alienum à mente Concilii Trident. id quod ait Scot. sacramentum Pœnitentiæ consistere in sola absolutione. 13.

Obiici potest efficaciùs primò, causam efficientem non esse partem intrinsecam, neque de essentia sui effectus. At forma consecrationis Eucharistiæ est causa efficiens sacramenti Eucharistiæ: ergo, &c. Secundò, si verba consecrationis essent forma intrinseca sacramenti, deberent esse illius forma vel vt physicè prolata, vel vt moraliter remanentia. Non primum: quia physicè non manent, quandiu manet sacramentum Eucharistiæ. Non etiam secundum, id est, moraliter: alioqui sacramentum Eucharistiæ non esset eo instanti vltimo, quo verba essentialia formæ physicè perficiuntur. Quia illo *Argumenta contrariæ sententiæ.*

sed adhuc physicè sunt,

instanti non moraliter existunt, ad eum modum quo successiua dicuntur esse physicè, quandiu aliquid illorum est. Tertiò, sacramentum totum comeditur, & bibitur: ergo & verba, si sunt forma eius intrinseca; quod est absurdum. Quartò, sacramentum Eucharistiæ multiplex numero, vnicâ formâ verborum consecrari potest: vt cum super plures hostias, quæ simul consecrantur, proferuntur semel tantùm hæc verba, *Hoc est corpus meum*, aut quando vnica hostia consecrata diuiditur postea in plures, vt pluribus distribuatur. Ergo vel forma illa non est illis sacramentis numero diuersis intrinseca: vel vna numero forma est intrinseca multis: vel de vna fit multiplex, quod repugnat, cùm non fit alia, quàm illa ipsa numero vnica quę physicè super hostiam vnam, aut plures fuit pronunciata. Quintò, si actus pœnitentis essent pars materialis sacramenti pœnitentiæ, sequeretur, pœnitentem esse ministrum partialem eiusdem sacramenti, quod est absurdum, & contra Florent. in decret. §. *Minister huius sacramenti est sacerdos.* Probatur sequela, quia pœnitens exercet actus illos, qui dicuntur esse materia; sicut sacerdos exercet actum absolutionis, qui dicitur esse forma. Sextò denique, si res & verba essent materia & forma sacramenti, deberent esse simul, alioqui non concurrerent ad componendum. At hoc est moraliter impossibile in iis sacramentis quæ in vsu consistunt: & sacramenta illa redderet valde incerta: Est enim moraliter impossibile ablutionem v. g. & prolationem horum verborum, *Ego te baptizo*, &c. incipere & finire simul præcisè & indiuisibiliter. Est etiam contra vsum & sensum Ecclesiæ, quæ pro certo habet, baptismum esse validum, licet ablutio aliquantulum præcedat, vel sequatur prolationem verborum.

14. Solvitur 1. argumentum.

Ad primum Respondeo, Causam efficientem sæpe esse partem compositi, quod ipsa efficit, non quidem seipsam producendo, sed aliud quod sibi adiungit, aut se alteri vniendo. Sic aqua est causa efficiens frigoris, ad quod vi propria se reducit; & simul est pars intrinseca compositi ex aqua & frigore constituti. Et anima rationalis, quando in aggeneratione seipsam vnit materiæ dispositæ, est causa formalis compositi quod efficit. Sic igitur forma consecrationis est causa efficiens, non sui ipsius, sed corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, quæ significat & efficit; & simul est pars intrinseca cibi illius & potus sacri, ex corpore & sanguine Christi sub speciebus, & ex forma verborum constituti, tanquam signi sensibilis, & causæ efficacis nutritionis spiritualis.

Diluitur secundum.

Ad secundum Respondeo, verba consecrationis esse formam intrinsecam sacramēti, eo modo quo sunt: physicè, quando sunt physicè: moraliter verò, quando moraliter tantùm existunt. Neque propterea est duplex forma. Quia verba physicè prolata & moraliter remanentia, sunt eadem: sicut peccatum habituale & moraliter manens, est idem planè quod actuale, id est, est illud ipsum quod commissum est actu, & moraliter manere censetur, donec remittatur.

Tertium refellitur.

Ad tertium, Nego totum sacramentum comedi aut bibi, propriè loquendo, sed tantùm secundum id quod comestibile & potabile est. Quemadmodum etiam licet hypostasis Verbi, & diuinitas sit in hoc sacramento, saltem concomitanter: non propterea comeditur aut bibitur secundum se, quia cùm sit immensa & immobilis localiter, non potest traiici per os & guttur ad stomachum. Nec obest, quòd hoc Sacramentum sit sacer cibus & potus. Nam in eo quòd sacer dicitur, significatur aliquid non propriè comestibile. Est enim sacer sensibiliter per verba consecrationis, & non sine illis.

Quartum refutatur.

Ad quartum: Sicut quando plures baptizantur simul sub vnica forma & prolatione horum verborum, *Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, illa forma est moraliter tam multiplex, quàm multi sunt qui baptizantur, (quisque enim illorum totum & integrum sacramentum baptismi recipit) quatenus scilicet propositio illa, licet physicè vnica, ad omnes dirigitur, & æquiualet istis, *Ego te baptizo Petre*, &, *Ego te baptizo Paule*, &c. Propositio enim vniuersalis æquiualet omnibus particularibus in illa contentis: Ita quando plures hostiæ consecrantur simul vnicâ formâ; illa forma moraliter, & æquiualenter, tam multiplex est, quàm sunt multæ hostiæ; imò & quàm sunt multæ partes sensibiles eiusdem hostiæ, sub quibus diuisis conseruari potest sacramentum. Verum est enim de singulis diuisis aut designatis dicere, Hoc est corpus meum; & hæc propositio physicè prolata, tanquam vniuersalis, æquiualet his omnibus. Sicut etiam cùm dicitur de aliquo toto sensibili, Hoc totum est quantum: æquiualet hæc propositio omnibus particularibus, quæ de variis eius partibus fieri possunt.

Dices, ergo illa hostia quando est indiuisa, & vnum numero sacramentum, habet plures formas intrinsecas, tot scilicet, quot essent post diuisionem, & quot sunt designabiles partes sensibiles, in ea quantitate vt sensui appareant. 15.

Occurritur instantiæ.

Respondeo, habere vnicam physicè, sed multis æquiualentem. Non est autem inconueniens, formam physicè vnam, esse formam intrinsecam multorum sacramentorum actu vel virtute numero diuersorum. Etenim non est eorum forma per vnionem physicam, aut localem coniunctionem: sed per moralem habitudinem seu coniunctionem materiæ ad illa verba super eam prolata: quatenus scilicet, vt intelligatur integrè sacramentum; debet intelligi talis materia, & verba super illam fuisse pronunciata; debentq; verba illa per mentem adiungi materiæ moraliter vbicumque ipsa sit, id est, debent considerari verba cum tali materia coniungi moraliter,

concurrendo ad significandum cum illa, & efficiendo vnum integrum signum sensibile. Possunt autem eadem verba physicè, supra diuersas materias pronunciari, & moraliter ad illas referri, id est, considerari vt super illis pronunciata; Qua ratione censentur cum illis constituere vnum, vel multa signa sensibilia, constituta partim ex illis verbis, partim ex rebus super quas proferuntur, & distincta physicè ex parte rerum, licet physicè non distinguantur ex parte verborum, quando per eandem formam verborum res plures sacrantur. Denique verba se habent tantùm extrinsecè ad res, neque illas intrinsecè afficiunt, aut informant, licet sint pars intrinseca moraliter totius aggregati moralis ex rebus & verbis constituti. Sicut autem possunt verba physicè eadem multas res designare; ita possunt ad multas pertinere extrinsecè designando, & illas in significando iuuare, atque ita cum qualibet illarum integrum quoddam signum constituere.

16. *Quare pœnitens non est minister sacrã. Pœnit. sed solus sacerdos.*

Ad quintum Respondeo, nõ esse ministrum sacramenti quicumque exhibet, aut facit illius materiam; alioqui pistor esset minister sacramenti Eucharistiæ, aut Diaconus, vel Acolythus, qui exhibet sacerdoti panem & vinum consecrandum: sed minister est propriè ille, qui sacramenti partes eleuat ad statum sacramentalem, eas assumens per potestatem sibi datam à Christo, ad significandam & efficiendam gratiam. Vt in sacramẽto pœnitentiæ facit solus sacerdos, qui per potestatem ordinis & iurisdictionis sibi concessam approbat actus pœnitentis, & assumit tanquam idoneos, atque ex illis constituit sacramentum, quod consummat per absolutionem. Qua ratione actus pœnitentis fiunt quodammodo actus ipsius ministri, qui illis tanquam instrumento quodam vtitur ad significandam & efficiendam remissionem peccatorum. Quemadmodum enim, vt rectè dicit Aegid. ad art. 6. quæst. 60. actio regis Ioas 4. Reg. 13. Elisæi iussu terram percutientis, prout erat præcisè Regis actio, significabat solùm in eo voluntatem obsequendi Prophetæ: prout verò à Propheta vlteriùs ex destinatione Dei assumebatur ad significandam victoriam contra Syrios, sic erat quodammodo actio & instrumentum ipsius Prophetæ: Simili modo actus pœnitentis, prout ab eo præcisè procedunt, nondum habent rationem sacramenti, nec sunt pars eius in actu secundo; sed tantùm prout à Sacerdote per clauium potestatem ad hoc eleuantur, & fiunt quodammodo ipsius actus. Vnde fit, vt solus sacerdos sit verus & totalis minister sacramenti huius. Simile quid videre est in actibus tangendi materiã eius qui ordinatur, qui tangendi actus dicuntur communiter esse materia proxima, sed non constituunt sacramentum Ordinis, nisi prout assumuntur, & eleuantur ab ordinante, qui solus est verus minister sacramẽti Ordinis.

17. Eódem recidit quod aliqui Recentiores respondent cum Bellarm. lib. 1. de Pœnit. cap. 16. in solutione penultimæ obiectionis, non esse ministrum sacramenti nisi eum, qui agit pro potestate & authoritate, tanquam dux & author operis: vt facit Episcopus in ordinatione, & sacerdos in sacramento pœnitentiæ. In quibus sacramentis, ordinandi, & pœnitentes, agunt tantùm vt subordinati, & subiecti, vel Episcopo danti ius tangendi, vel sacerdoti vt iudici exigenti à pœnitente confessionem dolorosam criminis, à quo absolui postulat. *Bellarm.*

Contra quod tamen obiici potest in sacramento Matrimonii, nullum coniugum agere pro auctoritate in alium: & quando plures sacerdotes simul concurrerent ad eundem baptizandum, ter in aquam immergendo more antiquo, vel simul eidem administrarent sacramentum Extremæ vnctionis, vngendo partes diuersas corporis, nullus eorum esset minister baptismi, vel extremæ vnctionis, posito quòd, vt fieri potest, nullus eorum haberet auctoritatem in alium. Respondeo, vtrumque coniugum esse æqualiter auctorem operis: habent enim parem, & æqualem potestatem celebrandi contractum matrimonii sacramentalem, tradendo se mutuò alter alteri. Quare habent æqualem auctoritatem in opus, quamuis non habeant auctoritatem in se inuicem, nec vnus in alterum, quoad hanc actionem contrahendi. Quando autem plures ministri concurrunt ad idem sacramentum, vt ad baptizandum, absoluendum, consecrandum, vngendum oleo extremæ vnctionis, non est opus, vnum habere auctoritatem in alium, vt minister verè dicatur Sacramenti: sed sufficit, vt quilibet sit auctor operis, & non alteri subordinatus, quoad actionem, qua concurrit. *Soluitur obiectio.*

Ad sextum Respondeo cum Aegid. Con. disp. cit. n. 40. Formam physicam, id est, vnione physica informantem, debere quidem physicè simul esse cum materia: moralem autem (qualis est sacramentalis) solùm moraliter: ad quod sufficit ea coniunctio, per quam, secundum moralem æstimationẽ, & communem loquendi vsum, verba dicantur esse simul, & forma verè intelligatur cadere supra materiam. Hinc quædam sacramenta maiorem, quædam minorem admittunt disiunctionem. Quantam autem singula admittant, prudenti iudicio æstimandum est. Baptismus enim, Confirmatio, Extrema vnctio, & Ordo, requirunt talem coniunctionem, vt dum minister verba pronunciat, secundum moralem æstimationem, & communem loquendi vsum, possit verè dici lauare, vngere &c. ad quod parua disiunctio videtur admittenda. Contra verò in confessione potest absolutio satis diu differri; sicut in iudiciis absolutio, aut condemnatio, solet sæpe diu post sequi causæ examen. Similiter in matrimonio tamdiu potest consensus vnius sequi consensum expressum alterius, quamdiu hic moraliter censetur permanere, sicut in aliis contractibus. Húc- 18. *Quomodo materia & forma sacramenti debent simul esse?*

úsque Aegid. & idem fere Suar. disput. 2. sect. 2. §. *Dicendum ergo*, post Scotum, Richard. & alios antiquiores. Notant etiam Bonacina, & plures alii, contritionem quoque vel attritionem, ordinatam ad sacramentalem absolutionem, posse diu praecedere, dummodo non retractetur. Et denique de illis actionibus sacramentalibus iudicandum esse, vt de aliis similibus humanis & ciuilibus. Nimirum quia Christus in sacramentis instituendis, vt entibus moralibus, & in vsu communiter ponendis, & à quibuslibet vsurpandis, rusticis etiam & agrestioribus; voluit institutionem facilem reddere, & ad morem vsumque humanum eam accommodare. Vsus autem humanus, & mos loquendi, ad veritatem, non maiorem simultatem requirit, quàm supra expositam.

SECTIO III.

An Sacramenta componantur ex significatione, vt ex forma?

19. Nota 1. significationem posse sumi vel in actu primo, vel in actu secundo. Priori modo, est ipsa vis significandi completa & proxima. Posteriori, est ipsa actualis significatio, cùm videlicet signum reipsa ducit aliquem in cognitionem rei significatae.

Significatio perfecta sacramentorum est ab institutione Christi. Nota 2. res assumptas à Christo, vt ex illis sacramenta institueret, habuisso quidem ex se fundamentum vt assumerentur ad significandum id, quod sacramentaliter significant: propter quod dicunt aliqui habuisse fundamentalem & radicalem significationem in actu primo: secus tamen vim completam significandi gratiam infallibiliter ponendam ex opere operato: hanc enim vim non habent nisi ex diuina institutione. Ex. gr. ablutio corporis per aquam, habebat quidem proportionem vt assumeretur ad significandam ablutionem animae per gratiam: sed quòd eam completè significet modo iam explicato, habet ex Christi institutione. Similiter verba, quae Christus assumpsit in formas sacramentorum, habebant ex humana impositione vim significandi aliquid, quod etiam nunc in sacramentis significant: sed quòd significent verè, practicè seu efficaciter, & infallibiliter gratiam dandam ex opere operato, habent solùm ex Christi institutione, qui priori significationi humanae, & prophanae, diuinam hanc & sacramentalem adiunxit.

20. His praemissis: Quaestio est vtrum sacramenta componantur ex sacramentali significatione, tanquam forma; & ex rebus, & verbis assumptis à Christo ad significandum, tanquam materia. Ratio dubitandi est, quia sacramentum integrè sumptum est quoddam artefactum morale in genere signi, cuius forma videtur esse significatio, quia est id quod vltimò complet & determinat; & à quo res & verba constituuntur in esse signi sacramentalis: ac sicut forma albi, quà talis, est albedo: & forma domus est eius figura: & forma exercitus est eius dispositio: sic forma signi ex instituto, quà talis, est eius significatio.

Significatio ex instituto est denominatio extrinseca ab institutione. In contrarium verò est, quòd significatio ex instituto est denominatio extrinseca ab institutione, id est, ab actu instituentis. Nam esse signum ex instituto nihil aliud est, quàm esse institutum ad significandum. Institutum autem denominatur tale formaliter ab institutione: sicut visum denominatur tale formaliter à visione. Et sicut visio est forma extrinseca rei visae: sic & institutio, respectu rei vel vocis institutae ad significandum.

21. **Opinio affirmans componi ex significatione.** Huic difficultati respondet vnus è recentioribus disp. 2. de Sacram. num. 39. In sacramentis reperiri duplicem compositionem. Vnam ex sacramento, & sacramentalitate, seu vi significandi: Alteram priorem in ipso sacramento, quod se habet vt subiectum significationis. Sicut, inquit, in moneta aerea est duplex compositio. Altera ex aere & sigillo Principis, à quo accepit valorem: altera in ipso aere, ex materia & forma substantiali aeris, quae potest etiam dici forma monetae. Quando ergo dicimus, inquit, verba esse formam sacramenti, non est necesse vt loquamur de illa vltima forma, per quam constituitur vltimo in ratione signi instituti ad infallibiliter significandam gratiam: Haec enim est institutio, seu vis significandi: Sed loqui possumus de forma componente ipsum sacramentum, pro materiali sumptum antecedenter ad institutionem.

Refutatur. Haec responsio non placet: quia cùm, vt fatetur idem auctor ibidem num. 44. illa vis seu potestas significandi proxima, quam sacramentum habet, non sit aliquod accidens intrinsecè & verè rebus ac verbis inhaerens; sed praeter ipsas res, & verba, nihil aliud sit, quàm extrinseca denominatio ab institutione diuina: sicut in vocibus humanis vis significandi nihil in rei veritate aliud est, quàm ipsae voces, & extrinseca denominatio ab institutione humana, per quam assumptae sunt ad hoc aut illud significandum: voces, inquam, & institutio denominans: quia vis significandi non est institutio sola, sed est vox ipsa quae subest institutioni, quaeque nos ducit in notitiam rei significatae, non se sola, sed cum institutione, cui per mentem eius recordantem coniungitur. Cùm, inquam, ita sit; vis significandi sacramentalis non componit cum sacramento materialiter sumpto pro rebus & verbis praesuppositis diuinae institutioni: adeóque vis significandi non est forma componens sacramentum integrè sumptum vt signum sacramentale: Neque in sacramento est duplex illa compositio, quam auctor citatus affirmat. Probo antecedens: quia extrinseca denominatio, siue id quod extrinsecè tantùm denominat aliud,

ad eandem significationem, quæ idcirco dicitur conuenire illis indiuisibiliter. Idemque dico de vi efficiendi gratiam, quæ similiter conuenit materiæ & formæ sacramenti indiuisibiliter. Est enim vis totius, & non partiũ singillatim. Sic etiam Iubilæum datum, vt fieri solet, iis omnibus qui peccata sua ritè cõfitebuntur, ieiunabunt aliquot diebus, & visitabunt aliquot Ecclesias, orando pro bono publico Ecclesiæ, & Principum, populique Christiani, cõuenit indiuisibiliter toti cõplexo ex illis omnibus bonis operibus: ita vt qui omnia non præstat, nihil lucretur vi Iubilæi.

Itemque vis efficiendi gratiam.

26. Quod autẽ ait Suar. duplicem esse significationem partialem materiæ & formæ sacramenti: & eam quæ est formæ, distinctiorẽ & clariorem esse: non est verum de significatione sacramentali: sed solùm de humana, quam habent verba ex primæua impositione hominum; & de radicali, id est, de proportione quam habebant res & verba, vt assumerentur à Christo ad significandum sacramentaliter.

Minùs verò probabile est quod ait Vasq. cap. cit. significationem sacramentalem esse relationem rationis existentem indiuisibiliter in materia & forma sacramenti. Nam si loquatur de ente rationis propriè dicto, id est fictitio: sacramentum non constituitur per figmentum, sed est nullo intellectu fingente; essetque absurdum existimare, Deum alligasse gratiæ efficaciam entibus fictitiis, obligasseque homines ad fingenda entia rationis, si salui esse velint. Sin autem per ens rationis intelligat tantùm extrinsecam denominationem, ex qua potest quis sumere occasionem fingendi ens rationis: minùs propriè rem explicat, & perperam dicit eam existere in materia & forma, illisque inesse indiuisibiliter. Nam extrinseca denominatio non inest rei denominatæ. Alioqui enim esset denominatio intrinseca, quia intrinsecè afficeret subiectum quod denominat.

Significatio sacramentalis non est relatio rationis.

27. His ergo reiectis Concludo, Sacramenta, propriè loquendo & verè, non componi ex significatione sacramentali: neque in actu primo, id est, ex vi significandi, quæ vltra res & verba, nihil aliud est quàm institutio Christi, id est, actus vitalis internus & externus voluntatis Christi assumentis illa ad significandum sacramentaliter, vt bene in secunda ratione dubitandi dictum est supra: Neque in actu secundo, id est, ex vsu significandi actu, siue ex actuali significatione, & deductione alicuius potentiæ cognoscẽtis in cognitionem gratiæ: quæ vltra res & verba & institutionem diuinam, dicit actualem exhibitionem signi factam potentiæ, cognoscenti ad quidnam significandum talia signa instituta sint. Non primum: quia actus ille Christi denominat tantùm extrinsecè sacramentum. Quod autem tantùm extrinsecè denominat, non componit. Absurdumque est dicere sacramenta componi ex actibus Christi vitalibus, tanquã ex forma. Non etiam secũdum: tum ob eandem causam: tum etiam quia sacramentum non potest esse sine sua forma. At potest esse sine significatione in actu secundo, id est, absque eo quod actu cuiquam significet, eumq; ducat in notitiam rei significatæ. Vt sacramentum Eucharistiæ v. g. maneret, quamuis nullus de illo cogitaret actu. Hoc enim illi accidentarium est. Tum denique quia significatio actualis est effectus sacramenti & signi, ipsumque præsupponit: ergo sacramentum non constituitur formaliter per illam. Alioqui sacramentum esset, antequam esset, & esset posterius seipso, tempore, vel natura.

Sacramenta non cõponuntur ex significatione sacramentali

Obiicies 1. Verba quæ aliquid significant, denominant tantùm extrinsecè significatum id, quod significant. Ergo non componunt cum illo, si verum est quod supra diximus. Ergo verba sacramentalia non componunt cum materia sacramenti, quam significant. Ergo sacramẽtum non componitur ex rebus & verbis, vt ex materia & forma. 2. Si diuina institutio non potest esse forma componens signum ex instituto: Ergo nec humana. Ergo verba quæ significant ex humana institutione, præuia diuinæ, non potuerunt assumi, vt essent forma sacramẽti. Quia non sunt meræ voces seu soni articulati, sed sunt voces significatiuæ: & sunt tales per humanam institutionem. Hæc autem institutio, quia est mera denominatio extrinseca respectu vocũ, non cõponit cum illis: Ergo nec cum materia. Vt enim componeret cum materia Sacramenti, deberet esse vel tota forma, vel pars formæ. 28.

Ad primum Respondeo, In sacramentis transeuntibus, siue in vsu & actione consistentibus, vt sunt omnia præter Eucharistiam, verba non tantùm significare materiam, & extrinsecè tantùm denominare eam significatam: sed prout actu proferuntur à ministro sacramenti (quo pacto sunt eius forma) id est, secundum actualem prolationem, quæ est actus ministri, constituere vnam moraliter actionem totalem & cerimoniam sacram, cum alia actione quæ est materia proxima sacramenti: sicut ex actu interno & externo ad idem tendentibus, putà ex interna volitione furandi, & actione externa, fit vnus moraliter actus, qui dicitur furtum. Exempli gratiâ, forma Baptismi, *Ego te baptizo*, aut Confirmationis, *Signo te signo crucis, & confirmo Chrismate salutis*, non significat tantùm ablutionem per aquam, aut consignationem Chrismaticam: sed illa verba actu proferuntur eo fine, vt eorum prolatio sit pars illius cerimoniæ sacræ, quæ ex diuina institutione vim habet sanctificandi, debentque iuxta institutionem ita proferri. Idemque dico de forma Pœnitentiæ, Extremæ vnctionis, Ordinis & Matrimonii. In Eucharistia verò distinguendum est, fieri, & factum esse. Nam quando fit, prolatio actualis verborum super panem & vinum debitè præsentia, est sacra cerimonia, quâ panis & vinum transsubstantiantur in corpus & sanguinem Christi, positum sub speciebus per 29.

Soluuntur obiectiones.

tur tota entitas physica baptismi: nego. Non datur denominatio moralis signi efficacis gratiæ: concedo. Hæc enim denominatio non conuenit ablutioni & prolationi verborum, physicè tantùm consideratæ, aut quomodocunque factæ: sed factæ eo modo, quo Christus instituit vt valeret ad significandam & efficiendam gratiam, id est, cum certis conditionibus, putà, à persona humana, ratione vtente, & intendente facere id quod Christus instituit, & in subiecto rationali & humano, atque consentiente seu intendente recipere sacramentum, si subiectum sit persona adulta, & ratione vtatur.

33. Opponit 2. Materiam sacramenti matrimonii, iuxta omnes Theologos, esse contractum legitimum. Nihil autem est magis intrinsecum & essentiale contractui, quàm consensus contrahentium. Quando enim consensus deest, non datur verus contractus, sed fictus & apparens. Ergo consensus ille est intrinsecus sacramento Matrimonii. Ergo idem dicendum est de consensu interno seu de intentione in Baptismo, & Confirmatione: cùm baptizans non minùs debeat habere intentionem faciendi verum & legitimum Baptismum: ac coniux debet habere intentionem faciendi verum & legitimum contractum. Similiter non minùs requiritur consensus internus in Episcopo conferente potestatem Ordinis, quàm in coniuge dante potestatem in corpus suum alteri coniugi. Ergo vterque est intrinsecus sacramento. Et in sacramento Pœnitentiæ, remissio, vt remissio, non consistit in his solis verbis, *Ego te absoluo*, prolatis sine animo remittendi: sicut donatio, aut promissio, non est sine animo donandi, vel obligandi se. Denique in eodem sacramento dolor internus est intrinsecus sacramento. Ergo & intentio Ministri quæ non est minùs necessaria essentialiter, quàm contritio vel attritio.

34. Secundum arg. refellitur. Respondeo primò, Non omnes Theologos ita sentire de materia sacramenti matrimonii, vt videre est apud eundem auctorem eadem disp. sect. 1. n. 7. & sequentibus. Secundò, aliud esse consensum contrahentium se mutuò dantium & accipientium in coniuges: & aliud intentionem eorundem faciendi id, quod Christus instituit. Quorum primum est in infidelibus sine secundo: & in fidelibus distinguitur saltem virtualiter hæc intentio à consensu & contractu sacramentali, vt causa ab effectu. 3. In contractibus quidem omnibus consensum internum contrahentis esse partem intrinsecam & præcipuam contractus, qui est intrinsecè actus moralis & humanus. At non ita in omnibus aliis operibus. Quis enim dicat consensum aut voluntatem architecti esse de essentia ædificii, aut actus externi ædificandi? consensum abluendi vestes esse de essentia ablutionis? voluntatem deambulandi esse de essentia deambulationis, & similia? 4. Non requiritur in Episcopo alius consensus dandi potestatem ordinis, quàm prout virtualiter includitur in intentione conferendi ordinem sicut Christus instituit. Idemque dico de sacerdote remittente peccata. Dolor autem internus non est materia & pars intrinseca sacramenti pœnitentiæ ideò, solùm quia requiritur essentialiter: sed quia Deus cerimoniam sacram remittendi peccata, seu signum efficax talis remissionis, constituit ex contritione, confessione, & satisfactione pœnitentis, tanquam materia: & ex absolutione sacerdotis consistente in illis verbis, *Ego te absoluo*, &c. tanquam forma: vt Concilia nobis declararunt ex traditione Ecclesiæ, Florentinum in decreto §. *Quartum sacramentum*, & Tridentinum sess. 14. cap. 3. Cur autem hæc aut illa sint pars intrinseca alicuius sacramenti, summa ratio est Christi institutio, quæ per Ecclesiam nobis maximè declaratur.

Opponit 3. Ministrum in sacramentis nouæ legis operari vt ministrum Christi, & nomine ipsius, à quo delegatus est ad absoluendum, consecrandum &c. iuxta illud 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Operari autem vt ministrum alterius, est operari ex authoritate ab illo accepta, & nomine ipsius. Quod non fit sine voluntate operandi illius nomine, & vtendi authoritate seu potestate accepta. Similiterque dispensatio est actus humanus exigens voluntatem dandi, transferendi, condonandi &c. Si ergo ministri sacramentorum constituti sunt ministri Christi, & dispensatores; non possunt intelligi operari vt dispensatores, nisi quatenus operantur cum intentione. Quare intentio est aliquid integrans operationem illam in ratione dispensationis & actionis ministri Christi. Confirmatur, quia actio sacramentalis non habet suam efficaciam præcisè quatenus est ab hoc ministro; sed quatenus est moraliter actio Christi operantis per hunc, tanquam per suum ministrum. Hoc autem est ministrum operari nomine Christi ex intentione vtendi potestate à Christo sibi concessa: atque adeo hæc actio, vt sacramentalis, non solùm exigit, sed & includit illam intentionem ministri, à qua formaliter habet talem denominationem sacramentalis. 35.

Respondeo ad primum, negando vltimam consequentiam. Nam operatio sacramentalis, sumpta pro sacramento ipso, de quo quæstio est, non est actio seu operatio dispensandi; sed est res dispensata. Et sicut intentio dispensandi dando eleemosynam non est operatio integrans eleemosynam in seipsa: sic neque intentio dispensandi sacramentum, integrat vel componit intrinsecè sacramentum. Ad confirmationem, nego pariter consequentiam. Nam actio sacramentalis, sumpta pro sacramento ipso, non includit intentionem ministri, quamuis illam necessario exigat, & sine illa non habeat denominationem sacramenti, neque efficaciam sacramentalem. 36. Refutatur tertium arg.

Addo, cohærenter loquendo dicendum esse potiùs, si intentio ministri est intrinseca reliquis sacramentis in vsu consistentibus, esse quoque sacramento Eucharistiæ. Idque colligo ex verbis eiusdem Doctoris n. 136. disput. cit. vbi affirmat, verba consecrationis intrare ad componendum sacramétum Eucharistiæ in ratione sacramenti, quia per illa constituitur in esse signi sensibilis gratiæ. Nam, inquit, corpus Christi non est ibi sensibile per se, sed per species & verba consecrationis: Nec species solæ significant sufficienter sensibiliter corpus Christi, vel gratiam: Sed oportet videre species panis v. g. & audire, vel scire, prolata esse verba consecrationis super illas species, vt aliquis veniat in cognitionem corporis Christi, & gratiæ quam potest cibus ille causare. At verò intentio, inquit, non intrat partialiter ad constituendum sacramentum Eucharistiæ in ratione signi sensibilis, cùm ipsa intentio non sit sensibilis, sed debeat sentiri per verba. Quare intentio ministri non constituit intrinsecè sacramentum Eucharistiæ, licet intret in alia sacramenta. Hæc ille.

37. Sed contendo eandem rationem, quâ probat verba ipsa constituere intrinsecè sacramentum Eucharistiæ, quia sine illis reliquum non est signum sufficiens sensibile gratiæ, sed oportet audire vel scire, prolata esse verba consecrationis super illas species &c. æquè probare intentionem ministri ingredi in idem sacramentum. Quia reliquum sine illa non est signum sufficiens sensibile gratiæ, sed oportet audire, vel scire verba consecrationis prolata fuisse super illas species, non quomodocumque, nec à quocumque, sed à vero sacerdote habente intentionem faciendi quod Christus instituit. Quod licet non sit sensibile per se ex parte intentionis: sentitur tamen, & cognoscitur per indicia externa, sufficientia vt prudenter iudicemus ita factum esse.

Nec obest quod addit num. 137. Verba consecrationis posse dupliciter considerari. 1. Vt sunt causa ponendi corpus vel sanguinem Christi sub speciebus: & ad hoc debent considerari vt verba Christi, seu ministri loquentis in persona & nomine Christi: includuntque, vt sic, intentionem sacerdotis. 2. Possunt considerari prout sunt forma sacramenti ipsius quod componunt in ratione signi sensibiliter significantis & causantis gratiam. Et sic non considerantur illa verba vt prolata nomine Christi, neque vt verba dicta à Christo per suum ministrum; quia verba solùm intrant ad componendum sacramentum in ratione signi sensibilis gratiæ, non in ratione causæ. Hanc autem sensibilitatem non complet aut componit formaliter intentio, quæ non est sensibilis, sed verba externa: ergo sola verba possunt intrare ad componendum sacramentum cum speciebus & corpore Christi, non autem intentio, quauis necessariò requisita.

Nam contra: Primò, verba quæ sunt forma sacramenti Eucharistiæ in facto esse, seu in esse permanenti, sunt illa ipsa quæ fuerunt causa ponendi corpus & sanguinem Christi sub speciebus, non nudè sumpta, sed vt efficacia & causatiua, seu verè & practicè significatiua. Non enim cognoscimus species illas esse consecratas, neque eas discernere possumus à non consecratis, nisi quia scimus verba illa fuisse prolata à vero sacerdote, cum intentione faciendi id quod Christus instituit, atque adeo proferendi practicè & efficaciter. Quare sine illis vt talibus reliquum non est signum sufficiens sensibile gratiæ. Ergo si vt talia includunt intentionem ministri, illam includunt considerata vt forma sunt, & distinctio allata est inutilis. 2. Cùm efficacia sacramentorum sit fundata in eorum significatione, quippe quæ practica est, atque effectiua, & non merum signum speculatiuum gratiæ; quidquid in sacramentis assumptum est ad gratiam significandam, assumptum pariter est ad efficiendam. Quare quidquid constituit intrinsecè sacramentum in ratione signi sensibilis gratiæ, constituit pariter in ratione causæ. Ergo si verba consecrationis constituunt sacramétum Eucharistiæ in ratione signi sensibilis gratiæ, debent pariter dici constituere in ratione causæ. 3. Cùm, vt supra diximus, verba cum speciebus & corpore Christi non sufficiant ad significandum sensibiliter corpus Christi verè ibi esse vt causam gratiæ, per modum cibi spiritalis: sed necessarium sit intelligere verba illa fuisse prolata à ministro legitimo cum debita intentione: non potest negari sensibilem significationem sacramenti compleri aliquo modo per intentionem ministri sufficienter notam ex externis indiciis. 38. Refellitur effugium.

SECTIO V.

An res & verba, quibus fiunt sacramenta, sint determinata?

PRima conclusio. Res & verba, quibus sacramenta perficiuntur tanquam materia & forma, sunt determinata ex ipsa Christi institutione: ita vt neque vllus particularis, neque tota Ecclesia, possit aliud substituere in materiam & formam sacramentorum. Hæc conclusio admittitur communiter à Theologis. Et probatur 1. ex Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacr. in genere, vbi definit sacramenta omnia nouæ legis fuisse à Iesu Christo Domino nostro instituta. Et sessione vigesima prima, capite secundo initio, docet, posse Ecclesiam in sacramentorum dispensatione ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium vtilitati, vel sacramentorum ipsorum venerationi, pro rerum, temporum, atque locorum varietate magis expedire iudicauerit: saluâ nihilominus semper Sacramentorum substantia, in 39. Res & verba sacramétalia sunt determinata ex Christi institutione.

quam scilicet immutandam, aut aliter statuendam, non habet potestatem. Ex quo sequitur, materiam & formam sacramentorum, in quibus eorum substantia consistit, fuisse à Christo inuariabiliter institutam, & non ab Ecclesia quæ habet potestatem commutandi quidquid ipsa sua authoritate constituit. 2. Florent. in decreto Eugenii 5. *Hæc omnia Sacramenta*, & sequentibus, enumerat res & verba quædam determinata, tanquam materias & formas sacramentorum, *Quorum*, inquit, *si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* Hæc autem omnia fuisse à Christo ipso tradita & determinata partim constat ex Scriptura, partim & multò magis ex traditione antiqua sanctorum Patrum, & vsu continuo totius Ecclesiæ, qui est optimus interpres legum diuinarum & institutionum, præsertim earum quæ in frequenti vsu positæ sunt, cuiusmodi sunt sacramenta.

40. Ex Scriptura quidem constat, Christum instituisse aquam veluti materiam Baptismi necessariam, cùm dixit Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Formam verò expressam habemus Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Nam quòd sola intentione non sufficiat ablui in nomine Trinitatis, (vt alioqui fieri posset) sed debeat expressè Trinitas inuocari super eos qui baptizantur, satis apertè colligitur ex Actor. 19. vbi Paulus cùm aliquos antea baptizatos interrogasset; an accepissent Spiritum sanctum? illique respondissent, se ne quidem audiuisse an sit Spiritus sanctus: iterum interrogauit: *In quo igitur baptizati estis?* apertè supponens nemini solitum conferri Baptismum Christi sine expressa inuocatione Spiritus sancti; & consequenter omnium personarum diuinarum: alioqui malè Paulus coniecisset non fuisse Baptismo Christi baptizatos, ex eo quòd non audiuissent Spiritum sanctum. Neque dicas Paulum id coniecisse, quia saltem debuerant edoceri mysterium Trinitatis, prius quàm Baptismum Christi susciperent. Si enim ita est, debuit quidem Paulus interrogare, quomodo ergo tam malè edocti Christi Baptismum suscepistis? at non dicere simpliciter, *In quo ergo baptizati estis?* Neque instes, tunc morem fuisse statim post Baptismum dari Confirmationem, in qua visibiliter infundebatur Spiritus sanctus. Nam etiam tunc non rarò, defectu Episcopi differebatur, vt patet ex Actor. 8. vbi Samaritani, baptizati à Philippo Diacono, non fuerunt confirmati vsque ad aduentum Petri & Ioannis Apostolorum. Denique verba illa adhiberi in Baptismo non tanquam simplicem cerimoniam, sed tanquam signum efficax concurrens ad peccati remissionem & sanctificationem, colligitur ex Ephes. 5. vers. 26. vbi dicitur Christus sanctificare Ecclesiam, illam *mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.*

Probatur de baptismo.

De Eucharistia constat similiter ex Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Christum panem & vinum accepisse, ac super illis hæc verba pronunciasse, *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei*, &c. Ac demum Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio, præcepisse vt hoc idem facerent in sui commemorationem, *Donec veniat*, inquit Paulus, id est, vsque ad consummationem sæculi. Quia tamen Christus his verbis, *Hoc facite*, non præcepit quidquid ipse fecerat, aut omni modo quo fecerat: Alioqui post cœnam, & esum Agni paschalis, communicandum esset, noctu, in cænaculo, & cum aliis circumstantiis tunc à Christo adhibitis: ideo ex vi sola verborum non satis constat, an præceperit vt eadem verba tanquam consecratoria ac planè necessaria proferrentur super panem & vinum consecrandum. Quin etiam in Baptismo non satis constat ex solis testimoniis supra relatis, an tota illa forma, aut æquiualens sensu, sit essentialis, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Verùm quod deest expressionis in Scriptura, habetur aliunde ex vsu Ecclesiæ, & antiqua traditione, cuius testimonia referentur suis locis de his & aliis sacramentis.

Idem probatur de Eucharistia.

41. Ratio verò à priori huius determinationis est institutio Christi, qui licet absolutè loquendo potuerit instituere sacramenta non determinando hanc vel illam materiam aut formam, sed liberum hominibus relinquendo, vt his aut illis vterentur ad placitum: qualia censentur fuisse omnia fere legis naturæ sacramenta: neque enim de vllo constat fuisse à Deo determinatum, excepta vnica circumcisione data Abrahæ ante legem Mosaicam: aliter tamen Christus reipsa instituit, & valde sapienter. 1. Quia conueniens fuit signa gratiæ efficacia ab ipso gratiæ authore definiri, multò magis quàm sacramenta & sacrificia legis Mosaicæ. 2. Id facit ad dignitatem Sacramentorum, & deuotionem ac reuerentiam suscipientium, cùm intelligunt sacramenta ritu, quem Christus ipse determinauit, celebrari. 3. Facit etiam ad Ecclesiæ vnitatem, & consensionem, quod in sacramentis, & in sacrificio, qui sunt præcipui ritus externi Deum colendi, vniuersa conueniat in res ab ipso Christo determinatas inuariabiliter.

Cur Christus illa determinauerit.

Notandum tamen, determinationem à Christo factam non esse in omnibus æqualem: sed in quibusdam esse velut specificam & magis contractam; vt aquæ naturalis in Baptismo, olei in Confirmatione, Extremâque vnctione: In aliis velut genericam, qualis est materia Pœnitentiæ, seu remota, seu proxima. Peccata enim alia sunt mortalia, alia venialia: & vtraque differunt specie multipliciter. Confessio quoque de peccatis specie diuersis, est specie diuersa, & contritio de iisdem, si illa attingat secundum proprias rationes specificas. Actus enim vitales habentes obiecta adæquata specie diuersa, sunt specie diuersi. Similiter in Eucharistiæ

Hæc determinatio non est æqualis in omnibus sacramentis.

materiam Christus instituit panem triticeum, & vinum vitigineum, licet forte vtriusque sint species diuersæ. In sacramento Ordinis diuersitas non parua est inter Latinam Ecclesiam, & Græcam, vt dicemus in fine sectionis: Et in Matrimonio requiritur tantùm contractus legitimus, qui pro diuersa Ecclesiæ constitutione diuersus esse potest. Quemadmodum ante Trident. valebat contractus clandestinus, quia legitimus, seu validus: nunc autem non valet vbi recepta est constitutio Tridentini irritantis tales contractus, pro potestate quam accepit Ecclesia in Matrimonia Christianorum, ex quo fuerunt in sacramentum nouæ legis instituta. Potest enim statuere talem contractum fore inualidum nisi seruetur aliqua forma, vel solemnitas, ab ipsa præscripta: sicut principes sæculares possunt per leges irritare testamenta, & alios contractus ciuiles, nisi tali vel tali modo ineantur. Item forma sacramenti Matrimonii multiplex esse potest. Sufficit enim consensum internum quomodocumque exprimi, siue voce, siue scripto, gestu, aut alio signo externo. Aliorum verò sacramentorum formæ quamuis necessariò ex Christi determinatione debeant voce fieri; sufficiunt tamen quæuis verba Synonyma, & cuiuscumque idiomatis, modò sensum essentialem exprimant.

42. Error hæreticorum, verba determinata non esse formā sacramentorum, sed concionem requiri.

Secunda conclusio: Verba à Christo determinata ad sacramenta efficienda non sunt concionatoria, sed ritualia seu consecratoria. Hæc conclusio est contra Caluin. 4. Institut. cap. 14. num. 4. contendentem cum aliis sectariis verbum sacramentale à Christo institutum non esse pauca & certa quædam verba super elementum seu materiam pronuncianda, quæ magicis incantationibus & demurmurationibus ait esse similia: sed esse concionem, quâ promissio diuina clarâ voce à Ministro prædicatur, vt plebs eò manu ducatur, quò signum tendit ac nos dirigit. Qua etiam de causa volunt sectarii verba, quæ adhibentur in sacramentis, idiomate vulgari proferri. Contra hunc errorem fusè scribit Bellarm. lib. 1. de Sacram. c. 19. breuiter autem hæc sufficient. Primò, Christus Eucharistiam celebrans non præmisit concionem, sed tantùm adhibuit verba panis & vini consecratoria. Cùmque post Eucharistiam celebratam longum sermonem habuit cum Apostolis, nullum in eo verbum de Eucharistia fecit, vt ostenderet quò signum illud tenderet, ac nos dirigeret. Quæ omnia constant ex Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13. & sequentibus. Matth. verò cap. vltimo doctrinam à Baptismo seiunxit, cùm dixit, *Docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Quibus verbis, vt sapienter Hieronym. aduertit, in comment. huius loci, præcepit Christus tria fieri hoc ordine, vt primùm Apostoli docerent omnes gentes (quia scilicet adulti doctrinæ capaces, priùs catechizandi sunt & instruendi.) deinde fidei intingerent sacramento: & post fidem & baptisma, quæ essent obseruanda præciperent.

Bellarm.

Hieron.

Secundò, Paulus 1. Corinth. 1. vers. 17. apertè Baptismum à concione distinguit, cùm ait: *Non enim me misit Christus baptizare, sed euangelizare.* Et Actor. 10. Petrus quidem Cornelium & domesticos eius instruxit, & concionem habuit: non tamen ipse dicitur baptizasse eos, sed iussisse baptizari. Tertiò, Caluinus apertè repugnat SS. Patribus affirmantibus Baptismum verbis perfici, celebrari, & consecrari, vt aiunt Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 15. Cyprian. in sermone de Baptismo Christi, & epist. 73. ad Iubainum: Ambros. lib. 2. de Sacram. cap. 5. & August. lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 10. quorum verba relata vide apud Bellarm. cap. sup. cit. 43.

Quartò, Si concio requiritur tanquam necessaria, & essentialis ex Christi institutione: ergo Caluinus, Beza, & alii primi hæretici, baptizati sine concione, latino idiomate, more Ecclesiæ Romanæ, non fuerunt verè baptizati, ideoque fuerunt rebaptizandi: & qui ab Ecclesia Romana ad ipsos deficiunt essent similiter rebaptizandi. Quod tamen ipsi non faciunt. Quintò, Si concio requiritur necessariò: nempe requiritur ad excitandam veram fidem, vt Caluinistæ imaginantur. Ergo baptizati ab hæreticis falsam fidem prædicantibus, & excitantibus, non essent verè baptizati, quod tamen est contra eorum doctrinam, & sensum antiquæ Ecclesiæ, teste D. August. lib. 3. de Baptismo cap. 5. Innocentio 1. epist. 22. cap. 5. & Concilio Arelatensi can. 8. ex quibus constat baptizatos ab Arianis, & aliis hæreticis quamuis errantibus circa mysterium Trinitatis, fuisse habitos pro validè baptizatis, eò quòd super aquam fuissent hæc verba pronunciata, *Ego te baptizo*, &c. Sextò, Quid prodest concio paruulis qui eam audire non possunt, neque fidem ex illa concipere? Quòd verò adsint alii, est per accidens, & non necessarium: neque fides illorum iustificat infantem. Fides quoque ipsius baptizantis necessaria non est: alioqui hæretici non validè baptizarent. Quid etiam opus est concione adultis iam ante sufficienter instructis de rebus fidei, deque fine sacramenti, quique ad fidem seipsos excitarunt, & cum illa ad sacramentum accedunt? Quid, inquam, illis opus est concione ad fidem excitandam? Denique Caluinistæ qui ex Scriptura omnia metiuntur, vnde habent sacramenta non esse valida & legitima sine concione? Nullum enim Scripturæ textum ad id probandum efficaciter proferre possunt.

August. Innocent. Arelat.

44. Frustra verò obiiciunt illud August. tract. 80. in Ioan. *Vnde ista virtus aquæ vt corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Sensus enim est, quòd ista virtus non sit in nudo sono materiali verborum, quia dicitur, seu ore

August.

formatur & profertur: sed in significatione mysterii fidei, quod ab Ecclesia creditur, & omnibus fidelibus credendum proponitur. Sensus ergo est, verbum in Baptismo mundare, non quia dicitur solùm materialiter, id est, quia ore profertur talis sonus articulatus, significans simpliciter ablutionem per aquam: sed quia creditur, id est, quia continet mysterium fide credendum: nempe veram emundationem à peccato, & gratiæ infusionem, factam per talem cerimoniam. Qua de re plura vide apud Bellarmin. lib. 1. de Sacram. cap. 20. Quod autem addunt de magicis incantationibus, ineptissimum est. Quasi verò Christus sine magiæ vitio non potuerit instituere verba determinata, æquè ac res determinatas; & verbis illis dare vim moralem benedicendi & consecrandi res seu materiam sacramentorum, iuxta illud 1. Cor. 10. vers. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Neque propterea hæc sacra cerimonia non longissimè differat à magicis incantationibus, sicut Christus longissimè differt à Cacodæmone: & sacrificia veteris legis longissimè distabant à sacrificiis similibus quæ Dæmonibus & Idolis fiebant per Idololatras: quantum scilicet vera Religio distat ab Idololatria. Pudeat igitur Nouatores tam leui argumento fidem antiquæ Ecclesiæ deseruisse.

Bellarm.

45. Tertia conclusio: Determinatio materiæ & formæ sacramentorum à Christo facta, est vniuersalis pro tota Ecclesia: adeo vt vbique terrarum, & in quauis Ecclesia, tam Græca, quàm Latina, eadem essentialiter sit & sufficiat materia & forma. Ratio est, quia Christus sacramenta instituens nullam fecit distinctionem inter loca vel Ecclesias particulares: sed generaliter locutus est, vt patet ex Matth. vlt. de Baptismo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Vbi vniuersaliter eundem Baptismum, eandemque formam omnibus Gentibus applicandam præscripsit. Ac sicut voluit vnam esse suam Ecclesiam ex omnibus gentibus collectam: sic eadem pro omnibus sacramenta instituit, vnâ eademque institutione ac determinatione, propter maiorem Ecclesiæ vnitatem: neque magis eam voluit esse diuersam pro diuersis locis, quàm pro temporibus diuersis, licet in ritibus accidentariis, aliqua sit diuersitas: vt quòd Græci consecrent in fermentato, Latini in azymo: quodque in Baptismo dicant Græci, Baptizatur seruus Christi, &c. pro eo quod Latini dicunt, *Ego te baptizo*, &c.

Determinatio à Christo facta, est vniuersalis pro tota Ecclesia.

Falluntur itaque Innocentius in cap. 1. de Baptism. & Felinus in cap. *Quæ in Ecclesiarum, de Constitutionibus* num. 26. & alii quidam Canonistæ, affirmantes Latinos non validè baptizare in forma Græcorum in Latina Ecclesia, & iis in locis in quibus forma Ecclesiæ Latinæ recepta est: neque validè consecrare in fermentato: & contra. Falluntur, inquam, quia licet peccent Græci & Latini, dum à ritu suæ Ecclesiæ sine causa discedunt; eò quòd illa consuetudo legitima cuiusque Ecclesiæ vim præcepti habeat, & ab vnoquoque seruanda sit, dum in illa Ecclesia versatur: si tamen adhibent omnia sacramento essentialia, vt in exemplis allatis fit, neque consuetudo, neque præceptum Ecclesiæ, aut aliud quid impedire potest, quin verè sacramentum existat. Potest quidem Ecclesia præcipere aliquid circa cerimonias accidentales: sed non habet potestatem in substantiam sacramentorum, vt supra ostendimus ex Trident. sess. 21. cap. 2.

Innocent. Felin.

Obiicies 1. Contractum clandestinum valere ad matrimonium iis in locis, vbi nondum recepta & promulgata fuit constitutio Trident. sess. 24. in decreto de reformatione matrimonii: alibi autem non valere. Ergo diuersis in locis diuersa est materia sacramenti matrimonii. Item si Ecclesia non habet potestatem in substantiam sacramentorum, quomodo potuit immutare contractum matrimonii, & efficere vt non valeret ille, qui secundum Christi institutionem valebat, & multis sæculis vbique valuit? Respondeo cum Suare disp. 2. sect. 6. Christum non instituisse in sacramentum matrimonii hunc aut illum contractum in specie, sed in genere contractum legitimum. Vnde idem contractus si de legitimo fiat illegitimus, non potest ampliùs esse materia sacramenti. Quia verò Ecclesia habet potestatem in Christianos contrahentes matrimonium: potest pro sua authoritate apponere aliquam conditionem, sine qua contractus legitimus non sit, adeóque non sit ampliùs materia sacramenti, quia iam moraliter corruptus est & nullus: sicut si quis panem aut vinum corrumperet, efficeret vt non posset esse materia Eucharistiæ. Quod autem dicitur, Ecclesiam non habere potestatem in substantiam sacramentorum, hunc habet sensum, quòd non possit loco illius quæ à Christo instituta fuit, aliam substituere: neque item efficere vt sacramentum non existat posita eius materiâ & formâ, aliisque ex Christi institutione requisitis, vel vt quod erat materia & forma valida seu legitima, sine sui mutatione incipiat esse inualida: Sicut tamen corrumpendo aquam & vinum, potest efficere vt non sint ampliùs materia Baptismi & Eucharistiæ: sic irritando contractum clandestinum, effecit vt non sit ampliùs materia sacramenti vbicunque irritus est iure Ecclesiastico, non minùs ac si iure naturali propter impotentiam vel amentiam contrahentium irritus esset. Atque ita materia sacramenti non est diuersa in diuersis locis secundum Christi institutionem: sed tantùm est diuersitas quoad Ecclesiæ determinationem circa contractum legitimum. Neque Ecclesia irritauit Christi institutionem, quæ non fuit de contractu clandestino in specie, sed de contractu legitimo in genere. 46.

Quomodo Ecclesia irritauit contractū clandestinum non mutās materiam sacramenti matrimonii.

Obiicies 2. Aliam nunc esse apud Græcos 47.

Magna varietas in Ecclesia Græca & Latina circa sacram. Ordin.

materiam & formam sacramenti Ordinis, aliam apud Latinos. Ergo vel Christus duplicem instituit, & diuersam pro diuersis Ecclesiis: vel Ecclesia Latina habuit potestatem mutandi materiam & formam à Christo traditam, & ab Apostolis, & antiqua Ecclesia, atque etiam nunc à Græca vsurpatam, in aliam quâ ipsa post aliquod tempus vti cœpit, atque hucvsque vtitur, & quidem velut essentiali. Nam Florent. in decr. Eugenii 4. *Sextum sacramentum est Ordinis*, ait eius materiam esse illud per cuius traditionem confertur Ordo: Sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Euang. oblationẽ. Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem. Et alii ordines inferiores, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Formam verò Sacerdotii talem esse, Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: & sic de aliorum Ordinum formis. At verò tempore Apostolorum, & in primitiua Ecclesia, conferebatur ordo per manuum impositionem, velut huius sacramenti materiam, de qua sola Scripturæ & Patres antiqui loquuntur. Et nunc etiam Græca Ecclesia vtitur solùm illa materia, sciente & approbante summo Pontifice, ac tota Ecclesia Latina, quæ Sacerdotes sic ordinatos habet pro veris Sacerdotibus, neque eos reordinat. Et certè alioqui Summus Pontifex tam sacrilegum abusum, tamque perniciosum non permitteret in ipsa vrbe Roma, vbi Græci frequenter in Ecclesia sua Sacerdotes suos sic ordinant, vt Cardinalis Delugo infra citandus, & alii viri graues, se vidisse testantur. Pro forma verò Sacerdotii, & aliorum Ordinum, non vtitur Ecclesia Græca verbis assignatis à Florentino, & vsitatis in latina Ecclesia: sed vt refert Arcudius lib. 6. de Sacram. c. 2, paulò post medium, Episcopus ordinat Sacerdotem, verbi gratia, hac formula verborum, quę pronunciat manu cum pallio super caput ipsius imposita: *Diuina gratia, quæ semper infirma curat, & quæ desunt supplet, promouet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* (Arcud.)

48\. Quæ sit materia & forma essentialis sacramenti Ordinis?

Respondeo breuiter, omissis multis, & reiectis in suum locum vbi de materia & forma sacramenti Ordinis disputabitur, Christum non instituisse determinatè, & in specie vltima, hanc aut illam materiam in sacramento Ordinis, neque hæc aut illa verba: sed confusiùs solùm, & generaliùs instituisse vt ordo conferretur per aliquam actionem externam & sensibilem ordinantis, significatiuam potestatis quæ datur Ordinato, & per aliqua verba quæ magis determinatè & clariùs significarent eandem potestatem. Et hoc solùm est essentiale sacramento Ordinis. Determinationem autem illius actionis sensibilis, & verborum in specie, liberam reliquit Ecclesiæ, quæ olim manuum impositione vtebatur, & nunc quoque eâdem vtitur Græca Ecclesia. Latina verò partim manuum impositione, partim aliqua alia actione magis determinatè significatiua potestatis quæ traditur. Cuiusmodi est porrectio calicis & patenæ, & alia supra recensita à Florentino. Sed hæc determinatio, & differentia materiæ est Sacramento accidentalis. Ac si Græcus Episcopus ordinaret in Ecclesia Græca ritu Latino; faceret quidem illicitè, sed tamen validè ordinaret. Idemque dico vice versa de Latino Episcopo ordinante ritu græco in Ecclesia Latina. Sicut ergo Ecclesia non mutauit materiam essentialem sacramenti Eucharistiæ, neque aliam instituit pro Græca Ecclesia, aliam pro Latina, quando statuit vt in Ecclesia Latina conficeretur Eucharistia ex pane azymo, quo Christus vsus est; in Græca, ex fermentato: sed tantùm induxit accidentalem differentiam materiæ essentiali: sic, &c. Idemque dico de differentia verborum formæ, quæ reperitur in ordinatione Ecclesiæ Græcæ & Latinæ. Consentit Delugo disput. 2. de Sacrament. num. 86. vbi pro eadem sententia citat Innocentium IV. Bellarm. & Petrum Arcudium, qui postremus lib. 6. de Sacram. cap. 4. §. *Est autem duplex*, affirmat hanc esse sententiam Doctissimorum. (Delugo.) (Arcud.)

SECTIO VI.

An quæuis mutatio materiæ, aut formæ, tollat substantiam & veritatem sacramentorum?

Respond. negatiuè: sed illam solùm quæ substantialis siue essentialis est, quâ scilicet destruitur substantialiter vera materia, vel forma à Christo instituta & determinata. Pro quo nota duplicem esse posse mutationem materiæ vel formæ sacramentorum: essentialem scilicet, & accidentalem. Prior tollit substantiam & veritatem sacramentorum: quia per huiusmodi mutationem tollitur vera materia, & vera forma essentialis. Sublato autem toto, vel parte essentiali, res non potest consistere. Posterior verò non tollit substantiam sacramentorum, quia relinquit quicquid est substantiale, siue essentiale, materiæ & formæ, iuxta Christi institutionem: manet autem sacramentum, quantum est ex parte materiæ & formæ, quamdiu manet salua earum essentia. Dixi manere, id est, existere sacramentum, quantum est ex parte materiæ & formæ: quia licet aliunde sacramentum irritum reddi possit: puta si desit intentio Ministri, aut adulti recipientis, aut capacitas subiecti: hic tamen agimus de solo defectu, qui contingere potest ex parte materiæ ipsius vel formæ sacramentorum, propter ipsarum corruptionem vel alterationem. 49. (Conclusio negatiua.) (Mutatio materiæ vel formæ vna est essentialis, altera accidentalis.)

Dicitur autem mutatio materiæ essentialis fieri, quando mutatio materiæ tanta est, vt 50. (Mutatio)

essentialis quæ sit, quæve accidentalis?

iuxta communem vsum, & æstimationem hominum, non conueniat ratione & nomine cum materia vsitata ab Ecclesia, & à Christo præscripta, cuius præscriptum ex traditione & vsu Ecclesiæ communiter recepto cognoscimus. Vt si in Baptismo, loco aquæ elementaris, adhibeatur vinum, aut aqua rosacea: & in Eucharistia, panis hordeaceus pro triticeo. Accidentalis verò mutatio materiæ tunc fit, quando seruatur quidem materia à Christo instituta, & ab Ecclesia vsurpari solita, sed non eodem modo. Vt si aqua lutosa, vel calida adhibeatur in Baptismo; vel si panis in Eucharistia mutetur ex azymo in fermentatum. In his autem mutationibus non est semper spectanda materia physicè secundum essentiam: sed iuxta diuinam institutionem, & vsum Ecclesiæ, quæ errare non potest in re tanti momenti, iuxta caput, *Ad abolendam, De Hæreticis*. Vnde licet diceremus mutationem massæ triticeæ in panem, physicè loquendo, esse tantùm accidentalem; tamen iuxta Christi institutionem, & vsum Ecclesiæ, essentialis est: quia massa non est panis humano modo loquentibus, nec habet vsum panis secundum morem humanum. Item licet Chrisma benedictum ab Episcopo, differat tantùm accidentaliter à non benedicto; istud tamen non est materia sufficiens sacramenti Confirmationis, vt dicemus suo loco: quia non est quale à Christo institutum fuit, & determinatè præscriptum velut essentialiter & omninò necessarium.

51\. Similiter mutatio formæ essentialis tunc fit, quando vel non adhibentur verba vocalia, siue ore prolata, vbi essentialiter necessaria sunt; vt sunt in omnibus sacramentis, excepto matrimonio: vnde si absolutio sacramentalis detur scripto non valet: vel, etiam si adhibeantur verba; ita tamen mutantur vt non maneat sensus à Christo institutus, & determinatus tanquam essentialiter & absolutè necessarius, qui cuiusmodi sit dicemus cùm de singulis sacramentis disputabitur. Extra hos duos casus mutatio formæ accidentalis tantùm est. Vt si in matrimonio, loco verborum, adhibeantur gestus, aut nutus sufficienter consensum exprimentes: vel si in aliis sacramentis addatur aliquid verbis, aut detrahatur, quod non corrumpat sensum necessarium, vt si quis ita baptizet, Ego indignus peccator te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filii eius vnigeniti, & Spiritus sancti paracleti. Aut si detrahat huic formæ particulam, Ego: vel formæ Eucharistiæ particulam, Enim. Secus autem si detraheret verbum, *Baptizo*, aut nomen, *Corpus*. Aut si baptizando diceret, Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filii minoris & ab eo creati, & Spiritus sancti vtroque inferioris. Hæc enim additio tollit sensum necessarium, & contrarium ponit. Idemque dico de eo qui sic consecraret, Hoc est corpus meum non re, sed figura. Item, si verba transponantur, aut malè pronuncientur, sufficienter tamen secundum moralem æstimationem retento sensu necessario, qui nonobstante tali mutatione satis intelligatur, mutatio solùm accidentalis est: vt si quis dicat consecrando, Meum corpus est hoc: Aut baptizando, In Spiritus sancti, Filii, & Patris nomine Baptizo te ego. Aut etiam, si per imperitiam linguæ Latinæ diceret, Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta. Hanc enim formam ex imperitia sic prolatam sufficere declarauit Zacharias Papa, vt habetur in capite *Retulerunt*, de Consecratione, dist. 4. Item si per balbutiem, aut impedimentum linguæ sic pronunciet, Ego te battiso, aut, Hot est torpus meum. Tales enim more suo secundum vsum idem dicunt, quod alii meliùs exprimunt. An verò qui sine imperitia, vel balbutie sic diceret, formam destrueret, dicemus sectione sequenti.

Accidentalis item est si absque sensus euersione eadem verba sæpius repetantur, vt à scrupulosis fit: aut si pronunciatio parumper interrumpatur, ita scilicet vt non tollatur sensus neque moralis vnitas orationis, de quo ex circumstantiis, & modo ac duratione interruptionis, prudenter iudicandum est. Aut si verba formæ mutentur in alia planè synonyma, siue eiusdem idiomatis, siue diuersi, aut etiam si multa idiomata misceantur. Christus enim non determinauit hoc aut illud idioma, sed sensum dumtaxat: alioquin deberent omnes eodem idiomate vti, putà syriaco, quo Christus vsus est. Potest tamen Ecclesia propter vniformitatem, aut decentiam, vnum præ alio præscribere: & hoc ex præcepto seruandum est, licet non ex necessitate Sacramenti, cui quæcumque verba æquè apta sunt, modò sensum illum exprimant quem Christus determinauit. Vnde falluntur Nouatores qui putant vulgare idioma vbique necessariò vsurpandum esse. Sed hoc dicunt, quia putant verba sacramentalia esse tantùm concionatoria, ad instructionem populi instituta. 52.

Exempla mutationis accidentalis.

Notandum tamen, Ecclesiæ præceptum non ita obligare vt non possint imperiti vti vulgari idiomate, quando periculum est ne ignotum idioma corrumpant. Vnde monent Emmanuel Sa verbo *Baptismus*, Victoria de Sacram. q. 18. & Aegid. Con. q. 60. n. 84. satius esse fœminas baptizantes vti lingua vernacula. Idemque sentio de rusticis & æquè imperitis. 53.

Sa. Victor. Conin.

Nota præterea quod dixi, *si mutentur in alia planè synonyma eundem planè sensum exprimentia*. Alioqui enim fieri potest vt mutatio essentialis sit: vt si quis dicat, Ego te baptizo in nomine Trinitatis. Nam expressa inuocatio Trinitatis, est Baptismo essentialis, & non sunt synonyma ea verba quorum vnum significat tantùm implicitè, id quod alterum expressè. Quamquam non semper expressio eorum omnium, quæ in forma consueta significantur, essentialis est: vt patet ex diuersitate Pontificalium, aut Ritualium,

quæ sunt in vsu in varijs Ecclesiis, & à sede Apostolica approbata vel tolerata sunt. Debent præterea verba illa esse synonyma secundum publicam institutionem, & non solùm secundum priuatam proferentis, aut aliorum paucorum intentionem, vtentium verbis alio sensu quàm communiter & publicè significent. Quia sacramenta sunt communes & publicæ cerimoniæ, verbis communibus & publicis celebrandæ. In verbis autem sensus & significatio præcipuum est. Si tamen verba, in quæ mutatio fit, sint ambigua, & proferens bonum sensum intendat: mutatio tantùm accidentalis est. Quia verba illa secundum publicam institutionem ferunt sensum bonum, & ad illum determinantur ex intentione proferentis. Nec obest vocum ambiguitas: quia in omnibus fere verbis, respectu eiusdem idiomatis, aut diuersorum, reperiri potest: & ex vsu loquendi determinatur ad hanc aut illam significationem.

SECTIO VII.

An pendeat à scientia, vel ab intentione ministri, vt mutatio materiæ, vel formæ sit substantialis, vel accidentalis?

54. D. Thom. Ratio dubitandi est, quia D. Thom. qu. 60. a. 8. in corp. ait, si minister per additionem, aut diminutionem formæ intendat alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videri perfici sacramentum: quia non videtur quod intendat facere id quod facit Ecclesia. Et quod amplius est, Zacharias Summus Pontifex in ep. Decret. ad Bonifac. vt refertur in cap. *Retulerunt, de consecr. dist.* 4. respondit formam illam, *In nomine Patria*, &c. valere, & sufficere, si ex ignorantia prolata sit, & non ex intentione inducendi nouum ritum in Ecclesia, vel hæresim. Vnde à contrario sequi videtur, non sufficere talem formam; si non ex ignorantia, vel si ex tali intentione prolata sit. Henriq. Refert quoque Henriq. lib. 1. de Sacram. in genere cap. 9. num. 12. aliquos asserentes sacramentum non fieri, quando minister putat aliquid non esse de essentia formæ, quod tamen est de eius essentia: licet illud non omittat: Itemque si quis proferat tanquam partem essentialem, illam quæ verè non est essentialis.

55. Valor materię & formæ sacram. non pendet à scientia vel intētione ministri. Dicendum est tamen 1. Non pendere à scientia, vel ab intentione ministri, quod materia, vel forma sacramentorum valida sit: neque posse per illam reddi inualidam, si vera forma, & materia adhibeatur, & aliunde non contingat mutatio, vel corruptio. Ratio est, quia substantia materiæ, & formæ consistit in re ipsa, & in sensu, ac significatione verborum, iuxta Christi definitionem: non autem in scientia, vel intentione ministri, quæ non potest derogare Christi institutioni, neque impedire, quin sacramentum validum sit, quantum est ex parte materiæ & formæ, quando tales adhibentur reipsa, quales à Christo sunt institutæ: cùm ne vniuersa quidem Ecclesia potestatem acceperit in substantiam sacramentorum; vt sæpius diximus cum Trident. sess. 21. cap. 2. Quare nisi corrumpatur vera materia, aut forma, valebit sacramentum, quantum est ex parte illarum; quidquid sit de ignorantia, vel de intentione ministri. Quantum, inquam, est ex parte illarum: quia hîc solùm agimus de defectu sacramenti ex parte materiæ vel formæ, non autem ex parte intentionis ministri simpliciter. Scimus enim veram materiam, & formam non sufficere sine intentione ministri, vt Florent. definit in decreto, §. *Hæc omnia*. Sed tunc defectus non contingit ex parte materiæ vel formæ, quasi illæ non sint bonæ; sed ex eo quòd vlteriùs intentio ministri secundum Christi institutionem necessaria sit ad formam, & materiam validè applicandam, & ad tale ens morale constituendum.

56. Si verba formæ sunt ambigua minister non intendens sensum legitimum, irritat sacramentum. Dico 2. Quando verba formæ mutantur in alia quæ secundum publicam institutionem, & communem vsum, faciunt sensum ambiguum secundum modum & circumstantias quibus proferuntur hîc & nunc: nisi tunc minister sensum legitimum intendat, Sacramentum irritum est, non solùm defectu intentionis, sed etiam defectu veræ formæ. Ratio est, quia in eo casu significatio verborum pendet secundum communem vsum, & publicam institutionem, ab intentione & determinatione loquentis: & habet quisque ius vtendi verbis ambiguis in sensum à se determinatum. Licet autem sit idem sonus materialis verborum; non est eadem forma, si non est eadem significatio; neque sunt propriè eadem verba, quæ ex significatione maximè æstimanda sunt.

Dixi, si faciant sensum ambiguum secundum publicam institutionem & communem vsum, eo modo & circumstantiis quibus proferuntur hîc & nunc: alioqui enim si ex communi vsu & publica institutione sunt satis determinata: defectus erit solùm ex intentione ministri: vt esset, si formam proferret non ambiguam, non intendendo verum eius sensum, sed alium priuata sua intentione, quæ non potest derogare publicæ institutioni, & vsui communi, in his publicis Ecclesiæ cerimoniis. Quare non assentior Suari disp. 2. sect. 5. conclus. 2. absolutè & generaliter affirmanti corrumpi formam per quamcumque ambiguitatem & defectum intentionis boni sensus. Suarez. In quem etiam sensum non benè exponit responsum Zachariæ supra relatum. Nam in eo casu defectus solùm fuisset ex parte intentionis, vt ostendemus paulò post. Nec valet ratio Suar. quia, inquit, in eo casu formaliter & propriè aliud est signum quod minister exhibere intendit, quàm quod Christus instituit. Resp. enim esse aliud non secundum se, & secundum publicam insti-

tutionem; sed secundum intentionem priuatam ministri, qui non potest validè tollere publicam significationem verborum sacramentalium, vt neque nouam illis dare, vtendo verbis non publicè synonymis, in sensu priuato synonymo. Quod postremum cùm fateatur Suar. debet quoque prius fateri: nam vtriusque par est ratio.

57. Dico 3. Quando aliquis ex scientia, vel ex intentione inducendi nouum ritum aut hæresin in Ecclesiam, mutat accidentaliter materiam vel formam sacramentalem, sacramentum validum est, modò intendat, generaliter saltem & absolutè, facere id quod Christus instituit, aut quod facit vera Ecclesia: secus autem si id non intendat. Sed tunc defectus est ex parte solius intentionis: & non ex parte materiæ vel formæ, quæ de se valida & sufficiens est. Probatur, quia talis intentio relinquit formam & materiam substantialem, vt supponimus. Et quidem eam corrumpere non potest, si nihil aliud contingat, vt patet ex prima & secunda conclusione. Neque est incompatibilis cum inteptione generali & absoluta faciendi quod Christus instituit. Potest enim quis mutare scienter materiam vel formam sacramentorum accidentaliter, & tamen velle facere sacramentum, quia scit posse fieri non obstante tali mutatione. Potest quoque velle inducere nouum ritum aut hæresin in Ecclesiam, mutatione quam facit: & tamen velle sacramentum efficere, atque intendere quidquid pertinet ad substantiam sacramenti: quia scit eius substantiam saluam esse posse, non obstante tali intentione & mutatione. Ac multò magis si id intendat ex ignorantia, putans Ecclesiam vti peruerso ritu, & volens illum errorem corrigere: vt faciunt Græci schismatici, qui putant esse Baptismo essentiale vt sic dicatur, *Baptizetur seruus Christi, N.* &c. vel, *Baptizatur meis manibus seruus Christi,* &c. & esse essentiale Eucharistiæ, vt adhibeatur panis fermentatus, atque in eius consecratione addatur, *quod pro vobis tradetur*: & tamen validè baptizant, & consecrant. Neque ab Ecclesia Latina rebaptizantur qui fuerunt in Græca baptizati. Idemque dico de eo qui per errorem omitteret aliquid, quod putaret essentiale: & tamen vellet per reliquum efficere quidquid fieri potest secundum Christi institutionem: quæ intentio non est absolutè incompossibilis.

Intentio inducendi errorem in Ecclesiam non irritat sacramentum.

58. Neque obstant quæ initio ex D. Thoma, & Zacharia Papa relata sunt. Neque enim D. Thom. ait absolutè, non perfici sacramentum in casu ibi posito: sed, non videri perfici: quia scilicet talis non videtur seriò agere, & intendere id quod intendit Ecclesia, vt ipsemet D. Thom. exponit verbis proximè sequentibus: quia, inquit, non videtur quòd intendat facere, id quod facit Ecclesia. Eodemque sensu exponendum est Zachariæ responsum, qui non dixit talem formam esse validam in eo casu, & alioqui non esse: sed tantùm respondit talem non esse rebaptizandum: quia nimirum forma de se valida erat; & baptizans ex ignorantia, ac sine praua intentione, præsumendus erat egisse bona fide, & intendisse facere quàm optimè poterat. Sin autem ex scientia formam sic vitiasset, aut hæresin vel errorem inducere intendisset, præsumendus erat non habuisse intentionem conficiendi sacramentum: vt præsumendum est, nisi satis appareat contrarium, quemadmodum apparet in Græcis schismaticis, qui certissimè intendunt communiter, facere id quod Christus instituit, putantque se eius institutioni sincerè adhærere.

Potest tamen & debet interdũ præsumi irritare, defectu intentionis faciẽdi quod Christus instituit.

59. Ex his collige quid sentiendum sit de Ministro sacramenti hæretico, qui formam sacramentalem sic profert, vt simul intendat significare suum errorem circa eandem formam. Quod dupliciter fieri potest. 1. Si tantùm in mente hoc intendat. 2. Si verbis formæ additis errorem illum detegat: vt si Arianus dicat, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, qui tres non sunt vnius indiuiduæ naturæ. Aut si Sacerdos Caluinista sic consecret: Hoc est corpus meum figurâ tantùm, non reipsa. De priori enim casu, cùm scilicet error non exprimitur, dicendum est quòd si talis habet tantùm intentionem significandi suum errorem, nihil efficit, non defectu formæ per se; sed defectu intentionis Ministri, qui nullo modo intendit significare & facere quod Christus instituit. Secus autem, si habet duplicem intentionem: vnam particularem, erroneam: alteram generalem, & rectam, per quam priuatæ deroget, ita vt absolutè intendat significare & efficere per verba formę, id quod Christus instituit, quicquid sit de suo errore. Ratio est, quia talis absolutè & simpliciter intendit debitum sensum, & exteriùs illum exprimit, cæteraque apponit sacramento efficiendo necessaria, eiusque idoneus minister est. Nec obest quòd male sentit contra fidem. Nam recta fides in ministro non est necessaria, iuxta Caput, *Mulier*, Caput, *In necessitate*, Cap. *A quodam*, de consecrat. dist. 4. & Cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate. Quibus adde Conciliorum definitiones, & testimonia August. relata suprà sect. 2. conclus. 2.

Quid sentiendum de hæretico suum errorem significante per formam sacramenti.

60. De eo verò, qui ad errorem suum exprimendum apponit aliquid verbis formæ, distinguendum est. Vel enim id quod apponit, reddit sensum ambiguum, vel diuersum substantialiter, vel accidentariò tantùm. Si ambiguum: sacramentum validum est, modò ministrans intendat sensum rectum, saltem absolutè. Tale putat exemplum illud Aegid. Coninx, si hæreticus Valentinianus dicat, Hoc est corpus meum spirituale, quod vltimum verbum intelligi potest vel ratione Beatitudinis, qui sensus formam non destruit essentialiter: vel ratione priuati erroris, cui nisi per absolutam & generalem intentionem derogaret, nihil faceret. De se- Conin.

cundo autem & tertio casu patet ex supra dictis quid sentiendum sit. Nempe si per erroris appositionem leuiter tantùm & accidentariò mutetur sensus verborum sacramentalium, remanente sensu necessariò substantialiter secundum vsum loquendi; id non impedit valorem sacramenti, modò minister habeat generalem intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia. Quæ intentio generalis non est incompossibilis cum priuata erronea cui deroget. Ideóque non assentior quibusdam affirmantibus absolutè, & sine distinctione, sacramentum non valere cum intentione priuata inducendi errorem contrarium significationi legitimæ sacramenti. Secùs autem destructo tali sensu, vt contingere arbitror in istis formis. Ego te baptizo in nomine Patris increati, & Filii creati, & Spiritus sancti à Patre solo procedentis. Aut, Hoc est corpus meum figurâ tantùm. Hæc enim sensum planè diuersum, imò contrarium veræ formæ habent. Non ita tamen si quis dicat, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & B. Virginis, non intendens significare æqualitatem harum quatuor personarum, sed existimans inuocationem B. Virginis necessariam esse. Similiter si quis errorem suum formæ adiectum distingueret à vero sensu formæ, quem satis intelligendum daret, non mutaret substantialiter: vt dicens: Hoc est corpus meum, id est, vt ego arbitror, non re, sed figura: aut si sacerdos diceret: Hoc est corpus meum, quod non pro vobis tradetur, neque morietur. Sunt enim ibi duæ propositiones, quarum secunda non falsificat primam.

61. Quid si minister putat aliquid esse essentiale, quod non est?

Ille verò qui tantùm errat putando aliquid non esse essentiale, quod tamen est essentiale: aut è contrario, esse essentiale, quod non est; & tamen adhibet re ipsa quidquid est essentiale, conficit sacramentum sine dubio. Alioquin incerta essent omnia sacramenta, cùm nullum sit de cuius essentialibus non sit aliqua dubitatio, vt patebit disputando de singulis. Quare falluntur authores ab Henrique relati supra num. 54. nisi loquantur de eo qui non modò errat circa essentiam formæ; verùm etiam limitat suam intentionem ad errorem: ita vt non velit facere sacramentum nisi sit essentiale id quod falsò putat esse essentiale: aut nisi non sit essentiale id quod falsò putat non esse essentiale. Tunc autem non conficitur sacramentum defectu intentionis: at non defectu materiæ & formæ, quæ bona est, quæque tota essentialiter adhibetur, vt supponimus.

SECTIO VIII.

An liceat mutare materias vel formas Sacramentorum: & vti aliquando materia vel forma dubia?

62. Tenetur quisque in sacram. administrandis seruare morem Ecclesiæ.

Dico primò, teneri quemlibet priuatum in sacramentis administrandis sequi morem legitimum eius Ecclesiæ, in qua est, & cuius membrum est, circa materiam & formam sacramentorum, & ritus adhiberi solitos, atque præscriptos: ita vt semper sit peccatum mortale, aut veniale, sine causa rationabili mutare in materia vel forma sacramentorum, & eorum administratione, modum ab Ecclesia præscriptum, quamuis alioqui essentialia seruentur. Probatur primò, ex Trident. sess. 7. can. 13. de Sacramentis in genere; vbi anathematizat eos qui dixerint, Receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse. Vbi licet Concilium loquatur solùm de solemni administratione sacramentorum, propter rationem in conclusione sequenti afferendam: par tamen est ratio vt ea quoque seruentur, quæ in priuata administratione sunt præscripta per legem, aut consuetudinem vim legis habentem. In ea tamen non tam multa requiruntur, vt dicemus paulò post. Per ritus autem Ecclesiæ Catholicæ, intelligit Concilium non tantùm ritus qui sint vniuersales in tota Ecclesia, & vbique seruati: sed ritus cuiuscunque Ecclesiæ quæ Catholica sit. Probatur 2. quia Ecclesia habet potestatem condendi leges, quæ obligent in conscientia; atque inducendi consuetudines, quæ habeant vim legis. Nam si Principes sæculares habent hanc potestatem, vt docet Scriptura Rom. 3. v. 1. & 5. & sequentibus, & 2. Petri 2. vers. 9. & 10. Quantò magis Principes Ecclesiastici, de quibus etiam specialiter id satis colligitur ex Matth. 18. v. 17. Luc. 10. v. 16. & Hebr. 13. v. 17. Hac autem potestate constat Ecclesiam vsam esse in multis præscribendis pertinentibus ad sacramentorum administrationem, tanquam ad rem grauissimam: vt patet tum ex modo præscribendi, tum ex verbis Trident. relatis. Cùm autem in condendis suis legibus Ecclesia rerum naturis & conditionibus sese accommodet, vt est communis Doctorum sententia; sequitur transgressionem legis esse peccatum mortale, si materia præcepti sit grauis. Vnde si v. g. sacerdos Latinus in Ecclesia Latina consecraret in fermentato, peccaret mortaliter: aut si sciens volensque magnam partem cerimoniarum Missæ, omitteret. Venialiter autem, si tantùm omitteret particulam, *enim*, in consecratione, aut aliquid aliud leue.

Dixi teneri quemque sequi morem eius Ecclesiæ in qua est, & cuius membrum est: quia in diuersis Ecclesiis diuersus esse potest quoad accidentaria, tam ex parte materiæ, quàm verborum & cerimoniarum sacramentalium: ad quæ mutanda pro diuersis locis & temporibus potestatem habet Ecclesia, vt docet Trident. sess. 21. cap. 2. At non ita priuatus quisque, vt idem Concilium tradit sess. 7. can. 13. Cùm autem ritus in diuersis Ecclesiis diuersus est, debet quisque qui est membrum 63. Quid faciendum quando diuersarum Ecclesiarum consuetudo diuersa est?

membrum illius Ecclesiæ, dum in ea versatur, seruare ritum ab ea præscriptum. Extra verò potest vel eundem seruare, si generalis est totius illius Ecclesiæ, & non merè localis (modò id fiat sine scandalo) vel consuetudini Ecclesiæ, in qua peregrinatur, se accommodare. Vnde Leo IX. in Epist. ad Michaëlem Cerularium, monet vt vnusquisque iuxta suæ Ecclesiæ ritum celebrare sinatur, etiamsi in alieno solo versetur: vt cùm v. gr. sacerdos Græcus transit per loca Latinorum, vel sacerdos Latinus inter Græcos peregrinatur, aut moratur aliquandiu. Quia scilicet hæ consuetudines non tam sunt diuersorum locorum particularium, quàm generales vtriusque Ecclesiæ, quas vnusquisque seruare debet in propria Ecclesia: ac potest etiam seruare alibi, quandiu pars eius est. Tametsi tunc potest, si velit, conformare se eorum ritui & consuetudini, inter quos versatur, iuxta caput *Illa autem*, dist. 12. Si tamen sint aliqua templa inter Latinos Græcis concessa, vt ibi propriam Ecclesiam habeāt, solis Grecis licitum est ibi celebrare ritu greco: quia Latini non censentur ibi esse vt peregrini. Similiterque in templis Latinorum, si quæ sunt in Græcia, Latinis tantùm licet celebrare ritu latino. In vtrisque verò tenentur Græci & Latini seruare consuetudinem antiquam suæ Ecclesię, quia ibi censentur esse in sua Ecclesia; cuius illa consuetudo vim habet præcepti respectu eorum qui sunt illius pars, & in illa versantur. Idem puta de ritu diuerso conferendi baptismum inter Græcos & Latinos, vel sacramentum Ordinis & alia sacramenta.

64. *Accidentalia sacramentorum possunt mutari pro causa rationabili.*

Dico secundò, existente causa rationabili, licitum esse mutare aliquid accidentarium, licet alioqui præceptum, in materia, vel forma, vel cerimoniis sacramentorum. Ratio est, quia huiusmodi præceptum merè positiuum non obligat in quocumque casu, & cum quouis incommodo; sed ex æquitate benignè interpretandum est, vt patet ex sensu & vsu communi fidelium, à Prælatis non reprehenso, imò in quibusdam casibus expressè approbato. Sic instante necessitate licitum, imò debitum est, baptizare sine solemnitate, id est, sine cerimoniis ab Ecclesia adhiberi solitis, quas omittere satius est, quàm animam sine Baptismo perire. Sic etiam probabile est tempore pestis licere in Extrema vnctione omittere plures vnctiones, & plures formas partiales in vnam coniungere, ob periculum, dicendo celeriter, Dimittat tibi Deus quicquid peccasti per visum, auditum, gustum, &c. Sunt etiam casus in quibus licet Matrimonium contrahere sine omnibus cerimoniis ab Ecclesia præscriptis, de quibus suo loco. Item si quis mortem aut graue incommodum intentans cogeret (sine contemptu tamen) ministrum aliquid mutare accidentarium, esset iusta causa mutandi. Vt si quis bona fide existimans, ita baptizandum esse, cogeret ministrum dicere, Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii vnigeniti, & Spiritus sancti paracleti, & Beatæ Virginis: aut consecrare in fermentato, deficiente alio pane, & mortem intentante nisi quis ita celebraret, aut sine sacris vestibus.

Dico tertiò, Grauiter peccare eum, qui per mutationem, quam inducit, reddit irritum sacramentum, nisi excuset inaduertentia vel indeliberatio, vel suppetat iusta causa fingendi, & subtrahendi veram materiam vel formam sacramenti. Ratio primæ partis est, quia talis graue sacrilegium committit, & grauem iniuriam Christo, Ecclesiæ, & suscipienti, facit. Secunda probatur, quia in quacumque materia, inaduertentia & indeliberatio excusat à peccato, vel toto, vel tanto. Tertia ponitur propter illos qui fictè contrahunt matrimonium graui metu & iniusto adacti. Habent enim ius sic eludendi violentiam, quam aliter vitare non possunt. Neque peccant omnino, si restrictione mentali vtuntur ad vitandum mendacium. Si autem mentiuntur, peccant tantùm venialiter in eo casu. Sed non possunt sine graui peccato Matrimonium consummare, licet ad id per metum adigantur. Nisi priùs consentiant liberè & non propter vim, & cum aliis conditionibus ad valorem contractus requisitis. Non enim possunt sine peccato scienter & liberè fornicari. Possunt etiam concurrere causæ grauissimæ in quibus ministri aliorum sacramentorum dissimulare possint: ex vna parte, proprium malum valde graue: & ex alia, prophanatio sacramenti, quod hic & nunc non possit dignè conferri aut omnino celebrari; modò tamen qui vim infert non id faciat in contemptum Dei vel religionis, cui sine graui peccato nemo potest cooperari, etiam cum quouis periculo. 65. *Grauiter peccat qui per mutationem irritat sacramentum.*

Dico quartò, Relinquere materiā, vel formam certam pro dubia esse peccatum mortale, si fiat absque necessitate. Quia talis se exponit periculo non conficiendi sacramentum: quod non licet sine causa notabili & necessitate, vt si infans baptizetur aquâ dubiâ, quia moritur, & non suppetit alia: vel si in solo digito baptizetur, quia periculum est ne moriatur in vtero, priusquam exeant reliquæ partes corporis. Notant autem Henriquez & Aegid. Coninx faciliùs occurrere necessitatem vtendi materia dubia, quàm forma: quia forma certa magis in manu nostra est. Potest tamen aliquando occurrere: vt, si infante moriente, nemo præsentium sciat formam, nisi eam de qua dubitet: aut si quis sacerdotem, quem bona fide putat esse peritum, cogat metu graui ad vtendum forma per se dubia, quam ipse credit esse certam, & ab Ecclesia adhiberi solitam. Tunc enim minister potest vti tali forma sub conditione, ad vitandum graue malum, nisi grauius aliunde immineat. 66. *Et qui vtitur materia vel forma dubia, sine necessitate.*

67. Quotiescumque autem iure dubitatur de valore sacramenti, vel ob diuersas Doctorum opiniones circa mutationem factam, vel ob aliam causam; iudicandum est in fauorem personæ egentis sacramento, contra valorem sacramenti dubii, & conferendum sacramentum denuo sub conditione. In quo non est periculum malè iterandi sacramentum quod non potest iterari: quia non censetur iteratum quod non censetur esse factum, vt dicitur cap. vnico *de Clerico per saltum promoto*, & cap. *Solemnitates* 1. de Consecratione dist. 4. Præter quam quòd periculum, qualecumque sit, meritò postponitur saluti hominum. Sacramenta enim sunt instituta propter homines: ideòque eorum saluti seruiendum est potiùs, quam sacramentis timendum. Verùm iteratio, seu potiùs intentio iterandi sacramentum initerabile, contingere non potest ministro rectè sentienti. Hic enim semper circa eum, de quo dubitatur, verbi gratiâ, sit ne baptizatus validè, habet intentionem non baptizandi, si iam est baptizatus. Et quicquid sit de ministri intentione, sacramenta initerabilia nunquam iterantur reipsa verè ac propriè, neque habent vim ponendi effectus iteratò: sed dicuntur iterari intentionaliter, id est, secundum intentionem eius qui vult ea iterare: quod potest contingere ex errore, si quis putet illa sacramenta non esse initerabilia.

DISPVTATIO VIGESIMA,

De necessitate Sacramentorum.



DE necessitate Sacramentorum disputat S. Thomas tota quæst. 61. & art. 1. docet sacramenta esse necessaria ad humanam salutem triplici de causa. Vt scilicet homines, conuenienter suæ naturæ, deducantur per sensibilia, ad spiritualia: & qui per affectum se rebus corporalibus subdiderunt, per res corporales medicinam peccati accipiant: & qui difficilè possunt totaliter abstrahi ab actibus & exercitiis corporalibus, per hæc sacramentalia salubriter exerceantur. 2. In statu innocentiæ non indiguisse homines sacramentis. Neque pro remedio peccati, quod tunc non erat: neque pro perfectione animæ; quia in eo statu superiora inferioribus dominabantur, nulloque modo ab eis pendebant. Sicut enim mens suberat Deo: ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur vel quantùm ad scientiam, vel quantùm ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in sacramentis. 3. Post peccatum, necessarium fuisse sacramenta quædam institui

ante Christi aduentum. Quia cùm sacramenta necessaria sint ad humanam salutem, inquantum sunt quædam signa sensibilia inuisibilium rerum, quibus homo sanctificatur; & nemo possit sanctificari post peccatum, nisi per Christum: oportuit ante Christi aduentum esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Saluatoris aduentu. 4. Cùm sicut antiqui Patres saluati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos saluemur per fidem Christi iam nati, & passi; & sacramenta sint signa quædam protestantia fidem, quâ homo iustificatur: oportet alia quædam sacramenta esse in lege noua, quibus significentur ea quæ præcesserunt in Christo, præter sacramenta veteris legis, quibus prænunciabantur futura. Oportet enim aliis signis significari futura; aliis præterita, vel præsentia. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

An sacramenta necessaria sint, & an semper aliqua fuerint?

1. Necessarium dicitur multipliciter.

NECESSARIUM potest sumi dupliciter. Primò, simpliciter, & absolutè. Secundò, Respectiuè in ordine ad aliquem finem. Et hoc quoque dupliciter: nimirum, vel simpliciter, & omnino, quia sine illo impossibile est finem obtineri: vel secundum quid, puta ex hypothesi quòd hic, & nunc non suppetunt alia media, quibus finis obtineatur, licet possibilia sint: vel quòd is, à quo pendet assecutio finis, statuerit efficaciter, vt non nisi per tale medium obtineri possit reipsa. Quo pacto nemo secundum legem diuinam potest consequi gloriam, sine gratia. Potest tertiò, sed minùs propriè, necessarium dici id, per quod valde conueniens est finem obtineri, licet sine illo alioquin haberi possit. Solet enim & hoc dici necessarium cum addito, nempe congruentiæ necessitate. Verbi gratiâ viro nobili, vt eat Parisios, dicitur equus esse necessarius, & apparatus conueniens eius dignitati, licet alioqui pedes, & sine apparatu ire posset. Sed hoc potiùs necessarium est ad congruè eundum, quàm ad eundum simpliciter. His præmissis,

Sacramenta non sunt simpliciter necessaria.

Certum est 1. Sacramenta non esse simpliciter, & absolutè necessaria, nihil enim ita necessarium est, nisi illud, quod per nullam potentiam potest non esse. At nihil est ita necessarium præter Deum. 2. Certum est sacramenta non esse simpliciter necessaria respectiuè propter finem, id est, propter hominum salutem, seu beatitudinem supernaturalem. Potest enim Deus, si velit, illam conferre sine sacramentis: quemadmodum contulit Christo, & Angelis: & primos parentes sine vllo sacramento sanctificauit: & nunc etiam saluantur aliqui sine ope sacramentorum: illi scilicet, qui præuenti Dei vocatione, ad ipsum conuertuntur per actum contritionis, & dilectionis supernaturalis, moriunturque priusquam sacramentum possit illis applicari. Tales enim saluantur solo baptismo flaminis, qui non est sacramentum: sicut olim multi martyres solo Baptismo sanguinis saluati sunt. Confirmatur, quia Deus non alligauit potentiam suam sacramentis, quasi sine illis efficere non possit, quidquid illis concurrentibus efficitur: maximè cùm sacramenta concurrant tantùm moraliter ex libera Dei institutione. Sicut enim liberè ordinauit conferre gratiam, & gloriam per sacramenta: ita potuit alium ordinem instituere, & sine morali motione sacramentorum illam se solo tribuere, & sine Christi meritis, aut extrinseco alio motiuo. Ex hypothesi tamen quòd Deus statuerit non saluare homines reipsa, nisi per sacramenta, tanquam media regulariter necessaria, id est, si non excuset suscipiendi impotentia; vel aliquid aliud, quasi sacramenti vicarium, suppleat eius defectum; sacramenta sunt eatenus ad salutem necessaria ex hypothesi talis institutionis. Atque ita de facto in lege Euangelica ex suppositione diuinæ ordinationis Ioan. 5. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Baptismus regulariter necessarius est: nec potest quisquam sine illo saluari, aut sine eius voto vel vicario, quando excusat suscipiendi impotentia. Idem de Pœnitentia dicendum est, supposito mortali post Baptismum commisso, vt definit. Trident. sess. 14. cap. 4.

Certum est tertiò Sacramenta esse valde vtilia hominum saluti quatuor præcipuè de causis, quas luculenter exponit S. Thom. quæst. 61. art. 1. Prima sumitur, inquit, ex conditione naturæ humanæ, cuius proprium est, vt per corporalia, & sensibilia, in spiritualia, & intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad prouidentiam diuinam, vt vnicuique rei prouideat secundum modum suæ conditionis. Et ideo conuenienter diuina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus, & sensibilibus signis, quæ sacramenta dicuntur. Rationem 2.

Sacramenta sunt valde vtilia saluti hominum.

hanc sumpsit D. Thom. ex Dionys. cap. 1. de Cœlest. Hierarch. vbi sic habet: *Nec enim aliter fas erat infirmitati nostræ lucere radium diuinum, nisi sacrorum varietate velaminum opertum, & vestitum iis, quæ nobis sunt familiaria, prouidentiâ paternâ Dei nostræ naturæ se accommodante.* Eademque de causa voluit Christus sacramenta nouæ legis instituere in rebus habentibus aliquam similitudinem cum effectu spirituali, quem causant: ita vt sint sacra quædam symbola, & formæ visibiles, id est, repræsentationes formæ inuisibilis, vt ait Trident. sessione 13. cap. 3. vt dum illa nobis adhibentur exteriùs, apprehendamus per fidem interiùs fieri in mentibus nostris id, quod illæ repræsentant. Exempli gratiâ, dum exteriùs abluimur, aut vngimur sacro chrismate, intelligimus nos interiùs mundari à peccatis, aut per gratiam, & virtutem sancti Spiritus corroborari. Et dum audimus sacerdotem, vice & auctoritate Christi pronunciantem, Absoluo te à peccatis, videmur nobis audire Christum ipsum ore proprio nos absoluentem. Et hæc symbola cùm certa fide habeantur à Christo ipso tradita, & instituta; multò maiorem vim habent excitandi viuam huius rei apprehensionem, & pium affectum voluntatis ei proportionatum; quàm alia signa merè humana, vel quàm fides nuda, & signis istis sensibilibus destituta.

Confirmatur. Secunda ratio sumitur, inquit D. Thomas, ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, vbi patitur morbum: & ideo conueniens fuit, vt Deus per quædam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet: nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus illis applicari minus facilè posset, corporalibus deditus. Diuinam quoque sapientiam decebat morbum à rebus sensibilibus illatum, remediis sensibilibus tollere. Sicut eandem ob causam voluit hominem esu fructus prohibiti lapsum, per lignum crucis reparare, *Damna ligni vt solueret, & medelam ferret inde hostis vnde læserat*, vt ait Fortunat. in Hymno quodam Ecclesiastico: & vt habet S. Leo serm. 14. de Passione cap. 1. *Maximè congruebat, vt nequitiæ hostilis aduersitas de eo quod vicerat, vinceretur: & per ipsam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas.*

Tertia sumitur ex studio siue affectu actionis humanæ, quæ præcipuè circa corporalia versatur. Nam vt ne homini durum esset, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, inquit D.Thom. art. citato, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur, ad euitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu Dæmonum, vel qualitercunque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. Atque ita per sacramentorum institutionem homo conuenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia: humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum illi per corporalia subuenitur: præseruatur etiam à noxiis actionibus, per salubria exercitia sacramentorum.

His tribus rationibus quartam addit sanctus Doctor eodem articulo, §. *Sed contra*: sumptam ex Diuo Augustino libro 19. contra Faustum cap. 11. vbi affirmat debuisse homines adunari in vnum veræ religionis nomen, & professionem. At in nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibilium consortio colligentur. Per quæ scilicet in illius religionis communem societatem ingrediantur, & eiusdem publicam professionem identidem exerceant, per eademque constituantur visibiliter sacrorum ministri, qui alii aliis sine interruptione succedant. Similem rationem reddit Tertullian. lib. de Præscript. cap. 20. vbi dicit, vnitatem Ecclesiæ, & communionem pacis, non alia ratione conseruari posse, quàm eiusdem sacramenti vna traditione. Nec obest quod Pammelius annot. 126. & quidam alii sacramenti nomine iuramentum hic intelligi volunt. Fatentur enim illi ipsi, Tertullianum alludere ad iusiurandum, quo tanquam sacramento militari nos Christo adstringimus in Baptismo. Quanquam potius sacramenti nomine Baptismum ipsum intelligere mihi videtur: de quo paulò ante dixit, Christum regredientem ad Patrem post resurrectionem iussisse Apostolis, ire & docere nationes omnes, tinguendas in Patrem, & in Filium, & in Spiritum sanctum. Et vniendas scilicet per vnum baptismum omnibus collatum, in vnam fidem, vnum Dominum, & vnam Ecclesiam.

(Marginal notes: 39 Augustin.; Tertull.)

His igitur de causis fuit valde conueniens sacramenta institui non modò in lege noua, sed etiam in lege veteri ad instruendos, iuuandos, præseruandos à malo, & vniendos inter se veræ religionis professores. Si tamen loquamur de sacramentis excellenter sic dictis, eò quod maximè sacrant vi sua, suntque signa & causæ gratiæ infallibiliter ex opere operato: non semper fuerunt huiusmodi sacramenta, sed soli statui legis Euangelicæ data sunt. Quod vt probem, suppono triplicem fuisse hominum statum, ante legem Euangelicam. Nimirum statum innocentiæ, qui breuissimus fuit: statum legis naturæ, à lapsu Adæ ad Moisem; & statum legis veteris scriptæ, à Moise ad Christum.

40. Fuerintne aliqua sacraméta in statu innocentiæ? In primo statu fuere quidem aliqua sacramenta, latissimè sumpto eo nomine pro qualicumque signo rei sacræ. Nam matrimonium, inter primos parentes in eo statu initum, fuit signum coniunctionis Ecclesiæ cum Christo: idque Adamus intellexit & significauit verbis illis, *Hoc nunc os ex ossibus meis,*

S. Thom. &c. vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 2. a. 7. & fauet Apost. Ephes. 5. vers. 31. Item lignum vitæ symbolum fuit Christi: & eius esus, Eucharisticæ communionis: quo sensu sacramentum vocatur à D. August. lib. 13. de Ciuit. cap. 20. & formatio Euæ ex Adamo dormiente, signum fuit effossionis lateris Christi ad formandam ex eo moriente Ecclesiam, & ad præcipua eius sacramenta in aqua & sanguine instituenda: doctore eodem D. August. tract. 120. in Ioann. Sed non apparet vlla in eo statu fuisse sacramenta stricte sumpta pro signis efficacibus gratiæ ex opere operato: imò nec latiùs sumpta pro signis aliquo modo morali sanctificantibus, & veram ac physicam animæ sanctitatem significantibus, sed non efficientibus: qualia dicemus fuisse in lege naturæ & Mosaica. Scriptura enim nihil tale reuelauit: neque ex vlla traditione, aut alio argumento colligitur. Cùmque ille status præuideretur à Deo futurus esse breuissimus: & iam primi parentes sanctitatem eximiam, & eius conseruandæ augendæque summam facilitatem, per iustitiam originalem adepti essent; magnamque notitiam rerum supernaturalium: non eguerunt sacramentis, siue vt moraliter tantùm, siue vt physicè per illa sanctificarentur.

Fuissentne illi conuenientia? An verò, posito quòd ille status diutiùs durasset, conueniens fuisset sacramenta pro illo institui, controuersum est. D. Thom. q. 61. a. 2. 5. *Sed contra*, & in corp. ait sacramenta non fuisse necessaria in statu innocentiæ: quia sacramenta sunt quædam spirituales medicinæ quæ adhibentur contra vulnera peccati: ergo non fuerunt necessaria ante peccatum. Item quia rectitudo illius status exigebat vt superiora dominarentur inferioribus, & nullo modo ab eis dependerent. Ergo fuisset contra ordinem & rectitudinem illius status, si anima perfici debuisset vel quoad scientiam, vel quoad gratiam, per aliquid corporale, vt fit in sacramentis. Loquitur autem S. Thom. de necessitate congruentiæ, secundum quam docet art. 3. & 4. necessarium fuisse sacramenta institui in statu post peccatum.

Gabriel. Idemque clariùs affirmant Gabriel in 4. distinct. 1. quæst. 2. a. 2. conclus. 1. aliique multi.

5. Alensis. Scotus. Suarez. Contrarium, tamen sentiunt Alensis, Durand. & Scot. quos refert & sequitur Suar. disp. 3. sect. 3. idque probabilius mihi videtur: quia siue sacramenta spectentur vt signa, siue vt causæ; nihil habent repugnans cum statu innocentiæ, sed multas illi poterant vtilitates afferre. Nam vt signa, valere poterant ad profitendam fidem interiorem, ad excitandum intellectum & voluntatem ad notitiam & affectum erga res diuinas: ad consensum & vniformitatem hominum in exercitio eiusdem religionis, quia tunc etiam constituissent homines visibilem Ecclesiam: ac demum ad repræsentationem & apprehensionem faciliorem mysteriorum supernaturalium: nam etiam in eo statu homines non cognouissent res diuinas & supernaturales clarè in seipsis, sed per speciem & in ænigmate: nec potuissent spiritalia intelligere nisi per corporea: hic enim est modus naturalis cognoscendi animæ; saltem in corpore. Vt causæ verò gratiæ multum etiam prodesse potuissent: quia multum fuisset media tam facilia, tamque efficacia, diuinitùs institui ad gratiam augendam, ad vnionem mirabilem cum Christo obtinendam per Eucharistiam, & ad alios fines independentes à peccato. Neque enim verum est sacramenta esse tantùm, aut fuisse necessariò, medicinas peccati, neque posse propter alios fines independenter à peccato institui. Sed potiùs, sicut gratia & gloria per se non pendet à peccato, vt patet in Christo & in Angelis: ita potest significari & causari independenter à peccato. Per quæ soluitur argumentum primum contrariæ opinionis.

Ad secundum verò Respondeo primò, Sacramenta potuisse institui in rebus insensibilibus. Secundò, homines in eo statu, licet secundum mentem plus haberent dominationis in corpus & corporea: non tamen omnino ab illis fuisse futuros independentes, siue naturaliter, siue etiam moraliter. Nam tunc quoque naturali subiectione & conditione cognouissent spiritalia per corporalia: & posteri à prioribus per signa sensibilia edocti fuissent. Adamus ipse per coniugium suum didicit mysterium Incarnationis, vt fatetur D. Thom. supra citatus. Et ligno scientiæ boni & mali subiectus fuit, seu potiùs Deo in illius vsu, quoad conseruationem gratiæ & iustitiæ originalis. Ac denique à ligno vitæ pendebat eius & posterorum immortalitas. Quidni ergo poterant subiici signis sensibilibus ad obtinenda gratiæ beneficia?

Quòd si quæras, quid reipsa futurum fuerit in eo statu, si perseuerasset? An scilicet instituta fuissent sacramenta, quandoquidem poterant conuenienter institui? Respondeo, rem esse planè incertam, & pendere à Dei libertate, de qua nihil est reuelatum. Existimo autem probabilius, Adamo non peccante, ipsum posterosque fuisse confirmandos in gratia: tum propter incommoda grauia & perplexitates, quæ sequuntur ex contraria hypothesi, de quibus alibi, cùm de hominis creatione diximus: tùm etiam quia Deus pronior est ad bonum, quàm ad malum inferendum: ergo sicut iustitiam originalem subiecit irrecuperabiliter illi primo peccato Adami; sic & illius conseruationem inamissibiliter subiecit bono actui opposito, si Deo obtemperasset. Quare in eo statu non fuissent sacramenta quæ necessariò præsupponunt peccatum: cuiusmodi sunt sacramenta Pœnitentiæ & Extremæ-vnctionis. Posito 6. Quid si status ille perseuerasset? Vide tom. 1 disp. 45. sect. 3. n. 48.

autem quòd Christus venisset Adamo non peccante (quod etiam sentio probabilius colligi ex Dei decreto nobis manifestato in Scripturis) probabile esse dicunt Suar. disp. 3. sect. 3. conclus. 3. & Aegid. Conin. q. 61. num. 7. instituendum fuisse sacrificium & sacramentum Eucharistiæ, non in commemorationem mortis Christi, quæ non fuisset: sed ad perfectissimum Dei cultum, qui statum illum decuisset: & ad coniunctionem mirabilem Christi cum hominibus innocentibus, minùs indignis eo beneficio, quàm nunc sint in statu peccati. Addit Aegidius consequenter futurum fuisse sacramentum Ordinis ad ministros tanti sacrificii & sacramenti conuenienter instituendos. De Baptismo autem non est par ratio asserendi futurum fuisse: cùm Eucharistia & alia sacramenta potuerint independenter ab illo institui: & alioqui non esset necessarius ad spiritalem regenerationem: siquidem omnes in primo instanti generationis fuissent sanctificati. Confirmatio quoque non erat opus, vbi non fuissent persecutores, & fidei impugnatores; neque peccandi pericula. Matrimonii denique sacramentum non erat necessarium contra concupiscentiam, quæ tunc non erat inordinata. Potuisset tamen institui ad coniuges magis sanctificandos, & ad mysterium Incarnationis meliùs repræsentandum. Alia quoque sacramenta alterius speciei potuissent institui: & quidem gratiæ efficacia, qualia statum illum perfectissimum decebant, æquè ac nostrum. Sed, vt dixi, res omnino incerta est, & pendens à Dei voluntate libera, nobis minimè reuelata. Quare nihil definire satius est, quàm diuinando aliquid affirmare.

Suarez. Conin.

7. Perperam autem opponit Vasq. disp. 130. num. 25. etiamsi Christus veniret Adamo non peccante, nulla futura apud homines sacramenta etiam ex iis quæ Christus instituit: quia tunc Christus non veniret in carne mortali, neque pro nobis mortem pateretur: Ergo id quod habuimus ex merito passionis ipsius & mortis, tunc non haberemus: siquidem ablatâ causâ in decreto Dei, aufertur etiam id quod ex illa deriuatum est. Atqui omnia sacramenta quæ nunc habemus, ex meritis passionis & mortis Christi deriuata sunt: ergo tunc nullum illorum haberemus. Respondeo enim primò, eodem argumento æquè probari homines in eo casu nihil habituros per merita Christi, iuxta Vasquem, qui putat omnia Christi merita nihil esse operata nisi per mortem consummata. At est incredibile homines in eo statu nihil fuisse obtenturos per Christi merita, qui esset, & merita infiniti valoris plurima exerceret in carne impassibili. Respondeo secundò, Mortem Christi non esse causam solam totalem & adæquatam sacramentorum. Sed sicut eius aduentus fuerunt multæ causæ seorsim sufficientes: sic & institutionis sacramentorum. Porrò non dicimus vi præcisè decreti quod nunc est de statu rerum qui traditur executioni, futura fuisse efficaciter aliqua tunc sacramenta ex iis quæ nunc sunt, quamuis Vasquez velit quæstionem hoc sensu proponi debere: sed tantùm asserimus probabilius esse futura fuisse, philosophando proportionaliter ad amorem erga homines quem Deus nobis manifestauit in hoc suo decreto. Et hactenus de statu innocentiæ.

Vasquez.

In secundo vero statu, legis scilicet naturæ, fuerunt quidem aliqua sacramenta moraliter sanctificatiua, & veram animæ sanctitatem significantia: sed non illius effectiua ex opere operato. Secunda pars assertionis huius probabitur in fine sectionis. Prima verò patet ex circumcisione data Abrahamo tempore legis naturæ, quam fuisse sacramentum aliquo modo valens ad dandam moralem sanctitatem, significandamque gratiam, vel ex opere operantis, id est, ex fide viua collatam, vel olim suo tempore per Baptismum conferendam, docent communiter sancti Patres & Theologi, fauente Paulo ad Rom. 4. vers. 11. Deinde in eadem lege naturæ ante circumcisionem, fuit aliud remedium sensibile & sacramentale pro paruulis moraliter sanctificandis, & per fidem parentum à peccato originali liberandis, vt docet August. lib. 3. contra Iulianum cap. 11. cui Gregor. Mag. Beda, Innocent. III. & Theologi omnes assentiuntur: nec immeritò: quia licet Scriptura, quæ breuissimè statum naturæ lapsæ ab Adamo ad Abraham perstringit, nihil de tali sacramento loquatur, piè tamen & conuenienter diuinæ bonitati, ac studio salutis hominum, creditur Deum non reliquisse sine remedio tot paruulos morientes ante adultam ætatem. Tametsi sine vlla iniustitia eos relinquere potuerit: quemadmodum reipsa perire patitur sine remedio eos qui in materno vtero moriuntur. 8.

In statu legis naturæ fuerunt aliqua sacramenta.

August.

Sacramentum pro paruulis iustificandis.

Illud autem remedium potuit à Deo ipso determinari. Potuit etiam liberæ hominum determinationi relinqui, & varièà variis poni. Ita nimirum vt Deus statuerit sanctificare paruulos cùm primùm à parentibus ex fide viua per externam cerimoniam ipsi applicatam sibi offerentur, & suo cultui dicarentur: quam cerimoniam ipsi eligerent; quemadmodum propria voluntate eligebant sacrificia, quæ in eo statu offerebant antequam de illis quicquam Deus determinaret. Et hoc secundum affirmat S. Thom. quæst. 61. a. 3. ad 2. videturque probabilius: quia simplicitati & puritati legis naturalis conformius. Licet non sit existimandum eam fuisse adeo puram, vt caruerit omni præcepto positiuo, & libera Dei determinatione circa nonnulla, præsertim ad statum gratiæ pertinentia. Contrarium enim constat ex libro Genes. Non sunt tamen præcepta positiua in ea lege facilè multiplicanda. Et aliunde natura sacramenti non exigit talem determinationem: potuit enim Deus vtroque modo instituere. 9.

D. Thom.

Omnino autem existimo remedium illud 10.

Erat sensibilis aliqua cerimonia. fuisse sensibilem aliquam cerimoniam circa infantes exercendam, & ipsis reipsa sensibiliter applicandam, vt circumcisio & Baptismus debet reipsa applicari. Primò, quia, si sola fides interna parentum sufficiebat, vt aliqui existimant: quidni potuissent in vtero sanctificari? Tunc enim illis fides interna æquè applicari poterat. Sed inauditum est infantes in vtero fuisse sanctificatos; & tanquam singulare atque extraordinarium dicitur de Ieremia, Ioanne Baptista, & Deipara Virgine, quòd in vtero matris sanctificati fuerint. Deinde, si Deus vllum sacramentum, aut tale remedium purè spirituale instituere voluisset: maximè certè in lege Euangelica, quæ maximè spiritalis est. At hæc nullum tale habet. Vlteriùs, modus hic agendi externus & sensibilis erat homini magis accommodatus ad fidem suam quodammodo alteri communicandam, illúmque Ecclesiæ visibili aggregandum. Tum vt Ecclesiæ constaret de applicatione & communicatione: tum vt coniunctio ad corpus visibile Ecclesiæ, fieret per actum sensibilem: & peccatum actione sensibili contractum (culpâ scilicet primi parentis, & naturali generatione ex illo) deleretur quoque sensibili remedio, quo paruuli Deo reconciliarentur & eius filiis aggregarentur.

Adde, quòd illa fides parentum debebat esse aliquo modo morali & æstimatiuè fides infantium, qui cùm per se non possent credere in Christum, seque Deo offerre, & obligare, atque eius Ecclesiæ visibili aggregare; per fidem & actum parentum, credentium, offerentium, & aggregantium, censebantur hoc facere. Ergo actus ille parentum debebat esse externus. Nam inter homines actus vnius purè internus non obligat alterum, neque illi imputatur modo prædicto.

11. Requirebat fidem viuam parentum. Nota præterea, non solùm à parentibus, sed & ab aliis infantium curam habentibus potuisse validè hoc remedium adhiberi. Existimo etiam fidem illam parentum, aut aliorum qui eorum loco remedium hoc paruulis applicabant, debuisse esse viuam, etiam in actu secundo: id est, debuisse esse actum fidei coniunctum actui charitatis supernaturalis. Quam sententiam sumo ex S. August. lib. 1. de Nuptiis cap. 11. vbi vim mundandi paruulos tribuit eidem fidei, cui vim tribuit mundandi adultos. In adultis autem requiritur fides cum actu charitatis supernaturalis. Vasquez etiam disput. 145. c. 4. n. 36. affirmat ex mente sancti August. fidem illam debuisse esse viuam & formatam charitate. Quanquam non loquitur ibi expressè de actu charitatis, sed potiùs de habitu. Quod verò multi contrarium sentientes obiiciunt, hinc sequi remedium illud fuisse valde difficile & incertum: nullius est momenti. Nam adulti, vt iustificarentur, non habebant tunc, & toto tempore legis Mosaicæ, aliud medium, quàm actum fidei viuæ & coniunctæ actui charitatis supernaturalis, contritionis scilicet, vel amoris Dei super omnia. Diuinæ autem prouidentiæ fuit iuuare homines efficaciter ad exercendos huiusmodi actus, quamuis de se difficiles & excellentes. Neque debuit paruulis meliùs prospici, quàm adultis, ita vt possent illi faciliori medio iustificari.

Vasquez.

12. Fides illa concurrebat vt meritum, de congruo. Si quæras quomodo se habuerit fides illa viua parentum ad paruulorum iustificationem? Respondeo, se habuisse vt meritum de congruo; sicut se habet oratio vnius iusti pro alio, vel actus contritionis, ad propriam iustificationem peccatoris contriti: sed non vt meritum de condigno. Tum quia nullus præter Christum meretur alteri gratiam de condigno. Tum etiam quia nemo potest sibi vel aliis mereri de condigno remissionem peccati mortalis; siue originalis, siue actualis. Hæc autem iustificatio includebat remissionem peccati originalis.

13. Fuerunt in ea lege alia sacramenta. Vltra hæc duo fuerunt quædam alia legis naturæ sacramenta: licet fortè non adeo communia. Cuiusmodi fuit sacrificium Melchisedecis in pane & vino, quatenus valebat ad sanctificandum moraliter eos à quibus sumebatur, & ad præsignificandam veram gratiam vi sacramenti Eucharistiæ conferendam; vt docent Clemens Alexandr. Ambros. August. aliique Patres. Probabile item est sacerdotes illius legis, saltem publicos, & nomine totius communitatis sacrificantes, fuisse sacra aliqua cerimonia consecratos, sanctificante moraliter, & veram sanctitatem sacramento Ordinis conferendam præsignificante. Licet primogeniti cuiusque familiæ fuerint, fortè sine vlla cerimonia, priuati sacerdotes: imò & quisque habuerit ius pro se & pro aliis sacrificandi, donec per legem diuinam, vel humanam, aliter fuit constitutum. Constat enim ex Genesi Abelem, Iacob, & alios, licet non primogenitos, sacrificasse. Denique sicut in eo statu varia fuere sacrificia, sic & varia potuerunt esse sacramenta moraliter sanctificatiua, licet Scriptura id minùs exprimat. Verumtamen quia, vt suo loco diximus, de ratione sacramenti est vt sit signum diuinitùs institutum: supponendum est, sacrificium Melchisedech, & huiusmodi alia, vel illas cerimonias consecrandi sacerdotes, fuisse diuinitùs institutas. Quod de tempore legis naturæ incertum est. Videtúrque Anacletus Papa in Epist. 2. decretali affirmare sacerdotium ex Dei authoritate & institutione incepisse ab Aaron: Quia etiamsi Noë longè antea, & Melchisedec, Abraham, Isaac, & Iacob sacrificium obtulerint: Spontanea, inquit, voluntate, non sacerdotali auctoritate id fecerunt. Vel potius licet aliqui eorum sacrificauerint ex Dei iussu & auctoritate, vt Noë Genes. 8. & Abraham Genes. 15. non tamen legitur fuisse illos ex Dei institutione initiatos sacerdotio aliqua sacra cerimonia, vt Aaron & filios eius Exod. 29.

Clemens Alex lib. 4. Stromatum Ambr. 4. de sacr. c. vlt. August. ep. 95.

Anaclet.

14. Fuerunt aliqua sa- In tertio statu legis veteris scriptæ, seu Mosaicæ, certissimum est aliqua fuisse sacramenta, non tamen gratiæ effectiua ex opere

cramenta in lege Mosaica.

operato. Id enim perspicuè Florent. affirmat in decreto §. *Nouæ legis*. Et quidem circumcisio in ea mansit vsque ad promulgationem legis Euangelicæ. Item quia circumcisio non poterat nisi masculis applicari, idque non ante octauum diem à natiuitate, & posteris vel familiæ Abrahæ, aut illi sponte aggregari volentibus, quibus solis circumcisio & lex Mosaica data erat, eosque solos obligabat: dicendum est pro fœminis & paruulis Abrahamitis ante octauum diem morientibus, & pro fidelibus alienigenis, vafuisse, vt in lege naturæ, primam sensibilem cerimoniam quâ Deo paruulos ex fide viui offerebant: quandoquidem non apparet ex Scriptura vllum aliud remedium pro illis à Deo determinatum fuisse: & non est credibile, Deum per circumcisionem abrogasse aliud; & fœminas sine remedio reliquisse, prouidendo solis masculis; & ad octauum diem determinasse remedium simpliciter necessarium (quod etiam priùs periclitantibus de vita, non poterat propter grauem dolorem sine mortis acceleratione applicari) ac demum reliquisse alienigenis circumcisionē liberam, si non poterant eorum paruuli sine ea saluari. Item præter hæc duo plurima erant legis Mosaicæ sacramenta à Deo ipso determinata, vt esus Agni paschalis, expiationes & purificationes legales, Pontificum consecrationes & Sacerdotum, de quibus vide D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. vbi ea recenset, & ad tria genera reuocat, appositéque cum sacramentis Euangelicis comparat. Primum genus pertinebat, inquit, ad cōsecrandos sacerdotes & Pontifices. Secundum, ad quendam vsum rerum sacratum, siue ad participationem diuinorum beneficiorum: vt esus agni Paschalis. Tertium, ad expiationes irregularitatum legalium, & peccatorum purificationes. Quibus omnibus quatuor præcipua sacramenta nouæ legis fuerunt adumbrata. Circumcisione, vel illo altero remedio peccati originalis, Baptismus: consecratione sacerdotali, Ordo: Agno paschali, Eucharistia: expiationibus, Pœnitentia.

D. Thom.

15. Non erant efficacia gratiæ.

Verùm hæc omnia, siue legis Mosaicæ, siue legis naturæ sacramenta, conueniebant quidem cum nostris in eo, quòd erant aliquo modo sanctificatiua, & significatiua veræ sanctitatis: sed non erant eiusdem rationis & efficaciæ. Neque enim valebant ad conferendam gratiam infallibiliter ex opere operato: vt docet Florent. in Decreto, §. *Nouæ legis*: vbi recensitis septem nouæ legis sacramentis, sic addit: *Quæ multùm à sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant: hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt*. Nomine autem antiquæ legis, Concilium intelligit vel totam legem ante Christum: vel si solùm intelligit Mosaicam; idem à pari vel à fortiori colligitur de lege noua. Neque enim putandum est in lege naturæ fuisse remedia efficaciora; cùm potiùs legis perfectioris, perfectiora debeant esse sacramenta. Idem non obscurè colligi potest ex Trident. sess. 7. can. 2. de Sacram. in gen. vbi damnat dicentes sacramenta nouæ Legis non differre à sacramentis antiquæ, nisi quia sunt aliæ ceremoniæ, & alij ritus externi. Et can. 6. 7. & 8. definit illa continere gratiam, quam significant, eamque ex opere operato, & semper, conferre omnibus ritè suscipiētibus. Confirmatur, quia si vllum ex sacramentis legis Mosaicæ, aut legis naturæ, fuit efficax gratiæ, maximè circumcisio, & illud alterum remedium paruulorum ei respondens, quod certè non erat circumcisione efficacius: alioqui Deus Abrahamitis minùs bene quàm aliis consulisset. At hoc non consentit verbis Apostoli ad Galat. 4. vocantis cerimonias antiquæ legis (ad quas reuerti volebant Galatæ) infirma & egena elementa: nimirum infirma ad iustificandum, & egena seu vacua gratiæ, quam tantùm significabant. Ac ne quis dicat id Apostolum dicere de illis sacramentis, prout iam cessauerant habere vim propter abrogationem: Idem Apostolus Heb. 7. vers. 18. ait, vetus mandatum (id est, veterem legem) reprobatum fuisse propter infirmitatem eius & inutilitatem. Idemque docet apertè S. Thomas q. 70. a. 4. in corp. & ad 2. & q. 62. a. 6. in corp. & ad 3. vbi tum speciatim de circumcisione, tum generatim de sacramentis omnibus legis antiquæ, negat gratiam contulisse ex opere operato, & sine fide in Christum venturum, cuius vi conferebatur, si quid gratiæ in illis tribuebatur. Nimirum quia si iustificabant, illud erat ex opere operantis, & non virtute externæ cerimoniæ.

D. Thom.

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones contra prædicta de Sacramentis legis naturæ.

Contra id quod diximus, fuisse in lege naturæ, ante circumcisionem, sacramentum, à Deo quoad externam cerimoniam indeterminatum, & ad arbitrium hominum determinandum, in remedium paruulorum: quod etiam post circumcisionem, & in tota lege Mosaica perseuerauerit, respectu eorum quibus circumcisio non poterat, vel non debebat applicari: Obiicitur primò, nullam eius remedii fieri mentionē neque in Scriptura, neque apud antiquos ante D. Augustinum. Imò ante ipsum negarunt communiter SS. Patres circumcisionem ipsam fuisse institutam in remedium peccati originalis, vt videre est apud Bellarminum lib. 2. de Sacram. cap. 15. & Suar. disp. 5 sect. 1. Deinde ratio quæ mouit S. Augustinum, & alios posteriores, vt assererent, Deum per circumcisionem, & per 16.

Bellarm. Suarez.

illud aliud sacramentum, prouidisse de remedio peccati originalis, non est alia, quàm pia quædam coniectura de Dei bonitate, à qua videtur alienum, quòd tot infantes ante baptismum institutum reliquerit sine remedio. At hæc coniectura leuis est. Nam Deus infantes pene innumeros morientes in vteris matrum in quacumque lege reliquit sine remedio: & in lege Euangelica pereunt alii pene innumeri sine Baptismo, vel ob defectum aquæ, vel ob ignorantiam Baptismi, aut eius necessitatis, vt apud infideles qui Christianis multò plures sunt. Tertiò, Si Sacramentum illud profuit paruulis ad delendum peccatum originale: ergo contulit illis gratiam iustificantem ex opere operato. Neque enim potuit conferre ex opere operantis ipsorum paruulorum, cuius erant incapaces: neque ex opere operantis ipsius ministri sacramentum applicantis; quia nemo alteri gratiam meretur efficaciter & infallibiliter, præter Christum. Quartò, Si sacramentum illud fuit indeterminatum à Deo, & relictum liberæ hominum determinationi; meliùs fuit prouisum paruulis in lege naturæ, quàm in lege gratiæ vbi remedium ad Baptismum restrictum est, & Baptismus ad aquam naturalem, & ad verba quædam essentialia determinatus, ita vt muti nequeant baptizare. Probatur sequela, quia remedium eò melius est, quò facilius & generalius. Est autem eò generalius & facilius, quo minorem habet determinationem, & in re qualibet adhiberi potest. Vnde secundò sequitur, multò plures infantes damnari in lege gratiæ, quàm olim in lege naturæ, quod est prorsus incredibile. Probatur sequela: quia plures nunc moriuntur ante ætatem adultam propter naturæ debilitatem: & Baptismus, qui est vnicum ac determinatum remedium, ignoratur à plurimis nationibus: neque si desit eius copia, potest aliud remedium adhiberi ab iis ipsis à quibus non ignoratur: quia non subest eorum arbitrio vti alio remedio: idemque argumentum fieri potest de lege Mosaica, in qua dicitur viguisse illud remedium, & defectu circumcisionis applicari potuisse.

17. Remedium paruulorũ fuit notum ante Augustinum.

Ad primum Respondeo, Licet de illo remedio Scriptura tacuerit, quæ breuissimè perstrinxit ea quæ pertinent ad legem naturæ, præsertim quoad ordinem gratiæ: de illo tamen, deque circumcisione, eiusque ordinatione contra peccatum originale, longè ante Augustinum locutus est Cyprianus, vel alius eius contemporaneus, in libro de Cardinalibus Christi operibus cap. de Circumcisione: vbi postquam affirmauit, Originale peccatum omni tempore aliquibus remediis fuisse expiatum: subiungit, *Propter hoc cùm iam fidei tempora appropinquarent, imperata est circumcisio.* Et paulò ante ait, circumcisionem octauo die iussam esse celebrari, & nomen circumciso aptari, vt intimaretur his qui digni Sanctorum consortio censebantur, quòd eorum nomina scriberentur in cœlis, & æternæ beatitudinis hæredes fierent & consortes.

18. Fundamentum effe.

Ad secundum, Nego maiorem: Augustinum enim, & alios plures eius sententiæ assertores, quòd scilicet in circumcisione ablatum fuerit peccatum originale, mouit ad id affirmandum Scripturæ locus Genes. 17. quem expendemus sect. sequenti. Quo posito, bene infertur aliud fuisse remedium pro fœminis, quibus non minùs prouisum fuit ad salutem, quàm masculis. Cùmque nullum pro illis specialiter Scriptura dicat fuisse institutum: censendum est remedium legis naturæ pro illis perseuerasse, vt & pro alienigenis: adeòque ante circumcisionem fuisse aliud remedium. Deinde dico, piam illam coniecturam non immeritò mouisse D. Augustinum lib. 5. contra Iulian. cap. 11. Gregorium magnum, Bedam, Bernardum, Innocentium III. & omnes Theologos, teste Suare disp. 4. sect. 1. §. *Nihilominus*, vt assererent, non esse credendum paruulos caruisse aliquo remedio peccati originalis, etiam ante circumcisionem. Enimuerò contrarium non est adeo consentaneum diuinæ prouidentiæ, & studio salutis hominum omnium, ad quod studium pertinet vt prouiderit de remediis, saltem iis, quibus humano modo possunt applicari: præsertim tanto numero morientibus ante ætatem adultam, iuxta conditionem humanæ fragilitatis. Neque par est ratio de infantibus in vtero morientibus. Illi enim multò pauciores sunt, neque tot incurrunt moriendi necessitates. Et in eo statu non sunt capaces remedii, quod per homines, modo hominibus accommodato, illis applicari possit: præsertim cùm multi eorum moriantur antequam cadant sub humanam cognitionem. Quòd verò Baptismus à multis ignoretur, & Euangelium non latiùs promulgetur, culpa hominum facit. Deus enim prouidit sufficienter eius promulgationi. Sed plurimi quærunt & satagunt tantùm quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.

Augusti. Suar.

19. Non contulit gratiam ex opere operato.

Ad tertium Nego, Sacramentum illud contulisse gratiam ex opere operato. Requirebat enim in adultis recipientibus sufficientem dispositionem ad gratiam, id est, actum fidei viuæ, cuius vi gratia conferebatur, & à sacramento tantùm significabatur: in paruulis verò requirebat fidem viuam conferentis, cuius intuitu gratia paruulo conferebatur, posita applicatione sacramenti, vt conditione sine qua non poterat paruulo prodesse fides alterius, secundum Dei institutionem. Proderat autem non vt meritum de condigno & propriè dictum, de quo verum est quod opponit obiectio; sed tantùm per modum impetrationis infallibilis propter Dei institutionem ac promissionem gratiæ, non vt mercedis debitæ ex iustitia; sed vt effectus simplicis aut doni, ex Dei misericordia & fidelitate secuturi ad talem orationem & oblationem paruulorum, propter eorum necessitatem.

20. Fuit tunc paruulis generaliùs prouisum, quàm nunc: sed non meliùs simpliciter.

Ad quartum Respondeo, Fuisse quidem tunc temporis prouisum paruulis generaliùs, & eatenus meliùs: at non ideo meliùs simpliciter: quia baptismus multò maioris & certioris est efficaciæ. Remedium autem generalius, & facilius, est quidem melius cæteris paribus: secus non. Potest enim excessus aliunde præponderare. Quòd autem aliquibus, aut secundum quid, meliùs prouisum fuerit in lege naturæ, vel Mosaica, quàm in Euangelica, absurdum non est. Sufficit enim ad istius excellentiam, quòd totaliter sumpta illarũ excellentiam multis partibus superet. Neque tamen propterea deterior est conditio paruulorum in lege noua, quàm in veteri, aut plures fuere saluati simpliciter & absolutè. Quamuis enim secundum quid remedium melius esset, quia generalius: tamen simpliciter longè plures saluantur in lege Euangelica toto orbe diffusa, quàm tunc in fide parẽtum. Pauci enim tunc erant fideles comparatiuè: & fides illa viua non tam facile haberi poterat, & applicari certò & infallibiliter, ac baptismus, cuius applicatio efficax omni ex parte facillima est, prodestque, siue à fidelibus, siue ab infidelibus fiat: maioremque gratiam præstat, quàm olim illa remedia.

Sententia Caietani infantes posse saluari sine baptismo, in fide parentum.

Aliter respondit Caietanus ad art. 2. q. 68. Sensit enim, deficiente opportunitate baptizandi paruulos, baptismi votum, seu desiderium, à parentibus aut ab aliis conceptum, eis sufficienter prodesse ad salutem, & quidem ex lege vniuersali & infallibili. Fuerunt etiam qui dicerent, preces parentum pro filiis Deo oblatas in eum finem, posse interdum illis sufficere sine baptismo. Sed hæc communiter reiiciuntur tanquam à Patrum doctrina & Ecclesiæ sensu dissentanea. Et iussu Pii V. opinio Caietani ex eius commentariis expuncta fuit, licet adhuc in quibusdam exemplaribus vetustis, aut Romæ non cusis, reperiatur.

SECTIO III.

Soluitur alia difficultas de circumcisione, & sacramentis legis Mosaicæ.

21. An circumcisio & alia sacramenta V. L. contulerint gratiam?

Ex opposito contra id quod diximus, Circumcisionem, & alia sacramenta veteris legis, non contulisse gratiam ex opere operato, objici potest definitio Innocent. III. in cap. *Maiores, de Baptismo*, vbi conferens verba illa Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. cum istis Genes. 17. *Masculus cuius præputii caro* &c. sic ait: *Etsi originalis culpa per mysterium circumcisionis remittebatur, & damnationis periculum vitabatur: non tamen perueniebatur ad regnum cœlorum, quod vsque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum. Sed per sacramentum Baptismi culpa remittitur, & ad regnum cœlorum peruenitur.* Hæc Summus Pontifex: qui nullam aliam inter Baptismum & circumcisionem differentiam ponit, nisi quòd Baptismus statim perducat ad regnum cœlorum: adeo vt quoad remissionem culpæ circumcisio vim eãdem habuerit cum Baptismo, qui sine dubio peccatum remittit & gratiam infundit ex opere operato. Imò illa alia differentia extrinseca est sacramentis Baptismi & circumcisionis: atque in eo solùm consistit, quòd passio Christi nunc est exhibita, quæ antea non erat. Hinc enim est quòd cœlum per Baptismum nunc pateat, per quem non magis patebat iis qui baptizati mortui sunt ante Christi passionem, quàm patuisset iisdem per circumcisionem. Et contra, æquè patebat per circumcisionem iis, qui ante Baptismi promulgationem, post Christi passionem mortui sunt.

Secundò, Idem ante Innocentium docuerat S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 3. vbi sic habet: *Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.* Quæ Gregorii verba habentur etiam in iure canonico, *De consecrat. dist.* 4. can. *Quod autem.* Vbi nota 1. Gregorium affirmare circumcisionem egisse apud Abrahamitas, quod apud nos agit Baptisma, & idem valuisse. Secundò, Eandem vim tribuere sacrificiis antiquæ legis. Tertiò, Dicit fidem solam pro paruulis fecisse, quod Baptisma nunc facit: id est, fidem internam solam sine externa & sensibili cerimonia: alioqui malè illam opponeret sacrificiis, & aliis actibus externis, de quibus subdit: *vel pro maioribus virtus sacrificii*, &c. Quartò, illis sacrificiis & circumcisioni tribuit id, quod fides illa valebat & præstabat: nempe delere peccatum & sanctificare per se: sicut fides illa sola, ac per se, mundabat & sanctificabat. 22. Gregor.

Tertiò, Idem ante Gregorium docuerat Augustinus, vel alius author Hypognosticon lib. 5. cap. 5. vbi sic ait: *Circumcisio illa octauæ diei gratiam Baptismi gestabat: & paruulus qui eâ fraudatus est, delicto quod ex Adam traxit, non carnis.* Et lib. 4. de Baptismo cap. 24. *Cur*, inquit, *præceptum est Abrahæ vt paruulos circumcideret; nisi quia ipsum sacramentum per seipsum multùm valet?* Nempe ad remissionem peccati originalis, quam constanter plurimis in locis tribuit circumcumcisioni. Verba autem illa, *per se ipsum*, æquiualent illis Theologorum, *ex opere operato.* Item lib. 1. contra Cresconium cap. 31. Circumcisionem cum Baptismo æquiparat in eo quòd, data licet à ministro infideli, non magis erat iteranda, quàm Baptismus datus ab hæretico. Ergo vt nunc talis Baptismus sufficit ad delendum peccatum originale: ita & illa circumcisio: per se scilicet & ex opere operato, non autem in fide conferentis, quæ tunc non erat. 23. August.

Quartò, Idem Augustinus q. 84. in Leuit. satis perspicuè affirmat generatim sacramenta legis Mosaicæ gratiam contulisse:

cùm exponens illud Leuit. 20. *Ego Dominus qui sanctifico vos*: sic ait, *Quomodo Moyses sanctificat, & Dominus? Moyses visibilibus sacramentis per ministerium suum. Dominus inuisibili gratia per Spiritum sanctum, vbi est totus fructus visibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ, visibilia sacramenta quid prosunt?* Quod etiam confirmat quæst. 25. in Numer. Et fauet Hieronymus in epist. ad Galat. ad illa verba cap. 4. *Infirma & egena elementa*. vbi ait, hoc esse intelligendum de sacramentis veteris legis post Euangelii promulgationem, quando illa vim suam amiserunt.

Hieron.

24. Sententia affirmans sacramenta veteris legis contulisse gratiam.

Propter hæc aliqui senserunt circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato. Id enim disertè & generaliter, tam de adultis, quàm de paruulis, affirmant Sotus, Gabriel, & Paludanus in 4. dist. 1. De paruulis verò idem re ipsa docent Suarez, Aegidius Coninx, & alii quidam recentiores ad art. 6. quæst. 62. licet vereantur vti nomine operis operati: quod tamen parum referre ait tandem Suarez disp. 10. sect. 2. in fine. Et quidem parum vel nihil potiùs refert, cùm rem ipsam affirment. Aiunt enim circumcisionem paruulis gratiam contulisse, quamuis à ministro infideli daretur cum sola intentione faciendi quod Deus instituerat, aut quod vera Ecclesia faciebat: quia sufficiebat fides habitualis Ecclesiæ. Quemadmodum in Baptismo sufficit, & æquè necessaria est. Addit Rubione in 4. distinct. 14. fuisse quoque in lege veteri sacramentum aliquod pœnitentiæ remittens peccata actualia ex opere operato. Idemque iudicat Paludanus in 4. distinct. 1. quæst. 5. vbi præterea docere videtur matrimonium tam in lege naturæ, quàm in Mosaica, dedisse gratiam ex opere operato. Durandus denique ibidem num. 11. affirmat generatim, ea sacramenta legis veteris, quæ ordinabantur ad actus qui non poterant exerceri conuenienter sine gratia, eam contulisse ex opere operato: quia Deus non deficit in necessariis, cuiusmodi erat, inquit, ordinatio seu consecratio Pontificum, & sacerdotum.

Rubion. Palud. Durand.

25. Vera sententia negat. Probatur ex Florent.

At hæc omnia repugnant Florentino in decreto §. *Noua legis*, definienti sacramenta nouæ legis multùm differre à sacramentis antiquæ. *Illa enim*, inquit, *non causabant gratiam, sed solùm per passionem Christi dandam figurabant. Hæc verò nostra & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt*. Hæc concilium. Quod 1. apertè damnat Rubionem & Palud. posteriùs citatos, affirmantes in terminis aliqua sacramenta legis veteris contulisse gratiam, vt nostra, ex opere operato. 2. Alii quoque effugere non possunt dicendo circumcisionem non esse sacramentum legis veteris, neque eo nomine comprehendi, quia fuit data in lege naturæ, & illius legis potiùs sacramentum dici debet. Nam illa expositio nimis arbitraria est, vt fatetur inter eos Suarez. 1. Quia Concilium intendit tradere generalem differentiam sacramentorum nouæ legis, ab omnibus antiquis: & alioqui manca esset illius doctrina. Ergo nomine antiquæ legis intelligit legem tam naturalem, quàm Mosaicam, quæ vno communi nomine dicitur antiqua, respectu Euangelicæ. 2. Licet nomine antiquæ Mosaicam solùm intelligeret: non potest negari circumcisionem fuisse verè ac propriè vnum ex illius sacramentis, & quidem præcipuis. Nam Leuit. 12. præcipitur vnà cum aliis sacramentis aut cerimoniis, & in tota lege Mosaica perseuerauit. 3. Absurdum est existimare sacramenta legis naturæ habuisse maiorem vim, quàm sacramenta legis Mosaicæ: cùm potiùs legis perfectioris sacramenta oporteat esse perfectiora. Quare licet Florent. loqueretur solùm de sacramentis legis Mosaicæ, & circumcisio inter illa non comprehenderetur: à pari tamen, vel à fortiori, deberet idem intelligi de circumcisione.

26. Probatur 2. ex Scrip.

Deinde eædem sententiæ repugnant Apostolo pluribus locis. Nam Rom. 3. explicans ex professo vtilitates circumcisionis, non modò vim iustificandi ei non tribuit, sed è contrario versu 20. planè affirmat ex operibus legis neminem iustificari: patetque ex contextu circumcisionem ab eo comprehendi inter opera legis. Et cap. 4. vers. 9. 10. & 11. apertè dicere videtur circumcisionem Abrahæ fuisse ipsi tantùm signaculum iustitiæ fidei in præputio, id est, signum iustitiæ acceptæ per fidem ante circumcisionem, cùm adhuc erat in præputio. Et ad Galat. 4. vers. 9. Sacramenta legis veteris vocat infirma & egena elementa. In illis autem comprehendi circumcisionem patet ex cap. 5. & 6. eiusdem epistolæ. Ac denique Hebr. 7. vers. 18. & 19. ait legem nihil ad perfectum adduxisse: ac vetus mandatum, id est, veterem legem, propter inutilitatem & infirmitatem reprobatum fuisse. Nomine autem veteris mandati reprobati comprehenditur sine dubio circumcisio, quæ cum aliis reprobata & abolita fuit, eiusque mandatum desiit obligare.

Neque verò satisfaciunt Concilio Florent. & Paulo, qui respondent sacramenta veteris legis differre à nostris, quia illa causabant tantùm moraliter gratiam, nostra physicè. Primò, quia falsum est nostra physicè causare, vel vt minimum, est incertum. Secundò, Florentinum ait illa gratiam tantùm figurasse, & non causasse vt nostra. *Illa*, inquit, *non causabant gratiam, sed eam solùm, per passionem Christi dandam figurabant*. Ergo non eam causarunt moraliter. Tertiò, non fuissent egena & inutilia, vt ait Paulus, si gratiam causassent moraliter. Nam respectu nostræ vtilitatis, nihil interest siue physicè siue moraliter causent gratiam, dummodo causent infallibiliter: neque putandum est, Concilium & Apostolum ad discrimen illud respexisse nobis prorsus inutile.

27. Probatur 3. ex Patribus.

Vlteriùs, eædem opiniones repugnant apertè Patribus Græcis & Latinis Augustino antiquioribus. Omnes enim, vno aut altero dempto, asserunt circumcisionem non fuisse institutam in remedium peccati originalis, sed ad discernendum populum Dei à cæteris gentibus: vt perspicuè dicunt Iustinus, Irenæus, Chrysost. Cyrill. & alii, locis relatis à Suare disp. 5. sect. 1. & à Bellarm. lib. 2. de Sacram. c. 15. Multúmque fauet quòd Philo Iudæus lib. de Circumcisione, tom. 2. cùm reddit causas cur circumcisio instituta fuit, non meminit remedii peccati. Quæ tamen causa, vt potissima, non fuisset omittenda, fuissetque sanè Iudæis notissima, præsertim verò Philoni eruditissimo inter eos, æquè ac disertissimo. Iosephus quoque nusquam illius meminit. Fauet etiam quòd Deus circumcisionem instituens Genes. 17. non meminit remedii peccati originalis: sed tantùm, *Vt sit signum fœderis inter me & vos: vt sit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Quod verò subditur ibidem, *Masculus cuius præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, debet intelligi de pœna mortis, vel excommunicationis, aut quasi excommunicationis, quòd videlicet non essent censendi incircumcisi inter filios Israël, ob violatum, vel non seruatum pactum illud initum inter Deum & Abraham, de quo proximè mentio fuerat.

Circumcisio ad quid instituta? Suarez. Bellarm. Philo.

August.

Nam quòd August. lib. 3. contra Iulian. cap. 18. & alibi sæpius, id refert ad pactum initum cum Adamo, & ad peccatum à posteris in illo, vt omnium capite, commissum, ac non remissum defectu circumcisionis, minùs conuenit textui, & aduersatur communiori Patrum Doctrinæ. Nec vrgent quæ idem August. aliique afferunt in confirmationē huius expositionis: quòd nempe illa comminatio loquatur etiam de paruulis, vt clarè patet ex versione LXX. quæ sic habet: *Masculus cuius præputii caro octauo die circumcisa non fuerit*: & ex eo quòd immediatè antea dicatur, *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*: Item ex eo quòd modus loquendi sit vniuersalis, *Masculus cuius præputii caro circumcisa non fuerit*, &c. similis isti Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. ex quo simili loquendi modo, debet intelligi par necessitas sacramenti vtriusque ad finem & effectum verbis illis expressum, qui quoad circumcisionem est vitatio deletionis à populo Dei, id est, vitatio mortis spiritalis separantis à iustis: non autem vitatio mortis temporalis aut excommunicationis: quia vt testantur Burgensis & Glossa ordinaria à Lyrano Iudæo edita, Hebræi nunquam intellexerunt latam ibi fuisse pœnam mortis: neque morte puniebant paruulos vel adultos non circumcisos. Excommunicationes verò, & irregularitates non habuerunt locum ante legem scriptam, quam circumcisio longè præcessit. Hæc, inquam, non vrgent, quia verba illa LXX. interpretum, *Octauo die*, non sunt in textu Hebræo, & omissa sunt à Vulgata velut perperam addita. Sed quamuis illa comminatio comprehenderet paruulos: ac ne quidem pro adultis intelligi posset de pœna mortis, vt aiunt Lyranus & Burgensis, quod tamen valdè incertum puto: facilè intelligitur de deletione morali à populo Dei, quòd scilicet non essent inter filios Israël agnoscendi & computandi incircumcisi, sine causa legitima differendi circumcisionem; sed habendi essent pro alienigenis: quod etiam ante legem scriptam locum habere potuit, & ante excommunicationes scripto expressas. Sine causa, inquam, legitima differendi: qualis fuit in deserto per quadraginta annos, ob incommoda itineris, & profectionis incertitudinem, & alias causas, de quibus vide Serarium quæst. 3. in cap. 5. Iosuē, inter quas maximè placet illa quæ à Masio & Pererio traditur: id in pœnam parentum factum esse, vt id eorum animos vreret, quòd circumcisionis omissione filios suos è promissis Abrahæ factis quodammodo excludi viderent: iuxta illud Numer. 14. vers. 33. *Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta*, &c. Serar.

28. Probatur 4. ex D. Tho.

Præterea denique, eædem sententiæ repugnant apertè D. Thom. quæst. 62. art. 6. in corp. vbi sic habet: *Sacramenta legis veteris non habebant in se aliquam virtutem quâ operarentur ad conferendam gratiam iustificantem.* Et ad 3. *Circumcisio, sicut & alia sacramenta legis veteris, erant tantùm signum fidei iustificantis.* Et quæst. 70. a. 4. in c. *In circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus: aliter tamen quàm in Baptismo. Nam in Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfectæ: in circumcisione autem conferebatur gratia, non virtute circumcisionis, sed fidei in passionem Christi, cuius signum erat circumcisio.* Et paulò post: *Iustitia erat ex fide significatâ, non ex circumcisione significante.* Et ad 2. *Sicut ante circumcisionem sola fides Christi iustificabat; ita & datâ circumcisione.* Hæc D. Thom. Vbi quod vltimò dicit, *sola fides* non significat nullam tunc cerimoniam sensibilem fuisse adhibitam: sed excludit dumtaxat vim iustificandi ab externa & sensibili cerimonia, quamuis etiam tunc simul aliqua adhiberetur in signum fidei. Quod autem ait, *In circumcisione conferebatur gratia*, &c. intelligit quoties vel adulti cum fide viua eam recipiebant: vel paruulis dabatur cum fide viua ministri, aut parentum offerentium. Sicut enim in lege naturæ fides viua parentum applicabatur paruulis, ex Dei misericordia subueniente eorum necessitati, per primam cerimoniam sensibilem, quâ eos Deo offerebant: applicabatur, inquam, per modum meriti de congruo, vt supra diximus, & affirmat Vasquez disput. 164. numero 18. Sic & in lege Mosaica, quæ non fuit deterioris conditionis quoad hoc. Illa verò prima cerimonia, respectu paruulorum

Quomodo circumcisio iustificabat paruulos?

Vasquez.

paruulorum Abrahamitarum, erat circumcisio, vt colligitur probabiliter ex Leuit. 12. *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus* (nimirum cum fœtu suo, qui idcirco non poterit interea Deo offerri) *& die octauo paruulus circumcidetur*. Fuit, inquam, prima ordinariè, & quoad fieri poterat. Nam in casu necessitatis poterat alia adhiberi, & omitti circumcisio: quemadmodum si paruulus ante octauum diem moriebatur: quemadmodum etiam Iosue 5. dilata fuit per quadraginta annos, vt paulò ante diximus. Eademque cerimonia erat aptissima ad excitandam fidem parentum, & amorem in Deum, propter quem paruulos suos tam graui dolori, & periculo mortis exponebant. Conueniens quoque erat, vt Iudæi eodem signo sanctificarentur, quo Dei populo aggregabantur, & discernebantur ab aliis: vt nunc baptismus Ecclesiæ nos aggregans, sanctificat & signat charactere. Monebat etiam illa cerimonia peccati originalis, & necessitatis illius delendi, cùm fieret in ea parte corporis, per quam transfunditur ad posteros, via naturalis generationis ab Adamo descendentes.

29. Explicantur testimonia Patrum.

Atque in hunc sensum intelligendum puto, vt verum sit, id quod Cyprianus libro de Cardinalibus Christi operibus, capite de Circumcisione, Augustinus, Innocentius, & alii dicunt, Circumcisionem fuisse ordinatam & institutam contra peccatum, originale: scilicet, non per se, ex directa, & peculiari Dei intentione: sed per accidens, eo quòd iuxta Dei institutionem erat prima cerimonia, sensibilis, quâ paruuli Abrahamitæ erant Deo offerendi, eiusque populo aggregandi: &, si accederet fides viua, vt ordinariè accedebat, paruuli iustificabantur vi talis fidei, ex misericordia Dei: sicut olim fiebat in lege naturæ, & tunc etiam pro fœminis, & alienigenis, prima sensibili cerimonia, quâ Deo ex fide viua offerebantur: quæ prima cerimonia non legitur pro illis fuisse à Deo specialiter determinata: neque magis quàm circumcisio, erat causa instrumentalis iustificationis, sed conditio sine qua fides parentum, vel offerentium non poterat prodesse paruulis ad illum effectum. Sicut enim esse in statu viæ, non est causa instrumentaria & efficiens iustificationis, est tamen iuxta Dei institutionem, conditio necessaria vt per contritionem iustificemur: ita vt si anima post separationem à corpore actum contritionis eliceret, non propterea iustificaretur: sic esse aggregatum populo Dei per aliquam sensibilem cerimoniam, erat conditio necessaria ex institutione Dei, vt possent iustificari paruuli vi fidei parentum, aut offerentium. Sicut etiam quòd essent nati, & extra vterum educti, erat conditio necessaria ad eundem effectum.

Ad primum autem argumentum initio sectionis propositum Respondeo, Innocentium ibi tantùm definire id, de quo fuerat consultus, baptismum scilicet paruulis dari posse: cætera tantùm ornatus gratia dicta esse. Secundò, quod ait, per mysterium Circumcisionis remissam fuisse culpam originalem; intelligendũ est de Circumcisione cum adiuncto fidei viuæ: ac ratione illius: non autem ratione externæ cerimoniæ, vt ait S. Thomas supra citatus. Tertiò, quod addit de necessitate Circumcisionis, æquè ac Baptismi, dictum est ex priuata ipsius, & D. Augustini, aliorumque paucorum opinione minùs probabili, & non bene fundata in verbis Genes. 17. supra expensis. Videatur Vasques 1. 2. disp. 130. & 184. vbi nobiscum sentit post Bellarmin. Deça, Ledesmam, Ferrariensem, Canum, Capreolum, & alios ibidem citatos. Vasq.

30. Soluuntur alia argumenta.

Ad secundũ Respondeo, Gregorium similiter id dicere non definiendo, sed ex priuata opinione, tùm de sola fide, tùm de sacrificiis & de Circumcisione. Quæ opinio minùs probabilis, est postponenda Flor. & aliorum Patrum longè plurium auctoritati, cæterisque argumentis, quæ pro sententia nostra adduximus. In aperto autem Patrum conflictu nemini mirùm videri debet nos ab aliquibus discedere, vt pluribus & valdè grauibus adhæreamus, fauente præsertim Scriptura, & Concilio œcumenico.

Ad tertium Respondeo, Circumcisionem gestasse gratiam Baptismi in figura: & ex illa vt ex figura, coniicere nos posse quid valeat Baptismi sacramentum. Valebat autem Circumcisio per se ad gratiam Baptismi præfigurandam, & ad sanctificandum moraliter, aliaque de quibus Apostolus Rom. 3. Sed non ad peccati remissionem, quæ tantùm fiebat virtute fidei: Cùm autem dabatur à ministro infideli, neque offerentium fides viua supplebat ministri defectum: non erat propterea iteranda, sed ad remedium legis naturalis recurrendum erat, & aliâ cerimoniâ vtendum ex fide viua, ad paruulum iustificandum: relictâ illâ quæ vel omninò, vel nisi longo post tempore, vel sine magna difficultate non potuisset iterari.

31. Ad quartum Respondeo, Sacramentalia legis Mosaicæ sanctificasse ex opere operantis, quando ex fide viua adulti ea recipiebant: & significasse exteriùs illam internam sanctitatem virtute fidei viuæ infusam per Spiritum sanctum. Semper enim bona opera, tam interna, quàm externa, facta ex fide viua, habuerunt vim sanctificandi bene operantes: quia secundum legem à Deo positam actus charitatis supernaturalis, saltem efficax & absolutus, est dispositio sufficiens, vel causa meritoria gratiæ. Hieronymi verò expositio non est Apostolo conformis, qui Hebr. 7. v. 18. ait vetus mandatum propter infirmitatem & inutilitatem fuisse reprobatum, nihilque ad perfectum deduxisse. Quibus verbis apertè docet, fuisse infirmum antequam reprobaretur, & fuisse reprobatum, quia infir-

mum erat. Durandi quoque ratio nulla est. Quia tales sibi prouidere poterant ex opere operantis, Deo excitante & auxiliante ad actus supernaturales contritionis, vel dilectionis Dei super omnia.

SECTIO IV.

De necessitate Sacramentorum nouæ legis, posita eorum institutione.

HVc vsque diximus de necessitate sacramentorum antecedenter ad eorum institutionem, id est, an necessarium fuerit ea institui. Nunc supposita sacramentorum nouæ legis institutione, qualis à Christo facta est; quæritur qua & quanta necessitate obligemur ad illa recipienda? Duplex autem distinguitur necessitas à Theologis, quarum vna dicitur medij, altera præcepti. Prior est eius sine quo finis haberi non potest: Posterior est eius quod sine peccato non potest omitti scienter & liberè, id est, ab eo qui nouit obligationem, & habet liberam parendi potestatem. Ignorantia enim & defectus vsus libertatis excusant à necessitate præcepti, licet non excusent à necessitate medii. Nam v. g. is qui ignorat gratiam finalem, & primam iustificationem necessariam sibi esse vt saluetur, & eam non procurat per contritionem, aut per alia media à Deo instituta, excusatur quidem à necessitate præcepti, id est, non peccat contra illam obligationem, neque damnabitur quasi contra illam peccauerit: sed non excusatur à necessitate medij, id est, ignorantia non facit, vt saluetur sine iustificatione, & gratia finali, ac non careat æterna salute, defectu illius medij necessarii.

32. Duplex necessitas, medij & præcepti.

33. Differentia inter vtramque.

Est alia differentia inter has duas necessitates, quòd illa quæ dicitur medij, oritur ex connexione illius rei cum fine, quæ tanta est vt sine illa finis nequeat obtineri: siue hæc connexio sit ex ipsa natura rei, vt est alimentum respectu conseruationis vitæ: siuè ex libera constitutione alicuius à quo finis consecutio pendet: vt si Rex statuat neminem fore iudicem, qui non sex annis iurisprudentię operam dederit. Posterior verò, quæ dicitur præcepti, oritur ex iure alicuius superioris, præcipientis & obligantis subditum pro iure suo: contra quam obligationem non potest subditus agere scienter & libere, sine peccato.

Duæ illæ necessitates aliquandò coincidunt & aliquando separantur.

Porrò hæ duæ necessitates aliquandò coincidunt in vnum & idem: aliquandò separantur. Quædam enim sunt vtroque modo necessaria: vt ea omnia quæ pendent à libera nostra potestate, suntque media ad salutem necessaria. Tenemur enim sub graui præcepto nostram salutem æternam procurare, adeoque omnia media necessaria, quantum possumus, adhibere. Vnde ex eo quòd aliquid sit medium necessarium ad salutem, oritur necessitas præcepti respectu adultorum, qui sunt capaces obligationis pręcepti. Quædam verò sunt tantùm necessaria necessitate medij, vel dumtaxat, necessitate præcepti; v. g. in exemplo supra posito, Petrus non tenetur dare operam sex annis iurisprudentiæ ex præcepto, quia Rex hoc illi non præcipit: sed solum necessitate medij, posito quòd velit iudex fieri. Item colere parentes, restituere alienum, & similia, sunt quidem necessaria ex præcepto: at non sunt media sine quibus omninò salus æterna non possit obtineri: potest enim obtineri per finalem pœnitentiam, quamuis hæc culpabiliter fuerint antea pretermissa.

Rursus necessarium necessitate medij ad salutem duplex distinguitur à Theologis. Vnum magis propriè & strictè, scilicet, sine quo in re ipsa habito non potest omninò salus obtineri secundùm legem à Deo positam: cuiusmodi est gratia finalis. Alterum latiùs & minùs propriè, sine quo, vel in re ipsa habito, vel sine aliquo tanquam eius vicario salus haberi nequit. Adhuc enim medium illud retinet aliquam necessitatem respectu finis, quatenùs vel per seipsum, vel per vicarium à quo repræsentatur, & cum quo moraliter vnum reputatur, necessarium est. Necessarium ad salutem necessitate medij est duplex.

His præsuppositis, Respondeo, aliqua esse sacramenta nouæ legis quæ sunt tantùm necessaria ad salutem ex præcepto: alia verò insuper necessitate medij, & quidem strictè ac propriè, sub hac disiunctione, *in re vel in voto*: In re verò, hoc est, in seipsis, necessitate medij latiùs & minùs propriè sumpta. Hæc conclusio est cõmunis Theologorũ cum D. Thoma q. 65. a. 4. iuxta quam intelligendum esse canonem 4. sess. 7. Tridentini rectè monet Suares in fine comment. eiusdem art. Prima pars probatur quia sacramentum Eucharistiæ est tantùm necessarium ex præcepto, vt ostendemus suo loco. Ordo quoque & matrimonium sunt tantùm necessaria ex præcepto per se loquendo: idque non singulis sed toti communitati. Per se, inquam, id est, ratione sui. Nam ratione absolutionis, & sacramenti pœnitentiæ, quod non potest conferri nisi à Sacerdote, Ordo est necessarius necessitate medij ad salutem adultorum qui post baptismum lapsi sunt in peccatum mortale: & hoc sensu verum est quod ait Diuus Thomas quæstione sexagesima quinta articulo quarto, Sacramentum Ordinis esse necessarium necessitate medij respectu communitatis, non solùm quatenus est necessarium ad Duces & Rectores Ecclesiæ instituendos, sine quibus non potest conseruari: sed etiam quatenus in communitate Christianorum debent esse ali-

Sacramenta quædam necessaria necessitate medij: alia necessitate præcepti.

D. Thom.

qui, qui possint alios à peccatis absoluere, & potestatem absoluendi conferre. De Confirmatione verò & Extrema-vnctione ne quidem omnino certum est, an sint necessariæ ex præcepto saltem graui, vt dicemus suis locis.

35. Secunda verò pars probatur, quia sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ sunt ita necessaria ad salutem in re vel in voto: Baptismus quidem omnibus originali peccato infectis: Pœnitentia vero omnibus illis, qui post Baptismum lethaliter peccarunt. Ita docet apertè Trident. de Baptismo quidem sessione 6. cap. 4. vbi sic pronunciat: *Translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest: sicut scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei.* De Pœnitentia verò sess. 14. cap. 4. vbi initio affirmat, contritionem fuisse quouis tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum: Adultis scilicet capacibus contritionis, id est, doloris de peccatis à se commissis. Et paulò post docet, quamuis aliquando contingat, contritionem charitate perfectam Deo reconciliare hominem lapsum post Baptismum in peccatum mortale, priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ sunt necessaria in re vel in voto.

36. Difficultas verò est quid per votum sacramenti intelligendum sit hoc loco? Respondent aliqui non aliud intelligi, quàm propositum saltem virtuale sacramenti Baptismi: aut Pœnitentiæ, suo tempore, si fieri potest, suscipiendi. Quod propositum includitur in contritione, seu potiùs est ipsa contritio, quæ, virtualiter saltem, est voluntas efficax implendi omnia grauiter à Deo præcepta, inter quæ est susceptio sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ. Cùm enim contritio perfecta, & absoluta, imò & attritio absoluta & vniuersalis, auertat efficaciter voluntatem ab omni peccato mortali; est, virtualiter saltem, voluntas non peccandi ampliùs mortaliter: & consequenter implendi omnia præcepta quæ non possunt sine mortali peccato violari.

Quid intelligendum per votum sacramenti?

Contra quam expositionem insto, quia ex ea sequeretur obseruationem cuiuscumque præcepti grauis esse medium necessarium ad salutem respectu adultorum. Quia eius implendi propositum continetur in contritione vel attritione, æquè ac propositum recipiendi Baptismum, aut confitendi suo tempore: atque ita nullus adultus saluatur vt adultus, nisi vel omne graue præceptum obseruet re ipsa, vel eius obseruandi propositum habeat.

Prima explicatio refellitur.

Respondent aliqui differentiam esse, quia vt quidpiam dicatur esse medium necessariū ad salutem, debet ipsum per se posse illam conferre, & ita se habere, vt vel ipsum, vel aliquid eius propositum includens, necessariò requiratur ad salutem consequendam: cuiusmodi non est obseruatio præcisa cuiuscunque præcepti. Nam restitutio v. g. vel eleemosyna præcisè, non confert iustificationem seu remissionem peccati, & gratiam primam, quæ sola sunt necessaria ad salutem. Sicut ergo dici non debet, Aut manus, aut oculus est necessarius ad videndum, quia manus ad hoc est impertinens: neque enim habet videndi facultatem per seipsam: bene autem dicitur, ad videndū necessarius est oculus dexter aut sinister, quia vterque per se ad hoc vim habet: sic &c.

37. Sed ad hæc dico primò, Præceptorū grauium obseruationem non impertinenter se habere ad salutem, cúm valeat ad perseuerandum in prima gratia accepta, & consequenter ad obtinendam vitam æternam. Neque enim quisquam saluari potest secundum legem à Deo positā, sine gratia finali, id est, nisi moriatur in statu gratiæ priùs acceptæ. Secundò, nullam esse præcepti obseruationem quæ, si fiat ex charitate, non conferat primam gratiam & iustificationem, vt suppono ex tractatu de Iustificatione & merito. Potest autem impleri quodcumque præceptum ex motiuo nobiliori charitatis. Et è contrario potest aliquis adultus, qui actu peccauit mortaliter, recipere Baptismum sine contritione vel attritione, & per illum non iustificari. Tertiò, dato eo quod dicitur ab aduersariis, vitari tamen ab illis non posse, quin Eucharistia, & alia sacramenta grauiter præcepta, atque etiam dilectio Dei super omnia, sint medium necessarium ad salutem: quod tamen ipsi non admittunt, estque contra torrentem Theologorum, qui hanc necessitatem tribuunt tantùm sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ, quibus etiam solis Concilium Trident. eam tribuit. Probo antecedens: Nam Eucharistia, & omnia alia Sacramenta quæ viuorum appellantur, id est, omnia exceptis Baptismo & Pœnitentiâ, conferunt primam iustificationem bona fide accipientibus, cum ignorantia sui status, vel suæ obligationis de non accedendo in statu peccati mortalis, & cum pio aliquo motu efficaci contra peccatum mortale, tametsi non de se sufficienti ad illius remissionem dispositiuè & de congruo: Dilectio autem Dei super omnia ex motiuo charitatis iustificat vt dispositio sufficiens ex Dei ordinatione. Quare illis conueniunt duo illa in quibus aduersarii ponunt totam rationem medii necessarii: nempè, & vt per se, id est, vi sua conferat primam gratiam & iustificationem, & illius propositum includatur in contritione, quæ sine illo medio iustificat. Quartò, propositum illud virtuale non est in paruulis qui per martyrium iustificātur secundum legem ordina-

Reiicitur euasio.

riam, sunt enim incapaces contritionis & attritionis, & omnis actus liberi voluntatis: & tamen illi tunc non iustificantur sine voto Baptismi iuxta Trident. sess. 6. cap. 4. vbi ait, generaliter post Euangelium promulgatum translationem ab eo statu in quo homo nascitur, filius primi Adæ in statū gratiæ & adoptionis filiorum Dei, non fieri sine lauacro regenerationis aut eius voto: eoque sensu intelligit illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* Quæ verba ad infantes quoque pertinere certum est.

38. *Tridentinum malè exponitur ab aduers.* Quare responderi nequit, non esse eo loco sermonem de infantibus talis propositi incapacibus. Dici quoque nequit, Trident. loqui disiunctiuè, de infantibus & de adultis: & illos citra martyrium, atque adeo in statu ordinario Ecclesiæ, de quo solo est mentio in Conciliis, nunquam sine Baptismo iustificari: adultos verò, sine Baptismo aut eius desiderio. Hoc, inquam dici nequit; quia in verbis Trident. nullum est verbum disiunctiuum, sed propositio omninò absoluta est, disiunctio autem gratis fingitur. Deindè, id quod frequenter contingit, & potest frequentissimè contingere secundum legem à Deo positam seu ordinariam, est de statu ordinario Ecclesiæ. Atqui quòd infantes pro Christo occidantur & iustificentur, frequenter contingit variis in locis, & potest frequentissimè contingere secundum legem à Deo positam & ordinariam ergo, &c. Quis dicat non esse de lege ordinaria, & de statu ordinario Ecclesiæ, de quo Concilia loquuntur, quòd adulti martyrium patiantur, & per illud saluentur: Par autem, vel similis est ratio de infantibus, qui martyrio sunt æquè expositi, & fugere non possunt vt adulti, atque non rarò partim ab infidelibus vrbes fidelium in odium fidei inuadentibus, & omnia internecione delentibus interficiuntur: partim à fidei persecutoribus vnà cum parentibus occiduntur, vt nunc etiam frequenter in Iaponia fit, vbi infantes aliquando crucifiguntur, aut membris mutilantur, aliquando tenelluli è sinu matris abripiuntur, & clam interficiuntur, posteaque illi offeruntur occisi, & sanguinolenti, vt hoc spectaculo miserabili illam de fidei constantia deiiciant: vel, quod inauditæ crudelitatis genus est, ad matris genas alliduntur sæpiùs, & colaphorum instar impinguntur, donec illiso capite iteratis ictibus moriūtur, vt testantur historiæ fide dignæ. Cùm ergo propositum illud non sit in paruulis martyrium patientibus, & tamen illi non iustificentur sine voto Baptismi: consequens est per votum illud, intelligendum hic esse aliquid aliud, quàm propositum suscipiendi baptismum.

39. *Vera explicatio difficultatis.* Hac igitur expositione reiecta, & aliis minùs probabilibus; Respondeo, per votum sacramenti intelligendam esse specialem & directam obligationem aut subiectionem ad sacramentum Baptismi aut Pœnitentiæ, si fieri potest, suo tempore recipiendum contra eadem peccata per aliud medium, tanquam vicarium sacramenti remissa. Cuiusmodi est martyrium in infantibus, & in adultis contritio charitate perfecta, & amor Dei super omnia ex motiuo charitatis, aut etiam martyrium voluntariè susceptum ex amore Dei. Nam secundum legem à Christo positam, Baptismus & Pœnitentiæ sacramentum sunt media per se, primò necessaria ad remissionem peccatorum mortalium ante & post Baptismum contractorum, & quodammodo vnica, quatenùs ipsa vel per se eam conferunt, vel aliud substitutum & acceptatum eorum loco, tanquam vices illorum agens cum speciali & directa obligatione supradicta. Quæ obligatio, aut subiectio ideò fortè appellatur sacramentum in voto, aut votum sacramenti, quia in adultis debet esse speciale illius desiderium & propositum formale aut virtuale, tanquam medii per se primò requisiti ad effectum qui tribuitur in eius absentia, per aliud tanquàm vicarium: quod desiderium seu votum sacramenti includitur in contritione, vt docet Trident. sess. 14. cap. 4. circa medium.

Quod ampliùs confirmatur ex Christi verbis Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest intreire in regnum Dei.* Et Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verba Christi prolata sunt, non per modum præcepti, alioqui priora non ligarent infantes, & ignorantia ab vtrisque excusaret adultos; sed sunt lata per modum constitutionis de aliquo necessario ad finem salutis, & remissionis peccatorum, sine quo haberi non possit ita vt macula originalis non abluatur, & peccata baptizatorum retineantur, donec illa per Baptismum, hæc per absolutionem sacerdotum remittantur. Hoc autem vt sit verum, debet illa remissio fieri vel formaliter per sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ: vel virtualiter quodammodo & repræsentatiuè, ita vt si per aliud fiat, eorum vice & loco acceptetur tale medium, cum speciali obligatione ad illa eadem peccata subiicienda Baptismo & Pœnitentiæ, quippe quæ non fuerunt remissa sine ordine speciali ad illa tanquàm media remissionis primaria. 40.

Ex quo sequitur tertia pars conclusionis, nimirum hæc duo sacramenta non modò disiunctiuè in re vel in voto necessaria esse strictè & propriè necessitate medij: sed etiam determinatè in seipsis, seu formaliter sumpta, necessaria esse necessitate medii latiùs sumpta, & minùs propriè, pro eo quod vel per se, vel per vicarium, necessarium est ad iustificationem & salutem. 41. *Sacramenta Bap. & pœn. sunt necessaria necessitate medij minus strictè*

Hoc autem ita esse probatur, quia potuit Deus ita instituere, & nolle deinceps post Euangelium promulgatum acceptare ad iustificationem, nisi sacramentum, vel alia prædicta tanquam vicaria sacramenti: sic autem ita re ipsa instituisse indicant Scriptura & Tridentinum locis supra relatis: nam aliter eorum verba non possunt cōmodè explicari; neque potest ratio reddi cur Concilium dicat iustificationem non conferri sine voto Baptismi aut Pœnitentiæ, potiùs quàm sine voto Eucharistiæ, aut amoris Dei super omnia: cùm tamen Concilium non sine causa specialiter hoc asserat de sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ, ad ostendendam specialem eorū necessitatem: vt meritò agnoscunt cōmunissimè Theologi, nemine ferè excepto: de iisdemque intelligunt id quod indefinitè dicitur à Trident. sess. 7. can. 4. d. Sacramentis in genere, non posse sine illis aut eorū voto, per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci. *Si quis dixerit*,
42. inquit, *Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.*

Neque dicas Trident. sess. 7. can. 5. de Baptismo, ostendere apertè idem esse, Baptismum esse necessarium ad salutem adultis, & non esse liberum, quod est esse necessarium ex præcepto tantùm. Respondeo enim Canonem sic habere: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* Vbi primò Concilium loquitur vniuersaliter, & æquè damnat hæreticos huius temporis, qui dicunt Baptismum non esse necessarium infantibus fidelium. 2. Ille qui dicit Baptismum esse liberum, dicit non esse necessarium ad salutem, neque præcepti necessitate, neque medij: nam omne medium necessarium ad salutem, est etiam necessarium ex præcepto in quantum à nostra libertate pendet, & in quantum est medium necessarium ad finem cuius assecutio nobis præcepta est. Quare dicere Baptismum esse liberum, non est idem ac dicere non esse necessarium ex præcepto tantùm, sed non esse necessariū neque ex præcepto, neque ex necessitate medij, id est, ex connexione cum fine cuius assecutio nobis præcepta est, ob quam connexionem non est nobis liberum abstinere à medio, quamuis aliundè non esset in præcepto secundum se. Denique Concilium can. cit. per *liberum*, intelligit non modò liberum in ordine ad obligationem moralem quæ est ex præcepto: sed etiam liberum, id est, indifferens in ordine ad finem, seu non necessarium ad salutem consequendam: quo sensu docent hæretici, quos damnat, Baptismum esse infantibus fidelium liberum, id est, indifferentem & non necessarium.

SECTIO V.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam propositam.

Obiicitur 1. Contritionem non posse comparari ad Baptismum, vel ad sacramentum Pœnitentiæ, vt vicarium ad principale agens, vel vt Chirographū in emptione ad pretij solutionem; quo exemplo Suar. Aegid. Conin. & alii quidam vtuntur, cùm explicant hanc necessitatem, modo tamen aliquantum differenti à nostro. Probatur, comparationem non esse bonam: quia si ita esset, Deus non moueretur contritione nisi vt repræsentante sacramentum, possetque dici quòd Deus illam non intuetur in se, quemadmodum legato dici potest quòd eius non habetur ratio, sed eius à quo est missus. At hoc est falsum. Non enim minùs nunc Deo placent lachrymæ veræ contritionis, quàm olim; neque nunc requirit aliud, quàm vt sit integra conuersio ex toto corde, & ex motiuo charitatis, cui excellentiæ per accidens contingit, quòd iam imposita sint præcepta Baptismi & Pœnitentiæ, quę olim non erant. Secunda quoque comparatio non est bona: quia venditor non traderet dominium propter chirographum obligās ad solutionem, si præuideret solutionem non esse futuram: eam enim immediatè in seipsa quærit, & ab illa mouetur, non à chirographo tantùm. Sed est falsum, quòd Deus non iustificaret contritum, nisi præuideret absoluendum sacramentaliter. Iustificat enim absolutè: & multi morte præuenti, antequam possint suscipere sacramentum, saluantur ex sola contritione. Ergo sacramentum non influit moraliter cum contritione in iustificationis concessionem, quemadmodum solutio influit in traditionem rei emptæ cum chirographo. Confirmatur, quia non potest explicari quem dicat maiorem ordinem remissio peccatorum collata contrito, ad sacramentum Pœnitentiæ: quàm remissio peccatorum collata attrito & absoluto, dicat v. g. ad sacramenti Eucharistiæ susceptionem, vel ad amorem Dei super omnia. Neq; enim alium dicit ordinem, quàm quia est vera contritio, & vera contritio includit virtuale propositum seruandi omnia mādata grauia, quorum vnum & maximum est, diligere Deum ex toto corde, & in lege noua, præceptum sumendi Eucharistiam. At attritio dicit eun[dem] ordinem: nam vera attritio requiritur: [&] vera attritio, non minùs quàm contritio, licet ex diuerso motiuo, habet propositum seruandi omnia præcepta: Atque adeo non minus continet votum sacramenti Eucharistiæ, vel amoris Dei super omnia, quàm contritio votum sacramenti Pœnitentiæ. Ergo contritio non est plus vicaria sacramenti Pœnitentiæ, quàm attritio sacramenti Eucharistiæ, vel amoris Dei super omnia. 43. Prima obiectio.

44\. Quomodo contritio sit vicaria sacramenti? Ad primum Respondeo, Quòd contritio vim habeat iustificandi, non esse ex sola natura rei, quasi formaliter seipsa iustificet, aut in alio genere causæ vim habeat sufficientem remittendi peccatum mortale, & gratiam infundendi: sed esse ex Dei ordinatione, qui bene potuit ordinare vt contritio, quamuis in se semper eiusdem perfectionis & virtutis naturalis, non acceptetur nunc attendendo solùm ad illam perfectionem, sed & ad sacramentum quod Deus statuit esse medium necessarium ad salutem per seipsum, vel per aliud tanquam eius vicarium. Itaque Deus iam non intuetur contritionem ad effectum, de quo loquimur, secundum se solam, & secundum solam naturalem ipsius perfectionem, secundum quam non minùs Deo placet, quàm antea: sed etiam secundum quod est substituta vice sacramenti Baptismi vel Pœnitentiæ, cui per se primò alligata est iustificatio, & aliis concessa tanquam eius vicariis.

45\. Ad secundum Respondeo, Obiectionem illam procedere ex malo intellectu sententiæ Suaris, Aegidii, & similium, qui vtuntur solùm hoc exemplo, vt explicent directam & specialem obligationem, quàm habet contritio, vt vicaria sacramenti, ad sacramentum, si fieri potest, recipiendum suo tempore: At non in eo quòd Deus non iustificaret, si præuideret sacramentum non fore recipiendum, sicut venditor non traderet rem suam propter chirographum, si præuideret solutionem minimè secuturam. Nam Deus absolutè iustificat per hoc medium, vt substitutum tamen vice alterius quod per se primò intendit, vultque adhiberi suo tempore, si fieri potest, contra eadem peccata tunc remissa.

Ad confirmationem Respondeo, Supra explicatum esse in quo consistat ille maior & specialis ordo: nempe in eo quòd Christus primam iustificationem ita alligauerit sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ, vt non obtineatur nisi per illa in re suscepta, vel per alia quædam media tanquam eorum vicaria, id est, eorum loco & vice substituta: quamuis cùm hæc applicantur, iustificent absolutè, id est, non conditionatè, si nimirum suo tempore sacramentum applicetur, & alioqui non: vt qui vendit, chirographo accepto loco pretii, vendit conditionatè, ita vt venditio non sit valida, nisi pretium soluatur suo tempore.

46\. Secunda obiectio. Obiicitur 2. Vbi sunt duo media ad finem, si vni accedit necessitas medii, alteri perit sufficientia medii. Necessitas enim vnius infert nullum aliud sine illo sufficere. Atqui nihil periit sufficientiæ medii contritionis, quæ in antiqua lege iustificabat sola, extra & citra omne sacramentum: ergo non accessit medii necessitas sacramento Pœnitentiæ. Probatur minor, quia contritio vim suam habet ex promissione diuina. Sed Deus nullatenus retractauit promissionem suam, *In quacunque die ingemuerit peccator*, &c. Ezech. 18. Ergo reliquit medii sufficientiam, quæ est tantùm validitas ad ponendum effectum sine alterius consortio. Quòd si ad concedendam iustificationem contritis Deus adiungeret intuitui contritionis, intuitum Sacramenti, quasi supplens ex eo insufficientiam contritionis, aliquid periisset de contritionis efficacia, cùm nihil perierit de promissione diuina.

Ad maiorem propositionem Respondeo, Si vni accedit necessitas medii strictè sumpta, perit alteri sufficientia: Concedo. Si latiùs sumpta tantùm, distinguo iterum: Perit illi vt absolutè sumpto si ita sumi posset: Concedo. Perit illi respectiuè considerato ad sacramentum, quo pacto semper à Deo consideratur: Nego. Christi enim ordinatio Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. & Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis*, &c. facit vt contritio non possit amplius absolutè considerari, prout à tali homine in tali statu exercetur, id est, non vt vicaria sacramenti. Quemadmodum fatentur aduersarii non posse in illo considerari sine voto sacramenti, quod votum in antiqua lege non habebat, & sine illo iustificabat. Promissio verò diuina Ezech. 18. tantùm hoc fert, quòd quotiescumque peccator perfectè conteretur, iustificabitur. Quod semper verum manet. Sed contritio nunc spectatur à Deo vt vicaria sacramenti, & vt talis semper acceptatur ad iustificationem. In antiqua verò lege acceptabatur sine tali consideratione, quemadmodum & sine voto seu proposito sacramenti, iuxta sententiam aduersariorum. 47. Perieritne aliquid contritioni?

48\. Tertia obiectio. Obiicitur 3. Supponamus Deum primò instituisse sacramentum Pœnitentiæ liberum: in quo casu habuisset solam sufficientiam medii. Et deinde supponamus, post aliquod tempus Deum adiungere nudum præceptum hoc Sacramentum suscipiendi. Eo ipso inciperent esse veræ omnes propositiones quæ à Suare & ab aliis afferuntur. Nempe quòd contritio includeret votum sacramenti, & non iustificaret sine illo aut ipsius voto. Ergo iuxta Suar. inciperet esse necessarium necessitate medii. At implicat illud quod habebat tantùm sufficientiam medii, adiuncta præcisè necessitate præcepti, euadere necessarium necessitate medii: Sunt enim distinctæ necessitates. Ergo vnâ præcisè positâ, non ponitur alia.

Respondeo, Si nihil aliud Deus ordinet, non fore verum in eo casu id quod nos asserimus, quodque ante nos Cardinalis Delugo disp. 3. de Eucharist. num. 24. & sequentibus, & plures alii docuerunt, contritionem, aut aliud medium fore vicarium sacramenti, & à Deo acceptari ad primam iustificationem loco sacramenti ad hoc per se primò instituti, & quodammodo necessarii, quatenus nihil confert primam iustificationem nisi vel ipsum sacramentum, vel aliud tanquam eius vicarium, & loco illius accepta- Delugo.

tum cum directa & speciali obligatione ad ipsum suo tempore, si fieri potest, suscipiendum contra eadem peccata virtuti sacramenti submittenda: vt manifestè fit in sacramento Pœnitentiæ, in quo absoluimur à peccatis antea per contritionem remissis, & tamen necessariò confitendis. Et de originali, aliisque ante Baptismum commissis par est ratio, ex Trident. sess. 14, cap. 2. in fine. Neque enim hæc sunt minùs deuincta Baptismo: quàm illa Pœnitentiæ sacramento.

49. Quarta obiectio. Obiicitur 4. Ille ordo voti aut vicarii ad sacramentum, nihil aliud est, quàm denominatio extrinseca ex eo quòd Deus præceperit sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ. At hæc nihil confert ad iustificationem extra sacramentum. Nam Deus ad concedendam alicui iustificationem, non mouetur sua nuda institutione, & præcepto non tradito executioni. Imò illa denominatio non attenditur ab iis qui verè conteruntur, non cogitando de sacramento: ergo non est libera. At Deus iustificans extra sacramentum, respicit tantùm opus operantis, quod est essentialiter liberum. Quod autem est incognitum, liberum esse non potest. Frustra verò recurritur ad obligationem specialem contritionis ad sacramentum, quam Deus illi annexuisse dicitur. Nam obligatio Baptismi vel gratiâ nihil confert ad obtinendam regenerationem. Satisfacere enim obligationi, sed non habere obligationem, prodest apud Deum.

Quomodo Deus iustificat per contritionem intuitu sacramenti? Respondeo, Deum iustificantem extra sacramentum non moueri solùm à contritione, vel simili medio, ex eo quod habet tantùm ex natura rei, quod, vt supra diximus, est de se insufficiens ad remissionem peccati mortalis; sed ex eo quod habet moraliter secundum diuinam institutionem. Deus autem instituit vt tale medium in lege Euangelicâ non valeret, nisi vt vicarium sacramenti, & vt tale acceptatur à Deo, quemadmodum colligimus ex locis Tridentini initio citatis. Non dicimus autem obligationem per se iustificare: Sed dicimus iustificationem conferri per contritionem habentem specialem & directam obligationem ad recipiendum, si fieri potest, suo tempore sacramentum cuius vicaria est. Contra quam obligationem peccant specialiter illi qui eam norunt, neque tamen postea sacramentum recipiunt. Similiterque martyrium paruulorum, in quo nihil est illis liberum, tamen à Deo non acceptatur ad iustificationem, nisi vt Baptismi vicem gerens, cui per se primò deuincta est, & subiecta remissio peccati originalis. Quam ob causam paruuli dicuntur à Trident. sess. 6. cap. 4. iustificari per Baptismum in voto.

Concludo igitur hæc argumenta non tanti esse, vt propter illa, sententia communissima fuerit deserenda. Communissima, inquam, atque vt testatur Vasquez disp. 152. cap. 2. initio, sine vlla controuersia ab omnibus concessa, Baptismum scilicet necessarium esse non modò præcepti necessitate, sed etiam medii. Est autem Sacramentum Pœnitentiæ, lapsis post Baptismum, ad salutem necessarium, vt nondum regeneratis ipse Baptismus, inquit Trident. sess. 14. cap. 2. in fine. Quare de illo par est ratio, & par debet esse consensus: licet nonnulli contrarium senserint, relati à Suar. disput. 17. de Pœnit. sect. 2. qui paulò post, num. 3. ait, rem, de qua disputamus, esse definitam à Trid. & ante Trid. à Sixo IV. in Extrauag. contra Petrum de Osma, quam refert à Castro de hæresibus, verbo, *Confessio*. Quare non debet in dubium reuocari, multoque minùs contrarium affirmari. 50. Suarez. Castro.

DISPVTATIO VIGESIMA-PRIMA.

De efficacia & effectibus Sacramentorum.

Sectio I. *Vtrum Sacramenta sint causa gratiæ?*

Sectio II. *Quid sit gratia sacramentalis? & de aliis virtutibus cum illa infusis.*

Sectio III. *Vtrum omnia Sacramenta nouæ legis conferant primam gratiam, & æqualem omnibus recipientibus?*

Sectio IV. *An sacramenta conferant semper gratiam, & quo instanti illam producant?*

Sectio V. *Quid requiratur vt sacramentum reuiuiscat, & quomodo reuiuiscat?*



DE efficacia & effectibus Sacramentorum disputat S. Thom. quæst. 62. & 63. In quarum priore docet 1. Sacramenta esse causas gratiæ per modum instrumenti: adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus, ad gratiam in eis causandam. 2. Gratiam sacramentalem, super gratiam virtutum & donorum, addere quoddam diuinum auxilium ad finem sacramenti consequendum: sicut dona, & virtutes, addunt super gratiam, perfectionem quandam determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum perficiendos. 3. Sacramenta nouæ legis continere gratiam, eo modo, quo causa instrumentalis effectum continere dicitur. 4. Esse in sacramentis instrumentalem quandam virtutem ad gratiam efficiendam: non permanentem quidem, sed transeuntem: sicut instrumentum, nisi à principali agente motum, non operatur. 5. Sacramenta Ecclesiæ specialiter habere virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum. Quia cùm duplex sit instrumentum: vnum quidem separatum, vt baculus; aliud coniunctum, vt manus: per instrumentum autem coniunctum moueatur separatum, vt baculus per manum; Principalis causa efficiens gratiæ est Deus: ad quem comparatur humanitas Christi, vt instrumentum coniunctum: sacramentum verò, vt instrumentum separatum: ideóque oportet virtutem salutiferam à diuinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta deriuari. 6. Sacramenta veteris legis non habuisse in seipsis aliquam virtutem, quâ operarentur ad conferendam gratiam iustificantem: sed tantùm significasse fidem, per quam homines iustificabantur. Quia neque habebant virtutem illam per seipsa: alioqui non fuisset necessaria passio Christi: iuxta illud Apost. ad Galat. 2. *Si ex lege iustitia, Christus gratis mortuus est.* Neque etiam ex passione Christi: quia id quod nondum est in rerum natura, non mouet secundum vsum exteriorum rerum: tametsi potest mouere per fidem & apprehensionem, vel desiderium, prout præcedit in actu animæ. Vnde causa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis; sicut causa finalis.

In posteriori quæstione, quæ est de charactere sacramentali, affirmat 1. Cùm Christi fideles per sacramenta ad aliquid diuinum, & ad Dei cultum pertinens, deputentur; oportere illos per sacramenta aliquo spiritali charactere insigniri. 2. Characterem esse quandam potentiam spiritalem, ordinatam ad ea quæ sunt diuini cultus, qui consistit vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo aliis. Ad quorum

primum requiritur potentia passiua: ad secundum, actiua. 3. Characterem sacramentalem esse specialiter characterem Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt, quàm quædam participationes sacerdotii Christi, ab ipso deriuatæ. 4. Characterem esse in potentiis animæ; quia ordinatur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea, quæ sunt diuini cultus. Diuinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Et ad actus propriè ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Ideóque character non est, sicut in subiecto, in essentia animæ; sed in eius potentia. 5. Characterem esse indelebilem: quia est participatio quædam sacerdotii Christi, quod æternum est. 6. Tria tantùm sacramenta imprimere characterem: Baptismum scilicet, Confirmationem, & Ordinem. Quia per illa tria sola ordinantur fideles directè ad diuinum cultum. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Vtrum Sacramenta sint causa gratiæ?

1. Probatur, sacramenta esse causas gratiæ ex Script.

CONCLVSIO affirmatiua est de fide Catholica. Probatur primò his & similibus Scripturæ testimoniis id non obscurè significantibus. De Baptismo quidem dicitur Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu spiritus, est.* Quibus verbis indicatur eos, qui per Baptismum renascuntur, accipere nouum esse, & nouam vitam spiritualem, quâ renati sunt similes Spiritui sancto: sicut per vitam naturalem filii sunt similes parentibus. Quæ vita non est alia, quàm vita gratiæ, seu iustitiæ supernaturalis, beneficio iustificationis accepta: & hoc fieri per Baptismum significatur tum illis verbis, *ex aqua & Spiritu sancto*: tum istis ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* vbi nota particulam, *Per*, manifestè causalem.

2. De Confirmatione, iuxta communem sanctorum Patrum & interpretum expositionem, constat ex Actor. 8. & 19. quòd per manuum impositionem in illa factam darent Apostoli Spiritum sanctum. De Eucharistia Christus ipse Ioan. 6. vers. 58. sic ait: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me*: Et paulò post vers. 65. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: nimirum vitam illam gratiæ, quâ peccatores destituuntur, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem*, & quæ per se æterna est, atque æternæ gloriæ semen & pignus certissimum.

3. De Pœnitentia verò Ioan. 21. scriptum est, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Similitérque de Extrema-vnctione Iacob. 5. dicitur, *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Remissio autem peccatorum sine infusione gratiæ hac in vita non fit. De Ordine 1. ad Timoth. 4. scriptum est, *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Et 2. Timoth. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam quæ in te est per impositionem manuum mearum.* De Matrimonio denique par est, ac de aliis, ratio, tametsi de illo in Scripturis res est minùs expressa. Videtur tamen id supponi ab Apostolo 1. Timoth. 2. cùm de Christiana muliere coniugata sic ait: *Saluabitur tamen per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione.* Cùm enim non dicat, *Si acquisiuerit*, sed, *si permanserit*: videtur supponere bona illa fuisse iam per matrimonium acquisita.

4. Idem probatur ex Patribus. Secundò, Probatur eadem veritas Catholica testimoniis sanctorum Patrum, qui disertè affirmant per Baptismum abstergi peccata, vt loquitur Clemens Alex. lib. 1. Pædagogi cap. 6. animam depurgari, & per illum conferri Spiritum sanctum, quem Ioannis baptisma non conferebat, vt ait Basil. in lib. de Baptismo: item Baptismum Euangelicum facere nouos homines, & omnia peccata delere, vt dicit August. lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 13. & lib. 1. de Peccat. meritis, cap. vltimo: atque in Trinitate consecratum conferre gratiam, vt habet Optatus Mileuit. lib. 5. contra Parmenianum, initio: & alia plurima id genus, de quibus vide Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 6. & 7. Suar. disput. 7. sect. 1. Vasq. disp. 131. cap. 4. & Coccium, qui fusissimè tomo 2. lib. 5. art. 1.

5. Probatur ex Conciliis. Probatur tertiò ex consensu totius Ecclesiæ, & Conciliorum definitionibus, Nicæni 1. & Constantinopol. 1. in Symbolo, Mileuit. can. 2. Arausic. can. 25. Florent.

in decreto vnionis §. *Nouæ legis septem sunt Sacramenta*, vbi definit hæc nostra sacramenta multùm differre ab antiquis, quòd hæc non causarent gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam significarent. Hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Idem quoque definiuit concilium Senon. can. 10. vbi contrarium Lutheri errorem supra relatum damnauit. Et denique Trident. sess. 7. can. 8. *de Sacram. in genere*, sic pronunciauit: *Si quis dixerit per ipsa nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Et can. superiori anathematizauerat eos, qui dixerint non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper, & omnibus ritè suscipientibus. Et cap. 7. sess. 6. definit Baptismum esse causam instrumentalem iustificationis. Qui autem Ecclesiæ definitiones spernunt, Christum spernunt: & qui Ecclesiam non audiunt, Publicanorum & Ethnicorum loco habendi sunt, vt ait Christus Luc. 10. vers. 16. & Matth. 18. vers. 13.

6. *Probatur ratione.* Ratio denique à priori est Christi Domini sacramentorum institutoris voluntas atque institutio, cuius variæ congruentiæ reddi possunt. Valde enim conueniens fuit hanc causalitatem, alioqui non impossibilem, vt patebit inferius, dari sacramentis nouæ legis, ad ipsorum maiorem dignitatem, ad perfectionem legis gratiæ, necnon ad nostram vtilitatem, & ad virtutem & mirabilem efficaciam meritorum Christi, summamque Dei sapientiam, liberalitatem, & potentiam manifestandam, iuxta ea quæ diximus disp. 20. sect. 1. His rationibus aliam addit S. Thomas quæst. 62. art. 1. quia, inquit, sacramenta faciunt Christi membrum. At omne Christi membrum est tale per gratiam, ergo, &c. Sed hæ propositiones intelligendæ sunt de Christi membro viuo: Nam membrum Christi mortuum sine gratia esse potest. *D. Thom.*

7. *Contrarius error hæreticor.* Contra hanc doctrinam senserunt olim Massiliani, seu Euchitæ aut Enthusiastæ, à prece, & raptu seu Enthusiasmo, cognominati, quorum meminerunt Epiphanius hæresi 80. D. August. lib. de Hæresibus hæresi 57. Theodoretus lib. 4. Historiæ c. 10. eosque hodie sequuntur Nouatores, qui quicquid dissimulent, & verbo tenus extollant efficaciam sacramentorum, non aliter volunt concurrere ad gratiam conferendam & remissionem peccatorum (vel, vt ipsi sentiunt, ad fauorem Dei extrinsecum, & non-imputationem peccatorum quæ teguntur per iustitiam Christi fide apprehensam & sibi imputatam) quàm vt obiecta vel signa excitantia fidem, quâ, veluti manu, iustitiam Christi apprehendant à Deo promissam, & peccata sua contegant: ad eum modum quo concio, vel pictura, vel quiduis aliud, eandem excitaret. Qua picturæ similitudine vtitur nominatim Kemnicius Lutheranus in 2. parte examinis Trid. pag. 111. & Caluin. 4. Institut. cap. 14. §. 6. Sed quod attinet ad errorem de forma iustificationis, sitne vera peccatorum remissio, & infusio gratiæ habitualis & intrinsecè inhærentis animæ, vt Catholici docent cum Trident. sess. 6. c. 7. an iustitia Christi extrinseca nobis, fide solùm apprehensa, & mera non-imputatio peccatorum, vt Lutherus & Caluinus existimant, pertinet hoc ad Tract. de Iustificat. vbi de eo disputauimus. Quoad reliquum verò, quod huius loci proprium est, an scilicet gratia & remissio peccatorum, seu iustitia supernaturalis vera, qualis demum illa sit, conferatur per sacramenta, vt per veras illius causas, ita procedunt hæretici. *Kemnic. Caluin.*

Primò, Ad errorem suum dissimulandum, & veritatem faciliùs impugnandam, multa malitiosè fingunt, & Catholicis imponunt. Cuiusmodi est quod dicunt, statum quæstionis in eo consistere, vtrum sacramenta producant gratiam, Deo nihil agente, sed suas vices illis resignante. Hîc quæritur (inquit Caluin. 4. Institut. cap. 14. num. 17.) *Propriane & intrinseca, vt loquuntur, virtute, operetur Deus, an externis symbolis resignet vices suas.* Et num. 14. conqueritur, Theologos à Deo sensim abstrahere simpliciores & imperitos, cùm vim illam sacramentis affingunt. Sed non minùs iniustè conqueritur, quàm improbè calumniatur. Nam communis omnium Theologorum sensus est, sacramenta esse dumtaxat causas instrumentarias, Deo vt agenti principali subiectas, sine cuius eleuatione & influxu immediato gratiam non efficiant: subiectas etiam Christo vt causæ meritoriæ; quippe à cuius meritis, & præcipuè ab eius passione, vim suam omnem trahant. Quod asserere, non est homines à Deo vel à Christo abstrahere, sed potiùs ipsis coniungere. Pari versutia & malitia Kemnic. in 2. parte examinis Trident. cap. de efficacia sacramentorum, vanum suæ imaginationis idolum sibi proponit impugnandum, loco veritatis Catholicæ, cùm physicum influxum Thomistarum, aut aliam similem opinionem quoad modum concurrendi, inter Theologos controuersam, & vel falsam, vel minùs probabilem, tanquam Catholicum dogma impugnat, quod & in aliis controuersiis est hæreticis familiare. 8. *Kemnic.*

Huiusmodi etiam est quod dicunt, sacramenta causare gratiam ex opere operato, nihil aliud esse iuxta sensum Theologorum, quàm eam causare sine fide, & vllo pio motu suscipientis. Quod falsum esse, loquendo de adultis, patebit ex dicendis inferiùs de dispositione necessaria ad effectum sacramentorum recipiendum. De vero autem sensu illius locutionis sufficiunt, quæ diximus disp. 18. sect. 3. num. 37. & sequentibus. Breuiter dico, Theologos distinguere duplicem modum obtinendi gratiam, vnum ex opere operantis, qui est quando obtinetur gratia vi boni operis ipsius operantis, vt meritorii gratiæ de condigno, vel de con- 9.

gruo. Alterum vocant ex opere operato, qui est quando ratione operis externi, vt sacramenti applicati, datur gratia citra, vel vltra meritum operantis, tam de condigno, quam de congruo, eo ipso quod tale opus ponitur, & passiuè operatur, id est, fit & exercetur, applicatúrque subiecto sufficienter alioqui disposito, vel carenti obice: quamuis non detur gratia sine actu fidei, & aliquo pio motu adulti recipientis sacramentum, sed alioqui de se, & absque tali opere, insufficiente ad talem, vel tantum effectum.

10. Prima euasio Caluini refellitur. Secundò, Omissis iis, quæ non minùs ineptè, quàm superbè respondent Lutherus, & Caluinus SS. Patrum testimoniis, & Conciliorum definitionibus; Scripturæ loca initio citata conantur in hunc modum eludere. Ad primum locum ex Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. respondet Caluin. lib. 4. Instit. cap. 16. n. 25. Ibi virtutem, & efficaciam regenerandi non tribui Baptismo, sed Spiritui sancto, qui per metaphoram nomine aquæ eo loco significatur, propterea quòd instar aquæ mundet, & lauet à peccatis. Verùm si Euangelista idem per aquam & Spiritum sanctum intelligeret, inepta esset illa repetitio, *Ex aqua & Spiritu sancto.* Deinde non est ibi sermo de iustificatione sub metaphora mundationis, sed regenerationis: cui metaphoræ conuenientius erat Spiritum sanctum comparari semini, quasi principio generationis spiritalis, quàm aquæ, nisi de regeneratione per Baptismum vt instrumentum, sermo esset. 3. Apostolus ad Ephes. 5. vers. 26. Baptismo manifestè causalitatem tribuit, cum ait Christum sanctificare, & mundare Ecclesiam lauacro aquæ, in verbo vitæ; & Tit. 3. vers. 5. *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.* 4. Denique Iustinus martyr, Tertull. Cyprian. Ambros. Hieronym. Basil. Nyssen. Nazianz. aliique Patres, & omnes interpretes antiqui in eundem sensum locum illum Ioannis interpretantur: de quibus vide Vasq. disput. 131. cap. 4. Illis autem potiùs habendam esse fidem, quàm Caluino & aliis Nouatoribus, nemo prudenter dubitare potest. Vasquez.

11. Altera euasio. Sed obiicit Caluin. illud Matth. 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*: vbi contendit per *ignem*, Spiritum sanctum intelligi: ergo similiter Ioan. 3. per *aquam*, intelligitur Spiritus sanctus, non autem Baptismus. Respondeo primò, multos è Patribus locum illum explicare de igne corporeo, sub cuius figura Spiritus sanctus in Apostolos & discipulos descendit in die Pentecostes. Deinde licet locus ille de Baptismo Euangelico intelligatur, quem suo Baptismo Ioannes opponat & præferat; suum inefficacem esse affirmans; illum, efficacissimum gratiæ; respondeo secundò, per ignem metaphoricè intellexisse Ioannem vim illam efficacissimam diuinitus datam aquæ Baptismi Euangelici. Sic enim dixerat paulò ante: *Ego quidem baptizo vos in aqua* (nuda, & destituta virtute seu efficacia iustificationis præstandæ) *Ille* (Christus scilicet) *vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*, id est, non in aqua solùm, vt ego, destituta virtute illa: sed in aqua Spiritus sancti plena, & ad agendum, instar ignis, efficacissima. Nam per ignem efficacitas maximè denotatur, eò quòd inter elementa efficacissimum sit. Quò alludens Cyrillus Alexandr. l. 2. in Ioan. cap. 42. in fine, sic ait: *Quemadmodum enim viribus ignis intensiùs aqua calefacta non aliter quàm ignis calefacit: sic Spiritus sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem, quâ baptizati corpus abstergunt.* Cyrill.

12. Tertium effugium. Ad locum Actor. de manuum impositione, & Ioan. 20. de vi peccata remittendi in sacramento Pœnitentiæ, respondent Caluinistæ, & Lutherani, nihil aliud probare, quàm sacramenta valere ad obtinendam gratiam siue remissionem peccatorum, excitando fidem, modo superiùs explicato ex ipsorum doctrina. Quo etiam responso priora loca de Baptismo, & alia de aliis, cùm aliter non possunt, eludere conantur. Verùm illa Scripturæ loca aliquid ampliùs satis apertè significant, & in eundem sensum ab Ecclesia vniuersa ante Lutherum & Caluinum intellecta fuerunt, exceptis Messalianis, & paucis fortè aliis, hæreseos eam ob causam damnatis. Deinde tota hæc euasio & doctrina absurdissima est. Primò enim, si ita esset vt volunt hæretici, non possent infantes vtiliter baptizari in remissionem peccatorum: quia baptismus non potest in illis excitare actum fidei, quo iustitiam Christi apprehendant, huius enim actus non sunt capaces. Eaque de causa Anabaptistæ rebaptizant in adulta ætate eos, qui in infantia baptizati fuerunt. Quod verò illis respondet Lutherus in lib. de Captiuit. Babilon. cap. de Baptismo, & in lib. contra Cochlæum, Infantibus pro eo tempore concedi vsum rationis; magnum sanè miraculum est, ab iis inductum, qui miracula ampliùs patrari negant, quia ipsi nulla patrare possunt. Aut merum potius figmentum est, repugnans experientiæ. Nullo enim indicio apparet infantes vllum actum fidei & religionis, cùm baptizantur exercere: sed flere potius, & ægrè atque inuitò pati aspersionem aquæ vel immersionem. Quod non facerent, si cuius boni fiant participes intelligerent: neque licitè, imò nec validè possent inuiti & reluctantes baptizari, si vsum rationis haberent. Deinde, si Baptismus prodest tantum ad fidem promissionum Dei excitandam, actualem scilicet, nam habitualem non admittunt hæretici: quomodo potest regenerare, id est, ad iustitiam & vitam spiritalem primùm transferre adultos? Nam priusquam baptizentur, debent habere actum fidei, velut necessariam dispositionem, iuxta illud Actor. 8. *Si credis ex toto corde, licet.* Ergo si per actum fidei regenerantur, debent priùs regenerari, quàm baptizentur, & effectus est ante causam, fru-

straque applicatur sacramentum ad excitandam fidem iustificantem, quæ ante fuit excitata & exercita. Præterea, si baptismus Christi tantùm iustificat excitando fidem: ergo idem faciebat Baptismus Ioannis, & Circumcisio, aliaque veteris legis sacramenta. Neque verò Baptismus, & concio Ioannis minùs per se valebat ad excitandam fidem, quàm Baptismus, & concio Caluini: & tamen Ioannes Marc. 1. & Matth. 3. Baptismum Christi maximopere supra suum extollit. Et Apostolus ad Galat. 4. & adHebr. 4. & 1. Corinth. 7. & alibi passim sacramenta veteris legis, cum Euangelicis collata mirum in modum deprimit, vocans infirma, & egena elementa, & munditias carnis quæ conscientias mundare non valent, & vmbras futurorum. Ergo sacramenta nouæ legis aliquid amplius faciunt, & sunt aliter causa gratiæ.

14. Hæreticorum argumenta ex Script. Tertiò denique, Scripturæ testimoniis alia quædam opponunt, vt illud 1. Petri 3. *Octo animæ saluæ factæ sunt per aquam* (loquitur de diluuio) *quod & nos nunc similis formæ saluos facit Baptisma: non carnis depositio sordium: sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi Domini nostri.* Quibus verbis significari videtur Baptismum non saluare per externam ablutionem: sed ratione bonæ conscientiæ, & interioris fidei. Cui expositioni fauet D. Augustinus tract. 80. in Ioan. vbi ait Baptismum non habere quòd sanctificet nisi à verbo Christi, non quia dicitur, sed quia creditur. Alia his similia opponunt in quibus Scriptura iustificationem videtur tribuere fidei: vt Act. 15. v. 9. *Fide purificans corda eorum.* & Rom. 5. vers. 1. *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum.* & cap. 10. vers. 6. *Quæ autem ex fide est iustitia, &c.*

August.

15. Sed vt ab vltimo incipiam, non pauciora Scripturæ loca eandem tribuunt sacramentis, vt suprà vidimus. Quare vtrumque suo modo verum esse debet: neque ex vno, negatio alterius non repugnantis inferenda est: sicut malè quoque negarent tribuendam esse charitati, & meritis Christi, quia tribuitur fidei. Deinde vel loquuntur de fide habituali, vel de actuali. Si de habituali: cùm in ea iustitia supernaturalis, saltem ex parte, consistat formaliter, vt in tract. de Iustificatione ostendimus; sicut valent immediatè sacramenta ad eam conferendam, ita ad iustitiam supernaturalem valent eatenus. Sin autem loquuntur de actuali fide quâ iustitia Christi apprehendatur, vt reuera loquuntur: ergo infantes per sacramenta iustificari non possunt, & alia sequuntur incommoda quæ paulò antè diximus. Quamquam & ipsa valet dispositiuè ad iustificationem adultorum, iuxta doctrinam Catholicam, vt diximus in tractatu citato.

16. Baptismus quomodo nos saluos facit? Ad locum Petri, Respondeo cum Aegidio Coninx quæst. 62. num. 11. sensum illius esse, quòd nos saluos faciat Baptisma, non carnis depositio sordium, id est, non tantùm abluendo exteriùs sordes corporis, vt baptismata Iudæorum: sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, id est, sed mundando interiùs animam à peccatis: adeo vt cùm Deus conscientiam nostram interrogat siue examinat, vel nos coram Deo eam examinamus, reperiatur bona & pura à peccatis, per resurrectionem Iesu Christi, factam scilicet mysticè in nobis baptizatis, iuxta illud Pauli ad Rom. 6: *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos, &c.* Potest & aliter hic locus explicari: nempè quòd nos saluos faciat Baptisma, non carnis depositio sordium, id est, non solùm ablutio corporis, quæ de se valet solùm ad eluendas externas sordes corporis: sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, id est, sed mysterium fidei verbis illis expressum, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quod mysterium vocatur interrogatio bonę conscientiæ, obiectiuè, quia de illo sunt interrogandi illi qui baptizantur, debéntque bona conscientia, & sincera respondere, ac credere, iuxta illud Act. 8. *Si credis ex toto corde, licet,* baptizari supple. Interrogandi, inquam, vel ipsimet, si adulti sunt: vel pro ipsis, offerentes, si paruuli. Sicut autem visio sumitur non solùm pro actu videndi, sed etiam pro obiecto: & conceptus, non tantùm pro actu concipiendi, sed etiam pro illius obiecto: ita interrogatio sumitur non tantùm pro actu interrogandi, sed etiam pro eo de quo interrogatur.

Ad Augustini locum plura dicentur inferiùs, cùm de forma Baptismi, de qua ibi speciatim loquitur sanctus Augustinus. Nunc breuiter respondeo cum Diuo Thoma quæstione sexagesima articulo septimo ad primum, & Suare disputatione septima, sectione prima in fine, aquam Baptismi habere vim sanctificandi, non per se, & ex se, sed quatenus coniungitur verbo Christi, id est, formæ verborum, per quæ veluti consecratur ablutio, & constituitur in esse sacramenti. Verbum autem formæ habet illam vim, non quia dicitur, id est, non secundum sonum materialem verborum, aut significationem merè humanam: sed quia creditur: non subiectiuè, vt ita loquar, sed obiectiuè, id est, quia fidei Christi confessionem in se continet. Ita vt sensus sit, hæc verba esse assumpta ad effectum sanctificandi, non propter sonum materialem, aut humanam significationem; sed propter fidei mysterium quod continent, & omnibus credendum proponunt. Similem habent similia loca Augustini explicationem. Quæ verò ex aliis Patribus obiiciunt; vel negant tantùm efficaciam principalem, vel etiam physicam, vel ad modum D. Augustini explicanda sunt. 17. Vnde nam vis baptismi? D. Thom. Suarez.

SECTIO

SECTIO II.

Quid sit gratia sacramentalis? Et de aliis virtutibus cum illa infusis.

18. PRima conclusio: Gratia sacramentalis, id est, quæ datur per sacramenta ex opere operato, non differt specie à non sacramentali, id est, ab illa quæ datur per alia media ex opere operantis: sed dicitur tantùm sacramentalis, denominatiuè à causa: & prout datur à diuersis sacramentis differt moraliter, & extrinsecè, ex parte finis specialis ad quem ordinatur: ad quem etiam finem habet annexum ius accipiendi suo tempore infallibiliter auxilia proportionata.

Gratia sacramentalis quomodo differat à non sacramentali.

19. Prima pars probatur, quia gratia habitualis & supernaturalis est eiusdem speciei in omnibus: & quæ parta fuit per sacramenta, intenditur per bona opera, quando iusti crescunt in accepta iustitia, per opera meritoria. Eademque numero quæ fuit primò infusa per sacramentum, potuit infundi per opus operantis, sicut per idem opus potuit intendi. Ratio secundæ partis est, quia sacramenta diuersa instituta sunt propter diuersos fines: Baptismus, ad regenerandum. Confirmatio, ad robur in fide, & ad fortiter pro illa pugnandum. Eucharistia, ad vnionem specialem cum Christo, & quasi vnitatem, & transformationem per amorem; sicut alimentum & alitum vniuntur, & vnum in alterum transformatur. Pœnitentia, ad medicinam peccati commissi. Extrema-vnctio, ad morbum pellendum, aut patienter ferendum, & animam leuandam, atque ad fœlicem exitum præparandam, si moriendum sit. Ordo, ad dignè exercenda sacra ministeria. Et Matrimonium, ad vitam coniugalem sanctè & piè degendam, patienterque & fideliter subeunda onera Matrimonii. Ad hos ergo fines ex Dei destinatione refertur gratia vi cuiusque sacramenti collata. Ad eosdemque datur simul vi sacramenti ius speciale ad auxilia necessaria vt obtineri possint. Ex. gr. Baptismus dat gratiam per modum renascentiæ spiritalis, cum iure ad auxilia vt vitam illam conseruemus & exerceamus. Cùm enim vita spiritalis sit obnoxia multis difficultatibus: & habitus supernaturales non tollant per se difficultatem, neque dent facile posse, sed simpliciter posse operari supernaturaliter, imò neque operentur nisi motu Spiritus sancti, eiusque præuia inspiratione & directione: opus est gratiis auxiliantibus ad habitus exercendos, & ad fines illos supernaturales obtinendos, quæ gratiæ dantur infallibiliter suis temporibus, quando nimirum id expedit, nisi obex impediat: quemadmodum enim gratia perditur per peccatum mortale: sic & ius illud annexum gratiæ. Potest tamen tum gratia, tum ius ad auxilia propter eosdem fines, impetrari, & acquiri ex opere operantis: sed non ita facilè & certò, ac per sacramenta. Et quoties gratia quomodocunque acquiritur, obtinetur ius ad auxilia generalia, quæ debentur ei connaturaliter, sicut entibus naturalibus debetur auxilium generale ad suos fines & operationes. Sed Sacramenta tribuunt ius ad auxilia specialia finibus suis accommodata modo suprà explicato.

Sacramenta tribuunt ius ad auxilia gratiæ fini suo conuenientia.

Quæres, an sit necessarius ille diuersus ordo & finis ad distinguenda sacramenta, ita vt non potuerint aliter diuersa sacramenta institui? Affirmare videntur nonnulli qui dicunt, ex eo præcisè quòd Christus instituit diuersa sacramenta, colligi posse, gratiam sacramentalem addere gratiæ sanctificanti ius ad auxilia diuersis finibus accommodata, quasi non alia esse causa potuerit instituendi distincta sacramenta. Sunt etiam qui affirment frustra fuisse instituta à Christo diuersa sacramenta, nisi quodlibet sacramentum produceret specialem quandam gratiam habitualem sibi propriam, quam vocant sacramentalem, distinctam tum à gratia sanctificante, tum à gratia sacramentali cuiusuis alterius sacramenti. 20.

Sed neutram harum opinionum veram existimo. Nam vt à postrema incipiam: illa gratia specialis habitualis, distincta à sanctificante, & diuersa prout causatur à diuersis sacramentis, fictitia est, & sine vllo fundamento excogitata. Neque enim vllum est eius fundamentum in Scriptura vel in traditione: neque vllum indicium: neque vlla necessitas, cùm possint facilè aliunde distingui sacramenta per gratiam solùm moraliter diuersam, id est, datam ad finem diuersum cum iure speciali ad auxilia illi fini conuenientia. Sed neque istud simpliciter necessarium est ad distinctionem sacramentorum, vt vult prima opinio. Nam absolutè loquendo, potuisset Christus instituere distincta sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, verbi gratiâ, ea solum de causa, vt qui turpiùs post Baptismum peccauerint, id est, vt ait Tridentinum, post fidem Christo datam, & donum Spiritus sancti acceptum, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerint, liberentur à peccato per medium laboriosius, in quo exigitur à peccatore humiliatio maior, & aliqua satisfactio. Quamuis alioqui sacramentum Pœnitentiæ, & Baptismus non referrentur ad alium finem, quàm ad iustificandum simpliciter, neque conferrent ius ad auxilia diuersa, sed ad ea tantummodo quæ iustificatio & gratia sanctificans quasi connaturali iure postulat, vt operari possit. Sicut enim vitæ naturali, siue illius principiis, debentur connaturaliter auxilia, & concursus diuinus, quibus conuenienter naturæ suæ operari possint: sic vitæ supernaturali, eiusque principiis, debentur connaturaliter auxilia vitæ illi & eius operandi modo proportionata. 21.

Ordo diuersus sacramentorum ad fines varios non fuit simpliciter necessarius ad illa distinguẽda.

Trid. sess. 14. c. 8.

Similitérque sacramenta Confirmationis,

Eucharistiæ, & alia omnia poterant simpliciter institui ad conferendum tantummodo augmentum gratiæ sanctificantis, vel ad maiorem commendationem misericordiæ & amoris diuini, nobis tot mediis succurrentis, & tam abundè prouidentis saluti nostræ, ac prouehentis ad perfectionem vitæ supernaturalis, iisdem fere modis ac mediis, quibus sensim progredimur ad perfectionem vitæ naturalis, bonúmque illius statum, priuatum & publicum. Conuenientius tamen fuit institui Sacramenta eo modo, quo reipsa fuerunt instituta, in ordine ad fines diuersos, & cum iure speciali ad auxilia fini suo consentanea. Præsertim ea quibus est aliquod onus speciale annexum, vt Baptismo onus subiacendi Ecclesiæ, & seruandi illius leges: Confirmationi, onus patienter ferendi Christi opprobria, & pro fide certandi vsque ad mortem: Pœnitentiæ, onus satisfaciendi: Ordini, onus ministrandi Ecclesiæ: Et Matrimonio, debitum sustinendi onera Matrimonii. Extrema verò vnctio non minùs conuenienter postulat auxilia gratiæ in tanto, tamque difficili periculo, pro quo est instituta. Et Eucharistia, sacramentum amoris, conuenienter exigit gratias actuales, quibus ad amorem diuinum frequenter & feruenter excitemur, atque ita Christo per affectum suauissimè vniamur, & constantissimè adhæreamus.

22. Notandum tamen ius illud speciale, acquisitum per sacramenta, posse non modò extingui, perditâ per peccatum mortale gratiâ sacramentali, in qua fundatur, & cui annexum est, vt suprà diximus: verùm etiam quoad effectum impediri posse ne operetur, per nimiam distractionem, & effusionem ad res temporales, vel alias ad salutem & Dei cultum non pertinentes. Quare vt isti effectui sacramentorum non ponatur obex, debet quisque attendere saluti suæ & profectui spirituali, conarique auxiliis à Deo datis semper & fideliter cooperari.

23. *Per sacramenta virtutes simul infunduntur cum gratia.*

Secunda conclusio: Cum gratia habituali, quæ realiter est ipsa charitas habitualis & supernaturalis, infunduntur simul per sacramentum ex opere operato aliæ virtutes theologicæ, fides & spes, nisi ante infusæ fuerint; atque etiam morales supernaturales, & dona Spiritus sancti, si à virtutibus distincta sunt. Ratio est, quia qui dat formam; dat etiam, si perfectè agat, ea quæ veluti connaturaliter præsupponuntur in subiecto, aut comitantur formam: idque cum intensione & perfectione proportionata formæ. Atqui omnia supradicta sunt huiusmodi, vt per se quodammodo pertineant ad statum perfectum ipsius gratiæ, & totius iustitiæ supernaturalis, quæ est finis sacramentorum: ergo, &c. Similique modo quando ex opere operantis extra sacramentum confertur gratia, illæ virtutes simul, atque dona conferuntur. Sed non assentior Suari disputatione septima, sectione secunda, affirmanti infundi semper pari gradu cum gratia. Nam ratione dispositionis peculiaris, vel exigentiæ, potest excessus proportionis interdum reperiri. Neque id negari puto à communi sententia: sed tantùm asseri, quòd alioqui sacramentum æqualiter hæc omnia infundat. Imò interdum vna virtus potest infundi sine alia, atque etiam sine gratia: sicut & conseruari sine illa: vt iis contingit, qui sufficienter de fide instructi, eliciunt actum fidei supernaturalem, Deo specialiter auxiliante: illis enim eodem instanti infunditur habitus fidei supernaturalis, ad quem sufficienter se disposuerunt per actum fidei: nondum tamen infusa spe, vel charitate seu gratia, aliisque virtutibus, donec exerceant actum spei & charitatis, aut sacramenti ope iustificentur. Vt è contrario, potest quis, retenta fide integra, priuari gratia, ob peccatum mortale. Nam quoduis peccatum mortale non tollit fidem, licet gratiam tollat; sed solum peccatum infidelitatis, vt docet Concilium Tridentinum sessione sexta, capite decimo quinto. Idemque sentiendum est de virtute spei supernaturalis, quòd scilicet infundatur posito actu ipsius proprio, in actu fidei fundato, nondum licet infuso habitu charitatis. Possunt etiam quædam dona supernaturalia impetrari, non impetratis aliis. Alioqui si omnia simul æquè impetrarentur, vno impetrato: perinde esset hoc aut illud petere & impetrare. Nec adeo magna esset ratio cur Christus aliquando ad fidem, alias ad constantiam petendam hortetur. Denique actus virtutum supernaturalium, vt sunt eiusdem ordinis & naturæ cum habitu supernaturali sibi proportionato: ita specialiùs ad illum disponunt: & secundum excessum actuum disponentium, par est infundi habitus cum simili excessu. Contra hæc nihil opponit Suarez magni momenti. Neque verò de aliis virtutibus respectu gratiæ, vt de proprietatibus naturalibus respectu suæ formæ, omnino & in rigore philosophandum est. Cùm moraliter tantùm, & secundum Dei institutionem, partim eam præcedant, vt fides & spes: partim eam comitentur, vt virtutes morales, & dona Spiritus sancti, si distinguuntur à virtutibus.

Non infunduntur semper pari gradu cum gratia, & possunt aliquæ separatim infundi.

SECTIO III.

An omnia sacramenta nouæ legis conferant primam gratiam, vel gratiam æqualem omnibus recipientibus?

Prima conclusio: Sacramenta quædam per se primò sunt instituta ad dandam primam gratiam, vt Baptismus & Pœnitentia: quæ tamen per accidens conferunt sæpè secundam. Quædam ad secundam, 24.

Sacramenta quædam per se conferunt primam gratiam.

tiam, alia secundam. vt Confirmatio & reliqua; quæ similiter per accidens sæpe conferunt primam. Nomine primæ gratiæ intelligo gratiam sanctificantem quæ primùm infunditur subiecto nondum habenti vllum gratiæ gradum, adeóque existenti in peccato mortali, quod desinit esse quando gratia infunditur. Per secundam verò, intelligo eam quæ aduenit subiecto iam grato, estque augmentum gratiæ præhabitæ. Quo supposito, patet conclusio ex fine sacramentorum. Nam vnumquodque sine dubio est fini suo proportionatum. Quia ergo Baptismus est institutus ad dandam primam vitam spiritalem per modum regenerationis, & ad tollendum peccatum originale, simúlque actualia mortalia si quæ contracta sint ante Baptismum: non supponit per se primò, siue ex primaria ratione suæ institutionis, vitam spiritalem iam præhabitam, & peccatum iam sublatum: sed per se valet ad transferendum hominem à statu corruptionis primi Adæ, ad nouitatem vitæ secundi, id est, Christi. Idémque dico de sacramento Pœnitentiæ respectu peccatorum post Baptismum commissorum, contra quæ per se primò institutum est, & ad gratiam, amissam per peccatum, recuperandam.

Prioris generis sunt baptismus & Pœnitentia.

25. Contra verò, quia confirmatio per se primò instituta est ad corroborandum in fide, vitaque spiritali; & Eucharistia, ad nutritionem animæ: vtrumque horum sacramentorum gratiam præsupponit in subiecto per se, & quantum est ex ratione primariæ institutionis. Corroboratio enim, & nutritio, supponit vitam quæ corroboretur & nutriatur. Reliqua tria sacramenta non sunt quoque instituta per se primò ad delendum peccatum mortale: sed Extrema-vnctio, ad leuamentum corporis & animæ, ad tollendas reliquias peccatorum, & ad confirmandum ægrotum in extrema illa lucta: Ordo, vt detur potestas validè aut legitimè exercendi diuina officia: Matrimonium, ad legitimam & conuenientem propagationem generis humani inter membra Ecclesiæ. Quæ omnia supponunt suscipientem viuere: ideóque non infundunt primam gratiam, sed infusam præsupponunt & perficiunt. Et hæc omnia appellantur sacramenta viuorum, quia debent à viuis, id est, antea iustificatis, accipi; neque possunt licitè recipi in statu peccati mortalis, nisi excuset ignorantia. Duo verò priora, Baptismus scilicet & Pœnitentia, vocantur sacramenta mortuorum, quia possunt licitè recipi à reis & consciis peccati mortalis nondum remissi: vt satis apertè de Pœnitentia declarauit Trident. sessione decima quarta, capite quarto. Et par est ratio de Baptismo, qui æquè contra peccatum mortale institutus est. Quare falluntur, & Tridentino repugnant Gabriel, Maior, & alii qui putant hæc sacramenta nunquam facere de attrito contritum, id est, nunquam iustificare solùm attritos: cùm Trident. cap. cit. affirmet, Attritionem, *Quamuis sine sacramento pœnitentiæ, per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere:* & nimirum cum illo ad eam perducere. Hoc enim postulat diuisio & oppositio facta à Trident. verbis relatis, & aliis præcedentibus, instituta que comparatio inter contritionem & attritionem, quoad vim iustificandi. Quidni verò possint fideles contra peccatum mortale vti remedio facillimo & certissimo, quod Christus ipse contra illud directè instituit? & cur sacramentum non possit sortiri effectum, ad quem per se primò institutum fuit, & efficaciam à Christo accepit? Quomodo item Christus faciliorem viam iustificationis adultorum instituisset in lege noua, quàm erat in Mosaica, si nunquam possent iustificari sine perfecta contritione, vt asserunt illi Authores sine sufficienti fundamento. Nam quod præcipuè opponitur ex Gregorio Magno Homil. 26. super Euang. non debere nos per pastoralem authoritatem soluere, nisi quos auctorem nostrum per suscitantem gratiam cognoscimus viuificare: Non aliud significat, quàm non debere sacerdotes absoluere sacramentaliter, nisi eos qui gratia Dei excitante & suscitante præuenti concipiunt motum doloris de peccatis, sicut oportet, incipiúntque viuificari saltem dispositiuè.

Posterioris generis sūt Confirmatio, Eucha. & reliqua.

Porrò si contingat baptizandum aut pœnitentem conteri ante sacramentum, vel aliquem confiteri de solis venialibus, aut de mortalibus iam remissis: non propterea sacramentum frustratur effectu. Nam de fide est, sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem, ex Trid. sess. 7. can. 6. *De Sacramentis in genere.* At tales obicem non ponunt, sed potiùs accedunt optimè dispositi quando contriti sunt. Verùm per accidens est sacramentis illis quòd gratiam in subiecto reperiant: quódque gratia, quam infundunt, sit reipsa secunda, & augmentum prioris. Neque est existimandum, Christum, qui voluit vt hæc sacramenta possent prodesse mortuis, noluisse vt viuis quoque prodessent, quod facilius est. Et vice versa, sentiendum est de Christi bonitate, voluisse quoque, vt sacramenta quæ per se sunt viuorum, possent per accidens prodesse mortuis accedentibus bona fide, & ad opem sacramentorum piè confugientibus: cùm scilicet sibi conscii non sunt peccati mortalis, aut credunt se contritos esse cùm sint tantùm attriti, aut sunt ignari sui officii, nec tamen sine aliquo pio motu & supernaturali contra peccatum, accedunt. Tales enim non ponunt obicem gratiæ. Et sicut sacramenta, quæ sunt per se primò instituta ad dandam gratiam primam, possunt per accidens dare secundam: sic vice versa sacramenta illa quæ sunt per se instituta ad 26.

Priora conferunt interdū gratiam secundam: & posteriora cōferunt aliquando primam.

dandam gratiam secundam, possunt per accidens dare primam: vt rectè docet Diuus Thom. quæst. 79. artic. 3. & in 4. distinct. 17. quæst. 3. artic. 4. & quæst. 30. Supplem. artic. 1. in corpor. quem Thomistæ communiter, & Suarez disputatione 7. sectione 2. §. *Nihilominus*, aliique plures sequuntur.

Neque dicas impossibile esse nutriri spiritualiter per Eucharistiam eum qui mortuus est; sicut impossibile est nutriri corporaliter non viuentem. Respondeo enim talem non esse planè mortuum, neque omnino similem mortuo corporaliter: siquidem cum pio motu supernaturali accedit: & exactam proportionem non esse attendendam in comparatione progressus & mediorum vitæ spiritalis, & corporalis. Aduertendum tamen est hanc sententiam non superare gradum probabilitatis: & non deesse graues auctores qui contrarium sentiant, moti non leuibus rationibus, præcipuè circa sacramentum Eucharistiæ, vt dicemus inferiùs disput. 33. sect. 1. num. 4. & sequentibus, vbi fusiùs hac de re disseremus.

27. Sacramenta non conferunt æqualé gratiam.

Secunda conclusio: Sacramenta omnia non conferunt æqualem gratiam: & singula operantur meliùs in subiecto magis disposito, & plus gratiæ illi conferunt. Prima pars conclusionis deduci potest probabiliter ex Trident. sess. 7. can. 3. de Sacramentis in genere, vbi definit septem sacramenta nouæ legis non esse ita inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius. Nimirum quia saltem Eucharistia præstat cæteris dignitate, quatenus continet ipsummet Christi corpus & sanguinem: cætera verò in rebus longè inferioribus instituta sunt, neque ad finem adeo nobilem ordinantur, nempe ad arctissimam coniunctionem, & velut identitatem cum Christo. Est autem probabile, vt dignitate, ita & efficacia cæteris antecellere, quod innuit quoquè Trident. sess. 13. cap. 2. initio, cùm ait Christum in hoc sacramento diuitias sui erga homines amoris velut effudisse. Similitérque de aliis sacramentis probabile est alia aliis præstare efficacia, cæteris paribus, prout ad finem nobiliorem ordinantur, & alia aliis digniora sunt, vt docet Lessius lib. 12. de Perfection. diuin. cap. 12. in fine. (Lessius.) Quanquam id non est necesse in iis quæ possunt iterari. Loquor autem de efficacia sacramentorum respectu gratiæ. Nam respectu remissionis pœnæ, Baptismus id habet speciale præ Eucharistia, & cæteris, vt semper totam pœnam cum culpa remittat, nisi sit obex. Sed ratio est, quia pœna peccatis ante Baptismum commissis debita remittitur per Baptismum ex pura misericordia. Alia verò remittitur admixtâ & seruatâ quadam proportione iustitiæ. Deus enim aliter in gratiam recipit eos, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt. Aliter verò eos qui semel à peccati & Dæmonis seruitute liberati, & accepto per Baptismum Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerint, vt habet Trident. sess. 14. cap. 8.

Secunda pars conclusionis, quòd videlicet, singula sacramenta meliùs operentur in subiecto magis disposito, est D. Thomæ quæst. 69. art. 8. Richardi, Soti, & aliorum quos refert & sequitur Suarez disput. 7. sect. 5. Et probatur ex Trident. sess. 6. cap. 7. vbi loquens de iustificatione quæ fit per Baptismum, ait vnumquemque iustitiam recipere, *Secundum suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Quæ postrema verba significant meliùs dispositum recipere maiorem. Hoc enim est propriè vnumquemque recipere gratiam secundum propriam dispositionem & cooperationem. Alioqui non seruatur mensura seu proportio inter gratiam & dispositionem. Ratio à priori est institutio Christi, qui sapienter sic statuit. Primò scilicet, Quia suaui ipsius prouidentiæ iustissimæque distributioni id magis conuenit. Secundò, Quia hoc magis facit ad excitandos susceptores sacramentorum, vt cum meliori dispositione accedant. Tertiò, Sic meliùs seruatur analogia inter sacramenta & causas naturales, quæ meliùs operantur in subiectis meliùs dispositis, licet illæ dispositiones non concurrant effectiuè. Quemadmodum exempli gratiâ anima rationalis meliùs intelligit in corpore meliùs disposito. 28. (Melius operantur in melius disposito. D. Thom. Suarez.)

Sunt tamen qui existimant sacramenta ex opere operato semper æqualem gratiam conferre quomodocunque dispositis: ac si maior interdum conferatur in susceptione sacramenti, id non esse ex opere operato, neque virtute sacramenti: sed ex opere operantis: quando nimirum dispositio est huiusmodi, vt de se sit sufficiens ad gratiam, cuiusmodi est actus charitatis supernaturalis. Sed hi non satis sincerè Tridentinum exponunt: & quæ obiiciunt nullius sunt momenti. 29. (Contraria sententia.)

Alii putant in Sacramentorum susceptione inæqualiter gratiam infundi æqualiter licet dispositis. Non quidem virtute sacramenti: sed vel ob solum Dei decretum de hominibus inæqualiter iustificandis, vt Angelorum loca inæqualia repleant: vel quia Christus vnis magis quàm aliis sua merita in cruce applicauit: quemadmodum Scotus, Gabriel, & Paludan. imaginantur. Siue etiam, vt Caietan. & alii malunt, ratione dignitatis & deuotionis ministri sacramentum conferentis, ita vt dignior & sanctior plus conferat.

Sed priores diuinando id afferunt: & falsò supponunt prædestinationem respectu hominum non fuisse factam per se,

sed per accidens tantùm ex occasione peccati & ruinæ Angelorum. Ac Deum efficaciter & absolutè prædestinasse homines, ante præuisionem conditionum vel operum, ad talem & tantum gradum gloriæ: vi cuius destinationis sacramenta meliùs operentur in subiecto alioqui non meliùs disposito.

30. An bonitas ministri faciat vt melius operentur? Cyprian. Nazianz. Posteriores verò, si volunt sacramenta habere maiorem virtutem & efficaciam immediatè à bonitate ministri; loquuntur contra doctrinam sanctorum Patrum, Cypriani in sermone de Baptismo Christi, aientis valorem sacramenti non pendere à bonitate ministri: Nazianzeni oratione 40. in sanctum Baptisma, vbi eleganter comparat bonum vel malum sacramenti ministrum sigillo aureo vel ferreo, quod eundem habet effectum: Et Augustini tractat. 6. in Ioan. affirmantis Baptismum datum à meliori ministro, non esse meliorem, neque pendere ab eius meritis, sed Christi. Item si volunt ministrum sacramenti immediatè mereri aut impetrare gratiam suscepienti sacramentum, ratione sanctitatis, absque proprio actu suscipientis; falluntur, quia solus Christus meretur hoc modo aliis gratiam in lege Euangelica, vt suppono ex tractat. de merito. Alioqui quidni mererentur homines gratiam infantibus morientibus sine Baptismo in vtero materno? Quidni etiam possent impetrare vt alicui remitteretur peccatum mortale sine contritione, vel vsu sacramenti Baptismi aut Pœnitentiæ? Quidni posset aliquis dormiens, aut nihil cogitans, consequi vno momento maximum gratiæ augmentum, si plures viri sancti pro ipso simul orarent? Quidni etiam paruulis non modò primam gratiam, sed & eius augmentum sine propriis actibus, quos habere non possunt, impetrarent? Quæ in Ecclesia audita hactenus non sunt. Nec quisquam est qui alteri primam gratiam vel eius augmentum obtineat, nisi obtinendo illi bonum aliquem motum, quo ad illam se disponat, vel sacramenti applicationem. Cætera verò sunt præter statum & ordinem legis Euangelicæ. Si autem id solum intelligunt, quòd minister sacramenti, ratione suæ sanctitatis, possit impetrare, vel mereri de congruo plus dispositionis & deuotionis, vel ad eam exemplo suo excitare: verum id quidem est, & confirmatur à Diuo Thoma quæstione sexagesima quarta, articulo primo ad secundum, vbi sic ait: *Effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per deuotionem ministri.* Et quæstione octuagesima secunda articulo sexto, docet eam ob causam sacrum à meliore sacerdote celebratum, fructuosius esse ex deuotione sacerdotis offerentis. Et pariter aliis plus prosunt boni, quam mali ministri: quia aptiores sunt vt efficaciter excitent suscipientem ad meliorem dispositionem; ad quam etiam auxilium Dei speciale impetrare possunt. Sed hæc opinio iam in nostram coincidit, quòd nimirum sacramenta meliùs tantùm operentur in subiecto magis disposito. Priori verò sensu omnino falsa est, quem tamen præ se ferunt verba aduersariorum, quique apertè traditur à Gabriele in quarto distinctione quarta, quæstione secunda, articulo secundo conclusione septima, & vtcunque significatur à Caietan. ad articulum primum quæstionis sexagesimæ quartæ, sed ambo nihil aliud afferunt dignum refutatione.

(Marginalia: August. — D. Thom. — Gabriel. — Caiet.)

SECTIO IV.

An sacramenta conferant semper gratiam, & quo instanti illam producant?

Dico primò sacramenta omnia nouæ legis conferre gratiam semper, & omnibus recipientibus sine obice. Est de fide, definitum in Trident. sess. 7. can. 6. & 7. *De Sacramentis, in genere.* Qua definitione refellitur error Gabrielis in 4. distinct. 6. quæst. 2. artic. 2. conclus. 2. affirmantis Baptismum aliquando non conferre gratiam; quando scilicet ille, qui baptizatur, accepit ante Baptismum omnem gratiam, quam Deus præuidit eum habiturum. Quæ suppositio est æquè falsa, atque id, quod in ea fundatur. Deus enim non statuit de gradu gratiæ cuiusquam, ante præuisa media. Et inde sequeretur posse aliquem millies confiteri, aut Eucharistiam recipere, cum maxima animi præparatione, nihil gratiæ recipiendo vi sacramenti, ex eo solùm quòd Deus statuit nihil amplius dare. Quæ omnia damnantur can. 7. cit. ita pronunciante: *Si quis dixerit non dari gratiam per eiusmodi sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, licet ea ritè suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.* Neque video quomodo illa Gabrielis doctrina cohæreat cum altera eius assertione, distinct. 4. quæst. 1. artic. 2. conclus. 4. *Omnibus ritè,* (id est, non fictè & indignè) *Baptismum suscipientibus gratia gratum faciens, si non inest, de nouo infunditur: si præfuit, augmentatur.* 31. Sacramenta conferunt semper gratiã recipienti sine obice. Gabriel.

32. Sensus autem nostræ conclusionis & Tridentini est, quòd sacramenta conferant semper & omnibus gratiam si non sit obex; & non conferant, si sit obex, id est, si sit impedimentum gratiæ. Loquimur enim hic de obice gratiæ, non de obice sacramenti: id est, de obice non impediente valorem sacramenti; sed tantùm eius effectum, quasi moraliter ligando & suspendendo eius vim. Vnde dicitur tale sacramentum esse ratum, seu validum, sed informe, id est, sine effectu gratiæ.

Ratio assertionis est, quia promissio Christi, alligata sacramentis, est vniuersalis & infallibilis: quantum est ex parte Christi & sacramentorum, modò non desint conditiones à Christo requisitæ ex parte recipientium. Alioqui enim si desint, vel si, quod peius est, adsint contrariæ dispositiones cum gratia incompossibiles: sacramenta non operantur gratiam, quamdiu desunt conditiones necessariæ, vel adsunt contrariæ. Ex. gr. licet Christus promiserit vniuersaliter & infallibiliter Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; id tamen Paulo interprete 1. Corinth 11. intelligendum est cum conditione requisita ex parte recipientis, vt non indignè accedat. Alioqui enim *iudicium sibi manducat & bibit*. Et vt rectè ait Cyprian. in serm. de Cœna Domini: *Sacramenta quantum in eis est, sine propria virtute esse non possunt. Non possunt tamen Spiritus sancti esse participes, quorum insidelitas, vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit.*

Cyprian.

33. Obex sacramenti quid sit, & quotuplex.

Est autem obex generatim, vel carentia necessariæ dispositionis; vel præsentia contrariæ, cùm quis non modò non se disposuit ad gratiam, sed etiam actu peccat mortaliter, quando recipit sacramentum. Pro quo nota, Deum in paruulis per sacramenta iustificandis nihil ex parte ipsorum requirere, præter sacramenti capacitatem. Quia iustificat illos vt paruulos, id est, vt incapaces alicuius actionis liberæ: & qui actu solùm alieno primi Parentis contraxerunt peccatum, iustificantur actu solùm & ministerio alieno. Nomine paruulorum intelligo etiam perpetuò amentes, quorum par est ratio, quique sensu paruuli sunt, licet grandes ætate. Adultos verò, id est, eos qui vsum rationis habent, aut habuerunt aliquando, Deus iustificat vt adultos, id est, vt volentes & liberè consentientes, ac non sine aliquo actu proprio. Quare necesse est, vt credant, & consentiant in id quod fit, velintque seriò amicitiam diuinam, cum proposito in ea perseuerandi: vt æquissimum est, cùm ne homines quidem sapientes, dignos censeant sua amicitia illos, qui eam sine tali proposito ambiunt. Item, si peccauerunt actu mortaliter, necessarium est, vt propria voluntate retractent quod malè commiserunt, doleantque se Deum offendisse, cum proposito saltem virtuali non peccandi de cætero. Ideo Philippus Eunucho baptizari volenti Act. 8. *Si credis*, inquit, *ex toto corde, licet*. Et Petrus Iudæis, mortis Christi, & aliorum criminum reis, sed conuerti volentibus, & quid sibi agendum postulantibus Act. 2. *Pœnitentiam agite*, inquit, *& baptizetur vnusquisque vestrum*. Sufficit tamen hunc dolorem esse virtualem in iis, qui status sui & officii sunt ignari: excepto sacramento Pœnitentiæ, in quo dolor formalis, qui sit attritio vel contritio, est pars essentialis. Ac si ad Baptismum vel ad sacramentum Pœnitentiæ accedatur, sufficit attritio. Ad alia verò requiritur per se contritio, vel absolutio sacramentalis, si accedens est in peccato mortali propria voluntate commisso. Potest tamen ignorantia excusare ab hac obligatione, quæ tantùm est præcepti, non medii. Hos autem omnes actus debere aliquo modo esse supernaturales, satis constat ex Conciliis Arausicano can. 7. Mileuit can. 4. & Trident. sess. 6. can. 3. vbi definit non posse homines credere, sperare, diligere, aut pœnitere sicut oportet vt iustificationis gratiam consequantur, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio. Loquitur autem de iustificatione generatim, siue quæ vi sacramentorum, siue quæ aliter confertur, vt patet ex tota sess. præsertim ex cap. 4. 5. & 6. & alioquin eius doctrina non esset generalis & perfecta.

Quòd si adulti non modò non afferant eiusmodi dispositiones ex impotentia, vel ignorantia inculpabili: sed, quod peius est, actu peccent mortaliter in ipsa susceptione sacramenti per liberam omissionem necessariæ dispositionis, vel per aliquid aliud: multò magis ponitur obex gratiæ. Quia secundum legem à Deo positam, peccatum mortale & gratia simul esse non possunt. Quare non potest infundi gratia subiecto, eodem instanti quo peccat mortaliter. Alioqui peccatum mortale esset eo instanti, & non esset. Esset, quia committitur: non esset, quia gratia est, & cum gratia nunquam est peccatum mortale. Peccatum autem veniale non est obex, quia non repugnat incompatibiliter gratiæ. Neque est inconueniens diuersis actibus iniri vel augeri amicitiam diuinam, & simul admisceri leuem aliquam offensionem, quæ non repugnat amicitiæ incompatibiliter. Vt inter homines contingit, quando quispiam præstat alteri magnum aliquod beneficium, cum leui aliqua indecentia quoad modum conferendi. 34.

Dico secundò, Sacramenta, si non sit obex, conferre gratiam eo ipso instanti, quo primùm sunt perfecta essentialiter, aut sufficiẽter applicata. Quod vltimum addo propter venerabilis Eucharistiæ sacramentũ, in quo effectio distinguitur ab applicatione, neque sufficit sine illa ad producendam gratiam. At in aliis omnibus, quæ in vsu consistunt, applicatio & effectio idem sunt. Quòd ergo hæc sacramenta infundant gratiam non ponenti obicem, eo instanti quo sunt perfecta essentialiter; Eucharistia verò cùm primùm est sufficienter applicata, id est, cùm primùm dici potest species consecratas sufficienter sumptas esse, quantum ad comestionem vel potionem præcisè necessarium est; probatur, quia ante quidem non possunt operari, cùm ante non sit posita causa completa & perfecta, vel non sit sufficienter applicata. Quòd autẽ operentur cùm primùm sunt perfecta vel applicata, neque diutiùs debeat operatio differri, patet, quia causa efficax, & naturaliter operans, agit cùm primùm est sufficienter applicata, si ex parte effectus, aut subiecti, 35.

Sacramenta conferunt gratiam eodẽ instãti quo applicantur.

vel aliundè, nihil impediat. Atqui sacramentum est talis causa respectu gratiæ: Et ex parte ipsius gratiæ non repugnat statim fieri: ex parte verò subiecti non est obex, vt supponimus, nec quicquam aliud impedit: ergo &c.

36. Auxilia nō dantur semper eodem instanti, sed gratia.

Loquor autem de gratia nudè sumpta, non de auxiliis adiunctis, quæ non dantur eodem instanti, sed opportuno tempore, quando illis opus erit: nisi tamen ponatur illis obex, qualis est, excidisse à gratia per sacramētum accepta, in qua fundantur auxilia, & ius ad illa: vel etiam dispositio repugnans huiusmodi auxiliis, seu motionibus diuinis aut illustrationibus. Quod non tantùm contingit per peccatum mortale, verùm etiam per venialia, & per voluntariam distractionem, seu attentionem ad alia, vt nos supra notauimus cum Suare disp. 7. sect. 4. Confirmatur, quia, nisi sacramentum operaretur cùm primùm est perfectum & applicatum, sed post; sequeretur aliquem legitimè baptizatum, vel absolutum à peccatis sacramentaliter, non recipere gratiam in eo casu, quo recipiens moreretur immediatè post sacramentum perfectum & applicatum. At hoc est absurdum, & contra Concilia affirmantia, sacramentum iustificare quemcumque non ponentem obicem.

Suarez.

37. Obiicies, Sacramenta quæ consistunt in vsu, & applicationē sacramenti Eucharistiæ, fieri successiuè; & more successiuorum incipere extrinsecè per vltimum sui non esse, & desinere extrinsecè per primum sui non esse. Ergo nullum est instans in quo primùm possint illa dici esse perfecta, aut istud esse sufficienter applicatum. Ergo falsò asseruntur producere gratiam, quo primo instanti sunt perfecta & applicata.

Quomodo sacramenta perficiātur in instanti, cum successiue fiant.

Responderi potest primò, Sicut hoc negotium totum morale est, & sacramēta tantùm agunt moraliter: ita moraliter illud instans accipiendum esse, non in rigore mathematico. Secundò Respondeo, quidquid sit de modo incipiendi & desinendi, deque tota compositione successiuorum; non deesse aliquod instans positiuum aut negatiuum, id est, per negationem tendentiæ vlterioris, in quo verè dici potest sacramenti effectionem, vel applicationem, successiuam licet, esse vltimò completam essentialiter: ita vt absolutio v. gr. vel prolatio verborum, & significatio, sufficienter facta iam sit, cùm toto tempore præcedenti non esset. Illud enim complementum aliquando est. Est autem inimaginabile aliquid esse aliquando, de quo nunquam verum sit dicere, quòd est: & quòd nunc 1. est, si aliquando incipit esse. Difficultas autem proposita orta est ex plurimorum imaginatione, quòd continuum componatur ex partibus & punctis intermediis, quódque indiuisibile non possit respondere alicui diuisibili. Quæ omnia sunt falsa. Nam continuum, vel componitur ex solis indiuisibilibus, vel ex solis diuisibilibus. Et si hoc secundum dicatur: Deus, & Angelus, & anima rationalis, respondent spatio diuisibili, in quo sunt, per suam entitatem indiuisibilem, cuius extensio virtualis, seu replicatio, non est aliud, quàm indiuisibile replicatum. Etenim tota extensio Dei per immensa spatia imaginaria, & Angeli in spatio quod occupat, & animæ rationalis in corpore quod informat, non est aliud quàm entitas indiuisibilis & punctum spiritale, quod vbicumque est, indiuisibile est, licet in aliquo diuisibili sit: & sibi ipsi immediatum, ac pluries positum seu præsens per præsentias singulas indiuisibiles (sunt enim ipsa entitas rei indiuisibilis per se præsentis) implet totum illud spatium, non aliter ac si vnum punctum materiale, per seipsum pluries positum & pluribus æquiualens, tale spatium componeret, aut si loco vnius essent plura sibi immediata sine replicatione.

Verùm quicquid de difficultate humanis ingeniis insuperabili sentiendum sit: in auchorum quos refutamus opinione, ponentiū partes & puncta in continuo, necesse est dicere punctum indiuisibile respondere partibus diuisibilibus inter quas interiicitur. Sicut autem dicunt in continuo permanente respondere indiuisibile diuisibili inadæquatè: ita fateri debent, idem fieri posse in successiuo. Addo, propriè loquendo nihil incipere extrinsecè, aut desinere intrinsecè. Nā quod incipit esse, est cùm incipit esse: & quod desinit esse, siue incipit non esse, non est cùm desinit esse, seu incipit non esse. Destructio enim & desitio terminatur ad non esse: sicut productio terminatur ad esse. Et quo instanti est actio, est eius terminus. Implicat enim agere, & nihil agi. Denique de quo verum est dicere, nunc non est, & immediatè postea erit; de eodem verum est dicere immediatè post, quòd nunc sit vel totum, vel secundum aliquid sui, saltem inadæquatè. Et de quo verum est dicere, nunc non est, & immediatè antea erat; de eodem verum erat dicere immediatè antea, nunc vltimò est saltem secundum aliquid sui inadæquatè, & immediatè post non erit. Vel enim falsum est quòd immediatè antea esset: vel erat immediatè antea secundum aliquid sui. Et quandocumque aliquid est, de eo tunc verum est dicere, nunc est. 38.

Per hæc soluitur alia difficultas, quæ hic Suarem torquet disput. 8. sect. 2. de eo cui Deus præciperet vt ante mortem eliceret actum amoris, quique ad mortem vsque perseueraret cum vsu rationis, non eliciendo. Quæritur enim quando ille peccaret? Respondeo, peccaret quo instanti videret se, nisi nunc eliciat, nunquam eliciturum, quia immediatè post sequitur mors, vel tempus adeo breue & imperceptibile, vt non sit spes eliciendi. Quòd si hoc non aduertat inculpabiliter; non peccabit excusante inaduertentia. 39. Altera difficultas.

Sicut autem cùm tango baculi extremitatem, & dico, Hic est extremum: designo per, *hic*, aliquid diuisibile quidem intrinsecè, at

non extrinsecè vltra baculum, quia extra hoc nihil baculi est: sed non designo adæquatè sumptum; quia non est extremum, secundū id totum quod est in re, neq; per quicquam sui adæquatè sumptum, sed per minus & minus in infinitum: sic cùm dico, Nunc est perfectum Sacramentum, Nunc hora est completa, &c. Porro verè & propriè loquendo, omnis res est, quando incipit esse: & non est, quando desinit, seu quando incipit non esse. Estque impossibile vt *non esse* sit incipere esse, seu esse inchoatum: vel *esse*, sit incipere non esse, siue sit non-esse inchoatum. Quemadmodum res per esse nigram, non incipit esse alba, & per esse tenebrosam non incipit esse lucida. Ac si res est quando corrumpitur; multò magis erit quando non corrumpetur, id est, quando causa non eam corrumpet. Atqui non corrumpet post instans in quo solo corruptio est. Ergo, &c.

Hæc autem omnia dicta sunt iuxta sententiam eorum qui continuum componi volunt ex partibus in infinitum diuisibilibus. Iuxta contrariam verò sententiam, quòd continuum componatur ex indiuisibilibus finitis, si eius extensio finita est: nulla est difficultas quomodo gratia producatur in instanti vltimo essentiali, id est, in indiuisibili Sacramenti, quo aliis addito perficitur sacramentum essentialiter.

40. *Sacramenta reuiuiscunt obice remoto.* Dico tertiò, Sacramenta cum obice suscepta, illo postea remoto reuiuiscere & conferre gratiam: quanquam de omnibus id non est æquè probabile. De Baptismo quidem Theologi communiter id affirmant, præcipuè propter authoritatem D. August. lib. 1. de Bapt. contra Donatistas cap. 12. & lib. 3. cap. 13. Immeritò autem Vasq. disput. 159. cap. 3. conatur Augustinum aliter explicare: Cùm sanctus ille Doctor loco priùs citato apertè dicat Baptismum, obice remoto, ad remissionem peccatorum prodesse: & posteriori loco asserat valere ad dimittenda peccata. Et lib. 6. cap. 5. affirmet illo Baptismo peccata dimitti, nimirum æquè ac initio si obex non fuisset: Alioqui non satisfaceret Donatistis contendentibus rebaptizandos esse baptizatos ab hæreticis, ne ab illis baptizati non haberent fructum Baptismi. De aliis sacramentis initerabilibus idem plerique affirmant, estque par ratio ac de Baptismo: ne videlicet qui cum obice ea receperunt, careant in perpetuum eorum fructu, seu gratiæ effectu ab ipsis conferendo. De omnibus verò id tanquam probabilius docent S. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. a. 4. Palud. Petrus Sotus, Caietan. & plures alii. Primò, quia ratio quæ mouit D. Augustinum vt assereret Baptismum reuiuiscere, idem concludit de omnibus aliis cum obice susceptis. Nempe quia vt ait Sanctus ille Doctor lib. 1. de Bapt. contra Donatistas cap. 10. Baptismus est quoddam semen Christi, quod mala suscipientium voluntate potest quidem impediri ne quamprimùm operetur: at non planè corrūpi aut tolli. Vnde sublato impedimento operabitur, & filios Dei adoptiuos generabit. Quam ob causam lib. 6. de Baptismo cap. 5. loquens de baptizato in hæresi, & ab hæreticis, sic ait: *Et ideo si ab illa peruersitate correctus, & à separatione conuersus venerit ad catholicam pacem; sub eodem baptismate quod acceperat, peccata dimittuntur, propter vinculum charitatis* (id est, propter reconciliationem cum Ecclesia) *sub quo baptismate peccata eius tenebantur propter sacrilegium diuisionis. Quia illud & in homine iusto, & in homine iniusto semper sanctum est* (etiam effectiuè, id est, semper vim habet sanctificandi) *quod neque æquitate alicuius augetur, neque alicuius iniquitate minuitur.* Deinde non minor censenda est vis ad gratiam, meritorum Christi, quæ in sacramentis nobis applicantur; quàm sit meritorum nostrorum. Atqui merita nostra sunt huiusmodi, vt postquam transierunt physicè, maneant moraliter in Dei acceptatione, & valeant ad effectum gratiæ, quem semper obtinent, si non sit obex: Ac si per illum impediantur, eo tandem remoto reuiuiscunt, & gratiam restituunt: Gratiam, inquam, in gradu sibi peculiariter respondente in modum proprii præmii: Ergo merita Christi per sacramentum semel nobis applicata, manent similiter in Dei acceptatione, vt non minùs reuiuiscant. Maior per se probabilis est. Minor verò supponitur ex tract. de Pœnitentia, eique plurimùm fauet Scriptura, Patres & Trident. sess. 6. cap. 16. & can. 32. Neque dicas discrimen esse, quia merita nostra sunt opera viua: Sacramenta verò cum obice suscepta sunt opera mortua. Etenim vt rectè ait Suares disp. 8. sect. 3. quamuis sacramentum in peccato susceptum sit opus mortuum, prout est opus hominis illud suscipientis: vt tamen opus Christi est, non est opus mortuum, sed viuum: quamuis quoad effectum gratiæ sit veluti mortificatum, propter indispositionem malè suscipientis: sicut merita nostra mortificantur & impediuntur à suo effectu, quando peccatum mortale superuenit. Sed quemadmodum hæc reuiuiscunt sublato obice peccati; ita probabile est, Sacramenta reuiuiscere remoto obice.

41. *Non est tamen id certum.* His tamen non obstantibus existimo rem esse valde incertam, & non æquè probabile de sacramentis iterabilibus, & præcipuè de Eucharistia, quæ cùm frequentissimè sumi possit, minùs fuit necesse Deum instituere vt reuiuisceret, quàm alia quæ non possunt iterari, vel simpliciter, vt ea quæ imprimūt characterem: vel inter eosdem, vt matrimonium: vel non nisi in diuersis mortis periculis ex morbo, vt Extrema vnctio. Pœnitentia verò iterari quidem potest, sed nunquam est informis, vt ostendam suo loco. Aliunde autem inconueniens videtur & incredibile, sacerdotem veneficum, qui totâ vitâ celebrauerit in malo statu, & ad veneficia, aliosque malos fines; si conuertatur in fine vitæ & cum attritione confiteatur, fieri repentè sanctissimum, recipiendo effectum tot com-

Margin notes: August. — Vasques — D. Thom.

Suares Coninc Delugo munionum sacrilegarum. Propter quod Suares disp. 28. sect. 6. Aegid. Coninc quæst. 62. a. 1. dub. 5. Delugo disp. 9. de Sacrā. in genere n. 100. & plures alii probabilius censent Eucharistiam excipi debere: & rationem cur alia sacramenta reuiuiscant, non esse solùm eam, quam ante diximus, quæ nō est adæquata; sed adiungendam esse aliquam necessitatem vt reuiuiscant, eò quòd iterari non possint modo superiùs explicato: quæ necessitas Deum mouit probabiliter ad instituendum vt reuiuiscerent, ne recipientes carerent eorum effectu in sua necessitate. Confirmatur, quia cùm huiusmodi sacramenta conferant gratiam in ordine ad aliquos vsus, & cum iure ad auxilia illis conuenientia: credibile non est, quòd propter sacramentum indignè susceptum, Deus voluerit eos perpetuò priuari tali gratia, baptizatos quidem, confirmatos, & ordinatos, in perpetuum; quia hæc sacramenta absolutè iterari nequeunt: coniuges autem, toto cōiugii sui tempore; & infirmos, durante eadem ægritudine vel periculo mortis, in quo non potest iterari Extrema vnctio.

42 Obiicies cum Vasque disp. 161. n. 15. hanc rationem probare solùm gratiam sacramentalem, quæ est auxilium quoddam ad finem sacramenti, dari virtute sacramenti, recedente fictione: quod ait Vasques se non negare: Ob id tamen non esse necessarium, fateri, dari incrementum gratiæ habitualis, de quo nunc disputamus. Nam auxilium illud dari potest gratiæ habituali quocumque modo comparatæ, id est, siue per sacramentum præteritum cum obice susceptum, siue per aliud medium.

Satisfit obiectioni. Respondeo 1. Non quæri tantùm hoc loco, an sacramenta reuiuiscant ad dandum augmentum gratiæ: sed simpliciter etiam ad gratiam, & ad iustificationem peccatoris qui eam nondum obtinuit. 2. Ius ad auxilia cōuenientia fini cuiusque sacramenti, fundari in gratia sanctificante, collata vi eiusdem sacramenti; ita vt eâ perditâ, pereat tale ius. Ergo si vi horum sacramentorum datur ius ad illa auxilia, & ipsa conferuntur intuitu sacramenti: debet quoque dari gratia habitualis in qua fundatur. 3. Licet connaturaliter gratiæ sanctificanti debeantur auxilia ad vitam illam spiritalem & supernaturalem, ac statum filii adoptiui conuenientia: non tamen eo speciali iure quod acquiritur per sacramenta, quæ non frustra ad illum finem fuerunt à Christo instituta. Contendimus autem in argumento allato, non esse credibile, quòd Deus statuerit priuare perpetuò simpliciter, aut secundum quid, malè suscipientes huiusmodi sacramenta, quamuis postea ad Deum se conuertant ex toto corde, obicemque gratiæ sacramenti remoueant.

43. Sacramenta non operantur antequam sint. Existimant aliqui Sacramenta conferre gratiam aliquando priùs quàm reipsa suscipiantur: sicuti sæpe conferunt postquam suscepta sunt, modo iam explicato. Nimirum quia contingit aliquandò vt quis admodum egeat sacramento, nec possit illud recipere, licet maximè cupiat. Cùm enim Christus sacramenta instituerit, vt subueniret hominum necessitati: decuit eius benignitatem ita instituere, vt in tali casu sacramenta per votum, seu desiderium sui, operentur effectum suum: sicut fideles veteris Testamenti iustificabantur per fidem & desiderium Christi venturi. Confirmatur, quia Doctores communiter dicunt, sacramentum in voto conferre gratiam, & fructum sacramenti quandoque recipi per votum sacramenti, vt ait Trident. sess. 13. cap. 8.

Respondeo, Christum sufficienter prouidisse hominum necessitati, instituendo sacramenta quoad vsum valde facilia, & quoad vim valde efficacia: quorum si copia aliquando desit, potest iustificatio & gratia per actus contritionis ex opere operantis obtineri: atque eatenus sacramentorum defectus suppleri: quoad characteres enim & potestatem ordinis, & si quæ similia sint, suppleri non potest. Eoque sensu intelligendi sunt Doctores & Trident. locò cit. nempe quòd peccator contritus, & quiuis iustus, per pium sacramenti desiderium charitate formatum, obtineat ex opere operantis gratiam quæ conferri solet per sacramentum: licet non vi sacramenti, sed vi propriæ dispositionis: nec sine obligatione & desiderio saltem virtuali recipiendi sacramentum Baptismi, vel Pœnitētiæ, in eo qui peccatū mortale per baptismū aut pœnitentiā nondū expiauerit. Porro, si sacramentum operaretur antequam recipiatur: vel postea cùm reciperetur non operaretur: vel haberet duplum effectum. Et si hoc secundum dicatur, simili modo quis imaginaretur per piam eius recordationem desiderio æquiualentem, iterum operari sæpius atque sæpius. Quæ omnia sunt absurda, & sacramenta suscipiendi negligentiam parerent & contemptum. Neque par est ratio de Christi passione, remedio generali per fidē, aut per sacram. omnibus applicādo; & de applicatione ipsa particulari singulis facienda per sacramenta. Adde quòd à Pio V. reprobata est opinio Caietani asserentis, respectu paruulorum sufficere baptismi desiderium in parentibus in casu necessitatis: cùm tamen maior sit necessitas paruulorum, qui per proprios actus subuenire sibi non possunt & defectum baptismi supplere, vt adulti. Quare ratio aduersariorum nulla est. *Caiet. 3. p. q. 68. art. 2. in antiquis exemplar.*

SECTIO V.

Quid requiratur vt sacramentum reuiuiscat, & quomodo reuiuiscat?

SVperest quærere primò, Quid requiratur ad obicem remouendum, vt sacramentum reuiuiscat. Respondeo, quando in susceptione sacramenti fuit commissum pecca- 44. Si obexfuit peccatum

mort. commissum in receptione sacramenti, requiritur contritio, vel attritio cum alio sacramento.

tum mortale, durans actu pro illo instanti quo Sacramentum operari debebat, aut post illam mortaliter peccauit suscipiens: vt Sacramentum reuiuiscat necessaria est contritio supernaturalis, virtualis aut formalis: vel attritio cum alio sacramento. Quando autem neque in susceptione Sacramenti, neque post, commissum fuit vllum peccatum mortale: probabile est, vt Sacramentum reuiuiscat, sufficere attritionem veram & supernaturalem, aut dispositionem quæ defuit. Prima pars probatur, quia tollere talem obicem, est tollere peccatum mortale. Attritio autem sola, sine Sacramenti ope, non est sufficiens ad peccatum mortale remittendum, vt definit Trident. sess. 14. cap. 4. Et Sacramentum susceptum cum tali obice, non potest illam iuuare: quia Sacramentum non potest tollere peccatum ipso posterius: Sacramenta enim non sunt instituta ad remittenda peccata futura & posteriora se. Neque etiam potest tollere illud, quod fuit in eius susceptione commissum, & à quo fuit impeditum ne operaretur: impeditur enim ab eodem quamdiu manet.

45. Si fuit tantùm defectus dispositionis, sufficit illam ponere.

Secunda pars probatur à contrario, quia omnia sacramenta vim habent remittendi attrito, bona fide suscipienti, peccata mortalia priùs commissa: sicut & conferendi gratiam ex opere operato. Ergo accedente attritione, qualis defuit cùm susciperentur, remittent peccata ante susceptionem commissa. Aut si nulla commissa fuerunt, sufficit actus fidei & desiderium iustificationis, seu dispositio quæ defuit. Confirmatur, quia attritio illa, vel dispositio, antea sufficiebat ad effectum illum. Ergo & nunc sufficiet, quia nullum nouum impedimentum peccati accessit, vt supponimus, & sacramentum habet eandem vim quam antea, moraliter enim manet totum & integrum. Confirmatur 2. Quia tollere fictionem negatiuam de qua loquimur, id est, meram carentiam inculpabilem dispositionis necessariæ, non est formaliter tollere peccatum: nam ablatio peccati debet esse potiùs effectus sacramenti suscepti antea cum tali obice negatiuo, & reuiuiscentis posita attritione, vel dispositione, cuius solus defectus fuit causa, & adhuc est, vt non operaretur. Quare tollere obicem negatiuum, est tantùm ponere dispositionem quæ defuit, quæque sufficit vt sacramentum operetur. Ponitur autem hæc dispositio, quando ponitur attritio: ergo &c. Denique quoad hæc Baptismus v. gr. antea receptus, perinde tunc operatur, ac si tunc reciperetur: eandem enim habet habitudinem, tum ad peccata ipsum antecedentia (alia enim nulla sunt vt supponimus) tum ad illam dispositionem. Et de se semper efficax est, modò nouum obicem non inueniat.

46. Sacramenta cùm reuiuiscunt operantur magis in meliùs disposito.

Quæritur secundò, an sacramenta, quando reuiuiscunt, magis aut minus operentur, iuxta maiorem aut minorem dispositionem quâ remouetur obex? Respondeo affirmatiuè cum Delugo suprà num. 71. & sequentibus, idque non modò propter præsentem dispositionem, quâ remouetur obex; sed etiam propter eas quæ præcesserunt sacramenti receptionem. Putà, si is qui baptizandus erat, multùm orauit & ieiunauit, vt se disponeret ad Baptismum, quem tamen postea sine attritione recepit ex inaduertentia. Ratio est, quia iuxta Trident. sess. 6. cap. 7. gratia datur adultis inæqualiter, secundum propriam cuiusque dispositionem, ad gratiam scilicet. Vtraque autem dispositio, siue illa quę baptismum antecedit, siue illa quæ remouet obicem, est dispositio ad gratiam, & ad effectum sacramenti, ad quem est omnino necessaria, non autem ad esse sacramenti. Ac ne quis putet Trident. id tantùm dicere de dispositione quæ antecedit sacramentum, considerandum est Concilium ibi loqui de iustificatione vniuersim: tam quæ fit extra sacramentum per contritionem, quàm quæ per sacramentum. Quare iuxta illius doctrinam, quando aliquis conteritur, recipit gratiam secundum perfectionem suæ contritionis, id est, secundum propriam suam dispositionem ad gratiam. Ergo Concilium non loquitur tantùm de dispositione præcedente sacramentum, sed de quacumque dispositione ad gratiam. Et quidem par est ratio, vt Deus ad vtramque attendat, vtque forma perfectiùs recipiatur in subiecto meliùs disposito, & agens meliùs in illud agat, cæteris paribus.

Per hæc soluitur primum argumentum Suaris contrarium sententiis disp. 28. sect. 4. post medium: qui obiicit 2. Quando merita reuiuiscunt, non habetur ratio melioris dispositionis quâ reuiuiscunt, sed semper reuiuiscunt æqualiter, restituendo gratiam, & ius ad gloriam quam ab initio merebantur: ergo sacramenta reuiuiscunt simili modo, sublato obice. 47. Suar. Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ.

Respondeo cum Delugo, negando paritatem. Nam gratia illa, & ius ad gloriam, respondent meritis, vt causæ seu mensuræ adæquatæ: at gratia data per sacramentum reuiuiscens, non respondet illi vt causæ adæquatæ, vel mensuræ talis effectus: quippe quod solum nihil gratiæ operaretur; sed cum dispositione concurrente ad effectum sacramentalem.

Obiicit 3. Sacramentum, quando confertur, acceptari à Deo ad effectum determinatum. Ergo eius effectus non pendet à maiori vel minori dispositione post futura. Respondeo, acceptari ad effectum determinatum in intẽtione & similibus circumstantiis, secundum dispositionem quam Deus, vel tunc præsentem videt; vel futuram agnoscit antequam sacramentum operetur. Aliter respondet Delugo supra n. 78. acceptari sacramentum à Deo ad effectum determinatum quoad remissionem peccatorum, non quoad infusionem gratiæ; Quia Baptismus v. gr. est ad illam determinatus: ad hanc verò indifferens est de se in homine adulto, debet- 48.

que determinari per dispositionem. Vnde quando nondum est posita dispositio necessaria, non potest acceptari à Deo ad effectum gratiæ omnino determinatum.

Sed huic responsioni opponi potest, quòd cùm Deus certò prævideat dispositionem futuram, æquè ac præsentem agnoscit; potest iam secundum illam sacramentum acceptare ad tantum effectum. 2. Sicut gratia infunditur adultis inæqualiter per sacramenta, propter inæqualem dispositionem: ita & peccata remittuntur inæqualiter, non solùm mortalia quoad pœnam, sed etiam venialia, quoad ipsam culpam: idque non modò in ipsa sacramenti susceptione, sed etiam post, remoto obice venialium. Vt de Baptismo docet idem author num. 91. remitti scilicet venialia, vi baptismi quoad illa reuiuiscentis, obice eorum remoto. Potest autem remoueri quoad aliqua, non quoad omnia: nam attritio de aliquibus venialibus potest esse cum complacentia de aliis. Manebit ergo baptismus cum obice susceptus, indifferens quoad illam remissionem, æquè ac quoad gratiæ infusionem.

49. Obiicit 4. Suarez, Sicut totalis carentia dispositionis est obex ad gratiam simpliciter: ita carentia melioris dispositionis est obex ad maiorem gratiam. Et tamen baptismus qui habuit effectum remissum, cum remissa dispositione, non confert postea maiorem effectum posita meliori attritione: ergo &c. Item gratia baptismalis amissa per peccatum mortale, & recuperata per pœnitentiam, non datur maior ob perfectiorem attritionem pœnitentis. Ergo nec datur maior obice remoto propter meliorem dispositionem.

Omissa solutione quorundam recentiorum, quæ planè mihi non satisfacit: Respondeo ad primam partem huius obiectionis, Differentiam esse inter baptismum, qui iam habuit effectum, & vim suam exhausit, vt in primo casu allato à Suare, & eum qui nondum habuit effectum, vt in casu de quo disputamus. Prior non ampliùs operatur: Posterior debet operari, cùm nondum effectū habuerit. Ad secundam partem eiusdem obiectionis Respondeo vt supra de meritis reuiuiscentibus, illam gratiam respondere baptismo bene suscepto, vt causæ & mensuræ adæquatæ: ideoque non crescere vi attritionis pœnitentis vt concausæ.

SECTIO VI.

An sacramenta producant gratiam physicè vel moraliter?

50. RESpondeo, Non esse necesse, neque adeo probabile, quòd physicè producāt: sed potiùs concurrunt vt moralia instrumenta, quæ propter Christi merita moraliter sibi adiuncta ex Christi institutione, nobisque applicata, mouent Deum efficaciter & infallibiliter ad gratiam producendam. Prima pars huius responsi est Vasquis disput. 132. Aegidij Coninc ad art. 4. q. 62. Becani cap. 3. de Sacram. in communi q. 2. & 3. Ruis in 4. Controuersia 8. & aliorum recentiorū, post Ricardum, Bonauenturam, Marsilium Scotum, & omnes Nominales in 4. dist. 1. Vasquez. Coninc. Becanus. Ruis.

Probatur autem primò, Quia si necessariò asserendum esset Sacramenta producere gratiam physicè, vel id esset, quia non est alius modus possibilis; vel quia hic determinatè fuit à Christo institutus, quod cùm sit admodum difficile, & apparenter impossibile: non est facile asserendum sine fundamēto graui, in Scriptura, Conciliis vel Patribus, aut ratione certa. Sicut enim sequendo rationem naturalem nihil est affirmandum, nisi quod ratio naturalis conuincit: ita in credibilibus, siue in rebus fidei non est asserendum nisi quod fidei veritas, aut Scripturæ authoritas, aut Ecclesiæ determinatio, vel Patrum doctrina, vel certa ratio conuincit. Alioqui fides nostra supponeretur humanæ voluntati. Atqui nihil horum est. Nam modus agendi moraliter est possibilis, & valde facilis, ac necessariò admittendus in multis. Scriptura verò, Concilia, & Sancti Patres, nihil tale dicunt: quia non aliter loquuntur de efficacia sacramentorum, quàm de efficacitate meritorum & passionis Christi, quæ certè non agunt physicè, sed moraliter tantùm. Cùm enim ab annis plusquàm mille sexcentis physicè esse desierint, impossibile est physicè operari. Siquidem agere supponit esse: & agere physicè, supponit esse physicè. Quod enim physicè non est, physicè nihil est. Et si physicè nihil est, non est physicè vis seu potentia agendi: neque se physicè exercet, si physicè non est. Ac sicut id quod mouet finaliter aut moraliter, requirit saltem esse apprehensum, consistens in cognitione: & implicat finem causare, aut quippiam aliud mouere moraliter causam physicè efficientem, nisi saltem apprehensum sit: ita causare physicè, & influere realiter per seipsum in effectum, dando illi vi sua esse actu secundum se realiter, & non tātùm moraliter secundum æstimationem, & secundum esse æstimatum & apprehensum, requirit omnino illud esse secundum se: & vim illam efficiendi per se realiter, esse actu realiter. Estque omnino inintelligibile quòd res agat per se realiter, quæ per se non sit realiter: cùm actio nihil aliud sit, quàm vsus virtutis, seu exercitium causæ, quæ si non est physicè, quomodo potest physicè se exercere? Quomodo potest modus physicus se habendi esse sine re quæ physicè tali modo se habeat? Quomodo autem potest physicè & realiter tali modo se habere, si physicè non sit, & realiter nihil sit? Potestne quisquā v. gr. ambulare aut sedere realiter, qui realiter non sit? Denique causa vel instrumentum physicum agendi non potest agere sine virtute agendi physica. Res autem quæ non existit physicè, nullam habet virtutem phy- Non est necessarium dicere, sacramenta producere gratiam physicè.

ficam agendi: quia, physicè nihil est: si autem nihil est, nulla virtus est seu potentia aget di physica, nec naturalis, nec obedientialis. Cùm ergo sacramenta non dicantur à Scriptura, Conciliis, & sanctis Patribus, operari aliter quàm passio & merita Christi, vt infra dicemus: euidenterque sit impossibile hæc nunc physicè operari: non est necesse vt propter eorum testimonia dicantur sacramenta physicè gratiam producere. Rationes verò quas his addunt aduersarii non sunt magni momenti, vt patebit ex earum solutionibus: ergo nulla est necessitas asserendi sacramenta physicè agere.

51. Vasquez. Deinde, vt rectè Vasquez argumentatur cap. 4. disp. citatæ, Authores efficaciæ physicæ sacramentorum admittunt sacramenta, vel omnia, vel aliqua, sæpe esse informia, & non efficere gratiam, nisi multo, aut aliquo tempore, postquam physicè desierunt, obice remoto: atque adeo coguntur admittere Sacramenta sæpe esse causas tantùm morales gratiæ. Cùm enim physicè esse desierunt, non possunt physicè operari. Et tamen tunc mundant, iustificant, aliaque præstant, quæ illis tribuuntur à Scriptura, Conciliis, & Patribus: Ergo propter eorum testimonia non est necessaria causalitas physica.

Confirmatur. Tertiò, Semper vna aut altera pars essentialis sacramenti est tantùm causa moralis gratiæ. Nam sacramenta omnia constant essentialiter aliquo successiuo, quod non est physicè secundum se totum, eo instanti quo sacramentum perficitur, sed tantùm secundum aliquid vltimum & indiuisibile positiuè vel negatiuè, per quod completur sacramentum essentialiter. Ergo vel reliquum, quod præcessit, non agit; vel moraliter tantùm agit: quia cùm physicè non sit eo instanti, quo sacramentum agit, non potest physicè agere. Neque dicas sacramenta tantùm agere per illud extremum aut indiuisibile. Nam efficacia sacramentorum conuenit illis secundum id, secundum quod illis conuenit significatio perfecta: agunt enim quà significant, & quia significant: ac si nihil significarent, nihil agerent: atqui significatio perfecta non conuenit tantùm ratione illius indiuisibilis vltimi: sed ratione totius signi sensibilis: ergo, &c. Ne item dicas cum Suare, sacramentum totum agere per illud solum indiuisibile: sicut globus perfectus tangit perfectè planum per punctum. Primò enim globus est physicè, quando tangit: ac si non esset physicè nisi secundum illud indiuisibile, non rectè diceretur totum tangere. Secundò, Partes omnes globi concurrunt physicè ad illum contactum, innitendo plano, vel partem suam extremam illi applicando; & ideo totum dicitur tangere. At partes aliæ sacramenti, quæ non sunt physicè, non possunt concurrere physicè, neque plusquam moraliter, quatenus scilicet gratia datur vi vltimi indiuisibilis, quia illæ præcesserunt, ac nisi præcesserint, non daretur. Ergo totum sacramentum non potest dici agere physicè propter illud indiuisibile.

52. Hurtad. Deterius verò est quod ex quodam recentiore refert Hurtadus disp. 8. Physicæ sect. 5. Sacramenta producere physicè gratiam primo instanti quo non existunt, quia illud instans, ratione nostri, pertinet ad existentiam sacramenti, & sacramentum existit adhuc virtualiter, non in esse entis, sed in esse causæ. Sicut, inquit, dispositiones inductæ pereunt in instanti generationis formæ: & tamen sunt illius causa: quia existunt virtualiter, non vt ens, sed vt causæ. Hoc, inquam, planè improbabile est. Nam id quod physicè non est, physicè nihil est. Ergo non est virtus physica, & potentia physicè actiua. Ergo non potest physicè producere gratiam eo instanti quo non est. Dicere verò quod existat in ratione causæ physicæ, & non in ratione entis, est dicere apertam contradictionem. Quid enim est illa causa physica si non est ens? quomodo item illud instans in quo non existunt sacramenta, pertinet ad eorum existentiam ratione nostri. Nisi velit hic Author dicere nos falsò imaginari sacramenta existere eo instanti, quo non existunt. Quæ falsa imaginatio, si alicuius est, reiici debet, & corrigi: nihilque prodest vt sacramenta physicè operentur, quando non sunt.

53. Non est adeo probabile sacramenta physicè producere gratiam. Secunda pars responsi, quòd non sit adeo probabile sacramenta physicè producere gratiam, probatur, quia non omnia creata possunt à Deo eleuari ad quiduis physicè operandum: sed vnumquodque ad ea tantùm quæ sunt intra sphæram obiecti virtutis suæ obedientialis, quæ in rebus finitis est finita & limitata, cùm sit ipsamet entitas causæ creatæ, quatenus potest à Deo iuuari extraordinariè; & in rebus perfectioribus perfectior est: vnde ex consensu Theologorum non potest v. g. oculus corporeus attolli ad Deum videndum, ad quod tamen attolli potest intellectus. Atqui non est adeo probabile virtutem inesse omnibus sacramentis quâ possint physicè producere gratiam: cùm gratia sit ens admodum supernaturale & excellens: sacramenta verò pleraque sint instituta in rebus imperfectissimis, aqua, oleo, & pauculis verbis: à quibus gratia multò magis distare videtur, ac minùs esse illis proportionata, quàm visio Dei oculo corporeo, præsertim humano, qui ex parte animæ spiritalis est. Et tamen vt testantur summi Theologi, Suar. 1. parte tract. 1. lib. 2. cap. 6. num 5. & Vasq. ibid. disp. 40. c. 2. fidei dogmati propinquum est, non posse Deum videri oculo corporeo, etiam humano, & contrarium est erroneum: ergo, &c. Suarez. Vasquez.

54. Non potest quidlibet eleuari ad quodlibet. Confirmatur 1. Quia gratia habitualis est eiusdem ordinis cum visione Dei, & principium effectiuum ac principale fruitionis beatificæ. Confirmatur 2. quia vt aliquid eleuetur ad agendum physicè, debet in se habere vim per quam physicè influat: quam vim non accipit per eleuationem, sed illi supponitur, & completur per illam. Eleuare enim nihil est aliud, quàm Deum se adiungere

gere

gere alicui causæ ad concurrendum extraordinariè cum illa coagente, & conferente vim suam: Ita vt effectus supernaturalis fiat à Deo simul & à creatura adiuta extraordinariè, simili modo, quo pondus fertur à duobus se iuuantibus, & ad ferendum concurrentibus. Atqui in quolibet non est illa vis inchoata ad producendum physicè quidlibet: alioqui esset in oculo ad Deum videndum, & in creatura ad creandum, quod D. Thomas vbique negat, vt infra videbimus: & in qualibet re esset immensa quædam vis, si haberet virtutem inchoatam ad ea omnia quæ, possunt omnia & singula entia materialia, omnesque & singulæ creaturæ immateriales, ac Deus ipse, ad omnia denique possibila.

55. Quid sit eleuari physicè? Confirmatur 3. Quia vt rectè dicit Aegidius Coninc supra num. 113. vt aliqua res à Deo eleuata producat aliam physicè, non sufficit quòd Deus ad præsentiam illius rei alteram producat: sed necesse est vt ipsamet tanquam partialis causa in illam influat per vim actiuam sibi intrinsecam, seu per seipsam. Alioqui non ipsa, sed Deus solus physicè ageret. Debet, inquam, per se influere, sicut, verbi gratiâ, intellectus per se influit in visionem beatificam, eamque velut causa partialis producit, vnà cum lumine gloriæ, aut cum Deo eleuante. Nisi enim res eleuata influat per se in effectum, non potest dici physicè illum producere. Et nisi habeat vim aliquam intrinsecam actiuam aliquo modo proportionatam effectui, ita vt simul cum virtute concurrente causæ eleuantis apta sit constituere integram causam effectui proportionatam: intelligi nequit quomodo in talem effectum influat. Etenim actio supponit, non solùm agens esse, sed etiam habere vim agendi, ideoque sicut quod non est, non potest eleuari ad agendum: sic neque id, quod nullam habet vim agendi, ad hoc eleuari potest. At in re qualibet non est talis vis inchoata, seu potentia intrinseca respectu cuiuslibet, vt in oculo ad Deum videndum, vel ad creandum, vel ad videndum sonum. Nec magis apparet, quòd sit in aqua, verbi gratiâ, vel in extremitate soni vnius syllabæ, ad producendam gratiam entitatis supernaturalis, & longè excellentissimæ, magisque disproportionatæ & remotæ à sono, vel ab aqua, quàm visio Dei ab oculo. Nec valet quod aliqui respondent, esse discrimen inter agentia vitalia, & alia. Quasi verò alia non sint æquè finitæ & limitatæ entitatis, atque adeo finitæ potentiæ obedientialis, ac sunt agentia vitalia.

56. Dixi, pleraque sacramenta fuisse instituta in rebus imperfectissimis, non autem omnia: propterea quòd in quibusdam materia nobilior est, & non ita gratiæ producendæ improportionata: vt consensus internus in Matrimonio: attritio vel contritio in Pœnitentia: corpus & sanguis Christi, in Eucharistia: in qua etiam concomitanter existunt anima, & diuinitas Christi. Et certè quidem diuinitas Christi producit gratiam physicè ac principaliter. Animam verò Christi posse physicè eleuari ad gratiam producendam verisimiliùs existimo: cùm certò constet eandem eleuari physicè ad producendos actus charitatis supernaturales, eiusdem ordinis cum gratia. Veruntamen diuinitas, & anima Christi, aliaque concomitantia, extrinseca sunt & accidentaria sacramento Eucharistiæ essentialiter considerato: neque si illa producant physicè gratiam, potest idcirco sacramentum dici per se producere: quia illa non sunt sacramentum neque pars sacramenti, sed adiunctum illi accidentale. Et quidem si in triduo mortis Christi, Apostoli consecrassent; fuisset tota sacramenti essentia: & tamen anima non fuisset cum corpore, neque corpus cum sanguine. Diuinitas verò fuisset quidem: non tamen vi verborum consecrationis, sed propter diuinum decretum de inseparabilitate vnionis hypostasis diuinæ cum corpore Christi vbicumque sit. Illud enim est tantùm vi verborum, & tanquam sacramento essentiale, quòd verba ita significant, vt illo non posito, non possint vera esse, nec sine illo possint intelligi esse vera.

Fortassis etiam non repugnat, actum contritionis, & consensus interni, qui potest fieri ex charitate, eleuari physicè ad productionem gratiæ. Sed hoc esset miraculosum & supra rerum naturam. Nam habitus supernaturales non possunt naturaliter produci à suis actibus. Sunt enim verè potentiæ quædam supernaturales, dantque posse simpliciter, & non facilè posse: in quo differunt ab habitibus naturalibus, & similes potiùs sunt ipsis potentiis naturalibus, quas complent simpliciter in ordine supernaturali. Ideoque sicut potentiæ naturales non possunt physicè per suos actus produci, aut intendi: ita nec istæ potentiæ supernaturales; quæ solùm dicuntur habitus ob permanentiam: non autem quòd in aliis similes sint habitibus naturalibus. Quare cùm hoc miraculosum sit, & alioqui minimè necessarium: non debet dici, sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii concurrere physicè per hos actus, ad gratiam: quia miracula non sunt multiplicanda sine necessitate, in explicatione mysteriorum fidei: & potiùs de omnium Sacramẽtorum efficacitate simili modo philosophandum est: Cùm quæ de illa sunt reuelata, vel à Patribus tradita, communia sint omnibus, & nulla ratio solida proferatur quę cogat aliter philosophari. Alioqui pariter dicendum esset, actus bonos quibus extra sacramenta obtinemus iustificationem aut gratiam, physicè illam efficere: & non tantùm dispositiuè aut meritoriè, id est, moraliter ad eam concurrere: Scripturæ enim, Concilia & Patres dicunt per actus illos nos iustificari, mundari à peccatis &c. vt dicunt de Sacramentis. 57.

Tertia pars responsi, præter multos ex authoribus initiò citatis, est etiam Less. lib 12. 58.

Sacramenta causant moraliter gratiam.

de Perfect. diuin. c. 12. Probatur autẽ, quia sacramenta non sunt tantùm nuda signa, quæ Deo significent quid faciendum sit ratione pacti, & ad quorum præsentiam simplicem Deus operetur: sed habent ex institutione virtutem Spiritus sancti, quæ est ipsemet Spiritus sanctus, infallibiliter sibi adiunctam & præsentem ad gratiam producendam, ita vt si per impossibile non esset vbique, esset tamen & applicaretur vbi sacramenta sunt & applicantur non indignè recipientibus: qua de re plura inferiùs n. 67. Habent etiã sacramenta ex institutione Christi, merita ipsius sibi annexa moraliter, quæ nobis applicant, & eorum vi Deum obligant ad effectum sacramenti præstãdum, tanquam debitũ Christi meritis per sacramentum exhibitis, & ad vsum illum applicatis. Vnde sacramenta dicuntur continere merita Christi, quatenus ex Christi voluntate, & Dei acceptatione, ita sacramentis annexa sunt, vt quibus hæc applicantur, eisdem merita Christi applicẽtur, per quæ ius acquirunt ad gratiam, perinde ac si per se illam promeriti essent. Quare sicut opus meritorium non est dumtaxat signum gratiæ, sed verè causa moralis eius, respectu Dei: sic sacramẽta. Hinc etiã sacramenta non tam debent comparari chirographo, quàm bursæ plenæ pecunia, quæ alicui datur vt se redimat, aut necessaria cõparet. Quia sacramenta moraliter continent pretium nostræ redemptionis & iustificationis. Hinc etiã D. Thom. q. 62. a. 1. in corp. meritò negat sacramẽta esse similia denario plumbeo, quem quis afferat vt accipiat centum libras ex Regis ordinatione: nõ quòd denarius ille quicquam operetur ad habendam hanc pecuniã, vel Regem habeat necessariò præsentem, ad restituẽdum physicè. Sed quia hoc operatur sola regis voluntas. Nam denarius ille solet tãtùm esse signum pecuniæ regi mutuò datæ in necessitate, aut alterius pacti; non autẽ exhibet rem pecuniæ regiæ æquiualentem & obligantẽ ex iustitia, vt sacramenta exhibẽt pretium gratiæ, propter quod dari debet ex iustitia, & propter quod Deum mouent efficaciter, sicut illum mouent opera nostra meritoria. Hinc quoque multùm differũt sacramenta à signis magicis, quæ mouent Dæmones, vt signa ex instituto, ad pacta nefaria exequenda. Nam illa signa nihil exhibẽt cui debeatur ex iustitia effectus, tanquam iusto illius pretio: nituntúrque pacto fallibili, & nõ seruando ex iustitia, sed potiùs rescindendo. Quòd si dæmones mouentur quoque à signis magicis, vt causis moralibus, & non tantùm vt à signis, quibus positis ipsi mala sua voluntate operari velint: id tamen fit modo longè diuerso & inferiori eo, quo Deus mouetur à sacramẽtis propter Christi merita. Porrò Dæmonem in multis imitari Dei opera, & similã agere, notissimum est: neque ad vitandam aliquam eiusmodi imitationem, censendum est sacramenta producere physicè gratiam.

Sacramenta nobis applicant merita Christi — *D. Thom.*

59. Duo autem sunt præcipui effectus ad quos nobis applicãtur merita Christi per sacramẽta: nempe remissio peccatorũ, & infusio gratiæ. Ad priorem effectũ applicantur infinitè & sine mensura, quantum est ex parte sacramenti, & quoad remissionem culpæ; quia per illam applicationem dantur ad remissionem omnium peccatorũ, etiã infinitorum, si à nobis commissa forent. Similique modo in baptismo applicantur infinitè quoad remissionẽ pœnæ. In aliis verò sacramentis remissio pœnæ; & in omnibus, infusio gratiæ, fit ad mensuram quam Deus determinauit pro valore cuiusque sacramenti, & pro ratione dispositionis. Licet enim merita Christi sint infinita, & digna per se gratia infinita, eaque nobis donentur per sacramenta; non tamen ita vt vim suam totam in nobis exerãt, sed secundum mensuram diuinitùs præscriptam, & iuxta propriam cuiusque dispositionem, vt habet Trident. sess. 6. cap. 7.

Duo præcipui effectus Sacrã.

SECTIO VII.

Refutantur contrariæ sententiæ.

Contrarium sentiunt Thomistæ communiter, aliique non pauci, affirmantes sacramenta producere physicè gratiam. Plurimùm tamen differunt in modo quo id fieri putant. Quidam enim dicunt, sacramẽta non efficere gratiam physicè & immediatè, & secundũ se: sed tantùm efficere characterem vel ornatum aliquem, aut similem dispositionem in anima, ad quam sequatur necessariò infusio gratiæ facta à solo Deo: non secus atque ignis, inquiunt, efficit immediatè calorem in materia, ad quem sequitur substantialis forma. Ita Capreolus, & alii multi Thomistæ. Alii, vt Dom. Sotus, volunt sacramenta efficere quidem vnionem gratiæ cum anima; at non ipsius entitatem, quam putant fieri à solo Deo per creationem. Alii vt Paludanus, & Ferrariensis, volunt sacramenta producere physicè ipsam gratiam, sed per aliquam qualitatem aduentitiam, sibi superadditam, & transeuntem, id est, non permanentem. Alii malunt id fieri per motionẽ seu motum quendam artificiosum, quo Deus eleuet sacramenta ad producendam physicè gratiam, simili modo, quo instrumenta artis ab artifice eleuantur per motum artificiosum ad efficienda opera artificialia. Et hunc motum vocant instrumentariam virtutem, & actiuitatem sacramentorum. Alii denique, vt Suarez disp. 9. sect. 2. affirmant, sacramenta producere physicè & immediatè gratiam per potentiam obedientialem, quæ est ipsummet esse sacramentorum concurrens physicè & effectiuè cum omnipotentia diuina eleuante, id est, extraordinariè & supernaturaliter concurrente. 60.

Varii modi opinandi Aduersariorum.

Sed hæc omnia sunt minùs probabilia, & plena perplexitatis. Primò enim, producere physicè characterem solùm, vel ornatum, aut quid simile, non est producere gratiam: cùm gratia distinguatur realiter ab huiusmodi re- 61.

Impugnantur qui dicunt sacramenta pro-

ducere physicè characterem vel ornatum.

bus, & non sequatur necessariò, neque connaturaliter ex charactere, vel ornatu, vel huiusmodi dispositione, vt paulò post videbitur. Ergo si necesse est dicere, sacramenta producere physicè gratiam propter Scripturæ, Conciliorum & Patrum testimonia, vt authores illi imaginantur: non sufficit quòd characterem producant, aut ornatum, vel quid simile. Deinde si sacramenta possunt physicè producere characterem, qui est qualitas supernaturalis, & eiusdem ordinis cum gratia: cur non possunt gratiam producere? Aut potiùs, si nequeunt gratiam producere physicè, quomodo possunt producere characterem, æquè supernaturalem? Idemque dico de ornatu illo, vel dispositione, si ponuntur esse entitatis supernaturalis. Sin autem naturalis: apertè falsum est, quòd illis positis, necessariò & connaturaliter sequatur infusio gratiæ. Alioqui daretur aliquid naturale sufficiens ex natura sua ad instituendam supernaturalem, vt dispositio, vel alter, & ad veram peccatorum remissionem: maximè in sententia Thomistarum affirmantium peccatum physicè tolli per gratiā, vt tenebras per lucem. Itaque aliquid naturale vi sua faceret ex filio Diaboli filium Dei, iustum & sanctū supernaturaliter: quod absurdum est, & à fide alienum. Quin etiam, licet dicantur esse entitatis supernaturalis, non propterea sequitur gratia ex illis necessariò & connaturaliter, vt neq; sequitur posito charactere. Nam si ne quidem sequitur vi naturali, sed tantùm ex Dei ordinatione fundata in rei congruitate, ex actu contritionis, aut dilectionis supernaturalis, qui est nobilior dispositio, & magis gratiæ proportionata: multò minùs sequitur ex charactere, aut illo ficto ornatu, vel ex simili dispositione.

62. Item, si character, aut ornatus, vel quid simile, esset dispositio gratiæ connaturalis & necessaria connaturaliter: gratia nunquam sine illo produceretur: atque ita quādo adulti per proprios actus iustificātur extra sacramentum, illum quoque reciperent: quod tamen non asseritur ab authoribus illis, & planè fictitium est. Probatur sequela, quia forma requirens in subiecto dispositionem connaturaliter vt recipiatur, nunquam sine illa secluso miraculo producitur. Et vice versa, nunquam esset character, vel ornatus, vel illud aliud sine gratia: quia perfecta & vltima dispositio nunquam est sine forma: quod tamen est falsum. Quia cùm sacramētum Baptismi, Confirmationis, vel Ordinis, est informe; datur character, & non infunditur gratia. Cúmque baptizati, confirmati, aut ordinati, peccant mortaliter; non perdunt characterem, licet priuentur gratia. Si autem gratia, quę sine dubio fit propria actione, distincta ab ea, qua fit character, cùm sit entitas ab illo distincta realiter & separabilis: quemadmodum & forma ignis fit actione distincta ab illa, qua fit dispositio: si, inquam, gratia non sequitur necessariò & connaturaliter ex charactere, aut alio quopiam producto physicè per sacramenta, sed moraliter tantùm, quia scilicet eo posito Deus gratiā infundit ex pacto: id non sufficit ad asserēdum, sacramēta causare gratiam physicè, quamuis physicè causarent characterem. Denique de fide est tria tantùm sacramēta imprimere characterem; Baptismum scilicet, Confirmationē, & Ordinem ex Florent. in Decreto §. *Hæc omnia sacramenta*. Ornatus verò, aut quid simile, quod loco characteris dicitur fieri ab aliis sacramentis, gratis omnino fingitur ad improbabilem opinionem tuendam. Et hæc contra Capreolum & sequaces.

Secundò, contra Dom. Sotum sic arguo. Efficere solùm vnionem gratiæ cum anima, non est efficere gratiam: sicut efficere vnionē animæ rationalis cum corpore, non est efficere ipsam animam, quæ per creationem à solo Deo fit. Ergo si Scriptura, Patres, & Concilia cùm asserunt sacramenta producere gratiam, debent intelligi de physica productione, vt putat Sotus: non illis satisfacit, cùm ait solam vnionē produci. Deinde falsum est quod ait Sotus, quodque sumpsit à Nominalibus, gratiam fieri per creationem propriè dictā. Nam gratia est accidens, cui proinde connaturale est educi ex aliquo subiecto, quemadmodum etiam non cōseruatur sine subiecto. Licet autē anima rationalis non sit tale subiectū gratiæ, vt ei debeatur, vel ex eo connaturaliter educatur: est tamen in illa vis obediētialis ad ipsius eductionem, non minùs quàm ad eductionem actuum supernaturalium, qui sunt eiusdē ordinis & dignitatis: quales sunt actus charitatis supernaturalis, & fruitionis beatificæ: quos actus, cùm vitales sint, valde improbabiliter dicunt iidem Nomin. à Deo solo creari. Falluntur autem qui putant non posse Deum eleuare nisi causas efficientes. Potest enim omnes causas physicas eleuare, id est, iuuare extraordinariè ad plus quàm possint naturaliter: v. g. materiā ad plus recipiendum caloris simul & frigoris, quàm possit naturaliter: aut plus formarum substantialiū simul: formā ad plures simul materias in diuersis locis informandas, vt animam eandem ad duo corpora: & his similia, ad quæ Deus quidem non cōcurrit in simili genere causæ, sed actiuè confortando potentiam naturalem materiæ vel formæ.

63. Refelluntur qui volunt Sacrā. producere solùm vnionē gratiæ cum animā.

Tertiò, contra Paludanū & Ferrariens. sic insto. Qualitas aduentitia, quam isti ponunt, vel est corporea, vel spiritalis. Si primū: difficile est & obscurum quomodo possit physicè influere in gratiam, quod non possunt sacramēta per se. Item, estne diuisibilis, an indiuisibilis in toto sacramento, vel in aliqua eius parte aut pūcto? Si indiuisibilis, & tota in toto atque in qualibet parte, spiritalis est. Nam hic modus essendi est proprius spirituum & spiritualium. Et frustra ponitur in partibus sacramenti prioribus, non existentibus quādo sacramētum perficitur, vt mox dicemus. Si autem est diuisibilis: vel constat partibus heterogeneis, vel homogeneis, id est, vel diuersæ, vel eiusdem rationis. Si primum: dāda

64. Sacramēta non producunt physicè gratiam per qualitatem aduentitiam.

est ratio cur sint heterogeneæ, præsertim in partibus subiecti eiusdem rationis, vt in partibus ablutionis tēdentibus ad eundem effectum. Si secundum: Quælibet pars gratiam producet, antequam sacramētum perficiatur essentialiter. Quia quælibet habet totam essentialiter vim producendi gratiam: vim inquam, naturalem & necessariam, operantem cùm primùm est. Nam in homogeneis eadem est ratio, seu essentia totius, & cuiuslibet partis. Sicut quælibet pars albedinis est albedo: & quælibet pars caloris, est calor. Sin autem dicitur hæc qualitas esse spiritualis: certè ipsis sacramentis, materialibus plerumque, secundum id quod solum existit physicè quādo gratia producitur, non erit connaturalis, sed planè aduentitia. Atque ita sacramenta agēt tantùm per accidens, ad eum modum quo aqua calefacit: neque propriè loquendo operabuntur physicè sacramenta, sed illa sola qualitas aduentitia. Deinde, illa qualitas spiritalis quomodo educitur ex subiecto materiali, sono, aqua, oleo, & similibus? Item, vel imprimitur toti sacramento, vel tantùm alicui eius parti aut indiuisibili, illi nempe parti aut indiuisibili, quo sacramentum perficitur essentialiter, & quod existit, quando sacramentum physicè operatur. Si primum: ergo quando sacramētum successiuè fit, inutili er imprimitur prioribus eius partibus ad physicè operandū. Cùm enim partes illæ non sint physicè eo instanti, quo sacramentū operatur; non habent eo instanti qualitatem illā physicè: adeoque non possunt physicè per illam operari. Nam quod non est physicè, non operatur physicè. Si secundum: ergo solum illud extremum aut indiuisibile, est sacramētum: quia solum est signum efficax gratiæ, physicè scilicet, vt isti authores definitionem sacramenti interpretantur.

65. Neque etiam per motionem transeuntem.

Idemque dico de motione illa, vel motu artificioso. De quo præterea quæro quid sit? & quomodo det sacramentis vim producēdi gratiam physicè, si illam per se non habent? Nam in instrumētis physicis artificum videmus motum artificiosum non dare vim scindendi, aut secandi instrumēto, si per se illam non habet: sed potiùs vim illam supponere, & dirigere artificiose atque iuuare. Quare non possunt v. g. vti molli butyro, instar serræ ad secādum; aut securi ad intelligendū: eo quod res huiusmodi non habent de se vim & actiuitatē ad huiusmodi effectus, neque sunt illis proportionatæ. Et manifestum est in omnibus artis instrumentis inesse vim inchoatā & proportionatam effectibus artificialibus. Præterea malè vocatur ille motus actiuitas sacramentorum. Cùm actiuitas in actu primo non sit aliud, quàm res ipsa prout agere potest: & in actu secundo, sit eadem prout se exercens, & vim suam exerens. Denique facilè videre est hæc omnia tam inconstanter & sine fundamento excogitari ab aduersariis, vt quod sacramentis secundum suam entitatem conuenire nequit, tribuāt vtcumque ratione illarum qualitatum aduentitiarum, aut motorum.

Quod autem vltimò ait Suares, sacramenta per seipsa immediatè & physicè producere gratiā vi propria obedientiali eleuante Dei omnipotentia satis ex dictis sect. præcedenti apparet improbabile, imò impossibile loquēdo generatim de omnibus sacramentis, vel de quolibet totaliter sumpto, vel de omni casu in quo operantur. Sunt enim instituta ex toto, vel ex parte, in rebus adeo vilibus, vt magis sint improportionata gratiæ producendæ, quàm oculus corporeus visioni beatificæ. Et sæpe non sunt physicè, ne quidem vnico indiuisibili, aut extrema sui parte, quādo gratia vi illorum producitur, remoto obice. Tunc enim etiam producitur vi sacramētorum antea susceptorū, propter quæ Deus illam infundit obice remoto. Ac denique etiam quando non est obex, sacramēta posita in successione non agerent nisi secundum vltimum sui, quod solum physicè existit eo instanti, quo gratia producitur: nempe secundum positiuum indiuisibile terminans motū successiuum, vt Suares philosophatur sect. 1. disp. citatæ, quod indiuisibile nullum est, si totus motus non coalescit ex indiuisibilibus: & non est totum sacramentum, & totum signū: Quare non debet solum operari, & esse efficax gratiæ: sicut solum non est signum illius.

66. Neque etiam per se ipsa vi propria obedientiali.

Ex opposito Gabriel in 4. dist. 1. q. 1. a. 2 & 3. deflectens more Nominalium ad alterū extremum, ait, sacramēta esse tantùm causas sine quibus non, id est, non causas influentes & propriè causantes: sed tantum conditiones quibus positis, Deus ex pacto gratiam operetur. Negat tamē propterea sacramēta esse causas per accidens: quia, inquit, effectus non sequitur semper & infallibiliter iuxta legem ordinariam, ad causam per accidens, & ea remota non minùs ponitur effectus. Sicut musicus, inquit, respectu ædificationis. Nam non sequitur ædificatio, quia musicus: nec si non fuerit musicus, remouetur ædificatio. Gratia verò sequitur positis sacramētis: & nō ponitur illis non positis. Deinde nouam quādam opinionem proponit, non asserendo, inquit, sed tantùm recitando, occasionem dare cupiens Doctoribus: sic autem habet.

67. Error Gabrielis, quòd causæ secundæ nō agant.

68. Imprimis art. 1. Notab. 3. ait, Causam cōmuniter sic definiri: Causa est ad cuius esse sequitur aliud: id est, inquit, causa est res, qua posita in esse, aliqua alia res ponitur in esse. Cui definitioni addendum esse dicit: Et qua non posita, aliud non ponitur eo modo quo ponitur. Alioqui quoties duo simul producerentur, vnum esset causa alterius. Et ita si duo infantes simul tempore generarentur à diuersis parentibus, vnus esset causa alterius. Et paulò post: Ex quo patet, inquit, quòd vnam rem causare aliam, nihil aliud est, nisi ad præsentiam vnius rei aliam rem produci, vel esse. Vt ignem causare calorem in aqua apposita, nihil aliud est, quàm ad præsentiā ignis calorē inesse aquæ. Deinde subdit, dupliciter posse vnā rem esse

vel incipere esse ad præsentiam alterius. Vno modo, quando ex natura rei ad esse & præsentiam vnius sequitur naturaliter esse alterius. Alio modo, quãdo ad esse vnius sequitur aliud ex sola voluntate alterius, illud ad præsentiam eius producentis. Primum dicitur causa propriè: quia est causa ex virtute propria. Secundum verò dicitur causa sine qua non. Vt si Rex statuat afferenti denarium plumbeum dari centum florenos. Postea denique artic. 3. dub. 3. ait videri sibi valde probabile quòd omnes causæ secundæ sint tantùm causæ *sine qua non*. Et quod ita propriè sacramenta, post diuinam institutionem, sint causæ gratiæ, sicut quæcumque causa naturalis est causa sui effectus: quia vtræque causæ, sunt causæ sine qua non: & inter causas sine qua non, non est diuersitas quantùm ad rationem causæ: sed tantùm in eo quòd statuit Deus ab initio creationis aliquarum, producere tales effectus ordinariè ad earum præsentiam, vt calorem ad præsentiam ignis. Et hæ vocantur causæ naturales, id est, ex ea natura in qua constitutæ sunt in earum creatione: de aliis verò Deus id statuit pro tempore, post earum creationem: vt ad præsentiam aquæ Baptismi, producere gratiam. Et hæ non dicuntur causæ ex natura sua; quia non à conditione suæ naturæ erant causæ: quinimò naturam propriam habuerunt, priusquam instituerentur esse causæ. Sed hæc differentia est accidentaria rationi causandi. Quia sicut tam calidum est, quod recipit calorem post suam productionem, quàm id quod à principio recipit: sic tam est causa, &c. Quare sacramenta ita attingunt effectum sacramentalem effectiuè; sicut calor calorem, & sol splendorem. Quia vtrumque in hoc attingit effectum suum, quòd ad positionem eius Deus producit effectum: nec est alia attingentia hic vel ibi. Et paulò post: Propriè loquendo, inquit, nullus effectus producitur de potentia materiæ: sed omnis effectus immediatè verè & propriè à solo Deo creatur. Causa autem secunda habet se tantùm vt causa sine qua non, secundum hanc imaginationem: & quicquid Philosophi locuti sunt de causalitate causarum secundarum, totum reducendum est ad causam sine qua non: & solùm apud primam causam est vera & propria causalitas: quia ipsa sola est quæ actu suæ voluntatis propriè & verè producit rem de non esse ad esse. Hæc ille. quibus alia multa admiscet æquè falsa.

69. *Sacramenta non sunt tantũ conditiones sine quibus non.* Primò enim falsum est, & alienum à definitionibus Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, sacramenta esse tantùm conditiones sine quibus non. Nam conditio sine qua non, non dicitur propriè & simpliciter causare. Quis enim dicat propinquitatem ignis ad stupam calefacere & comburere? At sacramenta dicuntur causare gratiam, regenerare, mundare. Secundò, ex definitione causæ ab ipso tradita ex communi, inquit, sententia (Nominalium scilicet, inter quos ipse clarissimus est) sequitur Deum non esse causam creaturarum. Nam Deo solùm posito in esse, creatura non ponitur in esse, sed de fide est Deum fuisse per æternitatem nulla existente creatura. Item secundum hanc definitionem, eiusque expositionem, nulla est causa libera. Nam eâ solum positâ non sequitur effectus, sed potest illum suspendere, id est, potest agere & non agere, non tantùm positâ in esse, sed etiam positis omnibus conditionibus ad agendum prærequisitis. Tertiò, illa definitio & explicatio non conuenit causis seipsas tantùm modificantibus, vel aliquid aliud: vt cùm aliquis mouet seipsum localiter: tunc enim re vna posita, non ponitur res alia. Quartò, posito Patre in diuinis ponitur filius: & tamen Pater non est causa filii. Quintò, posito embrione perfectè disposito, ponitur anima rationalis: & tamen embrio non est illius causa, sed à solo Deo creatur. Sextò, quid est hoc, Ad vnius esse, sequi vel poni aliud: & ad præsentiam ignis calorem inesse aquæ? Estne id tantùm præsentia vtriusque, sine influxu vnius in alterum? An in vno est influxus, ita vt alterum existat vi illius? Si primum; nulla est causalitas, sed mera concomitantia, & connexio necessaria, quæ in quo fundetur, & cur vnum sit potiùs causa, quàm aliud, dici nequit, nisi recurrendo ad figmentum mox refutandum. Si secundum: cur non potiùs definitur causa, Ad cuius influxum sequitur aliud, seu quæ influit in effectum & ad illum ponendum virtutem suam exerit? Sed talem vim eiusque vsum seu exercitium Gabriel non satis agnouit: à quo non multùm differunt quidam recentiores, qui dicunt causare non esse exercitium virtutis causatiuæ, sed complexum significabile, id est, merum figmentum à nobis alibi refutatum disp. 17. sect. 5. argumento 13. & fusius disp. 2. de Fide sect. 2. vbi eiusmodi complexa significabilia generatim explosimus. Euidens verò est quòd si tres ignes æquales, sint stupæ æqualiter propinqui, quorum tamen vnus solus eam comburat, Deo cum illo solo concurrente, non comburit eo solùm quòd potest comburere, seu quia habet potentiam comburendi: nam alii æquè possunt, id est, habent æqualem potentiam intrinsecam: sed quia potentiam suam exercet & exerit cum Deo concurrente. Septimò, supra modum absurdum, imò erroneum, & hæreticum est, dicere Deum solum efficere per veram & propriam creationem omnes effectus, qui fiant ad præsentiam solam causarum secundarum, non aliter influentium, neque cum Deo concurrentium. Id enim creatam libertatem planè destruit, & Deum solum authorem facit & executorem omnium blasphemiarum, sacrilegiorum, adulteriorum, odii ipsius Dei, omnium denique scelerum, quæ vsquam fiunt: quod ne Caluino quidem venit in mentem. Plura omitto, quia tædet cum huiusmodi monstro erroris diutius pugnare.

SECTIO VIII.

Solutio argumentorum pro causalitate physica sacramentorum.

70. *Testimonia scripturæ possūt facilè intelligi de morali causalitate.*

OMisso Gabriele qui nihil affert dignum refutatione, Suarez doctissimus aduersariorum disp. 9. sect. 2. pro physica sacramentorum causalitate opponit primò loca Scripturæ quibus dicimur mundari, sanctificari, & regenerari ex aqua, aut per lauacrum regenerationis, & lauacro aquæ in verbo vitæ. Quæ verba si possint cum omni proprietate intelligi sine inconuenienti, imò maximè accommodatè ad res de quibus agitur, non est cur recurramus ad sensus improprios. Posita autem hac causalitate sacramentorum propriissimè intelliguntur omnes dictæ locutiones: iuxta alias verò sententias non nisi valde impropriè. Respondeo primò, Scripturam eodem modo loqui de sanguine & morte seu passione Christi, quæ certè non mundat & sanctificat physicè, cum ampliùs physicè non sit. Imò cùm sacramenta omnem vim suam trahant à passione & meritis Christi: immeritò plus causalitatis in illis requiritur, quàm in passione Christi. Secundò, quòd Baptismo causalitas physica non possit tribui sine inconuenienti satis patet ex dictis sect. 6. Neque propterea recurritur ad sensus improprios. Nam causæ morales dicuntur causæ, & dicuntur causare, secundum proprium & vsitatum modum loquendi. Imò interdum effectus magis illis tribuitur, quàm causis physicis: v. gr. Iudex magis dicitur esse causa mortis rei, quàm carnifex. Sanè quemadmodum Scriptura dicit aquam Baptismi mundare Ephes. 5. & saluare Tit. 3. sic Matth. 9. dicitur, *Fides tua te saluam fecit*: meritoriè scilicet, & moraliter: & Luc. 9. *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam*: moraliter scilicet: nam non est aliter causa salutis & damnationis suæ, quàm moraliter & meritoriè. Et ad Hebr. 5. de Christo dicitur: *Consummatus*, (per passionem) *factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ*: & similia multa.

71. Obiicit secundò, quòd in Florent. & Trident. dicuntur sacramenta continere gratiam, & conferre: & quædam imprimere characterem: & virtute verborum Eucharistiæ confici corpus & sanguinem Christi: quæ omnia multùm indicant efficientiam physicam. Item Trid. sess. 6. cap. 7. enumerans causas gratiæ, dicit Baptismum esse causam instrumentalem illius: omnia verò alia causarum genera quæ numerat, sunt propriissima, singula in rationibus suis: sentit ergo etiam Baptismum esse verè ac propriè instrumentum: quod esse non potest sine physica efficientia. Item Concilia Moguntinum, Senonense, & Coloniense, dicunt sacramenta esse apta instrumenta & signa efficacia, & habere vim diuinæ gratiæ conferendæ.

Respondeo hæc omnia posse facilè intelligi de vi & efficientia morali. Et quidem primus locus nobis potiùs fauet. Nam sacramenta non continent physicè gratiam, sed moraliter tantùm: quo sensu etiam dicuntur continere merita Christi, eaque nobis applicare. Ergo si conferunt gratiam eo modo, quo illam continent, conferunt tantùm moraliter. Cúmque Concilia eodem modo loquantur de continentia, & de efficientia; debent moraliter intelligi de vtraque. Neque dicas Concilia loqui de continentia virtuali, quâ causa dicitur continere effectum, quæque physica est: siquidem sacramenta habent virtutem physicè producendi gratiam. Nam Florentinum, quod ita loquitur in decreto 5. *Nouæ legis*, id potius ait eo sensu, quo sacramenta dici solent esse vasa gratiæ: & in eo differre nostra à sacramentis antiquæ legis, quòd nostra sint vasa plena gratiæ quam significant: illa verò essent infirma & egena, id est, vacua elementa, vt Paulus loquitur ad Galat. 4. vers. 9. Continentia autem vasis, est continentia formalis propriè loquendo. *Et concilia similiter.*

72. Alter locus de verbis Eucharistiæ parum fauet Suari. Nam cùm, vt ipse docet, verba non sint physicè quo instanti fit corpus Christi, nisi secundum vnicum indiuisibile: quomodo physicè operantur verba, loquendo propriè. Nam illud solum indiuisibile non est verba, neque significat corpus Christi. Et vt rectè ait Vasquez, recurrere ad huiusmodi indiuisibile, est dare ansam hæreticis irridendi mysteria fidei, & iactandi ad huiusmodi angustias indiuisibilium nos redigi pro defendenda illorum efficacitate quam impugnant: cùm tamen possit multò faciliori via explicari & defendi. Tertius locus Trident. nocet Suari. Nam ibi sicut Baptismus ponitur causa instrumentalis iustificationis: ita & passio Christi dicitur esse causa meritoria. Atqui hæc tantùm moralis est, & tamen est verè ac propriè causa: siquidem, iuxta Suarem ipsum, quæcúmque ibi enumerantur, sunt verè ac propriè causæ: ergo & Baptismus potest esse verè ac propriè causa instrumentalis, licet sit tantum moralis. Reliqua addita ex aliis Conciliis non sunt expressiora.

73. Obiicit tertiò aliqua Patrum testimonia, quæ videntur tribuere sacramentis virtutem physicè efficiendi gratiam. Sed illa debent simili modo, quo Scripturæ & Concilia, explicari. Illud enim Leonis Papæ, *Virtus altissimi quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, facit vt regeneret vnda credentem.* Et Chrysost. *Ex quo Iordanis alueum ingressus est Christus, &c.* Et Cyrilli Alexandrini: *Sicut viribus ignis intensiùs aqua calefacta calorem efficit, &c.* intelligi debet de paritate non quoad modum operandi, sed quoad veritatem effectus. Nec obest quòd Sancti Patres sacramentorum vim admodum extollunt. Nam *Idem ostēditur de testimoniis SS. Patrum.*

pari modo singularis est virtus meritorum Christi ad Deum placandum, & ad homines saluandos. Magna Ecclesiæ potestas ad soluendum & ligandum in cœlis, quod soluit & ligat in terris per censuras Ecclesiasticas, & ad pœnas peccatorum abolendas apud Deum per indulgentias. Magna vis gratiæ ad gloriam æternam consequendam. Quæ tamen vires morales sunt. Eadem quoque vis sacramentorum admiratione magna digna est, & magnum opus diuinæ omnipotentiæ. Quis enim non miretur diuinam bonitatem & potentiam, quæ Christi merita rebus abiectis, & per se admodum infirmis, adnexuit ad res adeo mirabiles producendas infallibiliter, gratiam supernaturalem, characterem, corpus & sanguinem Christi, & ad quæuis peccata, ac quantocumque numero, abolenda? Et quidem sicut solius est omnipotentiæ diuinæ effectus illos ponere: ita illius solius est posse eosdem sacramentis vt instrumentis infallibiliter annectere propria vi.

74. Instabis pro Suare, causalitatem moralem sacramentorum non sufficere menti & locutionibus Scripturæ, Conciliorum, & Patrum. Nam homo generans hominem est causa moraliter productionis animæ rationalis, quatenus Deum mouet ad eam producendam postquam perfecta est organizatio. Et tamen hoc non sufficit vt dicatur esse causa creationis animæ: ergo similiter quòd sacramenta moueant Deum ad gratiam producendam, non sufficit vt dicantur eam causare. Atqui Patres, Concilia, & Scripturæ, ita loquuntur: ergo illis non satisfacimus.

Respondeo, Generantem ideo non dici causare animam rationalem, quia ratione materiæ subiectæ sensus videretur esse quòd causaret physicè, sicut physicè concurrit ad generationem. At in præsenti sermo est de effectu supernaturali, cuius materiæ ratione valde facile est intelligere sermonem esse de morali causalitate, quando dicuntur sacramenta causare gratiam.

75. Obiicit quartò, Ad veritatem horum verborum, *Ego te absoluo*, requiri vt Sacerdos verè absoluat: ergo etiam vt verè conferat gratiam quæ est forma per quam remittitur peccatum. Sed non potest Sacerdos dici verè conferre gratiam, nisi saltem verbo suo illam efficiat. Nam si solus Deus efficit ad præsentiam verbi: ergo solus Deus remittit & absoluit. Respondeo primò, verba illa non esse, iuxta doctrinam Suaris, nisi secundum vltimum indiuisibile, pro instanti quo remissio fit, & gratia confertur. Secundò, Sacerdotem verè absoluere per verba illa, potestate sibi à Deo delegata. Sed remissio peccati est tantummodò effectus moralis, & fit solùm morali potestate, partim sacerdotis remittentis vice Dei: partim etiam gratiæ habitualis per sacramentum infusæ, cuius effectus quidam formalis est, sed moralis duntaxat & secundarius, quatenus forma tam excellens mouet Deum ad remittendum peccatum, & ad amandum subiectum cui inhæret,

Sacerdos verè & propriè remittit peccata, quamuis non physicè.

vt diximus in tract. de Gratia & Iustificat. Fit nihilominus verè & propriè effectus ille à sacerdote in genere causæ efficientis instrumentalis, licet moraliter tantùm ab illo fiat per moralem potestatem quam accepit absoluendi sacramentaliter, & administrandi sacramentum Pœnitentiæ. Causa enim moralis est verè ac propriè causa, vt iam sæpius diximus, & Suarez paulò ante concessit. Vtque ille qui applicat ignem est verè causa combustionis: ita sacerdos qui applicando sacramentum, applicat simul vim diuinam ad infusionem gratiæ.

Obiicit quintò, Christus sua humanitate, tangendo, vel loquendo, faciebat miracula, & conferebat gratiam, per veram ac physicam efficientiam: ergo & sacramenta, quæ reputantur vt verba & actiones Christi. Respondeo, Christi humanitatem potuisse quidem ad multa mirabilia concurrere physicè per dotes sibi diuinitus inditas; vt v. gr. inambulare aquis, anima beata corpus suspendente, vel dote agilitatis, si ab initio fuit Christo concessa, vt potuit concedi. Potuerunt etiam ei communicari virtutes quædam, quales in herbis, lapidibus, & similibus rebus ad sistendum sanguinem & morbos quosdam pellendos: quas tamen reipsa fuisse communicatas non constat. Ad omnia verò, quæ mirabiliter effecit, physicè concurrisse, neque verum est, neque ex Scriptura, Conciliis vel Patribus bene deducitur. Idque negat Barradius post multos alios tom. 2. lib. 5. cap. 24. ad illa Matth. verba, *Ego noui virtutem de me exiisse*. 76.

Humanitas Christi nō erat causa physica omnium miraculorum.

Obiicit sextò, Supposita possibilitate efficaciæ physicæ sacramentorum, decuit Deum illis vti hoc modo, tum ad maiorem dignitatem, sanctitatem, & excellentiam sacramentorum: tum etiam ad diuinæ omnipotentiæ ostensionem. Possibilitas verò huius efficaciæ persuaderi potest, tum ex eo quòd nulla apparet contradictio, tum ex aliis: vt ex eo quòd intellectus & voluntas nostra eleuentur physicè ad actus supernaturales: ignis inferni, ad spiritus torquendos: humanitas Christi, ad vnionem hypostaticam, quæ etiam ad sanguinem & res per se vilissimas facta est physicè. 77.

Respondeo primò, Non licere nobis fingere quicquid aliquo modo facere videtur ad dignitatem sacramentorum, & ostensionem omnipotentiæ diuinæ. Ac si ad dignitatem meritorum ipsius Christi non est necesse vt physicè influant: quid opus fuit eò vsque sacramenta euehi? Christus verò passione & merito suo, ac sacramentorum institutione, salutis nostræ spiritalis curam præcipuè habuit: & in eo dignitatem Euangelii maximè constituit, vt profectui nostro per illa conuenientissimè ac sufficientissimè prouideret. Ad nostram autem salutem non magis refert assumi sacramenta vt instrumenta physica, quàm vt moralia, si eadem gratia vtroque modo tribuenda est. Neque discerni potest à nobis quomodo tribuatur, vt ex

modo physicè concurrendi omnipotentia Dei magis nobis appareat: de qua in præsenti quæstione non dubitatur: neque minuitur quando negatur posse ab illa fieri, id quod secundum se impossibile est.

78. Sacramenta non possunt generatim eleuati ad gratiam physicè producendam.

Secundò, Dico contradictionē non ostendi quidem euidenter, vt neque ostenditur in eo quòd oculus corporeus eleuetur ad Dei visionem, vel creatura ad creandum. Sicut tamen improportio rerum istarum cum effectibus illis, dat iustam suspicionem, aut potiùs fidem certam tacitæ contradictionis: sic, &c. Neque enim minor improportio esse videtur rectè consideranti, inter extremum vnius syllabæ sonum, & productionem gratiæ: quàm inter oculum, & visionem Dei. Atque vt oculus est potentiæ obedientialis limitatæ, ita vt ad omnia nequeat extendi; quemadmodum est naturæ limitatæ, & in natura ipsa fundatur hæc potentia, imò est natura ipsa apta eleuari: ita non minùs sonus, & aqua, & similia, naturam & potentiam obedientialem habent limitatam. Implicat autem quicquam eleuari vltra sphæram propriæ actiuitatis obedientialis. 3. Ad instantias allatas Respondeo, actus & habitus supernaturales non distare tantoperè à perfectione intellectus & voluntatis, ac gratia distat à sono. Ignem verò inferni nihil physicè efficere in spiritibus, sed tantùm Dæmones & animas separatas torquere, determinando eorum intellectum, velut obiectum disconueniens, ad apprehensionem, ex qua sequatur dolor in eorum voluntate. Sic tamen vt illi actus non fiant physicè ab igne, sed ab intellectu & voluntate Dæmonum & animarum: ignis verò se habeat obiectiuè & determinatiuè seu excitatiuè, vt diximus tom. 1. disp. 44. de Angelis sect. 4. Denique sanctissima humanitas Christi in vnione hypostatica se habet merè passiuè & adiunctiuè, sine reali efficientia: quod facilius est, quàm efficere physicè: vt Suari & aliis necessariò fatendum est. Nam oculus Christi fuit vnitus hypostaticè Verbo diuino: & tamen implicat attolli ad efficiendam visionem eiusdem Verbi: vt idem auctor certum esse docet cum communi sententia Theologorum 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 6. n. 5. vbi etiam affirmat id fidei dogmati propinquum esse.

79. Quid Sanctus Thomas senserit de causalitate sacramentorum?

Obiici potest vltimò D. Thomas q. 62. a. 1. in c. vbi docet sacramenta non se habere vt denarium plumbeum, quo oblato accipiat quis centum libras ex Regis ordinatione: sic enim sacramenta non forent nisi signa gratiæ: cùm tamen ex multis authoritatibus Sanctorum habeatur quòd sint causæ. Et quæst. 13. a. 2. ait Christi humanitatem fuisse instrumentum diuinitatis ad immutationem omnis creaturæ, præterquam ad creationem & annihilationem. Quibus vltimis verbis excludit omnem interpretationem de instrumento morali. Nam si de eo loqueretur, non negaret posse hoc modo esse instrumentum creationis & annihilationis: quia certum est Christi humanitatem facilè à Deo impetrare potuisse tam creationem, quàm annihilationem alicuius rei.

Ad primum iam responsum est, sacramenta non tantùm significare vt denarium illum: sed moraliter Deum inducere & obligare, propter Christi merita sibi annexa, ipsiusque Spiritus sancti virtutem, infallibiliter & inseparabiliter illis assistentem. Pro quo nota id, quod benè aduertit Delugo disput. 4. num. 72. & seqq. post Vasquem disp. 132. cap. 5. num. 91. aliqua concurrere vt meras conditiones morales: alia vt causas morales. Delugo. Vasquez.
Ex. gr. denarius plumbeus qui tantùm reuocat in memoriam Regi id quod promisit, est tantùm conditio moralis, vt det denarium argenteum. Promissio verò ipsa, vel actio propter quam promisit, vt meritoriam vel impetratoriam, est causa moralis: putà, si verum argenteum quis dedit, recipiendum suo tempore ostenso denario plumbeo: qua actione seu datione argenti, ex pacto induxit obligationem vt sibi tantundem refunderetur posita exhibitione denarii plumbei veluti conditione. Idémque dico de chirographo, quod solùm habeat rationem signi contractus ante initi. Neque enim ipsum, sed contractus, cuius est signum, est vera causa solutionis. At sacramenta nouæ legis non se habent vt mera signa promissionis diuinæ; sed vt actiones mouentes Deum ad dandam gratiam propter merita Christi, cuius nomine fiunt ab ipsius ministris, suntque quodammodo ipsius Christi actiones, si loquamur de sacramentis in vsu consistentibus. In Eucharistia verò ipsemet Christus, posita eius sumptione vt co[illegible]ditione, & applicatione causæ, mouet per se immediatè Deum ad gratiam infundendam sumenti sine obice. Præterea omnia sacramenta continent moraliter Christi Domini merita, illaque exhibent & applicant subiecto à quo recipiuntur, vt illorum intuitu conferatur gratia per virtutem Spiritus sancti infallibiliter ipsis adiunctam. Quare se habent quodammodo vt ille, qui ad captiuum redimendum bursam nummis plenam exhiberet redemptionis pretium continentem: non autem vt ille qui duntaxat chirographum daret velut signum promissionis de pretio aliàs exhibendo.

Ad secundum, iam alibi respondimus D. Thomam, vt manifestè patet ex quæst. 62. a. 1. ad 2. & 1. parte quæst. 45. artic. 5. & lib. 2. contra Gentes cap. 21. rat. 6. aliisque locis, requirere duplicem actionem in instrumento, generatim loquendo. Vnam, secundum virtutem eius propriam: aliam, secundum virtutem agentis principalis. Docerèque, instrumentum non posse eleuari ad effectum agentis principalis, nisi per aliquam actionem præuiam, sibi proportionatam, inducat dispositionem, aut aliquid efficiat circa subiectum, propria vi, quod ad effectum principalem ducat, tanquam dispositio vel causa intermedia. Cuiusmodi erat quòd Christus tangeret sanandos, vel quid aliud circa illos ageret: quòd aqua corpus 80. Doctrina S. Thomæ de causalitate instrumentorum.

abluat ad animæ sanctificationem, & similia. Quia verò talis actio non poterat exerceri vi propria & naturali humanitatis Christi circa rem ex nihilo creandam: idcirco negat D. Thomas potuisse assumi vt instrumentum, etiam morale, ad creandum. De annihilatione verò ratio cur idem neget, est quia [illegible] non fit per veram causalitatem, seu physicum influxum causæ principaliter annihilantis: sed dumtaxat per subtractionem influxus conseruantis, & ad quod non est vera causalitas causæ agentis principaliter, ad illud etiam propriè non est causalitas instrumentalis; quæ non dicitur esse, nisi quatenus causa principalis assumit instrumentum ad causandum aliquatenus & coefficiendum id, quod ipsa principaliter efficit. Quare apud S. Thomam latiùs patet impetrare, quàm causare instrumentaliter, etiam moraliter. Quòd autem sacramenta gratiam operentur moraliter tantùm, iuxta sententiam D. Thomæ, colligi potest ex quæst. 62. art. 4. ad 1. vbi illorum efficaciam comparat cum virtute quæ est in voce ad significandum, & ad excitandum intellectum in conceptum vltimatum rei significatæ. Quæ virtus sine dubio purè moralis est, proueniens ex hominum institutione. Et ad 3. ait sacramentum consequi virtutem spiritalem ex Christi benedictione, & applicatione ministri ad vsum sacramenti. Atqui benedictio Christi, & applicatio ministri, nihil ponunt physicum in sacramento. Item art. 5. in c. *Sacramenta*, inquit, *habent specialiter virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum.* At virtus passionis Christi moralis tantùm est, & moraliter tantùm nobis copulatur. Vnde nonnulli de Thomistis nobiscum sentiunt, vt Canus in relectione de Sacram. in genere, parte 4. Et Ledesma 1. parte quarti quæst. 3. artic. 1. sub finem: licet aliis locis videatur D. Thomas fauere contrariæ sententiæ, quæ tamen possunt vt duo modò explicata, non difficilè iuxta nostram exponi.

Cur neget humanitatem Christi potuisse assumi vt instrumentum ad creandum vel annihilandum?

S. Thom.

Canus. Ledesma.

81. Obiicit præterea Ysambertus, qui recèns accuratissimè hanc quæstionem tractauit ad quæst. 62. D. Thomæ disput. 4. & 5. Sacramenta efficere gratiam eo modo, quo Ecclesia postulat à Deo vt efficiant. Atqui Ecclesia postulat, vt physicè operentur. Ergo physicè illam efficiunt. Maior est certa. Minor probatur ex forma consecrationis aquæ baptismalis, quæ fit in peruigilio Paschæ, & ex consecratione Chrismatis. Nam in prima sic orat Ecclesia: *Deus, cuius spiritus inter ipsa mundi primordia super aquas ferebatur, vt iam tunc Spiritum sanctificationis aquarum natura conciperet, &c. Fac vt tuæ maiestatis imperio hæc aqua sumat vnigeniti tui gratiam de Spiritu sancto, qui hanc aquam arcana sui numinis admixtione fæcundet*: & paulò post: *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti, totamque huius aquæ substantiam, regenerandi fæcundet effectu.* In secunda consecratione orat Ecclesia, vt illi vnguento spiritualem gratiam largiendo, plenitudinem sanctificationis Deus infundat. Item vt illi virtutem Spiritus sancti admiscere dignetur. Atqui si aqua, & Chrisma non operentur physicè, non egent virtute physica, qualis est virtus Spiritus sancti. Satis enim est ad moraliter operandum, quòd aliquam dignitatem & non actiuam virtutem recipiant.

82. Verùm huic argumento, aliisque pluribus ab auctore illo adductis pro causalitate physica sacramentorum, iam ab eruditis quibusdam recentioribus, nostræ sententiæ propugnatoribus, abundè quoque & accuratè satisfactum fuit. Summa responsionis est, Ecclesiam verbis relatis non aliud petere à Deo, quàm vt virtutem Spiritus sancti, id est, ipsummet Spiritum sanctum, qui est sua virtus, immittat in aquam, hoc est, specialiter illi adiungat, & nouo modo assistere faciat, ita vt ad eius contactum, & vsum sacramentalem operetur Spiritus sanctus gratiæ infusionem, & remissionem peccatorum, aliósque effectus baptismi, qui, si physici sunt, (vt sunt plerique) ab illo physicè producuntur. Quo etiam sensu Tertull. lib. de Bapt. cap. 4. sic ait: *Superuenit Spiritus de Cælis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso: & ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt.* Sicut autem in sententia aduersariorum sufficit ad verificandas huiusmodi locutiones Ecclesiæ, Spiritum sanctum adesse aquæ infallibiliter, & inseparabiliter, ad vtendum virtute illius diminuta, & obedientiali, in producendis huiusmodi effectibus, (qui tamen si morales sunt, vt remissio culpæ, & pœnæ, non possunt physicè produci per virtutem aquæ) vel ad imprimendam aquæ qualitatem supernaturalem, quæ sit physicè productiua gratiæ, quando applicatur ad baptizandum: sic in nostra sententia sufficienter verificantur per hoc, quòd virtus ipsa Spiritus sancti adiungitur aquæ, & fit quodammodo illius virtus ad producendos effectus sacramentales per eius contactum. Imò sic multò meliùs verificatur quod petit Ecclesia, vt aqua fœcundetur arcana eius numinis admixtione, & virtus Spiritus sancti in illam descendat, totamque eius substantiam regenerandi fœcundet effectu. Sic etiam magis propriè verum est, quod supra retulimus ex Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 42. *Quemadmodum aqua calefacta non aliter vrit, quàm ipse ignis: sic Spiritus sancti operatione aqua baptismalis reformatur ad diuinam virtutem, & potentiam*: neque enim meliùs formari potest ad diuinam virtutem, quàm ipsam diuinam virtutem, quæ est Spiritus sanctus, accipiendo inseparabiliter sibi adiunctam, & speciali modo immissam; ita vt sequatur eius applicationem & motum, atque contactum, sanctificetque eos omnes, quibus ritè applicatur: Sicut calor impressus aquæ sequitur eius motum, & applicationem; & calefacit omnes quibus applicatur.

Quo sensu petat Ecclesia virtutem Spiritus sancti immitti in aquam baptismi, & in Chrisma.

83. Quomodo in Euchar. Caro Christi est specialiter viuifica?

Idem dicendum de similibus verbis, quibus chrisma consecratur. Eodémque sensu intelligendum est, quod idem Ysambertus obiicit ex Catechismo Tridentini, Omnipotentis Dei virtutem sacramentis inesse: quià id efficiant, quod sua vi res naturales præstare non possunt. Ad id verò quod opponit ex Cyril. lib. 4. in Ioan. c. 14. & seqq. & ex Concil. Ephes. Anathematismo 11. carnem Christi in sacramento Eucharistiæ esse viuificam, adeóque physicè productiuam gratiæ, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea vitæ est cibus*, &c. Quod verum non esset, nisi caro Christi sit æquè principium vitæ supernaturalis, ac panis corporeus est principium vitæ corporeæ: Panis autem est principium physicum vitæ corporeæ. Respondent optimè iidem Recentiores, carnem Christi esse viuificam, & productricem gratiæ, non solùm moraliter, vt alia sacramenta, propter virtutem Spiritus sancti moraliter sibi adiunctam: verùm etiam physicè per diuinitatem hypostaticè sibi vnitam, ratione cuius vnionis actiones diuinitatis ad extra, sunt specialiter propriæ humanitatis Christi, iuréque possunt illi tribui. De quo producendi modo loqui Cyrillum, non autem de eo, quem prætendunt aduersarii, colligi potest ex cap. 23. lib. cit. vbi affirmat soli carni Christi conuenire, quod sit viuifica, non autem carni Pauli, aut cuiusuis alterius. Nimirum quia sola caro Christi est hypostaticè vnita Verbo: & ex eo habet quòd viuificatio sit illius propria modo quodam speciali & incommunicabili. Si autem loqueretur Cyrill. vt volunt aduersarii, de viuificatione, seu productione gratiæ facta physicè per potentiam obedientialem ipsius carnis, vel qualitatem illi impressam, vt ipsi volunt sacramenta operari: non sola caro Christi esset viuifica illo sensu, sed etiam caro Pauli manus imponentis, & cuiuscunque alterius ordinantis Episcopos, aut Presbyteros, & gratiam dantis per impositionem manuum suarum.

Nec obest, quod idem Cyrillus capite 4. eiusdem libri dicit de Christo, *Non solùm verbo, atque imperio vtebatur, vt Deus, verum etiam carnem suam, quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, vt reipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam coniuncta est Verbo, viuificam esse.* Et cap. 14. addit non modò diuinitatem Christi, sed etiam eius carnem esse viuificam: quod valde impropriè diceretur, si caro Christi viuificat tantùm per diuinitatem. Respondetur enim verba illa Cyrilli, & similia, verificari sufficienter ex eo quòd ad gratiam producendam non solùm operatur diuinitas physicè, verùm etiam cooperatur humanitas Christi applicans diuinitatem aliquo suo contactu, & ingressu in corpus eorum, qui per Eucharistiam sanctificantur. Nam per carnis Christi sanctissimæ applicationem, & veluti contactum, gratia producitur in omnibus dignè recipientibus. Qua de causa potest dici carnem Christi cooperari diuinitati ad gratiam producendam: quatenus aliqua eius actio vel applicatio præit operationi diuinæ gratiam producenti. Sicut olim, Christo operante miracula, manus eius contactus, aut similis operatio corporea, præcedebat sæpissime miraculorum effectionem. Quo etiam pacto D. Thom. exponit concursum instrumentorum eleuatorum à Deo, & cooperationem cum causa principali eleuante, locis supra relatis num. 66.

84. Adde, Cyrillum verbi relatis ex cap. illo 4. non loqui de productione gratiæ in Eucharistia, sed de ægrorum curatione, suscitatione mortuorum, & aliis miraculis, ad quæ, vt supra diximus num. 65. poterat interdum caro Christi alio modo magis proprio cooperari physicè, per qualitates miraculosas singulariter ipsi datas ratione vnionis hypostaticæ: Exempli gratiâ producendo qualitates aliquas prauias, & conuenientes paralysi, & aliis morbis sanandis: visui, vel auditui restituendo, mortuis suscitandis, &c. Poterat enim physicè concurrere ad efficiendum, aut restituendum corporibus ægris, aut mortuis temperamentum conueniens sanitati, aut vitæ restituendæ. Poterat etiam per easdem qualitates sistere sanguinem, & alios quosdam effectus mirabiles præstare, quorum efficiendorum aliqua virtus apparet in rebus quibusdam naturalibus. Poterat inquam, Deus vti physico illarum qualitatum concursu ad repente producendos eiusmodi effectus, quia id non excedit obedientialem earum facultatem.

SECTIO IX.

An, & quæ sacramenta imprimant Characterem, & quid ille sit?

85. Tria sacramenta imprimunt charact.

PRima conclusio: De fide est, Characterem imprimi à Baptismo, Confirmatione, & Ordine, vt patet ex Trident. sess. 7. can. 9. *De Sacramentis in genere*: & non imprimi ab aliis, vt apertè definit Florent. in decreto Eugen. §. *Hæc omnia Sacramenta*. Idem conantur aliqui probare ex Scriptura, sed non satis efficaciter. Nam illud 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos, Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. dictum est de iustificatione & gratia in communi, quâ vngimur spiritualiter, & in Filios Dei signamur, quæque pignus est certum nostræ futuræ electionis, vt explicant sancti Patres, & Trident. sess. 6. cap. 7. initio. Sufficit tamen Ecclesiæ definitio, & antiqua traditio, cuius testes sunt Augustinus lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. & epist. 23. in medio, & lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 13. & tract. 6. in Ioan. col. 8. Basil. Homil. 13. Cyril. in præfatione Catecheseon, & alii, de quibus vide Suar. disp. 11. sect. 1.

86. Quid sit Character? Secunda conclusio: Character est signum quoddam spiritale, & indelebile impressum animæ. Est de fide: traditur enim in terminis à Florent. & Trident. supra cit. Cur autem Christus voluerit huiusmodi signum imprimi à tribus sacramentis supra dictis rationem congruam reddit S. Thom. quæst. 63. a. 1. Quia nimirum, inquit, quicunque ad aliquid certum deputatur, consueuit ad illud consignari: sicut milites qui ascribuntur ad militiam, antiquitus solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eò quòd deputabantur ad aliquid corporale. Conueniens ergo fuit, vt sacramenta illa, per quæ homines deputantur ad certum aliquem statum constantem, atque perpetuum, imprimant characterem, id est, signum illud spiritale indelebile, saltem pro hac vita, quidquid sit de damnatis. Qualia sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Nam per Baptismum constituimur in statu Christiani: per Confirmationem, in statu militum Christi ad fidem propugnandam, cùm erit opus: per Ordinem, in statu ministrorum Ecclesiæ: qui status perpetui sunt per se: vnde Character est perpetuus, & indelebilis, saltem pro hac vita: quia status, cuius signum est, & deputatio, perpetuus est. Et tria sacramenta, quæ illum imprimunt, sunt initerabilia: quia sunt instituta ad constituendum in statu indefectibili, & initerabili. Reliqua verò sacramenta non imprimunt characterem, quia non deputant ad statum immutabilem: sed Eucharistia nutrit, Pœnitentia sanat, Extrema-vnctio sanat pariter, & ad extremum agonem comparat. Matrimonium verò constituit quidem in statu coniugatorum: sed ille non est de se immutabilis, aut perpetuus. Nam ante consummationem potest dissolui iustis de causis, & post mortem vnius coniugum alter manet liber ad alium statum. Sic etiam circumcisio characterem corporalem imprimebat. Et Dæmon æmulus operum diuinorum, quos sibi vt seruos perpetuos deuincit, notat in corpore. Et inter homines consuetum est, vt quæ sunt propria alicuius, ferant illius notam.

87. Error Durandi de charactere, refutatur. Ex his collige erroneum iam esse quod ait Durandus in 4. dist. 4. quæst. 1. Characterem non esse aliud, quàm relationem rationis, seu denominationem extrinsecam, per quam aliquis ratione sacramenti suscepti dicitur esse ad certum munus vel statum deputatus. Quæ opinio, vt sapienter ait Suarez disp. 11. sect. 2. tempore Durandi temeraria, nunc non potest ab errore in fide vindicari, postquam à Conciliis Florent. & Trident. expressè definitum est, characterem esse signum spiritale impressum animæ. Nam relatio rationis, vel extrinseca tantùm denominatio, non imprimitur animæ propriè loquendo. Conciliorum verò definitiones debent in proprio sensu accipi. Adde quòd Trident. id definit contra hæreticos huius temporis, qui non negant talem denominationem, aut relationem rationis, siue potiùs secundum dici, ratione Baptismi suscepti. Pariter verò errarent si qui nunc dicerent, habitus supernaturales non distingui realiter ab anima, cui infunduntur; postquam à Trident. sess. 6. cap. 7. expressè definitum est, hominem sanctificari & renouari per susceptionem gratiæ & donorum: Iustitiam in omnibus recipi: Charitatem Dei diffundi in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhærere. Vnde in ipsa iustificatione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque perfectè vnit cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit. Iustitiam denique, quam accipimus, esse veluti primam stolam, quam iubemur conseruare immaculatam, vt eam perferamus ante tribunal Christi. Quæ Concilii verba propriè, vt debent, accepta, clarè sonant realem distinctionem gratiæ, æquè ac characteris. Quare Suar. lib. 7. de Gratia cap. 15. num. 8. meritò asserit rem hanc esse certissimam, & sine magno errore in dubium reuocari non posse. Respondere verò hæc à Concilio dici, non quòd ita propriè & verè sit: sed quòd Concilium more vulgari loquatur, est aperire viam eludendis omnibus Conciliorum definitionibus: quæ temeritas non tam refutatione, quam censura digna est. Suarez

88. Gratia distinguitur realiter ab anima. Multò etiam minùs contra prædictam Concil. Tridentini definitionem tueri se possunt, si qui dicunt ne quidem ratione distingui habitus supernaturales: quia nihil apud illos distinguitur ratione, quod re non distinguatur, & aliunde negant distingui re. Quem enim sensum verisimilem dare possunt verbis Concilii allatis? Neque illos excusant Authores quos allegant. Nullus enim eorum qui scripserunt post Trident. dixit, ne quidem distingui ratione. Imò vix vllus ab eo tempore negauit distingui re. Et quamuis aliqui sic sensissent, non sunt sequendi, sed grauiter potius reprehendendi quicunque suis imaginationibus conantur ipsa Concilia subiicere. Adde, Trident. sic definire contra hæreticos huius temporis, qui errant in duobus circa iustificationem. 1. Quòd peccata non remittantur, sed tegantur solùm per iustitiam Christi. 2. Quòd gratia sit tantùm fauor Dei extrinsecus amantis specialiter. A quo secundo errore non video quomodo differat istorum sententia: nihil enim dicunt quod hæretici non admittant, quoad illam secundam partem iustificationis. Quare mihi videntur damnari pariter à Trident. initio cap. cit. definiente iustificationem esse remissionem peccatorum, & renouationem interioris hominis, per susceptionem gratiæ & donorum, quæ ait postea infundi & inhærere.

89. Obiicies primò, Figuram imprimi, quæ tamen non distinguitur in re: itémque motum localem imprimi mobili, & similia. Respondeo primò, illum loquendi modum fuisse ab

illis inductum, qui putant figuram, & motum distingui à parte rei. Propriè verò loquendo iuxta contrariã sententiam, non magis dicendum est figuram, aut motum imprimi, quàm acquiri vel perdi: incipere, aut desinere. De quo vide quæ diximus disp. 5. sect. 6. num. 81. Respondeo secundò, nihil indistinctum fingi posse commodè, quod indelebiliter imprimatur animæ, & de quo Concilia explicari possint. Non enim figura, nec motus localis, aut quid aliud. Quare illi, qui ad tale quippiam confugerent, redderent verba Concilii inintelligibilia.

Vasquez

Obiicit 2. Vasq. disput. 134. cap. 2. vbi Durandum excusare conatur, characterem posse dici imprimi in anima, licet sit aliquid morale. Sicut peccatum dicitur imprimere animæ maculam, quæ est morale quidpiam: Et peccatum originale dicitur à Trid. sess. 5. can. 3. inesse vnicuique proprium: Et sacerdos dicitur accipere potestatem consecrandi & absoluendi: & iudex potestatem iudicandi authenticè: Rex regendi, & similia, quæ sunt tantùm moralia.

90. Verba Cóciliorum quomodo intelligenda?

Respondeo cum Delugo disp. 6. num. 21. negando paritatem. Quia propria verborum significatio debet colligi ex subiecta materia, quæ si non possit proprium sensum pati, debent necessariò verba sumi metaphoricè. Vt illud Gen. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi*, debet impropriè intelligi; nam priuationes non propriè sunt, cùm sint non entia: & dicere non ens esse, seu non existens existere, est sibi contradicere: sed sensus est, lux non erat super faciem abyssi. Item si ratione materiæ subiectæ non possunt verba explicari de ente physico, debent de morali. Et si non possunt intelligi de indistincto realiter, debent exponi de distincto. Quando verò, è contrario, verba sunt capacia propriæ significationis ratione materię subiectæ, verba simpliciter prolata debent accipi in sensu proprio, quantum fieri potest. Vt quando dicitur aqua in vinum conuersa Ioan. 2. debet intelligi de vera & physica conuersione veræ aquæ in vinum verè ac propriè dictum. Item si ratione materiæ subiectæ verba Scripturæ vel Conciliorum possunt optimè intelligi de ente physico & distincto realiter, difficulter verò de morali solùm vel indistincto: debent in sensu priori accipi. Sic enim planior fit doctrina Scripturæ & Conciliorum, minúsque exponitur cauillationibus. Debent autem Concilia res simpliciter & communi modo loquendi definire, ne alioqui lites multiplicent potiùs quàm terminent.

91. Quoniam ergo verba illa Concilii Trid. de charactere, *signum spirituale & indelebile, & in anima impressum*, possunt optimè intelligi de qualitate physica spiritali, indelebili, & realiter distincta ab anima cui imprimitur; quod tam facilè intelligitur, ac fidei, spei, & charitatis habitus supernaturales illi infundi & ab ea distingui: sitque ille sensus verborum Concilii planior, & communi modo loquendi ac sentiendi conformior, vnde à Theologis & ab omnibus Catholicis ita intelliguntur: iure videtur temerarium, & erroneum, sensu illo relicto, priuatum alium sequi de morali denominatione, vel signo indistincto: qui sensus Concilii definitionem inintelligibilẽ reddit, vt partim suprà ostendimus, partim ampliùs iam ostendemus. At non ita est in exemplis allatis in obiectione, quæ ratione materiæ subiectæ notum est debere intelligi in sensu aliquo morali, cùm de entibus moralibus, aut moraliter tantùm remanentibus sermo fit, quando de peccato habituali agitur, deque potestate sacerdotali, iudiciali, regali, & similibus.

Adde, quòd in sententia Durandi nulla esset ratio negandi characterem imprimi per omnia sacramenta nouæ legis: cùm tamen sit de fide per tria solùm imprimi, ex Trid. sess. 7. can. 9. de Sacram. in genere. Probo antecedens. Nam ex Matrimonio v. gr. illmi potest aliqua denominatio extrinseca, per quam, ratione huius sacramenti suscepti, dicantur esse coniuges ad munus & statum coniugalem deputati. Character autem, iuxta Durandum, nihil est aliud, quàm similis denominatio. 92. Omnia sacramenta imprimerent charácterem iuxta sententiam Durandi.

Neque respondeat Durandus statum illum de se non esse perpetuum, talémque denominationem non esse indelebilem: ideóque non esse characterem, quia character est signum indelebile. Contra enim, non est per se de ratione characteris, vt sit indelebilis, & nota status de se perpetui. Nam characteres sensibiles quibus serui, pecora, vel res aliæ propriæ alicuius notantur, & à quibus sumptum est nomen & comparatio characteris spiritalis, non sunt notæ indelebiles status de se perpetui: quasi per se loquendo serui, pecora, & res aliæ, notatæ Domini charactere, alienari non possint & transferri in dominium alterius, cuius notam accipiant, loco prioris deletæ.

Præterea intelligi non potest quomodo illa denominatio extrinseca possit esse signum quo discernantur baptizati, confirmati, vel ordinati ab aliis. Nam, vt valeat tanquam signum ad eos discernendos, debet valere tanquam signum ad cognoscendum quòd sint baptizati, confirmati, vel ordinati. Ergo debet esse notius cognoscenti, quàm tales esse baptizatos, confirmatos, vel ordinatos. At hoc est falsum & impossibile, si illud signum nihil est aliud, quàm denominatio extrinseca à Sacramento suscepto. Nam cùm extrinseca denominatio formaliter nihil aliud sit, quàm forma ipsa extrinseca, comparata ad aliud quod denominat: cognoscere formaliter extrinsecam denominationem, est formaliter cognoscere formam denominãtem comparatè ad id quod denominat. Itaque cognoscere extrinsecam denominationem sumptam à Baptismo, est formaliter cognoscere Baptismum in ordine ad baptizatum, id est, cognoscere talem fuisse baptizatum, & inde moraliter denominari baptizatum, & deputatum ad statum Christiani. 93 Et characteres esset signum inutile.

Sicut

Sicut cognoscere extrinsecam denominationem, qua paries denominatur visus, est formaliter cognoscere visionem tendere in parietem, seu oculum videre parietem, & ex eo parietem denominari visum à visione oculi. Quare denominatio extrinseca Baptismi non potest esse signum ducens in notitiam Baptismi, aut baptizati: cùm sit ipsummet esse baptizatum, aut Baptismus comparatus ad eum qui denominatur baptizatus, & deputatus per Baptismum ad statum Christiani. Sanè characteres sensibiles, qui nos ducunt in notitiam Domini, vel insignia Magistratus, Doctoratus, Abbatis, Episcopi, Summi Pontificis, &c. non sunt extrinsecæ denominationes ab illis dignitatibus, quæ non possint cognosci nisi per ipsas dignitates: cùm è contrario res significata debeat cognosci per signum.

SECTIO X.

Soluuntur tres quæstiunculæ de Charactere.

94. SVperest quærere primò, An character sit merum signum animæ impressum? Ratio dubitandi est primò, quia videtur esse inutilis si merum signum est: cùm neque ab hominibus, neque à Dæmonibus videatur: & Deus ac Beati illo non egeant, cùm optimè nouerint quinam receperint sacramenta, & quo fine. 2. D. Thom. quæst. 63. a. 2. ait characterem non esse merum signum, sed esse potentiam quandam in secunda specie qualitatis, quam speciem Aristoteles in categoriis comprehendit nominibus naturalis potentiæ & impotentiæ. Idque probat sanctus Thomas ex eo quòd per sacramenta, quibus imprimitur character, deputantur homines ad actus recipiendi & tradendi diuina. Hi verò actus requirunt potentias: & deputatio fit per potentias: ergo sacramenta quæ imprimunt characteres, eo ipso tribuunt potentias quasdam. Deinde, quicquid est in anima, vel est potentia, vel actus, vel habitus. Sed character non est actus, quia actus citò transit: character autem est indelebilis. Non est etiam habitus: quia nullus habitus disponit ad bene & malè operandum: character autem disponit ad vtrumque. Ergo est potentia. Addit tertiò authoritatem sancti Dionysii dicentis hominem per Baptismum fieri communicatorem diuinorum.

Dionys.

95. Character non est potentia, sed signum.

His nonobstantibus probabilior mihi videtur sententia Suaris, Vasquis, & aliorum plurium, Characterem nihil aliud esse, quàm signum spirituale indelebile, animæ impressum, vt loquuntur Concilia. Quod signum non videtur quidem ab hominibus naturaliter, neque à Dæmonibus, si est entitatis supernaturalis, vt probabilius est: videtur tamen à Beatis, & est insigne coram Ecclesia triumphante, quæ vniuersim ac semper non nouit aliunde quinam sacramenta receperint. Non apparet autem ad quid character sit potentia naturalis, imò neque moralis. Neque enim est potentia physica ad gratiam, & virtutes supernaturales, quæ à Deo solo physicè producuntur, & in anima recipiuntur. Neque ad actus supernaturales, qui physicè fiunt ab anima, concurrentibus habitibus supernaturalibus, & in eadem anima recipiuntur, quia sunt actus immanentes. Non etiam ad exercendos actus sacramentales; putà abluendi & proferendi verba: Hæc enim physicè fiunt à potentia naturali motiua: & fieri possunt à non habente characterem. Possunt etiam homines sine illo iustificari, mereri, baptizare, & alia prædicta physicè efficere. Neque apparet ad quid aliud possit character esse potentia physica. Sed neque etiam est potentia moralis. Licet enim in sacramentis imprimentibus characterem (quemadmodum & in aliis) detur aliqua potestas moralis agendi vel recipiendi; vt in Baptismo, potestas recipiendi alia sacramenta, & communicandi bonis Ecclesiæ: in Ordine, potestas absoluendi & consecrandi: in Confirmatione, potestas resistendi fidei oppugnationibus per ius ad auxilia conuenientia: character tamen non est illa potestas, quæ tota posset manere, quamuis character tolleretur; sed est signum potestatis vel status. Sicut in humanis, quamuis soleant potestates morales aliquâ notâ designari, vt sceptro, baculo, annulo, pedo, epomide; hæc tamen non sunt ipsæ potestates morales, sed earum signa apud homines, sine quibus signis essent illæ potestates vi solius institutionis: & priùs sunt, quàm designentur huiusmodi insignibus. Confirmatur, quia iuxta sententiam plurimorum, character manet in damnatis ad eorum confusionem, in quibus tamen non manet potestas consecrandi corpus Christi, vel absoluendi à peccatis, aut ordinandi alios in sacerdotes, vt ostendemus disputat. sequenti, sectione secunda. Ergo character non est huiusmodi potestas, sed est tantùm signum illius antea habitæ.

Ex his soluta manent ratio dubitandi, & primum argumentum Diui Thomæ. Ad secundum Respondeo characterem esse in prima specie qualitatis, & esse habitum, id est, qualitatem permanentem, pertinentem non ad operari, sed ad esse. Qualem habitum vult Diuus Thomas esse ipsam gratiam sanctificantem, quam distinguit à virtutibus, atque dare tantùm esse *supernaturale*, non autem *posse operari*. Nec potest quisquam charactere malè vti per se, & quasi vsu illius intrinseco: tum quia non refertur ad vsum intrinsecè & per se, sed ad esse. Tum quia per se, & secundum se, tantùm bene disponit & ornat subiectum in quo est: quamuis extrinsecè & per accidens peccare possit contra ipsius dignitatem, & eo malè vti per vsum ipsi extrin- 96. Respondetur argum. sententiæ contrariæ.

secum: sicuti gratiâ & virtutibus, si verbi gratiâ de illis intumescat. Ad tertium dico sensum Dionysii esse, quòd homo per Baptismum fiat passiuè communicator, id est, particeps diuinorum: ex quo non sequitur characterem esse potentiam actiuam vel passiuam.

97. Quæritur secundò, An character sit signum naturale, vel ex instituto? Respondeo esse naturale. Quia id conformius est Conciliis, & Patribus, naturam characteris exprimentibus per vim significandi, quæ si non esset naturalis, deberet ab illis aliter exprimi natura characteris prout in se est. Est autem signum naturale obiectiuum, sicut gemitus est naturaliter signum doloris, & risus lætitiæ. Ita Cardinal. De-Lugo disputatione sexta, numero trigesimo octauo post Desalas tomo primo in primam secundæ, Tractatu secundo, disputatione octaua, sectione tertia, numero sexagesimo primo. Addit verò illo numero quadragesimo secundo. Characterem ita esse signum naturale, vt sit etiam physicè & intrinsecè in sua entitate potentia ordinata ad causandum aliquo modo, quatenus Deo & Angelis deseruit, vt viso charactere, specialem curam habeant illuminandi, protegendi, & gubernandi, quos vident habere signum Dei in frontibus suis. Item posse etiam dici potentiam in ordine ad resistendum: quia exigit vt tentationes internæ & externæ vel impediantur, vel certè debiliores sint & minùs molestæ. Quos effectus licet non operetur physicè, tanquam causa efficiens physica: operatur tamen per exigentiam physicam qua illos exigit. Atque ita potest appellari potentia aliquo modo in ordine ad illos.

Character est signum naturale.

De-Lugo.

Salas.

98. Sed hæc, meo quidem iudicio ad hoc non sufficiunt, vt character dicatur esse potentia physica ad illos effectus, ad quos tantùm mouet obiectiuè & moraliter, eo modo, quo miseria pauperis verbi gratiâ mouet ad succurrendum, & ad dandam eleemosynam: vel ad summum postulat illos eo modo, quo materia disposita exigit formam, cuius tamen non dicitur esse causa actiua. Loquitur autem præcitatus auctor de actiuitate, seu de potentia actiua, vt patet ex num. 44. Neque verò character est potentia passiua, vt est materia disposita respectu formæ quam exigit. Nam character non recipit in seipso effectus, quos exigit, & ad quos Deum vel Angelos mouet. Neque est physica & naturalis dispositio ad illos: imò neque moralis, vt supra ostendimus. Addo, illam exigentiam esse potius respectu gratiæ, quàm respectu characteris. Cuius rei signum est, quòd est maior exigentia in eo, qui plus gratiæ habet, quàm in eo qui minùs: quamuis in vtroque character sit æqualis: quippe qui est indiuisibilis intensiuè & extensiuè, vt tenet communis sententia. Item, quòd gratia desinente, desinit exigentia & ius ad talia auxilia: quamuis maneat character, quippe qui est indelebilis saltem toto vitæ tempore, vt mox dicam.

Quæritur tertiò, An character sit penitus indelebilis non tantùm hac in vita, sed etiam post; & in quo subiecto immediatè imprimatur, vel recipiatur? Ad primum Respondeo, de fide esse quòd sit indelebilis, saltem in hac vita. Hoc enim vt minimum definiunt Florent. & Trident. locis supra citatis. Quod verò maneat etiam post, tam in damnatis, quàm in Beatis, non est adeo certum & de fide. Communiter tamen affirmatur à Theologis cum Diuo Thoma quæst. 63. art. 5. Tum quia Concilia loquuntur absolutè. Tum etiam quia, vt ait S. Thom. Character est formalis quædam participatio sacerdotii Christi, quod æternum est. Cúmque character à solo Deo pendeat vt à causa efficiente, & non destruatur moraliter per peccatum mortale, vt gratia: non est causa vel ratio sufficiens cur desinat. 99.

Character est indelebilis, saltem hac in vita.

Ad secundum Respondeo, characterem immediatè imprimi ipsi substantiæ animæ, Cùm enim sit qualitas spiritualis, non est ratio cur dicatur imprimi corpori. Posito etiam quòd, vt multi sentiunt, intellectus & voluntas distinguantur realiter, tum ab anima, tum inter se: non est ratio cur potius imprimatur intellectui, quàm voluntati. Vtrique autem non potest, cùm sit indiuisibilis; sed potiùs imprimitur ipsi substantiæ animæ, quæ Deo consecratur. Nos autem intellectum & voluntatem ab anima non distinguimus. Cúmque character non disponat ad operandum, sed ad esse; non est cur in potentiis animæ potiùs, quàm in eius essentia & substantia dicatur imprimi. 100.

Imprimitur ipsi substantiæ animæ.

DISPVTATIO VIGESIMA-SECVNDA.

De causis, & de numero Sacramentorum.



DE causis, & de numero sacramentorum disputat S. Thomas quæst. 64. & 65. In quarum priore docet 1. Solum Deum operari interiùs in anima effectum sacramenti per modum principalis agentis: Ministrum tamen conferre aliquid per modum instrumenti. 2. Solum Deum esse institutorem sacramentorum: quia illorum virtus à solo Deo est. Sacramenta enim instrumentaliter operantur ad spirituales effectus. Instrumentum autem habet virtutem à principali agente. Agens verò respectu sacramenti est duplex: scilicet instituens sacramentum, & vtens sacramento instituto, applicando ipsum ad inducendum effectum. Virtus autem sacramenti non potest esse ab eo qui vtitur sacramento: quia non operatur nisi per modum ministerii. Vnde relinquitur quòd virtus sacramenti sit ab eo qui instituit sacramentum. 3. Christum, inquantum Deus est, habere potestatem authoritatis in sacramentis: inquantum verò est homo, habere potestatem ministerii principalis, siue potestatem excellentiæ, quæ in quatuor consistit. Nimirum quòd meritum & virtus passionis eius operatur in sacramentis: quòd in eius nomine sacramenta sanctificantur: quòd ipse qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta: quódque potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre. 4. Addit non potuisse Christum authoritatem potestatis vlli creaturæ communicare: secus verò potestatem excellentiæ. 5. Ministros Ecclesiæ,

cùm instrumentaliter operentur in sacramentis, posse illa conferre, siue boni, siue mali sint. Instrumentum enim non operatur secundum propriam formam, sed secundum virtutem eius à quo mouetur: nihilque aliud ab eo exigitur, quàm quod necessarium est ad rationem instrumenti. 6. Peccare tamen malos ministros in sacramentorum dispensatione: quia ministri debent Domino conformari, secundum illud Leuit. 19. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Esséque peccatum illud graue, & mortale ex suo genere: quia pertinet ad irreuerentiam Dei, & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint. 7. Ad homines pertinere dispensationem, & ministerium sacramentorum, non autem ad Angelos. Quia tota virtus sacramentorum deriuatur à passione Christi, quæ illi conuenit secundum quòd est homo, cui in natura conformantur homines, non Angeli: nam potiùs secundum passionem, dicitur modicò ab Angelis minoratus, Hebræorum 2. Sicut tamen Deus virtutem suam non sic alligauit sacramentis, vt sine ipsis nequeat effectum illorum conferre: ita etiam virtutem suam, non sic alligauit Ecclesiæ ministris, vt nequeat Angelis virtutem ministrandi tribuere. 8. Intentionem ministri necessariam esse ad effectionem sacramenti. Quia quando aliquid est ad multa indifferens, oportet vt per aliquid determinetur ad vnum, si illud effici debeat. Ea verò quæ in sacramentis aguntur, possunt diuersimodè agi: sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari ad munditiem corporis, & ad sanitatem. Quare oportet vt determinetur ad vnum, id est, ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis. 9. Non requiri tamen fidem ministri, vt neque charitatem: ita vt possint etiam infideles & peccatores sacramenta conferre validè, dummodo cætera adsint quæ sunt de necessitate sacramenti. Quia minister, instrumentaliter solùm operans, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem ad propriam virtutem pertinet charitas: ita & fides. 10. Intentionem peruersam respectu sacramenti, tollere illius veritatem: putà cùm aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere. Secus autem si est tantùm peruersa quoad aliquid consequens: putà si quis fœminam baptizet, vt ea abutatur. Quod enim est prius, non dependet à posteriori.

In altera quæst. affirmat septem esse sacramenta Ecclesiæ: Baptismum, Confirmationem, &c. Quibus homo sufficienter perficitur in iis quæ pertinent ad vitam spiritalem, tam in ordine ad se, quàm respectu communitatis. Et ordinem, quo enumerantur, conuenientem esse. Potissimúmque inter illa esse sacramentum Eucharistiæ, in quo Christus ipse substantialiter continetur, & ad quod, velut ad finem, cætera ordinantur. Ac denique tria illorum esse necessaria ad salutem. Duo quidem, personæ singulari. Baptismum, simpliciter & absolutè: Pœnitentiam autem, supposito peccato mortali post baptismum: & Ordnem respectu Ecclesiæ. Cætera esse tantùm eatenus necessaria, quatenus per ea commodiùs effectum salutis consequimur. Hæc D. Thomas.

SECTIO I.

De Sacramentorum institutore.

1. Omnia sacramenta N. L. fuerunt immediatè à Christo instituta.

AVSÆ Sacramentorum, sicut & rerum aliarum compositarum quatuor sunt, efficiens, materialis, formalis, & finalis. De causis intrinsecis materia & forma, deque fine sacramentorum, id est, de effectibus ad quos sunt instituta, sufficiunt quæ diximus disput. 19. & 21. Superest efficiens, & subiectum cui applicantur. Efficiens autem duplex est: Institutor, & minister. De Institutore quæritur primò, An Christus immediatè omnia sacramenta nouæ legis instituerit? Respondeo affirmatiuè: idque satis clarè definitum fuisse existimo à Trident. sess. 7. can. 1. *De Sacramentis in genere*, vbi sic pronunciat: *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à I. su Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Licet enim Concilium omiserit verba illa, *per se immediatè*, quorum vsus vix est nisi in scholis: hunc tamen esse illius sensum patet primò, quia Concilia in definitionibus communi & vsitato modo loquuntur. Communiter autem & vsitatè non dicuntur simpliciter à Christo instituta, tradita, vel præcepta, nisi quæ ab ipsomet immediatè instituta, tradita, vel præcepta sunt. Quis enim vnquam dixit simpliciter, & sine addito, sacramentalia, verbi gratiâ, aquam lustralem, & panem benedictum fuisse à Christo instituta, licet ab ipso mediatè per Ecclesiam, id est, per potestatem Ecclesiæ à Christo concessam, fuerint instituta? Quis item dicat simpliciter præcepta Ecclesiæ esse præcepta Dei vel Christi?

Patet secundò, Quia idem Concil. sess. 14. can. 1. de Extrema-vnctione, de qua maximè dubitari poterat, ait à Christo fuisse institutam, & Iacobo Apostolo tribuit solùm eius promulgationem. Nisi autem loqueretur de institutione immediata, non esset cur negaret à Iacobo, æquè ac ab aliis Apostolis, fuisse institutam. 3. Idem Concil. sess. 21. c. 2. docet Ecclesiam non habere potestatem ad mutandam substantiam sacramentorum. Ergo substantia sacramentorum non pendet ab Eccle-siæ institutione: alioqui posset eam mutare, sicut potest mutare alia omnia quæ instituit. Licet enim possit intelligi potestas à Deo vel à Christo concessa ad statuendum aliquid, non ad mutandum postea; tamen talis potestatis in Ecclesia circa sacramenta nullum est indicium in Scriptura, vel in traditione certa. Et Ecclesia potest validè mutare cætera omnia quæ potest instituere. Quare aliud de sacramentis asserere, diuinare est. Fuit etiam

3. specialis ratio cur omnia legis nouæ sacramenta debuerint immediatè à Christo institui, quam reddit S. Thomas quæst. 6. Supplem. art. 6. corp. & in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 5. Quia, inquit, cùm ministri Ecclesiæ instituantur in Ecclesia diuinitus fundata, ideo Ecclesiæ institutio præsupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ. Et quia Ecclesia fundatur in fide & sacramentis; idcirco non pertinet ad ministros Ecclesiæ nouos articulos fidei edere, aut editos remouere, aut noua sacramenta instituere, aut instituta remouere. Sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum. Id est, sicut creatio Vniuersi præsupponitur operationi causarum secundarum, quæ non potuerunt ipsum creare, eiusque ordinem instituere, vt neque etiam possunt illum mutare aut inuertere: Ita fundatio Ecclesiæ præsupponitur operationi Ministrorum, qui in ea iam fundata, & constituta in suo statu, instituuntur. Fundatur autem per fidem, & sacramenta. Idcóque institutio fidei, & sacramentorum non procedit ab operatione ministrorum Ecclesiæ, sed illi præsupponitur iam facta à Christo Ecclesiæ fundatore. Quæ ratio æque concludit de Apostolis: nam ipsi quoque sunt ministri Ecclesiæ, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 4. vers. 1. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Cyprianus verò & August. qui contrarium docere videntur benignè explicandi sunt de promulgatione quorundam sacramentorum, non de institutione propriè dicta: vt explicantur à D. Thoma in 4. distinctione 23. quæst. 1. a. 1. quæstiuncula 3. & fusiùs à Suar. disp. 12. sect. 1. col. 4. quem consule.

Quæritur secundò, An Christus quà Deus, vel quà homo, id est, humana & creata voluntate sacramenta instituerit? 4. Respondeo, Christum vt hominem fuisse causam specialem & authorem sacramentorum. Ita D. Thom. quæst. 64. a. 3. Ratio est, quia Christus vt homo, id est, vt constans natura humana & hypostasi Verbi, est mediator inter Deum & homines, & Ecclesiæ caput & institutor. Quare ad eum vt talem pertinuit iacere fundamenta Ecclesiæ, & instituere signa sensibilia, quibus sua merita nobis communicarentur, & quibus homines Ecclesiæ aggregarentur, atque in ea perficerentur ac promouerentur ad salutem æternam: quibus denique Ecclesiæ vnitas conseruaretur, & ipsa visibiliter indicaretur, atque discerneretur à sectis Infidelium. Conueniens enim fuit vt Christus, tanquam caput & Princeps Ecclesiæ, eiusque fundator, formam illi daret, quæ in sacrificio, sacramentis, & præceptis Euangelicis consistit.

Christus vt homo, est auctor sacramentorum.

Notandum tamen ex D. Thom. loc. cit. 5. Christum vt hominem non instituisse sacramenta suprema authoritate & independenti. Hæc enim Dei solius propria est, & non conuenit Christo vt homini, sed vt Deo: verùm illa instituit potestate ministerii principalis,

Non tamen auctoritate independenti, sed ministerii principalis.

siue potestate excellentiæ: quæ in quatuor consistit. 1. In eo quòd licet Christus, quà homo, non sit principalis & supremus author gratiæ, neque sua sola potestate, & independenter à Deo, potuerit gratiam infallibiliter alligare sacramentis, sed tantùm Deo se obstringente vt gratiam daret infallibiliter, si Christus vellet eius signa instituere: meritum tamen & virtus passionis Christi operatur in sacramentis: quatenus eius virtus meritoria & satisfactoria nobis quodammodo copulatur per sacramenta. 2. In eo quòd eius nomine sacramenta sanctificantur: *Neque enim aliud est nomen sub Cælo datum, in quo oporteat nos saluos fieri.* 3. In eo quòd ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta: quia sacramenta totam virtutem, quam habent, obtinent ab eius institutione. 4. Quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento præstare, tanquam causa illorum, ab illis non dependens. Causa enim non pendet ab effectu, sed potiùs è conuerso. Addi potest 5. Quòd Christus à nullo alio ministro pendeat: ideóque sit principalis, & excellens minister, soli Deo subordinatus.

6. Dixi Christum vt hominem fuisse causam specialem sacramentorum: quia Deus, seu voluntas diuina se habuit tantùm vt causa generalis, & indifferens, Christique humanæ voluntati se accommodans, & ab ea determinata quoad speciem, in sacramentis instituendis, & aliis quæ ad statum substantialem Ecclesiæ pertinent, & à Christo eius authore specialiter instituta sunt. Quia tamen gratia pendet à solo Deo, vt causa efficiente principaliter: & nulla rerum omnium quæ sunt, potest eam causare principaliter, nisi Deus: non potuit Christus sola sua voluntate creata, & independenter à diuina, tribuere sacramentis efficaciam gratiæ: cùm efficacia illa sine diuina virtute esse non possit, nec vlli rei iam creatæ connaturalis sit. Independenter, inquam, à Deo non modò vt concurrente generaliter, sed etiam vt liberè & supra debitum naturæ ordinante dare gratiam infallibiliter per ea signa, quæ Christus institueret.

Obiicies primò, Si ita est, Christus vt homo non instituit propriè sacramenta, sed tantùm determinauit signa sensibilia, ad eum modum, quo in lege naturæ determinabant homines signum sensibile, quo paruuli iustificarentur, posita Dei institutione de paruulis iustificandis per aliquod signum sensibile ponendum ab hominibus pro eorum arbitrio. Secundò, Deus per se immediatè instituit omnia sacramenta legis Mosaicæ, & legis naturæ: ergo & omnia legis nouæ, quæ alioqui essent in eo deterioris conditionis.

7. Ad primum Respondeo, differentiam esse. Nam Deus ipse per se immediatè, & vt causa specialis, instituit sacramentum illud legis naturæ, statuítque vt esset signum aliquod sensibile coniunctum fidei internæ: licet non determinauerit in specie, vt signum sensibile esset tale vel tale, sed hoc hominum arbitrio reliquerit determinandum; sicut aliqua in sacramentis nouæ legis non adeo determinauit. At verò Deus non per se specialiter statuit vt essent aliqua signa sensibilia efficacia gratiæ in lege noua: sed tantùm statuit dare Christo, propter ipsius merita, quicquid ipse postularet; & approbare formam Ecclesiæ, quam ipse institueret: non præscribendo illi formam, quam reipsa instituit, neque vt signa sensibilia statueret ad sanctificandum: sed generaliter & indifferenter se habendo, & totum hoc statuendum Christo relinquendo. Quapropter Christus vt homo est verè ac propriè specialis institutor sacramentorum, sicut & legum seu præceptorum quæ specialiter Ecclesiæ tradidit: non minùs quàm homines sunt propriè authores & institutores legum ciuilium vel Ecclesiasticarum, quas tamen non condunt nisi per potestatem à Deo dependentem. Omnis enim alia potestas legitima, à Deo est, vt ait Apost. Rom. 13. vers. 1.

Christus nō determinauit solum signū sensibile sicut homines faciebant in lege naturæ.

Plura ad huius argumenti solutionem affert Delugo disput. 7. num. 29. & sequentibus. Sed hæc facilior & planior mihi videtur. Verum tamen est, & notatu dignum quod ipse ait: aliud esse dare Deum homini tantùm potestatem determinandi signum, cui Deus ipse det significationem & efficaciam, vt fecit in lege naturæ: & aliud, dare homini potestatem dandi significationem & efficaciam signo, vt Christo quà homini dedit. Quemadmodum aliud est habere potestatem designandi tantummodò confessarium qui te absoluat auctoritate & iurisdictione sibi data à summo Pontifice, vt possunt Reges & alii priuilegiati. Aliud, designare, seu eligere, & simul illi dare auctoritatem & iurisdictionem; vt facit Summus Pontifex suo Confessario. Et Christus quidem non tantùm designauit & determinauit signa sensibilia, per quæ sanctificamur ex opere operato: imo etiam neque solùm potestatem accepit instituendi vt essent talia signa in Ecclesia à se constituta, quam potestatem non repugnat puræ creaturæ communicari: verùm etiam dedit per seipsum eiusmodi signis vim significandi practicè, & efficiendi gratiam, quatenus virtute suorum meritorum, quæ moraliter illis alligauit, acquisiuit ius ad gratiā hominibus distribuendam: ita vt eorum intuitu nobis in vsu sacramentorum detur gratia & remissio peccatorum, condignè debita Christi meritis. Quod neque homines in lege naturæ facere potuerunt determinando signum sensibile pro iustificatione paruulorum; neque vlla alia pura creatura potest. 8.

Delugo.

9. Ad secundum, nego consequentiam. Neque propterea sacramenta nostra sunt conditionis deterioris simpliciter, sed longè præcellunt in eo, quòd sunt signa efficacia gratiæ. Parum verò interest quòd illa fuerint instituta sola Dei voluntate: hæc autem hu-

manâ, sed hominis Dei per vnionem hypostaticam, & ab ipsa diuina voluntate approbata, obstringente se ab gratiam infallibiliter per ipsa conferendam. Imò hoc secundum integrè sumptum, melius & nobilius est.

10. Soluitur obiectio. Neque obiicias, Christum instituisse sacramenta ex inspiratione diuina. Respondeo enim primò, Christum non eguisse ad bene operãdum inspirationibus & motionibus diuinis, cùm per dona intellectui & voluntati suæ infusa, esset sufficienter illustratus & dispositus ad bene operandum, vt ostendimus in Tract. de Incarnatione. Secundò, id non obesse quò minùs Christus vt homo, dici possit sacramentorum nouæ legis institutor. Sicut enim Ecclesia dicitur instituere cerimonias, quas tamen Spiritus sancti inspiratione & directione induxit: & fundatores Ordinum religiosorum verè dicuntur institutores regularum, quas ex Spiritus sancti inspiratione sectatoribus suis tradiderunt: Sic Christus est sacramentorum institutor, quamuis ex inspiratione & motione Dei præuia supponatur ea instituisse.

11. Potestas instituendi sacramenta potuit aliis communicari. Quæritur 3. An potestas instituendi sacramenta potuerit aliis communicari? Respondeo affirmatiuè cum D. Thoma q. 64. a. 4. & aliis communiter ad eundem articulum. Loquor autem de sacramentis efficacibus gratiæ ex opere operato. Ac primò, citra dubium est, potuisse Deum absolutè plures Christos constituere, id est, plura supposita quæ constarent ex proprietatibus personarum diuinarum, & naturis creatis, eiusdem dignitatis, meriti, & potestatis, cum Iesu Christo Domino nostro. Christus tamen vt homo id non potuit physicè, præcisè sumptus, vt suppositum constans natura humana & hypostasi Verbi, secundum id quod hæc addit supra conceptum naturæ diuinæ, & quod vnitur immediatè humanitati. Nam hypostasis Verbi, vt sic non est actiua ad extra: Natura verò humana non habet vim actiuam ad efficiendam vnionem hypostaticam. Secundò, Potuit Deus constituere ministros, qui licet non constarent proprietatibus diuinis: à Deo tamen haberent tantum gratiæ & dignitatis, vt eorum meritum operaretur ad effectus sacramentorum: & ad inuocationem nominis ipsorum sacramenta sanctificarentur: & possent sacramenta instituere, ac sine sacramentis efficere solo imperio ea quæ per sacramenta efficiuntur: In quibus quatuor D. Thomas potestatem ministri principalis & excellentis constituit. Quare potuit Deus etiam puris creaturis dare potestatem instituendi sacramenta, & quidem illam quam vocant excellentiæ: cùm in his omnibus nulla sit contradictionis implicantia. Tertiò, Christus, etiam vt homo, potuit absolutè loquendo mereri vt Deus alios Christos institueret. Nam eius opera sunt per se digna tali mercede: multoque magis vt darentur puræ creaturæ quatuor illa modò enumerata ex D. Thoma. At non quintum quod addidimus supra, nempe independentiam à Christo, saltem remotam. Implicat enim, habere aliquid per merita Christi: & habere illud ipsum independenter à Christo, & ab eius meritis. Verùm D. Thomas hanc conditionem non requirit ad potestatem excellentiæ: vt scilicet ministei principalis non pendeat ab alio ministro: vel eius merita, quorum virtus operatur in sacramentis, sint independentia ab alterius meritis. Ideoque D. Thomas art. 4. quæst. cit. affirmat simpliciter, potuisse Christum vt hominem communicare aliis potestatem etiam excellentiæ. D. Thom. Attamen si Christus meritoriè, vel aliter, sua authoritate potestatem illam aliis committendo, vt Deus illam ipsi commisit, constitueret talem ministrum: fieri non posset, quin ipse semper retineret aliquam proprietatem & dignitatem ministri magis principalis, à quo talis minister acciperet suam potestatem; ipse verò tantùm à Deo. In quo casu summa excellentia ministerii non consisteret tantùm in illis quatuor enumeratis ex D. Thoma: sed etiam requireretur, quemadmodum etiam semper requiritur, vt qui esset principalis omninò & præcellens minister, non subordinaretur alii ministro. Nam qui subordinatur, non est summus. Illam tamen potestatem supremi ministerii potuit Deus non tantùm vni Christo tribuere, sed etiam multos constituere ministros, quorum nullus ab alio penderet, seu alteri subiiceretur, ne quidem Christo Domino, neque ab illo quicquam acciperet. Quanquam illi alii ministri, nisi, vt Christus, constarent proprietate diuinæ personæ, sed essent puræ creaturæ: essent quoque inferiùs, id est, ignobiliùs atque imperfectiùs sacramentorum ministri, quàm sit Christus: esto, citra dependentiam ac subordinationem respectu illius. Nam vt nulla pura creatura potuit de condigno satisfacere pro peccatis: ita talis minister, quippe creatura pura, non esset tantæ dignitatis, vt eius meritis & satisfactionibus de condigno niteretur peccatorum remissio, quæ fit in sacramentis.

Contrarium sentiunt Scotus in 4. dist. 1. q. 3. a. 2. Gabriel ibid. q. 2. a. 3. dub. 2. Durandus dist. 2. q. 1. & Vasq. disp. 135. cap. 2. affirmantes, potestatem instituendi sacramenta non posse vlli creaturæ communicari, si loquamur de propria sacramenti institutione, & non de sola determinatione signi ad cuius præsentiam Deus velit dare gratiam. 12. Contraria sententia. Ratio illorum est, quia nullus potest instituere signum certum efficax gratiæ, nisi Deus. Nam Deus solus potest gratiam producere: ergo solus potest eam dare aut promittere infallibiliter, & certis signis alligare. Ergo solus potest sacramenta instituere, seu signa infallibiliter efficacia gratiæ. Respondeo primò, Si hæc ratio valeret, probaret ne Christum quidem, vt hominem, potuisse sacramenta instituere. Secundò dico cum Suare disp. 12. sect. 2. nullum quidem propria authoritate & independenti

nisi Deum, posse instituere signum certò efficax gratiæ: posse tamen ex commissione & potestate data à Deo obstringente se ad dandam gratiam infallibiliter quando & quomodo & per quid ipse voluerit: & si velit signa sensibilia instituere ad eum finem, instituat: sin minùs, vtatur mediis quibus voluerit. Ita vt tota institutio & efficacia sacramenti pendeat à talis creaturæ voluntate & potestate, quamuis delegata & subordinata diuinæ voluntati, sine qua verum est, non posse homines gratiam signis sensibilibus alligare infallibiliter.

13. Soluitur instantia. Sed instat Gabriel, quòd licet institutio ad significandum simpliciter possit committi creaturæ: non tamen institutio ad certò & efficaciter significandum: quia illa non potest fieri nisi per determinationem diuinæ voluntatis ad assistendum signo, producendo effectum significatum. Hæc autem determinatio fieri non potest nisi per Deum: quia libertatem voluntatis nemo potest determinare nisi voluntas ipsa: alioqui voluntas non esset libera. Respondeo, libertatem debere quidem à seipsa determinari physicè, moraliter tamen posse ab alio determinari, id est, induci & obligari ad aliquid faciendum morali necessitate, contra quam decenter agere non potest. Atque ita Deus determinaretur à sacramenti institutore, vi promissionis de gratia danda infallibiliter, per quæcumque media ipse voluerit & instituerit.

Posset etiam in contrarium obiici ratio initio sectionis allata ex D. Thoma, in resolutione primæ quæstionis. Sed illa ratio congrua tantùm est, & rectè ostendit fuisse valdè conueniens, vt Christus priùs Ecclesiam perfectè fundaret per fidem & sacramenta, quàm eius ministros, & sacramentorum dispensatores institueret. Non tamen probat esse absolutè impossibile dari alicui potestatem instituendi aliquod sacramentum ante constitutionem perfectam Ecclesiæ, & Deum aliquam creaturam assumere ad illam ex parte saltem instituendam.

14. Quæritur 4. An Deus vel Christus reipsa potestatem aliis communicauerit instituendi sacramenta efficacia gratiæ ex opere operato? Respondeo negatiuè: Quia nusquam talis communicatio apparet: neque vlius talis potestatis communicatæ. Omnia enim sacramenta, quæ sunt in lege Euangelica, fuerunt à Christo ipso instituta, vt ante ostendimus: & vltra hæc nulla vnquam fuerunt alia efficacia gratiæ ex opere operato. Deinde, si cui potestas illa data fuisset, maximè Ecclesiæ Euangelicæ. At hoc non. Quia cùm Ecclesia sexdecim iam sæculis experta sit casus & euentus innumeros, & omnimodam ferè temporum varietatem: nunquam tamen sacramentum vllum tentauit instituere: quod signum est non accepisse talem à Deo potestatem. Et Trident. sess. 21. cap. 2. tribuit solùm Ecclesiæ potestatem in cerimonias & ritus accidentales sacramentorum, saluâ semper eorum substantiâ. Adde ex D. Tho. q. 64. a. 4. ad 3. conueniens fuisse nulli alteri communicari hanc potestatem, sed omnia à solo Christo instituti, tum ob rationem ab ipso allatam, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent: tum etiam ne aliud esset sub cœlo nomen, in quo vt redemptore speraremus, & sanctificaremur, atque ad gloriam promoueremur. Item Christus sufficienter prouidit hominum saluti per sacramenta, quæ instituit. Quid ergo fuit opus dare potestatem alia instituendi?

Deus aut Christus non communicauit aliis potestatem instituendi sacramenta.

15. Alensis. Contrarium sensit Alensis parte 4. q. 24. membro 1. vbi docet hanc potestatem fuisse communicatam Ecclesiæ, eamque reipsa instituisse aliqua è septem Sacramentis. Sed hoc postremum defendi non potest post Tridentini definitionem supra relatam & expensam. Priùs verò probatur ex Christi verbis Ioan. 20. *Sicut misit me pater; & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. Et Matth. 18. *Quæcunque solueritis super terram*, &c. Quibus verbis Christus videtur Apostolis dedisse potestatem, qualem ipse à Patre accepit, soluendi peccata vt voluerint: ergo & instituendi sacramenta, sicut Christus ea potuit instituere.

Respondeo particulam, *Sicut*, hoc loco non significare æqualitatem, sed quandam similitudinem missionis, & potestatis: quæ qualis sit & quanta in Apostolis, & in Ecclesia, iudicandum est ex traditione antiqua, & Ecclesiæ vsu atque sensu. Nam Christus vt caput & fundator Ecclesiæ habet multa propria, quæ non communicauit aliis. Neque poterant Apostoli, vel Ecclesia tota, ligare aut soluere ea quæ Christus inuariabiliter ligauerat aut soluerat: aut substantialia Ecclesiæ mutare: quæ non magis subsunt liberæ potestati hominum, quàm substantia sacramentorum. Sed ad intelligendum quid soluere aut ligare possent, opus erat maiori reuelatione, siue prudentia supernaturali, & iudicio, quod Apostolis & Ecclesiæ datum fuit per Spiritum sanctum.

SECTIO II.

De Ministro sacramentorum: & primò de Persona ministri.

16. Persona ministri est planè necessaria. Conclusio: Ad sacramentum quodlibet efficiendum persona ministri est omnino necessaria. Patet ex Florent. in decret. §. *Hæc omnia*, vbi id definitur expressè. Per ministrum autem intellige personam idoneam, id est, habentem potestatem efficiendi sacramentum. Nam generatim, sine causa ad agendum idonea nihil effici potest. Quis verò sit idoneus cuiusque sacramenti minister, dicetur suis locis. Nunc breuiter,

Non semper distinguitur à recipiente. Aduerto primò, in omnibus sacramentis, exceptis Matrimonio & Eucharistia, personam efficientem debere necessariò esse di-

sacramentum. stinctam à recipiente. Nemo enim potest seipsum baptizare, confirmare, absoluere à peccatis, vngere, aut ordinare validè. Sacerdos tamen qui consecrauit Eucharistiam, validè & licitè eandem recipit propria manu, sibique ipsi administrat. In matrimonio quoque ipsi coniuges sunt ministri & subiectum sacramenti, vt patet ex clandestinis matrimoniis validis ante Trident. Et nunc licet Parochus requiratur; non tamen vt minister, sed vt testis eius quod fit, cum aliis duobus aut tribus. Quod autem ait, *Ego vos coniungo*, &c. non est forma sacramenti, sed cerimonia, quâ nomine Ecclesiæ recipit, approbat, & confirmat contractum coniugum: qui tamen sine illa cerimonia, imò etiam inuito Parocho, modò præsente cum duobus aliis validus esset & sacramentalis, vt suo loco ostendetur.

17. Nō omnes possunt omnia ministrare.

Aduerto secundò, fœminas etiam esse capaces efficiendi aliqua sacramenta, nempe Baptismum & Matrimonium. Nam ipsi coniuges mas & fœmina sunt ministri sacramēti matrimonii. Fœminæ quoque validè baptizare possunt, atque etiam licitè in casu necessitatis. Alia verò quinque sacramenta non possunt nisi à certis hominibus fieri: nempe Confirmatio ab Episcopis, aut ab alio Sacerdote ex commissione Summi Pontificis. Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema-vnctio, tantùm à sacerdotibus. Ordo denique quoad Episcopatum & presbyteratum ab Episcopis tantùm: Ordines verò inferiores possunt conferri à non Episcopis ex concessione summi Pontificis. Nam Innocentius VIII. anno 1489. concessit Abbatibus Cisterciensibus vt sui ordinis Monachos possent Diaconos & Subdiaconos ordinare: teste Victoria, Nauarro, Vasque & aliis. Legatur Florent. sess. 7. can. 10. de Sacram. in genere, vbi damnat Lutherum, affirmantem omnes Christianos habere potestatem in omnibus sacramentis administrandis: licet ad vitandam confusionem eâ solùm vti debeant illi quibus conceditur ab Ecclesia: quod ineptè probat ex 1. Petri 2. vbi Christianos omnes vocat *Regale Sacerdotium*. Loquitur enim Petrus de regno & sacerdotio spiritali ac metaphorico, quo sensu contritio, eleemosynæ, & alia bona opera vocantur hostiæ & sacrificia in Scriptura Psalmo 50. Hebr. 13. v. 16. & alibi. Vel si sermo est de sacerdotio propriè sumpto, synecdoche est, quâ tribuitur toti, id quod illi conuenit secundum aliquam eius partem.

18. Soli homines viatores sunt idonei ministri sacramētorum.

Aduerto 3. Solos homines viatores, & ratione vtentes, esse ministros idoneos sacramentorum secundum legem ordinariam. Solis enim illis à Christo dictum est, *Baptizantes eos*, &c. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: *Hoc facite in meam commemorationem*, & similia. Dixi 1. *solos homines*, quo nomine sexum vtrumque intelligo, propter sacramenta baptismi & matrimonii, quæ possunt à fœminis effici. Cùm autem sacramenta pro solis hominibus fuerint instituta, congruum fuit, vt per homines quoque efficerentur. Sic enim magis sunt conformes ministri susceptoribus, atque etiam Christo institutori, qui est homo. Secundò, dixi *viatores*, id est hanc vitam mortalem degentes: quia sicut sacramenta fuerunt instituta pro solis viatoribus, neque extra viæ, id est, vitæ huius mortalis statum possunt cuiquam administrari: ita eorum ministri ordinarii instituti sunt soli viatores: quibus etiam solis, locis ante citatis & alibi vbique in Scriptura tribuitur sacramentorum administratio. Homines enim & viatores erant quibus Christus aiebat, *Baptizantes eos: Hoc facite: Quorum remiseritis peccata*: &c. Quare si sacerdos v. g. retinet post mortem potestatem ordinis; non tamen illam potest exercere quandiu extra viam est, defectu conditionis necessariæ ex Christi institutione. Neque contradicit S. Thomas q. 64. a. 7. ad 2. sed tantùm dato, & non concesso quòd sancti in cœlo existentes possint esse ministri sacramentorum, negat parem esse rationem de Angelis, propter disparem naturæ conditionem. Suarez verò cōtrarium sentiens disp. 13. sect. 1. minùs cohærenter loqui mihi videtur cum eo quod addit disp. 14. sect. 1. Sacramenta non posse nisi à viatoribus recipi secundum legem ordinariam: propter rationem paulò ante allatam. D. Thom. Suarez.

19. Debet esse rationis compos.

Dixi 3. *Ratione vtētes*: quia ministri sacram. sunt *Dispensatores mysteriorum Dei*, vt ait Apostolus 1. Corinth. 4. v. 1. Dispensator verò propriè dicitur ille, cuius potestati arbitrioque committitur aliquarum rerum distributio humano modo facienda. Quare sacramentorum ministri debent habere vsum rationis: ac si non possunt humano modo operari, non sunt capaces conficiendi sacramenta, quæ non nisi humano modo fieri possunt. Ideoque Baptismum, ab Athanasio adhuc puero collatum coætaneis secum ludentibus, non ante validum iudicauit Alexander Patriarcha Alexandrinus, quàm interrogando comperit eum, satis compotem rationis, ritè adhibuisse omnia Baptismo essentialia.

20. Extraordinariè possunt Angeli & non viatores.

Dixi 4. *Secundum legem ordinariam*: quia de potentia absoluta, homines extra viam positi & beati, imò etiam Angeli, & animæ separatæ à corpore, possent à Deo deputari. Vt de Angelis affirmat S. Thomas art. cit. in corp. Posset enim Angelus ve. gr. in corpore assumpto applicare aquam, & proferre verba, cum intentione requisita. Neque secundum viam saltem extraordinariam requiritur ad sacramentum vox humana propriè, id est, humano ore formata. Quare si sacramentum ab Angelo bono conferretur, habendum esset ratum ex priuilegio. Neque enim Angelus beatus hoc faceret nisi ex Dei concessione. Atque ita Amphilochium fuisse ab Angelo consecratum in Episcopum tradit Nicephorus lib. 11. Hist. cap. 20. eiusque consecrationem ab aliis Episcopis ratam fuisse habitam. Contra verò si à Dæmone con-

ferretur: credendus enim esset hominibus illudere. Porro per, *Ministrare*, intelligimus hic efficere: & per, *ministrum*, effectorem sacramenti. Nam si loquamur de Eucharistia cuius effectio distinguitur ab applicatione, Certum est Angelos eam facilè administrare posse: & quemlibet tum sibi, tum aliis de facto: quamuis de iure non nisi à sacerdotibus, vel à Diaconis, extra casum necessitatis, applicari possit.

21. Plures ministri possunt coefficere idem sacramentum.

Aduerto quartò, plures ministros ad idem sacramentum efficiendum concurrrere posse, siue vt causas partiales, siue etiam vt totales. Nam Matrimonium necessario efficitur à duobus, vt causis partialibus, nempe ab vtróque contrahente. Ordo quoque Episcopalis debet conferri necessariò à duobus vel tribus Episcopis. Et quando noui Sacerdotes initiantur, omnes simul cum Episcopo consecrant Eucharistiam, si simul verba consecrationis absoluunt, vt causæ totales & independentes. Vnde etiam fit vt solus consecret, si quis primus verba absoluit cum absoluta intentione consecrandi. Similique modo possent plures validè simul baptizare, confirmare, absoluere à peccatis, vngere, & ordinare vnum & eundem. An verò quilibet tunc debeat materiam simul ac formam per se conferre, sitque tunc vnum vel plura sacramenta, patebit ex dicendis infra de Baptismo.

22. Ministri sacramentorum sunt causa remota gratiæ & remissionis peccatorũ.

Quintò denique, aduerto ministros sacramentorum non esse tantùm eorum causas, sed & gratiæ & remissionis peccatorum, aliorúmque effectuum sacramentalium: non tamen immediatè, sed remotè in genere causæ efficientis moralis. Quia non aliter eam causant, quàm mediante sacramento quod ponunt aut applicant. Sicut is qui tecto comburendo ignem applicat, non comburit nisi mediante igne, quem accendit, & applicat ad comburendum. Neque vis sacramentorum est à ministris, sed à Christo eorum authore & institutore. Propter quod dicemus infra eorum virtutem & efficaciam non pendere à fide & bonitate ministri. Est autem discrimen inter Eucharistiam, & alia sacramenta: quòd ista consistunt in vsu, corúmque fieri est applicari: neque possunt applicari, nisi à ministro, à quo possunt fieri. At Eucharistia fit antequam applicetur, potestque validè applicari à quolibet, quamuis à solo Sacerdote fieri possit. Qui tamen eo ipso quòd eam ponit per consecrationem, concurrit remotè ad gratiam sacramenti virtute productam, quatenus scilicet fuit causa efficiens sacramenti, quod est causa propinquior instrumentalis ipsius gratiæ. Qui autem solum administrat Eucharistiam recipienti, non est causa moralis instrumentaria gratiæ, eo sensu, quo nunc causam moralem accipimus, pro ea scilicet, quæ vel est causa sacramenti, vel moraliter Deum mouet ad gratiam conferendam. Neque enim ille Deum mouet, sed sacramentum, cuius ipse causa non est. Aliter tamen potest dici causa moralis, quatenus aliquo modo cooperatur ad illum effectum ex intentione ipsius. Sicut ille qui vocat confessarium vt audiat ægrotum, dicitur causa moralis cur æger fit confessus & absolutus. Ita Delugo disp. 8. num. 5. & sequentibus, apud quem plura videri possunt. Delugo.

23. Vasquez

Aliter verò hac de re philosophatur Vasq. disp. 135. num. 36. & 37. Docet enim in omnibus sacramentis, exceptâ Eucharistiâ, ministrum proximè concurrere vt instrumentum ad effectum sacramenti: & se habere sicut eum qui à Deo aliquid impetrat actione aliqua ab ipso Deo ad hoc constituta. Vt autem explicet quo pacto minister dicatur proximè concurrere vt instrumentum ad effectum sacramenti: ait ipsum non concurrere proximè ad prædictum effectum influxu aliquo peculiari simul cum sacramento, ita vt ex æquo cum illo concurrat tanquam sint duo instrumenta diuersa sed vnum instrumentum ex ministro & sacramento confici, sicut ex serra & motu illius. Ita vt sacramentum sit actio præuia ipsius ministri, ratione cuius minister se habet instar physici & naturalis instrumenti, & per quam ipse impetrat à Deo effectum. Sicut humanitas Christi, & tactus illius, aut verbum ad sanandum, non erant duo instrumenta; sed vnum integrum cum sua præuia operatione. Hæc Vasquez.

24. Minister & sacramentum sunt causæ diuersæ gratiæ, & istud propius illam efficit.

Sed cùm, iuxta meliorem sententiam, sacramenta causent moraliter gratiam, quatenus ex Christi institutione habent sibi moraliter annexa Christi merita, quæ mouent Deum immediatè & proximè ad gratiam infallibiliter conferendam; vnde dicuntur esse vasa quædam sacra, quæ Christi sanguinem, & merita, & gratiam continent, comparantúrque bursæ plenæ, continenti pretium nostræ redemptionis: non est verum ministrum sacramenti se habere per modum impetrantis, sed se habet per modum causæ efficientis vas illud sacrum, seu signum efficax gratiæ, in quo est tota vis immediatè applicans merita Christi, non autem in ministro cuius vis est planè diuersa, nempe vis efficiendi tale signum sensibile applicatiuum meritorum Christi, & effectiuum gratiæ. Si autem est diuersa virtus ministri & sacramenti, sunt diuersæ causæ & diuersa instrumenta, quorum vnum, nempe sacramentum, propinquiùs concurrit ad gratiam quàm aliud; quia immediatiùs Deum mouet vt gratiam conferat propter Christi merita à se applicata. Quare minister & sacramentum, non se habent vt serra, & motus illius; sed vt serra mota, & artifex eam mouens, cuius virtus est diuersa à virtute serræ motæ, remotiúsque concurrit ad effectum. Neque etiam se habent vt humanitas Christi, & tactus illius aut verbum ad sanandum: alioqui sicut præcipua vis moralis faciendi miracula erat in ipsa humanitate Christi, quæ maximè Deum mouebat, neque tactu aut verbo indigebat vt moueret, neque illis iuxta Vasquem vtebatur tan-

quam instrumentis, sed tanquam actione præuia humanitatis instrumentaliter operantis miracula: Sic præcipua vis efficiendi gratiam esset in ministro, non in sacramentis: neque ipsa propriè essent instrumenta, sed tantùm essent actio præuia ministri instrumentaliter gratiam producentis: quod est absurdum, & contra Trident. sess. 6. cap. 7. paulò post initium, vbi ait Baptismum esse causam instrumentalem iustificationis. Est autem par ratio de aliis sacramentis.

SECTIO III.

Vtrum intentio Ministri necessaria sit?

25. Intentio ministri est necessaria ad valorem sacrament.

RESpondeo, Intentionem ministri, saltem faciendi id quod facit Ecclesia, siue quod Christus instituit, esse simpliciter necessariam ad valorem sacramenti. Est de fide, definitum à Florent. in decret. §. *Hæc omnia*: & à Trident. sess. 7. can. 11. *de Sacramentis in genere*. Ratio est institutio Christi, qui non instituit sacramenta in certis rebus & verbis quomodocumque adhibitis, ita vt sint signa efficacia gratiæ, quomodocumque, & à quocumque fiant: sed dumtaxat prout fiunt ex potestate ab ipso data ministris: ex cuius vsu accipiunt esse morale, seu vim significandi & efficiendi gratiam: quam vim non habebant ante Christi institutionem; neque eam habent, nisi cùm fiunt secundum illam, ex potestate ab ipso tradita. Hæc autem potestas moralis est, & non operatur naturaliter; sed vsus illius subest voluntati, debetque ab illa applicari ad operationem. Ergo non operatur nisi minister habeat saltem confusè voluntatem eâ vtendi. Item hæc potestas est homini tradita, vt homo est, id est, prout ratione vtitur. Neque enim existimandum est tam mirabilem, tamque diuinam potestatem tributam esse homini, veluti bruto modo & merè animali operanti. Ergo non potest illa vti nisi humano modo, id est, actione humana, propria voluntate & intentione ipsam applicando. Ergo non vtitur illâ ponendo tantùm physicè res aut verba; sed ponendo ex intentione vtendi morali potestate ad tribuendum illis esse morale & sacramentale, iuxta Christi institutionem: qua sola ratione sunt actus proprii potestatis ab illo traditæ.

26. Confirmatur.

Confirmatur, Quia res & verba, quibus constant sacramenta, non sunt totum id, quod significatur nomine sacramenti; sed sunt veluti materiale quid respectu institutionis, & esse moralis, quod ab illa habent: ac per se sola non haberent vim & efficaciam gratiæ, neque essent sacræ actiones, nisi à Christo institutæ essent, & ordinatæ ad illũ effectum. Ergo vt sacramenta fiant, non debent tantùm fieri actiones illæ, sed debent fieri prout sunt sacramenta. Atqui hoc habent ex Christi institutione: ergo vt fiant tanquam sacramenta, debent fieri vt à Christo sunt institutæ. Institutio autem Christi non fuit tantùm vt hi vel illi actus fierent, & hæc vel illa verba proferrentur; sed ad certum finem, ad quem institutione sua actibus illis & verbis tribuit valorem. Et quemadmodum Christus, quando dixit, *Accipite, & comedite, Hæc est corpus meum*, vt non tantùm diceret panem esse signum corporis sui, sed ex pane efficeret corpus suum, necessaria erat intentio, quâ verba illa ordinaret ad hunc effectum, eisque vim ad illum tribueret: ita etiam vt eius ministri idem faciant moraliter & humano modo, debent velle idem facere, quod ipse fecit & instituit. Alioqui non agunt vt eius ministri, neque integrè faciunt id quod ipse fecit, vel instituit, Quandoquidem non nudas fecit illas actiones materiales quæ per se possent otiosæ esse ac ludicræ, & ad varios fines referri: sed fecit certo modo, & cum ordine ad finem & effectum aliquem, & præbendo eis vim & valorem ad illum. Idemque dico de baptizante, & proferente verba illa, *Ego te baptizo*, &c. iuxta Christi institutionem, Matth. vlt. & de absoluente per illa verba, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, &c. & de confirmante, ordinante, & aliis cuiusuis sacramenti ministris, quibus Christus præcepit & commisit has actiones vt morales & liberas, cum attentione & intentione humano modo exercendas.

27. Ministri sacramentorum sunt dispensatores.

Vt ex eo ampliùs confirmatur, quia ministri sacramentorum non sunt meri famuli, & executores: sed sunt ministri, quorum iudicio negotium commissum est; vt expressè de ministro sacramenti Pœnitentiæ affirmat Trident. sess. 14. can. 9. *de Sacram. Pœnit.* suntque *Dispensatores mysteriorum Dei*, vt loquitur Apostolus 1. Corinth. 4. v. 1. Dispensator autem propriè dicitur ille cuius potestati arbitrioque committitur aliquarum rerum distributio humano modo facienda, id est, cum intentione distribuendi: Ita vt v. g. is cui fuerunt commissi mille aurei dispensandi in varios pauperes, si alicui det 20. sine intentione transferendi dominium, sed vt paululum eos seruet: non dispenset tali actu, neque is quicquam iuris in talem pecuniam acquirat. Sic ergo neque validè mundat, aut dimittit peccata in Baptismo, Pœnitentia, & Extrema-vnctione, neque dat potestatem sacram in ordinatione, neque sacramentaliter contrahit matrimonium, qui verbo tenus, serio quamuis modo, hæc facit sine interna intentione faciendi nomine Christi id quod facit, eo modo quo Christus ipse instituit. Adde quòd è contrario sequeretur, Sacerdotem legentem in mensa, aut referentem aliter verba consecrationis serio modo, consecrare panem & vinum mensæ appositum: quod est absurdum. Denique vt rectè affirmat D. Thom. q. 64. a. 8. ad 1. minister sacramenti, quia rationalis est, & liberè agit, nec tantùm mouetur, sed aliquo modo se mouet, debet habere intentionem,

quâ se subiiciat principali agenti, vt scilicet intendat facere, quod fecit Christus. Quibus verbis S. Thom. tangit præcipuum fundamentum huius sententiæ: nempè quòd externi illi ritus non sunt sacramentales nisi cùm fiunt à potestate traditâ à Christo, sine qua & eius vsu non magis possunt esse sacramenta, quàm essent ante Christi institutionem. Hæc autem potestas non operatur nisi modo rationabili, id est, humano & libero.

28. Non sufficit intentio faciendi actum externum.

Ex his collige non sufficere intentionem faciendi solùm actum externum, sed requiri necessariò intentionem faciendi illum vt sacramentalem, id est, vt Christus eum instituit: referendo illum ad finem institutionis, & volendo illum quia institutum, & prout institutum. Quare falluntur Catharinus in opusc. De intentione Ministri, & Scribonius disput. 1. de Sacram. quæst. 6. & 7. existimantes sufficere quòd verba modo serio proferantur, prout solet exteriùs fieri ab Ecclesia, absque alia intentione interna, quàm seriò proferendi verba, & adhibendi materiam sacramenti. Contra quos pugnat Concil. Tridentinum sess. 14. cap. 6. vbi ait, absolutionem non esse validam si animus seriò agendi & absoluendi desit. Vbi nota Concilium non dicere tantùm, seriò agendi; sed addere, *& absoluendi*. Quin etiam illud, *seriò agendi*, debet potius referri ad intentionem internam, quàm ad modum externum. Nam iuxta praxim & sensum Ecclesiæ, censentur esse validè baptizati paruuli infidelium, qui baptizantur interdum à Christiano habente quidem intentionem internam verè baptizandi, sed fingente exteriùs se alio fine infantem abluere, putà refrigerii aut medicinæ causa. Ergo intentio faciendi id quod facit Ecclesia, quam Concilia requirunt, non est intentio faciendi seriò actum externum vt solet fieri exteriùs ab Ecclesia, quæ in casu illo non est; neque enim tunc exteriùs seriò fit vt facit Ecclesia: sed est intentio adhibendi signum sensibile eo modo quo Christus instituit.

29. Argumenta in contrarium.

Obiicies 1. S. Thomam art. cit. in corp. & ad 2. affirmare intentionem Ecclesiæ, quæ satis exprimitur per verba sacramentalia, sufficere ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exteriùs verbis exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum. Atqui fieri potest vt proferantur verba, & contrarium nihil exprimatur: & nihilominus non habeatur intentio aliud faciendi, quàm exteriorem solummodo actum, neque de institutione Christi vllo modo cogitetur: ergo, &c. 2. Alexander ratum habuit baptismum ioco datum ab Athanasio adhuc puero coætaneis colludentibus, qui tamen non videtur habuisse intentionem faciendi quod Christus instituit, sed iocandi tantùm. 3. D. August. lib. 6. de Baptis. cap. 53. dubitat an Baptismus irritus esset quando minister per iocum & irrisoriè ageret, vt olim Genesius in theatro: censétque expectandam esse reuelationem, antequam talis rebaptizetur. 4. A

August.

Christi institutione pendet vt requiratur talis intentio, vel non. Potuit enim Christus instituere vt sufficeret ponere actum externum, qui poni solet ab Ecclesia, sine alia intentione, quàm, ad summum, ponendi actum externum. Conuenientius autem fuit ita institui, ne alioqui sacramenta sint incerta, si pendeant ab intentione ministri, & eorum malitia noceat innocentibus. Ac sicut eam ob causam noluit Christus sacramenta pendere à ministri bonitate; ita probabilius est noluisse vt penderent ab eius intentione.

Adde quod cùm aliquis vtitur ministro, non est opus nisi vt hic exequatur opus externum. Nam si Dominus v. gr. mittat & donet alteri pecuniam per seruum: licet hic non habeat intentionem donandi & transferendi Dominium; tamen propter voluntatem Domini donatur verè pecunia, & Dominium transfertur. Ministri autem sacramentorum sunt serui Christi. Ergo sat est si efficiant opus externum, sine alia intentione. Adde item quòd omne signum sensibile, eo ipso quòd publicè impositum est ad aliquid significandum, est verè signum sensibile vi solius institutionis publicæ, quacumque intentione proferatur. V. gr. vox *homo*, quacumque intentione dicatur, est verè signum sensibile & publicum (id est, secundum publicam impositionem) animalis rationalis. Atqui sacramentum est signum sensibile & publicum, institutum à Christo ad significandum tali actione, & talibus verbis: ergo talis actio, & talia verba habent suam significationem ex impositione Christi, quicquid minister intendat: Imò licet contrarium intendat. Quia dum exhibet exteriùs talem cerimoniam, velit, nolit, facit signum à Christo institutum. Facit ergo sacramentum, neque potest tollere tali cerimoniæ significationem, inseparabilem ex Christi institutione. Sicut ille qui exhibet hostiam consecratam, velit nolit, exhibet sacramentum: quia ex vi consecrationis habet esse sacramenti inseparabile, neque potest minister illud tollere hostiæ consecratæ. Sicut etiam qui confert sacramentum, velit nolit, confert eius effectum subiecto bene disposito: quia non potest impedire efficaciam, quam sacramentum habet ex institutione Christi. 30.

Ad primum Respondeo, mentem D. Thomæ constare magis ex iis quæ tradit eadem quæst. 64. a. 10. in corp. & a. 8. ad 1. vbi affirmat intentionem ministri requiri; & eum qui non intendit sacramentum conferre, sed derisoriè agere, tollere veritatem sacramenti per illam peruersitatem, tametsi actum externum ponat. Quare cùm D. Thom. non sibi contradicat verbis citatis in obiectione, benignè interpretandus est, vt explicatur à Suare & Caietano, de perfectione sacramenti præsumpta, non vera. Quia scilicet præsumendum est sacramentum valere, quando nihil exteriùs contrarium exprimitur ex parte ministri aut recipientis, & alioqui ponitur materia & forma legitima. Re tamen ipsa 31. Opinio S. Thomæ de intentione Ministri.

nihil fit nisi minister ipse intendat actu proprio: quippe qui aliter non applicat potentiam quam habet efficiendi sacramentum, humano tantùm modo applicabilem, vt ipsemet D. Thom. affirmat art. eodem ad primum. Vel potius loquitur S. Thom. verbis relatis in obiectione, de intentione generali & confusa, quam minister habet eo ipso quòd vult nomine Ecclesiæ, aut eius more, facere id quod facit. Quæ intentio sufficit, & vix deesse potest sine extrema malitia, operanti liberè cum aduertentia proferendi verba sacramentalia: vt exponit Delugo disput. 8. sect. 4. & confirmat ex eo quod in illa responsione D. Thomæ ad 2. pro, *mentalis intentio*, legebatur in quibusdam codicibus, specialis intentio: vt testatur Sotus in 4. dist. 1. q. 5. a. 8. §. *In 2. argumento.*

Delugo.

Sotus.

32. Ad 2. Respondeo, dupliciter aliquid ioco fieri. Primò ex animo tantùm iocandi. Secundò, ex intentione quidem faciendi id quod efficiendum est, sed vlteriùs referendo ad iocum, & recreationem aliquam, velut ad finem extrinsecum. Primo modo sacramentum non fit: secus autem secundo. Nam id non magis obest valori sacramenti, quàm quod vlteriùs referatur ad lucrum, vel ad vanam gloriam. Et in hunc sensum Athanasii factum, & Alexandri iudicium accipiendũ est.

33. Ad 3. Respondeo, id de quo dubitauit S. August. & definiri optauit, fuisse definitum à Trid. sess. 7. can. 11. *de Sacram. in gen.* & sess. 14. Cap. 9. *de Sacramento Pœnitentiæ.* Nam priore loco affirmat vniuersim requiri in ministris sacramentorum intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Posteriori, negat esse absolutum eum, quem Sacerdos non seriò, sed ioco absoluit. Par verò est ratio de Baptismo & de aliis sacramentis. In casu autem, in quo rationabiliter dubitatur de valore Baptismi; non est expectanda reuelatio, sed prospiciendum saluti hominum, propter quos sacramenta sunt instituta, & potiùs exponenda sunt periculo nullitatis, quàm anima periculo damnationis. Cúmque D. August. eodem loco rectè censuerit eum non recipere Baptismum, qui fictè & sine intentione recipiendi accedit: Par fuit ratio vt non dubitaret eum quoque non verè baptizare, qui non seriò, ac sine intentione baptizat. Potestas enim moralis efficiendi, non minùs pendet à voluntate & intentione, quàm potestas recipiendi.

34. Ad 4. Respondeo, non fuisse conueniens ita institui, & Christum aliter fecisse, vt ex superioribus liquet. Quando enim v. gr. dixit Apostolis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. commisit potestatem arbitrio illorum, quæ sine voluntario vsu non poterat operari. Potestatem, inquam, non meri famulatus sed iudicialem, & talem vt eorum iudicio negotium absoluendi & retinendi peccata committeretur, cum recta ratione, & prout æquitas postulat, vt requirit negotium tanti momenti, & Trid. declarat sess. 14. can. 9. *de Pœnitentia.*

Non fuit cõueniens aliter institui sacram.

Ad contraria verò motiua dico 1. in actionibus humanis, etiam sacris, non esse expetendam certitudinem metaphysicam; sed sufficere moralem, quæ in præsenti negotio est, quoties nulla, ex parte ministri, datur causa dubitandi legitima. Nec par est ratio de ministri bonitate, quæ multò magis redderet sacramenta incerta, cùm facillimum sit habere intentionem, talẽ confusam & generalẽ, quę nulli nisi summè malitioso deesse potest: At non ita facile est esse semper in gratia. Quod si quis decipiatur à ministro: supplebit Deus excitando ad opus operãtis, si eius est capax, id quod ad salutem necessarium est, nisi seipsse tali gratia indignum præbeat. Neque verò tenetur magis Deus occurrere omnibus incõmodis, quę per hominũ culpá contingere possunt in vsu sacramentorũ, quàm teneatur impedire ne moriantur tot paruuli sine remedio peccati originalis. Nemini enim quicquã debet. Et tamen vindex grauissimus erit in eos, qui sua malitia nocuerint innocẽtibus. 2. Dico, id quod obiicitur de ministro, verum esse quando est seruus aut nuncius referẽs tantùm alterius cõsensum, aut merus executor, & velut instrumentum physicum operis. At non quando ministro negotium ipsum committitur, vt licet nomine alterius, suo tamen iudicio illud peragat. Tunc enim ministri voluntas necessaria est. Ministri verò sacramentorũ sunt tales, vt supra ostendimus. Dico 3. ex dictis supra constare res & verba non esse signa efficacia gratiæ ex Christi institutione secundum se nudè sumpta, aut quomodocúmque ponantur: sed tantùm vt ponuntur certo quodam modo, quem idem Christus instituit; nempè ex legitima potestate, & intentione, atque vsu libero talis potestatis, in subiecto idoneo. Ablutio enim v. g. & prolatio verborum, non est Baptismus sacramentalis, nisi hæc omnia concurrant: eaque omnia Baptismi nomine significantur. Quare exempla allata in obiectione non sunt similia. 35.

Intentio necessaria facillime habetur.

SECTIO IV.

Qualis intentio ministri esse debeat ad sacramentum efficiendum?

QVæritur 1. Vtrum in quolibet sacramento requiratur intentio distincta & expressa secundum propriam eius institutionẽ? V. g. Vtrum in Baptismo requiratur intentio particularis secundum distinctam illius notitiam, quòd sit institutus ad spiritalem regenerationem, aliosque effectus ipsi proprios? Respondeo negatiuè: sed sufficere confusam & generalem intentionem faciendi id quod facit Ecclesia in tali cerimonia, siue id quod Christus instituit: licet in particulari ignoretur quid instituerit, & quo fine peculiari. Patet ex Florent. in decr. vbi definit sacramenta his tribus perfici, *rebus vt materia, verbis vt forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Quibus verbis Concilium non aliam requirit intentionem, quàm generalem, atque sacra- 36.

Non requiritur intentio distincta & expressa.

menta per illam perfici. Ergo distincta & particularis non est necessaria. Eodem sensu loquitur Trident. sess. 7. can. 11. *de Sacram. in gen.* vbi requirit solùm in ministris intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia. Et cap. *Si quis per ignorantiam*, Cap. *Romanus Pontifex*, Cap. *A quodam Iudæo*, de Consecratione dist. 4. Et cap. *Firmiter*, de summa Trinitate & fide Catholica, in Concilio Lateran. asseritur Baptismum non tantùm à doctoribus, scientibus peculiarem sacramentorum institutionem & differentiam, posse validè tribui: sed à quocumque etiam infidelium & imperitorum, qui non aliam notitiam & intentionem, quàm confusam & generalem habent.

37. Non debet necessariò ferri in effectum sacramenti.

Quæritur 2. An intentio Ministri debeat necessariò ferri in effectum sacramenti immediatè & per se? Respondeo negatiuè. Sufficit enim intendere in causa, id est, in ipso sacramento; quod cùm intenditur, id etiam intenditur, quod ex illo veluti naturaliter sequitur, & necessariò cum illo connexum est, quantum est ex parte sacramenti. Quòd si quis circa talem effectum non modò negatiuè se haberet, non intendendo scilicet formaliter & per se; verùm etiam positiuè per contrariam voluntatem; de illo iudicandum esset, vt de similibus voluntatibus contrariis, & reuera incompatibilibus. Nam nisi hanc secundam voluntatem subiiciat priori, ita vt velit absolutè conferre sacramentum, quicquid sit de illa sua voluntate non conferendi effectum quantum est ex se nihil facit. Secus autem si subiicit. Ratio est, quia in priori casu vult absolutè & intendit sacramentum. In posteriori autem non vult: destruit enim illam volitionem per contrarium actum prædominantem.

38. Sufficit intentio virtualis.

Quæritur 3. An requiratur intentio actualis, dum fit sacramentum? Respondeo actualem intentionem circa ipsum sacramentum, quando actu fit, non esse necessariam: sed sufficere posse virtualem: at non tamen habitualem: neque etiam remotam solùm & interpretatiuam, siue in causa tantùm. Declaratur & probatur responsum. Intentio actualis est, quando actus ipse intendendi est per se præsens formaliter & physicè hic & nunc; ita vt voluntas actu velit id, quod dicitur intendi. Vt quando minister conficiens sacramentum, vult actu illud conficere; illud, inquam, secundum se formaliter atque expressè cognitum & volitum: Et hæc omnium consensu sufficit ad sacram. efficiendum: Ac si quæ alia, sufficere debet. Non tamen determinatè necessaria est, quia sufficit etiam virtualis.

39. Intentio virtualis est duplex.

Dicitur autem virtualis dupliciter. Primò, illa quæ actu quidem est, sed est confusa respectu obiecti, quod non intenditur formaliter & expressè secundum se, sed confusè tantùm & virtualiter, aut æquiualenter, actu aliquo generaliori aut æquiualenti. Quo pacto ille qui vult efficaciter finem, vult media virtualiter, licet de illis non cogitet. Et qui intendit confusè facere quicquid facit, habet virtualiter & latenter voluntatem recte conficiendi sacramentum, si tunc reipsa conficit. Et hæc intentio partim virtualis est, partim actualis. Actualis, quatenus actu est. Virtualis, ratione obiecti cuiusdam quod occultè tantùm intendit. Secundò, & purè virtualis dicitur, seu potiùs remanere virtualiter, illa ipsa quæ actu fuit, sed physicè esse desiit, & manet tamen virtualiter in aliquo alio ab ipsa procedente, in quo manet aliquo modo vis illius tanquam in effectu ex ipsa prouenient, vt cùm aliquis ex intentione actuali eundi Romam, dat se itineri, quod deinde prosequitur intendens semper virtualiter ire Romam, licet de Roma non semper cogitet. Aut cùm sacerdos, ex intentione actuali faciendi sacrum, templum petit, vestes sacras induit, altare conscendit, incipit sacrum & prosequitur. In his omnibus manet intentio actualis virtualiter, nisi per actum contrarium retractetur. Ac verè talis consecrat, licet propter euagationem animi de consecrando non cogitet quando profert verba consecrationis. Talem enim intentionem virtualem quocumque modo sumptam sufficere docent communi consensu Theologi. Idémque est Ecclesiæ sensus, quæ sacramenta tali modo collata approbat. Ratio præcipua est, quia non est existimandum Christum sacramentorum effectionem instituisse nimis anxiam aut difficilem: cuiusmodi esset, si vel distincta notitia, vel actualis intentio necessaria esset, adeo vt vel leuis distractio, quæ plerúmque est naturaliter ineuitabilis, sacramenta irritaret.

Quòd si quæras, quid illud sit, quod ex intentione præcedenti relinquitur, ratione cuius intentio virtualiter manet, & operis intenti executio peragitur? Dico, multa esse quæ vel ex consuetudine, vel ex vi imaginationis semel excitatæ, vel ex specierum connexione, vel ex quadam forte pronitate virtutis motiuæ ad continuandum motum, inseruiunt vt peragatur opus sine præsente actuali intentione, ex vi nihilominus præcedentis intentionis. Quo modo ille, qui est assuetus vel itineri alicui faciendo, vel recitandis quibusdam precibus, vel aliis actibus; si semel incipiat, prosequitur postea, etiam non cogitans de eo, quod initio intendit. Sæpissimè quoque intentio actualis est, quamuis non aduertatur. Sicut attentio est in cytharizante, vel legente, quamuis non videatur attendere ad modum pulsandi artificiosè cytharam, vel ad valorem characterum. Sed quamuis intentio actu non sit quando actio vi illius inchoata continuatur; sunt tamen alii actus intellectus aut voluntatis, aut partis inferioris animæ, qui necessarii sunt vt actio continuetur, præsertim si artificiosè fiat, vt fiunt actiones sacramentales cum suis cerimoniis, celebratio Missæ, & similia. 40. Quomodo manet intentio virtualiter.

Habitualis verò intētio dicitur illa, quę vel semel habita est, & non fuit retractata; nam 41. Intentio

habitualis non sufficit & quid illa sit?

donec retractetur, habitualiter manere dicitur: vel quæ consistit in habitu, ex illo actu & similibus acquisito; quo habitu voluntas facilitatur & promptior fit ad exercendos actus similes. Et hanc non esse sufficientem docent communiter Theologi: quia non influit in actum externum quo sacramentum ponitur, neque cum illo physicè vel moraliter connexa est; sed impertinenter se habet, si nihil aliud sit, id est, si non maneat virtualiter in aliquo effectu ex ipsa sequuto, & procedente vsque ad actum illum externum vi ipsius causatum. Sed iam non esset tantùm habitualis, vt supponimus. Quòd si D. Thom. interdum significare videtur habitualem intentionem sufficere: impropriè sumit pro virtuali, vt interpretantur Thomistæ omnes, qui cum cæteris Theologis nobiscum sentiunt.

42. Neque intentio remota & interpretatiua.

Intentio denique remota, vel interpretatiua, & in causa tantùm, est illa, quâ quispiam vult aliquid tantùm in causa. Vt qui vult inebriari, præuidens se iuraturum in ebrietate. Iuramentum enim dicitur esse illi voluntarium interpretatiuè, remotè, & in causa. Et hæc intentio non sufficit ad sacramentum efficiendum: quia non influit in effectum humano modo & rationabili, quo pacto intentio debet esse causa Sacramentorum. Quare si minister verbi gratiâ sciat se solitum proferre formam Sacramenti cùm dormit, aut quando ebrius est; etiamsi ea intentione dormiat, vel inebrietur, id non sufficit: quia talis intentio non sufficit vt actio externa sit satis propriè & perfectè humana, cùm eo tempore non possit esse vsus rationis, ob statum positiuè contrarium. Neque per se influit in actionem sacramenti, sed tantùm remotè, applicando causam ex qua actus ille procedit modo potiùs naturali vel animali, quàm humano. Neque par est ratio de distracto. Nam actio procedens ab homine distracto tantùm, procedit ab homine libero, & ab intentione faciendi sacramentum, physicè quidem per distractionem interrupta, sed non moraliter: ideóque hæc sufficit, non illa.

43. Differentia verò inter vtrúmque operandi modum faciliùs ipsâ experientiâ cognoscitur, quàm verbis explicatur. Experimur enim nos longè aliter nos habere quando in vigilia, præeunte vsu rationis, & distractione superueniente, pergimus loqui, vel aliquid facere: & aliter, quando somno sopiti facimus aliquid, quod ante præuidimus & voluimus facere dormiendo. Tunc enim facultas est multò magis ligata, & bruto quodam modo se habet; quæque tunc facit, non censentur esse actiones humanæ, sed purè animales. Idémque dico de operante tempore ebrietatis, vel amentiæ. Quare eorum locutio tunc temporis non est humana locutio, exprimens humano & rationabili modo mentem seu conceptum humanum, quem interius habeant: sed locutio animalis, passionem aliquam vel effectum animalium ad summum exprimens: aut interdum similis est locutioni Picarum & Psittacorum, voces articulatas formantium, quarum sensum non habent. At sacramenta debent humano modo fieri per actiones humanas. Quare locutio sacramentalis, in qua forma consistit, debet esse humana, & humano modo significare mentem præsentem loquentis, & seriò agentis. Similitérque actio abluendi, vel vngendi, vel alia, quæ est materia sacramenti, debet humano modo fieri, & significare id, ad quod significandum Christus eam instituit. Hoc autem non fit sine intentione saltem virtuali, per quam continuetur modus agendi humanus, non omnino interruptus, vt fit in somno, ebrietate, & amentia; sed in statu & vigilia rationis perseuerans, propter moralem, & sufficientem moraliter connexionem actionum, quæ fiunt, cum libera & actuali intentione, ex qua fieri cœperunt.

Obiicies 1. remotam intentionem sufficere, ex parte recipientis, vt patet in ægroto, qui ante phrenesin Baptismum petiit vel sacramentum Pœnitentiæ, & in phrenesi postea recipit. 2. D. Augustin. tract. 5. in Ioan. ait Baptismum datum ab ebrioso bonum esse. 3. Voluntas habitualis sufficit ad applicandum alicui sacrificium. Si enim hodie destinem cras pro Petro sacrificare; dummodo non retractem, id sufficit: vt patet ex communi sensu fidelium. 4. Matrimonium contractum per procuratores, valet, quamuis coniuges dormiant, aut ebrii sint, aut etiam amentes facti sint, quando procuratores contrahunt eorum nomine. 44. Remota intentio sufficit recipienti sacram, sed non ministranti.

Ad primum Respondeo ex parte ministri, qui se habet in modum causæ efficientis, plus requiri, quàm ex parte suscipientis, qui se habet in modum subiecti passiuè tantùm. Ad agendum enim plus requiritur perfectionis, quàm ad patiendum. Vnde paruuli possunt sacramenta recipere, non conferre. Denique ex parte ministri requiritur intentio velut principium actionis sacramentalis, quæ debet humano modo fieri.

Ad secundum Respondeo ebriosum dici eum, qui amat & solet inebriari, licet ebrius non sit semper, neque tunc speciatim quando Baptismum administrat validè. Ad tertium dico, intentionem vt sacrificium prosit, debere tantùm mouere diuinam voluntatem, vt illi prosit, cui volo: quod potest fieri ea intentione & voluntate, de qua loquitur obiectio. At intentio sacrificandi, vel conficiendi sacramentum, debet actu applicare potentiam executiuam ad actum externum humano modo faciendum: Ideóque dispar est ratio vtriusque. Item voluntas sacrificandi pro aliquo, est donatio fructus sacrificii pendens à ministri potestate. Donatio autem rei post futuræ in mea potestate, valida est. Vt si quis donet iam alteri fructus, quos ex vinea sua percipiet in autumno. Nec obest quod opponit Vasquez disputatione 138. 45. Intentio remota sufficit vt sacrificium alicui prosit.

cap. 6. num. 74. applicare alicui sacrificium nihil esse aliud, quàm offerre pro illo sacrificium: non offert autem per voluntatem, quæ nullo modo est causa sacrificii. Respondeo enim, applicare alicui sacrificium non esse actu pro illo offerre, seu sacrificare: sed velle suo tempore pro illo offerre, & nunc eius fructum illi donare, seu potiùs dare illi ius ad fructum eius recipiendum, quando actu offeretur suo tempore.

46. Ad quartum Respondeo, valere quidem Matrimonium contractum per procuratores, quamuis coniuges, quorum nomine contrahunt, sint tunc ebrii vel dormiant: dummodo tamen ipsi procuratores sint sui compotes, quando contrahunt nomine coniugum, & agant humano modo. Verùm quando matrimonium contrahitur per procuratores, non coniuges, sed ipsi procuratores sunt immediati illius ministri. Sicut enim sunt causa proxima contractus, ita & sacramenti, dummodo habeant intentionem contrahendi prout Christus instituit, seu faciendi quod Ecclesia facit. At verò si contrahentes per procuratores incidant in amentiam, priusquam contractus ab istis perficiatur, matrimonium nullum est, vt bene docent Basilius Pontius lib. 2. de Matrimonio cap. 15. num. 14. & Delugo disp. 8. de Sacram. num. 108. contra Henriquem, Sanchez, & Bonacinam, quos ille citat. Ratio eiusdem auctoris est, quia illi quorum nomine agunt, sunt iam incapaces contrahendi Matrimonium. Est enim amentia vnum ex naturalibus impedimentis irritantibus. Et deinde eorum mandatum procuratoribus datum expirat per amentiam. Sicut enim mandatum expirat morte naturali: sic etiam expirat morte ciuili eiusdem, si fiat amens aut furiosus, vt dicitur, lege, *Qui seruum suum*, & lege, *Si quis alicui, ff. de acquirenda hæreditate*.

Matrimonium per procuratores contrahitur validè, coniugibus dormientibus aut ebriis.

Pontius. Delugo.

47. Addit auctor postremò citatus ibidem num. 109. validum fore sacramentum Matrimonii, licet contingeret, vt postquam primus coniugum consensum præstitit aut expressit, alter suum consensum exprimeret, & statim amitteret rationis vsum, antequam eius consensus à primo coniuge perciperetur: nihilominus enim validum esset sacramentum & perfectum, cùm primùm coniux prior verba posterioris & eius consensum perciperet; & tunc perficeretur sacramentum, quando iam minister qui vltima verba protulit, non esset compos sui: quod faciliùs posset contingere, si mutuos consensus per epistolas sibi inuicem coniuges transmitterent, vt fieri posse docet Sanchez lib. 2. de Matrimonio disp. 11.

Quid si alter coniugum priuetur vsu rationis ante contractum vtriusque perfectum?

Sanchez.

48. At hoc verum esse non puto, neque satis cohærens cum superiori eius doctrina. Nam quando perficitur contractus Matrimonii, coniuges debent esse capaces contrahendi, id est, carere omni impedimento irritante. Atqui in casu posito vnus eorum est incapax, ob naturale impedimentum amentiæ eo instanti quo sacramentum Matrimonii perficiendum erat. Debebat enim perfici cùm primùm coniux prior verba posterioris, & eius consensum perciperet, vt fatetur idem auctor: tunc autem coniux posterior supponitur esse amens, & consequenter incapax contrahendi: ergo tunc non fit contractus, impedimento præualente, adeóque validum non est sacramentum Matrimonii. Item coniux ille non plus facit per epistolam, quâ exprimit suum consensum, quàm faceret per procuratorem. Atqui si in amentiam incideret priusquam procurator eius consensum significaret, & eius nomine contraheret; Matrimonium nullum esset, vt supra dixit & bene probauit idem auctor. Ergo non magis valet Matrimonium, si in amentiam incidat, interim dum epistola ad alterum defertur vt suum illi consensum exprimat.

Nec obest exemplum ab illo allatum de donatione facta, & per nuncium vel per literas ad donatarium missa, quæ potest esse valida & acceptari, etiamsi interim donator moriatur, priusquam epistola vel nuncius ad donatarium perueniat. Sic ergo, inquit, promissio coniugis valida esse poterit & acceptari, licet, antequam percipiatur ab altero, amiserit rationis vsum. 49.

Respondeo enim 1. non esse hic quæstionem de promissione, sed de ipso contractu Matrimonii, qui consistit essentialiter in mutua corporum traditione & acceptatione, per verba aut signa de præsenti. 2. Differentiam esse inter simplicem donationem, & contractum Matrimonii, quo inducitur obligatio mutua & reciproca, ex mutuo consensu vtrinque dato & acceptato. Nam simplex donatio obligat tantùm donatorem, vt quantùm est ex se transferat in alterum dominium rei, quam ei donat. Sic autem potest quisque se obligare sine consensu alterius. At contractus Matrimonii consistit essentialiter in mutuo consensu de præsenti, sufficienter expresso. Vnde non potest vnus coniugum se obligare, nisi simul alter se obliget. Ac si vnus est incapax obligationis, eo instanti quo obligatio est contrahenda: neuter se obligat, & contractus est inualidus.

Superest notare intentionem actualem, quæ vel præsens physicè, vel virtualiter remanens, sufficit ad sacramentum efficiendum, non debere necessariò esse expressam & formalem voluntatem faciendi sacramentum secundum se cognitum & volitum vt sacramentum: sed sufficit confusa quædam intentio actualis, & virtualis primo modo, quæ haberi censetur, quando minister apprehendit & vult opus externum vel vt à Christo institutum, vel vt imperatum aut vsurpari solitum ab Ecclesia, aut prout illud communiter faciunt alii Ecclesiæ ministri, vel cùm apprehendit & vult actum illum tanquam cerimoniam religionis, vel denique cùm operatur virtute aliquarum intentionum vniuersalium: vt cùm statuit omnia operari ea intentione quâ obligatur: aut sicut rerum ista- 50.

Sufficit intentio confusa faciendi sacram.

rum vsus in religione Christiana postulat. Cùm igitur vi alicuius ex his intentionibus actu præsente, aut virtualiter remanente, minister operatur; habet intentionem ad sacramentum sufficientem; quæ vix potest viri boni deesse quando exercetur actio sacramentalis, id est, quando materia & forma coniunguntur: licet tunc animi distractio subrepat.

51. Digressio circa verum sensum huius propositionis, Alter oculus est necessarius ad videndum: cui similis est illa, Altera intentio, virtualis scilicet, aut actualis, est necessaria.

Quæres obiter quis sit sensus huius propositionis, Aliqua vel altera ex his duabus intentionibus, actualis scilicet aut virtualis, necessaria est ad sacramentum efficiendum? Respondeo, esse hunc sensum verum: quòd quælibet harum intentionum sola & seorsim sufficit: & quælibet earum necessaria est deficiente altera: quia si vtraque simul desit, sacramentum fieri non potest. Sicut aliquis oculus, seu alter oculus, dexter aut sinister, est ad videndum necessarius: id est, vterque seorsim & solus sufficit, & quilibet deficiente altero necessarius est, quia si desit vterque simul, nemo videre potest. Potest autem indifferenter hic aut ille necessarius denominari in ordine ad visionem. Vnde hæc necessitas seu potiùs denominatio necessitatis dicitur esse confusa & indeterminata, quatenus quilibet indifferenter manere potest, altero deficiente. Hunc autem esse verum sensum harum & similium propositionum probatur, quia euidens est alterum, dextrum aut sinistrum, esse naturaliter necessarium ad videndum in sensu explicato: & hæc veritas potest aliqua propositione significari ex instituto. Ad eam verò significandam instituta est hæc propositio (vt patet ex communi vsu Philosophorum, & hominum iudicio.) Aliquis oculus, vel, alter oculus ad videndum necessarius est: quæ potest facilè in prædictum sensum resolui: sicque intelligitur & resoluitur communi vsu, cui perperam opponunt se Recentiores quidã, vt alium sensum ridiculum substituant: hunc scilicet, quòd aliquis oculus ad vidẽdum est necessarius, id est, inquiunt, oculus dexter ad visionem quæ fit oculo dextro: & oculus sinister ad visionem quæ fit oculo sinistro. Quo pacto æquè verum erit quod vterque oculus sit necessarius ad videndum, nempe ad vtramque visionem quæ fit vtróque oculo. At falsum est, vtrúmque oculum esse necessarium ad videndum eo sensu, quo fatentur homines alterum esse necessarium. Quare aliud intendunt homines significare priori propositione.

52. Doctrina Nominalium de suppositionibus reiicitur.

Verum etiam non est quod dicunt, terminum, qui est subiectum propositionis vocalis, debere supponere semper pro aliquo singulari determinato & distincto à quolibet alio, de quo prædicatum verificetur. Nam potest etiam supponere pro aliquo vniuersali, vt cùm dicitur, Homo est animal: & pro pluribus collectiuè sumptis, vt cùm dicitur, Omnes Apostoli sunt duodecim: & pro pluribus speciebus aut generibus collectiuè, vt cùm dicitur, Omnia sacramenta nouæ legis sunt septem, nec plura, nec pauciora. Quam propositionem si improbant iidem Recentiores, sicut dicunt hanc improbam esse, Logica dirigit tres mentis operationes, quia, inquiunt, non nisi improbo dicendi & concipiendi modo vocantur tres mentis operationes, tria genera operationum mentis, apprehensio, iudicium, discursus: sicut ineptum esset vocare tria animalia, tria genera animalium: intelligant illam propositionem traditam esse à Trident. sess. 7. can. 1. *de Sacramentis in genere*: & non esse damnanda improbitatis loquendi & concipiendi ipsa Concilia Oecumenica in suis definitionibus. Sicut autem subiectum propositionis supponere potest pro pluribus collectiuè sumptis: ita & pro pluribus disiunctiuè aut disiunctim: vt, Aliquis homo est iustus; Aliquis homo est necessarius ad baptizandum; Aliquis oculus est necessarius ad videndum.

Subiectum veræ propositionis nõ est semper requirẽs existens.

Verum quoque non est quod dicunt iidem Nominales prædicatum non posse verificari, nisi subiectum supponat pro aliquo existente. Nam hæc propositio vera est & de fide, Iudas Christum prodidit: licet significatum subiecti iam non existat, sed extiterit: item hæc de futuro, Antichristus erit: & hæc de possibili, Possibile est possibile: Omnia possibilia sunt Deo possibilia: siue vt dicitur Marci decimo quarto, vers. decimo sexto, *Omnia tibi, Deus, possibilia sunt*: Item hæc de non ente & impossibili, Chimæra est impossibilis, vel, est non ens. Impossibile est Deum mentiri, deficere, &c. Item etiam hæc in sensu tacitè hypothetico, Omne totum est maius sua parte: aut, Omnis homo est animal rationale, id est, Si est homo actu, est actu animal rationale: & si possibilis est homo, possibile est animal rationale: nec aliter est aut esse potest, ob inseparabilitatem prædicati à subiecto. Et denique in vniuersum ad veritatem propositionis sufficit, prædicatum & subiectum conuenire prout significatur, seu prout copula propositionis fert; quæ copula non significat semper existentiam subiecti & prædicati, vt malè ipsi existimant. Qui non fœliciùs philosophantur cùm dicunt identidem; Homo est, sed non est homo: Album est, sed non est album: Motus est, sed non est motus: peccatum est, sed non est peccatum: Actus Dei contingens necessarius est, sed non est necessarius actus Dei contingens, & similia. Quasi termini harum propositionum non possint eodem modo supponere; & distingui eodem modo in prædicato & subiecto: vel reipsa non sit idem, galerum album, & album galerum, vt vulgò dicitur. Quare tota illa doctrina Nominalium de suppositionibus, velut arbitraria, & à communi sensu aliena reiicienda esse mihi videtur.

Frustra verò obiiciunt ex nostra sententia sequi duas contradictorias esse veras; hanc scilicet, *Aliquis oculus est necessarius ad videndum*: & istã, *Nullus oculus est necessarius ad videndum*. Nam prior per nos vera est. Sed po- 53.

Soluuntur argumenta Nominalium.

sterior quoque vera est: Quia ad veritatem vniuersalis propositionis sufficit quamlibet particularem sub illa contentam esse veram. Sic autem habet: quia hæc vera est, Dexter oculus non est necessarius ad videndum: & hæc etiam, Sinister oculus non est necessarius ad videndum: præter dextrum verò, & sinistrum, non est alius. Respondeo hanc vniuersalem, Nullus oculus est necessarius ad videndum, negare omnes particulares in quocumq; sensu. Negatio enim, vt aiunt Logici, est naturæ malignantis, quæ tollit quicquid post se inuenit. Quare negat dextrũ esse necessarium in quacumque suppositione: & non modò in suppositione determinata, sed & in confusa & indeterminata: quo sensu falsa est. Ad illud verò quod iidem obiiciunt, Quicquid est, est determinatè id quod est: ergo si est necessarium, est determinatè necessarium. Respondeo quicquid est, esse determinatè id quod est intrinsecè, aut quod verè esse dicitur intrinsecè, & absolutè secundum se: posse tamen esse indifferens ad finem aliquem, ad quem comparatur, & ad denominationes sumptas ex tali comparatione. Quo pacto indifferens est oculus dexter & sinister, vt sit & dicatur necessarius ad videndum deficiente altero.

SECTIO V.

Soluuntur aliæ tres quæstiones circa intentionem ministri Sacramentorum.

53\. *Intentio ministri sacram. debet esse determinata?*

QVæritur 4. An intentio ministri debeat esse determinata circa materiam, formam, subiectum, &c. absque vllo errore substantiali circa id ad quod intentio determinatur? Respondeo affirmatiuè, quoad ea omnia, quæ ad sacramenti effectionem sunt simpliciter necessaria. Quod addo, propter Eucharistiam, in qua subiectum non est necessarium ad effectionem, quia non consistit essentialiter in applicatione, vt cætera sacramenta. De illa tamen par est ratio quoad materiam circa quam, ita vt verbi gratiâ qui ex decem hostiis sibi præsentibus vellet aliquam consecrare, & nullam omnino determinaret; nihil faceret: aut qui vellet aliquam partem, aut aliquas partes hostiæ consecrare, non omnes, & non determinaret quas. Ratio est quia intentio ministri debet esse efficax & actiua. Actiones autem sunt circa singularia & quidem determinata. Cùmque intentio debeat ferri in id, circa quod exercetur sacramentum, aut in quo consistit; & non possit sacramentum, quod est actio exterior, exerceri nisi circa rem singularem & determinatam, non autem circa aliquid vagum: necesse est etiam vt intentio sit circa rem determinatam & certam, ad quam applicetur potestas efficiendi sacramentum.

54\. *Error in intentione circa essentialia, irritat sacram.*

Item licet intentio sit determinata quidem, sed erret: quia id quod est in cognitione & intentione, non est verè in re, nihil fit si contingat error circa ea quæ sacramento efficiendo essentialia sunt, aut simpliciter necessaria. Vt si quis velit baptizare vel absoluere Petrum determinatè, circa quem fallatur, baptizans aut absoluens loco illius Paulum. Ratio est, quia intentio non cadit in illum nisi per absolutam intentionem errori suo deroget, intendens absolutè præsentem, quisquis sit, baptizare aut absoluere. Si autem intentio in illum non cadit: ad illum non dirigitur ex intentione actio sacramentalis. Quia in eo casu res est tantùm in cognitione, & non subest actui sacramentali, qui non fit circa rem secundum quod est tantùm in cognitione, sed secundum se realiter. Quare intentio ministri debet verè cadere in illud, ad quod determinatur, & cui actio sacramentalis applicatur. Alioqui si intentio dirigitur ad vnum, & actio versatur circa aliud; non procedit actio ex tali intentione, atque ita non est verè sacramentalis, nec procedens à ministro applicante potestatem moralem efficiendi sacramentum, ad huiusmodi actionem.

55\. *Error circa non essentialia, aut non necessaria, non irritat sacramentũ.*

Loquimur autem de essentialibus sacramenti, vel absolutè necessariis. Nam error circa alia, vel defectus determinationis, non derogabit valori sacramenti, nisi redundet in essentialia vel necessaria. Præterea intentio ab initio ferri debet necessariò in essentialia & necessaria absolutè: adeo vt si quis partem formæ essentialis protulerit, nondum habita intentione; non sufficiat reliquam partem ex intentione ponere. Partem, inquam, essentialem. Nam si verba, quibus intentio defuit, non sint de essentia formæ sacramenti, validum erit sacramentum. Licet enim omnino omitterentur, validum tamen esset. Ergo à pari, valet sacramentum, licet non proferantur ex intentione. Si verò sunt de essentia, ita vt eorum omissio sacramentum irritet; defectus quoque intentionis circa illa irritabit sacramentum. Quia ad valorem sacramenti non sufficit proferre verba, sed requiritur vt proferantur ex intentione, quæ si desit, perinde est ac si non proferrentur. Satis verò est si ab initio in totam materiam & formam essentialem & alia necessaria ceciderit. Vnde si quis v.g. decem hostias ex intentione consecrandi detulerit, omnes consecrabit, licet dum actu consecrat, de vna tantùm cogitet. Manet enim virtualiter & sufficienter intentio consecrandi omnes, nisi retractetur.

56\. *Quid si minister habeat intentiones contrarias quarum vna repugnet valori sacramenti?*

Quæritur 5. An sacramentum validè fiat quando minister habet duas intentiones contrarias inter se, quarum vna repugnat valori sacramenti? v. g. si intendat conficere Eucharistiam, seu consecrare corpus & sanguinem Christi, sed simul intendat non sacrificare, putans consecrationem non esse sacrificium. Si intendat dare verum baptismum à Christo institutum, sed intendat non dare illum quem dat Ecclesia Romana, quia putat illum non esse legitimum.

Resp. idem hic sentiendum esse de intentione, quod diximus alibi de forma: nempe valere sacramentum, dummodo per intentionem absolutam & prædominantem deroget contrariæ intentioni, impeditura alioqui valorem sacramenti. Ratio est, quia sufficit vt intendat absolutè, conficere sacramentum, quicquid sit de suo errore priuato. Tunc autem intendit absolutè. Quod dupliciter facere potest 1. si habeat simul vtramque intentionem, sed vnam absolutam & efficacem faciendi sacramentum, quicquid sit de suo errore priuato: Alteram verò dependentem ab illa, eique subordinatam: v. gr. si ita animo affectus sit, vt velit absolutè consecrare Eucharistiam, quicquid sit de sacrificio. Quo pacto derogat suæ intentioni erroneæ non sacrificandi: ac supra illam se virtualiter saltem reflectit, quasi apponendo illi mentalem clausulam derogatoriam. 2. Si successiuè habeat prius intentionem contrariam valori sacramenti, absolutam, & efficacem: Posterius verò habeat intentionem faciendi sacramentum æquè absolutam & efficacem. Et tunc etiam validè conficit sacramentum, quia posterior voluntas derogat priori, vt fit in testamentis. Si autem simul haberet vtramque intentionem æqualem, nihil faceret: quia vellet facere impossibile.

57. Addunt aliqui recentiores idem dicendum esse etiamsi voluntas vna esset post aliam: si tamen vtraque influeret in actum. Tunc enim, inquiunt, non procedit regula suprapolita, quòd voluntas posterior præualeret. Nam si vtraque facit quòd nunc exerceam hanc actionem: vtraque est virtualiter præsens, & propter vtriusque finem censeor operari. Tunc ergo posterior voluntas præualet, quando prior solùm manebat habitualiter. Hæc illi. Quibus non assentior: quia prior voluntas non manet virtualiter, ac ne quidem habitualiter, quando retractatur per posteriorem priori æqualem, & æquè absolutam & efficacem, vt supponimus. Quare vtraque iam non influit in actum, sed posterior sola, propter quam agens deinceps operatur. V. gr. qui sic apud se statuit, Nolo absolutè sacrificare; & postea statuit, Volo absolutè consecrare corpus & sanguinem Christi, tuncque profert verba consecrationis super panem & vinum; operatur ex intentione posteriori absolutè & efficaciter mouente ad id quod facit, non obstante priori, cui derogat hoc ipso quòd mutat voluntatem, vultque reipsa consecrare absolutè & efficaciter: Ac proinde vult etiam sacrificare: cùm non possit consecrare nisi sacrificando. Qui enim vult absolutè & efficaciter finem, vult quicquid finis includit intrinsecè, & id omne sine quo finis obtineri nequit.

58. Intentio conditionata non sufficit, nisi statim trãseat in absolutam. Quæritur 6. An intentio ministri debeat esse absoluta, vel sufficiat conditionata? Respondeo, conditionatam non sufficere, nisi sit talis vt statim transeat in absolutam, ac reipsa sit absoluta, priùs natura quàm sacramentum efficiatur. Ratio est, quia sola intentio absoluta est efficax de præsenti. Sicut enim propositio conditionalis, vt sic, nihil ponit in esse, ita conditionalis voluntas, quamdiu talis est, suspensa manet, & nihil operatur. Si ergo quando materia & forma sacramenti ponitur, intentio ministri non sit absoluta, vel non æquiualeat, & transeat in absolutam: non potest esse tunc sacramenti efficax: neque postea erit: quia non est in ministri potestate vt sacramentum sit futurum, quando non erit ipsius materia, neque forma, sed esse desierit.

Triplex autem conditio apponi potest intentioni. Prima de præterito: Secunda, de præsenti; Tertia, de futuro. Duæ priores omnino destruunt intentionem, si conditio reipsa non fuit vel non est: aut absolutam illam reddunt, si conditio fuit aut est, prout apponitur & significatur. Tertia verò planè suspendit intentionem & eius efficaciam, facitque vt minister non habeat absolutè hic & nunc voluntatem efficiendi sacramentum. Quare hic & nunc non efficit: neque efficiet postea quando conditio implebitur, quia tunc præterierit actus sacramentalis, & non erit materia & forma sacramenti. Quod etiam de Matrimonio verum esse constabit suo loco, cum hac solum differentia, quòd consensus, eiusque significatio, moraliter permanens sufficiat ad materiam & formam sacramenti. Possunt autem permanere sufficienter dum conditio de futuro impleatur, sed nihilominus Matrimonium non verè perficitur donec conditio ponitur in esse, & consensus de conditionato transit in absolutum, vt colligitur ex cap. 5. *De condition.bus appositis*, vi cuius capitis, si pendente conditione sponsus contrahit absolutè cum alia per verba de præsenti; valet hic contractus, si aliud non obstet. Quod fieri non posset, si prior contractus fuisset verum Matrimonium. Neque enim adeo leui de causa dissolui potest, sed solùm per ingressum Religionis ante consummationem, aut aliam æquiualentem. 59. Triplex conditio potest apponi intentioni.

Notandum verò aliud esse id quod futurum est, & aliud veritatem futuritionis. Hæc enim non est futura, sed præsens est, aut omnino non est. Quare afficere intentionem tali conditione, non est afficere conditione de futuro, sed de præsenti: vnde transit in absolutam, & sufficit ad sacramentum: modò tamen veritas illa futuritionis non pendeat ab ipso valore sacramenti. Tunc enim valor sacramenti præsupponeretur sibiipsi & à seipso penderet. Vt si quis diceret, Ego te baptizo, si verum est te fore Beatum vi eiusdem Baptismi & gratiæ per illum acceptæ. Sed quamuis non pendeat; hic modus baptizandi sub veritate futuri contingentis est illicitus, & Baptismus reiterandus sub conditione, ob periculum nullitatis: quia non constat moraliter, neque constare potest infallibiliter, citra reuelationem, futurum illud contingens, cuius veritas conditionatè apponitur sacramento. Quin etiam semper illicitum est sacramenta conferre sub condi- 60. Aliud esse futurum esse, & aliud veritas futuritionis.

tione quacumque, etiam de præsenti vel de præterito, nisi necessitas vel ratio sufficiens excuset.

SECTIO VI.

An bonitas Ministri ad sacramentum efficiendum necessaria sit?

61. Fides ministri non est necessaria ad valorem sacramenti neque bonitas.

RESpondeo, Ad valorem sacramenti non esse necessariam fidem ministri, ne quidem circa ipsam veritatem sacramenti: neque sanctitatem, aut rectitudinem intentionis, vel operis, præter ipsam substantiam sacramenti. Probatur 1. ex Scriptura, in qua legimus quidem, rebaptizatos fuisse eos, qui solùm baptismo Ioannis fuerant baptizati: at non eos, qui vel à Iuda, vel à Cerinthianis, vel similibus, baptismum Christi acceperant. Et 1. Corinth. 4. v. 1. Paulus apertè supponit ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, posse esse malos & non fideles. Et Apocal. 2. & 3. Episcopi mali non iubentur reordinare quos ordinauerant, sed pœnitentiam agere.

Probatur 2. ex Florent. in decreto Eugenii, §. *Hæc omnia*, vbi non aliud requirit in ministro, quàm intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Et deinceps quando ministros sacramētorum assignat, ait simpliciter Episcopum esse ministrum ordinationis & confirmationis: sacerdotem Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ-vnctionis &c. Nec vnquam addit, fidelem, aut iustum & pium; sed è contrario disertè affirmat baptismum etiam ab hæretico & pagano dari posse, dummodo seruet formam Ecclesiæ, & intendat facere quod facit Ecclesia. Idem definit Trident. sess. 7. can. 4. *de Baptismo*: & can. 12. *de Sacramentis in genere*. Nam priori loco definit baptismum datum ab hæreticis esse validum. Posteriori ait ministrum in peccato mortali, modò ponat omnia quæ ad sacramentum pertinent, conficere & conferre sacramentum.

62. Lateran. Nicæn.

Idem etiam longè ante definiuerant Con. Lateran. cap. 1. de Sum. Trinit. & Nicæn. I. & II. In quorum primo Patres omnes ratum habuerunt sacramentum baptismi collati ab hæreticis, præter eum cui defuerat materia & forma debita. In secundo verò multi Episcopi hæretici permissi sunt in officio suo manere, & sacramenta administrare. Et deinde in cap. *A quodam Iudæo*. & cap. *Romanus*. de Consec. dist. 4. Baptismus à Iudæo collatus, definitus est validus: Et in Concilio Tarraconensi can. 6. statuitur, sacramentum Confirmationis collatum ab hæreticis, non esse repetendum. (Tarrac.) Quòd si interdum redeuntes ad Ecclesiam aliqua cerimonia per manuum impositionem reconciliabantur: non fuit illud repetitio Confirmationis vel Ordinis: sed vel sacramentum Pœnitentiæ, vel aliqua cerimonia ab Ecclesia instituta.

Idem quoque docent sancti Patres, Cyprianus in serm. de Baptismo Christi, vbi ait valorem sacramenti non pendere à bonitate ministri. Naziànz. oratione 40. in sanctum Baptisma, vbi eleganter comparat bonum vel malum sacramenti ministrum sigillo aureo vel ferreo, quod eundem habet effectum, siue aureum sit, siue ferreum. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, August. lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 10. & alii passim. Verba D. Augustini sunt, *Omnia sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos suscipientibus.* Ex quibus præterea collige, ne quidem ad effectum sacramenti necessariam esse fidem aut bonitatem ministri. Quod insuper probatur efficaciter ex Trident. sess. 7. can. 6. & 7. *de Sacram. in genere*. vbi definit sacramenta conferre gratiam semper & omnibus non ponentibus obicem. Obex autem se tenet ex parte subiecti, non ex parte ministri. Ratio denique est institutio Christi, qui licet potuerit aliter instituere, noluit tamen sacramenta, nec quoad esse, nec quoad effectum, pēdere à meritis aut probitate ministrorum, ne salus nostra incertior esset, & regimen Ecclesiæ turbaretur, aliasque ob causas, de quibus vide D. August. contra literas Petiliani lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 5. 63. Cyprian. Nazianz. Hieron. August.

Contrarium senserunt olim Agrippinus Carthaginensis Episcopus, & D. Cyprian. aliique Africani Episcopi in Concilio Carthaginensi sub eodem Cypriano, qui tamen postea à Cornelio Papa monitus & correctus resipuit: existimantes, sacramenta collata ab hæreticis aut Schismaticis, esse inualida. Idem senserunt Donatistæ de ministro existente in peccato mortali. Vvicleffus autem ea tantùm sacramenta valida esse censuit, quæ à ministris prædestinatis conferrentur. Alii à malis ministris confici quidem sacramenta putarunt, sed non per ea gratiam conferri. 64. Contrarius error Afric. Donatist. & VVicles.

Argumenta eorum sunt. Primò, Quòd Paulus dicat Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Ex quo inferebant Carthaginenses, Sicut hæreticorum non est fides, ita nec baptisma. 2. Hæretici non habent Spiritum sanctum: ergo nec dare possunt. 3. Scriptura damnat omnia illorum opera, qui sunt in malo statu, ita vt nec sibi nec aliis possint prodesse, Ezech. 34. Et Ambros. lib. de iis qui initiantur, *Non sanat*, inquit, *baptismus perfidorum, sed polluit*. 4. Cùm mali administrant sacramenta, peccant mortaliter. Ergo non conferunt gratiam, quia Deus deberet peculiari modo ad illum actum concurrere: quod tamen dici nequit, cùm sit malus moraliter.

65. Respondetur eorum argum.

Ad primum, nego consequentiam. Nam baptismus ideo non desinit esse vnus, aut esse Ecclesiæ, cui per se primò datus est, & cuius nomine administratur. Ad secundum Respondeo, non esse necessarium, vt omnis qui habet potestatem dandi Spiritum sanctum per sacramenta, habeat ipse Spiritum san-

ctum per sacramenta, habeat ipse Spiritum sanctum. Sacramenta enim operantur ex opere operato, non ex opere operantis. Vulgatum autem illud, *Nemo dat quod non habet*, debet intelligi de eo quod nullo modo est in dantis potestate. At tam hæretici, quàm alii peccatores, habent potestatem à Deo datam efficiendi baptismum, per quem recipiens sanctificatur nisi obicem ponat, quia in eo est vis sanctificandi ex opere operato.

Ad tertium Respondeo, ab immundo non posse alium mundari ex opere operantis, posse tamen ex opere operato. Ambrosius autem loquitur de hæreticis qui non seruabant veram materiam aut formam sacramentorũ. Vel est intelligendus simpliciter, quòd polluant suscipientes quantùm est ex opere operantis; vel quòd suscipientes malè faciant, quando ab illis suscipiunt sine necessitate, aut iusta causa: quem in sensum Gelasius Papa can. *Sacrosancta*. 1. q. 1. & alii quidam è Patribus, interpretandi sunt.

68. Ad quartum Respondeo 1. Cùm sacramenta conferant gratiam ex opere operato, non esse inconueniens actum ministri, non vt peccatum est, sed vt est actus realis, & ex obiecto aliquo modo bonus, assumi à Deo ad producendam gratiam instrumentaliter, modò omnia essentialia seruentur. Neque opus est ad talem actum exercendum speciali Dei auxilio seu concursu hic & nunc. Respondeo 2. Non semper malos ministros peccare mortaliter, administrando sacramenta in malo statu. Nam ignorantia inuincibilis, vel inaduertentia excusare potest: itemque necessitas eius cui conferendum est sacramẽtum, cum impotentia morali confitendi prius, vel immorandi in exercendo actu contritionis. Præterea ministrum laicum, & quẽuis alium non ex officio, sed ex necessitate conferentem sacramentum baptismi, excusant à peccato mortali, S. Thomas q. 64. a. 6. ad 3. Suarez, Aegidius Coninc, & alii multi. De eo verò qui ex officio administrat sacramenta, fateor cum communissima Theologorum sententia, peccare mortaliter si est in malo statu; tametsi ratio certa huius obligationis non facilè redditur: propter quod fortasse hanc sententiam vt nimis duram reiecerunt nonnulli, quorum confusè meminit Gabriel in Can. lect. 2. litera E, quos duo Casuistæ è recentioribus non magni tamen nominis sequuti sunt.

Peccéntne mortaliter qui ministrant sacramenta in malo statu?

Gabriel.

67. Eorum autem fundamentum esse potuit, quia obligationes inducẽtes peccatum mortale, non sunt agnoscendæ, neque prædicandæ, sine vrgentiori ratione: propterea quòd oppositum esset ex incerto certum malum facere. Nam agnita & admissa tali obligatione, peccatum mortale est quicquid contra illam fit. Sed probabiliter reiecta, & repulsa tali obligatione, non erit peccatum, quòd fiat contra illam: Cúmque obligatio, non minùs quàm lex, sit quoddam onus, & sit virtus peccati, vt dicitur 1. Corinth. 5. ideóque adducat mortem animæ, quod summum malum est: obligationes inducentes peccatum mortale non sunt agnoscendæ nisi satis claræ sint. Sicut enim leges debent esse manifestæ, dist. 4. can. *Erit autem*: ita obligationes debent esse claræ, & non sunt recipiendæ priusquàm declaratæ sint, si per se sint ignotæ & incertæ. Cur enim, vtrinq; existente probabilitate, admittetur potiùs, quàm reiicietur obligatio; quæ onus est, & malum inducit; cùm potiùs fauendum sit miserorum & infirmorum libertati? Atqui obligatio inducens mortale, nisi qui sacramenta administrant ex officio, sint in statu gratiæ 68. non satis clarè neque certò ostenditur. Deberet enim id certò constare, vel ex ipsa rei natura, vel ex aliquo iure positiuo diuino. Humanum enim constitutiuum nullum esse potest huiusmodi; quia non est humani iuris præcipere actus internos, & dispositionem omnino spiritalem & occultam, cuiusmodi est puritas interna à peccato mortali, vt docent S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 5. aliique S. Thom. plurimi, quos in tractatu de Legibus sequuti sumus. Quapropter si vlla sunt decreta Ecclesiastica quæ prohibeant peccatores ministrare sacramenta: debent intelligi de peccatoribus exteriùs notis: quoniam qui sunt omnino occulti, & purè interni, non subsunt huiusmodi præceptis ecclesiasticis. Si verò sunt iura ecclesiastica declaratiua tantùm, aut definitiua, quæ ius naturale aut positiuum declarent; oportet ius illud diuinum vel Scriptura, vel traditione contineri, vel ex rei natura colligi. At verò ius positiuum diuinum, quod certò tale sit, à nemine profertur. Neque satis apparet vnde credendum sit fuisse id à Deo constitutum.

Tridentinum quidem sess. 13. cap. 7. declarat ante celebrationem Eucharistiæ debere sacerdotem conscium sibi peccati mortalis præmittere cõfessionem, neque sufficere quòd sibi contritus videatur; propter illud 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*, &c. At hoc est propter sumptionem Eucharistiæ, quæ præsupponit existere in gratia recipientem. Vnde etiam in laicis prærequiritur confessio: Et Paulus loquitur de omnibus. Illud autem Leuit. 11. & 19. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Et Isaiæ 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini*: non est dictum de vera sanctitate, sed de legali quadam, quæ non est ampliùs in vsu. Quòd si inferas, munditiam internam fuisse multò magis necessariam, & à Deo requisitam, cuius exterior erat tantùm quædam repræsentatio. Respondeo ita esse. Sed non constat ex illis verbis Deum illam præcepisse sub pœna peccati mortalis. 69.

Quòd si dicas, præceptum Dei in materia graui censendum esse graue & obligans sub mortali. Respondetur: Ex natura ergo rei, antecedenter ad Dei præceptum, iudicandum esse, vtrum sit graue, peccatorem nondum iustificatum administrare sacramentum, quod paulòpost examinabitur. Afferuntur etiam multa decreta iuris ecclesiasti- 70.

Suarez ci, quæ citat Suarez disp. 16. sect. 3. nempe caput *Necesse est*, causa 1. q. 1. caput vlt. causa 15. quæst. 8. caput vlt. *De temporibus ordinationum*, caput vltim. *De cohabitatione Clericorum & mulierum*: & alia similia. Sed responderi facilè potest, multa illorum capitum esse intelligenda de iis, qui non tantùm sunt interiùs in statu, aut etiam in affectu peccati mortalis; sed etiam sunt noti peccatores & scandalosi. Cætera possunt intelligi de peccatoribus qui retinent affectum actualem peccati. Nullum verò ex illis capitibus asserit esse peccatum mortale, si quis ante iustificationem, & cum solo defectu sanctitatis internæ ministret sacramentum. Adducuntur etiam quædam Scripturæ loca. Quæ tamen si quid valerent, probarent quęcumque fiunt à Dei ministris, debere fieri in statu gratiæ sub pœna peccati mortalis: quod non recipitur à Doctoribus, neque est necesse loca illa sic intelligi. Sensus autem Scripturæ non necessarius, non vrget.

71. Vasquez D. August. Denique Vasq. disp. 136. cap. 1. reiectis aliis authoritatibus tanquam inefficacibus, tres istas affert. Prima sumitur ex D. August. lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 10. post medium, vbi sic ait: *Omnia sacramẽta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Secunda petitur ex cap. vlt. de temporibus Ordinationum, vbi Gregor. IX. loquens de sacerdotibus adulteris, periuris, aut falsi testimonii reis, dicit, nisi ea crimina notoria sint, vel in iudicio comprobata, non posse post pœnitentiam impediri, ne in susceptis ordinibus ministrent. Si autem non pœnituerint, monendi sunt, inquit, & sub interminatione diuini iudicii obtestandi, vt in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam ordinibus non ministrent. Tertia est Nicolai Primi in tertio tomo Concil. tit. 11. cap. 5. vbi postquam asseruit, sacramenta inquinari non posse à malo sacerdote, subdit: *Idcirco ab eo qui iudicio Episcoporum reprobatur, communio percipienda est, quoniam mali bona administrando, se tantummodò lædunt.* Hæc Vasquez.

72. Expenduntur testimonia pro parte affirmante. Sed ad primam & tertiam Respondeo, Augustinum & Nicolaum I. non dicere tales se lædere mortaliter. Quod autem ait Vasq. tale peccatum non posse non esse graue cùm sit in materia graui, supponit id quod est in quæstione, An hoc sit graue ex natura rei, de quo mox dicendum est.

Ad secundam Dico primò, Gregorium IX. cap. cit. loqui non solùm de sacerdotibus, sed generatim de clericis omnibus, vt fatetur idem Vasq. cap. 4. disp. cit. Quare illa authoritas intellecta in sensu Vasquis, nimis probat. Ex ea enim sequeretur, Diaconum & Subdiaconum peccare mortaliter quando exercent actus suorum ordinum in statu peccati mortalis: quod tamen negat ipse Vasq. eodem cap. 4. & meritò. Expositio verò, & distinctio, quam ibidem reddere conatur, ita vt pars vna verborum ad sacerdotes tantùm pertineat, alia verò ad alios clericos, reddit authoritatem incertam & inefficacem, vt legenti patebit. Dico 2. Gregorium loqui de peccatoribus notis, licet non tam perfectè vt dicatur notorii (alioqui enim quomodo possent impediri à Prælatis, vel moneri speciatim, & obtestationibus terreri ne ministrent) qui post grauia crimina nota, nullo exterius edito pœnitentiæ signo, non sine graui scandalo, & contra præceptum Ecclesiæ graue, ad suorum ordinum exercitium accedebant. Quod peccatum non diffitemur esse graue in talibus circumstantiis. Sed hoc non est ex solo defectu sanctitatis internæ, de quo in præsenti est quæstio. Sed ex eo quòd homines adeò scelerati, & tam malæ vitæ, publicéque infames quodammodo, accedant ad ministrãda sacramenta. In quo meritò graue scandalum patiuntur fideles. At non est par ratio de eo qui peccati alicuius occulti remissionẽ à Deo nondum obtinuit.

Superest ergo examinandum vtrum ex ipsa natura rei, posita institutione sacramentorum, oriatur ac certò constet tam grauis obligatio. In quo quidem simpliciter affirmando consentiunt authores: sed in ratione naturali reddenda plurimùm dissentiunt: nec quisquam vllam profert, quam multi alii non improbent, vt patebit ex sequentibus. 73.

Prima ratio Caietani reiicitur. Caietanus ad art. 6. q. 64. § *In responsione ad* 1. hanc rationem reddit. Quòd scilicet ministris consecratis ex officio ministrantibus conferatur gratia sacramentalis vt bene administrent. Ergo tenentur grauiter in gratia administrare. Nam ex eo quòd Christus instituerit sacramentum ad eos sanctificandos, colligimus grauem esse eius voluntatem vt sanctè conferant. Sed contrà: 1. Nemo consecratur ad baptismum conferendum. Quòd si dicas sacramentum Ordinis conferre gratiam iuuantem vt sacramenta ab Ecclesiæ ministris bene administrentur. Respondeo, conferre etiam vt prædicatio Euangelii, & alia munia ecclesiastica bene obeantur: & tamen non peccant mortaliter qui obeunt sine gratia. Nam licet oppositum de concionatore censeat Caietan. communiter tamen ab aliis reiicitur. 2. Sequeretur Diaconum cantantem aut legentem Euangeliũ in peccato mortali, peccare mortaliter, siquidem ad hoc munus consecratur, & in sua ordinatione accipit gratiam, vt eo munere rectè fungatur. Idemque dico de aliis ordinibus inferioribus, posito quòd sacramenta sint. Peccaret enim Subdiaconus cantando Epistolam, Acolytus seruiendo sacro &c. Item sequeretur, eum qui post Confirmationem profiteretur fidem in statu peccati mortalis, peccare mortaliter: Et coniuges similiter accedentes ad vsum coniugii, vel exercentes alia munia matrimonii. Quæ omnia sunt absurda. Plura aduersus hanc rationem Caietani vide apud Vasquem disp. cit. cap. 2. vbi fusiùs eam impugnat.

Alii dicunt eum qui est in peccato morta- 74.

li, habere Deum offensum, & displicere illi grauiter, tanquam inimicum: ideoque non esse vllo modo acceptabilem ad exercendum sacrum ministerium præbendi sacramētum: & eo ipso quòd sit in peccato mortali, dehonestare & malè tractare sacramenta, tanquam valde indignum eorum exhibitione. Quod confirmant hac comparatione. Si enim officium publicum gerens ac exercens indecenti admodum habitu, peccat grauiter contra officii publici dignitatem: quantò magis qui diuinum ministerium Christi vice exercet in sorde peccati? Sique rex grauissimè ferret, quando infamis quispiam, aut aliter male notatus, vices illius & officium sustineret: quantò magis Deus grauiter feret, si aliquis in peccato mortali existens, quo nihil deteriùs est, peragat sacramentum sanctificationis, & diuinum ministerium, Christi vice?

75. Secunda ratio refutatur. At hæc ratio primò æquè probat quemcumque, siue ex officio, siue non, baptizantem in peccato mortali, peccare mortaliter, n. si excuset impotentia confitendi priùs, aut exercendi actum contritionis: quod tamen D. Thomas, & alii multi non admittunt. 2. Inde sequeretur Prælatos, concionatores, & quoscumque, alia sacra ministeria Christi nomine aut vice exequētes in peccato mortali, peccare mortaliter, quod etiam non admittitur. 3. Discrimen est inter exempla allata, & casum de quo loquimur. Nam Regis aut magistratus authoritas pendet ex hominum æstimatione & reuerentia, quæ imminueretur propter habitum indecentem, aut infamiam personæ regis vices obeuntis. At maiestas & reuerentia sacramentorum non minuitur apud alios per defectum internum, & occultum, sanctitatis, eius qui ministrat in statu peccati habitualis.

76. Vasquez. Alii vt Vasquez disp. 136. cap. 3. dicunt ministrum sacramentorum, illa conficiendo & administrando, debere & cum ipsis, & cum eorum authore, & causa principali, quoad fieri potest, conuenire. Ac proinde debet esse sanctus, sicut Deus ipse sanctus est & sanctificator, & sacramenta etiam suo modo sancta sunt. Ita vt aliter sacramenta contaminentur, & grauis in Deum irreuerentia committatur. Quod ex eo confirmatur, quia minister, qui cum affectu actuali malo, non impediente tamen valorem sacramenti, v. gr. cum voluntate suffocandi hominem aquis in baptismo, conferret sacramentum; peccaret non tantùm peccato homicidii, sed alio etiam peccato irreligiositatis. Ergo qui sciens & volens cum habituali peccato mortali confert sacramentum, peccat peccato irreuerentiæ.

77. Suarez. Conink. Verùm quia hæc ratio sic exposita, & cōfirmata, concludit etiam de laico, & de quolibet baptizante in necessitate, nisi excuset inaduertentia, aut impotentia contritionis vel confessionis præuiæ, quos tamen S. Thō. & alii multi negāt peccare mortaliter, licet possint conteri aut confiteri: Idcirco Suares disp. 16. sect. 3. & Aegid. Coninc dubio 1. ad art. 6. q. 64. adducit obligationē administrandi sacramenta in gratia, oriri partim ex dignitate & sanctitate ipsius sacramenti, & actionis qua administratur: partim ex eo quòd ministrans ex officio, aut speciali deputatione Ecclesiæ, sit ad rem tātam per sacramentum aliquod singulariter consecratus, & in eo opere se exhibeat publicum Christi & Ecclesiæ ministrum, specialiter deputatum ad illud munus ritè obeundum. Ratione cuius consecrationis & deputationis, maior in illo est obligatio, quàm in laico, & quouis alio non ministrante ex officio aut speciali deputatione. Nimirum quia cum huiusmodi minister per se, & ex particulari destinatione sit ad hoc deputatus, & spiritalia subsidia à Christo & Ecclesia deputāte accipiat ad hoc munus pro dignitate exercendum: ideo magis obligatur vt cum debita dispositione id faciat; & quando aliter facit, grauem irreuerentiam & inordinationem committit. Cùm verò priuata persona permittitur sacramentum dare propter necessitatem: non tam illi censetur cōmissa administratio sacramenti, quàm permissa vt subueniat habenti necessitatem. Et ideo non debuit tantum illi onus imponi, sed satis est quòd sine contemptu, cum fide & reuerentia exteriori, sacramentum administret. Tunc enim cessat specialis illa deformitas, quia huiusmodi ministro solùm per accidens permittitur tale ministerium. Ita Suarez.

Sed contra Vasquem obiici potest: Deus quamuis sanctissimus, non iustificat aut sanctificat, vt sanctus formaliter: sed vt potens & causa efficax sanctitatis. Sacramenta quoque non sanctificant vt sacra & sancta formaliter: neque etiam ministri, vt sancti: sed vt instrumenta efficacia sanctitatis. Sacramenta quidem, vt instrumenta mortua, quæ non agunt nisi mota. Ministri verò, vt instrumenta viua, qui seipsos debeant applicare. Vtrisque autem vt instrumentis gratiæ efficacibus sanctitas formalis accidentaria est, & impertinens ad effectum per se. Secūdò, Magna est differentia inter eum qui sacramentum ministrat cum affectu actuali peccati, & eum qui tantùm est in peccato mortali habituali, sine tali affectu: imò & cum aliqua eius displicentia. Vnde non sequitur istum peccare peccato irreligiositatis, vt fatemur de priori. Et hoc apertè liquet in suscipiente baptismum, aut sacramētum pœnitentiæ. Peccat enim si recipit cum actuali affectu peccati, secus si tantùm est in peccato habituali cui remedium quærit. 3. Contra Suarem & Aegidium dico specialem Ecclesiæ deputationem per se non obligare ad aliquid merè internum, cuiusmodi est status gratiæ. Quia Ecclesia non habet ius ad ea quæ sunt purè interna. Deinde nemo consecratur ad baptizandum, quasi baptismus egeat ministro consecrato specialiter, qui per consecrationem habeat potestatem bap- 78. Tertia ratio refellitur.

tizandi. Nam in nullo sacramento datur potestas facti ad baptizandum, quasi sine sacramento non habeatur.

Quòd si dicas, dari gratiam per sacramentum Ordinis Ecclesiæ ministris, quæ eos iuuet ad dignè cõferenda sacramenta, quorũ administratio illis solis ab Ecclesia committi solet, & dari ex officio. Respondeo, iuuare quòque gratiam illam ad alia ministeria sacra: ad concionandum, ad regimen Ecclesiæ, & alia, quæ tamen non tenentur facere in statu gratiæ sub pœna peccati mortalis, vt fatentur Suarez & Aegidius.

Quartò, Sequeretur quòd peccarent etiam mortaliter exercendo omnia alia sacra munia magni momenti, quæ exercent vt publici ministri ex Ecclesiæ deputatione, & ad quæ similiter accipiunt subsidia spiritalia per sacram ordinationem & Ecclesiæ suffragia. Denique licet ministri publici magis teneantur administrare sacramenta dignè & conuenienter, quàm alii: non tamen ostenditur quomodo ex publico ministerio & officio sequatur tam grauis obligatio, vt mortaliter peccent, quoties sacramenta conficiunt in statu peccati habitualis.

80. Quarta ratio discutitur. Alii denique vt Cardinalis Delugo disp. 8. n. 149. dicunt rationem sumendam esse ex grauitate & sanctitate illius actionis, quâ sacramenta conficiuntur; quam minister operatur in persona ipsius Christi, & qua mediante operatur sanctitatem & gratiam habitualem, quâ sanctificat eos quibus sacramenta confert. Cùm enim in ordine supernaturali, gratia habitualis, quâ homo fit filius Dei adoptiuus, supremum locum teneat, si excipias vnionem hypostaticam: grauissima indecentia est, exercere illam actionem in statu peccati mortalis. Sicut si fœmina ex diuino beneficio Deum conceptura, auderet in statu peccati illum concipere.

81. Sed huic rationi opponi potest 1. Quòd inde sequeretur laicum baptizantem in necessitate peccare mortaliter, si est in statu peccati mortalis, & non conteratur cùm possit. Quod licet admittat author citatus, est tamen contra S. Thomam, Suarem, Aegid. & alios magni nominis Theologos. Quare ex eorum sensu hæc ratio nimis probat. Probo sequelam: Quia quisquis baptizat nomine Christi, baptizat tanquam eius minister & in persona ipsius Christi, & per baptismum operatur sanctitatem & gratiam habitualem in eo quem baptizat. 2. Quamuis minister sacramentorum repræsentet Christum, & eius vicem obeat: tamen non repręsentat quoad omnia, sed quoad potestatem, tanquam principalem Dei ministrum habẽtem à Deo, ratione humanitatis, potestatem instituendi sacramenta, propter quæ Deus sanctificat illos, qui ea rectè suscipiunt; non verò repræsentat illum quoad alias perfectiones. Ergo non est adeò necessarium vt sit iustificatus. Præterea actio ministri non est principalis actio sanctificandi, sed inferior multò, & illi præuia, quæque potest esse sine sanctificatione. Atqui non videtur necessarium vt sit idem ornatus inferioris & superioris: Ergo non propterea debet tãta necessitate minister sacramẽti esse conformis Christo Domino in sanctitate, quamuis in persona ipsius operetur. 3. Ad exemplum allatum responderi potest, magnum esse discrimen inter illa duo: & in vno quidem satis apparere obligationem sub peccato mortali, secus autem in altero. Nam si grauis irreuerẽtia est Christum recipere in Eucharistia in statu peccati mortalis, & grauis Dei voluntas est, vt conscientiâ mundâ recipiatur, quemadmodum Paulus declarauit 1. Corint. 11. & Trid. sess. 13. cap. 7. non minor esset irreuerentia Christum concipere & recipere in statu peccati mortalis. At minister sacramenti non recipit Christum, eò ipso quòd sacramentum ministrat, sed tantùm facit & exhibet alteri signum sensi[illegible] à quo sanctificatur.

His non obstantibus, concludendum est cum communi sententia, & vnanimi consensu Theologorum huius temporis, & fere omnium antiquorum, grauiter eum peccare qui ex officio conficit sacramentum in malo statu, nisi excuset impotentia, vel ignorantia: & quamuis certa ratio huius tam grauis obligationis non facilè reddatur: sufficit tamen communissimus sensus Theologorum consentientium in summa rei, ex quo colligere est communi hominum iudicio & lumine naturali grauem in eo indecentiam apparere, quamuis eius ratio non clarè liqueat. Sicut aliqua communi iudicio censentur impossibilia, quamuis non clarè ostendatur contradictio. In rebus autem moralibus magna cõmunis iudicii & naturalis æstimationis habenda est ratio, ac pro certo moraliter tenendum, id quod ab omnibus, præsertim sapientibus & doctis tale iudicatur. Ex rationibus autem supra relatis solidior illa esse mihi videtur, quæ fuit à Suare & Aegidio reddita, cum hac explicatione, aut modificatione intellecta, quòd quicumque à Deo, vel ab Ecclesia deputatur ad sanctum aliquod munus exercendum, contrahit debitum connaturale ad illud exequendum in eo statu, qui respondeat tum ipsius deputationi, tum excellẽtiæ, & sanctitati talis ministerii. Quicunque autem à Deo, vel ab Ecclesia deputantur ad sacramenta ex officio administranda, id est, celebranda, & efficienda, accipiunt hanc deputationem mediatè, vel immediatè, fundamentaliter, aut proximè & per se, vi alicuius sacramenti, quo apti fiunt simpliciter, vel magis idonei ad tale munus exequendum, constituunturque vi illius in statu gratiæ, & sanctitatis supernaturalis: ministerium quoque efficiendi sacramenta est res excellentissima, & sanctissima; vtpote effectio rei vi sua sanctificantis, & euehentis ad statum gratiæ, & consortium naturæ diuinæ. Itaque meritò creditur communi hominum iudicio eos, qui administrant sacramenta 82. Resolutio quæstionis

ta ex officio, & deputatione contrahere naturaliter grauem obligationem administrandi in statu gratiæ, vt sint in eo statu; qui respondeat sanctitati, & excellentiæ tum sacramenti, quo deputantur formaliter, aut fundamentaliter, tum etiam ministerii tam sancti, quod exercent. Qua etiam de causa scandalum patiuntur communiter, qui vident eos in malo statu ministrare.

83. Soluuntur argumenta contraria.

Contra quam rationem hoc modo explicatam parum roboris habent, quæ obiecta fuerunt n. 78. & 79. Ad primum enim respondeo, hanc obligationem non oriri ex sola deputatione Ecclesiæ: sed ex natura rei, posita deputatione Christi, vel Ecclesiæ, & sanctitate tam excellentis ministerii, ad quod persona tali modo deputatur. Ad secundum respondeo, consecrationem personæ non esse necessariam ad hanc obligationem contrahendam, sed sufficere duo illius fundamenta, quæ iam diximus, deputationem scilicet, & excellentiam tam sancti ministerii. Ad tertium dico, non esse parem rationem officii concionandi, vel regendi Ecclesiam, quoad politiam Ecclesiasticam; quod est longè inferius sanctitate celebrationis sacramentorum, quemadmodum & officium Diaconi, Subdiaconi, & Ordinum inferiorum: & munus Episcopale efficiendi chrisma, vel consecrandi templa, & vasa sacra; vel Parochi assistentis Matrimonio: vel sacerdotis, aut Diaconi dantis solùm cõmunionem: aut coniugum exercentium munia coniugalia: quę & similia longè differunt ab excellentia, & sanctitate effectionis sacramentorum: ideóque non sequitur esse grauem obligationem hæc exercendi in statu gratię, sicuti est efficiendi sacramenta, vt bene inter alios recẽtiores docet Ysambertus q. 64. disp. 4. art. 7. Non est etiam par ratio de illo qui recipit sacramentum Baptismi aut Pœnitentiæ. Nam ille non est deputatus ad hęc sacramenta ex officio administranda, neque illa administrat, sed recipit: & cùm sint per se primò instituta ad remissionem peccati mortalis: non est contra intentionem Christi, vel dignitatem & sanctitatem horum sacramentorum, accedere cum sufficienti dispositione ad remissionem vi illorum obtinendam.

SECTIO VII.

De Subiecto Sacramentorum.

84. Soli homines viatores sunt capaces sacramentorum, non tamen omnes omniũ.

SVbiecti nomine intelligimus eum qui recipit sacramentum. Nam sacramentum integrum se habet instar formæ cuiusdam moralis, respectu eius, cui applicatur, & à quo recipitur. Quo supposito,

Dico primò, Solos homines viatores esse capaces sacramentorum, de illis enim solis dictum est, *Baptizantes eos*, &c. Nec tamen omnes omnium. Nam fœminæ non sunt capaces sacramenti Ordinis: neque infantes Matrimonii, neque sani sacram. Extremæ-vnctionis: neque illi qui non peccarunt actualiter, sacramenti Pœnitentiæ: neque vllius alterius sacramenti, illi qui nondum sunt baptizati: vt ostendetur cum de singulis disputabitur.

Dico 2. in adultis intentionem recipiendi sacramentum necessariam esse ad ipsius valorem. Ratio est institutio Christi, cuius testes antiquissimi sunt Concil. Carthaginense III. cap. 34. Arausicanum car. 12. & sancti Patres, de quibus vide Suarem disp. 14. sect. 2. Sapienter autem Christus ita instituit: quia sicut ad suauem eius prouidentiam spectat nullum adultum, vtpote liberum, nisi volentem & vt adultum ac liberum iustificare, aut gratiam illi augere; sic ad eandem pertinet nullum huiusmodi per sacramenta initiare, nisi vt adultum & liberum, id est, non sine proprio & libero ipsius consensu. De paruulis autem, inter quos computantur perpetuò amentes, alia est ratio. Amentes verò qui aliquando ratione vsi sunt, inter adultos hoc loco numerantur. Inualidè enim sacramentum recipiunt quod nullo modo expetiuerunt, vt ex communi sententia refert Aegidius Coninç ad art. 8. quæst. 64. num. 100. Quæ tamen sententia, vt ibidem ostendit, authoritate magis quàm ratione nititur. — Intentio recipiendi est ad illud necessaria ad valorem sacram.

Cùm autem dico intentionem adulti ad valorem sacramenti requiri, loquor de sacramentis quæ essentialiter consistunt in vsu. Nam de Eucharistia alia est ratio. Quanquam etiam ad illius vsum sacramentalem intentio recipientis necessaria est. Quia si inuito, aut non volenti detur: verum quidem sacramentum est, consistit enim essentialiter ante omnem vsum aut applicationem: talis tamen vsus non est sacramentalis, id est, sacer, aut sufficiens ad effectum; sed merè naturalis, vt notat Suar. sect. 2. disputatione 14. Vbi etiam rectè addit minorem concursum voluntatis requiri in suscipiente, qui passiuè tantùm se habet; quàm in ministro qui agit. Nam in isto intentio concurrit aliquo modo vt causa efficiens. In illo autem est tantùm conditio necessaria ex parte subiecti, vt susceptio sacramenti sit voluntaria & valida. Debet autem hæc intentio ferri determinatè in substantiam sacramenti sine errore substantiali: & esse absoluta, vel transire statim in absolutam, vt supra diximus de intentione ministri. — Coninc. — Qualis debeat esse illa intentio.

86. Innocent.

Contrarium sentit Caietanus ad articulum septimum quæst. sexagesimæ octauæ, & obiicit primò authoritatem Innocentii III. Cap. *Maiores, de Baptismo*, in fine, vbi sic ait: *Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem.* Respondeo, Innocentium loqui de voluntate contraria latè sumpta, vel positiuè per affectum contrarium, & nolitionem positiuam: vel negatiuè aut priuatiuè, per carentiam voluntatis & intentionis, etiam habitualis, qualis est in catechu- — Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ.

mentis, de quibus ibi sermo est. Nam in §. *Item quæritur*, ad finem capitis de dormientibus & amentibus loquens Innocentius, dicit eos tunc recipere characterem & baptismum, quando fuerunt catechumeni, & habuerunt propositum baptizandi. Quid autem opus erat addere propositum baptizādi, si satis erat non habuisse contrariam voluntatem exterius expressam? Item eodem §. sic ait: *Ille verò qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti.* Et paulò post probat contradicentem non recipere baptismum, quia *plus est*, inquit, *expressè contradicere, quam minimè consentire.* Quo argumento supponit baptismum non recipi à non consentiente, & ipsum tacitè quodammodo contradicere.

87. Obiicit 2. Intentionem non esse necessariam in paruulis: Ergo nec in adultis. Nam conditio vel dispositio quæ non est necessaria in vno subiecto, non est necessaria in alio, respectu eiusdem formæ. Baptismus autem idem est essentialiter, siue adultis, siue paruulis conferatur. Ergo eadem vtrobique dispositio illi sufficit: sicut in formis naturalibus, quæ dispositio sufficit in vno subiecto, & in alio sufficit. Adde, quòd Florentinum in decreto §, *Hæc omnia*, enumerans omnia necessaria ad sacramentum perficiendum, non meminit intentionis recipientis, sed tantùm intentionis ministri. Denique sacramentum Extremæ-vnctionis datur ægrotis carentibus vsu rationis in periculo mortis, non expectata eorum voluntate.

88. Ad primum Respondeo negando consequentiam. Ad cuius probationem dico, veram tantùm esse de formis naturalibus, quæ ideo easdem dispositiones vbique requirunt, quia ex natura sua illas exigunt, & natura vbique eadem est. At sacramenta tantùm ex Dei institutione dispositionem requirunt, quæ institutio aliquid meritò requirit ab adultis ad esse & effectum sacramenti, quod non requirit à paruulis. Florentinum verò expressit tantùm ea, quæ in omnibus sacramentis semper & vbique necessaria sunt: cuiusmodi non est intentio recipientis: quæ in paruulis non requiritur. Eamdemque ob causam non meminit personæ subiecti, seu recipientis, sicut meminit personæ ministri, quia Eucharistia perficitur sine subiecto recipiente. Denique Extrema-vnctio non datur nisi vel tales ante petierint, vel iustè præsumantur habuisse voluntatem recipiendi in tali periculo, & viuendi ac moriendi ritu catholico in Ecclesia Christiana. Et quamuis non omnino constet ita esse; tamen tutior pars sequenda est; satiùsque est exponere sacramentum periculo nullitatis, quàm animam periculo salutis.

89. Instabis cum Delugo disputatione nona numero 123. quia si sufficit hæc voluntas generalis ad recipiendam Extremam-vnctionem, sufficiet pariter ad recipiendam sacramentalem absolutionem, quamuis ægrotus neque illam petierit, neque vlla signa doloris exhibuerit. Item sufficiet ad valorem Baptismi, ei qui de illo nunquam cogitauit, sed tantùm vult bene viuere & mori vt saluetur. Atque ita Iudæus ægrotans & amens, poterit, ac debebit baptizari, modò antea voluerit confusè & generaliter bene viuere & mori vt saluetur: Ac denique sufficiet ad hoc vt Eucharistia prosit casu sumenti, putà dormiendo, vel existimando hostiam non esse consecratam.

Delugo.

Respondeo, nihil horum sequi. Non primum: Quia ad sacramentum Pœnitentiæ requiritur confessio dolorosa ex parte pœnitentis, tanquam pars essentialis sacramenti, satis propinqua absolutioni, & coniuncta moraliter cum illa, signoque aliquo sensibili facta. Nulla autem est confessio dolorosa, quando ægrotus nullum signum exhibet: Non secundum: quia Iudæus ille non habuit voluntatem bene viuendi, & moriendi secundum legem Christianam, (quæ voluntas habitualiter perseuerans sufficeret) sed secundum legem Iudaicam quam profitetur, & veram esse putat. Non tertium: quia Catholicus ille habet solùm, sicut habere debet, intentionem generalem sumendi Eucharistiam & alia sacramenta more catholico, quando scilicet Christianis dari solent, vt in mortis periculo. At non more prophano, velut cibum communē per ignorantiam aut inaduertentiam. Quare talis receptio Eucharistiæ non est ei voluntaria, adeoque non causabit effectum. Videatur Delugo suprà, vbi hac de re fusiùs disputat.

Instantia repellitur.

90. Dico 3. In nullo sacramento, præterquam Pœnitentiæ, dispositio adulti recipientis & capacis necessaria est ad eius valorem: nec quicquam aliud præter intentionem: secus tamen ad obtinendum eius effectum. Sensus primæ partis conclusionis est, quòd neque fides habitualis vel actualis, neque gratiæ status, neque contritio vel attritio, aut alius bonus actus, necessarius est recipienti alia sacramenta, vt validè recipiat; sed tātùm quòd sit capax, & intendat recipere. Patet ex Cōciliis & Patribus à Suare adductis disputatione decima quarta, sectione secunda, conclusione 2. & disputat. 13. sect. 4. habentibus hæreticos baptizatos, vel ordinatos in hæresi, pro validè baptizatis & ordinatis, quando forma Ecclesiæ seruata fuerat. Neque contrarium docet S. Hieronym. lib. 4. Comment. in Matth. in fine cùm sic ait: *Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingūt aqua. Non enim potest fieri vt corpus Baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem.* Loquitur enim de adultis: & cùm dicit non posse aliter fieri, intelligit licitè, non autem validè dumtaxat. Excipitur tamen sacramentum Pœnitentiæ, in quo attritio vel contritio est pars essentialis. Contritio autem vel attritio

In nullo sacramento, præterquā Pœnitentiæ dispositio recipientis est necessaria ad valorem.

supernaturalis non exerceretur sine actu fidei prævio; quare sine vtroque sacramentum pœnitentiæ non potest validè recipi.

91. Dispositio adulti requiritur ad effectum sacram.

Secunda pars, quòd scilicet in adultis aliqua alia dispositio, præter intentionem, necessaria sit ad effectum sacramenti, non intelligitur de charactere, qui semper imprimitur, quoties validum est sacramentum illius imprimendi capax: Neque de potestate ordinis, vel de morali subiectione baptizati iuri Ecclesiæ, vel de potestate participandi eius bonis aliisque sacramentis. Hæc enim similiter dantur infallibiliter, quoties ordo & baptismus validi fuerint: sed intelligitur de gratia sanctificante, & similibus effectibus cum illa coniunctis, quibus obex poni potest per defectum dispositionis conuenientis, aut per præsentiam contrarii, & obsistentis. Tantum enim abest vt iustificentur illi, qui sine conuenienti dispositione accedunt: vt potiùs grauiter peccent, si scienter & liberè hoc faciant: vt de Eucharistia docet Paulus 1. Corinth. 11. versu 29. & consentiunt omnes Theologi, vt testatur Suar. disp. 17. sect. 2. quia scilicet grauis Christi voluntas est vt sacramenta non frustrentur primario suo effectu, qui est gratia. Quin etiam peccat ipsi ministri, per se loquendo, quando indignè suscipientibus & indispositis conferunt sacramenta. Tenentur enim agere vt fideles & prudentes dispensatores, quorum est pro Dei reuerentia cauere ne indigni suscipiant, neue detur Sanctum canibus, aut margaritæ proiiciatur ante porcos. Vtque peccaret sacerdos Eucharistiam collocans in loco indecenti, vel in terram proiiciens: sic & indigno præbens scienter & liberè.

Peccat qui scienter ministrant sacramenta male recipientibus.

92. Nisi necessitas excuset.

Per accidens tamen, ratione scandali, vel iniustæ læsionis propriæ aut alienæ, quæ ex negatione sacramenti emergeret, potest permitti & dari sacramentum indisposito. Neque minister tunc cooperatur moraliter peccato suscipientis, & iniquæ susceptioni sacramenti, vt iniqua est: sed tantùm vt susceptio est. Quia tunc vtitur iure suo, & dat operam rei per se licitæ, quam non potest eo tempore vitare. Supponimus enim ministrum propter scandalum, vel aliam causam, non posse moraliter negare sacramentum indignè accedenti.

Licet aliquando inducere aliū ad recipiēdū sacram. quod male recipiet.

Quin etiam licet aliquando inducere aliquem ad recipiendum sacramentum quod præuidetur malè recepturus, sua ipsius culpa & malitia, cùm posset alioqui si vellet, se disponere sufficienter ad bene recipiendum. Vt si die festo non sit alius sacerdos qui sacrum faciat, præter eum qui indignè facturus præuidetur. Licet enim illum inducere ad faciendum, ne communitas priuetur sacrificio cui tenetur assistere: vt docent communiter Theologi. Item si valde expediat Matrimonium iniri ab aliquibus, qui præuidentur non fore satis dispositi, sua sola culpa, quia possunt si velint; licitum est inducere vt contrahant, vtendo iure quod habemus procurandi nobis illud bonum magni momenti: quo non tenemur nos priuare propter alterius malitiam. Neque hoc est inducere ad malum; cùm istæ actiones sint per se bonæ, & possint ab illis bene fieri, vt supponimus: sed tantùm permittere malitiam illi actioni adiungendam culpâ alterius: quod propter nostram vtilitatem licitum est: neque enim tenemur cum quouis nostro incommodo illam impedire. Qua de re plura dicemus inferiùs disputando de ministro Eucharistiæ.

Vide inferius disp. 37 sect. 2.

93. Liceat ne petere vel accipere sacram. à male administraturo?

Quæres an similiter peccent qui suscipiunt sacramenta à malis ministris? Respondeo breuiter cum Suar. disput. 18. sect. 1. Graue peccatum esse petere vel recipere sacramentum ab eo, quem scias non nisi inualidè conferre posse, aut non nisi fictè & inualidè collaturum. Hoc enim est inutiliter & perniciosè inducere & concurrere ad actum sacrilegii. Secundò, esse quoque illicitum petere & sumere sacramentum ab eo, qui non potest nisi illicitè præstare, defectu iuris aut potestatis legitimæ. Quia cùm petitur ab aliquo id, quod sine peccato præstare nequit, consequenter petitur peccatum ipsum: quod est intrinsecè malum. Tertiò, Petere & accipere sacramentum ab eo qui potest licitè dare, ex malitia verò sua daturus non est sine peccato, non est intrinsecè ac per se malum: siue ille sit minister ex officio, siue non: & siue sit paratus ad dandum, siue non. Ratio est, quia malitia separabilis est ab illa actione, quippe quæ illi tantùm per accidens adiungitur ex praua ministri voluntate. Ergo qui petit actionem illam, non petit aliquid per se malum, nec ad illam vt malam inducit aut cooperatur.

94. Non licet absque necessitate, vel notabili vtilitate.

Non licet tamen absque aliqua necessitate, vel notabili vtilitate petere, vel accipere sacramentum ab eo, quem præuides non daturum sine peccato. Quia lex charitatis obligat vt Dei offensam ab aliis committendam, & malum proximi impediamus, quando commodè possumus. Huiusmodi necessitas aut notabilis vtilitas est, si desit alius, & præceptum Ecclesiasticum vrgeat ad communicandum tali tempore; vel tempus quo quis solet confiteri & communicare, nec potest sine aliquo detrimento spiritali consuetudinem suam interrumpere: si egeat consolatione, & ope sacramenti contra tentationem aliquam, aut quid simile: si non sit alius qui sit idoneus ad dirigendam conscientiam, aut casus conscientiæ difficiles explicandos. Quemadmodum enim propter temporalem aliquam vtilitatem licet petere mutuum ab vsurario, quamuis scias non daturum sine vsura: sic, &c.

95. Et cauendum est scandalum.

Cauendum item est hac in re à scandalo pusillorum, & ne censuræ Ecclesiasticæ eneruentur in opinione hominum, quando acceditur ad ministros excommunicatos. Notandum enim, quòd licet iure antiquo, seruato tempore Diui Thomæ, omnes excommunicati essent vitandi in participatione Sacramentorum,

A tempore tamen Concilii Constantiensis, soli excommunicati nominatim denunciati, & notorii percussores clericorum, quorum crimen nulla potest tergiuersatione celari, aut excusatione iuris defendi, vitandi sunt. Quare ab aliis possunt per se loquendo peti & accipi sacramenta, nisi scilicet suspensi sint, vel degradati: tunc enim non possunt sine peccato ministrare. Ab istis verò non nisi in casu grauis aut extremæ necessitatis: vt in periculo mortis, deficiente alio. Tunc enim licet à quolibet petere & accipere. Cùm autem loquimur in præsenti de malis ministris; intelligimus notos, & aliquo modo obstinatos, aut in consuetudine peccandi versantes, vt concubinarios, & similes. Nam alioqui non debemus suspicari, nec sine graui causa existimare sacerdotem aliquem esse malum, & multò minùs, ministraturum in peccato mortali. Neque incumbit, aut commendata est hæc cura petenti sacramentum, vt inquirat curiosè num minister sit bene dispositus, vel sitne se dispositurus quando id potest, licet recens peccauerit: sed debet potiùs in bonum præsumere.

96. Porrò hæc omnia, quæ diximus, locum habent in quocumque ministro, siue dante ex officio aut parato ad dandum, siue non. Cum hac solùm differentia, quòd maior necessitas, aut vtilitas requiritur vt licitè sacramentum petatur ab eo qui non dat ex officio, aut non est per se paratus ad dandum, quàm ab alio, cùm præuidetur non daturus sine peccato: De eo verò qui inseruit ministro sacramentum malè conferenti, idem sentiendum est speculatiuè loquendo, ac de suscipiente à malè ministrante: peccare scilicet si inseruiat ei qui non potest sine peccato sacramentum conferre; quia tunc cooperatur actioni quæ non potest nisi malè fieri. Sin autem minister sacramenti potest, si velit, bene illud administrare, sed tantùm ex malitia sua malè administraturus præuidetur: qui ei inseruit in tali actione, non peccat, nisi vitando tale ministerium, possit commodè impedire vt alius non peccet: tunc enim tenetur ex charitate impedire. Verumtamen prácticè & moraliter loquendo, id rarò contingit. Quare ministri sacerdotum non sunt his scrupulis onerandi.

Liceatne inseruire ministro malè facienti sacramentum?

SECTIO VIII.

Quam dispositionem in subiecto requirant Sacramenta vt gratiam producant?

97. Sensus quæstionis propositæ non est, quid requiratur ex parte recipientis vt sacramentum sit ratum & validum; de hoc enim partim iam diximus sectione præcedenti, patim alibi disputabitur, cùm agetur de singulis: Sed quæstio nunc est, quænam in illo requiratur dispositio, vt sacramentum ratum, & validum, sortiatur effectum gratiæ.

Status quæstionis.

Dupliciter autem potest aliqua dispositio esse necessaria ad illum effectum. Nimirum vel primò, necessitate medii, ita vt sine illa non fiat; neque excuset ignorantia aut impotentia. Vel secundò, necessitate solùm præcepti, à quo potest excusare ignorantia vel impotentia, ita vt nihilominus effectus habeatur ab eo, qui bona fide sacramentum recipit sine tali dispositione.

Vt autem certa ab incertis separemus: Certum est primò, nullam in infantibus & amentibus perpetuis requiri dispositionem, neque medii necessitate, neque præcepti: sed solo Christi beneficio, & ministerio alieno, iustificari à peccato originali, quod nullâ suâ culpâ, id est, nullo actu proprio contraxerunt. Et quidem alioquin inutiliter baptizarentur ad vitam æternam: essentque post baptismum rei æternæ damnationis: quod est contra fidem & praxim Ecclesiæ.

Nulla dispositio requiritur in paruulis, neque in amentibus perpetuis.

98. 2. Certum est in adultis qui habent vsum rationis, ac proinde iustificantur vt adulti, id est, mediante aliquo proprio ipsorum actu libero, requiri actum fidei, necessitate non modò præcepti, sed etiam medii. Iuxta illud Apostoli Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Vbi de fide actuali sermo est, vt patet ex verbis sequentibus, *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Hunc verò actum debere esse supernaturalem definit Trident. sessione 6. can. 3. affirmans, neminem *sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, credere, sperare, diligere aut pænitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur.* Idemque antea definiuerat Concil. Arausicanum secundum canone 6. & 7. & Mileuitanum can. 4.

Adultis necessarius est actus fidei supernat.

99. Præterea 3. certum est, pium aliquem motum supernaturalem voluntatis in Deum æquè necessarium esse iisdem adultis. Nam actus fidei idcirco ab illis requiritur, vt mediante illo tendant in Deum per affectum voluntatis: affectum, inquam, actui fidei proportionatum, & fini ad quem dirigitur; adeóque supernaturalem; vt docent Concilia supra citata, & speciatim Arausicanum can. 6. Meritò autem & valde conuenienter non vult Deus adultis ratione vtentibus gratiam suam dare nisi volentibus, & seriò expetentibus, atque in ea perseuerare firmiter statuentibus: cùm vel homines ipsi soleant id exigere ab iis quibuscum amicitiam ineunt, aut magis magísue eam augent, atque confirmant.

Et pius aliquis motus voluntatis proportionatus.

100. Quartò, Certum pariter est, iis omnibus qui actu peccarunt mortaliter, & nondum peccati commissi remissionem assequuti sunt, gratiam non infundi sine actu aliquo pœnitentiæ præuio: siue ratione vtantur tunc temporis cùm sacramentum recipiunt; siue vsu rationis tunc destituti sint: vt qui in phrenesin inciderũt. Patet, quia ne illa

In adultis qui peccarunt requiritur actus pœnitent.

uidem sacramenta quæ directè ad peccatorum mortalium remissionem instituta sunt, nempe Baptismus & Pœnitentia, vim habent iustificandi sine aliquo actu pœnitentiæ: vt de Baptismo colligitur ex Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*: & de Pœnitentia id certissimum est, quia sacramentum illud sine attritione vel contritione nec esse potest nec operari; quippe quæ vna est ex partibus eius essentialibus, vt ostendemus suo loco. Et generatim vbicunque Scriptura promittit adultis iustificationem, requirit ab illis pium aliquem motum contra peccatum. Ideoque Trident. sess. 14. cap. 4. affirmat contritionis latè & generaliter sumptæ motum, fuisse quouis tempore ad obtinendam peccatorum veniam necessarium. Et sess. 6. cap. 6. loquens de necessitate præparationis ad iustificationem in adultis, ait illam debere fieri per liberam conuersionem à peccato ad Deum, assentiendo & cooperando gratiæ Dei, quâ vocantur & excitantur. Vnde collige sacramenta non posse licitè applicari talibus peccatoribus, nisi vel constet, vel probabiliter præsumatur, habere ipsos vel habuisse antea motum aliquem pœnitentiæ contra sua peccata, vt de moribundis qui piè antea vixerunt iure præsumitur. Ac si reipsa talem motum non habent, non iustificantur: quippe qui necessarius est necessitate medii, æquè ac alii supra commemorati, vt probant argumenta allata.

101. Ad iustificationem sufficit attritio cum sacram. baptismi vel Pœnitentiæ.

Quintò, Certum esse quoque debere censeo attritionem supernaturalem perfectam, id est, excludentem peccati voluntatem, cum spe & desiderio veniæ, sufficere ad iustificationem obtinendam per sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ. De sacramento Pœnitentiæ videtur mihi satis clarè id esse definitum à Trident. sess. 14. cap. 4. cùm sic ait de attritione: *Et quamuis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat* (vt facit contritio perfecta charitate, quemadmodum paulò ante definit) *tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*. De sacramento autem Baptismi par est ratio, cùm non minus habeat efficaciæ circa peccatum originale, & actualia antè commissa; quàm sacramentum Pœnitentiæ circa peccata post Baptismum admissa: adeóque non plus debeat requirere dispositionis ex parte adultorum, vt illa deleat. Confirmatur, quia alioqui sacramenta nouæ legis non iuuarent adultos ad faciliùs impetrandam remissionem peccatorum, si cum illis requireretur dispositio de se sufficiens ad iustificationem, cuiusmodi est contritio perfecta, vel actus illi æquiualens, qui in omni lege vim habuit iustificandi. Confirmatur secundò, quia alioqui sacramenta per se directè instituta ad remissionem peccatorum mortalium, supponerent semper, antequam operarentur remissionem, illa iam esse remissa per contritionem aut per alium actum æquiualentem, quem præsupponerent veluti præuiam dispositionem. Hoc autem perinde est dicere, ac si quis affirmaret medicinam aliquam fuisse institutam ad curandum morbum, quem semper præsupponeret esse curatum, nec posset aliter operari. Ex quo collige conscium sibi peccati mortalis posse licitè accedere cum attritione nota, ad hæc duo sacramenta: & per ea immediatè ac primò remissionem peccatorum suorum obtinere velle. Licitè enim possumus vti medio, à Christo instituto, ad finem ad quem instituit. Secus est de Eucharistia, & aliis quæ appellantur sacramenta viuorum: quibus saltem ex necessitate præcepti contritio, vel attritio cum Sacramento Pœnitentiæ aut Baptismi, præmittenda est, vt ampliùs ostendetur suis locis.

Dices Concil. Trident. cap. illo 4. sessione 14. probare attritionem disponere in sacramento ad gratiam, exemplo Niniuitarum, qui timore pœnarum vtiliter concussi ad Ionæ prædicationem, plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. At hoc exemplum tantùm probat attritionem remotè & imperfectè disponere, quatenus inchoantes ab illa, proficimus & progredimur ad actum contritionis, & amoris Dei super omnia: iuxta doctrinam eiusdem Concilii sessione sexta, capite sexto, vbi exponens modum quo adulti debent disponi ad iustificationem, dicit eos incipere ab actu fidei, ex quo concipiunt actum timoris iustitiæ diuinæ, quo timore concussi conuertunt se ad cogitandam Dei misericordiam, & in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt. Et propterea, id est, propter eius amorem, siue ex amore præconcepto, mouentur ad odium & detestationem peccati: quæ detestatio est contritio, quia concipitur ex motiuo amoris Dei; & non ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati, aut similibus motiuis inferioribus. 102. Difficultas ex Trident.

Respondeo, Tridentinum cap. cit. duo asserere. Primum est contra Lutheranos, attritionem conceptam ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, non modò non facere hominem hypocritam & magis peccatorem: verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Alterum est, de quo antea Theologi dissentiebant inter se, attritionem, licet sine sacramento Pœnitentiæ per se non possit ad iustificationem perducere (immediatè scilicet & proximè, vt facit contritio) tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere: immediatè scilicet, sicut contritio facit sine sacramento. Primum probat ex Scriptura, quam solam fidei regulam esse volunt Lutherani. 103. Enodatur.

Secundum non probat, quia Theologis sufficiebat Concilii definitio. Cap. autem sexto sess. 6. describit ordinem dispositionis ad iustificationem, non necessarium necessitate medii vel præcepti, sed qui frequenter esse solet, vt ostendemus alibi: Deo scilicet peccatores ad huiusmodi actus eo ordine excitante, & ipsis eodem ordine consentientibus vocationi diuinæ. Per amorem autem illum, quo peccatores Deum vt iustitiæ fontem diligere incipiunt tanquam peccatis suis propitium futurum, intelligi facilè potest amor spei ex motiuo proprii boni supernaturalis, id est, Dei vt nobis boni. Vnde etiam detestatio peccati, ex tali amore & motiuo sequuta, pertinet ad virtutem spei, estque imperfectior contritione, quæ procedit ex motiuo amoris Dei summè dilecti propter se. Qua fortasse de causa Concilium ibidem ait moueri tunc peccatores aduersus peccata *per odium aliquod*, sumendo particulam, *aliquod*, in sensu diminuente.

104. Quomodo ille qui habuit vsum rationis, & incidit in amentiam, possit sacramentum recipere vel illius effectum?

His præmissis, dubium est primò, Vtrum in adulto qui aliquando vsus est ratione, sed postea incidit in amentiam, eo tamen tempore exiguo quo ratione vtebatur, non peccauit mortaliter: necessarius sit actus fidei & pius aliquis motus voluntatis in Deum, vt per sacramentum iustificetur, vel gratiæ augmentum recipiat?

Respondeo talem, si tempore vsus rationis non expetiuit sacramentum, id est, non habuit intentionem illud recipiendi, non posse validè sacramentum recipere, ac multò minùs eius effectum. Quod tamen ex communi Theologorum consensu magis constat, quàm vlla certa traditione, vel ratione, quemadmodum ostendit Aegidius Coninc quæst. 64. art. 8. num. 100. Pari autem ratione, quâ requiritur intentio ad valorem sacramenti in tali adulto, puto similiter requiri actum fidei & pium motum voluntatis erga Deum: non quidem formalis pœnitentiæ, cuius non est capax si nunquam peccauit actualiter, sed amoris charitatis, vel spei, vel obedientiæ circa Dei mandata, vel quid simile. Cohærenter enim loquendo dicendum est, quòd sicut Deus tales non eximit à necessitate intentionis tanquam medii necessarii ad valorem sacramenti, vel ad validam receptionem sacramenti, vt sacramenti: sic neque eximit à necessitate dispositionis, consistentis in illis actibus, tanquam medii necessarii ad effectum sacramenti.

105. An dolor formalis requiratur in illis qui peccauerũt mortaliter, vt medium necessariũ ad iustif.

Secundò, Dubium est an formalis pœnitentia, seu dolor formalis de peccatis requiratur determinatè & propriè ex necessitate medii in iis, qui per sacramenta volunt consequi remissionem peccatorum suorum? Respondeo negatiuè, excepto sacramento Pœnitentiæ. Ratio est, quia alioqui non possent excusari ab illa necessitate per ignorantiam aut impotentiam: neque vnquam per sacramenta iustificarentur sine formali dolore. Sed hoc est falsum. Quia ad cætera sacramenta (excepto vnico sacramento Pœnitentiæ, in quo formalis dolor requiritur necessariò necessitate medii strictè & propriè, non vt dispositio, sed vt pars essentialis) sufficit verus actus charitatis, id est, amor Dei super omnia, in eo casu quo potest haberi sine contritione. Quod certum esse de Baptismo affirmat Aegidius Coninc quæst. 62. art. 1. dub. 2. num. 34. De aliis verò sacramentis par aut maior est ratio. Similiter autem puto sufficere posse in Baptismo virtualem attritionem: qualis est amor efficax & absolutus Dei vt summi boni nostri supernaturalis: voluntas efficax & absoluta obediendi omnibus Dei mandatis ex timore Dei concepta: & alii similes actus. Quod probabile sibi videri affirmat idem auctor dub. cit. num. 36. Ratio est quia, quando aliquis actus requiritur tantùm vt dispositio moralis & æstimabilis; sufficit alius illi æquiualens. Eaque est causa cur licet Scriptura requirat contritionem perfectam à peccatore, vt possit extra sacramentum iustificari: intelligimus tamen quòd si incipiat à dilectione perfectæ charitatis, potiùs quàm à contritione, vt interdum fieri potest, consequatur nihilominus iustificationem, quia dilectio illa æquiualet contritioni. Ergo cùm actus supra dicti non minùs æquiualeant attritioni, dicendum est eos pariter sufficere cum sacramento bona fide suscepto, cum quo attritio sufficeret tanquam dispositio. Alia tamen est ratio de sacramento Pœnitentiæ, cuius vna pars essentialis est dolor formalis, id est, contritio vel attritio, vt sæpius monuimus. Res enim sine suis essentialibus nec esse potest, nec operari. Et determinatio diuina maior est circa essentialia sacramentorum, quæ sunt signa merè arbitraria: quàm circa dispositiones in quibus habetur ratio naturalis earum perfectionis. Neque in sacramento Pœnitentiæ requiritur necessariò necessitate medii formalis pœnitentia, quâ dispositio est, sed quâ, seu quia est pars sacramenti.

Tertiò, Dubium est an saltem in huiusmodi peccatoribus requiratur formalis pœnitentia per se, & ex necessitate præcepti, ad remissionem peccatorum obtinendam per sacramenta, id est, ex institutione & præcepto diuino, à quo non liceat recedere nisi ignorantia vel inaduertentia excuset? Respondeo affirmatiuè cum communi sententia Theologorum omnium, excepto Medina, vt testatur Suar. disput. 9. de Pœnitentia sect. 1. num. 11. Ratio est, quia actus formalis pœnitentiæ est maximè aptus ad obtinendam veniam, & ad Deum placandum: idcóque Deus conuenienter illum per se primò requirit, & ad illum peccatores hortatur in Scriptura. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Matth. 3. vers. 2. & cap. 4. vers. 17. *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam: sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo:* Apocal. 2. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peri-* 106. An saltem requiratur ex necessitate præcepti?

bitis: Luc. 13. vers. 5. *Si impius egerit pœnitentiam*, &c. *vita viuet*: Ezech. 18. & 33. Quæ loca & similia de pœnitentia propriè & formaliter sumpta intelligenda sunt. Scriptura enim debet in sensu proprio accipi, quantum fieri potest. Quare significant aliquam necessitatem pœnitentiæ formalis ad remissionem peccatorum: quæ necessitas talis esse censetur communi iudicio Doctorum, vt voluntas Dei sit peccatorem existentem in peccato mortali, debere veniam petere, & pœnitere formaliter, quoties vult remissionem peccati obtinere, & Deo reconciliari. Similitérque Trident. sess. 14. cap. 4. aiens motum contritionis, id est, doloris de peccato ex motiuo amoris Dei, vel turpitudinis peccati, aut metu gehennæ, fuisse omni tempore necessarium ad remissionem peccatorum, loquitur de formali contritione, vt ex textu patet, & ex illius definitione quam ibi tradit. Quare si non est omnino necessaria necessitate medii, debet saltem esse necessaria necessitate præcepti; imò & medii quodammodo per se vnici, id est, per se semper ac necessariò adhibendi secundum primariam intentionem Dei, vt meritò censent communi consensu Theologi: quamuis per alium actum suppleri possit per accidens in eo qui est ignarus sui status, vel sui debiti. Qui autem sui status sibi conscius est, & non ignarus sui debiti, neque vult cum Dei auxilio conari ad actum pœnitentiæ formalis eliciendum vt iustificetur: non iuuabitur à Deo ad habendum virtualem, putà amorem Dei super omnia: quia peccat grauiter: non potest autem quis simul peccare grauiter, & amare Deum super omnia, aut alio medio iustificari eodem instanti. Eóque sensu dicimus non sufficere in eo casu alium actum pœnitentiæ virtualis: sed tantùm in agente bona fide, & ignaro sui status, vel sui debiti.

107. Sufficiatne attritio vt peccator iustificetur per alia sacramenta quàm bapt. & pœnit.

Quartò, Dubium est vtrum attritio sufficiat peccatori vt iustificetur per alia sacramenta, quàm per Baptismum & Pœnitentiam? Respondeo per se requiri confessionem sacramentalem ad Eucharistiam recipiendam, vt docet Trident. sess. 13. cap. 7. Ad alia verò requiri perfectam contritionem: quia sunt sacramenta viuorum, quæ per se supponunt vitam spiritalem in eo, à quo recipiuntur: suntque per se primò instituta ad eam fouendam & augendam, non autem ad primò dandam: Confirmatio ad robur, Eucharistia ad nutrimentum, & sic de aliis. Vnde qui est sibi conscius sui status, & sui debiti; debet conteri, vel confiteri & absolui sacramentaliter, antequam illa sacramenta recipiat: alioqui peccat mortaliter: quia res grauis est recipere sacramentum sine dispositione per se requisita ad effectum eius primarium. Probabile tamen est sufficere per accidens attritionem formalem aut virtualem accedentibus bona fide, quia vel suum statum, vel suum debitum ignorant inculpabiliter. Ratio est, quia probabiliter & piè creditur hæc sacramenta posse per accidens iustificare eos, qui bona fide confugiunt ad Dei misericordiam, & ad Christi merita, sacramentorum ope applicanda. Qua de re fusiùs alibi.

Quintò, Dubium est quæ dispositio requiratur in homine iusto vt gratiam recipiat ope sacramentorum? Respondet Aegid. Conink dub. cit. num. 44. vt iustus per quodvis sacramentum, (excepta pœnitentia) quod licitè suscipit, accipiat gratiam, non requiri in eo aliam dispositionem, quàm intentionem illud suscipiendi: quamuis deceat, ob reuerentiam sacramenti, & maiorem eius vtilitatem, ac maiorem certitudinem de eius effectu consequendo, vt ad actualem pietatem sese excitet. Ratio eius est, quia iustus est semper capax augmenti gratiæ: nec sacramentum requirit in suscipiente capace gratiæ, siue qui nullum habet obicem gratiæ, vllum actum vt effectum suum producat, nisi eum qui necessarius est vt humano modo suscipiatur: sicut patet in iis qui in phrenesi recipiunt sacramentum quod ante petierant. Sed existimo hoc non esse verum: quia Trident. sess. 14. cap. 4. in fine videtur mihi aliud indicare, cùm generatim ait *falsò hæretici calumniari Catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre* (siue iustis, siue non) *quod nunquam Ecclesia Dei docuit nec sensit*. Etenim loquitur ibi Concilium de contritione, vel attritione, vt est dispositio ad gratiam: quemadmodum constat ex verbis antecedentibus. Dixerat enim paulò antea, attritionem, etsi non per se sufficiat extra sacramentum ad iustificationem: disponere tamen ad gratiam in sacramento consequendam. Si autem pius ille motus requiritur, etiam vt dispositio ad gratiam à quocunque, siue iusto, siue iniusto, accipiendam ope sacramenti Pœnitentiæ, vt docet Concilium verbis relatis, quæ generalia sunt: censeo pariter requiri ad eundem effectum, pium aliquem motum in reliquis sacramentis: & Deum, sicut non dat primò gratiam adultis sine aliquo pio ipsorum motu: ita neque augere. Quod verum etiam est de phreneticis illis: debent enim antea, pium aliquem motum habuisse, quemadmodum & sacramentum expetiisse, id est, intendisse recipere.

108. Quæ dispositio requiratur in iustus recipiat gratiam per sacramenta?

SECTIO IX.

De numero, & ordine Sacramentorum.

CIrca primum: De fide est septem esse legis nouæ sacramenta. Sic enim definitur à Florent. in Decreto Eugenii, §. *Nouæ legis septem sunt sacramenta*, & à Trident. sess. 7. can. 1. de Sacram. in genere, cuius verba hæc sunt: *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quam* 109. Probatur septem esse L. N. sacramenta.

septem, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod eorum non esse verè, ac propriè Sacramentum, anathema sit. Totidem numerarunt quotquot Theologi extiterunt, excepto Durando, qui negat de Matrimonio. Quare mentiuntur Nouatores, qui numerum illum recens excogitatum, & à Concilio Trident. obtrusum Armenis fuisse dicunt. Neque illi hunc numerum sacramentorum, velut à se inuentum tradiderunt, sed tanquam in Scripturis contentum, & ex Ecclesiæ declaratione, maiorúmque traditione acceptum. Quocirca vel Ecclesia tam multis sæculis errauit circa numerum sacramentorum, id est, circa id, quod in Ecclesia præcipuum est, & quo præcipuè eum verbo Dei constare Ecclesiam hæretici ipsi fatentur: vel ille numerus sacramentorum est verus, & legitimus. Imò nullum est de quo possint Nouatores ostendere quando primum post Apostolos cœperit haberi sacramentum, & antea non fuerit habitum. Quod autem vniuersa tenet Ecclesia, nec à Conciliis statutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur, inquit D. August. lib. 4. de Bapt. cap. 24.

110. Quid SS. Patres de hoc numero senserint? Nec obest quod præcipuè opponunt hæretici, numerum illum septenarium nusquam exprimi in Scriptura, nullúmque ex antiquis Patribus septem enumerare. Respondeo enim primò, quod attinet ad SS. Patres, tametsi non vno, & eodem loco totidem sacramenta enumerent, diuersis tamen locis illorum omnium mentionem facere. Vt v. gr. D. August. qui lib. 5. de Bapt. cap. 20. ex occasione quatuor numerat, Baptismum, Extremam vnctionem, Eucharistiam, & Pœnitentiam. Et lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. addit Confirmationem: & lib. 2. contra epist Parmeniani cap. 13. Ordinem: ac denique Matrimonium lib. 1. de Nuptiis cap. 10. Iisdémque locis non modò hæc sacramenta vocat quomodocúnque, sed efficaciam gratiæ iuxta Christi institutionem, non obscurè illis tribuit, interdúmque æquiparat vel comparat cum Baptismo, & Eucharistia, de quibus hæretici non dubitant affirmare esse verè, ac propriè sacramenta. Ratio autem cur SS. Patres non omnia simul enumerent, sed de vno aut paucis loquantur variis locis, est, quia nonnisi ex occasione de his, aut illis disputant. Exempli gratiâ D. Ambrof. in lib. de Sacram. de tribus solum agit, Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia: quia, vt ipse proponit initio eiusdem operis, instituit solùm de illis tractare, quæ Catechumenis simul cum Baptismo dabantur. Similiter Dionys. in lib. de Ecclesiast. Hierarch. differit tantùm de illis, quæ Hierarchæ, id est, Episcopi solemniter administrare solebant: nimirum de Baptismo, Eucharistia, Consecratione olei, & Ordinatione Clericorum. Et Irenæus lib. 1. cap. 9. ex occasione errorum Marci cuiusdam circa Eucharistiam, de illa tractat. Tum de Baptismo cap. 18. eiusdem libri refutans deliria circa illum, hæreticorum illius temporis. Tum de Pœnitentia lib. 3. cap. 4. Et sic de aliis occasione aliorum errorum.

Respondeo secundò, si ad nomen, & verba attendamus, neque etiam in Scriptura exprimi numerum binarium, aut ternarium Sacramentorum: nusquam etiam SS. Patres affirmare duo tantum, vel tria esse sacramenta, vt volunt aduersarii. Sin autem ad rem ipsam, sicut oportet, animum aduertamus, dico nullum esse de septem sacramentis supra enumeratis, cuius non fiat sufficiens mentio in Scriptura, & Patribus, æque ac Baptismi, & aliorum, quæ ipsi admittunt. Cùm enim, iuxta illos, duo requirantur, & sufficiant ad rationem sacramenti, institutio ritus externi, & promissio gratiæ: sufficit hæc de aliis ostendere, æquè ac de Baptismo, & Eucharistia. Vt autem probetur inductione per singula: agnoscunt ipsi mentionem fieri sufficientem Baptismi Matth. vlt. *Baptizantes eos*, &c. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: & Eucharistiæ Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*, vel Matth. 26. *Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum*, &c. Quibus verbis dicunt exprimi sufficienter symbolum externum à Christo institutum cum promissione gratiæ illi annexa. Atqui similiter Act. 8. & 19. habetur per impositionem manus Apostolorum fuisse datum constanter Spiritum sanctum quibuscunque ipsi manus imponerent. Qui effectus non fuisset infallibilis, neque Apostoli ad eum finem constanter hunc ritum vsurpassent, sine Christi institutione, & promissione gratiæ Spiritus sancti. Estque notandum SS. Patres hunc Apostolicum ritum intelligere de sacramento Confirmationis, quod etiam cum Baptismo comparant in ratione propria sacramenti. Vt Cyprian. epist. 72. ad Stephanum Papam, vbi de Baptismo, & Confirmatione sic loquitur: *Tum demum plenè sanctificari, & esse Filii Dei possunt si sacramento vtroque nascantur.* Et August. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. *In hoc vnguento*, inquit, *Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari. Quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

111. Habetúrne ex Scriptura?

Probatur de Confirmatione.

112. Probatur de Pœnitentia. De Pœnitentia quoque habetur institutio, & promissio diuina adiuncta ritui externo submittendi se Apostolis, & eorum successoribus, tanquam iudicibus ad remittenda, vel retinenda peccata constitutis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Illumque ritum in ratione efficaciæ remissionis peccatorum, id est, in ratione sacramenti, comparant, & æquiparant baptismo SS. Patres, vt Ambrof. lib. 1. de Pœnitent. cap. 7. vbi de potestate concessa Sacerdotibus remittendi peccata, sic ait. *Quid interest vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum vendicent sacerdotes? Vnum in vtroque mi-*

nisterium est. Sed dices, quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia, nonne Deus nomen operatur? Et August. lib. 5. de Bapt. cap. 20. *Si ad hoc valet quod dictum est in Euangelio, vt per peccatorem sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur: nimirum per reconciliationem.*

113. Et de Extrema-vnctione. De Extrema-vnctione habetur institutio ritus externi, & promissio gratiæ Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes oleo in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit infirmum,* &c. *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Et hunc quoque ritum Baptismo, & aliis sacramentis propriè dictis annumerant SS. Patres: vt Innocen. 1. epist. 1. ad Decentium Eugubinum cap. 8. vbi de oleo infirmorum sic ait: *Pœnitentibus* (publicè, & solemniter) *istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi.*

114. Et de Ordine. De sacramento Ordinis institutio ritus externi per manus impositionem, & promissio gratiæ habetur 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Eundémque ritum cum Baptismo comparat D. August lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. vbi sic loquitur de Baptismo & de Ordine: *Vtrumque sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur: illud cùm baptizatur, istud cum ordinatur.* & paulò post. *Si enim vtrumque sacramentum est, quod nemo dubitat: cur illud non amittitur, & istud amittitur? Neutri sacramento iniuria facienda est.*

Et de Matrimonio. Denique de Matrimonio habetur Ephes. 4. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Neque tantùm valere ad coniugium spiritale Christi & Ecclesiæ repræsentandum ex institutione Dei, & Christi, verùm etiam ad coniuges sanctificandos, indicat idem Apostolus 1. Timoth. 2. vbi dicit coniugem Christianam saluatum iri si permanserit in dilectione & sanctificatione, acquisita scilicet per sacramentum Matrimonii. Clariùs verò id docent August lib. de bono Coniugali cap. 18. & 24. & lib. 1. de Nuptiis cap. 10. aliique Patres, quorum testimonia referemus & expendemus disputando de Matrimonio.

115. Cùm autem Christus plura vel pauciora instituere sacramenta potuerit: ratio cur septem illa instituerit, fuit eius voluntas, partim Scripturis sacris, partim & multò magis traditione declarata, cuius plura testimonia proferemus, quando agemus singulatim de illis quæ negantur à Nouatoribus: quorum inconstantiam in numerandis sacramentis modò duobus, modò tribus, aut pluribus, vide apud Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 23. Congruentia verò institutionis huius triplex à D. Thoma redditur. Prima sumitur ex comparatione spiritualis vitæ, & corporeæ, ad quam pertinet nasci per Baptismum, adolescere per Confirmationem, nutriri per Eucharistiam, sanari per Pœnitentiam, &c. Secunda sumitur ex ordinatione sacramentorum contra defectum peccati septemplicem. Tertia, est correspondentia septem sacramentorum cum septem virtutibus; tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus, quæ omnia in textu D. Thomæ sunt clara.

Circa eundem verò numerum Notandum est non esse definitum à Trident. nec à Theologis assertum, quòd sint tantùm septem sacramenta specie infimâ: sed tantùm septem totalia, licet ex his quædam sint quæ plures species subalternas, aut partiales contineant. Nam Ordo v. gr. continet saltem Episcopatum & sacerdotium, quibus alii Diaconatum, alii omnes alios inferiores ordines addunt. Eucharistia duas species partiales, videlicet cibum & potum sacramentalem sub speciebus panis & vini, quæ duæ species partiales constant vnam totalem, & vnum totale sacramentum, per modum perfecti conuiuii; sicut & omnes ordines vnum totalem componunt tendentem ad consummationem perfecti ministri mysteriorum Dei, qui per varios gradus ad Episcopatus culmen ascendit. 116. Quomodo sit intelligendus numerus ille septenarius

Quoad secundam difficultatem de ordine sacramentorum, ille triplex spectari potest. Vnus est ordo generationis, quando scilicet vnum naturali ordine aliquo modo præ-requiritur aut præsupponitur ad aliud. Secundus est, ordo perfectionis, quando vnum est nobilius alio. Tertius est, ordo necessitatis, quando vnum est magis necessarium quàm aliud. Hoc supposito, 117. Triplex ordo sacram.

Dico primò, inter sacramenta, prout vulgò numerantur, maximè reperiri ordinem generationis, & aliquem etiam perfectionis. Ita D. Thom quæst. 65. art. 2. Ratio ex eodem est, quia quinque sacramenta primo loco numerata ordinantur per se primò ad propriam & priuatam vniuscuiusque perfectionem. Baptismus, vt generatio: Confirmatio, vt corroboratio; Eucharistia, vt nutritio: Pœnitentia, vt curatio: Extrema-vnctio, vt perfectio curationis. Duo verò postrema ordinantur per se primò ad perfectionem communitatis: nimirum Ordo, ad spiritalem eius propagationem, rectamque gubernationem per ministros & Patres spiritales: Matrimonium verò, ad conseruationem & propagationem corporalem. Sicut autem vnitas, naturæ ordine seu generationis, prior est quàm multitudo: & priuati homines sunt priores communitate: quippe quæ componitur ex priuatis hominibus, sicut multitudo ex vnitatibus: Ita eodem genere ordinis sacramenta spectantia ad perfectionem priuatam, sunt priora spectantibus ad publicam. Ergo Baptismus, Confirmatio, Ordo, Pœnitentia, & Extrema-vnctio, spectantes ad priuatam cuiusque perfectionem, sunt priores Ordine & Matrimonio, spectantibus ad

Quo ordine numerẽtur 7. sacramenta.

Ordo generationis inter sacramenta.

communitatem. Rursus, vt in iis quæ spectant ad esse naturale, priora sunt ea quæ conueniunt illi per se, quàm ea quæ per accidens, & ex casu vel nocumento: scilicet generatio, augmẽtatio, & nutritio; quàm curatio necessaria ratione morbi per accidens superuenientis: Ita Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quæ sunt veluti generatio, augmentatio seu corroboratio, & nutritio spiritalis, priora sunt Pœnitentia, & Extrema-vnctione, quæ sunt curatio à peccatis & morbis spiritalibus, eorumque reliquiis. Rursus sicut prius est nasci, tum corroborari, ac postea vesci solido cibo: sic Baptismus, quo nascimur, prior est Confirmatione, quâ corroboramur. Et hæc præit Eucharistiæ, qua veluti solido cibo vescimur. Pœnitentia verò prior est extrema-vnctione: quia illa sanat à morbis, hæc à morbi reliquiis, & languore ex peccatis relicto. Ordine denique perfectionis sacramentum Ordinis est prius Matrimonio: eo quòd illud ordinetur ad propagationem spiritalem; istud ad carnalem. Vel vt habet D. Thom. eò quòd plus habeat spiritalitatis Ordo, quàm Matrimonium.

118. Ordo perfectionis quisnam sit inter eadẽ sacram. Dico 2. Ordine perfectionis Eucharistiam primum locum tenere inter omnia sacramenta. Ita D. Thom. art. 3. & cæteri communiter: Non solum quia consistit in esse permanenti, & non in fluxu vel vsu, vt reliqua: sed & maximè propter Christi ipsius authoris gratiæ mirabili modo præsentis illudque intrinsecè componentis maiestatem, & propter miracula multa, ac singularia beneficia, quæ in eius effectione, & participatione existunt: in qua scilicet vt Trident. ait sess. 13. cap. 2. diuini sui in nos amoris thesauros Christus effudit, & memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus dans talem escam timentibus se. Addit ibidem D. Thomas Eucharistiam esse veluti finem cæterorum sacramentorum. Ordo enim ad eius consecrationem refertur: Baptismus, ad eius susceptionem; atque etiam Confirmatio, quatenus magna fide opus est ad dignè recipiendum & profitendum Eucharistiæ mysterium: Pœnitentia verò, ad eandem refertur vt præparatio necessaria ex occasione peccati. Extrema-vnctio, vt vtilis ad digniùs communicandum sublatis peccati reliquiis, etiam venialibus. Matrimonium denique ratione significationis, quatenus significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam Eucharistia perficit: & quia etiam moderando concupiscentiam carnalem, aliquo modo disponit ad communionem. Vnde etiam adulti in susceptione aliorum sacramentorum solent adiungere Eucharistiam, vt in qua cætera consummentur. Addit deinde S. Thomas post Eucharistiam sequi Ordinem, tum Confirmationem, Baptismum, Extremam-vnctionem, Pœnitentiam, Matrimonium: sed huius Ordinis rationem non affert: & res per se valde incerta est.

Dico 3. Baptismum esse priorem, ordine necessitatis: tum Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium, Eucharistiam, Confirmationem, & Extremam-vnctionem. Probatur, quia Baptismus est necessarius: necessitate medii respectu omnium & singulorum. Deinde Pœnitentia, respectu plurimorum, eorum nempe omnium qui post Baptismum inciderunt in peccatum mortale. 3. Ordo est necessarius etiam necessitate medii, respectu communitatis; maximè ad ministrandum sacramentum Pœnitentiæ. Matrimonium est necessarium ex præcepto respectu communitatis, atque etiam medium est ad conuenientem propagationem corporalem Ecclesiæ. Eucharistia tantùm necessaria est necessitate præcepti propriè loquendo. Confirmatio verò & Extrema-vnctio minùs certam necessitatem habent; quippe quam plurimi negant, alii verò dubitant. Quæ omnia suis locis fusiùs explicabuntur, cùm de singulis sacramentis disputabitur. 119. Quis sit inter illa ordo necessitatis.

Præter hanc triplicem comparationem aliæ multæ excogitari possunt. Nam quædam de sacramentis sunt simpliciter initerabilia, vt Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Quædam secundum quid, vt Matrimonium inter eosdem coniuges, & Extrema-vnctio in eadem infirmitate & eodem mortis periculo. Alia simpliciter iterari possunt, vt Pœnitentia & Eucharistia. Præterea quædam consistunt in actibus ministri distincti à suscipiente, vt Baptismus & Confirmatio. Matrimonium verò in actibus ipsis suscipientium: Pœnitentia, partim in actu ministri, partim in actibus suscipientis. De quibus & similibus vide interpretes D. Thomæ ad q. 65. Et hactenus de Sacramentis in genere. 120.



TRACTATVS TERTIVS.

DE TRIBVS PRIORIBVS SACRAMENTIS, BAPTISMO, CONFIRMATIONE, ET EVCHARISTIA.



XPLICATIS iis, quæ septem legis nouæ sacramentis communia sunt, progredimur cum D. Thoma ad singulorum in particulari expositionem: & eorum imprimis, quæ per se pertinent ad propriam perfectionem vnuscuiusque fidelium. Inter quæ Baptismus naturæ ordine primus est, veluti spiritalis regeneratio in Christo, cæterorúmque basis, & fundamentum. Nam vt ait Florentinum in Decreto Eugenii, §. Horum quinque prima: *Per Baptismum spiritualiter generamur, & nascimur. Per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide. Renati autem, & corroborati nutrimur diuinæ Eucharistiæ alimonia, quæ cibus perfectorum est, & panis fortium.*

Totam autem horum trium sacramentorum explicationem complexus est D. Thomas viginti octo quæstionibus. In quarum septem prioribus disputat 1. Vtrum Baptismus sit vere, ac propriè sacramentum, & quo tempore fuerit à Christo institutum.

2. Quæ sit eius materia & forma? 3. An poßit iterari, vel per Baptismum flaminis, aut sanguinis suppleri? 4. Quis sit minister eius legitimus? 5. Quibusnam, & quomodo valide, aut licitè administrari poßit? 6. Sitne omnibus ad salutem necessarius, & qua neceßitate? 7. Quinam sint illius effectus? 8. An & quomodo operetur remoto obice? 9. An, & quomodo Circumcisio fuerit præparatoria, & figuratiua Baptismi: quaue illius fuerit institutio, ritus, & efficacia? 10: De quibusdam præparatoriis simul cum baptismo concurrentibus: Catechismo scilicet, & exorcismo per sacerdotem baptizantem facto, tum vt cacodæmonis potestatem repellat: tum etiam vt ad percipienda salutis mysteria sensum baptizati aperiat. Deinde sequenti quæstione, quæ est 72. disputat de sacramento Confirmationis: de quo eadem fere, quæ de Baptismo exponit. Tum q. 73. tractat de Sacramento Eucharistiæ secundum se, eiusque naturam, & proprietates aliquas priùs considerat. Posteà verò quatuor sequentibus quæstionibus agit de materia remota illius, & proxima. 3. de forma. 4. de effectibus. 5. de vsu, & sumptione. 6. de ministro. 7. de ritu, quo debet celebrari, siue de sacrosancto Missæ sacrificio. Quæ omnia sequentibus disputationibus eodem ordine, quoad opus erit, elucidabuntur. De iisdem disputant Magister & Scholastici in 4. dist. 3. & vndecim sequentibus. Ex Patribus verò præcipuè sanctus Ambrosius sex libris quos de sacramentis inscripsit. Vbi, vt initio libri 1. faciendum sibi proponit, non loquitur nisi de tribus illis, quæ à Catechumenis sufficienter dispositis simul olim recipiebantur. Et de Baptismo in particulari, D. August. septem libris contra Donatistas, & lib. de Vnico baptismo contra Petilianum, Basil. libris duobus de Baptismate, Nazianzen. orat. in sanctum Baptisma, Gregor. Nyssen. duabus orationibus, vnâ de sancto Baptismate, alterâ contra eos qui diu illud differunt, Tertullian. in lib. de Baptismo. Cyprian. epist. 73. ad Iubaianum de Baptizandis hæreticis, & auctor libri de Cardinalibus Christi operibus, apud eundem Cyprianum, in serm. de baptismo Christi.

DISPVTATIO

DISPVTATIO VIGESIMA-TERTIA,

De Institutione & essentia Baptismi.



DE Baptismi institutione & natura tractat S. Thomas quæst. *66.* & art. 1. docet in Baptismo sacramentum tantùm, esse ablutionem corporis sub forma præscripta verborum, significantem interiorem ablutionem animæ. Rem tantùm, esse iustificationem interiorem. Rem & sacramentum, esse characterem baptismalem. 2. Sacramentum istud fuisse institutum in baptismo Christi: tunc enim accepit virtutem sanctificandi: sed eius necessitatem fuisse indictam post passionem & resurrectionem Christi: quia tunc cessarunt figuralia sacramenta legis Mosaicæ: & oportuit Christum priùs pati, & resurgere, quàm hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti & resurrectioni eius per baptismum. 3. Materiam huius sacramenti esse aquam veram & naturalem: formam in his verbis consistere, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, quibus baptismi causa tam principalis, quàm instrumentalis exprimitur. Neque valere baptismum sine expressione Trinitatis personarum diuinarum, nisi ex speciali reuelatione & dispensatione aliter fiat, vt olim Apostoli baptizarunt in nomine Christi. 4. Immersionem non esse necessariam, sed aspersionem, vel effusionem sufficere. Ad baptismum enim per se requiritur ablutio: modus autem ablutionis per accidens se habet. Vnde etiam non requiritur trina mersio, sed vnica suffic..: licet Ecclesia variis de causis modò trinam, modò vnam adhibuerit. 5. Baptismum non posse iterari: tum quia est quædam spiritualis regeneratio: vnius autem non est nisi vna regeneratio, sicut & vna carnalis generatio. Tum etiam quia in morte Christi baptizamur: Christus autem semel tantùm mortuus est. Tum denique quia baptismus imprimit characterem, & cum quadam consecratione datur: præcipuéque ordinatur contra peccatum originale: quod sicut non iteratur, ita neque baptismus. *6.* Quæcumque præter essentialia baptismi adhibentur in Ecclesia, in eius solemnitate, conuenienter instituta esse, ad populi deuotionem excitandam, & reuerentiam erga sacramentum; ad fidelium instructionem, & ad vim dæmonis cohibendam ne impediat sacra-

mentalem effectum. 7. Præter ſacramentum Baptiſmi, quod dicitur baptiſmus fluminis, alia eſſe duo baptiſmata, flaminis, & ſanguinis. Quando ſcilicet aliquis per virtutem Spiritus ſancti mouetur ad credendum, & diligendum Deum, ac pœnitendum de peccatis per contritionem. Vnde etiam dicitur baptiſmus pœnitentiæ: vel quando aliquis mortem patitur pro Chriſto, eiuſque paſſioni non figurâ tantùm, ſed & reipſa conformatur. 8. Denique, inter hæc tria baptiſmata potiſſimum eſſe baptiſmum ſanguinis quoad effectum. Nam paſſio Chriſti operatur quidem in baptiſmo aquæ per quandam figuralem repræſentationem: in baptiſmo autem fluminis, per quandam affectionem, ſed in baptiſmo ſanguinis per imitationem operis. Similitérque virtus Spiritus ſancti operatur in baptiſmo aquæ per quandam virtutem latentem: in baptiſmo autem pœnitentiæ, per cordis commotionem: ſed in baptiſmo ſanguinis, per potiſſimum dilectionis feruorem, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Hæc D. Thomas, quæ ſequentibus ſectionibus fuſiùs exponentur.

SECTIO I.

Quid ſit Baptiſmus, & quando inſtitutus?

1. Definitio baptiſmi.



BAPTISMVM eſſe ſacramentum ne hæretici quidem ambigunt. Definiri autem ſic poteſt. Eſt ſacramentum ad ſpiritualem regenerationem inſtitutum, conſiſtens in ablutione per aquam naturalem, & prolationem horum verborum aut æquiualentium, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, facta à miniſtro cum intentione legitima circa perſonam idoneam. Quæ definitio fundatur in his Scripturæ verbis, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, Ioan. 3. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, Matth. vlt. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, Epheſior. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, Tit. 3. Clariùs verò traditur à Florent. in decreto, §. *Materia huius ſacramenti eſt aqua naturalis*, &c.

2. Definitio illa eſt quid nominis, nō quid rei.

Notandum autem, hanc definitionem non eſſe, *quid rei*, ſed *quid nominis*, vt loquuntur Philoſophi. Idémque intellige de definitione ſacramenti in genere, & ſimilibus. Non quòd nomina ſolùm definiantur, & non res ipſæ vel conceptus obiectiui nominibus ſignificati, vt malè aſſerunt Nominales. Nam ſi nomen Baptiſmi verbi gratiâ definiretur, dicendum eſſet quòd ſit nomen triſyllabum, conſtans tot & talibus literis & ſyllabis, talis generis, & declinationis, ſignificans ex inſtituto ablutionem corporis, &c. Quæ definitio quàm ſit digna Theologo vel Philoſopho nemo non videt. Eſt autem longè diuerſa à Baptiſmi definitione Theologica ſupra tradita: quæ tamen vocatur definitio quid nominis, & non quid rei; quia per illam non definitur, ſeu explicatur, natura alicuius rei ſimpliciter & abſolutè ſpectatæ: ſed explicatur ſignificatum illius nominis, *Baptiſmus*, ſeu conceptus obiectiuus illi reſpondens. Qui conceptus obiectiuus non eſt res ſola quæ Baptiſmus denominatur: ſed multa alia inuoluit, extrinſeca vel accidentaria rei quæ denominatur nomine Baptiſmi, licet ſint intrinſeca & eſſentialia toti ipſius ſignificato, quippe quod omnia hæc includit, nec ſine illis poteſt eſſe aut concipi. Sunt, inquam, extrinſeca vel accidentaria rei quæ Baptiſmus dicitur, quippe cui accidentarium & extrinſecum eſt, fuiſſe à Chriſto inſtitutam in ſignum efficax gratiæ regenerantis, ſine quo tamen non ſignificatur neque concipitur vt Baptiſmus, id eſt, conceptu formali reſpondente voci, *Baptiſmus*. Et hoc idem ſignificatum dicitur eſſe eſſentialiter ſignum & cauſa gratiæ, eſſéque relatiuum relatione ſecundum dici, extrinſecâ rei quæ dicitur Baptiſmus, quatenus res vt nomini illi reſpondens, non poteſt concipi ſine conceptu relatiuo ſeu comparatiuo, & niſi concipiatur rem illam, quæ dicitur Baptiſmus, fuiſſe aſſumptam in ſignum & cauſam moralem gratiæ. Quamuis neque relatio illa, neque aſſumptio ſit eſſentialis vel intrinſeca rei, ſeu conceptui obiectiuo rei, præciſè ſumptæ.

Magni autem momenti non ſunt quæ opponunt Nominales ad probandum nomina definiri, & non res aut conceptus obiectiuos nominibus ſignificatos. Præcipuum illorum argumentum eſt: Quòd definitio debeat eſſe clarior definito. Non erit autem clarior definito, niſi nomina definiantur, quia res non poteſt eſſe clarior ſe ipſa: ergo, &c. Reſpondeo enim quòd ſicut faten- Definiuntur res ipſæ, non verum nomina.

tibus Nominalibus vox, *homo*, significat confusius, id quod clariùs significatur hoc termino complexo, *animal rationale*: Ita conceptus obiectiuus respondens voci, *homo*, est minùs clarus, quàm conceptus obiectiuus respondens huic termino complexo, *animal rationale*. Conceptus autem obiectiuus vocis, *homo*, est definitum: & conceptus obiectiuus respondens termino complexo, *animal rationale*, est definitio: ergo definitio est clarior definito: & eadem res est clarior seipsa obiectiuè, prout est diuersus conceptus obiectiuus magis vel minus expressus, respondensque conceptui formali magis aut minus claro. Etenim res non dicitur definitum aut definitio primò intentionaliter, id est, secundum quod est à parte rei simpliciter & ex se: sed secundò intentionaliter, id est, quatenus subest aut respondet conceptibus nostris formalibus & ab illis denominatur. Cætera quæ obiiciunt æquè leuia sunt.

4. *Refellitur obiectio.* Cùm enim quærunt v. g. quid definiatur hac definitione definitionis, vocalis scilicet, aut mentalis, *Definitio est oratio explicans rei naturam*? Respondeo definiri significatum huius vocis, *definitio vocalis*, aut, *definitio mentalis*, id est, omnes definitiones vocales aut mentales confusè conceptas per modũ vnius, prout conueniunt in eo, quòd quælibet est oratio explicans rei naturam. Quod significatum est definitum prout respondet voci, *definitio*: est verò definitio, prout est conceptus obiectiuus respondens huic termino complexo, *Oratio explicans rei naturam*. Malè verò instant quia, vel illa definitio quæ definitur, clariùs explicatur per illam definitionem, vel non. Si non: ergo illa non est eius definitio: Nam omnis definitio debet esse clarior definito. Sed definitio in cõmuni est definitum. Ergo illa definitio debet esse clarior definitione in cõmuni. Et ita erunt duæ definitiones in cõmuni obiectiuę, communes omnibus definitionibus. Et quæro quomodo vna sit alia clarior? & quibus terminis constet vna, quibus non constat alia? quid item addant definitiones particulares illi cõmuni per modum differentiæ? V. gr. ista, animal rationale?

5. *Alia instantia repellitur.* Ad quam instantiam repellendam dicendum est, significatum respondens huic nomini, *definitio*, clariùs explicari per significatum huius termini complexi, *Oratio explicans rei naturam*. Neque propterea sunt duæ definitiones in communi obiectiuæ, communes omnibus definitionibus: sed tantùm sunt duo conceptus obiectiui definitionis in communi: Vnus confusus, respondens huic termino, *Definitio*: Alter distinctior & clarior, respondens huic termino complexo, *Oratio explicans rei naturam*. Qui conceptus obiectiui non sunt duæ definitiones: sicut duo conceptus obiectiui hominis & animalis rationalis, non sunt duo homines, sed idem homo diuersimodè conceptus.

Definitiones verò particulares, vt ista, *animal rationale*, & similes addunt hoc definitioni in communi, per modum differentiæ sub illo communi conceptu; quòd sint talis vel talis oratio explicans talis rei naturam; & constans talibus terminis vocalibus, aut mentalibus conceptibus. Differũt enim seipsis expressè & distinctè cõceptis vt tales sunt: & conueniunt etiã seipsis confusè conceptis, in eo quòd quælibet est oratio explicans alicuius rei naturã. Per hęc argumentũ quod, nouis Nominalibus videtur insolubile, penitùs euanescit, vt pote suà solùm leuitate subtile.

6. *Quodnam sit tempus institutionis cuiusque sacramenti?* Circa secundum in titulo propositum, de Baptismi institutione: Dico tempus institutionis cuiusque sacramenti esse illud, in quo Christus statuit, id est, voluit efficaciter, & significauit, talem ceremoniam fore deinceps signum & causam gratiæ infallibiliter ex opere operato, deque ea re legem sanxit, & eius efficiendæ potestatem dedit. Quo autem tempore præcisè id statuerit de Baptismo non liquet. Quia Scriptura id non indicat, neque aliunde satis colligitur. *Quo tempore institutus baptismus?* Existimo probabilius instituisse paulò postquam à Ioanne baptizatus est. Cœpit enim tunc vel per se, vel per discipulos suos baptizare, suo baptismo scilicet, vt dicitur Ioan. 3. & 4. Et quidem illum non instituit antequam à Ioanne baptizaretur, quia non ante cœpit Euangelium prædicare, & nouam legem condere. Neque etiam tunc cùm à Ioanne Baptismum suscepit. Nam tunc quidem aquas contactu sui corporis sanctificauit: & Baptismus Euangelicus, eiusque effectus, per ea quæ tunc contigerunt, præsignificatus est: nihil tamen Christus dixisse tunc aut fecisse legitur, ex quo Baptismi Euangelici institutio satis colligatur. Sed potiùs distulit eius institutionem, vt & Euangelii prædicationem, vsque ad tempus secutum ieiunium quadragesimale: nec eò vsque legitur vllos discipulos habuisse; aut Euangelica præcepta tradidisse.

Non fuit institutus post resurrectionem Christi. Minùs verò probabile est quod alii dicunt, instituisse post resurrectionẽ Matt. vlt. Nam tunc quidem præceptum dedit Apostolis, & discipulis, docendi & baptizandi omnes gentes, cùm antea tantùm circa Iudæos eorum opera versata esset: quia tamẽ leguntur priùs baptizasse Ioan. 3. & 4. nimirum baptismo illo Christi efficaciori, quem Ioannes prædixerat, propter quem etiam omnes ad Christum concurrerunt, deque ea re Ioannis discipuli murmurauerunt: priùs etiam Apostoli participarunt Eucharistię Matth. 26. & facti sunt ibidem Sacerdotes Euangelici: existimandum est Baptismum Christi fuisse ante passionem institutum, sine quo præhabito, neque Eucharistia, neque Ordo, neque vllum aliud sacramentum recipi potest: quippe qui prior est ordine generationis, & cæterorum sacramentorum veluti basis & fundamentũ. Neq; gratis & diuinãdo dici debet Christum in lege communi dispensasse; cùm non minùs potuerit ante passionem Baptismũ instituere, quã post: & conueniens fuerit ab eo incipere, velut à legis Euangelicæ fundamento. Illudque ipsum Christus insinuauit Ioan. 13. Cum loturus Apostolorum pedes dixit Petro: Qui

beat esse liquida vt sit proximè apta ad baptizandum, patet quia baptizare græcè, idem est quod latinè abluere. Ablutio autem fit vel per effusionem & applicationem successiuam aquæ liquidæ ad corpus baptizati, vel per immersionem corporis in aquam liquidam & fluidam. Quare nix, grando, glacies, gelu, licet non differant physicè & substantialiter ab aqua; non sunt tamen materia proximè apta, donec liquescant.

11. Materia proxima Bapt. est ablutio.

Secunda conclusio: Materia proxima Baptismi est ablutio, id est, aqua in vsu abluendi posita. Patet ex verbis formæ, *Ego te baptizo*. Neque enim aqua simpliciter sumpta significatur illis verbis, neque cum illis componit sacramentum proximè & immediatè: sed aqua posita in abluendi vsu, qui licet re non differat ab aqua, est tamen modus aliqualiter se habendi, sine quo aqua non componit Baptismum. Ideóque aqua simpliciter dicitur esse materia remota, & ablutio proxima; quamuis non sit res distincta & intermedia inter aquam & verba. Ablutio autem, id est, totum significatum huius vocis, *Ablutio*, consistit essentialiter & formaliter in contactu aquæ liquidæ, & applicatione ad corpus baptizati: comprehenditque simul actionem baptizantis, & receptionem passiuam baptizati; siue fiat per aspersionem aut effusionem aquæ ad corpus; siue per immersionem corporis in aquam. Non autem in remotione sordium, vt vulgus putat. Hæc enim est potius effectus ablutionis ac sine illa potest esse essentialiter ablutio: vt si quis planè mundus lauetur: aut si quis aqua lutosa & sordida perfundatur.

12. Ablutio debet necessariò fieri à ministro baptismi.

Porro ablutio debet necessariò fieri à Ministro baptismi. Id enim forma essentialis significat, *Ego te baptizo*: vel vt Græci dicunt, *Baptizatur meis manibus*, vel, *Baptizetur seruus Christi*, practicè scilicet & à me hic & nunc, in imperatiuo, pro *Esto*, aut *sit baptizatus*. Qua de causa dixi supra ablutionem sacramentalem baptismi comprehendere simul actionem baptizantis, id est, applicationem aquæ, vt vi illius factam, & contactum aquæ liquidæ ad corpus baptizati. Sufficit autem vna aspersio, vel immersio, vt patet ex vsu Ecclesiæ: licet olim trina mersio diu fuerit in præcepto. Nec obest canon 49. Apostolorũ, in quo præscribitur trina mersio. Præscribitur enim non vt à Christo præcepta, aut velut essentialiter requisita: sed vt conueniens trinitati personarum. At vnica non minùs conuenit vnitati essentiæ, secundum quam tres personæ operantur in baptismo. Meritóque propter hæresin Arianorum trina in vnam mutata fuit. Non item obest quod ait Pelagius Papa can. *Multi sunt*, de Consecrat. dist. 4. Euangelicum præceptum admonere nos, in nomine Trinitatis, in trina mersione sanctum baptisma vnicuique tribuere. Etenim Pelagius ait, *admonere*; non autem cogere, vel præcipere, aut essentialiter id requirere: neque in præcepto dato Apostolis Math. vlt. *Baptizantes eos*, &c. ad quod alludit Pelagius, mentio vlla fit de trina mersione. Denique vnicam mersionem sufficere docent Concil. Toletanum IV. cap. 5. & S. Gregor. Papa lib. 1. Registri epist. 41. Sufficere quoque aspersionem docet S. Cyprianus lib. 4. epist. 7. §. *Quæsisti*. Et credibile est Apostolos sic baptizasse, quando vnus multa millia vno die baptizabat: quod per immersionem fieri vix potuit. Qua de re plura videri possunt apud Arcud. lib. 1. cap. 9. & 10. & Perron, cap. vlt. Replicæ, qui aliis quibusdam obiectionibus abunde satisfaciunt.

Sufficit vna ablutio, id est vna aspersio, vel immersio.

Toletan. Gregor. Cyprian.

Præterea, quando ablutio fit per immersionem, emersio non est necessaria ad valorem baptismi. Verè enim dicuntur ablui, qui in aquam proiiciuntur, licet non educantur, hoc ipso quòd perfunduntur aqua liquida, in qua circumfusione consistit essentialiter ablutio: in circumfusione, inquam, non mera mixtione, vt cùm vinum & aqua permiscentur. Quare verè baptizaret qui infantem in flumen aut in puteum proiiceret, quamuis ibi extinguendum. Neque enim obest quod talis actio sit illicita. Alioquin ille qui aquâ nimis calidâ infantē baptizaret illicitè, non verè baptizaret: cùm tamen Florent. suprà dicat nihil referre ad baptismum, sitne aqua calida, an frigida. Nec valet quod obiiciunt aliqui, id non esse lauare secundum modum loquendi hominum, sed suffocare: vt mergere ferrum candens in aquam, non est lauare ferrum, sed ignem extinguere: ac non esse credibile Christum sua institutione comprehendisse modos illos applicandi aquam tam extrauagantes. Respondeo enim, in exemplis allatis vtrumque verè fieri: nempe lotionem spectatam essentialiter, & suffocationē aut extinctionem: quamuis in modo loquendi soleat magis haberi ratio præcipuæ intentionis. Christi verò institutio generaliter accipienda est, vt verba sonant. Ne alioqui per restrictiones voluntarias reddatur incerta. Maximè verò cùm certum sit, malitiam ministri non obesse valori & effectui sacramenti, vt alibi ostendimus. 13. Non est necessaria emersio ex aqua.

Dices, Immersionem, cui non succedit emersio, non esse signum sepulturæ & resurrectionis Christi: neque esse renascentiam ex aqua: & non esse ad viuificandum, sed ad suffocandũ & mortificandum. At baptismus est signum sepulturæ & resurrectionis Christi, Rom. 6. & renascentia ex aqua, Ioan. 3. & ad viuificandum, Rom. 6. Respondeo, Baptismum esse figuram resurrectionis Christi, & renascentiam, ac viuificationem, quatenus per illum morimur peccatis, & ad gratiam resurgimus, renascimurque & viuificamur spiritualiter: quæ omnia fiunt in casu posito. Cætera verò non pertinent necessariò ad baptismum: tametsi valeant ad meliùs exprimendam sensibiliter sepulturam & resurrectionem Christi, & alia supra dicta. 14. Soluitur obiectio.

Non est quoque necessarium totum corpus baptizati ablui: sed satis est si abluatur pars aliqua, sufficiens vt totus homo mora-

Zz 3

abluì totum corpus. liter denominari possit baptizatus: & si tantum aquæ applicetur, quantum ad hoc sufficit. Actus enim sacramentales debent moraliter intelligi secundum communem sensum hominum. Communi autem sensu hominum censetur ablutus ille qui secundum aliquam partem sui notabilem lotus est. Certum verò est sufficere ablui caput, vt patet ex vsu Ecclesiæ. Est enim caput præcipua pars hominis, à quo totus homo maximè potest denominari: in eoque sunt omnes sensus, & vitæ principatus. Imò non est necesse ablui totum caput, sed partem eius notabilem. Neque capilli, qui sunt pars aliquo modo capitis, videntur magis obesse valori Baptismi, quàm scabies & sordes capitis, si impediant ne aqua ad cutem vsque perueniat. De aliis quibusdam partibus corporis præcipuis solitariè sumptis, vt de pectore, & scapulis, res satis certa videtur. De aliis iure dubitant Theologi an sufficiant. Ideóque lotus solùm in pede extracto ex vtero, vel in manu, aut brachio, rebaptizandus est sub conditione. Quia tamen non est omnino certum quamlibet partem corporis non sufficere, debet in periculo mortis baptizari quæcumque pars infantis emergens ex vtero, licet arida sit, aut paralytica, videatúrque animâ destituta: modò non constet certò infantem esse mortuum: quia satius est exponere sacramentum periculo nullitatis cum minima probabilitate, quàm animam æternæ damnationi expositam relinquere, destitutam probabili remedio.

16. Non sufficit minor pars corporis in casu necessitatis. Falluntur tamen qui putant minorem partem sufficere in casu necessitatis, quàm extra: sicut confessio peccatorum mortalium minor sufficit in casu necessitatis. Etenim ablutio simpliciter est de essentia Baptismi. Confessio autem peccatorum mortalium integra materialiter, id est, omnino & simpliciter, non est de essentia sacramenti Pœnitentiæ: sed integra formaliter, id est, quantùm moraliter fieri potest. An autem infirmus, qui sine vitæ discrimine baptizari nequit, debeat baptizari; & an sacerdos ita baptizans, sit irregularis; controuersum est. Communior sententia negat debere, & posse sine irregularitate. Alii tamen affirmant: in quorum sententiam propendet Aegid. Coninc in dub. 1. ad art. 7. quæst. 66.

SECTIO III.

De forma Baptismi.

17. Forma Baptismi quænam sit? Conclusio: Forma Baptismi consistit in prolatione horum verborum, aut æquivalentium: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Patet ex Florent. in decreto 5. *Materia huius sacramenti*, vbi sic habet; *Forma est, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Non tamen negamus quin & per illa verba, Baptizetur N. seruus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: vel, Baptizatur manibus meis N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, verum baptisma perficiatur. Quoniam cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas: instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius sacramentum: si exprimitur actus qui per ipsum ministrum exercetur, cùm sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur sacramentum.* Hæc Concilium. Ex quibus liquet sufficere verba æquiualentia, quamuis non planè synonyma verbis formæ Latinæ Ecclesiæ. Similiter autem sufficerent ista, *Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & spirati*, quia sunt planè synonyma in diuinis: vel, in nomine generantis, geniti, spirantis & spirati: vel, Ego te baptizo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Dubiæ tamen essent hæ formæ, si omitteretur in prioribus particula, *In nomine*: aut loco eius diceretur, vt dicunt Zuingliani & Ariani, *In nominibus*: vel si in postrema omitteretur particula, *Deum.* Quia non est certum quòd non sit necessaria expressio vnitatis essentiæ diuinæ (quæ vnitas significatur hac particula, *In nomine*) æquè ac expressio Trinitatis personarum. Quamuis ex verbis Florentini proximè relatis non satis intelligatur id esse necessarium. Semper etiam persona baptizati aliquo modo exprimenda est, sicut & tres personæ diuinæ: idque communiter creditur esse de essentia formæ, vt forma ad illum expressè dirigatur. Secus tamen expressio personæ ministri, quæ non exprimitur in forma Græcorum, Baptizetur N. seruus Christi, &c. sed ad summum subintelligitur tacitè. Quin etiam Græci dicuntur subintelligere à Christo: ad tollendum schisma ortum tempore Pauli, *Ego sum Pauli, ego verò Apollo*, &c. 1. Corinth. 3. sed sensus est: Baptizetur à Christo per me velut eius ministrum.

Plura circa huiusmodi formarum varietatem prosequitur Gabriel in 4. dist. 3. quæst. vnica artic. 2. & 3. vbi tamen pleraque habet falsa & improbanda. Vt quando perperam reprehendit cum Scoto formam illam Græcorum, *Baptizetur seruus Christi*: Quia, inquit, non est seruus Christi, cùm iam baptizatur, sed baptizatur vt fit seruus Christi. Quasi verò nomen *Seruus*, non possit sumi ampliatiuè. Et propter hoc argumentum grammaticale fuerit improbandum id, quod Florent. quódque tota Ecclesia Græca & Latina approbat. Item, quod ait conclusione 3. Sacramentum irritari per quamcumque mutationem formæ, factam à ministro, vt præcisè necessariam, id est, existimante illam esse necessariam. Item conclusione. 4. Non sufficere alia verba, nisi sint planè synonyma: Imo non sufficere, *lauo te*, vel, *abluo*, loco, *baptizo*: aut si omittatur particula *in*, vel, *&*, vt addit art. 3. Quæ omnia ex dictis alibi constat esse falsa, & nimis scrupulosa. Idem quoque ibidem ait, Apostolos baptizasse in nomine Christi tantùm, sed ex dis- 18. Gabriel. Apostoli non baptizarunt in nomine Christi tantùm.

S. Thom. pensatione. Quod etiam affirmat S. Thom. quæst. 66. art. 6. ad 1. vt scilicet nomen Christi illustrius redderetur: idque colligit ex Actor. 19. Vbi dicuntur aliqui fuisse baptizati in nomine Domini Iesu. Magister quoque, Adrianus, Catharinus, & alii pauci censent sufficere implicitam Trinitatis inuocationem. Quod confirmant ex responso Nicolai Papæ in cap. *A quodam Iudæo*, de

Ambrof. consecrat. dist. 4. & ex Ambrosio lib. 1. de

Beda. Spiritu sancto cap. 3. Beda in cap. Actor.

Bernard. cit. & Bernardo Epist. 340. vbi Baptismum approbat sub hac forma datum, *Ego te baptizo in nomine Dei, & sanctæ & veræ crucis*: aitque Apostolos baptizasse non modò in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, verùm & in nomine Domini Iesu Christi.

Sed ad hæc dico, malè colligi ex Act. 19. Apostolos baptizasse in nomine Christi tantùm. Nam particula exclusiua, *tantùm*, non est in Scriptura, neque ex ea bene infertur: quia qui vnum dicit, non excludit aliud eo ipso, si illud aliud non est incompossibile. Imò ex eodem loco Actor. satis apertè colligitur, Apostolos non baptizasse sine expressa Trinitatis inuocatione. Nam Paulus ibi intellexit non fuisse Baptismo Christi baptizatos eos, qui non audiuerant an sit Spiritus

Vide disp. 19. sect. 5. num. 40. sanctus: apertè supponens eius fieri mentionem in Baptismo, vt alibi expendimus. Existimo autem Apostolos ad reddendum Christi nomen illustriùs sic baptizasse, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti*: & illos de quibus sermo est Actor. 19. fuisse sic baptizatos, ideóque dici baptizatos in nomine Domini Iesu.

19. Magister verò, & Adrianus, aliique Scholastici eum secuti, repugnant apertè definitioni Pelagii Papæ, cap. *Si reuera*, & cap. *Multi sunt*, de Consecr. dist. 4. vbi dicitur expressè nullum esse Baptismum datum tantùm in nomine Christi, vel, in nomine Domini. Et Cap. *In synodo Anglorum*, eadem dist. vbi Zacharias Papa sic pronunciat: *Si lotus in fonte baptismatis fuerit sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, fuerit baptizatus.* Additque si vel vna de Trinitate persona in Baptismo non nominetur, illud baptisma verum esse non posse. Et hæ Summorum Pontificum definitiones, priuatis Ambrosii, Bernardi, & aliorum opinionibus præponi debent. De Nicolao verò responderi solet, ipsum definitiuè tantùm respondisse vt Pontificem ad id, de quo à Bulgaris fuerat interrogatus: An scilicet Baptismus à Iudæo collatus esset validus? Cætera vt priuatum Doctorem addidisse ex sua & Ambrosii opinione. Cur autem voluerit Christus expressionem Trinitatis essentialem esse Baptismo, licet non sit aliis omnibus sacramentis, vide apud interpretes D. Thomæ q. 66. art. 5. qui plures afferunt rationes congruas. Præcipuæ sunt, quòd conueniens fuerit in sacramento regenerationis exprimi eius principium: & in sacramento fidei, exprimi præcipuum eius obiectum: & cognosci expressè eum, cui datur fides in Baptismo, & eum, cum quo contrahitur tanta obligatio: ac denique proponi finem vltimum, & obiectum præcipuum nostræ beatitudinis, in sacramento quod per se est initium nostræ iustificationis, & tendentiæ ad beatitudinem supernaturalem.

Margin: Sufficiatne baptizare in nomine Christi, vel in nomine Trinitatis.

Superest notare nomine materiæ & formæ Baptismi adæquatè, non significari ablutionem, aut prolationem verborum absolutè & quomodocumque, sed cum certis circumstantiis, id est, factam à ministro legitimo cum debita intentione, & in subiecto idoneo, id est, capaci, & consentiente si sit adultum. Quorum si aliquid desit, non est totum id quod significatur nomine materiæ & formæ Baptismi, quodque respondet adæquatè formali eius conceptui. Neque etiam erit totum significatum Baptismi, si ablutio & prolatio verborum fiat sine talibus circumstantiis. Verbi gratiâ, si desit intentio ministri, vel subiectum non sit idoneum, putà quia non est persona humana, & viator: vel fuit iam validè baptizata: aut caret intentione propria, cùm tamen sit adulta. Idémque dico de aliis omnibus sacramentis, quorum nomina, quibus vel ipsa tota significantur, vel eorum partes, materia scilicet & forma, exprimuntur, non significant res & verba quibus constant, absolutè, aut secundum esse physicum tantùm: sed prout fiunt certo quodam modo, & habent aliqua adiuncta extrinseca, quæ includuntur in toto significato: & quorum si aliquid desit, non manet idem significatum, licet res & verba integra maneant, neque defectus sit ex parte ipsorum. 20.

Margin: Baptismus quid adæquatè significet.

SECTIO IV.

An Baptismus possit iterari, vel per Baptismum flaminis aut sanguinis suppleri?

Svppono ex D. Thoma quæst. 66. a. 11. triplicem distingui Baptismum, fluminis, flaminis, & sanguinis. Primus est ablutio per aquam, cum aliis quæ supra exposuimus, intelligitúrque nomine Baptismi simpliciter, & solus est sacramentum nouæ legis. De illo enim solo loquuntur Florent. & Trident. explicando naturam Baptismi sacramentalis. Secundus est, actus de se sufficiens ad iustificationem ex opere operantis: Cuiusmodi est contritio supernaturalis, vel dilectio Dei super omnia. Tertius est, martyrium, siue per sanguinis effusionem, siue aliter illatum. 21.

Margin: Baptismus triplex.

Dico primò, de fide esse Baptismum fluminis non posse iterari, id est, eidem subiecto semel verè baptizato iterum validè conferri. Patet ex Lateran. cap. *Firmiter*, Florent. in decreto Eugenii, & Trident. sess. 7. can. 9. *de Sacram. in genere*. & can. 11. *de Baptismo*. 22.

Margin: Baptismus non potest iterari.

Herode occisis, quos omnes indiscriminatim vt eximiè sanctos colit Ecclesia: qui tamen actu proprio caruerunt: & Christum non loquendo sed moriendo confessi sunt.

Quæ requirantur in adultis ad martyrium?

Tertia pars, quòd Deus plus requirat ab adultis, probatur, quia sicut quoad Baptismum fluminis non est eadem ratio de paruulis, ac de adultis, à quibus Deus plus requirit, quósque non nisi vt adultos & liberè cooperantes iustificat: sic, &c. Ac primò sine controuersia requiritur in adulto acceptatio voluntaria, saltem habitualis, mortis tolerandæ pro causa verè pia & iusta, quæ cum vera religione & fide sit coniuncta, cuiusque veritatem ipse teneat fide diuina. Deinde illa acceptatio debet aliquo modo esse supernaturalis, vt & cætera opera quæ disponunt ad iustificationem. Tertiò probabilius est debere etiam esse ex charitate in Deum, ita vt mors propter ipsum acceptetur. Sic enim docet S. Thom. quæst. 66. art. 12. ad secundum vbi sic ait: *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi si sit sine charitate.* Et paulò post, *Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis*, actum scilicet contritionis vel dilectionis Dei super omnia.

S. Thom

26. Requiraturne actus charitatis?

Quod potest confirmari ex 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vbi nota Apostolum loqui de martyrio eodem modo quo de fide, eleemosyna, & aliis, quæ sine actu charitatis non iustificant. Et in corp. art. eiusdem ait Spiritus sancti virtutem operari in Baptismo aquæ per latentem virtutem: in Baptismo pœnitentiæ seu flaminis, per cordis commotionem: in Baptismo autem sanguinis, per potissimum affectum dilectionis, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Scio quidem in multis codicibus esse *effectum*, non, *affectum*. Sed intellige effectum charitatis vt imperantis, iuxta alia eius verba mox referenda. Et secunda secundæ quæst. 124. a. 2. ad 2. de martyrio sic loquitur: *Quòd sit meritorium, habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus.* Et ibidem dicit, *Martyrium esse actum charitatis vt imperantis; elicitiuè autem esse actum patientiæ & fortitudinis*: de quo actu, in 1. secundæ quæst. 114. art. 4. ad 3. generatim sic ait: *Actus patientiæ & fortitudinis non est meritorius nisi aliquis ex charitate hæc operetur.* Hucusque D. Thom. cui assentiuntur Alensis, Bonauent. Richard. Palud. Durand. Gabr. Canus, Vega, Dominicus, Sotus, & alii quos refert & sequitur Vasq. disput. 153. cap. 3. vbi affirmat hanc sententiam non solùm esse communem in schola Theologorum, verùm etiam testimoniis Patrum multò meliùs quàm oppositam confirmari. Proque eadem refert varia D. Augustini, Clementis, Cypriani, & Bernardi, testimonia. Ratio demum est, quia cùm res pendeat à Dei voluntate, quæ nobis constat tantùm reuelatione: ipse autem non satis reuelauerit martyrium prodesse adulto patienti sine charitate, non debet illud certò asseri: quamuis non careat probabilitate, vt alibi ostendimus, vbi plura hac de re videri possunt, tom. 3. disp. 23. sect. 3.

Vasquez.

27. Suarez. Coninck. Lessius.

Contrarium sentiunt Suar. disp. 29. sect. 3. conclus. 2. Aegid. Coninc dub. 2. ad art. 12. quæst. 66. Less. lib. 3. de Iustitia cap. 1. dubitatione 4. & quidam alii, qui obiiciunt 1. illud Christi Matth. 10. & Luc. 12. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Respondeo, id non esse intelligendum de quacumque confessione quouis modo facta: nam, fatentibus aduersariis, non iustificaretur ille qui confitendo adhæreret affectu alicui peccato mortali: sed de illa quæ sequentibus verbis magis declaratur: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*, Matt. 10. *Saluam faciet eam*, Marc. 8. & Luc. 9. In quibus omnibus locis illud, *Propter me*, significat affectum charitatis in Christum.

28.

Instabis cum Agid. Coninc loco supra cit. n. 156. Perdere animam propter Christum non tantùm esse perdere ex amore Christi: alioqui promissio illa non comprehenderet paruulos. Et secundum modum communem loquendi miles dicitur mori propter Principem, qui ne fidem ei datam frangat, occumbit fortiter pugnando: tametsi neque eius amore id faciat, neque facturus esset nisi obligaretur.

Soluitur obiectio.

Respondeo 1. Si perdere propter Christum est tantùm perdere materialiter seu physicè in odium Christi, vt infantes; & promissio illa generaliter sic intelligenda est: ergo quamuis adultus peccator non atteratur, aut, quod peius est, affectu peccato adhæreat, iustificabitur & saluabitur; quod vtrúmque negant Agid. & alii Aduersarii suprà citati. Respondeo 2. Sicut prior promissio, *Omnis ergo qui confitebitur me*, &c. attingit paruulos vt paruulos, confitentes tantùm moriendo, & non loquendo: adultos verò vt adultos, confitentes formaliter & liberè: sic posterior, *Qui perdiderit animam suam propter me*, attingit paruulos vt materialiter tantùm perdentes propter Christum: adultos verò, vt perdentes propter Christum formaliter, id est, eius amore. Ille autem miles, de quo Aegid. non moritur propriè propter Principem, sed pro obsequio Principis & fide illi data. Quod fieri potest, licet alioqui Principem oderit. Propriè verò mori aut operari propter aliquem, idem est atque eius gratia & amore. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, Prouerb. 16. id est, vt omnes intelligunt, sui amore.

29. Altera instantia.

Vrgebis, quia Marci 8. dicitur, *propter me, & Euangelium*: At Euangelium non amatur amore amicitiæ: ergo particula, *propter*, non significat illum amorem. Respondeo primò, in Euangelio contineri mysterium Trinitatis personarum diuinarum, obiectum præcipuum fidei Christianæ, summè ama-

DISPVTATIO VIGESIMA-QVARTA.

De Ministro & subiecto Baptismi.

Sectio I. *Qis sit idoneus Minister Baptismi?*
Sectio II. *An plures vnum alium, vel vnus plures, & idem seipsum baptizare possit?*
Sectio III. *Qui & quomodo possint validè & licitè baptizari?*
Sectio IV. *An filii Infidelium possint baptizari sine consensu Parentum?*
Sectio V. *Vtrum Baptismus sit omnibus necessarius ad salutem?*



DE Ministro & subiecto baptismi disputat S. Thom. q. 67. & 68. In quarum priore docet Sacerdotis esse proprium baptizare: posse tamen in eius absentia Diaconos: imò & laicos, & mulieres, atque etiam infideles, in casu necessitatis. Extra quem, peccarent quidem, validè tamen Baptismum conferrent. Posse quoque plures simul eundem baptizare: dummodo simul abluant, simúlque proferant verba formæ. Et sicut paruuli recens nati carnali generatione, traduntur instruendi nutricibus & pædagogis: sic in spirituali per baptismum regeneratione aliquis requiritur, qui baptizatum de sacro fonte baptismatis suscipiens, ipsum tueatur & instituat in his quæ ad diuinum cultum pertinent. Qui tamen non nisi in casu necessitatis tenetur eum instruere: si nimirum animaduertat illum non satis à parentibus, vel ab aliis instrui.

In posteriore affirmat 1. Teneri omnes suscipere baptismum: quia sine illo non possunt salutem consequi. 2. Sufficere tamen ad salutem baptismum in re vel in voto. 3. Paruulis non esse differendum baptismum: quia non egent instructione: & propter periculum salutis, cui non potest aliter subueniri. Adultis verò, quibus desiderium & votum baptismi subuenire potest, non esse statim conferendum, sed postquam sufficienter probati fuerint, & plenè instructi de fide, & exercitati in his quæ pertinent ad vitam Christianam: atque etiam propter quandam reuerentiam sacramenti: Cùm enim homines in solemnitatibus præcipuis, scilicet Paschæ & Pentecostes, admittuntur ad baptismum, deuotiùs illum recipiunt. Excipiendus tamen est casus necessitatis. 4. Peccatoribus non esse negandum baptismum propter peccata ante commissa: quia institutus est vt ab illis mundemur. Secus autem in voluntate peccandi persistentibus: quia sic non possunt Christo incorporari, vt viua membra scilicet, neque à peccato mundari, neq; sine fictione aliqua sacramentum recipere. 5. Ei qui baptizatur, nullum satisfactionis opus iniungi: quia passio & mors Christi, cui per baptismum incorporatur, pro peccatis omniũ plenè satisfecit: & nimirum plenè applicatur ad tollendum omnem reatum culpæ & pœnæ. 6. Non teneri etiam accedentem ad baptismum confiteri peccata sua, nisi Deo, de eis dolẽdo: quia non indiget remissione per claues Ecclesię, neque sa-

tisfactionis impoſitione. Si qui tamen baptizandi, ex deuotione ſua peccata confiteri vellent, eſſet eorum confeſſio audienda: non vt eis ſatiſfactio imponeretur, ſed vt eis contra peccata conſueta ſpiritualis informatio traderetur. 7. In adulto baptizando requiri intentionem ſuſcipiendi baptiſmum: quia cùm per illum moriamur veteri vitæ peccati, & nouam vitam gratiæ inchoëmus: ſicut ad hoc vt homo moriatur veteri vitæ, requiritur in habente vſum liberi arbitrii voluntas quâ eum veteris vitæ pœniteat: ita requiritur voluntas, quâ intendat vitæ nouitatem: cuius principium eſt ipſa ſuſceptio ſacramenti. 8. Fidem etiam in illo requiri, vt gratiam & remiſſionem peccatorum conſequatur virtute ſacramenti. Secus autem vt characterem tantùm, qui non pendet à diſpoſitione baptizati. 9. Pueros eſſe baptizandos; quia ſunt originali peccato infecti: & vt à pueritia in religione Chriſtiana enutriti, firmiùs in ea perſeuerent. 10. Filios infidelium, ſi habent vſum liberi arbitrii, propria voluntate, inuitis parentibus, poſſe baptiſmum ſuſcipere, ſicut & Matrimonium contrahere: quia incipiunt ſuæ poteſtatis eſſe quantùm ad ea quæ ſunt iuris diuini, vel naturalis. Si verò nondum habent vſum liberi arbitrii, non debent baptizari parentibus inuitis: quia fit illis iniuria: quippe ſub quorum cura ſunt ſecundum ius naturale, quamdiu ſibi prouidere non poſſunt, & periculum eſt ne redeant ad infidelitatem, propter affectum ad parentes. Ideóque non eſt talis Eccleſiæ conſuetudo. 11. Infantes in vtero materno exiſtentes baptizari non poſſe: quia non poteſt eorum corpus ablui: ablutio autem corporis eſt de neceſſitate baptiſmi. 12. Amentes à natiuitate, nulla habentes lucida interualla, & in quibus nullus apparet vſus rationis, baptizandos eſſe ſicut infantes. Alios verò qui ſanam mentem priùs habuerunt, baptizandos eſſe, ſi tunc voluerunt baptizari: ſecus non. Qui etiam habent lucida interualla, ſi tunc baptizari velint, poſſunt baptizari etiam in amentia conſtituti, & debent, ſi periculum timeatur. Alioqui melius eſt expectare tempus quo erunt iterùm ſanæ mentis, vt deuotiùs ſuſcipiant ſacramentum. Quidam etiam ſunt, qui licet non omnino ſanæ mentis exiſtant, tamen intantum ratione vtuntur, vt poſſint de ſua ſalute cogitare, & intelligere ſacramenti virtutem. Et de talibus idem eſt iudicium, ac de his qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizari poſſunt volentes, non autem inuiti. Hucuſque D. Thomas.

SECTIO I.

Quis ſit idoneus Miniſter Baptiſmi?

1. ONCLVSIO: In caſu neceſſitatis poteſt quilibet validè & licitè conferre Baptiſmum, modò poſſit aquam & verba cum intentione applicare. Extra neceſſitatem verò nemo poteſt licitè baptizare, niſi cuiius illud & munus ſpecialiter fuit commiſſum: validè tamen poteſt alius quilibet.

Prima pars eſt communis Catholicorum omnium, contra Caluinum. Et probatur primò ex cap. *Firmiter*, de ſumma Trinit. & ex Florentino in decreto, vbi ſic definitur: *Miniſter huius ſacramenti ordinarius eſt ſacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſacerdos tantùm, aut Diaconus; ſed etiam laicus, & mulier, paganus, ac hæreticus validè baptiſare poteſt, modò formam Eccleſiæ ſeruet, & facere intendat quod facit Eccleſia.* Loquitur autem de eo qui non Quilibet poteſt validè baptizare.

non tantùm habet potestatem facti ad faciendum simpliciter, verùm etiam iuris ad licitè faciendum. Nam certum est sacerdotem cui ex officio competit baptizare, vtrãque habere potestatem. De aliis autem Concilium simili modo loquitur. Quare vtrisque eandem tribuit potestatem, validè scilicet & licitè baptizandi in casu necessitatis. Patet etiam ex Tertull. lib. de Baptismo cap. 17. Hieronymo in Dial. contra Luciferian. & aliis antiquis, licitum esse laicis baptizare in casu necessitatis. Idem quoque traditur de fidelibus laicis capite *Constat*, de Cõsecratione, dist. 4. & de fœminis cap. *Super quibus*, 38. q. 3. & de Paganis & Infidelibus cap. *A quodam Iudæo*, de Cõsecratione, dist. 4. Trident. etiam sess. 7. cap. 4. definit Baptismum hæreticorum esse simpliciter validum. Ratio denique à priori est institutio Christi, cuius optima congruentia datur cit. cap. *Constat*: nimirum maxima necessitas sacramenti baptismi: cùm nisi per illud citra martyrium, saluti paruulorum subueniri nequeat, neque etiam perfectè adultis; qui licet per proprios actus possint iustificari; non tamen recipere characterem, & ius ad bona Ecclesiæ. Quam ob causam voluit Christus vt quisque licitè possit subuenire proximo in necessitate baptismi constituto.

Tertull. Hieronym.

2. Neque obest responsum Gregorii II. scribentis Bonifacio, baptizatos à Paganis quibusdam esse rebaptizandos. Quia loquitur de Paganis qui non baptizauerant in nomine Trinitatis. Quod autem præcipitur in Concilio Eliberino, & cap. *Diacono*, dist. 30 vt ægroti in necessitate non baptizentur nisi à fidelibus non bigamis, & lauacrum suum integrum habentibus, id est solemniter baptizatis; intelligendum est, modò tales adsint, qui in absentia sacerdotum aliis præferendi sunt, & adesse facilè poterant in tanta fidelium, quanta tunc erat, multitudine. Sed non negatur posse alios, etiam licitè, baptizare in istorum absentia. Quod denique dicitur cap. 2. q. 1. Causa 29. *Si quis per ignorantiam*, &c. interrogatiuè legendum est. Vel est relatio sententiæ alienæ planè falsæ, cui mox subiicitur responsio & sententia summi Pontificis, illi contraria: *Sed Romanus Pontifex*, &c. Denique Sancti Patres, si quando negare videntur posse laicos aut fœminas baptizare; intelligunt licitè extra necessitatem, vel præsentibus sacerdotibus, aut aliis dignioribus. Qua de re plura videri possunt apud Suar. disp. 23. sect. 1.

3. Secunda pars conclusionis est etiam communis Catholicorum omnium: traditurque à Florent. in decreto Eugenii, cùm ait, *Ministrum huius sacramenti*, ordinarium scilicet, cui extra necessitatem licet, atque incumbit dare baptismum, *esse Sacerdotem cui ex officio competit baptizare*: Quæ postrema verba addita sunt à Concilio, quia non omnis & quilibet sacerdos ratione suæ ordinationis potest licitè baptizare extra necessitatem; & sine Ecclesiæ deputatione: sed ille solùm qui ius illud accepit: quod ius seu potestas licitè baptizandi non solet aliis conferri ab Ecclesia, quàm sacerdotibus, vt patet experientiâ, quamuis aliis quoque vt diaconis conferri posset. Porrò vt rectè notat Aegid. Coninc dub. 1. ad q. 67. num. 7. & seqq. Pertinet primò & per se ad Episcopos baptizare eos omnes qui in sua Dioecesi commorantur: quia asciscere aliquem in cõmunitatem aliquam, eique omnia illius priuilegia communicare, pertinet primò & per se, vel ad ipsam communitatem, vel ad ipsius Principem, Episcopum scilicet. Secundò verò pertinet ad Sacerdotes, non quidem ita vt suo iure id possint: sed ex Episcopi cõmissione: quia ipsi non sunt Principes Ecclesiæ, sed adiutores Episcopi, eique subiecti. Tertiò, committi potest etiam Diaconis, non quidem ordinaria potestas baptizandi, propter canonem *Constat*, de Consecrat. d. 4. & can. *Diaconos* dist. 93. & alios quibus id prohibetur: sed extraordinaria, graui aliqua ex causa, aut notabili necessitate; etiam ad solemniter baptizandum. Vt si sacerdos non posset omnes sine magna difficultate vel incommodo. Aliis verò inferioribus Diacono non potest committi, nisi à summo Pontifice, vel ab Ecclesia vniuersa, potestas solemniter baptizandi, etiam in casu necessitatis baptismi, quem satis est non solemniter tradi, vt subueniatur indigentis necessitati, & periculo salutis.

Extra necessitatem non licet nisi sacerdoti ad id deputato specialiter.

Tertia denique pars conclusionis, quòd nihilominus quilibet extra casum necessitatis, validè quamuis illicitè, baptizet, patet quia Trident. sess. 7. cãn. 4. definit baptismum ab hæreticis collatum esse validum. Quamuis probè sciret, qui inter eos baptizant esse vt plurimum laicos, & simul infideles, ac citra necessitatem id facere. Deinde cap. *A quodam Iudæo*, Nicolaus approbauit baptismum à Iudæo quodam multis collatum, nulla mentione facta necessitatis: Et Alexander Episcopus Alexand. ratum habuit baptismum ab Athanasio puero laico datum coætaneis citra necessitatem, vt Nicephorus, Socrates & alii testantur. 4.

Extra necessitatem quisque validè baptizat, quamuis non licitè.

Porro in casu necessitatis non tantùm potest licitè, verùm etiam debet quilibet baptizare. Quia tenetur quisque subuenire proximo necessitatem patienti, si cognoscat necessitatem illius, & non sit alius qui possit & velit subuenire. Id enim iuris est naturalis. Et in re adeo graui & necessaria, grauiter peccat qui non subuenit, nisi ignorantiâ excusetur. Duo autem ad prædictam necessitatem requiruntur, vt quiuis obligetur alium baptizare. Primum, vt proximus grauiter egeat, & non sit alius tertius qui velit & possit ministrare. Nam quando adest tertius qui velit & possit, non est necessaria opera secundi. Quanquam tunc etiam cùm plures sunt qui velint & possint, ordo iste seruandus est; vt si adsit qui velit & possit, ac spo- 5.

In casu necessitatis quisque tenetur baptizare.

Ordo seruandus quando plures ad-

cialiter debeat ex officio; non sit alii officio carenti licitum ministrare: quia hoc est inuadere in alienum. Præterea fœmina, præsente viro qui velit & possit, non potest licitè baptizare: nec laicus pręsente Clerico: nec Clericus minor pręsente maiore, vt Subdiaconus præsente Diacono: vel Diaconus pręsente sacerdote: vt docent omnes cum D. Thoma q. 67. a. 4. Sed ordo ille ita intelligendus est, si omnes illæ personæ teneant modum baptizandi. Nam si vir v.g. esset prorsus ignarus, aut malè prolaturus verba formę, mulier tunc ipso præsente licitè baptizaret. Idémque dico de aliis. Item supposito quòd Sacerdos sit Catholicus. Nam alioquin hæretico laicus, & mulier Catholica viro hæretico præferri debet. Magis enim dedecet hæreticum quàm Catholicam baptizare. Quantum autem peccatum sit prædictum ordinem inuertere sine causa, vide apud Aegid. Coninc dub. 2. ad art. 1. q. 67. Sotum dist. 4. q. vnica art. 2. Valent. disp. 4. q. 2. puncto 1. Suarem disp. 31. sect. 4. Communis sententia est peccare mortaliter eum qui baptizat præsente & inuito alio qui debet ex officio: de aliis, saltem inferioribus sacerdote, affirmant multi esse mortale, alii negant.

S. Thom.

Coninc. Sotus. Valent. Suarez.

SECTOI II.

An plures vnum alium, vel vnus plures, vel idem seipsum baptizare possit?

6. Dico primò, baptizantem debere necessariò esse alium à baptizato, ita vt nemo seipsum baptizare possit. Patet ex Cap. *Debitum, de Baptismo, & eius effectis*, vbi Innocentius III. consultus de Iudæo quodam, qui seipsum baptizauerat, respõdet esse rebaptizandum, vt ostendatur quòd alius esse debeat baptizatus à baptizante. Nec obest, quòd addit talem nihilominus saluandum fuisse, si tunc obiisset. Intelligit enim non vi Baptismi fluminis, sed flaminis, propter fidem viuam erga sacramentum, & erga Deum, cui volebat vniri per sacramentum. Idem satis datur intelligi ex forma Baptismi tam gręca, quàm latina, & ex verbis Christi Matth. vlt. *Baptizantes eos*: & ex similitudine sumpta à naturali generatione. Nemo enim seipsum generat. Baptismus autem est sacramentum regenerationis, & ianua vitæ spiritualis, vt ait Florent. in Decreto Eugenii.

Nemo seipsum baptizare potest.

7. Dico secundò, plures simul ab vno baptizari posse validè, atque etiam licitè, exigente necessitate, vel causa rationabili: dicendo in numero plurali, *Ego vos baptizo*, &c. Ita S. Thom. q. 66. art 5. ad 4. & alii communiter: estque credibile Petrum ita fecisse Actor. 2. quando vno die multa hominum millia baptizauit. Et quidem validum esse hunc modum baptizãdi probatur, quia nihil illi deest eorum, quæ ad essentiam Baptismi necessaria sunt. Cùm vnusquisque illorum sufficienter abluatur in parte notabili corporis, vt supponimus: sitque capax sacramenti Baptismi: & forma retineat totum sensum essentialem, sitque æquiualenter multiplex: æquiualet enim istis, Baptizo te Petre; & baptizo te Paule, &c. Neque etiam deest intentio ministri ad faciendum id quod Christus instituit. Licitum verò esse in casu necessitatis, supposito eius valore, manifestum est. Potest enim licitè, imò tenetur quilibet succurrere proximo in necessitate salutis constituto; & non pati vt moriatur, & pereat sine remedio, quod ipse in manu habet. Quare sicut licitum est plures simul absoluere in necessitate, vt in casu naufragii: sic & plures simul baptizare. Qui tamen id faciunt sine necessitate, vel sine causa rationabili, malè faciunt, & damnantur à multis peccati mortalis: ab aliis venialis tantùm, secluso scandalo; quia de validitate sacramenti nulla est dubitatio, neque videtur esse grauis inordinatio.

Plures simul ab vno baptizari possunt.

Dico 3. plures etiam posse simul vnũ & eundem baptizare: non tamẽ quouis modo. Multipliciter enim potest intelligi plures eundem baptizare. 1. Si duo sint, quorum vnus abluat, & alter verba proferat. Et iste modus cẽsetur communiter esse inualidus, licet Marsilius, & Caiet. contrarium sentiant. Ratio præcipua est, quia hic modus baptizandi falsificat sensum essentialẽ formæ, significantis actionem abluendi fieri ab eodem qui profert verba: vel expressè, vt in forma latina, *Ego te baptizo*: vel implicitè, vt in græca, Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, &c. à Christo scilicet per ministerium meum practicè hic & nunc. Nã quòd Græci non ita voluerint significare Christum baptizare præcipuè, vt suum ministerium excluserint, patet ex alia eorum forma relata à Flor. in Decr. Baptizatur manibus meis N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et verus sensus formæ Græcorum, & cuiuscunque alterius sufficientis ad Baptismum metiendus est ex sensu formæ, quâ vtitur Ecclesia Romana, quam certum est non posse errare in vsu sacramentorũ, Cap. *Ad abolendam, de hæreticis*: ita vt alia non sufficiat, si quid contrarium significet, aut quoad sensum substantialẽ non illi æquiualeat. Atqui forma Ecclesię Romanę significat eandem esse personam, quæ verba profert, & quę abluit: & hunc esse substantialẽ illius sensum non modò verba præ se ferunt, sed & Catholiorum Doctorum cõmune iudiciũ est. Ergo quæuis alia sufficiens debet hoc idem significare. Confirmatur ex Florentino suprà citato, affirmante requiri ad valorem sacramenti, vt per verba formæ exprimatur actus, qui per ipsum exercetur ministrum tradentem exterius sacramentum. Quibus verbis significat eundem esse debere, qui abluit exteriùs physicè, & qui per verba formæ significat se abluere.

8. Plures simul eundẽ baptizare possunt.

Notãdum tamen in casu necessitatis hunc modum adhiberi posse, ac debere: vt si duo tantùm adsint infanti moribundo, quorum alter sit mancus, & alter mutus; & vnus possit abluere, alter verba proferre. Tunc enim debent simul operam suam conferre per modũ 9.

Primus modus non nisi in extrema necessitate adhibendus.

vnius ministri, & causæ totalis compositæ ex duabus partialibus. Ratio est, quia in tali necessitate ne minima quidé probabilitas spernenda est. Opinio autem Marsilii, & Caietani non caret omni probabilitate. Tum quia non est euidens, formam baptismi essentialiter significare ablutionem fieri ab ipso proferente: id enim vtcũque obscurum facit forma illa Græcorum, Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Tum etiam quia, qui per alium facit, per se facit moraliter, ac vere dicitur facere. Ergo proferens verba, & vtens opera alterius ad abluẽdum, verè diceret aliquo sensu, Ego te baptizo, & non est euidens hunc sensum non sufficere.

10. Alter modus plures simul baptizandi.

Secũdus modus, quo intelligi possunt plures eundem baptizare; est, si quilibet abluat sufficienter, & verba formæ proferat in numero singulari, Ego te baptizo; & quisque illorum intendat baptizare, siue alius baptizet, siue non. Et hunc modum sufficientem esse, sed illicitum, docent communiter Theolog., teste Suare disp. 23. sect. 3. §. *Nihilominus*. Illicitum quidem: quia est contra vsum Ecclesiæ, habentem vim præcepti. Validum tamen; quia in eo casu quisque illorum est sufficiens minister baptismi, & subiectum aptum non deest, nec quicquam aliud necessarium. Neque obest alterius baptizantis concomitantia. Nam eius actio non est repugnás, sed similis: & subiectum vtriusque capax est. Sicut enim eadem hostia potest simul cõsecrari à pluribus, vt fit quando recens ordinati cum Episcopo consecrãt; licet non possit pluries successiuè consecrari: sic idem homo potest pluries simul baptizari, quamuis non possit pluries successiuè. Quo solo sensu baptismus dicitur non posse iterari, id est, eidem iam semel baptizato, iterum validè applicari. Suppono autẽ plures illos simul mathematicè perficere essentialia baptismi: alioqui primus perficiens solus baptizat. Idemque dico de eiusdem hostiæ cõsecratione facta simul à pluribus, si quisque illorum intendit absolute consecrare.

11. Sintne tunc plures baptismi?

In eo autem casu non datur vnicus baptismus, sed multiplex, vt bene docent Gabriel in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. dub. 4. versus finem: Maior ibid. q. 1. §. *Contra istas conclusiones*: & Caietanus ad art. 6. q. 67. contra Durandũ, Scotum, Marsiliũ, & Dominicũ Sotum, quos sequitur Vasques disp. 148. cap. 2. Est enim tunc multiplex ablutio sufficiens, & multiplex prolatio formæ, quarũ quælibet est significatiua, & effectiua gratiæ: adeoque habet totum id, quod ad essentiam sacramenti requiritur. Nec obest quod opponit Vasquez, non esse diuersam significationẽ in eiusmodi ablutionibus, & prolationibus formæ, quia significant eundem numero effectum, nempe eandem gratiam; & eundem characterem: vnitas autem signi ex vnitate significationis sumenda est.

12. Respondeo enim non esse vnitatem significationis formaliter sumptę, vbi sunt diuersa signa significantia, quamuis idem significent: sed tantùm obiectiuè sumptæ, id est, ex parte obiecti quod significant. Vnitas enim rei sumenda est ex formali. Sic *gladius*, & *ensis* sunt diuersa signa, seu diuersa nomina significantia formaliter; quamuis idem significẽt. Sunt, inquam, diuersa ex parte formalis, id est, ex parte vocis assumptæ ad significandũ; quamuis non ex parte obiecti, seu rei quam significãt. Sed quamuis in eo casu baptismus sit multiplex, non propterea maior effectus gratiæ datur baptizato, neque multiplex (regeneratio enim spiritualis est vnica, æque ac naturalis generatio) sed est idem à pluribus causis totalibus. Quod in causis moralibus naturaliter etiam fieri potest. In physicis autem saltem diuina virtute, cùm in eo nulla sit contradictio.

13. Idem effectus potest esse à pluribus causis totalibus.

Vanum enim est quod aliqui moderni obiiciunt; fore vt talis effectus pendeat, & non pendeat à qualibet harũ causa ũ. Pendeat ex suppositione, quia ab illa fit. Non pendeat, quia sine illa esse potest, & esset reipsa, vi aliarum eodẽ modo agentium. Respondeo enim aliud esse, ab aliquo pendere, id est, esse vi alicuius causæ: & aliud, pendere necessariò ab eodem, id est, non esse nisi vi illius; ita vt sine illo non esset. Addo hoc argumentum fieri posse de causis moralibus, in quibus tamen res euidens est experientia. Possumus enim aliquid facere propter multos fines totales, quorum quilibet satis mouet; & sufficeret. Et idem multis potest multis de causis totalibus esse excommunicatus. Et quot sunt in aliquo peccata mortalia, tot sunt causæ totales priuationis gratiæ, & gloriæ.

14. Repellitur instantia.

Instant, quia impossibile est causam plus facere, & nihil plus fieri. Respondeo causam non plus facere; sed pluries idem facere. Quemadmodum si idem reproduceret, non plus faceret, sed bis, aut pluries idem faceret. At, inquiunt, cùm effectus sit aliqua participatio virtutis causæ, implicat causam se magis communicare, & à nullo plus participari. Respondeo causam non se magis communicare, nisi hoc sensu, quòd bis eidem se communicat: vt faceret in reproductione, vel in productione eiusdem rei in pluribus locis.

Vrgent, quia non est maior ratio cur idem non possit esse in eodem loco simul pluries, quàm vt pluries ibi poni possit. Sed primum est impossibile, ergo & secundum. Item, si potest bis produci: ergo & ter, & quater, & infinities. Atque ita virtus infinita infinitè operans terminaretur ad effectum finitũ, putà ad murem producendũ. Item Deus priuaret causas naturales sua operatione, cùm illæ sint aptæ producere totaliter. Neq; intelligi potest quomodo Deus cõcurreret cũ eiusmodi causis totaliter operãtibus eundẽ effectum.

15. Soluuntur alia argumenta.

Ad primum Respondeo, ideo non posse rẽ eãdem esse pluries simul in eodem loco: quia esse in loco non est aliud, quàm inexistentia formalis, siue indistantia intima ad spatium in quo res est. Quæ indistantia quando semel est, est quanta simul esse potest, neque habet

vnde multiplicetur. At positio est exercitiũ causæ ponentis: & non implicat eandem pluries, aut plures simul se exercere ad idem ponendum in loco. Quid enim implicat plures Angelos simul ponere, aut sistere lapidem in loco, tanta vi, vt quisque illorum sufficeret?

Ad secundum: Quemadmodum si Deus infinities idem reproduceret, successiuè, aut simul in diuersis locis: virtus eius operans infinitè, id est, infinities, terminaretur ad effectum finitum, putá ad eundem Angelum toties reproducendum: Sic &c.

16. Ad tertium: Deus cõtemperat suo concursu influxum, seu concursum causarum physicarum, quando non est necessarium vt totaliter operentur. Si autem vellet concurrere cum pluribus, vt totaliter operantibus, non contemperaret: sed eundem, aut parem concursum vnicuique singillatim præstaret, quẽ præstat omnibus simul partialiter cooperantibus, & vnam causam totalem constituentibus: sineretque tantùm quamlibet se impẽdere in effectum, quantùm omnes simul se impendunt, quando partialiter operantur.

17. Tertius modus plures simul baptizandi. Tertius modus quo plures simul eundem baptizare possunt, est, si plures abluant vna, vel diuersis ablutionibus sufficientibus, & simul totam formam proferant in numero plurali, Nos te baptizamus &c. cum intentione concurrendi solùm vt causæ partiales ad vnicum sacramentum efficiendum, & intelligẽdo verba formæ in sensu collectiuo, Ego, & ille te baptizamus. Simili modo, quo duo sacerdotes, audita ab vtroque confessione integra pœnitentis, possent simul eum absoluere vt causæ partiales, dicendo in sensu collectiuo, Nos te absoluimus. Et hunc modum probabiliter validum esse rectè docent Durandus, Palud. Ricard. Maior, Caiet. & alii, quos sequitur Valentia quæst. 2. de Pœnit. punct. 2. contra Suarẽ disp. 23. sect. 3. Vasq. disp. 148. cap. 5. Coninc ad quæst. 67. a. 6. dub. 1. & aliquos Thomistas, quibus fauet D. Thom. loco infra citando. Ratio est, quia non est contra essentiam baptismi, vt plures causæ partiales concurrant, vel ad lauandum modo prædicto, vel ad totã formã simul pronunciandam, vt ex antiquo vsu Ecclesiæ colligi potest. Nam cùm olim baptismus etiam adultorum fieret per trinam immersionem, & emersionem: credibile est ministrum baptismi Episcopum, vel sacerdotem, aliorum ope vti solitum fuisse, saltem circa pinguiores, grauiter ponderosos, qui non poterant vnius manibus immergi. Similiter, si duo vas aquæ effunderent in baptizandum, & vnus tantùm illorum cum intentione baptizandi sacramentaliter proferret formam: omnino videtur quòd baptizaret. Et tamen tunc ablutio externa foret tantùm partialiter à ministro. Quare non est de necessitate sacramẽti, vt vnicus sit integer, & totalis minister ablutionis, quemadmodum aliqui sine sufficienti fundamento supponũt: neque id forma latina essentialiter, & determinatè significat, vel institutio Christi necessariò id exigit: sed possunt plures collectiuè abluere: similiterque possunt etiam plures simul omnia verbá essentialia proferre, cum intentione concurrendi partialiter, & significandi actionem abluendi, quam exercent, dicendo, Nos te baptizamus, &c. & verba illa intelligendo in sensu collectiuo, seu complexiuo. In quo casu non est nisi vnicus baptismus: neque duplex esse potest, cùm non sit nisi vnica forma, eo sensu quo profertur, collectiuo scilicet, seu complexiuo; non autem copulatiuo, aut distributiuo. His tamen non obstantibus probabilis est etiam contraria sententia; præcipuè propter authoritatem D. Thomæ q. 67. art. 6. & rationes tum ab eodem, tum ab aliis supra citatis allatas: quarum tamen nulla conuincit. Neque etiam D. Thomas affirmat absolutè, talem baptismum esse inualidum, sed, *Vitiari*.

18. Quartus & quintus modus. Quartus modus est, Si plures simul concurrant ad baptizandum, cum intentione confusa & indeterminata, Ego, vel ille te baptizamus. Et hic est inualidus: quia intentio indeterminata est inefficax, & insufficiẽs ad sacramentum efficiendum, vt alibi ostendimus disputando de Sacram. in genere, deq; intentione necessaria ad illa celebrãda.

Quintus est, Si plures ita baptizent, vt quisque intendat baptizare sacramentaliter, alio non baptizante: & contra, non baptizare, alio baptizante. Et tunc si omnes simul absoluant essentialia baptismi, nullus baptismus est validus: quia valor baptismi cuiusque illorum pendet, velut à conditione necessaria, ab inualiditate alterius: neque est vlla ratio, cur vnus baptismus valeat potiùs quàm alius. Quare illæ intentiones sese mutuò destruũt; suntque similes propositionibus, quas logici vocant insolubiles, & se falsificantes. Sin autem vnus eorum solus primò absoluit essentialia baptismi: distinguendum est. Nam vel intendit baptizare sub conditione quòd priùs absoluat essentialia, quàm alius. Et tũc baptismus nullus est: quia eius intẽtio non est absoluta naturá priùs, quàm baptizet, id est, quàm absoluat essẽtialia: nam pendet ab ipso baptismo absoluto, & perfectè posito quoad essentialia, velut à conditione de futuro. Sin autem absolutè intendit, & vult atque conatur baptizare sacramentaliter, & ponere omnia essentialia cum omnibus aliis necessariis ad valorẽ baptismi, idq; conatur præstare quantùm potest; baptismus eius validus est: quia nihil est quod eius valorem impediat, nihilque deest necessarium. Abluit enim sufficienter, vt supponimus, & profert integrè formam, habetq; intentionẽ absolutam circa subiectũ idoneum.

SECTIO III.

Qui, & quomodo possint validè, & & licitè baptizari.

19. Prima conclusio: Omnes tam paruuli, quàm adulti cuiuscunque sexus, sunt ca-

paces baptismi. Ita tenent indubitanter omnes Doctores Catholici. Et patet, quia quisquis est capax æternæ salutis, est capax sacramenti baptismi, sine quo veluti medio per se necessario in re, vel in voto, salus nemini contingit. At omnes cuiuscunque sexus sunt capaces salutis æternæ: ergo, &c. Deinde omnes illi possunt per baptismum regenerari in Christo, qui peccatum originale per naturalem generationem contrahunt ab Adamo, iuxta illud Rom. 5. *Sicut per unius delictum* &c. & 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Atqui omnes contrahunt peccatum originale: ergo possunt quoque omnes per baptismum regenerari. Accedit denique vsus vniuersalis Ecclesiæ, quæ omnes ad baptismum admittit.

Possunt baptizari etiam qui carent omni peccato, vt B. Virgo.

Addo, licet aliquis speciali priuilegio præseruaretur à peccato originali, vt de Beata Virgine piè creditur, adhuc tamen esset capax baptismi, sicut reipsa Beata Virgo baptismo Christi baptizata fuit. Deberet enim nihilominus ingredi in Ecclesiam visibilem per baptismum, & fieri capax reliquorum sacramentorum. Neque obiicias formam baptismi non posse tali subiecto verè applicari, quippe quæ significat ablutionem, non tantùm materialem, sed etiam spiritualem à peccato. Vnde D. August. lib. de Peccat. meritis & remissione cap. 34. dicit, Pelagianos qui negabant peccatum originale, reddere fallacem & falsam in paruulis formam baptismi. Et lib. de Nuptiis, & Concupisc. cap. 20. dicit, errorem Pelagianorum, negantium peccatum originale, conuinci veritate sacramentorum. Et Concilium Mileuit. can. 2. qui refertur cap. 153 *Placuit*, de Consecrat. dist. 4. definit eos, qui negant paruulos trahere ex Adamo peccatum originale, efficere formam baptismi falsam. Et denique idem confirmat Tridentinum sess. 5. canone 4. repetens ijsdem ferè verbis canonem illum Concilii Mileuitani.

August.

20. Soluuntur argumenta contraria.

Ad hæc enim Respondeo 1. indirectè, eodem argumento probatum iri, non posse verè applicari formam baptismi adulto, qui iam ante, per actum dilectionis supernaturalis, vel contritionis perfectæ, à peccatis mundatus fuerit. 2. Directè Respondeo, formam baptismi, consistentem essentialiter in his solis verbis, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nihil aliud significare essentialiter, nisi ablutionem corporalem, factam in ordine ad sanctificationem animæ: quæ sanctificatio, respectu eorum, qui peccatis obstricti sunt, consistit in remissione peccatorum, & infusione gratiæ habitualis, per quam etiam formaliter remittitur peccatum: respectu verò aliorum cōsistit in infusione eiusdem gratiæ, quæ tamen de se valet ad peccatum originale, & actuale delendum, si esset in subiecto. Itaque forma essentialis baptismi in vtrisque verificatur, quia vtrique abluuntur in ordine ad sanctificationem sibi conuenientem. 3. Quamuis forma baptismi significet essentialiter, saltem obliquè, lotionem & munditiā spiritualem animæ, dico lauari, & mundari spiritualiter posse non solùm eos, qui sunt infecti peccato: sed & alios ab illo mundos: possunt enim magis magisque mundari, id est, per augmentum gratiæ sanctificantis magis remoueri à statu peccati: sicut illi, qui iam peccato aliquo sunt infecti, possunt aliis magis, magisque infici, iuxta illud Apocal. 22. v. 12. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* 4. Ad auctoritates Patrum, & Conciliorū allatas, Respondeo cum Delugo disp. 2. de Sacram. sect. 2. n. 35. nomen formæ locis citatis sumi latiùs quàm pro forma essētiali & propriè dicta: nimirum pro cerimonia exorcizandi, & insufflandi baptizandos, ad eos eruendos Dæmonum potestati. Interdum enim Patres extendunt nomen formæ sacramentorum ad formam aliquam, seu ritū accidentalem, & cerimoniam in illis conferendis obseruatam. Patetque manifestè August. vtroque loco cit. loqui de illa cerimonia exorcizandi ante baptismum, dicereque illam fore vanam, & otiosam, si in paruulis nihil haberet Dæmon, quod non oporteat tolli, & vindicari ab eius potestate. De eademque loquitur Concil. Mileuit. cui D. August. interfuit, & cuius canones ipsis verbis Augustini concepti sunt. Ac denique idem est sensus Trident. can. cit. vbi eodem sensu, quo Mileuit. non minùs, quàm iisdem verbis locutum est. His itaque non obstantibus verum & probatum manet id quod diximus in conclusione, omnes tam paruulos, quàm adultos, cuiuscunque sexus, esse capaces sacramenti baptismi.

Forma sacramenti sumitur interdum à PP. pro cerimonia accidentali.

Loquimur autem de viatoribus, iuxta ea, quæ diximus de sacramentis in genere, disp. 21. 22. sect. 7. Quod verò Paulus ait 1. Corinth. 15. *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Vel non est intelligendum de Baptismo sacramētali, quo mortui per se vel per alios affici & iustificari possint, vt perperā explicarunt Cataphrygæ: sed de afflictionibus, & passionibus susceptis ad leuandas animarum pœnas. Vel 2. si sermo est de Baptismo, sensus est, quòd catechumeni eum suscipientes, orarent, atque intentionem suam referrent ad iuuandas animas prædictas, vtque illis actione ista sua religiosa prodessent: ad eundem modum, quo dicitur quis pro alio orare, ieiunare, sacrificare, & alia bona opera exercere.

Infantes baptizantur validè.

Ex hac vniuersali conclusione collige 1. Infantes validè baptizari: quod perperam negant Anabaptistæ huius temporis, post Henricianos, & Petrobusianos, contra apertissimam traditionem, cuius testis est Diuus Augustinus libro decimo de Genes. ad lit. capite decimo quarto: & libro quarto de Baptismo contra Donat. capite vigesimo quarto: & libro primo de Peccatorum

meritis cap. 26. vbi etiam traditionem Apostolicam esse affirmat, & contra Pelagianos peccatum originale negantes, ex hac traditione argumentatur. Eiusdem longè ante meminerant Dionys. de Ecclesiast. Hierarchia cap. 7. versus finem, Clem. Rom. 6. Constitut. cap. 15. Cyprian. lib. 3. epist. 8. & alii. Idem denique definitur expressè in Concil. Lateran. cap. 1. *De summa Trinitate.* §. *Vna verò*, Vienn. Clement. vnica, eodē titulo, §. *Ad hoc*, & Trident. sess. 5. can. 3. & sess. 7. can. 13. de Baptismo. Fauet etiam Scriptura Act. 16. v. 33. vbi tota domus custodis carceris dicitur fuisse à Paulo baptizata, & domus Lydiæ ibidem, & domus Stephanæ 1. Corinth. 10. in quibus domibus nullum fuisse infantem parum est credibile. Quamquam non est dissimulandum particulam vniuersalem, *Totam*, non esse in duabus postremis. Sed efficacius est, quòd Christus Ioannis 3. generatim pronunciat, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum.* Et tamen alibi Marc. 10. & Matt. 19. & Luc. 18. loquens de paruulis sibi oblatis, ait illorum esse regnum cœlorum. Vnde concluditur theologicè tales posse baptizari. Illa enim est via cōmunis, quâ in cœlum ingrediantur: quippe quia martyrium paucis conceditur. Loquimur autem de infantibus, qui possint aqua perfundi: quales non sunt, qui sunt adhuc in vtero, nisi aliquid exerant, aut vterus scindatur: vt scindi potest, etiam licitè, si mater morte damnata sit, & periculum sit ne alioqui moriatur proles in vtero, vt docēt

Suarez. Coninc. — Suar. Aegid. Coninc, & alii ad quæst. 68. art. 11. Quin etiam si spes esset, vt aqua à matre epota ad puerum in vtero peruenire posset, tentanda esset via illa. Quia vel minima probabilitas sequenda est in tanto periculo.

22. Collige secundò, Peccatores, filios Infidelium, amentes, phreneticos, posse validè baptizari, vt docet S. Thom. quæst. 68. a. 4. & sequentibus. Quæ autem dispositio in peccatoribus, & adultis requiratur, dicetur paulò post. Item monstra humana, de quibus tamen obseruandum est, quòd si rationabiliter dubitetur, an verè constent naturâ humanâ: baptizari debent sub conditione: *Si es homo baptizo te*, &c. Quia melius est exponere sacramentum periculo, quàm hominem. Ac si priùs signo aliquo explorari potest, an sit homo; explorandum est. Item si dubitatur, an sit vnus, vel plures homines, putâ, quia monstrum constat duplici capite in vno corpore, vel duplici corpore sub vno capite; explorari debet similiter, si fieri potest, sintne duo, vel vnicus. Vt si alterum ex capitibus acu punctum doleat, alterum interea gestiat; aut si contraria simul iudicent: vel vnus sciat, quod alius ignoret: quale monstrum in Gallia suo tempore visum fuisse affirmat Scotus. Ac si cōstet duos esse: duplici baptismo baptizandi sunt: si vnicum, vnico. Si explorari certò nequit, an sint duo, vel vnicus: debet vnum v. gr. ex capitibus duobus absolutè lauari, cum forma absolutè prolata. Deinde alterum sub conditione, *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Cæterùm non est dubitandum vnicum esse hominem, cùm monstrum abundat tantùm partibus quibusdam non præcipuis, vt brachiis, manibus, vel digitis; aut esse plures, quando constant capite & corpore integrè diuersis, cohærentibus tantùm spina dorsi, aut fronte, qualia contigisse multi testantur. Sed de his plura Domin. Sotus in 4. dist. 3. quæst. vnica, art. 9. Palud. ibid. q. 4. Scot. dist. 6. quæst. 2.

Quomodo Baptismus sit conferendus monstro?

Sotus. Palud. Scotus.

23. Secunda conclusio: Præter intentionem ad valorem sacramenti necessariam in adultis, requiritur etiam actus fidei, & expetitio amicitiæ diuinæ, vt baptizentur licitè, & cum fructu. Ac si actu peccauerunt mortaliter, necessaria illis est attritio, vel contritio vera, & aliquo modo supernaturalis: at non ita contritio determinatè, seu vera, seu præsumpta, sufficit enim attritio.

Prima pars de intentione est D. Thomæ quæst. 68. art. 8. & communis Theologorum. Ratio est, quia cùm adultus sit dominus suorum actuum, sapienter à Christo institutum fuit, vt non sine consensu proprio spiritaliter regenerari possit, aut membrū Ecclesiæ fieri. At sufficit consensus virtualis, atque etiam habitualis, vt colligitur ex Concilio Arausicano I. can. 11. & ex cap. *Maiores*, de Baptismo. : vbi præterea definitur sufficere, vt sit simpliciter voluntarius, etiamsi coactus, & inuoluntarius secundum quid: vt etiam habetur in Concilio Toler. IV. can. 55. & refertur cap. *De Iudæis*, dist. 45. Et confirmatur à simili de pœnitentia, quæ valet, quamuis metu mortis extorta.

Intentio est necessaria adultis, vt validè baptizentur.

Nomine autem adultorum intelligo ratione vtentes, aut aliquando vsos: alii enim inter paruulos computantur, & sine vllo actu proprio baptizari possunt validè, & cum effectu iustificationis. Amentes verò priùs vsi ratione, debent voluisse, implīcitè saltem, vt possint baptizari: & debent etiam fuisse attriti, vt cum fructu baptismum recipiant, si antea peccarunt mortaliter, vt docet S. Thomas quæst. 68. art. 12. & alii communiter ad eundem articulum. Surdi denique, cæci & muti, capaces vsus rationis, instrui debent, si possunt, vt velint. Si non possunt instrui defectu tot sensuum, censeri possunt inter infantes, & non satis vsus rationis habentes, defectu tot sensuum, ac proinde baptizari, non expectato consensu proprio, vt Aegidius ad quæstionem supra citatam, & plures alii docent. 24.

S. Thom.

25. Secunda pars de actu fidei adultis necessario, vt baptizentur licitè, & cum fructu, est D. Thom. quæst. cit. art. 8. in cuius confirmationem adducit illud Hebr. 10. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Cui adde

Actus fidei est illis necessarius vt licitè, & cū

fructu baptizentur. verba Philippi ad Eunuchum Act. 8. v. 37. *Si credis ex toto corde, licet.* Trident. quoque sess. 6. cap. 6. in dispositione ad iustificationem, siue per Baptismum, siue aliter consequendam, actum fidei primo loco enumerat. Quare impudenter calumniantur sectarii; nos in adultis baptizandis non requirere fidem, existimantes Baptismum eos iustificare ex opere operato, id est, vt malè explicant, sine vllo bono motu, etiam fidei. Cæterùm hunc actum fidei esse aliquo saltem modo supernaturalem, sicut & actum attritionis, patet ex eodem Trident. sess. 6. can. 3. vbi definit generatim de quacunque iustificatione, siue in Baptismo, siue aliter accepta, vt patet ex capitibus antecedentibus, quibus canones illi respondent: *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Et sess. 14. cap. 4. de attritione sacramenti pœnitentiæ, ait esse donum Dei & impulsum Spiritus sancti. Qui loquendi modus non solet à Conciliis vsurpari de rebus merè naturalibus. Imò cùm vterque actus ad fidem & gratiam, supernaturalem entitatiuè, disponat; & dispositio debeat esse proportionata formæ; probabilius arbitror esse entitatiuè & secundum substantiam supernaturales. Iungimus autem cum actu fidei, desiderium diuinæ amicitiæ: quia Deus non admittit adultum in amicitiam suam, quæ per gratiam initur, nisi volentem & expetentem, & quidem seriò vt par est.

26. Requiritur etiam attritio vel contritio vera, in illis qui peccarunt mortaliter. Tertia pars de attritione, vel contritione vera, necessaria illis qui peccarunt mortaliter, est omnium Theologorum, teste Suare qui ait certam esse de fide. Eiusdémque dispositionis meminit Trident. sess. 6. cap. 6. Quanquam non omnia ibi enumerata sunt simpliciter necessaria. In eundémque sensum, Concilium citat illud Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Idem expressè docent sancti Patres, vt August. lib. de vera & falsa Pœnitentia, cap. 8. Baptismus, inquit, sine pœnitentia nunquam profuit eis qui peccarunt spontaneè. Ab hac pœnitentia soli qui baptizantur pueri immunes sunt.

Debent quoque habere propositũ non peccandi, & seruandi legẽ Christi. Ibidem Trident. inter dispositiones ponit propositum non peccandi de cætero, & seruandæ legis diuinæ: conformiter ad illud Christi Matth. vlt. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Iuxta quæ verba debent adulti, si fieri potest, vt etiam fit vsu Ecclesiæ perpetuo, priusquam baptizentur instrui de fine salutis, & de mediis, inter quæ sunt sacramenta & leges diuinæ: & rogari num renuncient Diabolo & operibus eius: quibus ex animo respondeant necesse est. Ac si profiterentur se talicarere proposito, baptizandi non essent, vt non satis dispositi & perfuncti suo munere profitendi exteriùs fidem & legem diuinam.

Per accidens tamen in casu necessitatis, vel ignorantiæ, etsi non præmittantur eiusmodi præmonitiones & interrogationes, neque concipiatur expressum & formale propositum, puto sufficere virtuale, quale includitur in seria expetitione diuinæ amicitiæ: hæc enim virtualiter excludit omnem voluntatem mortaliter peccandi, ac proinde includit voluntatem seruandi omnes leges diuinas graues, quod satis est. Nam propositum de venialibus non requiritur necessariò, sicut nec dolor de iisdem, ad recipiendum Baptismum licitè, & cum fructu iustificationis. Ratio verò cur propositum virtuale sufficiat, est quia sufficit in sacramento Pœnitentiæ, vt dicemus suo loco. Baptismus autem non est minoris efficaciæ, & æquè operatur ex opere operato. Per se tamen loquendo, vt liberè consentiant adulti in statum quem suscipiunt, & vt exterius verè profiteantur fidem ac legem diuinam, cuius Baptismus est per se prima & solemnis professio, debent, vt dixi, edoceri priùs fidem & præcepta diuina. Debent etiam, per se loquendo, dolere formaliter. Nam medium per se tendens directè ad remissionem peccati adhibendum est, quando directè & per se quæritur eius remissio per medium per se necessarium, & directè institutum ad eius remissionem, vt est Baptismus quoad peccata ipsum antecedentia. Quod etiam intelligo de peccatis mortalibus, priùs licet per contritionem remissis: quippe quæ non nisi vice Baptismi remissa fuerunt, & cum illius voto, ac proinde ipsi directè & per se subiicienda sunt, vt fit proportionaliter in sacramento Pœnitentiæ, quoad peccata post baptismum commissa. Non tamen nego per accidens in casu obliuionis, vel inaduertentiæ, virtualem pœnitentiam sufficere hîc posse: licet nunquam sufficiat in sacramento Pœnitentiæ: quippe quod essentialiter constat formali attritione, vel contritione, sine qua non modò non iustificat, sed ne quidem validum est. 27.

Debent dolere formaliter de peccatis.

28. Loquimur autem de adultis qui mortaliter peccauerint ante Baptismum. Nam si accedant cum solo originali, non egent pœnitentia propriè dicta: quippe quæ dolor est de propriis peccatis, & retractatio prauæ suæ voluntatis præteritæ. Neque etiam si accedunt cum solis venialibus: Nam si actualis commissio peccati venialis in Baptismo non impedit effectum iustificationis, vt affirmat D. Thom. quæst. 69. a. 9. ad 3. & cæteri cum illo communiter: multò minùs præsentia tantùm habitualis peccati venialis antea commissi. Illa tamen venialia non remittentur per Baptismum sine pœnitentia virtuali. Et quamuis non impediant effectum iustificationis simpliciter; impediunt tamen ne tantum gratiæ infundatur, quantum si digniùs accederent, vt habet Diuus Thomas a. 8. quæst. cit. & patet ex dictis disput. 21. sect. 3.

D. Thom.

Quarta pars conclusionis, quòd contritio

Contritio determinatè non est necessaria. determinatè necessaria non sit, est contra Gabriëlem, Marsil. Palud. Petr. Sotum, & Nauar. existimantes contritionem veram, vel præsumptam bona fide, necessariam esse ad iustificationem per Baptismum consequendam, respectu adultorum qui mortaliter ante ipsum peccauerunt. Probatur autem 1. ex D. Thom. quæst 79. art. 3. ad 2. vbi affirmat licitum esse ad Baptismum accedere cum conscientia peccati mortalis, quod falsum esset, si prærequireretur contritio vera vel præsumpta, quam sequitur remissio peccati mortalis vera vel præsumpta. 2. Ex Trident. sess. 14. cap. 4. sufficit attritio in sacramento Pœnitentiæ. Ergo & in Baptismo, qui æquè agit ex opere operato, neque minùs est efficax circa peccata sibi subiecta. 3. Alioqui Baptismus in adultis nunquam esset formaliter regeneratio, si priùs semper requireretur vera contritio. Patet, quia supponeret semper regenerationem factam per actum contritionis, quæ habet iustificandi vim per se, & citrà vsum sacramenti, vt clarè docet Trident. sess. 14. cap. 4. Denique cùm hoc sacramentum sit per se institutum ad remissionem peccati originalis, & actualium ante ipsum commissorum: non malè facit qui sibi conscius peccati mortalis, ex desiderio tamen remissionis, ad Baptismum recurrit. An verò in mortis articulo, contritio saltem necessaria sit, non solùm vt tutiùs saluti consulatur, verùm etiam quia præceptum contritionis circa id temporis obligat, dicemus inferius in tract. sequenti.

30. Occurritur obiectioni. Vt autem tacitè occurramus argumentis Marsilii & aliorum supra nominatorum, Nota 1. differre attritionem à contritione, in eo quòd contritio est dolor de peccatis ex motiuo charitatis, inquantum displicent Deo super omnia dilecto. Attritio verò est dolor conceptus ex motiuis inferioribus, vt timoris gehennæ, turpitudinis peccati, & similibus. Dicitúrque formalis, quando aliquis formaliter dolet de peccato. Virtualis autem, quando est alius actus in quo dolor includitur virtualiter. Vt quando est amor efficax virtutis, aut boni oppositi peccato. Sicut enim amare vitam, est virtualiter odisse omnia quæ sunt vitæ opposita: sic amare virtutem, est virtualiter odisse quæ illi sunt contraria.

Nota secundò, velle seruare omnia mandata, non esse actu & reipsa ea seruare: ac proinde velle Deum diligere ex charitate, aut velle conteri, non est re ipsa diligere ex charitate, vel exercere actum contritionis. Quare licet propositum requiratur: non tamen dilectio vel contritio. Nota tertiò, credere ex toto corde, non esse credere ex affectu charitatis: sed tota veluti extensione voluntatis, nihil admittentis fidei contrarium.

SECTIO IV.

An filii infidelium possint baptizari sine consensu parentum?

Conclusio: Vt paruuli Infidelium filii licitè baptizentur consensus parentum est communiter necessarius. Ita D. Thom. quæst. 68. art. 10. & alii communiter. Ratio est, quia vel relinquuntur sub cura parentum: vel ab illis inuitis abstrahuntur. Si primum: exponuntur periculo apostasiæ. Si secundum: fiet parentibus iniuria, quia priuabuntur naturali potestate, quam habent in filios vsque ad ætatem adultam. Confirmatur ex vsu Ecclesiæ, quæ tales neque baptizat, neque ad Baptismum admittit: qui vsus præponderat omnibus rationibus in contrarium apparentibus. 31. Vt filii infidelium baptizentur licitè, requiritur consensus parentum.

Dixi, *paruulos*: nam adulti, cùm ad vsum rationis peruenerint, sunt sui iuris, quoad hoc; & possunt, si velint, ac debent obedire Deo magis, quàm hominibus. Quòd si aliquando iure dubitaretur an talis qui Baptismum petit, perfectum habeat vsum rationis: siue ratione ætatis, siue aliunde; nisi instaret mortis periculum, differendus esset Baptismus, donec id satis constaret: ne alioquin incurratur periculum apostasiæ ex parte baptizati, aut læsionis patriæ potestatis, aut vtriusque. Sed in mortis articulo nullum est tale periculum: imò in illo baptizandus esset dissentiens, de cuius libertate dubitaretur. Quia satius esset exponere sacramentum periculo nullitatis, quàm animam periculo salutis.

Dixi præterea, *infidelium filios*, nam de fidelium filiis, & hæreticorum, & apostatarum qui post Baptismum discesserunt à fide, certum est posse eorum filios licitè baptizari, parentibus licet irrationabiliter inuitis; seclusis malis, quæ inde per accidens possunt euenire. Nam parentes huiusmodi sunt subditi Ecclesiæ, & illi tenentur obedire in iis quæ pertinent ad religionem, debitúmque vsum sacramentorum, tam circa se, quàm circa suos. Et cogi possunt ad seruandas leges diuinas, & Ecclesiasticas. Vnde nulla ipsis fit iniuria si eorum filii, quos baptizare negligunt, aut irrationabiliter differunt, baptizentur ab aliis, accepta ad id potestate ab Ecclesia. Si tamen inde timerentur grauia incommoda, vt bella, seditiones, aut apostasia eius qui baptizatur, quia non poterit extrahi à cura & educatione parentum: Tunc non liceret eum baptizare. 32. Secus est de filiis hæreticorum.

Dixi tertiò, *consensum parentum*: Nam consensus ipsorum paruulorum non requiritur, neque vlla alia dispositio moralis, cuius etiam capaces non sunt. Neque vlla fit infantibus iniuria quando non consentientes subiiciuntur Ecclesiæ per Baptismum: quia illis omnino expedit subiectionem 33. Non requiritur consensus ipsorum paruulorum.

hanc ita suscipere, cùm aliter saluari nequeant via communi, & in periculo moriendi versentur antequam adolescant; & iure diuino ad eam statim ac rationis capaces sunt sponte subeundam teneantur; atque ita nihil eis imponatur oneris, quod iure diuino non teneantur suscipere, si adolescant: Cùm interea gratiæ diuinæ, & remissionis peccati, & iuris ad communia Ecclesiæ bona, &, quod caput est, regni cœlestis, vt filii Dei adoptiui & cohæredes Christi, participes fiant. Denique Trident. sess. 7. can. 14. damnat Erasmum & Lutheranos affirmantes oppositum. Præterea nomine parentum intelligo vel vtrúmque, vel alterum. Nam consensus alterius tantùm sufficit: vt colligitur ex cap. *Iudæi* 31. quæst. 1. vbi dicitur filios matris fidelis, & patris infidelis, debere sequi fidem & conditionem matris: ac vice versa. Quod idem repetitur in cap. *Ex literis, de conuersione Infidelium.* Hoc tamen intellige secluso apostasiæ periculo: ita vt quoad ius parentum, in illa æqualitate vtriusque parentis, in fauorem religionis Christianæ præferendum sit ius parentis consentientis, iuri alterius dissentientis: cùm & ipse aliunde teneatur consentire ex præcepto diuino. Vlteriùs parentum nomine intelligo etiam curatores, vel tutores, qui loco parentum in filiorum curam successerunt.

Sufficit cõsensus alterius parentis.

Parentum nomine intellige etiã curatores & tutores.

34.

Consensus parentum infidelium non requiritur in certis casibus.

4. Denique dixi *communiter*: quia certi sunt casus excipiendi. Vnus est, si infideles victi fuerint in bello iusto à Christianis. Possunt enim iure belli filios à parentibus abstrahere, & baptizare. Imò quamuis essent per iniuriam abstracti à parentibus, nec ampliùs restituendi; possent tunc etiam licitè baptizari, præsupposita aliunde tali ablatione, sine spe restitutionis. Quia nec esset periculum apostasiæ respectu paruulorum, nec parentibus fieret iniuria, sed illâ suppositâ, bene fieret spiritualiter illorum filiis. Secundus est, in articulo mortis. Licet enim paruulos infidelium proximè morituros baptizare insciis aut inuitis parentibus, citra aliam tamen læsionem. Quia neque tunc est periculum morale apostasiæ: neque abstrahuntur à parentibus iniuriosè: siquidem mors ipsa naturalis rapit illos ex eorum dominio. Tertiò, Filii seruorum, id est, mancipiorum emptitiorum, qualia sunt in Hispania Maurorum, possunt etiam licitè baptizari sine consensu parentum. Quia tales subsunt dominio reali vna cum filiis, ita vt possit Dominus pro suo libito vel apud se retinere, vel aliis vendere, vel etiam à se inuicem separare, retinendo filios, & distrahendo parentes, vel contra. Facta autem illa separatione, cessat periculum apostasiæ respectu paruulorum. Cessat etiam iniuria, ratione dominii. Neque verò tantùm potest Dominus, verùm etiam tenetur, per se loquendo, sua huiusmodi mancipia, siue domi suæ nata, siue bello iusto capta, siue empta, baptizare in infantia & Christianè educare: quia parentes Christiani hoc debent suis liberis: Dominus autem succedit in ius & curam parentum. Et confirmatur, ex primæ ad Timoth. 5. *Si qui suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior est.* Dixi, *per se*: quia ratione circumstantiarum potest excusari. Vt si id nequit sine magnis incommodis aut difficultatibus. Cùm enim illi non sint in extrema necessitate salutis; non tenetur eis ita subuenire, neque cum pari obligatione in ius & curam parentum succedit. Hinc excusantur milites qui filios infidelium redimi sinunt, quia non possunt eos alere sine magnis difficultatibus & incommodis. Quartò, si gentiles, vel Iudæi, & alii infideles, vt ius habitationis obtinerent apud Catholicos, promiserunt se Christiano more victuros, possunt, ipsis licet inuitis, eorum filii baptizari: quia seipsi subiecerunt in hoc potestati Ecclesiasticæ, aut politicæ coactiuæ. Vt è contrariò si Principes Ecclesiastici derogent iuri cogendi hæreticos, pacis causâ, vel alia quauis iusta: iam non poterunt illis inuitis baptizare ipsorum liberos, vt rectè notat Aegid. Coninc num. 81. ad art. 10. quæst. 68.

Conink. Scotus. Gabriel.

35.

Infideles qui subsunt tantùm politicè, non possunt cogi ad baptismum.

Addunt quintò Scotus in 4. distinct. 4. quæst. 9. & Gabr. ibid. quæst. 2. art. 3. dub. 5. lit. S. Filios infidelium qui politicè tantùm & ciuiliter subsunt Ecclesiæ, seu Principibus Christianis vel Ecclesiasticis, posse ipsis inuitis baptizari, publica saltem authoritate Principis, vel communitatis. Sed hoc est contra communem Doctorum sententiam, & vsum Ecclesiæ. Nunc enim, & olim, Christiani Principes, atque ipsi summi Pontifices, quibus Iudæi multi iam à pluribus sæculis subiiciuntur politicè, tale quid nunquam attentarunt: quod tamen non prætermisissent, præsertim Principes multi & Pontifices sanctissimi, si id licitum existimassent. Ratio nimirum est, quia iurisdictio ciuilis non tollit subditis dominium reale, aut quasi reale, quod singuli habent in res suas, in liberos, domos, agros, &c. Princeps autem politicus tantùm, potest quidem ea præcipere, & prohibere, quæ ad iustitiam & honestatem naturalem & politicam pertinent: minimè verò quæ spectant ad supernaturalem & Ecclesiasticam, nisi subiiciantur vtraque subiectione, Ecclesiastica & ciuili: quales non sunt Gentiles & Iudæi politicè tantùm subiecti, & liberi. Vnde neque ad aliud cogi possunt licitè, quàm ad obseruationem legum ciuilium, qualis non est lex suscipiendi Baptismum. Quòd si grauiter delinquerent contra ciuile ius: tunc sicut in pœnam priuari possent bonis temporalibus, & vitâ propriâ; ita & filiis, qui tunc abstrahi possent & baptizari. Neque amplius probat argumentum Scoti, cùm ait, Principis esse Christiani cogere subditos vt filios suos bene instituant. Id enim verum quidem est quoad ea, quæ sunt iuris naturalis, & ciuilis; non autem quoad ea, quæ sunt iuris supernaturalis, aut Ecclesiastici, cui non sub-

sunt infideles. D. Thom. verò quæst. 68. art. 10. ad 2. affirmans Iudæos esse seruos Christianorum, loquitur tantùm de seruitute ciuili. Eodemque modo intelligendus est Innocentius III. in cap. *Etsi Iudæos, Extra, De Iudæis & Sarac.* Quare neuter contradicit superiori doctrinæ.

36. Obiicies pro Scoti & Gabriëlis opinione: Si pater infidelis vellet infantem suum occidere, aut nollet cum à periculo mortis, in quo esset, liberare, aut etiam pessimè educaret, prauisque moribus inficeret; posset Princeps eiusmodi infantem eripere de potestate patris abutentis patria potestate. Pertinet enim ad Principem vitam suorum tueri, & corrigere abusum patriæ potestatis in liberos. Ergo potest similiter eripere infantem patri nolenti eum eruere à morte peccati originalis, & à periculo euidenti æternæ damnationis, volentique illum praua doctrina & malis moribus infidelitatis imbuere. Neque enim minùs sic abutitur patria potestate. Confirmatur, quia pater infidelis non habet ius, aut facultatem sibi concessam à Deo, vt ipse non baptizet filium, & impediat alios qui illum baptizare volunt. Imò potiùs tenetur iure diuino procurare, vt filius baptizetur, & saluetur. Ergo non fit illi iniuria præcisè in eo, quòd eius filius ipso inuito baptizetur. Quia non fit contra ius aut facultatem ipsi à Deo, vel à natura concessam, quæ violetur à baptizante, faciente id solum, ad quod ipse tenetur iure diuino. Neque etiam fit illi iniuria in eo quòd infans ei subtrahatur: quia charitas præcipit, & ius naturale permittit, vt proximo, præsertim innocenti, subueniamus in graui periculo.

37. Soluitur obiectio.

Respondeo, Principem posse subtrahere filium patri, quando id necesse est ad auertendam iniuriam quæ filio fieret contra ius naturale: vel ad impediendam prauam educationem contra ciuilem gubernationem exteriorem. Nam in eo potest Princeps corrigere, vel impedire abusum patriæ potestatis. At neutrum horum fit, quando pater infantem impedit, ne baptizetur. Peccat enim, non contra iustitiam naturalem, sed contra legē fidei: Neque facit contra mores qui iudicantur necessarii rectæ ciuili gubernationi exteriori. Aliunde verò Deus voluit Baptismum & fidem liberè suscipi ab infidelibus, & ius paternum in filios non violari: quia contrarium magnam rerum perturbationem induceret, & Christi Euangelium & sacramenta redderet gentilibus & infidelibus valde odiosa. Deum autem sic voluisse colligimus ex vsu Ecclesiæ. Ad confirmationem respondeo minorem esse veram de graui periculo mali proximè imminentis, non aliter euitabilis. At infans non est in tali periculo, nisi sit in periculo mortis, in quo potest baptizari, parente inuito, vt supra diximus.

38. Baptismus paruulorū sine cōsen-su parētum infidelium, est validus.

Superest notare, quamuis illicitum sit in prædicto casu baptizare filios infidelium, inuitis parentibus: Baptismum tamen ratum & validum esse, vt rectè docent S. Thom. quæst. 68. art. 10. ad 1. S. Antonin. Syluester, Caiet. & alii, quos refert & sequitur Vasquez disp. 155. c. 6. vbi meritò ait hanc sententiam tam certam esse, vt infantes huiusmodi non debeant, neque possint ea de causa sub conditione rebaptizari. Ratio est, quia nihil tali Baptismo deest, quod ad essentiam Baptismi requiratur. Est enim materia & forma debita, intentio Ministri, & subiectum capax, ex cuius parte (cùm sit infans) nullus actus voluntatis est necessarius. Parentum autem consensus non est necessarius ad valorem Baptismi: Alioqui filii hæreticorum non possent ipsis inuitis baptizari: quod falsum esse concedunt Catharin. & alii quidam contrariæ sententiæ assertores. Friuolum verò est quod respondet Catharinus in opusculo *de pueris Iudæorum recipiendis ad Baptismum*, differentiam esse, quia Ecclesia supplet consensum parentum hæreticorum: at non parentum non baptizatorum, quia pro istis Ecclesia nihil supplet. Friuolum, inquam, hoc est, quia non est necesse suppleri ab Ecclesia, vt Baptismus sit validus, id quod non est necessarium ad valorem Baptismi. At consensum parentum necessarium esse, neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex Patribus, aut vsu Ecclesiæ colligi potest.

Proferunt quidem aduersarii id quod ait August. epist. 23. ad Bonifacium, paruulos dici credere, quando baptizantur. Sed Augustin. ibidem explicat quo sensu credere dicantur: Nempe quia recipiunt Baptismum, qui est sacramentum fidei, & appellatur fides, eo loquendi modo, quo interdum nomen rei significatæ tribuitur signo, vt pluribus exemplis ostendit. Dicuntur etiam credere, saltem in fide Ecclesiæ, quæ illos Deo offert, eo ipso quòd Baptismi sacramentum sub forma à Christo præscripta illis exhibet, & eo ipso quòd baptizans intendit facere id quod facit Ecclesia. Sed non est necesse, vt credant etiam in fide baptizantis, vel aliorum offerentium, siue parentum, siue aliorum, quàm ipsius Ecclesiæ. Quasi verò Baptismus collatus à Ministris hæreticis non sit validus: aut paruuli quorum parentes, vel alii offerentes sunt hæretici, non sint validè baptizati: quorum vtrúmque iampridem contra Donatistas definitum est, & vsu Ecclesiæ damnatum. Neque enim tales ab Ecclesia rebaptizantur. 39. Quo sensu credere dicuntur paruuli?

SECTIO V.

Vtrum Baptismus sit omnibus necessarius ad salutem?

Recolendum est id, quod alibi diximus disp. 20. sect. 4. Dupliciter dici posse quidpiam necessarium ad salutem. Necessitate scilicet vel præcepti, vel medii. Priori modo necessarium dicitur id quod est præ- 40. Necessariū ad salutem dicitur dupliciter.

ceptum, vt colere Deum, non furari, &c. Posteriori, id quod est medium ad salutem consequendam necessarium. Quod dupliciter tale esse & dici potest. 1. Magis strictè & propriè, id sine quo reipsa habito non potest vllo modo secundum legem Dei ordinariam, salus obtineri: qualis est simpliciter gratia finalis, sine qua nemo saluatur, neque saluari potest, secundum legem Dei ordinariam: qualis item est secundum quid, nempe citra Martyrium, Baptismus infantium in lege Euangelica. 2. Et paulò latiùs necessarium dicitur ad salutem, id quod ad primam iustificationem, sine qua salus obtineri nequit, ita est medium necessarium, vt sine ipso, aut alio veluti eius vicario nunquam obtineatur; ita vt quando illud re ipsa non ponitur, iustificatio non acquiratur per aliud, nisi cum directa & speciali obligatione ad ipsum, vt ad medium per se quodammodo necessarium, vice cuius tunc temporis iustificatio confertur: & iustificatio prout confertur hîc & nunc, inducat, specialem obligationem ad illud suo tempore ponendum, velut ad id cuius vice iustificatio antea collata fuit per contritionem, aut quid aliud, in ordine ad ipsum vt ad medium per se quodammodo necessarium, & vt tale à Christo institutum. Sic Baptismus respectu adultorum nondum baptizatorum necessarius est, vt explicabitur paulò post: Et sacramentum Pœnitentiæ, respectu eorum qui post Baptismum in peccatum mortale inciderunt. Sic etiam solutio pretii est medium necessarium ad aliquid emptione comparandum: quia emptio obligat ad soluendum pretium: & quando fit per chirographum; datur dominium rei emptæ, pro pretii solutione, cuius vice substituitur chirographus cum obligatione soluendi suo tempore.

41. **Baptismus est aliquo modo necessarius omnib. ad salutem.** His præsuppositis, certum est primò, Baptismum esse aliquo modo omnibus necessarium ad salutem iuxta illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. quod idem expressè ex consensu Patrum & Ecclesiæ vniuersæ traditum & definitum fuit ab Innocentio I. contra Pelagian. epist 26. ad Concil. Mileuit. Florent. in Decreto, §. *Hæc omnia*, & Trident. sess. 7. can. 5. de Baptismo.

Non tamē simpliciter. Secundò speciatim dico, respectu paruulorum, & adultorum nondum baptizatorum, non esse medium necessarium simpliciter priori modo. Ratio primæ partis est, quia paruuli sine Baptismo reipsa suscepto possunt iustificari & saluari per Martyrium: adulti verò, per actus charitatis & per Martyrium formale. Ergo Baptismus non est illis simpliciter necessarius ad salutem primo illo modo. Dixi, *simpliciter*: quia secundum quid, citra Martyrium scilicet, est necessarius paruulis: cùm non possint alia via iustificari: neque enim possunt per actus charitatis. Adultis quoque, seposito actu charitatis seu Baptismi flaminis, & sanguinis, necessarius est Baptismus fluminis: quia non possunt aliter iustificari ante Baptismum re ipsa susceptum, neque enim aliorum sacramentorum sunt capaces, quorum vi cum attritione sola iustificentur.

Pro quo nota aliud esse, loqui de Baptismo in suppositione determinata, prout hîc loquimur de illo quando negamus esse simpliciter & primo modo necessarium ad salutem; quia eius defectus potest suppleri per vicarium: & aliud, loqui in suppositione confusa & indeterminata de Baptismo in re vel in voto: quo sensu nemo sine illo saluari potest, vt patet ex Trident. can. cit. 42.

Nota præterea, quando ad finem aliquem plura media seorsim & singula sufficiunt: licet nullum eorum, præsentibus aliis, necessarium sit determinatè: aliis tamen deficientibus, illud quod solum remanet, fieri determinatè & omnino necessarium. Atque ita deficiente occasione Martyrii, Baptismus est omnino necessarius paruulis ad salutem: quia sine alterutro saluari non possunt.

Dico tertiò, Baptismum esse necessarium necessitate medii posteriori modo, tam respectu paruulorum, quàm adultorum. Ratio est, quia, cùm ante Baptismum iustificantur paruuli, vel adulti, per aliud medium: id non fit nisi veluti vice Baptismi, cuius etiam suscipiendi, si possint, obligationem specialem inducit; diciturque illa iustificatio fieri per baptismum in voto; siue, non fieri sine voto baptismi, vt loquitur Trident. sess. 6. cap. 4. similique modo loquitur de sacramento Pœnitentiæ, quoad mortalia post Baptismum commissa, sess. 14. cap. 4. Verba Concilii priori loco sunt: *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto, fieri non potest: sicut scriptum est, Nisi quis renatus fuerit*, &c. Hinc est quòd Cornelius Actor. 10. priùs licet iustificatus, baptizatur à Petro: & alii similiter baptizandi sunt. Sicut chirographus non eximit à solutione pretii, sed potius obligat ad illam. 43. **Est mediū aliquo modo necessarium ad salutem.**

Addo quartò, Baptismum esse necessarium etiam necessitate præcepti, respectu adultorum, qui soli sunt capaces præcepti. Tum ratione salutis æternæ, quæ quia in præcepto est, ergo & medium ad illam necessarium, pendens à nostra libertate: tum ratione Eucharistiæ suscipiendæ, quæ ex præcepti necessitate suscipienda est, vt ostendemus suo loco, & sine Baptismo præuio recipi nequit: tum etiam ratione sui ipsius: sicut enim Circumcisio, etiam per se & ratione sui, erat præcepta in lege veteri, veluti nota & professio Gentis & fidei Abrahamiticæ: sic baptismus per se quoque & ratione sui est in præcepto, vt aditus ad Ecclesiam Christi, & professio legis Euangelicæ. 44. **Est necessarius ex præcepto respectu adultorum.**

Necessitas verò baptismi, tam vt medii, quàm vt præcepti, cœpit ab eo tempore, quo lex Euangelica sufficienter fuit promulgata: vt indicat Trident. sess. 6. cap. 4. dicens, Post Euangelii promulgationem neminem sine lauacro regenerationis aut eius voto 45. **Quādo cœpit necessitas baptismi?**

iustificari. Quibus verbis significat necessitatem medii inde cœpisse. Multò magis autem necessitas præcepti non fuit ante promulgationem: quia præcepta positiua non obligant, antequam promulgentur, & intimentur sufficienter. Hæc autem promulgatio solemnis & sufficiens quandonam facta fuerit, & an simul vel successiuè per Apostolorum prædicationem toto orbe diffusam, non est huius loci discutere. * Tantùm dico ad illam vsque valuisse remedium in lege naturæ institutum pro paruulis iustificandis.

Vide hac de re, quæ diximus tom. 2. disp. 27. de legib. sect. 1.

46. *Præceptum baptismi quomodo obliget?*

Porro Baptismi præceptum obligat adultos nondum baptizatos vt Baptismum suum non diu differant cum morâ vituperabili: quæ mora prudenti iudicio metienda est. Estque præceptum hoc diuinum, non Ecclesiasticum: Quia ecclesia non habet ius præcipiendi circa non baptizatos, qui nondum subiacent eius iurisdictioni. In paruulis verò baptizandis tenenda est Ecclesiæ consuetudo. Iurisque ac præcepti naturalis & diuini esse arbitror, vt parentes & pastores non diu sinant paruulos esse sub diabolica potestate, quos tam facilè transferre possunt ad statum filiorum Dei. Quanquam nullum ea de re est expressum & speciale præceptum diuinum, aut Ecclesiasticum: neque certa mensura temporis determinata, vltra quam baptismus differri licitè nequeat. Posset tamen Ecclesia eam determinare, & præcipere fidelibus vt paruulos suos baptizari curarent tali vel tali tempore. Subsunt enim illi iurisdictioni Ecclesiæ circa se & sua in spiritualibus.

47. Contra secundam assertionem de necessitate Baptismi respectu infantium senserunt olim Pelagiani, teste D. August. variis locis, existimantes nullum esse peccatum originale: & paruulos omnes, tam fidelium, quàm infidelium, habituros sine baptismo vitam æternam citra quoduis priuilegium. Sed hic error iampridem ab Ecclesia damnatus est: de quo plura videri possunt apud Vasq. disp. 149. cap. 1. Nouatores autem, eò quòd legant apud Apostolum 1. Corinth. 7. vers. 14. filios fidelium vocari sanctos, docent nulli eorum imputari à Deo peccatum originale, licet illud verè contrahant, idque in gratiam parentum: ac proinde baptismum non esse illis necessarium ad salutem. Sed hoc quoque repugnat Scripturæ, ex qua constat originale peccatum imputari ad pœnam, etiam filiis fidelium; iuxta illud Ephesiorum 2. *Eramus & nos naturâ filii iræ, sicut & cæteri.* Nos, inquit, Iudæi licet, ex fidelibus & Iudæis atque ex Dei populo nati, æquè ac cæteri nati ex infidelibus, eramus naturâ, id est, ab originè, & ex naturali generatione, filii iræ & damnationis æternæ: si enim filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ, inquit D. August. tract. 44. in Ioan. Neque hæreticos iuuat quòd Deus Genes. 17. vers. 7. promittit Abrahæ se fore Deum ipsius, & seminis ipsius. Hæc enim promissio non est intelligenda sine quibusdam conditionibus requisitis ex parte Abrahæ & seminis ipsius, vt clarè patet ex Rom. 9. vers. 8. Neque illis magis fauet locus citatus ex 1. Corinth. 7. vers. 14. Nam Paulus ibi loquitur de filiis natis ex vno coniuge fideli, & altero infideli; qui aliquando sanctificantur, baptizati & conuersi curâ & operâ parentis fidelis: sicut etiam coniux infidelis non rarò à fideli conuertitur: eoque sensu dicitur ibi sanctificari vir infidelis per mulierem fidelem.

48. *Explicatur locus Apostoli.*

Neque enim existimandum est virum infidelem, manentem infidelem, sanctificari per vxorem fidelem. Cùm Paulus Hebr. 11. absolutè pronunciet, *Sine fide impossibile est placere Deo*: & Marc. vlt. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Huius ergo tanti boni spe hortatur ibi Apostolus coniuges fideles, ad habitandum cum coniugibus infidelibus pacificè cohabitare volentibus. *Sanctificatus enim est*, inquit, *vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*: vel de facto, quia iam studio & cura coniugis fidelis baptizati sunt: vel in spe non essendi de cætero, id est, non permanendi in immunditia, & infidelitate, sed aliquando emergendi ex illa, ope parentis fidelis, sine qua immundi essent, id est, in immunditia perseuerarent: *nunc autem sancti sunt*, in re scilicet, vel in spe aut proxima dispositione, & cura quam adhibet parens fidelis: vt interpretantur Hieronym. August. Tertull. & alii, qui ob eandem causam filios parentum fidelium ante susceptum baptismum vocant, candidatos fidei & sanctitatis, id est, destinatos ad illam à parentibus fidelibus. Videri potest Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 4. vbi perspicuè ostendit communem Patrum consensum repugnare hæreticorum temeritati. Singulariter autem notanda sunt verba D. August. lib. 1. de Peccatorum meritis & remiss. cap. 23. *Nulla, inquit, ex arbitrio nostro salus æterna præter Baptismum Christi promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina humanis omnibus ingeniis præferenda.* Et lib. 3. de Origine animæ cap. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequam baptizentur, peruenire posse ad originalium peccatorum indulgentiam, si vis esse Catholicus.*

Bellarm.

August.

49. *Error Caiet. paruulos posse saluari sine baptismo.*

Contra eandem assertionem opinatus est Caiet. ad art. 2. quæst. 68. existimans deficiente opportunitate baptizandi paruulos, votum baptismi à parentibus aut ab aliis conceptum, eis sufficienter prodesse ad salutem; idque ex lege vniuersali & infallibili. Gerson autem, & alii pauci, dixerunt preces parentum pro filiis Deo oblatas in eum finem, posse interdum illis sufficere sine Baptismo. At hæc communiter à recentioribus reiiciuntur tanquam à Patrum doctrina, & ab Ecclesiæ sensu dissentanea: & iussu Pii V. opinio Caietani expuncta fuit, licet adhuc in quibusdam exemplaribus vetustioribus, aut

Romæ

Romæ non cusis reperiatur. Neque propterea deterior est conditio paruulorum in lege noua quàm in veteri, simpliciter & absolutè. Quamuis enim secundum quid remedium tunc temporis melius esset, quia generalius: tamen simpliciter longè plures saluantur in lege Euangelica toto orbe diffusa, quàm tunc in fide parentum. Pauci enim tunc erant fideles comparatiuè. Adde quòd baptismus paruulis æquè prodest datus ab infidelibus, atque à fidelibus, & vberiorem gratiam præstat, & citiùs ad gloriam perducit deletâ simul omni culpâ & pœnâ quorumcunque peccatorum; quàm Circumcisio, aut aliud remedium legis naturalis aut Mosaicæ. Quomodo autem Deus salutem paruulorum in vtero morientium antecedenter voluerit, diximus suo loco, prima parte disputatione vigesima, sectione 4. num. 37. & sequentibus.

DISPVTATIO VIGESIMA QVINTA,

De effectibus Baptismi, & de obice.



DE effectibus Baptismi disputat S. Thomas tota quæst. 69. & art. 1. docet omnia peccata tolli per Baptismum: quia per illum moritur homo vetustati peccati, & incipit viuere nouitati gratiæ. Omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet. 2. Tolli etiam totum reatum pœnæ: quia per Baptismum communicatur homini meritum passionis Christi ad remedium, non secus ac si ipse passus, & mortuus esset. Passio autem Christi est sufficiens satisfactio pro peccatis omnium hominum. 3. Licet Baptismus præsentis vitæ pœnalitates auferendi virtutem habeat; non tamen eas tollere ante resurrectionem: vt membra Christo incorporata capiti suo similia sint, & in pugna spirituali victoriam reportent; neue vllus propter præsentis, sed futuræ potius vitæ commoda ad Baptismum accedat. 4. Per Baptismum conferri homini gratiam, & virtutes: quia Baptizati Christo incorporantur, vt membra eius: à capite autem Christo, in omnia membra eius, gratiæ, & virtutis plenitudo deriuatur: secundum illud Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* 5. Cùm per Baptismum homines incorporentur Christo, quasi membra ipsius: sicut à capite naturali deriuatur ad membra sensus & motus: ita à capite spiritali, quod est Christus, deriuatur ad membra eius sensus spiritalis, qui consistit in cognitione veritatis: & motus spiritalis, qui est per gratiæ instinctum. Et ideo consequens est, quòd baptizati illuminentur à Christo circa cognitionem veritatis, &
17. fœcundentur ab eo fœcunditate bonorum operum per gratiæ infusio-

nem. 6. Cùm etiam pueri in Baptismo Christi membra efficiantur, consequens est eos non modò characterem Christi; verùm etiam gratiæ, & virtutum influxum recipere. 7. Apertionem ianuæ regni cœlestis esse effectum Baptismi. Quia aperire ianuam regni cœlestis est amouere impedimentum introëundi. Quod impedimentum est culpa, & reatus pœnæ. Baptismus autem omnem culpam, & omnem reatum pœnæ tollit. 8. Omnes æqualiter dispositos recipere æqualem effectum illum Baptismi, ad quem per se institutus est, videlicet regenerationem in vitam spiritalem per gratiam sanctificantem: secus autem effectus extraordinarios, miraculosos, vt extinctionem fomitis concupiscentiæ. 9. Fictionem impedire effectum Baptismi, quia vt aliquis iustificetur per Baptismum, requiritur voluntas amplectendi Baptismum, & eius effectum. Dicitur autem aliquis fictus per hoc, quòd voluntas eius contradicit vel Baptismo, vel eius effectui. Vnde manifestum est quòd fictio impedit effectum Baptismi. 10. Fictione remota per pœnitentiam, statim Baptismum consequi suum effectum. Quia Baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Cùm autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impediens, quo remoto forma rei generatæ perficit suum effectum: sicut simul ac corpus graue generatur, mouetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto statim incipit moueri deorsum. Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandóque per fictionem: quare oportet, vt eâ remotâ per pœnitentiam, Baptismus statim consequatur suum effectum. Hucusque D. Thomas.

SECTIO I.

Qui sint effectus Baptismi?

1. EFFECTVS Baptismi sunt sex. Primus est character, nota domesticorum Dei & ciuium Christi: iuxta illud Ephes. 2. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei*, &c. Secundus est vnio moralis cum Christo vt capite, ad participanda ipsius merita in ordine ad regenerationem spiritualem, de qua Trid. sess. 6. cap. 3. & Paulus ad Galat. 3. v. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* & Rom. 6. v. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Tertius est, remissio peccati originalis, & omnium actualium Baptismum præcedentium, & infusio gratiæ & virtutum, seu perfecta iustificatio per modum regenerationis spiritalis: iuxta Trid. sess. 6. c. 3. & 4. & Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto:* & Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Quartus effectus est, ius ad auxilia specialia fini suo proportionata, nempè ad sanctè & christianè viuendum, vt decet filios Dei adoptiuos, Christique fratres, & regni cœlestis hæredes: iuxta illud D. Leonis magni serm. 1. de Natiuitate, *Agnosce o homo dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.*

Sex bapt. effectus.

Quintus est, totius pœnæ, ob præcedentia peccata, Deo debitæ remissio, absque satisfactione: & patefactio aditus in regnum cœlorum absq; dilatione, si quis post baptismum sine nouo peccato moriatur. De quo effectu Florent. in decreto Eugenii sic habet: *Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpæ, originalis & actualis: omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum & Dei visionem perueniunt.* Hæc Concilium. Quæ intellige, dummodo baptizato non desit saltem attritio formalis aut virtualis, circa peccata mortalia, aut venialia, quæ commisit ante baptismum. Nullum enim peccatum actuale remittitur sine aliqua eius detestatione & retractatione. Vnde fieri potest vt baptizato non remittantur venialia cum mortalibus, si de illis non atteratur. Culpâ verò non remissâ, non remittitur pœna ei respondens. Idem etiam definit Concil. Trident. sess. 5 can 5. & sess. 14. c. 8. vbi hanc ponit differentiam

Baptismus tollit omnem pœnam.

inter sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ, quòd in baptismo pœna omnis aboleatur: quippe qui est regeneratio, & prima per se cum Christi corpore vnio. In sacramento autem Pœnitentiæ, quamuis peccata deleantur quoad reatum culpæ: non tamen sine satisfactione & pœna, vel eius debito. Quia in sacramento Pœnitentiæ, non est prima alieni receptio in amicitiam, quæ liberalior esse solet: sed est ingrati domestici reconciliatio, quæ sine pœna non est facienda, ad coërcendam hominum leuitatem, & peccandi licentiam. Per pœnas autem intellige, non fomitem peccati, neque mortem naturalem, aut ægritudines, & similes, quas pœnalitates vocant, propter peccatum quidem permissas, sed naturali hominum conditioni affixas: sed pœnas inferni, & illas quas Deus in expiationem vel præparauit in Purgatorio, vel commisit imponendas à suis vicariis.

2. Baptismus facit membrum Ecclesiæ. Sextus & vltimus baptismi effectus est, quòd ita constituat membrũ Ecclesiæ, vt eius subiiciat potestati, tribuatque vicissim capacitatem aliorum sacramentorum, & ius ad illa, cæteraque Ecclesiæ communia bona. Primum constat ex Trid. sess. 14. c. 2. *Constat*, inquit, *Baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat qui non priùs in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus de iis, qui foris sunt, iudicare? Secus est de domesticis fidei quos Christus Dominus lauacro baptismi sui corporis*, visibilis nempe Ecclesiæ, *membra semel effecit*. Secundum, de capacitate scilicet aliorum sacramentorum, colligitur ex cap. 1. eiusdem sess. vbi ait nemini ante baptismum, Pœnitentiam esse sacramentum. De Ordine idem expressè traditur cap. 1. & 3. *de presbytero non baptizato*: de aliis verò par est ratio. Vtque olim Circumcisio ianua fuit Ecclesiæ Mosaicæ, sine qua Iudæi non erant capaces aliorum sacramentorum, & rituum illius legis: sic baptismus est ianua Ecclesiæ Euangelicæ. Ac sicut nemo potest corporaliter crescere, nutriri, sanari, &c. Nisi priùs generetur corporaliter: ita prius est baptizari & renasci exteriùs per baptismum, quàm crescere & corroborari per Confirmationem, nutriri per Eucharistiam, sanari per Pœnitentiam, &c. vt rectè D. Thom. affirmat q. 65. art. 1. & 2. Ex quo sequitur, eos qui ante baptismum iustificantur, licet aliquo modo interiùs & apud Deum renascantur, non esse tamen capaces sacramentorum, priusquam exteriùs renascantur ex aqua; neque esse aliter Ecclesiæ visibilis membra, id est, cœtus illius & corporis seu communitatis spiritalis, certis legibus viuentis, & subiectæ vni capiti visibili, Summo Pontifici: quamuis sint membra Ecclesiæ latiùs sumptæ pro collectione credentium aut iustificatorum quomodocunque.

[Baptismus est fundamentum reliquorũ sacramentorum.] [S. Thom.]

[Effectus falsò tributi baptismo ab hæret.] Atque hi sunt veri effectus baptismi, quibus nonnullos falsò addunt hæretici: Quòd baptizatus non possit damnari etiamsi velit, nisi nolit credere: Quòd baptismus liberet ab obedientia diuinæ legis: itémque ab humanarum legum obseruatione, & ab omnibus votis: Quòd denique sola memoria baptismi iustificet à peccatis post baptismum commissis. Qui omnes errores damnantur à Trident. sess. 6. can. 6. 7. 9. & 10. de Baptismo: fusiùs autem refutantur à Bellarmin. lib. 1. de Baptismo cap. 14. & sequentibus. [Bellarmin.]

3. Potest poni obex regenerationi, non autem aliis baptismi effectibus. Inter veros baptismi effectus supra recensitos differentia est, quòd regenerationi spiritali obex poni potest ab eo qui accedit indispositus. Secus autem characteri, & aliis. Si enim baptismus est validus, imprimit characterem, subiicit Ecclesiæ iurisdictioni, & dat capacitatem recipiendi alia sacramenta. At non regenerat spiritaliter per remissionem peccatorum & gratiæ infusionem, si subiectum indispositum est. Quod tripliciter contingere potest. Primò, si caret inculpabiliter dispositione necessaria, ignarus sui debiti: & hic obex dicitur negatiuus. Secundò, si caret culpabiliter, id est, scienter & liberè contra debitum: & hic dicitur priuatiuus. Tertiò, si peccat eo instanti, quo baptizatur, aliquo alio genere peccati mortalis, exercendo aliquem actum positiuum malum atque culpabilem, vel omittendo aliquem necessarium: & hic obex dicitur contrarius, atque etiam positiuus, si est peccatum commissionis, quia tale peccatum repugnat positiuè & incompatibiliter illi effectui baptismi, de quo loquimur, nempe remissioni peccatorum, & gratiæ infusioni. Nam peccatum non potest simul committi actu, & remitti: alioquin esset simul & non esset. Quod enim committitur, est: & quod remittitur, non est eo instanti quo remittitur & aboletur. Quare peccatum hoc non potest tunc remitti. Neque etiam alia: quia vnum mortale non remittitur sine alio, neque venialia sine mortali coniuncto, vt suppono ex tract. de Pœnitentia. Gratia quoque secundum legem à Deo positam non potest esse simul cum peccato mortali: quare non potest infundi peccanti mortaliter eo instanti quo peccat: alioquin peccatum & gratia simul essent eo instanti. [Obex potest tripliciter poni: vnde triplex distinguitur.]

[Obex positiuus potest poni dupliciter.] Potest autem obex positiuus poni, vel exercendo actum positiuum directè repugnantem dispositioni necessariæ, vel effectui baptismi: vt si quis positiuè nolit credere, nolit atteri, nolit iustificari, licet velit baptizari: vel committendo peccatum aliud, putà odii, vel malæ concupiscentiæ: Idque vel non ignorando quòd teneatur ab eo abstinere, propter reuerentiam & exigentiam sacramenti; & tunc duplex peccatum est, id est, duplex peccati species: odii, & sacrilegii: vel ignorando aut non aduertendo inculpabiliter; & tunc est simplex peccatum odii, loquendo de peccato culpabili.

4. De obice baptismi, præter ea quæ ge-

neratim explicata sunt suprà disp. 21. sect. 4. & 5. nimirum baptismum, & cætera sacramenta, eo sublato reuiuiscere, & effectum sortiri: ad eum autem remouendum, si fuit obex tantùm negatiuus, id est, sine nouo mortali peccato in ipsa baptismi susceptione commisso, sufficere, ponere attritionem aut similem aliam dispositionem quæ defuit, modo tamen ante reuiuiscentiam nullum fuerit mortale peccatum à baptizato commissum: sin autem obex priuatiuus aut contrarius fuit, id est, peccatum mort. omissionis aut cõmissionis in ipsa bapt. susceptione commissum; aut si post susceptionem baptismi cum obice negatiuo, peccatum sit mortaliter antequam reuiuiscat; requiri contritionem vel attritionem cum alio sacramento, putà Pœnitentiæ per se, aut Eucharistiæ per accidens. Præter hæc inquam, superest explicandum speciatim de obice baptismi positiuo vel priuatiuo: Primò, an & quomodo spectet ad Pœnitentiæ sacramentum? Secundò, quomodo tale peccatum obicis remittatur per Pœnitentiam: priúsne natura quàm peccatum originale remittatur per baptismum? an simul, aut posterius?

SECTIO II.

Quomodo obex Baptismi spectet ad sacramentum Pœnitentiæ?

5. *Pertineátne obex baptismi ad sacramentum pœnitentiæ?*

RAtio dubitandi est, quia sacramentum Pœnitentiæ non habet vim remittendi peccata nisi post baptismum commissa ab homine subiecto iurisdictioni Ecclesiæ. At peccatum, de quo loquimur, non committitur post baptismum, sed simul cum baptismo, eodem tempore & instanti quo perficitur: ergo, &c. Minor est clara ex suppositione: loquimur enim de peccato illo, quod committitur eo instanti, quo perficitur sacramentum, quodque sua præsentia actuali impedit ne baptismus gratiam conferat eo instanti, quo deberet conferre. Maior autem probatur ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. vbi ait, per sacramentum Pœnitentiæ, lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicari. Et paulò post addit sacramentum Pœnitentiæ fuisse à Christo institutum quando Ioan. 20. dedit Apostolis & eorum successoribus, *Potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos.* & cap. 2. *Constat certè*, inquit, *Baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi*, inquit *Apostolus, de iis, qui foris sunt, iudicare? Secùs est de domesticis fidei quos Christus Dominus, lauacro baptismi, sui corporis membra semel effecit. Nam hos si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito baptismo ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit.* & c. p. 5. initio ait institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, *& omnibus post baptismum lapsis*, iure diuino necessariam existere. Denique cap. 8. initio rationem reddens cur in sacramento Pœnit. satisfactio pro peccatis confessis iniungatur, ait, *Diuinæ iustitiæ rationem exigere vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui semel à peccati & dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerint.* Hucusque Trident. Quibus omnibus locis videtur apertè docere non pertinere ad forum Pœnitentiæ nisi ea peccata, quæ post baptismum commissa sunt.

6. *Peccatum obicis fuit posterius baptismo.*

Quapropter Suar. disp. 28. sect. 5. conclus. 3. concessa maiore argumenti propositi pro ratione dubitandi, negat minorem; aitque peccatum fictionis siue obicis computari inter ea, quæ baptismum subsequuntur. Quia, inquit, Baptismus in ordine ad suscipientem & ad dispositionem eius, prius natura imprimit characterem, quàm infundat gratiam. Tum quia ad imprimendum characterem nullam requirit dispositionem, quam requirit ad gratiam: tum etiam quia sicut character baptismalis est potentia passiua ad alia sacramenta, & ad eorum effectus: ita & ad effectum gratiæ baptismalis. Igitur quando homo ponit obicem gratiæ baptismali per fictionem sacrilegam, iam intelligitur insignitus charactere baptismali. Ergo tale peccatum, prout reipsa fit, est ab homine iam baptizato. Tum quia est ab homine affecto charactere: tum etiam quia sicut prius natura est baptismum esse, quàm causare gratiam: Ita prius natura est baptismum esse, quàm actualiter illi ponere impedimentum ne causet gratiam. Ergo hoc peccatum, vt sic, est ab homine iam subiecto clauibus Ecclesiæ: Per characterem enim subiicitur. Est ergo materia sacramenti Pœnitentiæ. Hæc ibi Suar. qui addit paulò post se loqui de peccato fictionis, siue obicis, formaliter sumpto, id est, prout obex est. Non autem de eodem sumpto materialiter, putà de odio, vel furto, commisso in ipsa susceptione baptismi, quæ peccata, vt talia, & secundum se, negat pertinere ad sacramentum Pœnitentiæ, sed tantùm vt sunt obex. Ita vt postea in confessione satis sit pœnitentem dicere se indignè baptismum suscepisse: non explicando an oderit vel furatus sit. Quod probat 1. testimonio D. August. & D. Thomæ affirmantium remota fictione per pœnitentiam subsequentem, Baptismum auferre culpam, & reatum omnium peccatorum præcedétium baptismum, & baptismum comitantium. Probat 2. ratione: quia, inquit, sola fictió formalis, est quæ directè opponitur baptismo, & per se ex vi rationis suæ habet actualem repugnantiam cum effectu illius. Et ideo per se etiam est vt baptismus non habeat vim ad remittendum tale peccatum. Reliqua verò peccata per se non habent vt directè repugnent effectui baptismi, atque obicem illi ponant:

sed hoc per accidens contingit ex sola concomitantia temporis. Vnde baptismus non habet ex vi sua vt non tollat huiusmodi peccata, sed tantùm per accidens, ex actuali indispositione voluntatis. Vnde etiam fit vt alia peccata merè concomitanter se habeant ad baptismum, & ad eius effectum, vel carentiam illius. At verò fictio formaliter sub ratione sacrilegii, & obicis baptismi quoad effectum eius, ex natura sua supponit baptismum.

Refellitur Suarez. Hæc doctrina non satisfacit. Nam inter ea, quæ sunt simul tempore, non est prioritas naturæ, nisi vel propter ordinem causalitatis; eò quòd vnum pendeat ab alio, & vnum sit alterius causa: vel propter ordinem necessitatis sumptum ex parte subiecti; eò quòd vnum sit illi magis connexum, quàm aliud, magísque ab ipso exigatur: quo pacto essentialia, vel ad complementum rei substantiale pertinentia, dicuntur esse priora accidentalibus. Atqui peccatum quod committitur eo instanti, quo perficitur baptismus, non pendet à baptismo, neque baptismus est causa illius: & baptismus non est magis connexus subiecto, quàm peccatum: sed vtrúmque est illi æquè accidentarium & contingens: ergo non est prioritas naturæ inter baptismum & tale peccatum. Maior est definitio prioritatis naturæ. Minor probatur, quia causa talis peccati non est baptismus, sed voluntas peccantis qui non se disponit scienter & liberè, aut committit aliud peccatum positiuum, repugnans effectui baptismi. Et hoc peccatum qualecunque sit, siue omissionis, siue commissionis, non est minùs intrinsecum & connexum subiecto, quàm baptismus: neque subiectum vnum magis quàm aliud exigit naturaliter. Idemque dico de charactere, qui merè per accidens se habet respectu peccati quod committitur in baptismi susceptione, estque omnino non naturalis subiecto.

7. Pendeátne à baptismo vt obex est? Dices, peccatum illud pendere à baptismo, & ipsum præsupponere vt natura priùs existentem, non quà peccatum est simpliciter, sed quatenus est obex, id est, quatenus impedit effectum baptismi per se proximè & immediatè. Vt enim proximè & immediatè impediatur effectus baptismi, requiritur vt baptismus sit verus. Quoniam eius quod non est, non impeditur proximè & immediatè operatio; sed eius quod est, quodque operaretur nisi impediretur. Operatio autem baptismi, de qua loquimur, est sanctificatio, sine qua baptismus potest esse verus, ac priùs est, naturâ saltem, quàm effectum illum habeat, aut ab illo habendo impediatur immediatè, ac veluti ligetur eius virtus alioquin operatura. In iis enim rebus creatis quarum esse non est ipsummet operari, esse natura prius est, quàm operatio, aut priuatio operationis propriè dicta & immediata. Ergo naturâ priùs sacramentum Baptismi essentialiter perfectum est, quàm exerceat operationem sanctificandi, aut ab illa impediatur proximè & immediatè à peccato præsente; & obstante per modum obicis. Quare huiusmodi peccatum, vt est obex operationis baptismi, est natura posterius ipso: & eatenus committitur à persona natura priùs baptizata, & subiecta clauibus Ecclesiæ, quatenus fit à persona impediente proximè & immediatè effectum baptismi natura priùs validi, & ab ipsomet peccante suscepti, qui eius effectum impedit in seipso, & impedit vt peccans priuatiuè aut positiuè, eo instanti, quo baptismus iam validè susceptus deberet operari.

Respondeo 1. Peccatum mortale non esse obicem per aliud formaliter, quàm eo ipso quòd peccatum mortale est tali instanti commissum, in quo repugnat dispositioni, & effectui baptismi ponendo, nisi peccatum illud obstaret. Quare denominationes peccati, & obicis, non bene concipiuntur significare duas rationes formales intrinsecas peccati, aut duas species. Nam obicis denominatio connotat tantùm aliquid extrinsecum, quod non connotat nomen peccati: nempe quòd baptismi effectum impediat, id est, quòd propter ipsum non ponatur effectus baptismi.

Secundò, Respondeo committi æquiuocationem in his verbis, *Per se proximè & immediatè impedire effectum Baptismi.* Vel enim sensus est, quòd quis per se proximè & immediatè committat peccatum, ex quo fit aut futurum est vt baptismus validus, & per se aptus ad operandum, non operetur, propter diuinam ordinationem, quâ Deus statuit non infundere gratiam ita peccanti, licet baptismum validè recipiat. Et qui hoc facit, peccat sine dubio, egétque remissione: sed in peccando non supponit baptismum existere natura priùs: vt ex eo manifestè patet, quòd posset peccare & impedire baptismum hoc sensu, horâ ante, vel die, mense, anno, si Deus statuisset vt qui horâ vnâ, vel die, mense, anno ante baptismum non fecerit tale quid vt se disponat, aut commiserit tale peccatum positiuum, careat effectu baptismi quando illum suscipiet. Vel secundò sensus est, quòd baptismi virtus quasi ligetur actu, & suspendatur ab operatione, propter peccatum commissum eo instanti, quo recipitur: id est, quòd Deus propter tale peccatum neget concursum suum baptismo, qui alioqui, eo instanti operaretur; atque ita impediatur baptismus immediatè in actu secundo. Et hoc quidem supponit baptismum tanquam naturâ præexistentem virtualiter suæ operationi futuræ nisi impediretur: verumtamen hoc non est peccare, neque est peccatum ipsum formaliter vt peccatum est: sed est pœna peccati, & effectus eius moralis: quatenus Deus à peccato commisso mouetur vt gratiam non det, præsente licet baptismo validè collato. De qua pœna non magis debet se accusare pœnitens in sacramento Pœnitentiæ, quàm de pœna inferni aut purgatorii, cui peccando se subiecit, deque aliis quæ non sunt act-

8. Notabilis æquiuocatio.

humani interni vel externi. Neque hoc sufficit vt qui fictè Baptismum suscipit, dicatur peccasse post eius susceptionem: quia in eo quòd peccat, id est, quòd committit peccatum impediens moraliter effectum baptismi, non præsupponit baptismum; licet peccati effectus moralis & pœnalis impediendi actu, supponat esse Baptismum quem impedit. Possetque idem peccatum committi ab eo, qui non verè baptizaretur defectu intentionis ministri, & putaret se verè baptizari: licet tunc non esset verè talis pœna & effectus moralis peccati, impediendi scilicet causam, quæ non esset. Adde quòd, sicut natura prius est baptismum esse, quàm operari aut priuari operatione; ita prius natura est peccatum esse, quàm impedire actu effectum baptismi; id est, quàm Deum negare gratiam propter ipsum. Ergo naturâ prius est esse peccatum, quàm esse posterius baptismo ratione illius impeditionis.

9. Sitne prius indignè baptizari, quàm baptizari?

Iisdem argumentis refutatur quod ait Vasq. disput. 160. cap. 2. num. 19. & 20. Peccatum indignæ susceptionis subsequi baptismum, quia prius ordine naturæ est baptizari, quàm indignè baptizari: ac proinde quàm peccatum indignæ receptionis. Neque enim (inquit) opere compleri potest hoc sacrilegium, nisi priùs intelligatur baptismus reipsa susceptus. Atque ita hoc peccatum subditur clauibus, quamuis sola voluntas indignè recipiendi baptismum non subderetur illis, si opere non compleretur. Vnde etiam infert non esse confitenda alia peccata in baptismo commissa, sed solum peccatum indignæ receptionis, opere consummatum. Refutatur, inquam, quia non est prius natura baptizari, quàm indignè baptizari, id est, committere peccatum propter quod baptismus indignè recipitur. Ac proinde non est priùs natura baptismus, quàm peccatum indignæ receptionis, quatenus peccatum est formaliter, id est, id propter quod baptismus indignè & culpabiliter recipitur. Imò neque baptismus est naturâ priùs, quàm ipsa indigna receptio opere externo consummata: quia baptismus consistit essentialiter in ipsa receptione, id est, in ablutione passiua sub tali forma verborum. Et ipsa receptio baptismi, est ipsa consummatio sacrilegii in eo qui indignè recipit. Quia tamen non omnis qui recipit baptismum, recipit indignè: contra verò quicumque recipit baptismum indignè, reipsa illum recipit: est prioritas in subsistendi consequentia inter recipere, & recipere indignè. At non propterea est prioritas naturæ inter recipere, & peccatum indignæ receptionis, siue internum, in quo est tota culpa & malitia formalis, siue externum consummans sacrilegium.

10. Vera ratio cur obex bapt. pertineat ad sacram. pœnitentiæ.

Vera ergo ratio cur tale peccatum pertineat ad sacramentum Pœnitentiæ non est quia est naturâ posterius baptismo; sed quia cùm non possit tolli per ipsum, cuius potiùs vim eneruat & impedit, debet tolli posse à sacramento Pœnitentiæ. Illa enim duo sola sacramenta sunt per se primò & directè instituta contra peccata: & nullum peccatum mortale potest remitti sine illis, aut eorum voto, id est, obligatione speciali ea suscipiendi pro illis ipsis peccatis quæ per aliud medium ipsorum vice deleta sunt, per contritionem scilicet, aut quid aliud. Quare quæcumque peccata mortalia non possunt deleri per baptismum, debent posse deleri per sacramentum Pœnitentiæ. Nullum enim est peccatum, contra quod non sit directè institutum aliquod sacramentum.

Atque hinc collige nullam esse distinctionem Suaris de obice formali, & materiali. Omne enim peccatum mortale commissum in instanti, quo perficitur baptismus, impedit eius effectum: quia est incompatibile cum gratia (neque enim potest remitti eo instanti quo committitur) & cum dispositione ad effectum baptismi necessaria, nempe cum absoluta detestatione formali aut virtuali omnis peccati mortalis: siue peccans aduertat se ponere impedimentum baptismo, quod Suarez vocat fictionem formalem: siue non aduertat suum peccatum fore impedimentum, quod Suarez vocat fictionem materialem. Nam hoc quoque peccatum tali instanti commissum repugnat per se & secundum se dispositioni baptismi, & gratiæ ac remissioni peccatorum, quæ cum ipso est incompatibilis eodem instanti. Verum illud est tam de obice materiali, quam de formali.

Repugnat, inquam, directè & per se, ex vi suæ rationis quà peccatum mortale est, quamuis non habeat moralem & formalem rationem sacrilegii, seu fictionis formalis propter inaduertentiam. Quoduis enim peccatum mortale per se & vi rationis suæ, dum actualiter durat, directè opponitur gratiæ, & quidem incompatibiliter secundum diuinam ordinationem in natura rei fundatam: atque etiam dispositioni necessariæ ad talem effectum, quæ est efficax & absoluta detestatio omnium peccatorum mortalium quibus quis infectus est. Quare non minùs impedit effectum baptismi, quàm fictio formalis; quatenus per seipsum formaliter repugnat eius effectui & dispositioni. Verum itaque non est quod ait Suarez, oppositionem istam & impeditionem esse tantùm per accidens, ex sola concomitantia temporis. Est enim formaliter & per se, ratione peccati mortalis, vt talis, oppositi gratiæ atque ipsius peccati detestationi absolutæ, necessariæ in peccatore ad effectum gratiæ baptismalis. Quamquam ad hoc vt hæc formalis oppositio exerceatur tunc cùm baptismus perficitur, necesse est peccatum esse cum illo. Sed hoc etiam de formali fictione verum est. Ideóque si baptismum præcessisset voluntas sacrilegè recipiendi, non durans vsque ad instans baptismi; non esset materia sacramenti Pœnitentiæ, sed ad baptismi vim pertineret, vt rectè contra Scotum docet in simili Suarez ibidem. §. *Quod verò Scotus.* 11. Obex materialis impedit effectum baptismi, sicut formalis.

Neque illi fauent sancti Thomas, & Augustinus locis ab eo citatis. Nam per fictionem intelligunt quicquid est fictio, siue obex effectus baptismi, quo sublato tolluntur vi baptismi cætera peccata præcedentia baptismum, atque etiam concomitantia seu simul existentia, completa tamen ante vltimum instans baptismi essentialiter perfecti: nam alioqui induunt denominationem fictionis, & baptismi effectum impediunt, tantùm abest vt ab eo tollantur. Addo D. Augustinum loco cit. à Suare non loqui ex propria sententia, sed ex sententia & hypothesi Donatistarum, vt in textu clarum est.

12. Explicatur Triden.

Ad Trident. autem Respondeo, ipsum omnibus locis in obiectione relatis num. 5. loqui de eo quod fit re ipsa moraliter & practicè in negotio practico & morali. Nam vt Suarez ipse fatetur, non est credibile aliquem peccare solùm & præcisè eo instanti quo perficitur baptismus essentialiter, vel durare in aliquo actuali consensu prauo, toto tempore quo perficitur baptismus, vsque ad illud instans in quo consummatur baptismus essentialiter: & in eo sistere præcisè, ita vt vlteriùs ne vel minimùm quidem duret, quod discernere est hominibus impossibile. Addo, idem Concilium initio cap. 5. sess. 14. pronunciare, *Ad iudices & ad forum sacramenti Pœnitentiæ deferenda esse omnia mortalia crimina in quæ Christi fideles ceciderint.* Huiusmodi autem peccatum de quo loquimur, committitur à fideli & baptizato, non quidem naturâ priùs quàm peccet, vt vult Suarez; sed concomitanter, & simul tempore. Est enim verè baptizatus in instanti quo peccat, aut peccatum continuat. Quod peccatum eo ipso quòd continuatur vsque ad instans quo perficitur baptismus, desinit esse materia baptismi, & incurrit in forum sacramenti Pœnitentiæ, à quo totum & indiuisibiliter remitti debet. Peccatum enim non remittitur à Deo per partes. Addo præterea, Concilium non loqui de sola naturæ prioritate, quæ subtilitas Metaphysica ad scholā magis pertinet: sed de prioritate durationis: vt clarè patet ex aduerbio temporis, *postea*, quo vtitur cap. 2. cit. Quare si Concilii verba in rigore mathematico & speculatiuo accipienda essent (ac non potiùs moraliter, vt par est in definitione & explicatione rerum moralium) explicatio Suaris illis non satisfaceret.

13. Pœnitens debet esse baptizatus priùs quàm absoluatur.

Ad id verò quod maximè nos vrgere videtur ex cap. 2. *Constat Baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus*, &c. Respondeo verum quidem esse, iudicium & absolutionem sacramentalem non exerceri nisi circa eum, qui priùs, etiam tempore, fuit baptizatus: sed tamen exerceri circa peccatum quod commisit cùm baptizaretur: quod peccatum cùm remitti non possit à baptismo, cuius potiùs secundum diuinam institutionē vim eneruat & impedit effectum; debet posse remitti à sacramento pœnitentiæ: cùm omnia mortalia ad alterutrum sacramentum pertineant. Licet autem necesse sit, reum priùs subiici foro & iurisdictioni eius à quo iudicatur, quàm ab eo iudicari legitimè: non tamen debet fuisse illi subiectus antequam committeret crimen de quo iudicatur; sed potest, ipsum committendo, incurrere talem subiectionem, in pœnam aut remedium peccati. ita vt peccatum sit naturâ priùs, veluti causa talis subiectionis. Quemadmodum patet in foro externo in iis qui in territorio alieno peregrinantur: qui eo ipsō quòd crimen aliquod committunt, incurrūt forum illius territorii: quamuis alioqui non essent illi subiecti, neque tenerentur tales iudices agnoscere.

SECTIO III.

Quomodo peccatum obicis remittitur per Pœnitentiam?

14. Priùs naturâ remittitur peccatum obicis per pœnitentiam, quàm baptismus operetur.

Difficultas in eo consistit, priúsne per pœnitētiam remittatur peccatū obicis, quàm per baptismum tollatur peccatum originale? Qua de re dicendum est, quando baptismus reuiuiscit, priùs natura esse, tolli peccatum fictionis per sacramentum pœnitentiæ, aut per contritionem cum eius voto, vel per aliud medium; quàm vi baptismi remitti peccatum originale, aliaque ad ipsum pertinentia; & gratiam vi eiusdem infundi. Cùm enim virtus baptismi ligetur per peccatum fictionis, necesse est priùs naturâ tolli peccatum illud, & expediri virtutem baptismi, quàm baptismum operari siue infusionem gratiæ, siue remissionem peccati originalis, & aliorum ante baptismum admissorum. Obex autem negatiuus, qui est defectus inculpabilis attritionis, aut alterius dispositionis necessariæ, tollitur formaliter per attritionem, aut dispositionem actu positam, naturâ priùs quàm sacramentum reuiuiscat, & operetur ad præsentiam illius.

15. Quomodò natura priùs remittitur peccatū obicis?

Duobus autem modis intelligi potest remitti naturâ priùs peccatum obicis per pœnitentiam, quàm originale per baptismum; iuxta duas sententias Theologorum de remissione peccati, & infusione gratiæ. Nam in sententia eorum qui dicunt gratiam naturâ priùs infundi, & naturâ posteriùs remitti peccatum mortale, illiusque remissionem esse effectum secundarium gratiæ habitualis, non quidem physicè, vt multi putant, sed moraliter, Deo ad præsentiam gratiæ condonante peccatum, per fauorem extrinsecum gratiæ superadditum: In hac, inquam, sententia dicendum est naturâ priùs infundi gratiam respondentem sacramento pœnitentiæ; & ad illius præsentiam condonari peccatum obicis directè; peccatum verò originale & alia ad baptismu m pertinentia, non nisi fortè indirectè: priùs, inquam,

naturâ, quam infundatur gratia respondens baptismo, & ad eius præsentiam deleantur directè peccata ad ipsum pertinentia.

Iuxta aliam verò sententiam, quæ vult naturâ priùs remitti peccatum mortale, quàm infundi gratiam, dicendum est, priùs naturâ remitti peccatum obicis per sacramentum Pœnitentiæ, quàm baptismus operetur remissionem originalis aliorumque ad se pertinentium, & infusionem gratiæ. Notandum enim iuxta hanc sententiam aliud esse remoueri obicem vi contritionis, vel sacramenti Pœnitentiæ; & aliud, infundi gratiam vi eorundem: primumque esse necessarium, & prius natura, quàm baptismus gratiam infundat: posterius verò concomitanter tantùm se habere: quia baptismus vt operetur non exigit aut supponit gratiam esse in subiecto, seu virtute sacramenti pœnitentiæ, seu cuiusuis alterius: sed tantùm obicem remoueri, quo expeditus, operatur remissionem peccati originalis, & aliorum, si quæ alia præcesserunt baptismum; atque etiam gratiæ infusionem, quæ naturâ posteriùs infunditur in subiectum iam peccati remissione purgatum, & ad ipsius perceptionem præparatum. Itaque simul tempore, sed priùs naturâ remittitur peccatum obicis à sacramento Pœnitentiæ: tùm natura posteriùs baptismus operatur remissionem peccatorum ad se pertinentium: sed remissio aliorum peccatorum, quæ fit per pœnitentiam, & infusio gratiæ vi eiusdem, non est naturâ prior baptismi operatione consistente in remissione peccati, nisi illa peccata sint quoque obex respectu baptismi; cuiusmodi sunt peccata mortalia commissa post baptismum antequam suum sortiretur effectum, quæ que impediunt ne cum sola attritione reuiuiscere possit, mortificatus obice negatiuo. Omnimoda verò remotio peccatorum mortalium, præsupponitur infusioni gratiæ: atque ita baptismus, quoad hunc effectum, pendet à remissione facta per sacramentum pœnitentiæ quoad omnia peccata mortalia ad ipsum pertinentia: sicut etiam sacramentum Pœnitentiæ quoad infusionem gratiæ, pendet à remissione peccati originalis, & aliorum mortalium pertinentium ad baptismũ, facta vi ipsius. Gratiæ enim infusio præsupponit subiectum mundum ab omni peccato mortali, iuxta hanc secundam sententiam. Vtra verò illarum sit probabilior, diximus in tract. de Gratia, tom. 2. disp. 40. sect. 3. vbi priorem sententiam veluti Concilio Tridentino conformiorem, & communiorem inter Theologos amplexi sumus.

SECTIO IV.

Refutantur contrariæ opiniones.

17. Contra id quod diximus, priùs naturâ tolli peccatum obicis per sacramentum Pœnitentiæ, aut per contritionem, quàm vi baptismi remitti peccatum originale, & alia ad ipsum pertinentia, gratiam que vi eiusdẽ infundi, sentit Cardinalis Delugo disp. 9. de Sacram. num. 41. vbi docet, vtrunque sacramentum concurrere simul in eo casu ad effectum gratiæ & peccatorum remissionem, nec vllo modo concurrere sacramentum Pœnitentiæ ante Baptismum: sed prærequiri quidem ablationem obicis ante effectum Baptismi; non tamen prærequiri operationẽ sacramenti Pœnitentiæ, quia obex non aufertur per operationem aut effectum sacramenti Pœnitentiæ, sed per aliquid antecedens. Obex enim in pediẽs effectum Baptismi, erat indispositio seu carentia dispositionis debitæ ad remissionem omnium peccatorum mortalium. Hæc autem carentia tollitur formaliter per ipsam dispositionem requisitam, quæ vel est contritio extra sacramentum, vel attritio cum sacramento Pœnitentiæ. Hæc autem est antequam sacramẽtum pœnitentiæ operetur: quare obex tollitur priusquam sacramentum pœnitentiæ operetur: ergo operatio Baptismi non pendet ab operatione sacramenti Pœnitentiæ, nec est illa posterior naturæ ordine, quia illam non præsupponit. Neque etiam vice versa pœnitentiæ operatio præsupponit operationem baptismi, sed in eodem signo rationis ambo sacramenta sunt expedita ad operandum, & pro signo subsequenti operantur simul gratiam & remissionem peccatorum, ad quam sese mutuò iuuant. Nam baptismus non remitteret peccatum originale, & alia peccata antecedentia baptismum, nisi adesset attritio cum sacramento Pœnitentiæ, id est, ablatio obicis. Sacramentum quoque pœnitentiæ non remitteret peccata post baptismum commissa, nisi inueniret dispositionem sufficientem ad ablationem originalis & aliorum commissorum ante baptismum, qui obex seu indispositio aufertur per baptismum præteritum, & per attritionem præsentem. Intelligitur ergo pro illo signo rationis ablatus obex vtrique sacramento, & posita dispositio sufficiens ad remissionem omnium peccatorum. Pro signo autem subsequenti vtrumque sacramentum illam operatur. Neutrum enim inuenit remissa peccata vlla, sed solum inuenit ablatum obicem ad eorum remissionem. Hæc Delugo. Delugo.

18. Cui oppono, tunc vnum sacramentum dici priùs natura operari quàm aliud, quando ab vnius operatione pendet operatio alterius. Si ergo operatio baptismi pendet ab operatione sacramenti Pœnitentiæ in casu de quo loquimur; sacramentum Pœnitentiæ prius natura operatur, quàm baptismus. Atqui pendet: quia obex baptismi tollitur per operationem sacramenti Pœnitentiæ. Obex enim de quo loquimur, non est obex negatiuus, qui non eget sacramento Pœnitentiæ, nec ei potest subijci, cùm non sit peccatum: sed est obex positiuus aut priuatiuus, id est, peccatum aliquod mortale commissionis aut

Refutatur sententia affirmans vtrumque sacramentum simul operari.

omissionis, admissum in suscepti one baptismi, quodque impediuit eius effectum, tam remissionis peccatorum, quàm infusionis gratiæ. Hoc autem peccatum non tollitur sola præsentia attritionis & sacramenti Pœnitentiæ: sed per eius operationem, siue vium virtutis, quam habet ad peccata remittenda, sine qua operatione potest esse sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, in sententia eiusdem authoris, qui putat sacramentum Pœnitentiæ posse esse informe, id est, sine effectu, eadem disput. num. 100.

19. Alius modus explicandi eandem sententiam refellitur.

Contra eandem doctrinam opinatur quoque Aegidius Coninc quæst. 63. n. 98. & sequentibus: quia, inquit, cùm vnum peccatum mortale non possit remitti sine alio, neque gratia infundi sine remissione omniū peccatorum: sequitur neutrum sacramentum posse aliquem effectum habere sine alio. Conferunt itaque suum effectum simul naturâ, quia dependenter à se mutuò: sicut duo leuant idem pondus, quod neuter solus leuare potest. Nec obest, inquit, quòd tale peccatum sit obex baptismi. Licet enim tale peccatum sit obex respectu Baptismi secundùm se considerati, quia hic eo perseuerante non habet per se vim sufficientem ad conferendam gratiam: tamen non est illi obex prout est coniunctus cum sacramento Pœnitentiæ: quia vt sic, habet ad illud vim sufficientem. Sicut nimia grauitas lapidis est Petro impedimentum cur eum per se leuare nequeat: non autem cur leuare nequeat cum alio, qui etiam solus eum leuare nequit.

Ad primum Respondeo, vnum peccatum mortale secundum legem à Deo positam non posse remitti sine alio, simul tempore: posse tamen non simul naturâ. Quare vnum sacramentum potest naturâ priùs habere effectum remissionis alicuius peccati, quàm aliud, saltem directè.

Ad secundum dico, duo illa sacramenta non se habere vt duos homines liberos & expeditos ad lapidem leuandum: sed vt duos quorum vnus vires haberet ligatas vinculis, à quibus priùs soluendus esset per alium, vt cum illo concurreret ad lapidem leuandum.

Ad tertium dico, peccatum illud esse baptismi obicem, quandiu ligat eius virtutem. Ligat autem, donec tollatur vi sacramenti Pœnitentiæ; nec ipse baptismus illud tollit: quia tale peccatum non pertinet ad baptismum, sed ad forum sacramenti Pœnitentiæ. Sacramenta enim non habent vim ad delenda peccata, nisi ante se commissa.

20. Satisfit aliis argumentis pro eadem sententia.

Aduersantur etiam aliqui Recentiores moti his argumentis. Primò, quia non remittitur peccatum obicis, nisi remittantur omnes eius effectus. At vnus eius effectus est vt propter ipsum non remittatur peccatum originale vi baptismi, & alia ante baptismum. Imò si Deus voluisset, potuisset esse hic solus effectus peccati obicis, vt propter ipsum non remitterentur vi baptismi peccata ad ipsum pertinentia. Secundò, peccatum obicis quatenus committitur actualiter in baptismo, impedit quidem demeritoriè effectum baptismi, excitat enim Deum ne det gratiam peccatori. Sed peccatum quatenus manet vsque ad remissionem, non impedit. Nam vbi cessauit peccator ab actuali peccato, non excitatur Dei odium nisi ex recordatione peccati præteriti vt actualiter fuit. Vnde non aliter peccatum verè durat; nisi quia ex illa recordatione Deus odit. Sed Deus non habet vt causam odiendi peccatorem, quòd ipse oderit: nihil enim est sui causa. Ergo non odit peccatorem quia peccatum in eo perseuerat vsque ad remissionem: quia sic perseuerare peccatum, est Deum perseuerare in odio. Quare peccatum vt manens vsque ad remissionem, non est causa demeritoria impediens effectum baptismi. Et cùm Deus tollit peccatum, cessatque ab odio: secundum non est effectus primi, sed est vnum & idem. Similiter, inquiunt, peccatum, vt committitur actualiter, propriè reddit indignum gratiâ Dei demeritoriè: atque adeo omnino prærequiritur cessatio à peccato actuali, vt Deus illud condonet. Ex peccato autem transacto, is qui peccauit, manet indignus condonatione; donec afferat dispositionem, quæ mereatur obtinere condonationem. Sed ex permanentia illa morali non fit indignus: quia permanere peccatum, idem est quòd Deum non condonasse. Ex negatione autem condonationis nulla est ratio meritoria non condonandi. Idem enim non est sibi ipsi causa. Confirmatur, quia si priùs naturâ remittitur peccatum obicis, eò quòd manens habitualiter reddit indignum effectu baptismi: Certè vt reddit indignum effectu baptismi, ita reddit dignum irâ Dei propter seipsum. Quemadmodum enim peccatum dicitur repellere gratiam baptismi: ita est verum excitare iracundiam Dei: & ita permanens peccatum retinet iram Dei. Sed est falsum quòd prius debeat tolli peccatum habituale: quàm tollatur iracundia Dei ex ipso concepta. Nam peccatum ipsum tollere, est iam remittere, & parcere, & cessare ab ira. Non autem priùs debet cessare iracundia Dei, quàm cesset: ergo nec prius tolli peccatum habituale, quàm tollatur iracundia Dei. Hæc illi.

21. Potest remitti peccatum manente pœna.

Sed ad primum Respondeo, negando maiorem. Nam vt peccatum mortale remittatur, non est opus remitti, seu potiùs tolli, omnes eius effectus: sed tantùm non amplius retineri in memoria Dei in ordine ad odium abominationis, erga peccatorem; licet retineatur in ordine ad pœnam aliquam vt satisfiat iustitiæ Dei; quemadmodum fit ordinariè in sacramento Pœnitentiæ. Qua de re plura diximus in Tract. de Peccatis. In eo autem casu, in quo Deus retineret memoriam peccati obicis, solùm ad hoc vt effectum baptismi impediret, & non ad odium abominationis: non remaneret peccatum illud habitualiter, sed tantùm vnus eius ille

effectus existeret. Dico itaque peccatum habituale esse illud ipsum, quod fuit antea commissum, manens moraliter in memoria & æstimatione diuina, in ordine ad odium abominationis erga peccatorem, perinde ac si tunc peccatum illud committeret. Et hoc est quod tollitur in remissione peccati, licet pœnæ illius maneant. Odisse autem simpliciter, non est punire peccatum: nam omnes habent ius odiendi peccatum, & non habent ius puniendi.

22. Odium Dei duplex erga peccatorem. Ad secundum Respondeo, negando minorem. Impedit enim vt malum meritum moraliter manens & dignum tali pœna. Ad probationem minoris dico duplex esse odium Dei erga peccatorem. Vnum abominationis, in quo consistit permanentia moralis & habitualis peccati. Alterum est, voluntas puniendi priuatione alicuius boni, aut illatione alicuius mali: quæ priuatio boni, vel illatio mali, causatur à priori odio abominationis, & à peccato habitualiter manente. Odium ergo abominationis excitatur ex recordatione peccati physicè præteriti, quatenus actualiter fuit, & vt manet moraliter in ordine ad odium abominationis, & consequenter ad malè habendum peccatorem per ablationem boni, aut illationem alicuius mali. Itaque sunt hic duo odia, quorum neutrum est causa sui ipsius, sed vnum est causa alterius: & vnum etiam tollitur naturâ priùs alio, cùm Deus desinens esse auersus à peccatore propter peccatum obicis remissi per sacramentum Pœnitentiæ, desinit velle eum priuare effectu baptismi propter illud peccatum. Quandiu autem peccatum illud non remittitur, manet causa demeritoriè priuans effectu baptismi: quia manet moraliter seu habitualiter idem peccatum, siue meritum malum: & peccatum habitualiter manens non est quidem nouum demeritum, sed est idem quod antea fuit actu commissum, & moraliter durat, seu æstimatiuè, in ordine ad aliquem vsum aut effectum humanum, seu rationabilem.

23. Peccatum habitualiter manens reddit indignū gratia sanctificante. Similiter peccatum non tantùm reddit indignum gratia sanctificante, quandiu actu committitur; sed etiam quandiu moraliter manet idem demeritum. Quia permanere peccatum non est tantùm Deum non condonasse, id est, negatio pura condonationis: sed est retineri in mente diuina in ordine ad odium abominationis, perinde ac si tunc committeretur. Non dico perinde ac si tunc physicè continuaretur, talis enim continuatio peccatum augeret: sed perinde & æquiualenter ac si tunc esset instans aut tempus quo commissum est. Ex tali autem permanentia sequitur indignitas, vt baptismus sortiatur effectum: & peccatum habitualiter manens est malum meritum habituale priuationis effectus baptismi.

Ad Confirmationem Respondeo, peccatum obicis actu commissum, & habitualiter manens in ordine ad odium abominationis, reddere dignum ira Dei, id est, voluntate puniendi. Sed est falsum quòd non priùs debeat tolli peccatum habituale, id est, vt manens in ordine ad odium abominationis, quàm tollatur iracundia Dei ex ipso concepta. Nam peccatum ipsum habituale tollere, non est cessare ab ira; sed est cessare tantùm ab odio abominationis. Quare tota hæc obiectio, & superiores, procedunt ex indistinctione diuersorum Dei odiorum. Quæ tamen distinctio euidens est. Cùm per sacramentum Pœnitentiæ rite susceptum tollatur sine dubio odium abominationis, & non tollatur ira seu voluntas puniendi pœna temporali, in quam mutatur pœna æterna, quæ posset etiam remanere de potentia absoluta, vt ostendimus alibi. Quamquam voluntas puniendi peccatorem iam iustificatum, & factum Dei filium & amicum, non est amplius odium erga personam: sed tantùm est odium peccati ab ipso commissi. Sicut Pater corripiens Filium, non odit Filium; sed odit peccatum à quo vult eum resipiscere: & Medicus qui acerbis remediis curat ægrotum, odit morbum, sed amat ægrotum cui optat & procurat sanitatem.

SECTIO V.

Vtrum quando Baptismus reuiuiscit, conferat plus vel minus gratiæ, pro mensura dispositionis positæ quando reuiuiscit?

Respondeo affirmatiuè. Id enim magis consonat Tridens. sess. 6. cap. 7. circa medium, absolutè & generaliter definienti vnumquemque recipere gratiam secundum suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem. Magis etiam id cohæret cum alibi dictis. Sicut enim attritio per se solam ideo valet ad tollendum obicem negatiuum, & ad remittenda cum sacramento peccata præcedentia; quia eandem vim habet, quam habuisset si præsens fuisset in sacramenti susceptione: sic etiam valere debet ad plus gratiæ recipiendum, sicut tunc valuisset. Notandum tamen quòd si aliquando vna & eadem dispositio, vt attritio v. gr. duobus aut pluribus sacramentis inseruit, putà baptismo reuiuiscenti, & sacramento Pœnitentiæ; non valebit ad tantum gratiæ effectum singillatim in vnoquoque: sed eò minùs valebit in quolibet, quo in plura diuiditur. Id enim æquitas postulare videtur. Neque propterea frustratur effectu. Tantum enim valet collectiuè respectu omnium sacramentorum quibus inseruit: quantum valere potest, & valeret in vnico sacramento, si eius propria & peculiaris esset. Sed cùm in plura vis eius dispergitur, tum in quolibet minor est, quàm si vni soli applicaretur. Si enim maior dispositio esset, daretur maior gratia. Ergo si duplex dispositio esset, vna pro quolibet sa- 24. Conclusio affirmatiua.

cramento; daretur maior gratia.

25. Contrarium sentiunt Suarez disput. 28. sect. 5. conclus. 4. Tannerus disp. 4. n. 85. Delugo disp. 9. de Sacramentis in gen. n. 87. & quidam alii Recentiores: quia, inquiunt, si aliquis accipiat duo sacramenta simul, v. g. Eucharistiam & Extremam vnctionem, non est verisimile quòd singula dabunt minorem effectum gratiæ propter consortium alterius.

Suarez. Tannerus. Delugo.

Contraria sententia refellitur.

Respondeo, non dari minorem effectum præcise propter consortium alterius: sed quia eadem dispositio duobus inseruit: & subiectum est minùs dispositum, quàm si singulas dispositiones tales pro singulis haberet. Meliùs enim se disponeret ad hæc duo sacramenta, si duas attritiones vt quatuor intensas haberet: quàm si vnam solam intensam vt quatuor. Et virtus dispositiua est minor ad singula, quando dispergitur ad plura.

Porro aliqui ex supra citatis fatentur quidem eum qui diuisim accipit illa duo sacramenta, & ad singula se disponit cum æquali dispositione vt quatuor; maiorem gratiam habiturum per illa duo sacramenta, quàm si simul cum vnica dispositione ea susciperet; sed nostra quæstio, inquiunt, non est an accipiatur tanta gratia per vtrumque sacramentum sub vnica dispositione vt quatuor susceptum, quàm per illa duo sacramenta successiuè accepta sub duplici dispositione vt quatuor: sed vtrum in primo casu singula sacramenta conferant ex parte sua tantam gratiam, quantam idem sacramentum cum æquali prorsus dispositione daret. Hæc illi.

26. Verùm contendo primò, statum quæstionis deseri ab auctoribus huius responsi. Quæstio enim est, an cùm dispositio vnica duobus sacramentis inseruit, siue successiuè acceptis, siue simul (quod difficile est, & moraliter fere impossibile, nempe ita vt ambo simul mathematicè perficiantur eodem temporis instanti) an, inquam, dispositio illa tantùm inseruiat vtrique sacramento ad maiorem gratiam producendam, quàm si vni tantùm seruiret. Secundò, vel loquuntur illi auctores de duobus sacramentis successiuè acceptis, sed moraliter ita coniunctis, vt vnica dispositio vtrique inseruiat: vel ita disiunctis, vt vnica dispositio non possit vtrique seruire, sed noua omnino sit necessaria secundo sacramento. Si secundum: non loquuntur appositè ad statum quæstionis. Si primum: ergo sicut vnica dispositio quamuis inseruiat duobus sacramentis successiuè acceptis, non tantum illis prodest, quàm duplex, cæteris paribus; eo quòd recipiens est meliùs dispositus per duplicem, quàm per vnicam: ita quando vnica dispositio seruiet duobus sacramentis simul acceptis, minùs vtrique proderit, quàm duplex, cæteris paribus; quia recipiens est meliùs dispositus. Bonitas enim maior, & excessus dispositionis duplicis, non est ex eo quòd sacramenta successiuè aut simul recipiantur: sed ex eo quòd plus valent, meliusque disponunt subiectum, duæ bonæ dispositiones, quàm vnica cæteris paribus. Tridentinum autem supra citatum generatim affirmat, gratiam infundi secundum mensuram Spiritus sancti, quam partitur singulis prout vult, & secundum propriam vniuscuiusque dispositionem.

Qua vltima consideratione refutatur alia eorundem auctorum responsio, aientium, dispositionem se habere vt meritum congruum. Meritum autem congruum potest diuidi ad plura & plura; quia non requirit æqualitatem, sed congruitatem, quam habet etiam in ordine ad plura. Vnde liberum est Deo acceptare illud meritum ad plura in tali vel tali casu. Deus autem sic acceptat in casu de quo loquimur: quia licet sit vnum meritum congruum, multiplicantur tamen actiones sacramentales, quæ sunt causæ condignæ quatenus continent merita Christi. 27.

Contra quod dico primò, non omnem dispositionem esse meritum congruum gratiæ. Nam attritio, vel oratio peccatoris, non est talis; nec alii eius actus, præterquam actus contritionis supernaturalis, aut amoris Dei super omnia. 2. Meritum etiam congruum minùs valere ad plura, quando in reddendo illi præmio habetur ratio proportionis eius & valoris ad præmia. Cùm enim pars valoris illius impenditur ad vnum, minus superest ad aliud. Deus autem habet rationem proportionis & valoris, seu bonitatis dispositionis in conferenda gratia, vt docet Trident. sess. 6. cap. 7. ac posito quòd ita statuerit, non est illi liberum acceptare dispositionem æqualiter ad plura. 3. Ratio qua prædicti auctores probant Deum acceptare dispositionem eo modo quo ipsi putant, non est bona & solida. Nam licet multiplicentur actiones sacramentales: illæ tamen solæ non sunt causa tantæ vel tantæ gratiæ, sed cum concursu dispositionis: quæ si melior est, meliùs concurrit, & sacramentum meliùs agit in subiecto meliùs disposito. Est autem melior dispositio duplex, quàm vnica, cæteris paribus.

Meritum congruum valet minùs ad plura quàm ad vnum.

Obiicies ex nostra assertione sequi, posse in casu aliquo non reuiuiscere baptismum, posita licet dispositione, quæ defuit vt operaretur. Nimirùm si talis dispositio, putà attritio cum alio sacramento, vel contritio sit valde remissa: & antequam ponatur, plura sacramenta fuerint indignè suscepta defectu similis dispositionis, tot scilicet, vt præsens dispositio non possit in tam multa diuidi, & sufficere omnibus simul sumptis, si vnicuique eorum pars aliqua seorsim respondere debet, vt nos dicimus. Fieri enim potest vt aliquis interea sæpissime ad Eucharistiam indignè accesserit. 28.

Respondeo primò, nihil tale sequi; posito quòd, iuxta doctrinam Aristotelis, & communiorem Philosophorum sententiam, intensio qualitatum, æque ac extensio quan-

titatis componatur ex semper diuisibilibus, in partes proportionales, & earum ratio haberi debeat ad hunc effectum. Nunquam enim tot fuerint accepta sacramenta ante reuiuiscentiam, vt non plures sint partes attritionis, quantumuis remissæ. Secundò, datâ & non concessâ contrariâ suppositione, dici potest in eo casu fore, vt non omnia reuiuiscant, sed illa solùm, quibus potest sufficere præsens dispositio. Cur autem hæc potiùs, quàm illa, pertinebit ad Deum determinare, si non est alia ratio ex parte subiecti, vel aliunde, cur hæc potiùs, quàm illa reuiuiscant: id est, cur respectu istorum potiùs quàm illorum, innectorum huic dispositioni, tantum gratiæ infundatur, cùm non possit omnium haberi ratio intuitu tam exiguæ dispositionis. Sicuti Deus determinat beatos, vt ex possibilibus hæc potiùs, quàm illa cognoscant in sua omnipotentia, cùm non possint distinctè attingere omnia, visione finita, & adeo limitata. Idemque dicendum est si, quamuis attritio, & contritio componatur ex partibus in infinitum diuisibilibus, non habeatur ratio quoad hunc effectum illius diuisionis infinitæ in tot partes proportionales, sed debeat moraliter considerari secundum partes non mathematicè, sed moraliter sumptas, prout possunt etiam seorsim humano modo exerceri liberè, & laudabiliter. Fortassis autem, sicut in soluendis debitis, qui prior est tempore, potior est iure, cæteris paribus: ita secundum Dei ordinationem sacramenta priùs tempore suscepta reuiuiscerent vi talis dispositionis, quantum fert illius valor, & mensura. Quo posito baptismus, qui primus omnium suscipitur necessariò, semper reuiuiscet, nisi supponatur dispositio præsens esse prorsus indiuisibilis, quod nunquam contingit, neque potest humanitus saltem contingere. Et si contingeret, nullum tunc sacramentum reuiuisceret vi sacramenti de nouo suscepti cum illa dispositione indiuisibili, quippe quæ nulli alteri seruire posset. Secus tamen vi contritionis, sine nouo sacramento iustificantis, quæ vltra effectum sibi respondentem ex opere operantis, concurreret cum sacramento prius suscepto ad plus gratiæ dandum ex opere operato: vt fit in sacramento Pœnitentiæ, quotiescunque contritio perfecta pœnitentis inseruit illi tanquam dispositio, & pars essentialis: quæ vltra gratiam vi sua priùs datam, ante absolutionem sacerdotis, concurrit cum illa, & cum reliquis partibus sacramenti ad plus gratiæ conferendum.

29. Superest quærere quid in hoc sacramento sit sacramentum tantùm, res tantùm, & res & sacramentum: Respondeo, Sacramentum tantùm esse externam actionem abluendi, & proferendi verba sacramentalia: rem tantùm esse gratiam baptismalem: rem & sacramentum esse characterem. Hæc quæstio proponitur ad explicandas locutiones Theologorum, qui tria distinguunt in quolibet sacramento: videlicet sacramentum tantùm: rem tantùm: & rem & sacramentum simul, id est, id quod tantùm significat & non significatur: id quod tantùm significatur, & non significat: & id quod partim significat, & partim significatur, quæ omnia morali quodam & crassiori modo intelligenda sunt. Deinde in vnoquoque sacramento dicunt sacramentum tantùm, esse signum externum & sensibile: quia significat gratiam, & alios effectus, ab illis verò non significatur. Rem tantùm, esse gratiam: quia tantùm significatur, & non significat. Rem & sacramentum aiunt esse characterem in tribus sacramentis, quæ characterem imprimunt: quia character partim significatur à signo externo, & partim significat gratiam & statum spiritualem, qui sacramento acquiritur, & cuius ipse est nota indelebilis. In Eucharistia verò rem & sacramentum esse volunt corpus, & sanguinem Christi: quia partim significatur symbolis externis, speciebus videlicet, & verbis: partim significat gratiam in modum nutritionis. In Pœnitentia, Extrema-vnctione, & Matrimonio, difficilius est assignare rem, & sacramentum: neque de eo omnes conueniunt. Sed hac de re dicetur suis locis. Tantùm hic aduerto, modum istum loquendi à Patribus quoque, & à Conciliis, totaque latina Ecclesia in officio diuino vsurpari. Quod notandum est contra eorum temeritatem, à quibus improbatur, vel contemnitur. Vt cùm dicitur in Canone, *Hoc est*, de consecr. dist. 2. qui Canon tribuitur D. Augustino, licet potius sit Lantfranci, vt obseruauit Perron. Cardin. lib. 2. de Euchar. Auct. 52. in fine, *Hoc est quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare; visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine; sacramento, & re sacramenti.* & Trident. sess. 14. cap. 3. *Sane verò*, inquit, *res & effectus huius sacramenti* (Pœnitentiæ) *reconciliatio est cum Deo.* Et in officio solenni de sanctissimo sacramento Ecclesia sic canit:

Sub diuersis speciebus,
Signis tantùm & non rebus,
Latent res eximiæ.

Quid sit in baptismo, & in aliis sacramentis, sacramentum tantùm, res tantùm, & res & sacramentum?

DISPVTATIO

DISPVTATIO VIGESIMA SEXTA,

De cerimoniis Baptiſmi,



VAE D. Thom. docet quæſt. 70. de Circumciſione, quæ fuit figura Baptiſmi, déque illius inſtitutione, ritu, & efficacia, vel in textu ſunt facilia, vel explicata ſuperiùs diſput. 20. ſect. 3. De cerimoniis verò Baptiſmi diſputat quæſt. 71. & art. 1. docet Catechiſmum conuenienter præmitti Baptiſmo: quia Baptiſmus eſt ſacramentum fidei, & quædam eius profeſſio: vt autem quis fidem accipiat, debet priùs inſtrui, iuxta illud Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Ideóque Chriſtus Matth. vlt. ſic præcepit Apoſtolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. 2. Conuenienter ante Baptiſmum expelli Dæmones per Exorciſmos, ne hominis ſalutem impediant: quippe qui habent in illum poteſtatem ratione peccati originalis, vel actualis. Hanc autem expulſionem ſignificat exſufflatio. Benedictio verò præcludit expulſo viam, ne redeat. Sal denique in os immiſſum, & aurium, nariúmque linitio ſignificant receptionem doctrinæ fidei. 3. Addit has cerimonias eſſe efficaces: quia Cacodæmonis poteſtatem repellunt, & ad percipienda ſalutis myſteria ſenſum aperiunt, vi nimirum auctoritatis, & precum Eccleſiæ. 4. Denique affirmat pertinere ad ſacerdotes, qui baptizant, inſtruere baptizandos per Catechiſmum Baptiſmo præmiſſum, & per exorciſmum eoſdem à poteſtate Dæmonis liberare: vt probat auctoritate Nicolai Papæ, & Gregorii Magni art. 4. §. *Sed contra.*

SECTIO I.

Sitne conueniens cerimonias aliquas sacramentales in Baptismo solemni adhiberi?

1. Cerimoniæ sacrament. quid sint?

NOTA primò, Nomine cerimoniarum sacramentalium intelligi hoc loco actiones quasdam exteriores, vel circumstantias religiosas, quæ in celebratione sacramentorum obseruantur ex præscripto Ecclesiæ, præter eas, quæ sunt de substantia, seu essentia ipsorum sacramentorum. Cuiusmodi sunt in baptismo exorcismus, vnctio Chrismatis in vertice baptizati, linitio aurium, & narium. Quarum cerimoniarum aliquę sunt dumtaxat institutæ, vt sacramenta maiori cum decentia, veneratione, & deuotione celebrentur: vt quòd baptismus v.g. non fiat solenniter, nisi in loco sacro. Aliæ continent mysticam significationem: vt signum crucis, quod in omnium sacramentorum celebratione adhibetur, ad significandum eorum virtutem oriri à passione, & meritis Christi: & trina mersio in baptismo, ad repræsentandum mysterium Trinitatis, vel triduum mortis Christi Domini. Aliæ valent ad quosdam speciales effectus, propter quos ab Ecclesia institutæ fuerunt: vt exorcismus in baptismo, ad Dæmonem pellendum, & liberandum hominem baptizandum ab eius potestate. Omnes autem id commune habent, vt referantur ad cultum Dei, adeóque sint religiosæ cerimoniæ, quatenus ordinantur ad reuerentiam, & modum conuenientem celebrandi, & administrandi sacramenta, quibus præcipuè constat cultus Dei externus, in religione Christiana: maximè autem celebratione Eucharistiæ, seu Missæ sacrificio.

Nota secundò, Quæstionem propositam esse de baptismo solemni, id est, publicè celebrato per sacerdotem ad id deputatum ab Ecclesia, seruatis iis, quæ in Rituali præscripta sunt: non autem de baptismo priuatim tradito in casu necessitatis, in quo prætermissis quibuslibet cerimoniis, sufficit essentialia baptismi adhibere, id est lotionem aquæ, & verba sacramentalia, *Ego te baptizo, &c.* Neque debent, aut etiam licitè possunt hæ cerimoniæ adhiberi à quolibet, & quouis in loco: sed eo tantùm modo, quem Ecclesia in Rituali præscribit, aut quo permittunt priuilegia Magnatibus quibusdam concessa.

2. Conueniẽter adhibẽtur in sacramentis. His præsuppositis Respondeo, Sacramentales cerimonias fuisse conuenienter ab Ecclesia institutas, tum generaliter pro quibusuis sacramentis, tum etiam specialiter pro baptismo solemni. Et hoc quidem nullus verè Catholicus in dubium vocare potest. Primò, quia Ecclesia non potest errare circa doctrinam fidei, aut morum disciplinam, ad quam pertinent ea, quę generaliter ab illa de ritibus sacramentorum statuta sunt, Et specialiter in cap. *Ad abolendam, de hæreticis*, anathematizantur, quicunque aliter de sacramentis sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & obseruat: adeoque qui improbant ritus ab illa propositos, & pro decenti eorum administratione generaliter præscriptos. Qua de caussa Trident. sess. 7. can. 13. *de Sacram. in genere*, explicat, aut extendit hoc anathema ad eos etiam qui dixerint receptos aut approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solenni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse.

2. Fauet etiam ratio manifesta. Nam huiusmodi cerimoniæ non modò nihil indecens, aut superstitiosum continent, vt de illis quæ in baptismo adhibentur ostendemus inferiùs: ex quibus quid de aliis sentiendũ sit, facile erit intelligere: verùm etiam valde vtiles sunt, & conuenientes vt sacramenta maiori cum honore, & reuerentia, populique æstimatione celebrentur. Cùm enim in rebus specie tenus vilioribus sint instituta, facilè vilescerent apud homines, qui communiter rebus sensibilibus magis ducuntur, ni si specioso quodam cerimoniarum apparatu excitarentur ad apprehendendam sacramẽtorum maiestatem, & venerationem illis debitam. Item, cùm homines per res sensibiles, à quibus incipit eorum cognitio, sint deducẽdi ad intelligentiam rerum inuisibilium: conueniẽs fuit institui cerimonias, id est, sacras actiones externas, aut circumstantias, quarum mystica significatione docerentur magna mysteria contineri in sacramentis, deberéque idcirco cum insigni reuerentia, & deuotione tractari. Nec obest quòd non omnes earum significationem distinctè percipiunt. Sufficit enim intelligi à Doctis, qui possunt aliis explicare, debéntque: si pastores animarum sunt, quibus eorum instructio, & gubernatio fuit commissa. Præterquam quòd rudibus, & ignaris nõ parum prodest externa grauitas & maiestas cerimoniarum, quâ permouentur ad concipiendum magnum aliquid sub illis contineri, licet earum significationem non benè intelligant. 3.

4. Et specialiter in baptismo solemni. Tertiò, Quòd specialiter valdè conueniens fuerit vt baptismus solemni quodam ritu in Ecclesia celebraretur, probatur, quia cùm hoc sacramẽtum sit ianua Ecclesiæ, & prima fidei professio solemnis; conueniẽs fuit illam cum maiori quadã celebritate & sacra pompa fieri. Deinde, cùm baptismus fuerit institutus in rebus vilioribus, quàm vllum aliud sacramentum, paucissimisq; rebus, & valde obuiis, substantialiter perficiatur, sicut expediebat, vt sacramentum tam necessarium, tantique momenti, posset facilè adhiberi in casu necessitatis: maius periculum esset, ne illius maiestas vilesceret apud homines, præsertim rudes, & ignaros, minorique reuerentia, & deuotione, quàm

par sit, acciperetur, nisi grauitas & pompa externa cerimoniarum moneret illos excellentiæ in eo contentæ. Item cùm Baptismus sit sacramentum fidei, conueniens est vt adulti prius de rebus fidei instruantur per Catechismum. Cúmque per idem sacramentum eruantur homines de potestate tenebrarum, & transferantur in regnum filiorum Dei, expedit vt per exorcismum expellantur ab illis Dæmones, iubeantúrque baptizandi abrenunciare Sathanæ, & operibus eius. Expedit etiam vt per istas, aliasque baptismi cerimonias doceantur sensibiliter mysteria inuisibilia in eo latentia. Et licet paruuli non sint capaces huiusmodi instructionis: prosunt tamen illæ ministranti sacramentum, & fidelibus adstantibus, vt his signis sensibilibus moueantur ad intelligentiam prædictorum mysteriorum, & ad venerationem sacramento debitam.

5. Opponunt Lutherani, & Caluinistæ primò, Baptismum in primitiua Ecclesia per Apostolos, & eorum discipulos traditum fuisse sine huiusmodi cerimoniis, quouis loco, & tempore, per simplicem ablutionem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: vt videre est Actor. 2. vbi sermo est de tribus hominum millibus iubente Petro baptizatis: & cap. 8. de Baptismo Eunuchi Candacis reginæ Aethiopum: & cap. 9. de Baptismo Pauli: & cap. 10. de Baptismo Cornelii Centurionis: & cap. 16. de Baptismo Lydiæ Purpurariæ, & custodis carceris in domo sua: & cap. 19. de Baptismo duodecim Asianorum. Addunt earum multitudinem esse valde onerosam, de qua etiam D. Augustin. conqueritur epist. 119. cap. 19. & plerasque non modò inutiles, vt Exorcismos, verùm etiam ridiculas esse, vt exsufflationes, gustum salis, & inunctionem narium, & aurium, saliua adhibitâ.

Ipsi hæretici adhibent aliquas cerimonias.

Respondeo primò, neque etiam ab Apostolis, & eorum discipulis fuisse tunc seruata nonnulla, quæ ab ipsismet Lutheranis, & Caluinistis seruantur. Nam Caluin. in libello *De formula ministrandi sacramenta*, statuit, vt infantes baptizentur die Dominico, aut alio, quo populus ad concionem conuenit in templum: & vt qui infantes afferunt, interrogentur an spondeant se illos, cum adoleuerint, de rebus fidei & morum instituturos: & vt nomen imponatur infanti in Baptismo, & forma sacramenti pronuncietur lingua vulgari: & denique vt symbolum, oratio Dominica, aliæque preces recitentur. Addit Lutherus in suo Catechismo, vt baptizandus signetur signo crucis in fronte, & in pectore; & vt Sathanæ abrenunciet: Quæ omnia fuisse ab Apostolis, aut discipulis seruata in baptizando, vel exemplo Christi, aut Apostolorum fieri, nunquam ostendent Caluinistæ, aut Lutherani ex Scriptura, cuius solius auctoritatem in rebus fidei, & religionis admittunt. Eorum certè nulla fit mentio in locis Actorum citatis, & aliis quibuslibet, vbi de Baptismo Christi tam multis dato sermo est. Quare si eo nomine reiiciendæ sunt Ecclesiæ cerimoniæ, quòd non fuerint ab Apostolis vsurpatæ: debent ipsi pariter suas reiicere, & solis baptismi essentialibus contenti esse.

Respondeo secundò, minorem fuisse tunc temporis necessitatem adhibendi cerimonias, quibus fideles per res, aut actiones sensibiles docerentur inuisibilia Dei mysteria, & ad deuotionem, & reuerentiam erga baptismum excitarentur: nam feruor spiritus, qui tunc maximus erat, & abundantia gratiæ, multò meliùs id præstabat. Postea verò, refrigescente feruore, opus fuit huiusmodi subsidiis: & conueniens fuit vt fundatâ Ecclesiâ, crescente rerum progressu ac temporum religionis honore; cresceret pariter decus institutionum Ecclesiasticarum; & speciatim cresceret huius mystici lauacri gradatim in maius celebratio: vt rectè ait Vvalfridus Strabo lib. de rebus Ecclesiast. cap. 16. Quanquam nonnullas è cerimoniis baptismi ab ipsis Apostolis originem duxisse patebit certis antiquorum testimoniis paulò post, licet earum non fiat mentio in Scriptura. 6.

Cur nō tot adhibitæ ab Apostolis?

Ad reliquam partem obiectionis Respondeo, vitandam quidem esse nimiam multitudinem cerimoniarum, siue in baptismo, siue in aliis ministeriis sacris, vt sapienter monet D. August. lib. de Cura pro mortuis habenda cap. 19. cauendúmque ne tanta sit, vt animum distrahat, & deuotionem impediat. Verùm non tot cerimoniæ præscribuntur ab Ecclesia in baptismi solemnitate, vel aliorum ministeriorum celebratione, vt non facilè possint seruari à ministris ad id deputatis, modico studio diligentiaque adhibitis. Neque de illis loquitur D. August. loco citato in obiectione; quando conqueritur tot ab aliquibus multiplicatas fuisse cerimonias, vt tolerabilior sit Iudæorum conditio. Nam, vt locum consulenti patebit, sermo ibi est non de cerimoniis ab Ecclesia præscriptis, quæ non tam multæ sunt vt cum Iudaicis possint comparari. Sed de excogitatis & adhibitis à quibusdam priuatis, præcipuéque à mulierculis, de quibus sic ait: *Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine Ecclesiæ vniuersæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, &c. resecanda existimo.* Non sunt etiam tales illæ cerimoniæ vt animum distrahant, sed è contrario plurimum iuuant ad baptismum, aliaque sacra ministeria reuerenter, attentè, ac deuotè tractanda, vt vel ipsâ experientiâ notum est. Et denique omnes baptismi cerimonias, de quibus specialiter hoc loco disputamus, graues esse, decentes, & vtiles patebit ex iis, quæ de singulis dicemus paulò post, ex quibus idem facile poterit de aliis colligi.

Nimia earum multitudo vitanda.

August.

Opponunt secundò, eiusmodi cerimonias non haberi in Scriptura, neque præcepto, vel 7.

exemplo Christi, aut Apostolorum in ea commendari: adeóque esse reiiciendas, velut humanas inuentiones, & superstitiosas. Nullus enim cultus religionis est licitus, nisi fuerit in Scriptura præceptus, aut exemplo Christi, vel Apostolorum commendatus. Respondeo primò, hoc argumentum contra ipsosmet retorqueri posse. Nam, vt suprà ostendimus, ipsimet in baptismo non pauca obseruant, quæ neque in sacris literis continentur, neque præcepto, aut exemplo Christi, vel Apostolorum in ea commendantur. Secundò Respondeo, falsum esse, & absurdum dicere solum illum Dei cultum externum esse licitum, qui ab ipso Deo traditus fuit in Scriptura, vel præceptus, aut commendatus exemplo Christi, aut Apostolorum. Nam si omnis alius foret illicitus, & superstitiosus, vel id esset ex natura rei, vel ex iure positiuo propter Dei prohibitionem. Non primum: quia potiùs ratio naturalis dictat, seposita omni reuelatione diuina, Deum cultu interno, & externo colendum esse ab hominibus: quia cùm sit auctor animæ, & corporis, debet vtróque coli. Cúmque non præscribat determinatè vt hoc aut illo ritu externo colatur, relinquit hominibus liberum & determinandum, vt hunc aut illum, dummodo, decentem, & conuenientem assumant: sicut reipsa factum videmus in lege naturæ ab Abele, Noëmo, Melchisedech, & aliis, antequam Deus de cultu suo quidquam iure positiuo prescriberet, & antequam vllus liber diuinus scriberetur à Moyse, & aliis sacris scriptoribus. Secundum quoque dici nequit, quòd scilicet omnis alius cultus sit iure diuino positiuo prohibitus: quia neque ex Scriptura, neque ex vlla traditione diuina non scripta, vel alio certo argumento potest ostendi talis prohibitio.

Non omnis cultus à Deo non præceptus, est, superstitiosus.

Proferunt quidem heretici ad hoc probandum plura Scripturæ testimonia: sed longè alium esse illorum sensum ostendemus inferiùs sect. 3. Contra verò, videmus in omni lege, & in quolibet hominum statu, permissum illis fuisse, vt cultu aliquo non à Deo præcepto, aut tradito, sed voluntariè suscepto Deum colerent. Vt in lege naturæ Abel Genes. 4. offerens sacrificium *de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum:* & Melchisedech cap. 14. offerens panem, & vinum, *erat enim sacerdos Altissimi.* Et Iacob cap. 28. votum vouens Domino de decimis omnium bonorum suorum ipsi offerendis. In lege autem Mosaica licet Deus multa præscripsisset distinctissimè de cultu externo sibi præstando: non tamen omnem alium prohibuit: sed è contrario Leuit. 23. vers. 38. postquam multa præcepit de feriis in honorem suum celebrandis, deque oblationibus, holocaustis, & libaminibus, iuxta ritum vniuscuiusque diei offerendis: subiungit: *Exceptis Sabbatis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.* Quibus vltimis verbis significat licuisse Iudæis quædam vouere, & offerre spontaneè, ac religiosè, præter ea, quæ per legem diuinam præscribebantur. Denique in lege Euangelica nullibi extat talis prohibitio estque impossibile aduersariis vllam proferre ex Scriptura, multóque minùs ex antiqua traditione, quæ potius sacramentales has cerimonias fuisse iampridem in Ecclesia vsitatas, & nonnullas etiam Apostolicas esse, aut temporibus Apostolorum propinquas ostendit. Id enim de nonnullis testantur Tertullian. lib. de Corona militis cap. 3. & 4. Basi. lib. de Spiritu sancto cap. 27. Hieron. in Dialog. contra Luciferian. numero decimo quarto, & decimo quinto.

Tertull. Basil. Hieronym.

SECTIO II.

De Cerimoniis Baptismi in particulari.

VT autem breuiter cerimonias Baptismi percurramus, & earum antiquitatem, conuenientiam, & vtilitatem simul ostendamus: Prima cerimonia, quæ pertinet ad circumstantiam loci, est vt baptismus solemniter non administretur, nisi in loco sacro, qui olim baptisterium vocabatur. Quæ cerimonia sine dubio ad maiorem sacramenti venerationem conueniens est, & vtilis ad deuotionem excitandam: sapienterque ad illum finem instituta fuit ab Ecclesia. Nam licet Apostoli, & primi Christiani in priuatis domibus, in carceribus, in plateis ciuitatis, in agris, in fluuiis, & fontibus, & vbicunque se dedisset occasio, baptizarent, propter exigentiam illius temporis, & necessitatem propagandi nascentem Ecclesiam: meritò tamen, quando res Ecclesiasticæ ad conuenientem statum, & ordinem reduci potuerunt, constituta fuerunt certa loca sacra, in quibus propter maiorem venerationem baptismus solemniter celebrari deberet. Itaque in hunc finem extructa fuerunt baptisteria, quorum mentionem faciunt Cyrill. Catech. 1. mystag. vbi recens illuminatos sic alloquitur: *Primum ingressi estis in porticum baptisterii,* &c. Et Paulin. epist. 12. ad Seuerum initio, *Tu verò,* inquit, *etiam baptisterium Basilicis duabus interpositum condidisti.* Et Athanasius in epistola ad Orthodoxos in persecutione, vbi conqueritur, *in sacrum Baptisterium Christicidas Iudæos, & Atheos ethnicos nulla cum reuerentia ingressos, turpia & abominanda dixisse & fecisse.* Et Dionysius capite secundo Ecclesiasticæ Hierarchiæ parte secunda, vbi Baptisterium, aut illius fontem sacrum, τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας, id est, matrem adoptionis appellat: Et in Canone 59. Trullano statuitur vt ne quidem in priuatis oratoriis extra Catholicas Ecclesias Baptismus peragatur. Quod statutum confirmauit Concilium Viennense, vt habetur in Clementina vnica de Baptismo, lib. 3. tit. 15. priuilegio tamen concesso Re-

8. Baptizandum solemniter in loco sacro, seu Baptisterio.

Cyrill. Paulin. Athanas. Dionys.

gibus, & ſupremis Principibus, vt in priuatis oratoriis filii eorum baptizari poſſint. Fontis quoque baptiſmalis in Baptiſterio poſiti meminerunt Orig. homil. 12. in Numeros. Ambroſ. lib. 1. de Sacram. cap. 5. ſub finem, & lib. 2. cap. 5. initio: Auguſtin. vel alius apud ipſum auctor ſermonis 181. de Tempore, cap. 3. & plures alii.

9. Aqua ſanctificanda & conſecranda.

Secunda cerimonia eſt, vt aqua ad baptiſmum parata ſanctificari debeat, & conſecrari addito oleo, & Chriſmate vnctionis myſticæ: tum ad maiorem ſacramenti reuerentiam, tum ad ſignificandum, atque etiam à Deo petendum illius effectum, per orationes, quæ in aquæ benedictione, & conſecratione funduntur. Hanc autem cerimoniam antiquiſſimam eſſe patet ex Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. cap. 2. part. 2. vbi ſic habet: *Pontifex aquas ſancta prece, atque inuocatione ſanctifi at, terque in eas ad cru is effigiem, ſanctiſsimum fundit vnguentum.* Et Cyprian. lib. 1. epiſt. 12. *Oportet*, inquit, *mundari, & ſanctificari aquam prius à ſacerdote, vt poſsit Baptiſmo ſuo peccata hominis qui bap.izatur, abluere.* Et Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 27. *Conſecramus aquam baptiſmatis, &c. Ex qua autem Scriptura? nonne à tacita, & ſecreta traditione?* Apoſtolica ſcilicet. Ibi enim loquitur de traditionibus Apoſtolicis, quarum multa profert exempla. Et Ambroſ. lib. 1. de Sacram. cap. 5. *Quare prior Chriſtus deſcendit, poſtea Spiritus, cum forma Baptiſmatis, & vſus hoc habeat, vt ante fons conſecretur, & tunc deſcendat, qui baptizandus eſt?* Et Auguſt. vel alius apud ipſum auctor ſerm. 19. de Sanctis, prope finem, *Huius crucis*, inquit, *myſterio rudes catechizantur: eodem myſterio fons regenerationis conſecratur.* & tract. 118. in Ioan. dicit, niſi ſignum crucis adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ ex qua regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perfici, id eſt, debito & licito modo.

10. Baptiſmus olim non dabatur niſi in Paſch. & Penteco.

Tertia cerimonia, quæ ad circumſtantiam temporis pertinet, erat vt olim baptiſmus non adminiſtraretur, niſi in Paſchate, & Pentecoſte, excepto caſu neceſſitatis. Quæ cerimonia non amplius ſeruatur: antiquiſſimam verò eſſe conſtat ex Tertulliano lib. de de Baptiſmo cap. 19. Syricio Papa epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſc. verbis relatis de Conſecrat. diſtinct. 4. cap. *Non ratione*: Gelaſio Papa in epiſt. ad vniuerſos Epiſcopos per Lucaniam, &c. relato eadem diſt. Can. *Baptizandi*, Hieron. ad cap. 14. Zachariæ circa illa verba, *Exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem*, vbi ſic habet: *Aquas viuentes multi ad baptiſmum referunt, quæ in vere, & æſtate, hoc eſt, in Paſcha, & Pentecoſte ſitientibus largiendæ ſunt*: & Leo Papa epiſt. 4. ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos, vbi grauiter eos admonet, vt non niſi in Paſchali & Pentecoſtes die baptiſmum credentibus, & deſiderantibus conferant. Cur autem hæc cerimonia ob reuerentiam, & maiorem celebritatem ſacramenti inſtituta, iampridem non ſeruetur à tempore circiter Caroli Magni, rationem hanc affert Rupert. lib. 4. de Diuin. offic. cap. 18. Quià poſtquam multitudo Chriſtianorum magnopere creuit, & ſagena illa verbi Dei fuit impleta piſcibus: quia periculoſum erat tantam multitudinem differri propter occaſiones mortis, quæ in tanto numero hominum permultæ ſunt, maximè propter turbam infantium ex fidelibus parentibus ſuccreſcentium, quorum tenera vita perſæpe leui occaſione ſucciditur: viſum eſt ſanctæ Eccleſiæ cuncta pericula anteuertere, paſſim indulgentiâ baptizandi conceſſâ quouis alio tempore.

Quarta cerimonia eſt circa perſonam baptizati, Catechiſmus ſiue inſtructio de rebus fidei, & morũ: cuius vtilitas, & neceſſitas aut conuenientia erga adultos, manifeſta eſt, habétque fundamentum in illis Chriſti verbis Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis*: & in exemplo Petri Apoſt. circa Iudæos, & Cornelium Act. 2. & 10. & Philippi Diaconi circa Eunuchum Actor. 8. Verùm quòd non tantùm circa adultos, ſed etiam circa infantes baptizandos præmitteretur olim Catechiſmus; vt nunc etiam fit, conſtat ex Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. cap. vlt. in fine, Auguſt. epiſt. 23. & lib. 4. de Bapt. cap. 24. & ſerm. 10. cap. 2. & 14. de verbis Apoſtoli cap. 11. Quamuis autem paruuli non ſint capaces inſtructionis: non tamen fruſtra præmittitur eorum baptiſmo Catechiſmus ille ceremonialis, vt intelligant ſuſceptores quibus de rebus teneantur eos inſtruere: & vt paruuli, cùm adoleuerint, intelligant ad quid per baptiſmum fuerint obligati, aliis in gratiam, & commodum ipſorum ſpondentibus. Huic autem inſtructioni adiungitur profeſſio fidei baptizandi, per ſe, ſi eſt adultus: aut per alium, ſi paruulus: cuius mentionem faciunt præter ſupra citatos Clem. lib. 7. Conſt. c. 40. Hilar. Can. 15. in Matth. Hieron. in Dial. aduerſus Luciferianos num. 24. & Auguſt. lib. 8. confeſſ. c. 2. — 11. Catechiſmus præmittendus.

Quinta cerimonia circa eundem eſt exorciſmus, & exſufflatio Dæmonis. Cuius cerimoniæ meminerunt, exorciſmi quidẽ Naz. orat. 40. in ſanctum Baptiſma, Cyril. in præfatione Catecheſium, & Catech. 1. Cyprian. lib. 4. epiſt 7. Ambroſ. lib. 1. de Sacram. c. 5. Auguſt. lib. 6. contra Iulian. cuius verba referemus paulò poſt: Leo ep. 4. c. 6. vbi dicit ſecundum Apoſtolicam regulam Catechumenos exorciſmis ſcrutandos eſſe: & Cœleſt. 1. ep. 1. ad Epiſc. Gall. c. 12. vbi teſtatur eos, qui ad regenerationis veniunt ſacramentum, non priùs fontẽ vitæ adire, quàm exorciſmis, & inſufflationibus Clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur. Exſufflationis verò, quæ pars exorciſmi eſt, mentionem faciunt præter Cœleſtinum verbis proximè relatis, Auguſt. libro ſecundo de Peccato Originali — 12. Exorciſmus & exſufflatio dæmonis.

Cc 3

cap. 40. & lib. 2. de Nuptiis, & concupisc. cap. 18. vbi affirmat hanc esse vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem: & lib. 6. contra Iulianum cap. 5. vbi sic ait: *Ecclesia filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & a principe mortis erueret.* Et hanc quidem cerimoniam, vt inutilem, & ridiculam despiciunt Caluinistæ, in quo Iulianum Apostatam imitantur, qui, vt refert Gregor. Nazianz. exsufflationes symbolicas Baptismi in calumniam, & risum trahebat. Sed longè aliam fuisse antiquæ Ecclesiæ fidem, & SS. Patrum iudicium constat ex verbis Augustini relatis: & ex Cyprian. lib. 4. epist. 7. vbi exponens illud 1. Corinth. 10. *Omnes in Moyse baptizati fuerunt, in nube, & in mari*: sic ait: *Hæc autem omnia figuræ nostræ fuerunt. Quod hodie etiam geritur, vt per Exorcistas voce humana, & potestate diuina flagelletur, & vratur, & torqueatur Diabolus.* Et ex Optato Mileuit. lib. 4. contra Parmenianum, vbi loquens de pellendo Diabolo ante salutare lauacrum, *Hoc*, inquit, *exorcismus operatur, per quem immundus spiritus depellitur, & fugatur.*

13. Gustus salis.

Sexta cerimonia est gustus salis. Sacerdos enim tangit sale os Catechumeni. Cuius mentionem facit Origen. homil. 6. in Ezechiel. quando circa illa verba, *Aqua non es lota in salutem, neque sale salita*, sic ait: *Oportet ergo eum qui renascitur, vtique in Christo renascentem rationabile & sincerum lac desiderare, & priusquam rationabile & sine dolo lac desideret, debet sale saliri.* Ad eandémque cerimoniam alludere videtur D. August. lib. 1. Confess. cap. 11. cùm sic ait: *Signabar iam signo crucis eius, & condiebar eius sale.* Eiusdem vero expressa mentio fit in Concil. Carthagin. 3. cui S. Augustinus interfuit, Can. 5. & Can. Sal, de Consecrat. distinct. 4. sumpto ex Beda in Esdram lib. 2. cap. 9. cuius verba sunt: Sal cœlestis sapientiæ, quo initiantur catechumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificiis iubemur offerre.

14. Consignatio crucis.

Septima est, consignatio crucis in fronte baptizati, & impositio manus supra ipsius caput. Illius autem consignationis mentionem faciunt Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 2. parte 2. his verbis: *Imponit eius capiti manum, consignansque illum*, &c. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 27. vbi inter consuetudines Apostolicas, sine scripto traditas, enumerat eam, quâ signo crucis signamus eos, qui spem collocant in Christum, & consecramus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, & eum qui baptismum accipit: & August. tract. 118. in Ioan. sub finem; & lib. de Catechizandis rudibus cap. 20. ante medium: cuius verba sunt: *Crucis signo in fronte hodie, tanquam in poste signandus es* (id est, sicut olim Iudæorum postes in Aegypto signatæ fuerunt, & tinctæ agni sanguine) *omnésque Christiani signantur.* Impositio verò manuum fit exemplo Christi, qui sæpius paruulis ad se venientibus manus imponebat, vt Matt. 19. vers. 15. & Apostolorum manus imponere solitorum iis pro quibus orabant, vt Act. 8. 9. & 13. Deque illa baptismi cerimonia loquuntur Dionys. c. 2. Eccles. Hierarch. Clemens lib. 7. Constitut. cap. 4. Concilium Carthagin. IV. Can. 85. August. lib. 2. de Peccat. meritis, & remissionibus cap. 26. cuius verba sunt: *Nam & Catechumenos secundum quendam modum suum, per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari.* Fit autem hæc impositio manuum ad significandam reconciliationem, quâ qui fuerat extra Ecclesiam, iam illi aggregatur, & in eius amicitiam recipitur.

Octaua est linitio aurium, & narium saliuâ, dicendo *Ephetha*, id est, adaperire: exemplo Christi Marc. 7. qui linguam muti sanandi simili modo tetigit, & oculos cæci nati Ioan. 9. Huiusque cerimoniæ meminerunt Ambros. lib. 1. de Sacrament. cap. 1. vbi tamen saliuam non exprimit: sed illam sine dubio subintelligit, cùm dicit hoc fieri exemplo Christi, qui linguam muti & surdi expuendo tetigit Mar. 7. v. 33. Verba Ambros. sunt: *Mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos & nares. Quod significauit in Euangelio Dominus noster Iesus Christus, cùm ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures & os eius, &c. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuæ ad sermonem & ad eloquium sacerdotis, &c. Quare nares? Vt bonum odorem accipias pietatis æternæ, vt dicas: Christi enim bonus odor sumus Deo, quemadmodum dixit Apostolus, & sit in te fidei, deuotionisque plena fragrantia.* De eadem cerimonia expressè loquitur Gregor. in Sacramentario. Cyrill. verò Hierosolymitanus Catech. 3. mystagogica 5. Cæterum, testatur suo tempore adhibitum fuisse tactum aurium, & narium Catechumenorum, non saliua sed oleo. Et hanc etiam cerimoniam vt ridiculam, & inanem, imò fœdam traducunt Caluinistæ. Sed antiquæ Ecclesiæ sensus, & auctoritas tot iam sæculis confirmata, plus apud omnes sapientes valere debet, quàm Nouatorum scommata.

15. Linitio aurium & narium.

Nona est, abrenunciatio sathanæ, & pompis, & operibus eius. Cuius meminit Clemens Roman. lib. 7. Constitut. cap. 41. Dionys. cap. 2. de Eccles. Hierarch. Tertull. de Corona militis cap. 4. & lib. de Spectaculis cap. 4. vbi sic ait: *Cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renunciasse nos Diabolo, & pompæ, & Angelis eius ore nostro contestamur.* Et Origen. homil. 10. in Numer. *Recordetur vnusquisque fidelium, cùm primùm venit ad aquas baptismi, cùm signacula fidei primùm suscepit, & ad fontem salutaris accessit: quibus ibi tunc vsus sit verbis, & quid denunciauerit Diabolo, hoc est, non se vsurum pompis eius, neque operibus eius.* Et Ambr. lib. 1. de Sacram. cap. 2. *Quando te interrogauit* (Sacerdos) *Abrenuncias Diabolo, & operibus eius? quid respondisti? Abrenuncio*, &c.

Abrenunciatio Sathanæ.

Decima est, inunctio olei Catechumenorum interpectus, & scapulas ante baptismum, & post inunctio Chrismatis in vertice bapti-

16. Inunctio olei & chrismatis.

zati. Cuius vnctionis meminerunt, Clemens Roman. lib. 3. Recognit. *Baptizabitur*, inquit, *vnusquisque vestrum in aquis perennibus, nomine trinæ Beatitudinis super se inuocato, perunctus primum oleo per orationem sanctificato, vt ita demum per hæc consecratus possit percipere de Sanctis*: id est, de Eucharistia. Chrysost. homil. 6. in cap. 2. epist. ad Coloss. *Inungitur*, inquit, *baptizandus more Athletarum, qui stadium iam ingressuri sunt*: & Tertull. lib. de Bapt. c. 7. Basil. lib. de Spiritu sancto c. 27. Iustin. Mart. quæst. 137. Ambros. lib. 3. de Sacram. c. 1. & lib. de Initiandis c. 6. August. serm. 206. de Tempore, cuius verba hæc sunt: *Denique omnes qui ad salutarem baptismum consequendum Ecclesiæ offeruntur, & chrisma & oleum benedictionis accipiunt, vt iam non vasa vacua, sed Deo plena, templum Dei esse mereantur*.

17. Susceptores. Vndecima, Dabantur etiam olim, sicut, & nunc baptizandis susceptores, vt testantur Dionys. lib. de Eccles. Hierarch. c. 2. parte 2. in fine, vbi eos vocat ἀναδόχους, hoc est, fideiussores: Iustin. quæst. 56. ad Orthodoxos, vbi vocat προσφέροντας, id est, Offerentes: Tertull. de Bapt. cap. 18. vbi vocat Sponsores: August. serm. 215. de Tempore, vbi vocat Fideiussores: & Hyginus Papa Canone *In Catechismo, de Consecr.* dist. 4. vbi eos appellat Patrinos: & Synodus Moguntina Can. 47. vbi Compatres nuncupat, iubétque illos filios suos spirituales Catholicè instruere.

18. Impositio nominis. Duodecima est, Impositio nominis in baptismo, sicut olim in circumcisione imponebatur paruulo, vt de Ioanne Baptista patet ex Luc. 1. & de Christo Luc. 2. Idque olim fuisse in vsu testantur Scriptores antiqui mox referendi. Et adulti quidem nomen suum dabant ante baptismum, illud scilicet, quo deinceps appellari volebant, quodque interdum diuersum erat à priori. Quandóque enim Prophetarum, & Sanctorum nomina, pro nominibus Idolorum, quæ forte à parentibus acceperant, adulti baptismum suscepturi sibi adsciscebant, vt colligitur ex Eusebio lib. 8. Histor. Eccles. cap. 21. Quo sensu illud Clementis intellige epist. 3. *Accedat, qui baptizari vult, ad sacerdotem suum, & ipsi nomen suum det*. Et Augustin. lib. de Cura pro mortuis cap. 12. *Pascha iam appropinquabat, dedit nomen inter alios competentes*. Paruulis autem, qui nomen suum dare non poterant, imponebatur à susceptoribus, qui propter suam in Apostolos propensionem, crebrò eorum nomina illis imponebant, vt testatur Euseb. lib. 7. hist. cap. 20. vbi dicit multos Gentiles fuisse Ioannis Apostoli cognomines, propter singularem amorem, quo erga illum affecti erant: *Quemadmodum nomina Pauli, & Petri, fidelium liberi crebro ferunt*. Et in Concilio Niceno Can. 30. prohibetur, *Ne fideles imponant filiis suis nomina gentilium: sed potius omnis natio Christianorum suis nominibus vtatur, imponantúrque nomina Christianorum in baptismo*.

19. Decima tertia: Fiebat etiam olim baptismus per trinam mersionem, licet vnica sufficeret, in honorem sanctissimæ Trinitatis, & repræsentationem tridui mortis Christi, vt præcipitur Can. 49. Apostolorum, & testantur Tertull. lib. contra Praxeam c. 26. in fine Cyrill. Catechef. 2. mystagog. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 27. Chrysost. homil. 24. in Ioan. Ambros. lib. 2. de Sacram. cap. 7. Hieron. in Dialogo aduersus Luciferianos, n. 15. Eiusque loco nunc fit vna, vel trina aspersio, siue aquæ effusio supra caput baptizati. Trina mersio.

Dabatur etiam baptizato cereus accensus in signum acceptæ gratiæ illuminationis, & ad futuræ vitæ gloriam præsignandam, vt ait Nazianz. orat. 40. in sanctum Baptisma, & vestis candida per octo dies ferenda ad innocentiam vitæ demonstrandam, vt testatur Ambros. lib. de Initiandis cap. 7. & apud August. auctor sermonis 157. de tempore: & mel cum lacte delibandum, vt aiunt Tertul. lib. 1. aduersus Marcionem cap. 14. & Hieron. in Dialogo aduersus Luciferianos num. 15. Sed hæc cerimonia non ampliùs seruatur, vt neque osculum pacis olim datum à sacerdote, ad significandum iam baptizatum esse fratrem nostrum. Cuius cerimoniæ illustre testimonium habetur apud Cyprian. epist. 59. ad Fidum, vbi affirmat non esse differendum baptismum paruulorum vltra octauum diem, propter difficultatem, quam pati possumus osculandi infantes recens natos: quia, inquit, *Nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans à partu nouus est, non ita est, tamen, vt quisque illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debeat osculari; quod in osculo infantis, vnusquisque nostrum, pro sua religione; ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare; quas in homine modò formato, & recens nato, quodammodo exosculamur, quando id quod Deus fecit, amplectimur*. Plura de his ceremoniis videri possunt apud Durant. lib. 1. de ritibus Eccles. cap. 19. Vasq. disp. 166. & Bellarm. lib. de Bapt. cap. 25. & sequentibus. Cereus accensus, & vestis candida.

SECTIO III.

Explicantur Scripturæ loca contra sacramentales cerimonias ab hæreticis adducta.

Diximus supra non posse hæreticos ostendere vllo Scripturæ testimonio illicitum esse, & superstitiosum quemcunque cultum religionis non à Deo præceptum, vel exemplo Christi, & Apostolorum non commendatum in Scriptura. Id vt meliùs constet, satisfaciendum nobis est illis Scripturæ locis, quibus præcipuè ad hoc persuadendum abutuntur. Primus locus habetur Deuteron. 4. vers. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis*. Et cap. 12. vers. vlt. *Quod præcipio tibi*, 20.

hoc tantùm facito Domino: nec quidquam addas, nec minuas. Quibus similis est alter Prouerb. 30. v. 6. *Ne addas quicquam verbis illius, ne arguaris, inueniarisque mendax.* Ex quibus Caluinus lib. 4. Institut. cap. 10. num. 17. aliique sectarii inferunt reiiciendas esse non solùm omnes cerimonias ecclesiasticas, sed etiam omnes traditiones, & summorũ Pontificum constitutiones.

21\. Quomodo nihil verbo Dei addendum?

Verùm si amplissimè, vt ipsi volunt, accipienda est illa sententia, *non addetis ad verbum, quod loquor vobis,* &c. peccassent contra illam Iosue, & alii Scriptores Sacri vtriusque Testamenti, qui multa Pentateucho addiderunt. Peccassent etiam Reges & magistratus, quando multa addiderunt illis Dei legibus, & iudiciis, de quibus Moyses loquebatur. Et tamen è contrario Paulus præcipit illis obedire, etiam propter conscientiam, Rom. 13. Neque minùs tenemur obedire superioribus Ecclesiasticis, quibus Moyses ipse Deuteron. 17. v. 10. & seqq. iubet obediri sub pœna mortis. Quin etiam fatentur ipsi Caluinistæ, Apostolos addidisse quosdam ritus, & cerimonias: idque de Paulo liquet ex 1. Corinth. 11. v. vlt. ipsique nouam formam orandi, regendi, & sacramenta administrandi instituerunt, vt videre est in ordinationibus ecclesiæ Geneuensis, & in eorum catechis.

22\. Dico igitur cum Cornelio ad versum citatum cap. 4. Deuteronomii, verum huius loci sensum hunc esse: Ad præcepta mea, quæ hoc capite, & sequentibus præcepturus sum vobis, ô Iudæi, non addetis quicquam repugnans, præsertim circa cultum Idolorum, Beelphegor, & aliorum, de quibus ibi sermo est. Ita vt particula *ad*, hebraicè *hal*, sumatur ibi pro *contra*, vt Psal. 2. v. 2. Num. 14. v. 2. aliisque locis: & sensus sit, Non addetis ad verbum, id est, contra verbũ: tantúmque præcipiat Deus, vt sua lex integra seruetur, nihilque ex ea vitietur, aut mutiletur addendo, vel minuendo. Quod tamen non obstat, quo minùs superiores Ecclesiastici, & temporales possint aliquid aliud non repugnans præcipere. Vel etiam, Non addetis ad verbum, quod vobis loquor aliquid tanquam meum, aut à me dictum, aut iussum, quod tale non sit. Nulli enim hominum licet dicta sua, vel præcepta pro diuinis supponere: neque etiam quicquam Dei verbo detrahere, negando tale esse, quod verè ipsius verbum est. Adde quòd non adduntur simpliciter, sed magis includuntur lege Dei, ea quæ legitimè præscribuntur à superioribus, quibus Deus nos iubet obedire.

23\. Simili modo intelligendus est alter locus ex Deuteron. 12. v. vlt. vel potiùs loquitur ibi Deus specialiter de cerimoniis, & cultu idolorum, vt patet ex præcedentibus immediatè: prohibetque Israelitis ne illis vtantur, sed Deum colant prout ipse præceperat, id est, modo vel iam à se determinato atque præscripto; vel per suos vicarios legitimos, sacerdotes scilicet, & Pontifices præscribẽdo: quos ea facultate vsos esse, neque propterea reprehensos constat ex festo *Phurim*, id est, Sortium, sub Hester, & Encæniorum sub Machabæis, quæ non à Deo immediatè, sed à Iudæis statuta fuerunt. Estque notandum, festum illud Encæniorum fuisse à Christo seruatum, adeóque approbatum Ioan. 10. v. 22.

Ester 9. v. 26. & 28. 1. Machab. c. 4. v. 59.

Posterioris verò loci sumpti ex Prouerb. 30. v. 6. sensus est, vt colligitur ex verbis immediatè præcedentibus, Cùm sermo Dei instar auri purgatissimi, totus sit verissimus, ac sincerissimus, nihil illi ex tuo cerebro adjicere audeas: velut diuinum scilicet. Nam quidquid aliquis ex semetipso dicit, falsitati obnoxium est, longéque abest ab infallibilitate, & veracitate purissima verbi Dei. Ita Salazar: sapienter addens, hoc loco admoneri Prophetas, ne suas coniecturas diuinis reuelationibus interserant, ne fortè rerum euentu mentiente fides vatis periclitetur, in illis etiam, quæ verè Deus ei reuelauit, & falsi prophetæ nomen sibi accersat. Ex his autem Scripturæ locis in vero, & literali sensu acceptis, quid inferri possit contra sacramentales cerimonias non apparet.

24\. Qui cultus à Deo reprehensi & puniti?

Opponunt secundò, Deum reprehendere in Scriptura, atque etiam seuerè punire eorem audaciam, qui nouis cerimoniis, à se non institutis, ipsum colere ausi sunt: idque non alia de causa, nisi quòd hominum inuenta in Dei cultu, impuræ sunt corruptelæ, inquit Caluin. lib. 4. Instit. cap. 10. num. 23. Cuius rei tria profert exempla. Vnum de quibusdam incolentibus Samariam, in quos Dominus immisit Leones, qui deuorarent eos, eò quòd ignorarent ritum Dei terræ: id est, cum colerent alio ritu, quàm ipse præscripserat, 4. Reg. 17. v. 26. Alterum est regis Achas, qui grauiter à Deo reprehenditur, quòd altare nouum in templo posuisset, licet illud ad ornatum templi spectare posset 4. Regum 16. v. 10. & 11. Tertium est Regis Manasse, cuius, inquit Caluin. hac circumstantia crimen aggrauatur, quòd *extruxit aras in Domo Domini, de qua dixit Dominus, in Hierusalem ponam nomen meum*, 4. *Reg.* 21. v. 4.

Ad primum Respondeo cum Sanctio ad versum 25. cap. citati, nouos illos incolas Samariæ, ex variis Assiriorum locis eò adductos, vt dicitur v. 24. suos quemque Deos attulisse in terram Israël quam sibi Dominus elegerat; nouasq; religiones, nouos ritus, & noua sacrificia inuexisse: quę Dominus eo in loco sibi peculiariter destinato fieri non permisit; atque ideo suæ hæreditatis vindices leones immisit, qui punirent scelus illud sacrilegum, & possessionem illam antiquam in diuina potestate retinerẽt, vt dicitur v. 25. Quod intelligens rex Assiriorum, à quo illi missi fuerant, misit eis vnum aliquem sacerdotem de captiuorum grege, à quo noui illi habitatores discerent, quid ab ipsis exigeret antiqua illius regionis religio,

quosue ritus Deus illius incolis iam ante præscripsisset v. 26. & 27. Quem tamen illi non ita audierunt, vt non simul idola sua colerent, siue ritibus à Deo statutis pro religione Iudaica, siue etiam aliis. *Nam vnaquæque gens fabricata est Deum suum, posueruntque eos in fanis excelsis*, vt additur ibidem v. 29. *& nihilominus simul colebant Dominum: & cùm Dominum colerent, Diis quoque suis seruiebant, iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam*, ibid. v. 32. & 33.

25. Ad secundum Respondeo, Achas reprehendi, non simpliciter, quòd altare in templo erexisset ad ornatum: nam rex Salomon 3. Reg. 8. non fuit reprehensus eò quòd, cùm altare æneum non sufficeret tot victimarum millibus à se immolandis, iusserit mediam partem atrii sanctificari, ad holocausta ibi offerenda, in supplementum altaris ænei. Sed reprehenditur rex ille impius, eò quòd altare æneum, siue holocaustorum, de loco suo mouerat, & reiecerat in angulum atrii Sacerdotum, vt eius loco alterum idololatricum, quale viderat Damasci, & gentilitium supponeret, vt dicitur cap. illo 16. v. 10. & quatuor seqq. aliaque multa circa eiusmodi altaria, & lutherem, & mare æneum, & quædam alia statuit, vt additur ibidem v. 17. ac denique impiè, & temerariè mutauit, vel abiecit multa priùs à Deo constituta, vt nouam religionem, & instrumenta illi accommodata in templum Domini induceret.

Ad tertium Respondeo, aras illas à Manasse extructas fuisse idololatricas, iuxta id quod immediatè sequitur v. 5. *Et extruxit altaria vniuersæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini*. Et paulò post: *Posuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini*. Porrò hæc impia Samaritanorum, & prædictorum regum facinora nihil commune habent cum cerimoniis ab Ecclesia institutis, ad maiorem venerationem baptismi, aliorumque sacramentorum, & instructionem, ac deuotionem fidelium. Quare inutiliter & ineptè contra illas proferuntur à Caluino, eiusque partiariis.

26. *Explicantur loca Isaiæ & Matthæi.* Opponunt tertiò, Deum apud Isaiam cap. 29. v. 13. & Christum Matth. 15. v. 9. reprehendere eos qui Deum frustra & sine causa colunt, docentes doctrinas, & mandata hominum. Vbi per doctrinas, & mandata hominum intelligi volunt cerimonias, traditiones, & leges Ecclesiasticas. Verùm ex verbis præcedentibus Matth. 15. liquet per huiusmodi doctrinas, & mandata hominum, intelligenda esse illa quæ Dei mandatis, & doctrinæ sunt contraria: iuxta id quod ibidem dicitur v. 3. & seqq. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Quia scilicet cùm Deus iussisset patrem, & matrem honorari, subsidiisque necessariis iuuari: Pharisæi contra & Scribæ dicebant melius esse Deo offerre illa quæ parentibus erant necessaria. *Quicunque dixerit patri, vel matri, munusquodcunque est ex me*, id est, quodcunque à me offertur Deo, *tibi proderit*, perinde ac si tibi dedissem: ideoque præstat offerre Deo, quàm tibi dare: *Et non honorificabit patrem, aut matrem suam*: id est, & ita vobis auctoribus fit, vt patrem & matrem non honoret, subueniendo illorum necessitati. *Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* De his, inquam, traditionibus, & doctrinis præcepto Dei, doctrinæque contrariis loquitur Christus, & Isaias à Christo citatus ibidem: non autem de doctrina, & mandatis legitimis Ecclesiæ, & Prælatorum, quos Christus audiri iubet sicut semetipsum Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*: vultque haberi Ethnicorum loco eos, qui Ecclesiam non audierint, Matth. 18. & Paulus Hebr. 13. v. 17. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Addo ea quæ Ecclesia docet, aut statuit, non debere dici purè humana, cùm auctore Spiritu sancto Ecclesiam gubernante doceantur, & instituantur. Meritò enim Apostoli de quibusdam à se in Cōcilio Hierosolimitano statutis pronunciarunt, *Visum est Spiritui sancto & nobis*: quamuis illa non diuina, sed Ecclesiastica statuta essent. Et quicquid Ecclesia legitimè congregata definit, aut statuit, eodem loco habendum est. Quia vt rectè ait Maldonatus ad locum Mathæi citatum, Spiritus sanctus non minùs Ecclesiæ, quàm Apostolis & promissus & exhibitus fuit, imò illi quodammodo magis. Nam Apostolis non propter ipsos, sed propter Ecclesiam, cuius membra erant: Ecclesiæ verò non propter Apostolos, sed propter ipsam datus est, vt eam doceret omnem veritatem, & cum ea maneret vsque ad consummationem sæculi.

Opponunt quartò, Paulum ad Gal. 5. non pati vllo modo vt fidelium conscientiæ in seruitutē redigantur. Ergo non licet instituere cerimonias quæ obligent in conscientia. Et in epist. ad Colossenses cap. 1. & 2. idem Apostolus docet non esse de vero Dei cultu petendam ab hominibus doctrinā; quia Dominus fideliter nos & ad plenum instituit, qualiter sit colendus: damnareque omnes ἐθελοθρησκείας id est, ficticios cultus, quos homines sibi ipsis comminiscuntur, vel ab aliis accipiunt, & quæcumque de cultu Dei tradere præcepta ex se audent. Ita Caluinus lib. 4. Institutionum capite 10. numero 8. & 9. 27.

Quas cerimonias improbet Apostolus. Respondeo, Apostolum priore loco manifestè loqui de seruitute legis Mosaicæ, cui non vult Christianos subiici: quippe ab illa per Christum liberatos; vt patet ex initio citati capitis 5. *State, & nolite iugo seruitutis contineri: Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et ex sequentibus eodem capite, atque ex tota epistola liquet Apostolum in eo versari, vt doceat Galatas, quibus à Gentilismo ad Christum conuersis Iudęi aliqui persuadere volebant legis Mosaicæ obseruationem esse

eis necessariam: Doceat, inquam, Iudaismum non esse cùm Euangelio suscipiendum; cùm Christiani liberi sint à seruitute legis veteris, neque possint aut debeant ei subiici: sitque professio illius legis tanquam adhuc necessariæ mera Christianismi euersio: quia lex Christi docet, Iudaismum abrogatum esse, neque aliam religionem, præter Christianam, admitti debere, illamque solam & necessariam esse, & sufficere ad salutem. Sed non vult Paulus dicere, non esse vllo modo ferendum, vt Christiani subiiciantur legitimæ seruituti, aut obedientiæ suorum dominorum aut Principum: cùm ipse potiùs variis locis iubeat vtrisque seruire & obedire: vt Ephes. 6. versu 5. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo* &c. & Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c. & Hebræ. 13. v. 17. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

28. Posteriore loco, id est, cap. 1. & 2. epist. ad Coloss. insectatur Apostolus Simonem magum, & eius Sectatores hæreticos, qui Colossis atque, ac Ephesi, alijsque locis sua dogmata disseminabant: Speciatimque docebant non Christum, sed Angelos esse nostræ salutis mediatores, & reconciliatores apud Deũ: vt post Chrysost. Ambros. Theophylact. aliosque veteres rectè exponit Cornelius à Lapide. Illique dogmati adiungebant multas obseruationes Iudaicas & gentilitias: ac fortè etiam, vt aliqui non improbabiliter existimant, Religionem Iudaicam, vt potè ab Angelo traditam, quam idcirco vocabant Religionem Angelorum, præferebant Christianæ, à Christo homine traditæ, de cuius excellentia & diuinitate minus benè sentiebant. Ad quos errores refellendos Paulus cap. 1. extollit Christi maiestatem, affirmatque omnia in ipso condita esse in cœlis & in terra, ipsosque etiam Angelos: & ipsum esse caput totius corporis Ecclesiæ, primogenitum omnis creaturæ; Deoque placuisse omnia per eum reconciliare in ipsum, pacificando per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt, atque ita nos habere in ipso redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Deinde cap. 2. postquam v. 1. & sex consequentibus hortatus est Colossenses vt radicentur & confirmentur in fide & charitate Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: à versu 8. ad 13. iudaizantium & Pseudophilosophorum erroribus opponit Christum, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & qui est caput omnis principatus & potestatis, & in quo circumcisi sumus spiritualiter, & cõsepulti in baptismo, atque à morte suscitati, qui denique deleuit Chirographum peccati, affigens illud cruci, & de dæmonibus triumphauit. Vnde concludit v. 16 & sequentibus, non amplius obseruationibus, & cerimonijs Iudaicis per Christum abrogatis, adhærendum esse; quippe quæ vmbræ tantùm futurorum erant, Corpus autem Christi: Neque fictam angelorum in superstitiosa humilitate & abstinentia, sed veram Christi vnius mediatoris Religionem sectandam esse. Quæ omnia vt Pauli intentioni & discursui sunt planè consentanea: sic à Caluini imaginatione sunt longè aliena: Itaque per ἐθελοθρησκείας cap. 2. v. 23. quem præcipuè vrget Caluinus, intelligit Apostolus, vel Iudaicas cerimonias iam à Christo abrogatas & reprobatas; vel religionem à Simone, Cerintho, & Angelicis confictam contra legem Dei, meraque ipsorum phantasiâ & voluntate adinuentam præter & contra legem Christi; quam idcirco vocat superstitionem & cultum voluntarium, puréque humanum. At nunquam ostendent hæretici tales esse cerimonias sacramentales ab Ecclesia Christi sponsa præscriptas, instinctu Spiritus sancti, à quo regitur & docetur, ad excitandam pietatem fidelium, & augendam venerationem sacramentorum.

SECTIO IV.

Vtrum cerimoniæ Baptismi habeant aliquem effectum?

Hæc quæstio instituitur ad explicandam doctrinam D. Thomæ quæst. 71. art. 3. vbi docet primò, exorcismum qui in baptismo fit, habere potestatem expellendi Dæmonem: iuxta illud D. Augustini lib. 1. de Symb. fidei cap. 1. *Paruuli exsufflantur, & exorcizantur, vt pellatur ab eis Diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, vt possideret homines.* Secundò, Per saliuam typicam & Sacerdotis tactum, sapientiam & virtutem diuinam operari salutem Catechumeni, vt aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei, & vt aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum: vt ait Rabanus lib. 1. de Institut. Clericorum cap. 27. post medium. Addit tertiò, in solutione quarti argumenti, inunctionem Chrismaticam, quæ post baptismum fit in vertice baptizati, operari conseruationem gratiæ baptismalis. 29.

Circa quæ nota primò, Non esse quæstionem de effectu quem huiusmodi cerimoniæ, quando consistunt in aliqua actione humana, possunt habere ex opere operantis, si fiant cum omnibus conditionibus requisitis ad merendum apud Deum de congruo, vel de condigno. Certum enim est, parem esse quoad hoc rationem huiusmodi actionum, atque aliarum quarumlibet honestarum & laudabilium: de quibus generatim diximus Tomo 2. Disputatione vlt. de Merito. Sed quæstio est de effectu qui velut ex opere operato illis respondeat, eo ipso quòd tales actiones externæ ponuntur, simili quodam modo quo sacramentis ipsis respondet effe- Status quæstionis

ctus remissionis peccatorum & gratiæ sanctificatis, eo ipso quòd fiunt vel applicantur subiecto non indisposito, ratione diuinæ institutionis.

30. Nota secundò, Non esse pariter quæstionem de effectu veluti connaturali huiusmodi cerimoniis; vt verbi gratiâ, quòd cerimoniæ institutæ ad ornatum & maiorem decentiam baptismi, reuera quemdam splendorem illi conferant, & actio baptizandi augustior inde, speciosiórque appareat. Vel quòd cerimoniæ propter aliquam mysticam significationem institutæ, inducant spectatores in notitiam rei significatæ. Hoc enim sequitur connaturaliter ex vi impositionis signi, respectu eorum quibus institutio nota est. Sed quæstio est de effectu aliquo gratuito, solùm coniuncto cum tali cerimonia virtute diuina, propter institutionem Ecclesiæ, & promissionem Dei illi adiunctam. Qui effectus esse potest vel gratia habitualis, aut actualis: vel remissio culpæ, aut pœnæ: vel expulsio, aut cohibitio Dæmonis ne noceat: vel aliquod bonum temporale, vt bona valetudo, & alicuius morbi curatio.

31. Quæ cerimoniæ baptismi sint efficaces? His præmissis, Respondeo & dico primò, non omnes cerimonias baptismi habere aliquem talem effectum: sed eas solùm quæ propter illum specialiter institutæ sunt. Ratio primæ partis est, quia talis effectus non est illis tribuendus sine sufficienti fundamento: Nullum autem est fundamentum tribuendi, posito quòd Ecclesia, quæ huiusmodi cerimonias instituit, ad hunc effectum non illas ordinauerit. Atqui non omnes ordinauit, sed eas solùm, in quarum institutione, aut celebratione, mentionem facit alicuius talis effectus: neque enim aliunde possumus de illius ordinatione & intentione iudicare. Alias verò, vel solùm propter maiorem decentiam & reuerentiam sacramenti præscripsit, vt in Baptismo, apparatum loci, & baptizantis ornatum, decentémque & plenum maiestatis agendi modum: vel propter instructionem, vt Catechismum cerimonialem baptismo præmissum: vel ad mysticam tantùm significationem, vt trinam mersionem ad Trinitatem personarum diuinarum, vel mortem Christi triduanam repræsentandam.

32. Virtus exorcismorũ. Secunda pars responsi, quòd cerimoniæ illæ, quæ ad aliquem effectum instituuntur ab Ecclesia, sint illius efficaces, probatur, quia alioqui frustra Ecclesia ad eum finem eas institueret, nisi sua institutione, vel per specialem potestatem sibi concessam diuinitus, aut per preces & suffragia quæ applicat huiusmodi cerimoniis, vel alia ratione, aliquam eis efficaciam daret ad obtinendos effectus quos intendit. Atque ita sine dubio exorcismus adhibitus ante baptismum, habet vim aliquam abigendi Dæmonem, aut coërcendi ne baptizando noceat; quia in hunc finem refertur ab Ecclesia, vtente facultate sibi à Christo concessa, Marci decimo sexto, *In nomine meo Dæmonia eiicient*, vt ex ipsismet exorcismi verbis perspicuum est: vtitur enim in illis Ecclesia verbis imperatiuis. Neque tantùm in hac cerimonia interponit nomen & crucem Christi, Dæmonibus per eam triumphatis formidabilem, vt terreantur & procul arceantur: neque etiam solùm adhibet per illam sua suffragia, & vim impetrandi, quam habet apud Deum, in sanctitate totius Ecclesiæ fundatam, cuius personam sustinet minister baptismi: sed verè exercet potestatem imperandi Dæmonibus sibi concessam a Christo, quam communicat exorcistis, & specialiter annectit formæ exorcizandi, quam in baptismo, vel extra, seruandam instituit.

Esse autem in Ecclesia hanc potestatem dubitari nequit, tum propter verba Christi supra relata ex Marci decimo sexto, tum propter antiquorum testimonia, ipsamque experientiam, quæ ex perpetuo eius vsu habetur. Nam etiam nunc videre est quod ait Iustinus in Dialogo cum Thryphone: *Illi per nomen Iesu Christi adiurati à nobis, parent.* Et quod ait Tertullianus in Apologetico capite vigesimo tertio, *Christum timentes in Deo* (dæmones) *& Deum in Christo, subiiciuntur seruis Dei & Christi. Etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti & dolentes.* Et quod ait Cyprianus in libro ad Demetrianum, *O! si audire eos, & videre velles, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & orationis flagellis exire coguntur.* Et quòd ait Lactantius libro quarto Institutionum capite vigesimo septimo initio, *Sicut Christus cùm inter homines ageret, vniuersos Dæmones verbo fugabat, &c. Ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus nomine magistri sui, & signo passionis excludunt.* Et denique, vt ait Augustinus libro sexto, contra Iulianum capite quinto, *Verum est quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret: si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret.* Et auctor Hypognosticon apud eundem Augustinum libro quinto, capite octauo, *Paruuli propterea catechizantur, & exsufflantur, ac baptizantur, vt princeps huius mundi Diabolus ex eis foras mittatur.* Itaque iuxta fidem veteris Ecclesiæ, & sanctorum Patrum traditionem, valet hic exorcismus ad pellendum Dæmonem, liberandumque hominem baptizandum ab eius potestate. 33. Ecclesia habet potestatem in Dæmones.

Quare meritò Diuus Thomas quæstione septuagesima prima, articulo tertio in corpore affirmat eos falli, qui dicunt, ea quæ in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solùm significare. Quod falsum, inquit, esse patet, per hoc quòd Ecclesia in exorcismis vtitur verbis imperatiuis ad expellendam Dæmonis potestatem: putà cùm dicit: 34.

quæ apud Deum magnam impetrandi vim habent ex eo quòd Ecclesiam diligit sicut sponsam: tametsi non infallibiliter assequitur quidquid postulat. Quod etiam verum esse existimo de remissione venialium, iuxta ea, quæ dicemus inferiùs de aqua lustrali, & quibusdam aliis disputando de remissione venialium, ad quæst. 87. D. Thomæ. Quod verò attinet ad remissionem pœnæ temporalis ex peccato mortali, aut venialiali dimisso restantis; certum est posse Ecclesiam applicare, per modum Indulgentiæ, thesaurum satisfactionum Christi, & sanctorum, aliquibus sacramentalibus, vt eorum intuitu pœna remittatur: licet non satis constet Ecclesiam ad hunc finem instituisse cerimonias sacramentorum: neque id sit verisimile de cerimoniis Baptismi, quippe qui per se solum sufficiens est ad omnem pœnam simul cum culpa tollendam: ideóque non eget subsidio sacramentalium ad hunc effectum. Possunt etiam institui, & reipsa fuerunt instituta aliqua sacramentalia præter exorcismos, ad coërcendos, aut repellendos Dæmones: vt signum crucis, & aqua Lustralis. Atque etiam ad bona temporalia impetranda, vel auertenda mala: vt illa, quibus vtitur Ecclesia ad impetrandam aëris serenitatem, ad auertendas tempestates, ad abigenda nociua animalia per adiurationes, quarum meminit Diuus Thomas 2. 2. quæst. 90. artic. 3. Et interdum per illa, pérque ipsa sacramenta Deus operatur sanitates miraculosas: vt de Constantino per Baptismum sanato à lepra refertur in vita S. Syluestri Papæ.

DISPVTATIO VIGESIMA-SEPTIMA,

De Confirmatione.



DE sacramento Confirmationis disputat S. Thom. q. 72. & art. 1. docet præter Baptismum, vi cuius homo spiritalem vitam accipit per modum generationis, dari sacramentum Confirmationis, in quo accipit quandam perfectam ætatem spiritalis vitæ. Vt enim rectè dicit Melchiades Papa in epist. ad Episc. Hispaniæ, *Spiritus sanctus qui super aquas Baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur, post baptismum roboramur.* 2. Chrisma ex oleo, & balsamo confectum esse conuenientem materiam huius sacramenti: quia oleum significat plenitudinem Spiritus sancti, quæ in Confirmatione datur ad robur spiritale competens perfectæ ætati, in qua, quia incipit homo communicare aliis suas actiones, cùm antea sibi soli singulariter viueret, admiscetur oleo Balsamum, propter fragrantiam odoris, quæ redundat in alios, iuxta illud 2. Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus*: atque etiam quia Balsamum incorruptionem præstat. 3. Chrisma debere benedici, priusquam adhibeatur ad vsum huius sacramenti: quia Christus non est vsus vnctione visibili Chrismatis, ita vt eius vsu aptitudinem

Patrum testimoniis, quæ contra hæreticos paulò post proferemus. Secunda verò pars, quæ continet huius sacramenti definitionem, partim colligitur ex Florentino in eodem Decreto §. *Horum quinque prima*, & §. *Secundum Sacramentum*, &c. partim declarabitur, cùm de materia, forma, effectu, ministro, & subiecto Confirmationis disputabitur.

2. Quandonã institutum? Secunda conclusio: Tempus quo præcisè institutum fuit à Christo sacramentum Confirmationis incertum est. Probabilius videtur non fuisse perfectè, & plenè institutum, nisi post resurrectionem, quando Christus Apostolos instituit in Episcopos, Ioan. 20. vers. 21. & 22. Episcopi enim sunt ministri ordinarii huius sacramenti; & soli, vi suæ Ordinationis, habent potestatem confirmandi, vt docet Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. Institutio autem sacramenti alicuius, vt perfecta sit, ea esse debet, vt non modò sacramenti substantia, seu materia, & forma per eam constituatur: sed etiam detur potestas ad exequendum necessaria, nisi aliunde supponatur iam data, vel habita. Quod verò ait Concilium Senonense fuisse hoc sacramentum institutum à Christo, quando paruulis sibi oblatis manus imposuit Matth. 19. intelligendum est de institutione non perfecta, sed inchoata in designatione: quatenus illa manus impositione designauit, & in figura quadam expressit eam, quæ facienda erat in sacramento Confirmationis. Similique sensu D. Thom. quæst. 72. artic. 1. ad 2. dicit Christum instituisse hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, pridie mortis suæ, quando Apostolis dixit Ioan. 17. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Non ante passionem. Sed hæc non sufficiunt, vt Christus dicatur instituisse verè, & propriè sacramentum Confirmationis ante passionem. Nam aliud est instituere propriè, & formaliter, & aliud præsignificare tantùm, vel promittere. Deinde promissio illa, de qua Diuus Thomas, pertinebat potiùs ad missionem Spiritus sancti in die Pentecostes; in qua, licet quoad effectum confirmauit Apostolos Christus, non tamen adhibito sacramento Confirmationis, sed alio eminentiori modo per potestatem excellentiæ: sicut eosdem absque sacramento ordinauerat antea in sacerdotes, & Episcopos: & sine sacramento Pœnitentiæ remiserat peccata Paralytico, & Magdalenæ.

3. Contraria sententia. Non sufficit etiam quod nonnulli obiiciunt ad probandum hoc sacramentum fuisse omnino, & perfectè institutum pridiè passionis: Christum scilicet post vltimam cœnam, egresso Iuda, longam illam concionem ad Apostolos habuisse, quam refert Ioan. cap. 13. & quatuor sequentibus: eosque multa docuisse de statu futuro Ecclesiæ, déque fidei persecutionibus: atque inter alia promisisse se fidelibus daturum Spiritum sanctum, & virtutem profitendi fidem constanter; vnde colligunt probabiliter docuisse simul modum, quo Spiritum sanctum ad illum finem dare decreuerat, quia Fabianus antiquissimus Papa in epist. ad Orientales cap. 1. (si tamen verè illius est) affirmat se à suis prædecessoribus, & illos ab Apostolis accepisse, quòd Christus Dominus, postquam cœnauit cum discipulis, docuit inter alia modum conficiendi chrisma in vsum Confirmationis. Atque ita suo tempore sentire vniuersam Ecclesiam Romanam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Ephesinam.

Hoc, inquam, non sufficit ad probandum id quod intendunt aduersarii. Quia designare materiam sacramenti, & docere modum, quo sit conficienda, & adhibenda (quod probabiliter fecisse Christum post cœnam vltimam satis probat obiectio) imò etiam simul docere formam in sacramento vsurpandam, non est adhuc perfectè illud instituere, donec detur potestas illud celebrandi: quæ potestas cùm supponat ordinem Episcopalem, non fuit data antequam Christus Apostolos fecit Episcopos post resurrectionem. Sine causa enim diceretur Christum cum illis dispensasse: neque id gratis, & sine fundamento dici debet. Refutatur.

Contra primam conclusionem obiiciunt Caluinistæ, sacramentum Confirmationis non haberi in Scriptura, sed esse inuentum Melchiadis Papæ, nullúmque antiquorum vocasse propriè sacramentum: ac denique robur, & firmitatem spiritualem debere acquiri cibo, & potu spirituali, sicut firmitas corporis acquiritur corporeo: Ideóque post Baptismum, quo spiritaliter renascimur, non esse opus nisi cibo, & potu Eucharistico: quæ duo sola sacramenta agnouerunt antiqui, Ambros. in libris de Sacram. August. epist. 118. & lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 9. & alii. Qui si aliquando vocant aliquid aliud nomine sacramenti, latè illud sumunt, eo pacto, quo Euangelium quoque, & Incarnationem, aliaque mysteria vocant sacramentum. 4.

Resp. primò, Nunquam probatum esse à Caluinistis, neque probari posse, nihil esse tenendum fide diuina, nisi habeatur expressè in Scriptura: quasi verbum quodcunque diuinum, siue scriptum, siue non scriptum, non sit æquè dignum fide propter infallibilẽ Dei loquentis auctoritatẽ independentem à characteribus: vel certitudo diuinæ reuelationis non possit aliunde haberi, quàm ex scripto, & characteribus, à quibus omnino pẽdeat: Cùm potiùs certitudo quam habemus quòd hæc Scriptura sit diuina, pendeat aliquatenus ex antiquorum traditione ad nos vsque perueniente. Quasi verò etiam Scriptura ipsa diuina non commendet diuinas traditiones non scriptas, in rebus quoque ad fidem pertinentibus, 2. Thess. 2. v. 14. & 2. Timot. 1. v. 14. & ca. 2. v. 2. Quæ loca nos alibi expen- 5. Non omnia credenda sunt expressè in Scriptura.

dimus. Quasi denique non ipsimet hæretici multa credant de Trinitate, aliisque mysteriis, quæ in Scriptura non sunt prorsus expressa. Imò ne ipsam quidē Scripturam certò, & infallibiliter tenent esse verè diuinā, & tot libris, tot capitibus, tot versibus, totque verbis constare, nisi constanti traditione accepta per Ecclesiam: Cuius etiam est determinare, Spiritu sancto assistente, verum sensum Scripturę, cùm verba minùs clara sunt: ne, si priuato sensu, & spiritu ducamur, circumferamur omni vento doctrinæ, vt ait Paulus Ephes. 4. vers. 14. Quod clara hæreticorum huius temporis in tot sectas diuisorum, & Scripturam tam variè interpretantium, experientia notissimum facit.

Confirmationis sacram. probatur ex Scriptura. Respondeo secundò, Non haberi quidem expressè in Scriptura quòd Confirmatio sit sacramentum: vt neque habetur de baptismo, & Eucharistia: nusquam enim legitur in Scriptura, Baptismus est sacramentum: vel Eucharistia est sacramentum: de quibus tamen Caluinistæ non dubitāt. Verùm sicut mentio fit de baptismo, & Eucharistia, eorúmque effectu Ioan. 3. Matth. vltimo, Luc. 22. aliisque locis, ex quibus iuxta sensum, & interpretationem Ecclesiæ, ac traditionem vsque ab Apostolis, habemus esse propriè sacramenta: Sic cerimoniæ Confirmationis, atque illius effectus, id est, Spiritus sancti per illam dati, mentio fit Actor. 8. & 19. cum eodem Ecclesiæ sensu, & interpretatione, ac traditione. Quare non minùs certum esse debet Confirmationem esse sacramentum, quàm baptismum, & Eucharistiam.

6. Constat enim ex locis Actor. citatis Apostolos constanti cerimonia consueuisse baptizatis manum imponere, & Spiritum sanctum infundere. Vnde illud Actor. 8. vers. 18. *Cùm vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus* (nota particulam causalem, *Per*) *obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Cui Petrus, Simoniam tantum reprehendens, *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecuniā possideri.* Hac autem cerimonia constanter vsi non fuissent Apostoli ad effectum illum infallibilem infusionis Spiritus sancti, nisi Christus ita instituisset, & effectum illum infallibiliter annexuisset: neque enim possunt homines sua sola vi & auctoritate alligare infallibiliter Spiritum sanctum externæ alicui cerimoniæ, vt per se

Caluin. notum est, & agnoscit ipse Caluinus lib. 4. Institut. cap. 19. §. 2. En ergo duo illa, quæ idem eodem lib. cap. 14. §. 1. ad sacramenti constitutionem solùm requirit, externum nempe symbolum, & promissionem gratiæ, quam Deus tali symbolo conscientiis nostris obsignet.

7. Quòd si vlteriùs requirant Caluinistæ ad esse sacramenti, vt sit commune omnibus (quanquam id falsò, & sine Scripturæ fundamento requirunt in omne sacramento) constat Apostolos indifferenter omnibus baptizatis manum imposuisse. Si requirunt vlteriùs permanentiam, seu continuationem: constat ex Patribus vicinis Apostolorum illam cerimoniam fuisse deinceps in Ecclesia constanter vsurpatam, vt scilicet Episcopi baptizatis manum imponerent ad exemplum Apostolorum, eisque tali cerimonia Spiritum sanctum infunderent. Id enim apertè testantur Clemens Roman. 3. Constit. cap. 10. 16. & 17. Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 2. p. 2. Tertull. lib. de Resurrect. carnis cap. 8. Vrban. in epist. Decret. cap. 7. Cyprian. epist. 73. ad Iubaian. Concilium Eliberinum can. 38. Euseb. Papa epist. 3. in fine, Melchiad. Papa & martyr in epist. ad Episc. Hisp. c. 2. Concil Arelat. I. can. 8. & II can. 17. Vtrumque autem Concilium sub Syluestro Papa celebratum est. Cyrillus Hierosol. Catech. 3. mystag. Nazianz. orat. 40. in sanctum Baptisma, Hieron. in Dial. contra Lucifer. Ambros. lib. 3. de Sacram. cap. 2. August. lib. 15. de Trinit. cap. 26. & lib. 3. de Bapt. cap. 16. & tract. 6. in epist. Ioan. & lib. 2. cont. lit. Petil. cap. 104. Innocent. I. in epist. ad Decentium c. 3. Leo epist. 88. Theodoret. in cap. 1. Cant. Qui omnes quinque primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, ad quos Nouatores prouocare solent. Eorum autem testimonia legi possunt apud Baron. ad an. Christi 35. Lorin. in cap. 8. Act. & Bellarm. lib. 1. de Confirm. cap. 3. & tribus sequentibus.

Ex quibus etiam constat, quàm falsum sit quod secundo loco obiiciunt Caluinistæ, Confirmationem esse inuentum Melchiadis Papæ. Cùm longè ante Dionysius, Clemens Rom. Clem. Alex. Tertull. Cyprian. Vrban. Cornelius, & alii Confirmationis expressè meminerint, eamque ad vsum: & exemplum Apostolorum retulerint. Cyprianus enim epist. citata, postquam retulit factum Apostolorum Petri & Ioannis Actor. 8. subiicit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.*

Quod addunt tertiò, Neminem antiquorum Confirmationem appellasse propriè sacramentum, apertè quoque falsum est. Nam non tantùm ei tribuunt reipsa quidquid sacramento propriè dicto conuenit, (quid autem de nomine litigatur, si res habetur?) sed & nomen sacramenti expressè illi dant, eodem sensu, quo baptismo. Cyprian. epist. 72. ad Stephanum Papam de Bapt. & Confirmat. loquens sic ait: *Tum demum plenè sanctificari, & esse filii Dei possunt, si sacramento vtroque nascantur.* August. lib. 2. contra lit. Petil. c. 104. *In hoc vnguento, inquit, sacramentū Chrismatis vult Petilianus interpretari. Quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus: sed potest esse in hominibus pessimis.* Et inferiùs: *Discerne igitur visibile & sanctum sacramentum, quod*

8. Probatur ex Patrib. Confirmationem esse sacram.

Cyprian.

August.

esse in bonis, & in malis potest; illis ad præmium: ipsis ad iudicium; ab inuisibili vnctione charitatis, quæ propria bonorum est. Vbi nota, Confirmationem non tantùm sacramentum vocari, sed & baptismo æquiparari, & effectum sacramenti proprium illi tribui.

9. Ad quartum Respondeo primò, Falsum esse quod per solam nutritionem acquiratur robur, & firmitas: nam etiam vnctione, & exercitatione, & aliis modis acquiritur. Secundò, firmitas & corroboratio data per Confirmationem, non est quælibet, sed velut militaris, & athletica, ad fidem fortiter profitendam, & defendendam, vt docent Patres, & Concilia citata. Tertiò, corroboratio, & firmitas per nutritionem non nisi sensim, & longo tempore habetur. Deo autem placuit firmitatem spiritalē citiùs perficere, vt etiam fecit in Apostolis infusione illa mirabili Spiritus sancti in die Pentecostes, cui respondet, quoad effectum, Confirmatio sacramentalis, quæ aliis præstitit deinceps, quod tunc Apostolis missio illa visibilis Spiritus sancti, quoad spiritalem corroborationem. Vnde Hieron. in Dialogo contra Luciferian. *Disce*, inquit, *hanc obseruationem*, confirmandi baptizatos, *ex ea auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apost. descendit.* Hieron.

10. Ad quintum Respondeo, Ambros. in libris de Sacr. apertè numerare Confirmationem inter sacramenta propriè dicta cū Baptismo, & Eucharistia. Nam lib. 1. initio sic ait recens baptizatis: *De sacramentis, quæ hodie accepistis sermonem adorior.* Tum postquam egit de baptismo, incipiens agere de Confirmatione lib. 3. c. 2. *Sequitur*, inquit, *signaculum spiritale, quod audistis hodie legi: quia post fontē*, id est, post baptismū, *sequitur, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis infunditur Spiritus sanctus.* Deinde post Confirmationem agit de Eucharistia, in cuius explicatione finit libros de Sacram. quia, vt initio proposuit, non susceperat dicere, nisi de iis, quæ omnes baptizati adulti eodem die cum baptismo statim recipiebant: quæ erant illa tria, Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia: vt constat ex historiis Ecclesiasticis. August. verò locis citatis in obiectione non ait duo tantùm illa esse sacramenta: sed duo illa ponit loco exempli. Et in epist. illa 118. postquā dixit Christum paucissimis sacramentis societatem noui populi colligasse, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, & communicatio corporis, & sanguinis ipsius, addit, *Et siquid aliud in Scripturis canonicis cōmendatur*, innuens verbis illis se non omnia commemorare. Apertè verò plura esse docet conc. 1. in Psal. 103. ad illa verba, *Qui tegis aquis superiora eius*, vbi sic inquit: *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ, munus sacramentorum, in Baptismo, in Eucharistia, in ceteris SS. sacramentis.* Et epist. 119. ad Ianuar. c. 7. *Ad celebrationem*, inquit, *sacramentorum vtimur sensibilibus rebus, aqua, frumēto, vino, & oleo.* Vbi vides numerari materias omnium sacramentorum, exceptis Pœnitentia, & Matrimonio: quæ non habent materiam consecratam. Suprà quoq; ostendimus Cyprian. & August. vocare Confirmationem propriè sacramentum, & cum Baptismo comparare. Nec vspiam illi, vel alii Patres baptismum magis propriè sacramentum vocant, quàm Confirmationem. Adde Euseb. Papam epist. 3. & Melchiadem in ep. ad Episc. Hispaniæ, vbi rogatus vtrum maius esset sacramentum, Baptismus an Confirmatio? *Scitote*, inquit, *vtrumque magnum esse sacramentum.* Et addit Confirmationem in eo præstare Baptismo, quòd à solis Episcopis confertur: exemplo scilicet Apostolorum. Cùm enim ad Philippi Diaconi prædicationem recepissent Samaritani verbum Dei, & baptizati fuissent; missi sunt Petrus, & Ioannes Apostoli, & Episcopi, vt quod Philippus non poterat, baptizatis manum imponerent, eaque cerimonia Spiritum sanctum illis conferrent. *Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu*, Actor. 8.

SECTIO II.

Respondetur Caluinistarum instantiis.

AT, inquiunt Nouatores, non idem est quod nunc fit ab Episcopis, & quod ab Apostolis factum narratur Act. 8. & 19. Nam 1. ab Apostolis dabatur Spiritus sanctus cum dono linguarum; aliisque donis, quæ iam non dantur ab Episcopis. 2. Apostoli tantùm manus imponebant: Confirmatio nostra fit vnctione Chrismatis. 3. Confirmatio nostra nō potest iterari: Secus illa manuum impositio, teste August. lib. 3. de Bapt. c. 16. in fine vbi sic habet: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud, quàm oratio super hominem?* 4. Denique Calu. l. 4. Instit. c. 19. n. 6. huic manuum impositioni, inquit, nō altius mysterium subesse cogito. Sed eiusmodi cerimoniam ab illis adhibitam interpretor, vt ipso gestu significarent se Deo commendare, & velut offerre eum, cui manus imponebant. Addit ibid. n. 12. Etiamsi tota antiquitas à nobis staret, nos nihil conficere. Quia sacramentum non est è terra, sed ē cœlo: non ab hominibus, sed ab vno Deo. 11. Caluin.

Respondeo, Idem nunc fieri à nostris Episcopis, quod fiebat ab Episcopis quinq; priorum sæculorum Ecclesiæ, vt apertè constat ex locis Patrum, & Concil. supra cit. Iidem verò Patres testantur Ecclesiam tunc fecisse per Episcopos, id quod fecerant Apostoli, eorúmque exemplum esse secutam. Sic enim ait Cyprian. ep. 73. loquens de facto Petri, & Ioannis Apostol. Act. 8. *Quod & nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem, Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Hieron. in Dial. contra Luciferian. postquā dixit Episcopos dare baptizatis Spiritum sanctum per manus impositionem, subiungit; Idem quod fecerunt Apostoli, facit nūc Ecclesia in confirmatione.

Exigis vbi scriptum sit? in actibus Apostolorum. Sed etiam si Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. D. August. 15. de Trin. c. 26. *Orabant*, inquit de Apostolis Act. 8. *vt veniret Spiritus sanctus in eos quibus manus imponebant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc seruat Ecclesia.* Innocentius I. Epist. 1. ad Decentium cap. 3. *Hæc autem Pontificibus solis deberi vt vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica, demonstrat verùm & illa lectio Act. Apost. quæ asserit Petrum & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum.* Et Damasus Papa Epist. 4. de Chorepiscopis, &c. *Quòd autem solis Apostolis eorúmque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber actuum Apostolorum docet*, &c.

August. Innocent. Damas.

13. Ad primam instantiam in contrarium Respondeo verbis D. Augustini lib. 3. de Bapt. c. 16. *Non ampliùs (inquit) téporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc expectet vt quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Similia habet tract. 6. in Epist. Ioan. Dico igitur cum Augustino, licet donum linguarum cessauerit, vt & frequens vsus aliorum miraculorum quæ propter Ecclesiæ nascentis necessitatem tunc fiebant: eandem tamen substantialiter fuisse illam cerimoniam cum ea quæ deinceps ab Episcopis vsurpata est, eundémque effectum sacramentalem habere, nempe infusionem Spiritus sancti. Donum verò linguarum erat beneficium accidentariò illi coniunctum.

August. Confirmatio infundit nunc spiritum sanctũ inuisibiliter.

14. Ad secundam respondet primò S. Thom. q. 72. a. 2. ad primũ, Apostolos aliquando sola manus impositione confirmasse, sæpius verò & communiter chrismate. Sed quia hæc distinctio seu varietas non habet solidum fundamentum, Respondeo 2. cum Vvaldensi, Bellarm. Valentia, & aliis, negando antecedens. Licet enim Scriptura tantùm expressè loquatur de manus impositione; non tamen negat fuisse factam vngendo caput baptizati in fronte. Aliunde verò ex Antiquorum testimoniis clarè habemus ita ab Apostolis factum fuisse. Nam antiqui suprà citati apertè docent cerimoniam suo tempore vsurpatã ab Episcopis, esse illud ipsum quod fecerant Apostoli Act. 8. & 19. Quòd autem manus impositio Episcoporum illo tempore primitiuæ Ecclesiæ quę Apostolos vidit, aut proximè secuta est, fieret cum inunctione, docent expressè Patres illius temporis, Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. parte 2. in fine, *Baptizatum indutũ alba veste ad Pontificem ducunt. Ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signat*, & cap. 4. parte 3. *Sed & ipsis qui sacratissimo regenerationis mysterio consecrantur aduentum Spiritus sancti consummans inunctio elargitur.* Tertul. lib. de Resurrect. carnis cap. 8. *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt & anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Cyprian. lib. 1. epist. vlt. *Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, vt chrismate accepto*, &c. Cyrillus Cathec. 3. mystagogica. *Corpus quidem isto visibili vnguento perungitur: anima verò sancto ac viuifico spiritu sanctificatur.* Nazianz. orat. in S. Baptisma, *Animum scilicet & corpus vnctione & spiritu consignans.* August. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. *In hoc vnguento sacramentum Chrismatis*, &c. Theodoretus comment. in caput primum Canticor. *Qui initiantur baptismo, post Satanæ abnegationem & confessionem fidei, veluti signo ac nota regij spiritualis vnguenti chrismate inuncti, sub ea visibili vnguenti specie, inuisibilem sanctissimi Spiritus gratiam percipiunt.*

S. Thom. Vnctio chrismatica fuit adhibita ab Apostolis in confirmat. Dionys. Tertull. Cyprian. Cyrill. August. Theod.

15. Ad tertiam Respódeo, Præter manus impositionem cõfirmatiuam, de qua hîc loquimur, aliam fuisse & esse nunc multiplicem; nempe curatiuam, de qua Marc. vlt. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*: Ordinatiuam, de qua 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij.* Reconciliatiuam, de qua Concil. Carthaginense IV. can. 80. Arausicanum I. can. 3. Agathense can. 11. Deprecatiuam, de qua Actor. 13. *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* D. August. loco cit. in obiectionibus loquitur de hac vltima: vel potiùs de reconciliatiua, & specialiter de illa quæ in sacramento Pœnitentiæ fit ad reconciliandum pœnitentem cum Deo & Ecclesia. Vide Bellarminum lib. 2. de Confirm. cap. 7.

Manus impositio fuit multiplex in primitiua Ecclesia. Carthag. Agathens. Arausic. 1.

16. Ad quartam Respondeo, Caluini cogitationem esse ineptam. Nam apertè constat ex Actor. 8. & 19. Apostolos per manus impositionem dedisse Spiritum sanctum. Ergo altius quoddam mysterium hîc suberat, quàm commendandi & offerendi Deo. Deinde cur Philippus Diaconus non imposuisset manus Samaritanis à se baptizatis, sed opus fuisset expectare Apostolos Petrum & Ioannem? Nam quisque poterat facilè baptizatos à se, commendare Deo, & offerre. Quid item opus fuisset Apostolos eò mittere, quasi nõ possent orare pro absentibus, eosq; Deo commendare & offerre: aut quasi ad fidei cõmendationem non sufficerent alia miracula, quæ tam multa fiebant à Philippo apud eosdẽ Samaritanos à se cõuersos & baptizatos. Alterũ verò Caluini dictum æquè ineptum est. Non enim est quæstio, an sacramentum hoc sit ab hominibus, sed an fuerit à Christo institutũ? Cuius institutionis testem proferimus totam antiquitatẽ, quam suis imaginationibus post 15. sæcula postponere, præsertim in quæst. facti, intolerabilis est impudẽtiæ & insaniæ,

Maximè verò cùm, spreto testimonio antiquitatis, non possit Caluinus magis probare efficaciter vel Baptismum, vel Eucharistiam esse propriè sacramenta; imò neque Scripturam ipsam esse verè & integrè diuinam.

SECTIO III.

Quæ sit huius sacramenti materia & forma?

17. De materia & forma Sacramenti Confirmationis Florent. in Decreto sic pronunciat: *Secundum sacramentum est Confirmatio: cuius materia est chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est, Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Hæc Concilium: Cuius priora verba intelligenda sunt de materia remota, quæ est chrisma, vt patet ex vsu & sensu antiquissimo Ecclesiæ, cuius testes sunt Dionysius in lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. part. 2. vbi illud vocat, *vnguentum Deificum*: Cyrillus Catech. 3. Mystag. vbi vocat *chrisma Christi, quo frons perungitur, anima verò sancto ac viuifico spiritu sanctificatur*: Cyprianus lib. de Cardinalibus Christi operibus Serm. de vnctione chrismatis initio, vbi sic habet: *Sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum &c.* August. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. *In hoc vnguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari*: Cornelius Papa, Innocentius I. Prudentius & Theodoretus, locis mox citandis & Gregorius Magnus in cap. 1. Canticor. ad illa verba, *In vineis Engaddi*: quæ allegoricè, sic interpretatur: *In vineis Engaddi balsamum nascitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona Spiritus sancti exprimuntur.* Nomine autem olei intellige oleum oliuarum, quod propriè dicitur oleum, & maximè habetur in vsu communi hominum, vbi haberi potest: aliud autem non nisi in supplementum: vt rectè ait S. Thomas q. 72. a. 2. ad 3. Nomen enim olei simpliciter & sine addito positum, tam verè & propriè significat oleum oliuarum; quàm nomina aquæ, panis & vini, significant aquam naturalem, panem triticeũ, & vinum vitigineum. Quare sicut ex eo quòd Christus asseruit aquam esse materiam baptismi; & panem ac vinum, Eucharistiæ; Ecclesia intellexit, & Concilia definiuerunt aquam naturalem, panem triticeum, & vinum vitigineum, esse materias horum sacramentorum, Baptismi scilicet, & Eucharistiæ: sic per oleum, quod secundum institutionem à Christo per Apostolos, eorumque successores, acceptam, dicitur à sanctis Patribus esse materia sacramenti Confirmationis, oleum propriè dictum, id est, oliuarum, intelligendum est.

Chrisma est materia remota Cõfirmationis. Dionys. Cyrill. Cyprian. August. Gregorius. S. Thom.

18. Materia verò proxima est vnctio & consignatio chrismatica, manu ministri facta in fronte confirmati: ut patet ex verbis formæ, & ex vsu Ecclesiæ antiquissimo. Nam huius vnctionis & consignationis meminerunt Dionysius supra, Pacianus lib. de Baptismo, Theodoret in cap. 1. Cantic. Innocentius I. in epist. 1. ad Decentium cap. 3. & Prudentius in Psycomachia, his verbis,

Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Vnguentum regale est, & chrisma perenne.

Materia proxima est vnctio chrismatica. Dionys. Innocent. Prudent.

19. Formæ quoque supra traditæ à Florent. aut potiùs æquiualentis quoad sensum necessarium, mentio fit in edicto Constantini Magni (si tamen verè illius est) quod habetur tom. 1. Concilior. ante Concilium Nicænum primum, vbi Constantinus Magnus refert se à Syluestro Papa, post baptismum, in fronte signatum & chrismate vnctum fuisse, in hæc verba: *Signet te Deus sigillo fidei suæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in consignatione fidei.* Et apud Ambros. lib. 2. de Sacram. cap. 7. in fine hæc traditur: *Deus Pater omnipotens qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam.* Et in ordine quodam Romano, qui ante annos 800. citatus habetur ab Alcuino, forma talis refertur: *Signa eos Domine signo crucis. Ego te confirmo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Rectè autem obseruat Aegid. ad art. 4. q. 72. n. 69. Patres antiquos de forma Confirmationis obscuriùs quàm de materia esse locutos, ne mysterium proderent infidelibus. Vnde Innocent. I. epist. 1. ad Decentium cap. 3. agens de forma confirmationis: *Verba*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.*

Quæ sit forma huius sacramenti. Ambros. Coninc. Innocent.

20. Quæres, An omnia supra tradita à Florẽt. sint essentialia Sacramento Confirmationis? Respondeo, verba omnia pro forma tradita non esse essentialia: vt patet ex forma relata ab Alcuino, in qua omittitur, *chrismate salutis*: & pro, *signo te*, dicitur, *signa eos Domine*. Quæ differunt plusquam synonima. Similis & maior differentia cernitur in formis Constantiniana, & Ambrosiana. Græci verò his solis verbis vtuntur, vt refert Arcudius lib. 2. de Sacram. c. 6. ex ipsorum praxi & Euchologio, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου *Signaculum doni Spiritus sancti*, est, supple. Quę forma cùm sit valida, vt pote ab Ecclesia Romana tolerata palam & publicè, debet totum essentialem sensum continere. Eademque forma refertur in can. 7. secundæ Synodi generalis: & Bessarion Cardinalis lib. de Sacramento Eucharistiæ post mediũ, testatur verbis illis sacrum chrisma perfici, id est, sacramentum Confirmationis. Idque confirmat Gręcorum vsus hodiernus, Romæ & alibi ab Ecclesia Romana palam toleratus, & tacitè saltem approbatus. Quapropter censeo tantùm esse essentiale, vt actus ministri, & effectus sacramenti, aliquo modo significetur: vt fit in omnibus formis iam relatis: etiam in Constantiniana & Ambro-

Quæ verba sint essentialia formæ? Arcudius. Bessarion.

siana. Sensus enim est; *Signet te Deus* &c. *Ipse te vngat*, &c. *per me ministrum suum hic & nunc*.

Similiter in materia proxima, licet consignatio sit essentialis, vt patet ex verbis formę tam gręcæ, quàm latinę, quæ quoad sensum essentialem conueniunt: non est tamen essentiale vt illa consignatio & vnctio fiat pollice dextro Episcopi chrismate imbuto: imò ne quidem vt ipsa manu immediatè: Sed ex præcepto tantùm necessarium illud est, quia præscribitur in Pōtificali. Addit Ledesma, neque esse essentiale vt fiat in fronte confirmandi. Sed eius sententiam Suares & alij vt singularem & temerariam reijciūt. Sufficit autem in fronte inungere, licet Græci alias quoque partes corporis simul vngāt, vt testatur Arcudius lib. cit. eiusque moris antiquissimi meminit expressè Cyrill. Catech. 3. Mystag. Ideo autem in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat: & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis est scādalum, gentibus autem stultitia. Propter quod signo crucis signatur, inquit Florent. in decreto, §. *Effectus autem*: additurque cerimonialis leuis alapæ inflictio, vt doceatur contumelias pro Christi fide sibi fortiter esse ferendas.

22. De materia verò remota maior est controuersia. Etenim existimāt aliqui solam manus impositionem sufficere. Quia Apostoli Act. 8. & 19. sola manus impositione confirmarunt. Vt interdum fecisse concedit S. Thom. q. 72. art. 2. ad 1. & significat Innocentius III. cap. *Cùm venisset*, extra, *de Sacra vnctione*, dicens, per frontis Chrismationem designari manus impositionem, quam faciebant Apostoli. Et Florēt in decreto affirmās confirmationem dari loco illius impositionis manuum, quæ olim fiebat ab Apostolis. Idem denique in vsu fuisse tempore concilij Arausicani sub Leone 1. docet Sirmondus in Antirrhetico n. 10. motus verbis canonis 1. Arausicani à se correcti & explicati: vbi, inquit, præcipitur vt si quis in Baptismo chrismatus fuerit, non chrismetur iterum in Confirmatione: sed nimirum manus tantùm ab Episcopo ipsi imponatur. Quod confirmat verbis quibusdam Hieronymi, Gennadij, Hilarij Arelatensis, & D. August. qui Confirmationem vocant manus impositionem.

Variæ sententiæ de materia remota confirmationis.

S. Thom. Innocent.

23. Alij 2. Balsami mixtionem accidentariam esse putant, & oleum solum esse essentiale. Quia Innocentius III. cap. *Pastoralis, de Sacramentis non iterandis*, respondet Sacramentum confirmationis datum oleo solo, non esse iterandum. Deinde oleum sine balsamo significat sufficienter effectum Confirmationis. Ergo non est credibile Deum astrinxisse naturam illius, rei non necessariæ, & alioqui cognitu & paratu difficillimæ. Materia enim Sacramenti communissimi debet esse communissima, & facilè parabilis. Verum autem Balsamum est cognitu difficilimum, & rarissimum.

Alij 3. censent sufficere alterum indeterminatè. De oleo probant ex dictis: & quia parum balsami admisceri solet ab Episcopis magnæ olei copiæ: vnde credibile est plurimos solo inungi oleo. Balsamum verò solum sufficere probant, quia Florent. de vtroque eodem modo loquitur, & sancti Patres similiter, parque videtur vtriusque vis ad significandum.

4. Denique alij putant benedictionem Episcopalem non esse necessariam. Quia licet aqua Baptismi benedicatur, & panis ac vinum ante consecrationem: id tamen illis accidentarium est. Ergo similiter &c. Deinde multa præscribuntur in Rituali aut Pontificali Romano dicenda in benedictione & consecratione Chrismatis, quæ omnia Sacramento Confirmationis essentialia esse nō est credibile. Quænam autem ex illis, & cur hoc potius, quàm illud, definiri nequit. Quicquid verò sit de benedictione, saltem non est essentiale vt fiat ab Episcopo. Nam in Concil. Toletano 1. can. 20. significatur moris fuisse quibusdam in locis vt sacerdotes Chrisma benedicerent: neque propterea significatur Sacramentum fuisse irritum; sed statuitur tantùm ne in posterum sacerdotes Chrisma benedicant. Denique sicut sacerdos ex dispensatione summi Pōtificis potest administrare confirmationem: quidni & Chrisma conficere? Nam qui potest conferre Sacramentum aliquod, videtur posse pariter illius materiam præparare, si eget aliqua præparatione ministri. Sicut in physicis, agens potens introducere formam præcipuam, potest disponere materiam. 24.

Nec obest quòd Concil. Florent. omnia supra dicta assignat pro materia confirmationis, quia non omnia quorum mentionem facit in assignandis Sacramentorum materijs sunt essentialia: vt patet inductione. Pro materia enim Calicis Eucharistici assignat vinum cum aqua modicissima, quæ tamen de essentia non est. In Sacramento Pœnitentiæ satisfactionem numerat inter actus pœnitentis, qui sunt materia: & tamen satisfactio est tantùm pars integralis. In Sacramento Ordinis ait materiam esse illud, per cuius traditionem confertur ordo: Sicut, inquit, *Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem*, &c. Et tamē Græci sola manuū impositione ordinant, vt ex ipsorum praxi & libris refert Arcudius lib. 6. de Sacram. cap. 2. & sequentibus: simulque, atque vna & eadem manus impositione & formâ verborum, dant vtramque potestatem sacerdotalem, consecrandi scilicet, & absoluendi à peccatis non diuisim vt fit in latina Ecclesia. Neque vsurpant eadē verba quæ Florent. tradit pro forma, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium* &c. Vnde euidens fit non esse essentialia quæcumque traduntur à concilio Florent. Alioqui presbyteri Græci non essent veri Sacerdotes. Quos tamen vt tales agnouit Romana & vniuersa Ecclesia in eodem concilio, & quotidie permittit eos celebrare inter latinos, nul- 25.

lumque eorum reconciliat, quando à schismate ad vnionem cum Ecclesia Catholica accedit.

26. Hæc quidem satis apertè ostendunt rem non omnino certam esse, de qua etiam post Florentinum variæ sunt Theologorum sententiæ. Communior tamen, & in praxi tenenda sententia est, materiam remotam essentialem Confirmationis esse chrisma cõpositum ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto. Quod non tam colligo ex verbis Florentini (licet ne leuiter quidem significauerit aliud posse sufficere: cùm tamen de ministro agens ibidem, & aiens, ordinarium eius ministrum esse Episcopum, addat, memoriæ tamen proditum esse, quòd dispẽsatione Apostolicæ sedis simplex sacerdos administrauerit aliquando sacramentum Confirmationis: sed in chrismate ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto) quàm ex perpetuo vsu totius Ecclesiæ, tam Græcæ, quàm Latinæ, quæ semper talem materiam adhibuit: neque enim id seruatum fuisset tam constanter & vniuersaliter, etiam in casibus, in quibus propter necessitatem permittebatur Presbyteris confirmare, nisi essentiale & simpliciter necessarium iudicatum fuisset.

Quænam sit necessaria materia remota Confir.

37. Ad primæ autem opinionis argumenta Respondeo, Patres Apostolorum contemporaneos, aut proximos successores, vt Dionysium cap. 4. de Ecclesiast. Hierarchia, Clementem Romanum lib. 7. Constitut. cap. 44. & 45. & Fabianum Papam Epist. 2. ad orientales, satis apertè testari, Apostolos chrismate fuisse vsos in hoc sacramento. Licet Lucas scribens compendiosiùs eius vnctionem non expresserit, sed manus impositione inuoluerit. Ipsa enim inunctio in fronte confirmandi, vt ab Episcopis fit, manus quædam impositio est. Vnde sancti Patres indifferenter hoc sacramentum vocant modò vnctionem, modò manus impositionem. Quo sensu loquitur Innocentius tertius capite citato in obiectione *Cùm venisset, de sacra vnct.* quando sic ait: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur*, id est, significatur, *quæ alio nomine chrismatio dicitur*, id est, hæc diuersa nomina idem significant. Florent. verò tantùm dicit Episcopos nunc imitari Apostolos, quando illorum exemplo cerimoniam confirmandi exercent, non dissimilem quidem quoad substantiam, secus tamen quoad circumstantiam doni linguarum, & visibilem Spiritus sancti infusionem. Qua de causa Confirmatio Episcopalis dicitur esse loco illius manus impositionis miraculosæ, differentis secundum quid. Canon verò primus Concilii particularis Arausicani obscurus est, tum propter lectionum varietatem: tum etiam propter verborum perplexitatem: ita vt nihil certi possit ex illo colligi, quantamcunque lucem ei afferre conetur Sirmondus loco citato. Cui non assentior in eo quod ait, morem Ecclesiæ illius temporis fuisse vt Presbyteri baptizatos linirent in

Apostoli sunt vsi chrismate in Confirmatione, & Episcopi in Ecclesia primit.

Canon Arausicani obscurus.

fronte; Episcopi vero confirmantes, longo licet post tempore, manum tantum imponerent, nisi supplenda esset chrismatio frontis omissa à Presbytero in baptismo. Hoc enim repugnat testimonio Leonis I. sub quo Concil. illud Arausic. celebratum fuit, Epist. 86. alias 88. declarantis non licere idem Presbyteris, quod Episcopis: sed licere solis Episcopis dare Spiritum sanctum per manus impositionem, & vngere chrismate in fronte. Et Innocentii I. qui paulò ante Leonem primum sedit, & in epistola 1. ad Decentium cap. 3. sic scribit: *Presbyteris chrismate baptizatos* (in vertice supple, vt nunc etiam fit) *vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare. Quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum sanctum paraclerum.* Quare vel canon Arausicanus non eum habet sensum, aut structuram verborum, quam vult Sirmondus: vel fuit contra definitionem Innocentii I. & correctus fuit declaratione Leonis I. Quod secundum minùs credibile videtur. Quis enim credat Concilium particulare Arausic. contra sententias Summ. Pontificum, & vsum communem illius temporis Ecclesiæ Latinæ, siue occidentalis, statuisse? Neque Sirmondo satis fauent Patres ab eo citati, qui eodem sensu Confirmationem vocant manus impositionem, quo Innoc. III. cap. *Cum venisset*, supra explicato.

Leo.

Innocent.

Ad argumenta secundæ opinionis Respondeo primò, Innocentium de pluribus sacramentis (Ordinis scilicet & Confirmationis) interrogatum, an deberent iterari propter aliquem defectum: breuiter tantùm & confusè de omnibus simul respondisse: *In talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum.* Quæ verba, licet cum interrogatione collata, & cum sensu interrogantium, An scilicet Subdiaconatus datus sine impositione manuum, & Confirmatio non Chrismate sed oleo per errorem facta, deberent iterari; videantur significare non aliud esse faciendum, nisi addendum quod defuit: vni scilicet impositionem manuum: & alteri balsami vnctionem: cautiùs tamen & prudentiùs intelligi debent verba Pontificis, vt ipse significat cùm ait, *Cautè supplendum esse quod incautè fuit prætermissum.* Et quod attinet ad Confirmationem, non est existimandum voluisse Pontificem vt solius balsami vnctio adhiberetur: tum quia talis vnctio sacra, est in Ecclesia inusitata, & inaudita: tum etiam quia fieri debuisset balsamo benedicto & consecrato: at nulla vnquam fuit in Ecclesia consecratio balsami sine oleo admixto, vt patet ex antiquis Pontificalibus, & ordinum aut rituum libris. Voluit ergo Pontifex vt vnctio chrismatis (quod fuerat prætermissum) adhiberetur. Et quia forma quoque fuerat verbo tenus tantùm prolata: quoad sensum verò essentialem (significantem tacitè vel expressè vnctionem chrismaticam fieri hîc & nunc) fuerat prætermissa, aut falsò tantùm 28.

Explicatur locus obscurus Innocentii I.

pronunciata: voluit quoque Pontifex illam adhiberi, veluti prætermissam quoad id quod præcipuum est, nempe quoad sensum verum & essentialem, qui sensus non poterat sine verborũ repetitione suppleri. Illis ergo verbis, *In talibus non est aliquid iterandũ*, voluit tantùm Pontifex nihil, quod bene & validè factum fuisset, debere iterari: siue id esset sacramentis illis substantiale, siue tantùm accidentale, vt mera cerimonia: qualis est in Confirmatione inflictio alapæ, & adiunctio Patrini. Secus tamen quod vel omnino prætermissum, vel inualidè factum fuerat, quod rectè quoque potest dici prætermissum, neque enim factum censeri debet, quod inualidè factum est, aut sine quo non poterat verè adhiberi quod prætermissum erat.

29. Respondeo 2. ad reliquum obiectionis, Rem pendere à Christi institutione, qui hanc materiam determinauit, licet aliis vti potuerit, ad significandum & efficiendum æquè aptis. Quemadmodum Baptismum determinauit ad aquam naturalem: & Eucharistiam, ad panem triticeum, & vinum vitigineum. Ac licet verum balsamum sit rarissimum & pretiosissimum, neque facilè dignoscatur à quolibet; non difficile tamen cognoscitur à peritis, & hucusque nunquam defuit in Ecclesia. Nam ex epistola Fabiani supra citata, constat, ne tunc quidem cùm maximè vigebat persecutio, defuisse, & tantâ copiâ, vt singulis annis renouari posset: vt ibidem fieri præcipitur, & hucusque seruatur. Neque tantùm in Iudæa, sed & in India nascitur. Quamuis autem à tempore Fabiani Papæ sit præceptum expressum confirmandi nouo chrismate quotannis renouato: vetus tamen sufficit ad valorem sacramenti, nisi substantialiter corruptum sit.

30. Quæ mixtio balsami sufficiat? Ad fundamentum tertiæ opinionis Respondeo cum Aegidio Coninc ad q. 72. n. 39. hinc tantùm sequi (quod verum esse existimo) sufficere talem mixtionem, vt licet balsamum non peruadat substantialiter omnes olei partes notabiles, quæ in materiam confirmationis assumuntur singillatim; peruadat tamen saltem secundum qualitates suas, & præcipuè secundum odorem significantem odorem bonæ famæ: hoc enim puto euinci ex illa praxi communi Episcoporum.

31. Ad quartam opinionem Respondeo 1. In rebus pendentibus ab institutione, argumentum à pari non valere. 2. Hæc aut illa verba non esse essentialia, sed tantùm vt Chrisma benedicatur ab Episcopo cum inuocatione Spiritus sancti, vt communiter docent Theologi. Sufficit enim quæcumque oratio benedicendo chrismati apta, quantũ attinet ad essentiam sacramenti: licet ex præcepto mos cuiusque Ecclesiæ seruandus sit. 3. Concilium Toletanum non approbare talem chrismatis benedictionem: neque affirmare Confirmationem ex illo factam fuisse validam. Imò ex verbis, quæ proximè subiungit, facilè intelligitur tale Chrisma non fuisse adhibitum ad confirmandum: sed ad cerimoniam accidentalem Baptismi, chrismandi baptizatum in vertice capitis quæ chrismatio fiebat, vt nunc etiam fit, à Sacerdote baptizante. Peccabant tamen illi Sacerdotes, quia chrisma quo vtendum est, siue ad confirmandum, siue ad illam baptismi cerimoniam, vnum & idem esse debet, ab Episcopo consecratum: vt patet ex cap. 3. epist. 1. Innocentii I. qui eodem tempore sedit: quamuis id non pertineat ad essentiam & valorem baptismi, cui chrismatio accidentalis est. Licet autem Christus instituerit vt in casu necessitatis possit simplex Sacerdos confirmare ex commissione summi Pontificis: non sequitur instituisse vt possit pariter chrisma conficere: neque id necesse fuit. Chrisma enim confectum ab Episcopo facilè quólibet deferri potest. Non est verò facile Episcopum quælibet loca adire, aut vbique constitui. Quare par fuit Christum huic difficultati prospicere. Item non omnis qui potest maius, potest quidlibet minus: vt homo potest generare hominem, non aquilam: Sacerdos potest consecrare corpus Christi, at non conferre ordinem Sacerdotij. Virtutes enim limitatæ, vel ex natura sua, vt naturales; vel ex institutione, vt morales; non valent nisi ad eos effectus, ad quos vel ex natura sua, vel ex institutione aptæ sunt. Atque ita potestas extraordinariè commissa sacerdoti, valet quidem ad confirmandum, sed non ad chrisma conficiendum, seu materiam præparandam. Sicut idem sacerdos potestate ordinaria per sacerdotium sibi collata, potest quidem consecrare corpus & sanguinem Christi: sed non alios sacerdotes ordinare: quod est minus, & veluti quædam præparatio ad Eucharistiam conficiendam. Denique moralia non sunt in omnibus similia physicis: & ex illis non valet argumentum à pari, vel à simili: quia libera voluntas instituentis potest eligere vnum præ alio pari, vel simili.

Non quicumque potest maius, potest minus.

Reliquum obiectionis tantùm probat, quod non diffitemur, sententiam nostram & communem, non esse omnino certam. Neq; ex verbis Florentini satis apertè colligi. Quamuis Florentinum longè aliter loquatur de aqua vino admiscenda in Eucharistia, quàm de mixtione olei & balsami in Confirmatione, vt expendemus alibi disp. 29. sect. 6. num. 48. 32.

SECTIO IV.

De effectu & necessitate Confirmationis.

EFfectus huius sacramẽti triplex est. Character, nota militum Christi: gratia in modum ætatis perfectæ, & spiritalis corroborationis, ad fidem Christi fortiter profitendam: & speciale ius ad auxilia specialia fini illi proportionata. De primo constat ex 33.

Florent. in Decreto §. *Hæc omnia sacramenta*, & Trident. sess. 7. can. 9. *de Sacramentis in* S. Thom. *genere*. De eodémque D. Thom. quæst. 72. art. 5. ad 6. affirmat characterem Confirmationis supponere characterem baptismi, quia nimirum Confirmatio supponit baptismum: quod & reliquis sacramentis commune est. Quippe quia baptismus est natiuitas spiritalis, ianua Ecclesiæ, & fundamentum reliquorum Sacramentorum. Prius enim est nasci, saltem in causa; quàm corroborari, & nutriri, aliisque modis perfici in ordine ad seipsum, vel ad communitatem, vt habet D. Thom. art. 6. quæstionis citatæ. Porro iste character essentialiter differt à charactere baptismi: quippe qui essentialiter ad finem valde diuersum ordinatur: cùm ille sit nota militum, iste domesticorum vt talium, qui status differunt essentialiter moraliter. Inde autem fit vt Confirmatio non possit iterari, vt definitur à Florent. & Trident. locis citatis. Et grauiter peccat qui scienter iterare præsumit, quamuis nullam irregularitatem incurrat, quia nullo iure id exprimitur. Neq; valet argumentum à pari de Baptismo. Nam irregularitas nunquam incurritur nisi in casibus iure expressis, vt habetur expressè cap. *Is qui in Ecclesia*, de sentent. excommunicat. in 6.

Character Confirmationis.

34. De secundo & tertio effectu quæri potest vnde constet Confirmationem dare gratiam in modum corroborationis spiritalis cum iure illo, &c. Respondeo, Sacramentum ipsum id ostendere, & testimonium commune SS. Patrum. Etenim vnctio & consignatio, & verba formæ, *Confirmo te*, significant gratiam quæ confertur vi huius sacramenti, iuxta Trident. sess. 7. can 6. dari in ordine ad certamen & luctam. Florent. quoque §. *Effectus huius sacramenti*, ait in hoc sacramento dari Spiritum sanctum ad robur, sicut datus fuit Apostolis in die Pentecostes, vt Christianus Christi nomen audacter confiteatur. Idem testantur antiquissimi Patres Dionys. Clem. Tertull. August. Cyprian. & alii, de quibus vide Coccium tom. 2. lib. 5. art 20. Et Melchiades antiquissimus Papa in epist. ad Episcopos Hispaniæ cap. 2. vt refertur de Consecratione dist. 5. cap. 2. *In Baptismo*, inquit, *regeneramur ad vitam, post baptismum roboramur*, &c. Et paulò post, *Confirmatio armat & instruit ad agones mundi huius & prælia reseruandos*. Vrbanus autem Epist. 1. cap. 7. *Omnes*, inquit, *fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur. Quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.*

Confirmatio dat gratiam per modũ corroborationis.

Melchiad.

Vrban.

35. Ratio eiusdem institutionis est, quia tametsi Deus potuit semel quemlibet vel sacramento Baptismi, vel alio quouis medio perficere & corroborare: placuit tamen hac progressione vti, vt in Apostolis vsus est, quos non quamprimum induit virtute ex alto, ne per baptismum quidem & Eucharistiam, vt fidem fortiter constanterque profiterentur: quem in finem nos similiter instruit armatque robore per sacramentum Confirmationis. Hoc autem robur, præter gratiam in Confirmatione acceptam, addit ius speciale ad auxilia opportunè conferenda, & certissimè, si non ponatur obex, ad fidem fortiter profitendam & superandas difficultates, vt perfectos decet. Quo pacto ipsi Apostoli resistebant persecutionibus non per gratiam solùm habitualem, sed per auxilia specialia quæ Deus tempore opportuno illis abundè suppeditabat, sine quibus neminem quamuis iustificatum posse diu perseuerare satis constat experientiâ, & confirmatur à Trident. sess. 6. can. 22.

Quanta verò sit gratia quæ datur per hoc sacramentum, præcisè definiri nequit: vt neque illa quæ per baptismum, & per alia sacramenta confertur. Comparatiuè autem loquendo, D. Thom. quæst. 72. art. 11. præcipuè ad 3. affirmat potiorem esse effectum gratiæ sacramenti huius, quàm baptismi: sicut in naturalibus plus est, etiam seorsim sumptum, id quo constituimur in statu ætatis perfectæ & corroboratæ, quà id quod ab initio natiuitatis nostræ habemus: & sicut Apostoli plus acceperunt die Pentecostes, quàm in baptismo. Idemque docent Magister in 4. dist. 7. & vtriusque interpretes communiter: Potestque confirmari ex eo quòd sancti Patres idem non obscurè significant, quando dicunt per hoc sacramentum homines ex infantibus fieri plenè Christianos, & viros perfectos, darique per illud plenitudinem Spiritus sancti: & vt loquitur Rabanus à D. Thoma relatus loco supra citato, in baptismo quidem descendere Spiritum sanctum ad habitationem Deo consecrandam: sed in Confirmatione eiusdem Spiritus sancti gratiam septiformem, cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis venire in hominem. 36. S. Thom.

Ex his collige primo, Sacramentum Confirmationis per se, & ex primaria intentione Christi instituentis, non conferre gratiam primam, sed secundam. Patet, quia per se gratiam confert in modum augmenti, & corroborationis, & ætatis adultæ Christiani. Atqui augmentum gratiæ, supponit gratiam esse: & prius est fieri Christianum, quàm corroborari & perfici: priusque est nasci, quàm adolescere, & in virum perfectum euadere. Per se, inquam: nam per accidens probabile est quod D. Thom. & alii plerique docent, posse prodesse peccatori attrito, bona fide accedenti, quia putat se esse contritum, vel ignorat se esse in peccato mortali, aut debere conteri. Quamuis enim Confirmatio non sit per se instituta ad remittendum peccatum mortale, sed sit sacramentum viuorum, vt Eucharistia, & quædam alia, supponatque gratiam & vitam in subiecto; sicut in naturalibus id quod augetur & adolescit, viuit: per accidens tamen potest prodesse mortuis: Non ita tamen mortuis, quin habeant vitam præsuppositam in actu pri- 37.

Confirmatio per se nõ dat primam gratiam: aliquando tamen cõfert illam per accidens.

mo, in causa saltem, & quin pium aliquem motum fidei & attritionis exerceant. Neque in omnibus exigenda est proportio inter augmentum spiritale, & corporeum. Alioqui sicut corporeum, fit per nutritionem & successiuè: sic & spiritale deberet fieri per cibum & potum Eucharisticum, non per Confirmationem.

38. Quæ dispositio ad illam requiratur. Collige 2. Dispositionem per se loquendo necessariam ad sacramentum Confirmationis licitè recipiendum, eiúsque effectum, esse contritionem, aut attritionem cum sacramento Pœnitentiæ, respectu eius qui est in peccato mortali. Patet, quia per se debet esse in statu gratiæ, & esse viuum Christi membrum. Liberum verò est alterutrum præmittere. Nam de confessione determinatè præmittenda nullum præceptum est diuinum, vel ecclesiasticum. In aliis verò sufficit intentio & pia voluntas recipiendi sacramentum cum eius effectu, si sint adulti. Paruuli autem nulla egent dispositione: sed modò baptizati sint, validè & cum fructu confirmantur. Inter pueros autem perpetuò amentes numerantur: qui verò aliquando vsi sunt ratione, debent petiisse; vt diximus de Baptismo.

39. Probabilius est adultos ad illam obligari. Collige 3. Probabilius esse teneri quemlibet adultum ad suscipiendum hoc sacramentum, si commodè possit. Cùm enim institutum sit vt medium per se certum & ordinarium ad dandum robur & perfectionem vitæ Christianæ, & ad resistendum tentationibus & aduersitatibus, quarum nullus adultus est liber: qui sacramento illo non vtitur perspecta iam eius necessitate, non satis consulit suæ saluti, sed eius & auxilii diuini negligens iure censeri potest, adeóque peccare. Quare ipsi diuinæ institutioni, considerato fine, subiecto, & circumstantiis inest tacitè præceptum, & quidem per se graue (quia in re graui) suscipiendi hoc sacramentum. Vt etiam indicauit Vrbanus Epist. 1. cap. 7. cùm dixit, omnes fideles hoc sacramentum accipere debere, vt pleni Christiani inueniantur. Et Melchiad. Papa in Epist ad Episc. Hispaniæ c. 2. ait: *Quamuis continuò morituris suffi iant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria esse Confirmationis auxilia: ideóque ita coniuncta esse hæc duo Sacramenta, vt ab inuicem nisi morte interueniente nullatenus possint segregari, & vnum sine altero rite perfici non possit.* Quæ verba habentur tit. de Consecrat. distinct. 5. cap. 1. & 2. Postrema autem intelligenda sunt iuxta Ecclesiæ illius temporis consuetudinem bis tantùm quotannis solemniter baptismum conferendi in Paschate & Pentecoste, extra necessitatem, quæ est in mortis periculo, eique statim Confirmationem adiungendi. Consentiunt Richard. VVald. Scot. Turr. & alii quos sequitur Bellarm. lib. 1. de Sacrament. cap. 22.

Melchiad.

Bellarm.

40. S. Thom. Contrarium docent D. Thom. quæst. 72. artic. 8. ad 4. Dom. Sotus, Valent. Suar. Aegid. Coninc, & alii affirmantes Confirmationem per se loquendo non esse in præcepto, quamuis per accidens non possit sæpissime sine peccato prætermitti, ratione scandali, vel periculi negandi fidem instante persecutione; aut impotentiæ resistendi tentationibus. Summa eorum ratio est, quia nullum tale præceptum extat: obligationes autem non sunt leuiter & facilè suscipiendæ. Sed ex dictis apparet probabilius esse contrarium: & aliam esse mentem Summ. Pontificum locis citatis, quos non ita ingenuè ipsi interpretantur. Et quamuis non desint alia media, quibus iuuari possimus ad robur: tamen videtur à ratione alienum relinquere medium certum & ordinarium, quando illud commodè adhiberi potest; & alia à Deo extra ordinem expectare. Commodè inquam: Nam ægroti & moribundi, qui etiam non adeo egent, vt neque pueri tentationum incapaces, non tenentur accersere Episcopum. Sed neque Episcopus tenetur singulos tales adire, vt in simili de Extrema-vnctione docet Innocent. 1. Epist. ad Decentium, circa finem: sed quemadmodum docet vsus Ecclesiæ, sufficit aliquoties publicè & solemniter hoc sacramentum omnibus exigentibus conferre. Quamuis etiam consuetudo illa, de qua supra Melchiades, mutata sit in eam quæ nunc est aliquoties administrandi Confirmationem separatim à baptismo; non sequitur præceptum, de quo ibi, cessasse quoad substantiam.

Per hæc soluitur quod obiicit Aegidius Coninc quæst. 72. num. 88. Si Confirmatio esset in præcepto, etiam morituri tenerentur. Ad id verò quod addit, Ecclesiam neminem cogere ad Confirmationem, sicut nos cogit ad alia præcepta diuina implenda: Respondeo primò, Ecclesiam non cogere speciatim ad omnia diuina præcepta: & huius ratio specialis esse potest, quia obscurum est, & à Doctoribus plerisque negatur. Secundo dico Pontifices citatos, satis admonere vnumquemque officii sui hac in parte. Porro, quicquid sit de communi obligatione Christianorum, certum est teneri Episcopos iure nouo ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. de Reformatione, neminem prima tonsura initiare, qui sacramentum Confirmationis non suscepit. Quæ constitutio suscipientem quoque attingit. Neutrum tamen obligare sub peccato mortali plurimi sentiunt. Sed quod grauiter peccent Episcopi nunquam aut rarissimè & negligentissimè administrantes sacramentum Confirmationis, communis est sententia Theologorum & Casuistarum, Suar. disp. 58. sect. 2. Angeli verbo Confirmatio, Syluestri eodem Verbo num. 2. Henriq. lib. 3. de Confirm. cap. 1. num. 7. & aliorum quos iste citat. Nec refert, quòd sit probabile non teneri subditos, iuxta sententiam multorum. Nam Episcopi, cùm sint Pastores animarum, tenentur illis suppeditare media quæ Christus instituit, ad earum præsertim vniuersalem siue necessitatem, siue magnam vtilitatem

41. Coninc.

Episcopi tenentur conferre aliquoties sacrament. Confirm.

vtilitatem spiritalem, debéntque sese paratos ostendere ad ea suppeditanda: maximè si intelligant à multis tacitè vel apertè expeti. Quare non est dubium quin Episcopi negligenter nimis omittentes collationem Confirmationis, aut illam longiùs differentes, peccent mortaliter: non secus ac Parochus qui intelligens magnam suarum ouium partem velle aliquoties in anno confiteri & communicare, earum petitioni & desiderio satisfacere negligeret, aut omnino recusaret: quamuis alioqui subditi non teneantur accedere ad illa sacramenta nisi semel in anno.

SECTIO V.

De subiecto & Ministro Confirmationis.

42. Conclusio: Subiectum capax Confirmationis est quilibet baptizatus. Minister autem ordinarius est Episcopus: Extraordinarius est simplex sacerdos ex commissione Summi Pontificis. Prima pars est Diui Thomæ, & omnium Catholicorum. Probatur primò, ex vsu Ecclesiæ quæ diuersis saltem temporibus legitur administrasse sacramentum Confirmationis indifferenter tam paruulis, quàm adultis cuiuscunque sexus. Probatur secundò, ex Vrbano summo Pontifice & Martyre, qui in epist. sua decretali, verbis relatis in iure Canonico distinctione 5. de Consecrat. can. *Omnes*, ita loquitur vniuersaliter: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum debent Spiritum sanctum post Baptismum accipere.* Tertiò, speciatim de adultis id patet ex Actis Apost. cap. 8. & 19. & ex iure Canon. de Consecrat. dist. 5. necnon ex Diuo Dionysio de Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. parte 3. in fine: De infantibus verò patet ex D. August. tract. 6. in 1. epist. Ioan. vbi refert quomodo ipse soleret manus imponere infantibus. Denique in adultis & paruulis baptizatis, cuiusque sexus, reperiuntur omnia necessaria, ad hoc sacramentum recipiendum: sunt enim omnes capaces augmenti gratiæ in modum corroborationis: mediique ordinarii in eum finem à Christo instituti. Et sicut natura intendit ad perfectum ducere quos generat: sic Christus eos, quos per baptismum regenerat. Multò enim magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cuius imitatione, hoc natura participat: vt rectè ait S. Thom. quæstione 72. art. 8. in corp. & §. *Sed contra*, idem confirmat ex eo quòd Spiritus sanctus adueniens in die Pentecostes, Actorum secundo, repleuit totam domum, per quam Ecclesia designabatur: & quicumque erant in eadem domo, quà Apostoli: fuerunt omnes impleti Spiritu sancto. Ergo sacramentum Confirmationis, quod datur ad illam plenitudinem consequendam, debet omnibus qui sunt in Ecclesia exhiberi.

Vrban. *Dionys.* *August.* *S. Thom.*

Illud etiam ex Catechismo Pii V. parte secunda, capite tertio, numero decimo quarto, obseruandum est, omnibus quidem, post Baptismum, Confirmationis sacramentum posse administrari: minùs tamen communiter expedire hoc fieri ante rationis vsum. Quia vbi non vrget necessitas, maior est reuerentia sacramenti, vt cum propria fide & dispositione hominis suscipiatur. Secundò, Est etiam maior vtilitas ipsius suscipientis: quia maiorem gratiam ex opere operato accipiet, si cum propria dispositione accedat. Tertiò, Vt magis meminerit quod ei dicitur, cùm ab Episcopo alapâ cæditur, se deinceps pro nomine Iesu contumelias libenter pati debere. Quartò, Vt magis vitetur periculum iterationis, ob ignorantiam & obliuionem Confirmationis iam acceptæ. Quintò denique, cùm sacramentum Confirmationis sit veluti secunda fidei professio solemnis; per se videtur expediens, vt quando prima in Baptismo facta est per alios, secunda in hoc sacramento fiat per ipsummet suscipientem. Sufficit autem communiter ætas septem annorum: atque etiam licitè præueniri potest iusta de causa, vt si puer, hac occasione prætermissa, non sit diu post habiturus: præstat enim citiùs suscipere, quam diu differre vel omnino prætermittere. Quæ autem dispositio in adultis requiratur, superiori sectione dictum fuit. 43.

Minus conuenit recipi ante vsum rationis.

Secunda pars conclusionis de Ministro ordinario, traditur à Florentino in Decreto, §. *Secundum sacramentum*, & Tridentino sessione septima, canone tertio *de Confirmatione*, vbi sub anathemate id definit, & sessione vigesima tertia, capite quarto, circa medium, ait Episcopos qui in locum Apostolorum successerunt, esse Presbyteris superiores, ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Nota, *nullam*, nec iuris scilicet, nec facti. Et can. 7. anathematizat qui dixerint potestatem confirmandi, & ordinandi, quam Episcopi habent, illis esse cum Presbyteris communem. Et quidem in Scriptura soli Apostoli (quorum locum tenent Episcopi in gradu illo, quo Presbyteris superiores sunt) leguntur istud sacramentum administrasse. Vt quando Petrus & Ioannes missi sunt Samariam ad confirmandos Samaritanos recens baptizatos: quòd nempe Philippus Diaconus, qui eos baptizauerat non esset Apostolus. Qui etiam Eunuchum baptizauit quidem Actor. 8. sed ei manus imponere non est ausus, quamuis non esset ampliùs eum visurus. Et D. Paulus, cùm nunquam aut rarissimè baptizaret, vt de se ipse testatur 1. Corinth. 1. vers. 14. solebat tamen ipse confirmare, vt constat ex Actor. 19. Quod 44.

Minister ordinarius Confir. est Episcopus.

moribus schismaticorum non posse sumi validum argumentum. Secundò, Plerósque aliter scribere de moribus Armenorum. Nam Guido Carmel. ait ipsos reiicere Confirmationem. Græcis verò id aliquando concessum esse puto, & commissum à Summis Pontificibus: quandoquidem ante schisma, & iam olim ab initio, leguntur Presbyteri apud ipsos confirmasse, vt ex Arcudio supra retulimus. Porro in hac quæstione per ministrum ordinarium Confirmationis intelligimus, non eum qui frequentiùs hoc faciat: sed eum cui primò & per se id conueniat ex diuina institutione.

47. Contraria sententia. Contra eandem partem conclusionis sentiunt quoque Albertus, S. Bonauent. Scotus, Durandus, & Gabriel in 4. distinct. 7. affirmantes solum Episcopum esse ministrum Confirmationis absolutè, ita vt ne quidem extraordinariè, & ex commissione summi Pontificis, sacerdotes id possint. Primò, Quia Eusebius Papa Epistol. 3. ad Episcopos Thusciæ, vt refertur de Consecrat. distinct. 5. cap. 4. sic pronunciat: *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis legitur aut scitur peractum esse, neque ab aliis quàm iis qui eorum tenent locum perfici vnquam potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, & inter Ecclesiastica nunquam reputabitur sacramenta.* Similia habet Melchiad. in epist. decretali ad Episcopos Hispaniæ. Hæc autem verba vniuersalissima sunt, neque videntur exceptioni locum relinquere. Secundò, Innocentius III. cap. 4. *de consuetudine*, noluit concedere vt simplices Presbyteri confirmarent; sed constituit vt fideles carerent potiùs sacramento Confirmationis, quàm vt à Presbyteris illud accipere conarentur. Atqui si poterant Presbyteri ex commissione summi Pontificis, debuisset potiùs committere Presbyteris, quàm priuare fideles illo sacramento, sine quo non sunt homines perfectè Christiani. Tertiò, Confirmatio est actus Ordinis, requirens in Ministro potestatem Ordinis ad validè efficiendum, & iurisdictionis ad faciendum licitè. Atqui simplices sacerdotes nullam talem potestatem habent, vt ait Concil. Trident. sessione 23. cap. 4. Neque per simplicem commissionem Summi Pontificis possunt eam accipere: nam potestas Ordinis non confertur nisi per sacramentum Ordinis: potestas quidem consecrandi & remittendi peccata, per ordinem sacerdotalem: confirmandi verò & ordinandi, per ordinem Episcopalem: ergo, &c.

Melchiad.

Innocent.

48. Satisfit argumentis contrariæ sententiæ. Ad primum Respondeo, Hæc & similia intelligenda esse de potestate ordinaria. Ad secundum dico Innocentium III. cap. citato tantùm damnare Presbyteros qui sua temeritate confirmabant, prætendentes consuetudinem. Et affirmare satius esse carere Confirmatione, etiam in necessitate, quàm à talibus petere.

Ad tertium Respondeo, Confirmationem esse actum ordinis Episcopalis ordinariè; & sacerdotalis, extraordinariè, quatenùs commissio præsupponit in commisso sacerdotalem Ordinem, licet in conferente fortè non præsupponat Episcopalem, sed ad hoc sufficiat Summum Pontificem esse electum, licet nondum consecratum Episcopum, vt Suarez, & Aegidius, ac plerique alii putant. Qui etiam affirmant, si detur absolutè commissio, eam non expirare morte Pontificis: quia est gratia Principis, quæ morte concedentis non expirat, vt colligitur ex cap. *si nulla*, de Præbendis in sexto. Denique hæc omnia Diui Gregorii magni & Concilii Florentini authoritati longè postponenda sunt. Quod autem aliqui respondent concessionem illam Gregorii non tam fuisse concessionem veram, quàm prudentem quandam dissimulationem ad vitandum schisma aliquod futurum, est contra vim verborum, quæ omnino clara sunt, quæque Florentinum videtur intellexisse de vera concessione. Deinde schismatis aut periculi nulla fit mentio à D. Gregorio, sed tantùm contristationis aliquorum, quæ causa leuis erat & indigna, vt propter illam tam sanctus Pontifex tot sacrilegia dissimularet. Tertiò, Gregorius ait expressè, *Concedimus*, vt refertur cap. 1. dist. 95. non autem, *permittimus*, aut *dissimulamus*.

Quod autem addunt, fortassis eo tempore omnes sacerdotes fuisse Episcopos simul ordinatione & consecratione, falsum est, & prorsus improbabile. Nam longè ante tempora D. Gregorii magni, simplices sacerdotes cœperant esse distincti ab Episcopis, tam ordinatione, quàm iurisdictione, vt clarè intelligitur ex Eusebio & Melchiade Papa locis ante citatis. Quod item dicunt aliqui chrismaticam illam vnctionem à Gregorio concessam non esse sacramentum Confirmationis, sed aliam cerimoniam Ecclesiasticam; est apertissimè contra Florentinum, quod agens de sacramento Confirmationis, disertissimè ait legi aliquando fuisse à sede Apostolica dispensatum, vt Presbyteri illud administrarent: alluditque sine dubio ad illam dispensationem Gregorii, scriptis à seipso testatam, & relatam in iure Canonico. 49. Non erant tunc omnes sacerdotes Episcopi.

Quod denique alii respondent, Presbyteros illa concessione factos fuisse Episcopos, non est verum: quoniam Ordo Episcopalis non nisi viuenti & præsenti, idque per sacram Ordinationem conferri potest: cùm tamen illa concessio fieret absentibus & futuris. Dicere autem quòd tantus Pontifex tantæ authoritatis, sanctitatis, & doctrinæ, in re tam graui errauerit, aut errandi periculo sese volens exposuerit, post definitiones antecessorum Eusebii & Melchiadis, maximè cùm illius factum à Concilio Florent. satis 50. Neque illa concessione facti sunt Episcopi

apertè, & à Tridentino tacitè approbetur, temeritatis magnæ videtur esse. Plura de ministro huius sacramenti videri possunt apud Suarem tota disput. 36. & 38. sect. 2. vbi sub finem addit, licet de iure teneantur Episcopi non confirmare nisi sibi subditos, & in propria Diœcesi: si tamen secus agant, non incurrere irregularitatem, aut censuram: quia in iure non exprimitur, neque imponitur. Idémque paulò ante affirmat de Episcopo, qui voluntariè hoc sacramentum irritaret, deficiendo in aliquo necessario. Posse etiam quemlibet verum Episcopum quoad consecrationem hoc sacramentum validè conficere, quamuis sit excommunicatus, hæreticus, suspensus aut degradatus, peccérque grauiter ministrando, vnanimis est omnium Theologorum sententia, quam fusius exponit & confirmat Suar. citata disput. 36. sect. 3. Et hactenus de sacramento Confirmationis. Reliqua enim quæ his addit S. Thom. art. 10. & 12. de patrino, seu susceptore, & de ritu Confirmationis, sunt in textu facilia.

DISPVTATIO VIGESIMA OCTAVA,

De sacramento Eucharistiæ secundum se.



DE venerabili sacramento Eucharistiæ secundum se disputat S. Thom. quæst. 73. & art. 1. docet Eucharistiam esse sacramentum ad spiritualem nutritionem institutum. 2. Hoc sacramentum esse multa materialiter, sed vnum formaliter, & perfectiuè. Quia sicut ad corporalem refectionem integram duo requiruntur, videlicet cibus, qui est alimentum siccum: & potus, qui est alimentum humidum: sic ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt, videlicet spiritualis cibus, & potus: iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.* 3. Rem huius sacramenti, quæ est vnitas corporis mystici, esse necessariam ad salutem: ipsum tamen sacramentum non esse necessarium eâdem necessitate, quâ Baptismum. 4. Hoc Sacramentum conuenienter appellari sacrificium, prout est commemoratiuum passioni Christi: & communionem, vel synaxim, prout est signum Ecclesiasticæ vnitatis, cui homines aggregantur per Eucharistiam: & viaticum, vel Eucharistiam, prout est præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in patria: & metalepsim, id est, assumptionem, vt vocatur à Damasceno, quia per hoc filii Deitatem assumimus.

5. Conuenienter hoc sacramentum fuisse institutum in vltima cœna: vt Christus in propria specie à discipulis recessurus, in sacramentali specie seipsum illis relinqueret: suæque passionis mox futuræ memoriale exhiberet: & hoc mysterium discipulorum mentibus altiùs imprimeret, magisque commendaret. Solent enim ea, quæ vltimò dicuntur, maximè ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendari: quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos: ea verò, ad quæ magis afficimur, profundiùs animo imprimuntur. 6. Præcipuam figuram huius sacramenti fuisse Agnum Paschalem: quia perfectiùs repræsentat omnia, quæ ad ipsum pertinent, quàm oblatio Melchisedech, Manna, & sacrificium expiationis, vel alia quælibet sacrificia veteris Testamenti. Huc vsque D. Thom.

SECTIO I.

Vtrum Eucharistia sit sacramentum, & in quo consistat?

1. Probatur Eucharistiam esse sacram.

DICO primò, Eucharistiam esse verè & propriè dictum legis nouæ sacramentum, per modum cibi & potus sacri ad spiritalem animæ refectionem institutum. Probatur primò ex Scriptura, quæ licet idem expressè & in terminis non afferat: tam certo tamen id ex ea colligitur, vt ne ab ipsis quidem hæreticis in dubium reuocetur. Nam quòd Eucharistia sit sacramentum nouæ legis verè ac propriè dictum, hoc est, signum sensibile permanenter & constanter à Christo institutum ad significandam & efficiendam gratiam, quòdque insuper sit instituta in modum cibi & potus sacri ad spiritalem animæ refectionem, in quo differt ab aliis nouæ legis sacramentis, colligitur ex Matth. 26. Ioan. 6. Luc. 22. & primæ ad Corinth. 11. Christus enim Matth. 26. corpus suum & sanguinem sub speciebus panis & vini sensibiliter demonstrauit, & per modum cibi & potus dedit, cùm dixit: *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus.* Cibus autem & potus connaturaliter significant & causant aliquo modo nutritionem aliquam. Quare Christus hoc ipso quòd dedit corpus & sanguinem suum sub speciebus sensibilibus panis & vini, dedit vt signum sensibile & vt causam alicuius nutritionis, nempe illius, quam Ioan. cap. 6. promiserat: *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi de vita spiritali gratiæ sermo est, ad quam per modum refectionis spiritalis significandam & efficiendam cibus & potus Eucharisticus datus est. Constanter autem & permanenter vsque ad mundi finem institutam fuisse significauit Christus Luc. 22. quando post consecrationem addidit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod interpretans Paulus ad Corinth. 11. *Quotiescunque*, inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, in fine sæculorum ad mundum iudicandum.

2. Secundò, Eandem conclusionem quoad vtramque illius partem clarissimè tradunt Concilia, & sancti Patres. Nam quòd Eucharistia sit sacramentum nouæ legis expressè definiunt, aut profitentur Concil. Lateran. cap. *Firmiter*, de summa Trinit. & fide Catholica, Florent. in decreto Eugenii, §. *Nouæ legis*, & Trid. sess. 7. can. 1. *de Sacram. in gen.* vbi inter septem nouæ legis sacramenta verè & propriè dicta, Eucharistiam numerat. Idémque docent D. Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. Cyprian. lib. de Cardinalibus Christi operibus, in serm. de Cœna, August. tom. 2. Epist. 23. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. & alii. Quòd autem instituta sit per modum cibi & potus spiritalis, declarat Florent. vbi supra §. *Huius sacramenti effectus quem in anima causat*, & Trid. sess. 13. c. 2. cùm ait voluisse Christum Sacramentum hoc sumi tanquam spiritalem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vita illius qui dixit, *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Idem quoque affirmant præter supra citatos, Ignatius Martyr Epist. ad Rom. ante med. Iustinus Martyr. Apol. 2. sub finem, Tertull. lib. de Carnis resurrectione cap. 8. & alii, quorum verba commodiùs alibi referemus.

Dionys. Cyprian. August. Ambros.

3. Tertiò, Ad eandem veritatem confirmandam hanc rationem congruam adducit S. Thom. q. 73. art. 1. Cùm nouæ legis Sacramenta, inquit, in eum finem sint instituta, vt eorum ope in spiritali vita subueniretur hominibus: & vita eorum spiritalis sit corporeæ similis: manifestum est, quòd sicut ad vitam corpoream requiritur generatio, per quam homo vitam accipit: & augmentum, quo perducitur ad perfectionem vitæ: & alimentum, quo conseruatur in vita: sic ad vitam spiritalem præter Baptismum, qui est spiritalis generatio; & Confirmationem, quæ est spiritale augmentum; oportuit esse sacramentum Eucharistiæ, quæ est spiritale alimẽtum. D. Thom.

Hæc D. Thomas. Cui obiici potest augmentationem, & nutritionem corpoream prouenire ab eodem alimento materialiter, effectiuè autem ab vna eadémque facultate viuentis. Vnde potiùs videretur vnicum Sacramentum instituendum fuisse, quod in modum alimenti, vel facultatis actiuæ, sufficeret ad accretionem, & nutritionem spiritalis vitæ, si de illa similiter vt de corporea philosophandum est.

4. Respondeo, Non esse exactam & perfectam omni ex parte similitudinem. Nam præter discrimen iam assignatum, alia tria sunt. Primum est, quòd vis augendi & nutriendi corporaliter est in viuente ipso, quod se nutrit & auget per facultatem suam vitalem, quâ vertit alimentum in propriam substantiam. Vis autem augendi & nutriendi spiritaliter est in ipsis sacramentis Confirmationis, & cibi Eucharistici. Secundum est, quòd augmentum corporeum successiuè fit, per multiplicem vsum cibi & potus: spiritale verò fit totum simul, per sacramentum Confirmationis, quod idcirco non potest iterari. Tertium est, quòd accretio spiritalis, & deductio ad statum virilem, non fit ad modum nutritionis, sed in modum vnctionis cuiusdam athleticæ, & corroborationis. Vnde conueniens fuit, vt præter Confirmationem daretur cibus & potus Eucharisticus ad spiritalem refectionem, quo vita perfecta & corroborata sustentari & conseruari posset: sicut vita corporea, licet ad perfectum & virilem statum deducta, indiget alimento quo nutriri & conseruari queat.

5. *Multa in Euchari-stia consideranda.* Maior difficultas est in quo consistat sacramenti huius essentia? multa enim sunt de quibus dubitari potest. Primum est, consecratio seu conuersio mirabilis panis & vini in corpus & sanguinem Christi: quæ consecratio duplicem habet considerationem. Vna est immolationis mysticæ & incruenti sacrificii, in quo Christus offertur Deo in cultum supremum religionis, immolatúrque mysticè, quatenus vi verborum corpus & sanguis separatim ponuntur sub speciebus panis & vini, & Christus mortuo quodam modo sub speciebus illis constituitur. Altera est, quòd fit effectio cibi & potus spiritalis ad animarum refectionem compositi ex Christi corpore & sanguine, cum speciebus panis & vini. Nam vt definit Trid. sess. 22. cap. 1. Christus vtramque intentionem habuit, offerendi scilicet Deo, & præterea exhibendi corpus suum & sanguinem per modum cibi & potus sub speciebus panis & vini. Similitérque sacerdotes consecrantes non tantùm cibum & potum sacrum efficiunt; sed etiam verè ac propriè sacrificant, vt definitur can. 1. eiusd. sess. Deinde consecratio secundum vtramque considerationem sumi potest vel pro actione illa mirabili & inuisibili, quâ panis & vinum conuertuntur in corpus & sanguinem Christi; vel pro sacra & sensibili cerimonia, à Christo instituta in causam instrumentariam, seu moralem seu physicam, à qua est sacramentalis conuersio. Tertiò, Præter consecrationem his modis sumptam, est terminus illius, id est, sacrificium per eam oblatum, & Eucharisticus cibus & potus per eam factus, & peracta consecratione manens: in quo præterea considerari possunt corpus & sanguis Christi, & species panis & vini, ac verba consecrationis aliquo modo remanentia, vel habitudo quædam moralis specierum ad illa. Quartò denique præter hæc omnia superest vsus, qui est participatio sacrificii oblati & consumptio cibi & potus sacri. Nam sicut olim sub lege veteri multa priùs offerebantur Deo, quorum alii postea fiebant participes: ita voluit Christus sacrificium mysticum corporis & sanguinis sui cedere in vsum fidelium: & cibum illum, ac potum sacramentalem, vt sumeretur, instituit.

6. *Est aliqua connexio inter illa.* Hæc omnia Eucharistiæ nomine latè sumpto comprehendi possunt, & inter se connexionem aliquam habent. Nam sacra & sensibilis cerimonia, quâ Christus immolatur & fit cibus, est vna & eadem realiter, habens duos fines, quorum vnus est sacrificandi, ad mortem Christi in cruce repræsentandam, protestandamque diuinam excellentiam. Alter est constituendi cibum & potum sacrum ad spiritalem refectionem animarum. Connectitur autem cum actione mirabili & inuisibili, quâ Christus immolatur mysticè, & fit cibus & potus; cúmque ipso sacrificio ac cibo & potu per eam constituto, vt causa cum actione & cum effectu suo. Et hæc denique cum sumptione connectuntur, vt vsus rei cum re propter quem instituta est. Adde, quòd Christus idem est qui & immolatur, & fit cibus & potus, & sumitur à fidelibus. Et species eædem panis vel vini adhibentur ad sacrificium, alimentum, & vsum, per eadem verba quibus consecrantur.

7. *Variæ sententiæ.* Ex hac rerum Eucharisticarum multiplicitate ortæ sunt variæ Theologorum sententiæ, quorum aliqui volunt essentiam sacramenti Eucharistiæ positam esse in consecratione: alii in solis speciebus: alii in solo corpore Christi & sanguine, alii in corpore & sanguine cum speciebus sine verbis: alii in corpore, sanguine, speciebus & verbis: alii denique etiam vsum addunt: vt testantur Suar. disp. 42. sect. 1. & seqq. Vasq. disp. 177. c. 2. & 3. & Aegid. Con. ad q. 73. n. 3. Quæ controuersia vt decidatur,

Supponendum est ex dictis de Sacram. in gen. licet, latè loquendo, signum quodcumque vel causa rei sacræ sacramentum vocari possit, propriè tamen & strictè sumptum sacramentum nouæ legis duo requirere. Alterum est, vt sit signum sensibile permanenter & constanter à Christo institutum. Alterum, vt sit practicum & per se proximè, id est, non remotè per aliud signum effectiuum rei sacræ sanctificantis homines, hoc est, gratiæ habitualis propriè dictæ,

quam ex opere operato infallibiliter conferat, niſi ſit obex, vt expoſuimus diſp. 18. ſect. 3. Senſus ergo quæſt. propoſitæ eſt, quid ſit in Euchariſtia quod ſit ſignum ſenſibile permanenter & conſtanter à Chriſto inſtitutum, & per ſe proximè effectiuum gratiæ infallibiliter ex opere operato?

8. *In quo conſiſtat eſſentialiter hoc ſacramentum?*

Reſpondeo & dico 2. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtere eſſentialiter non in cõſecratione, neque in vſu: ſed in cibo & potu ſacro, conſtante ex corpore & ſanguine Chriſti, ac ſpeciebus conſecratis. Hæc concluſio eſt contra Gabrielem in 4. diſt. 8. q. 1. a. 3. dub. 2. vbi diſtinguit Euchariſtiam in tria ſacramenta: conſecrationem, ſpecies conſecratas, & vſum ſiue ſumptionẽ. Licet id non tam aſſerat, quàm cum formidine proponat: eo modo quo ſolet nouas opiniones inducere. Ratio eius eſt, quia definitio ſacramenti his tribus conuenit ſigillatim. Ergo vnumquodque illorum ſacramentum eſt: Atque ita tria ſunt Euchariſtiæ ſacramenta.

Suarez.

Sed hæc opinio ab aliis omnibus meritò reiicitur, & à Suare diſp. 42. ſect. 2. initio, noua & abſurda nominatur. Primò, quia Concilia de ſacramento Euchariſtiæ ex profeſſo tractantia, Florent. in decret. & Trid. ſeſſ. 13. de Sacramento Euchariſtiæ nunquã niſi vt de vno loquuntur (aliud autem, præter illud quod Concilia agnoſcunt, & quod vnum vocant Euchariſtiæ ſacramentum, aſſeri nequit ſine temeritate) & Florent. ait illud verbis confici (nempe verbis conſecrationis) *Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit ſacramentum.* Trident. verò cap. 1. ſeſſ. cit. aſſerit, *In hoc ſacramento poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum atque hominem verè realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerũ ſenſibilium contineri.* Et c. 2. addit, Chriſtum voluiſſe *ſumi hoc ſacramentum tanquam ſpiritalem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Et cap. 3. addit, hoc ſacramentum exiſtere ante vſum, in eoque differre à reliquis ſacramentis, quæ tantùm in vſu conſiſtunt. Capite denique 5. & 6. docet, hoc ſacramentum religioſè in proceſſionibus circumferri: in ſacrario aſſeruari: ad ægrotos deferri: & latriæ cultu adorari.

Conſecratio non eſt ſacramentũ Euchariſt.

9. *Probatur ex Trident.*

Ex quibus omnibus ſic argumentor: Sacramentum Euchariſtiæ, de quo vno loquuntur Concilia citata (aliud autem ſine temeritate induci nequit) conficitur per verba conſecrationis. Atqui conſecratio non conficitur, id eſt, non fit per verba conſecrationis, ſed eſt ipſa verba conſecrantia, ſacerdotis ore prolata, quæ verba non fiunt per ſeipſa: ergo conſecratio non eſt ſacramentum Euchariſtiæ. Secundò, Sacramentum Euchariſtiæ eſt poſt conſecrationem, ex Trident. ſeſſ. cit. cap. 1. Sed conſecratio non eſt poſt conſecrationem: alioquin eſſet poſt ſeipſam: ergo conſecratio non eſt ſacramentum Euchariſtiæ. 3. Chriſtus verè, realiter, ac ſubſtantialiter continetur in ſacramento Euchariſtiæ, ex Trident. ibidẽ. At Chriſtus verè, realiter, ac ſubſtantialiter non continetur in conſecratione, quæ nihil eſt aliud realiter ac ſubſtantialiter quàm verba ſacerdotis ore prolata. Ergo conſecratio non eſt ſacramentum Euchariſtiæ. 4. Chriſtus voluit hoc ſacramentum ſumi tanquam ſpiritalem animarum cibum, ex Tridentino cap. 2. At conſecratio ſeu prolatio ſacrorum verborum non ſumitur, id eſt, non editur vt cibus: neque eſt cibus ipſe, ſed confectio cibi & potus ſpiritalis: Ergo conſecratio non eſt ſacramentũ Euchariſtiæ. 5. Sacramentum Euchariſtiæ habet eſſe permanens, & non eſt tantùm quando fit, aut quando illo vtimur, vt reliqua ſacramenta, ex Trident. cap. 3. ſeſſ. 13. At conſecratio non habet eſſe permanens, ſed eſt tantùm quando fit, quemadmodum ablutio & prolatio formæ Baptiſmi: Ergo conſecratio non eſt ſacramentum Euchariſtiæ. 6. Sacramentum Euchariſtiæ religioſè circumfertur in proceſſionibus, ſeruatur in ſacrario, adoratur cultu latriæ, ex Trident. cap. 5. & 6. ſeſſ. 13. At conſecratio non circumfertur in proceſſionibus, non ſeruatur in ſacrario, non adoratur &c. Ergo conſecratio non eſt ſacramentum Euchariſtiæ. Si autem non eſt ſacramentum Euchariſtiæ: ergo nec eſt ſacramentum nouæ legis propriè dictum. Nam non eſt vllum ex aliis. Dicere autem quòd ſit aliud vltra Euchariſtiam & illa ſex, eſt apertè errare contra definitionem Florent. in decret. §. *Nouæ legis.* & Trident. ſeſſ. 7. can. 1. *de Sacram. in gen.* affirmantis, ſacramenta nouæ legis non eſſe plura nec pauciora quàm ſeptem, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam &c. Sed neque Gabriel hoc contendit. Vult enim conſecrationem eſſe vnum quoddam ſacramentum Euchariſtiæ, contra verba Conciliorum relata, & expenſa.

7. Iiſdem Conciliorum authoritatibus refellitur quod ait Gabriel, non modò conſecrationem, ſed & vſum eſſe ſacramentum Euchariſtiæ. Nam Florent. ait, ſacramentum Euchariſtiæ (de quo ſolo & tanquam vno ſemper loquitur) confici verbis conſecrationis: *Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens conficit hoc ſacramentum.* At vſus, id eſt, ſumptio Euchariſtiæ non conficitur verbis ſacerdotis loquentis in perſona Chriſti: ſed eſt actio recipientis & traiicientis in ſtomachum, aut motus localis cibi & potus traiecti. Deinde Chriſtus voluit ſumi hoc ſacramentum ex Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. ergo ſi vſus eſt ſacramentum Euchariſtiæ, Chriſtus voluit vſum ſumi, id eſt ſumptionem ſumi, comeſtionem comedi, quod eſt abſurdum. Item ſacramentum eſt cibus ſpiritalis, ex Trident. ibidem. At vſus cibi non eſt cibus ſimpliciter, ſed functio circa cibum, id eſt, applicatio, & ſumptio, ac traiectio in ſtomachum: vel paſſiuè cibus ſumptus & traiectus, vt ſic. Vlterius ſacramentum Eu- 10.

Vſus, ſiue ſumptio non eſt ſacramentũ Euchariſt.

chariſtiæ exiſtit ante vſum, & habet eſſe permanens ex Trident. eadem ſeſſ. cap. 3. At vſus non exiſtit ante vſum, neque habet eſſe permanens, ſed eſt tantùm quando fit. Præterea ex Trident. ibidem cap. 1. initio, & cap. 3. circa medium, ſacramentum Euchariſtiæ eſt ſtatim poſt conſecrationem. At vſus non eſt ſtatim poſt conſecrationem, ſed aliquandiu differtur, & interdum diutiſſimè, poteſtque omnino non eſſe. Denique ex Trident. cap. 5. & 6. Sacramentum Euchariſtiæ circumfertur in proceſſionibus, ſeruatur in ſacrario, defertur ad ægrotos. At vſus non circumfertur in proceſſionibus, non ſeruatur, non defertur. Ergo &c. Adde, quòd ſi vſus eſſet ſacramentum Euchariſtiæ, diſtinctum à cibo & potu ſacro, vt vult Gabriel; ſequeretur, nullum poſſe communicare, quin recipiat duo ſacramenta Euchariſtiæ: ſicut nullus recipit omnes eos ordines quorum ſinguli ſunt ſacramenta, quin recipiat plura ſacramenta: & conſequenter reciperet duplicem effectum gratiæ. Illis enim duobus ſacramentis deberent duo effectus reſpondere: maximè in ſententia Gabrielis, & Nominalium aliorum, dicentium eundem effectum non poſſe fieri à duabus cauſis totalibus in eodem genere cauſæ.

11. Euertitur fundamentum contrariæ ſententiæ.

Ad fundamentum Gabrielis, Reſpondeo, falſum eſſe quod aſſumit: definitionem Sacramenti conuenire ſigillatim tribus illis. Nam vera definitio ſacramenti nouæ legis in genere, non eſt illa quam Gabriel ibidem ſupponit, aut malè exponit, ſed illa quam ſuo loco tradidimus, *Eſt ſignum ſenſibile permanenter inſtitutum, ad ſignificandam & efficiendam gratiam inuiſibiliter ex opere operato*: idque per ſe proximè, id eſt, non remotè per aliud ſignum. In quem ſenſum accipiendæ ſunt vulgatæ definitiones D. Thomæ, & Magiſtri Sentent. *Signum rei ſacræ ſanctificantis homines*: ſignum, inquam, practicum, & per ſe proximè in genere ſigni effectiuum gratiæ formaliter ac ſimpliciter ſanctificantis homines: vel vt Magiſter definit, *Inuiſibilis gratiæ viſibilis forma*, id eſt, ſenſibilis, *eius ſimul imaginem gerens, & cauſa exiſtens*, id eſt, eam ſimul ſignificans, & efficiens per ſe proximè infallibiliter, & ex opere operato. Hæc autem definitio non conuenit conſecrationi, nec vſui Euchariſtiæ. Nam conſecratio non eſt per ſe proximè effectiua gratiæ ſanctificantis, ſed tantùm cibi & potus ſacri, à quo efficitur gratia ſanctificans, vt à ſigno immediatè & proximè illius effectiuo: mediante vſu, non vt cauſa effectiua, & ſigno practico intermedio; ſed tantùm vt conditione ſine qua non. Sicut enim in naturalibus comeſtio non eſt cibus, quo corpora noſtra aluntur; ſed eſt cibi applicatio, & conditio ſine qua non nutriret: ſic Euchariſtiæ ſumptio non eſt cibus ille ſpiritalis, quo nutriuntur animæ, & in quo eſt vis nutriendi per gratiam, ſeu potiùs qui eſt vis ipſa inſtrumentalis nutritiua: ſed eſt tantùm applicatio cibi, & conditio ſine qua non nutriret.

Contra verò, cibus ille & potus ſpiritalis conſtans ex corpore & ſanguine Chriſti, ac ſpeciebus conſecratis, eſt ſignum ſenſibile permanenter inſtitutum; & per ſe proximè, ac non per aliud ſignum, eſt effectiuum gratiæ in modum nutritionis ſpiritalis: ergo ille eſt, è tribus enumeratis, cui ſoli conuenit definitio ſacramenti. Illi etiam ſoli conueniunt quæcumque de ſacramento Euchariſtiæ dicuntur à Florent. & Trident. locis ſupra allatis & expenſis. Nam conficitur verbis ſacerdotis conſecrantis: & in eo Chriſtus verè, realiter, ac ſubſtantialiter continetur: & Chriſtus voluit eum ſumi tanquam ſpiritalem animarum cibum & potum: & exiſtit ante vſum, habetque eſſe permanens præ reliquis ſacramentis: & ſtatim eſt poſt conſecrationem: ac denique religioſè circumfertur in proceſſionibus, ſeruatur in ſacrario, defertur ad infirmos, & cultu latriæ adorandus proponitur. Illi quoque ſoli tribuitur vis ſanctificandi & nutriendi ſpiritaliter Ioan. 6. n. 52. & ſequentibus: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Quare ille ſolus eſt ſacramentum Euchariſtiæ, iuxta mentem Conciliorum, non autem conſecratio, neque vſus. Ad idem confirmandum valent plura ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ apud Suar. diſp. 42. & alios videri poſſunt. 12. Euchariſtiæ ſacramentum conſiſtit in cibo & potu ſpiritali.

SECTIO II.

Solutio obiectionum.

Obiicies 1. Verba conſecrationis habere vim ponendi corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus infallibiliter, & ex opere operato. Ponuntur autem vi verborum, vt ait Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. Hæc autem vis eſt ſacramentalis; eſtque ſigni efficacis ad exhibendum id quod ſignificat. Reſpondeo, vim illam eſſe ſacramentalem latè loquendo, quatenus eſt effectiua alicuius rei ſacræ; quemadmodum & vis conficiendi chriſma, iuxta Chriſti inſtitutionem, in materiam ſacramenti Confirmationis: ſed non eſſe ſtrictè & propriè ſacramentalem: quia non eſt vis per ſe proximè, in genere ſigni ſenſibilis, effectiua gratiæ ſanctificantis formaliter recipientes. Et verò ſi valeret obiectio, conſecratio chriſmatis non minùs eſſet ponenda in numero ſacramentorum nouæ legis: quod inauditum eſt. 13. Verba conſecrationis non ſunt ſacramentum.

Inſtabis, quia verba conſecrationis ſunt per ſe proximè in genere ſigni effectiua gratiæ, formaliter ſanctificantis, nempe gratiæ ipſius animæ Chriſti, quæ ponitur in ſacramento vnà cum corpore & ſanguine & anima Chriſti. Reſpondeo primò, Gratiam illam non poni per ſe vi verborum, ſed tantùm per accidens, ob concomitantiam quam habent in ſtatu Chriſti naturali. Neque enim poſita fuiſſet in triduo mortis Chriſti: 14.

ſed in ſacramento corpus & ſanguis fuiſſent ſeparatim inter ſe, & ab anima: ſicut erant extra ſacramentum. Et tamen tunc ſacramentum eſſentialiter idem fuiſſet, quod nunc eſt. Reſpondeo ſecundò per gratiam ſacramentalem intelligi eam quæ formaliter ſanctificat recipientem ſacramentum: cuiuſmodi non eſt gratia Chriſti, quæ formaliter quidem Chriſtum ſanctificat; at non eum qui ſacramentum accipit.

15. Deinde contra id quod diximus, vſum Euchariſtiæ non eſſe ſacramentum, nec eius partem: ſed tantùm eſſe appplicationem, & conditionem ſine qua Euchariſtia non operatur gratiam, multa opponunt Caluiniſtæ, qui cum Caluino lib. 4. Inſtit. cap. 17. n. 37. affirmant ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtere tantùm in vſu, id eſt, in actu ſumptionis, vel ſine illa nullum eſſe: eaque de cauſa notat Caluinus Chriſtum ita dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*: vt ſimul dixerit, *Accipite, & manducate: Bibite ex hoc omnes*: & promiſſionem prioribus verbis contentam annexuerit præcepto poſterioribus verbis explicato, ita vt ab eo ſeparata, nullum ſit ſacramentum: adeóque vult Caluinus Euchariſtiæ ſacramentum ſaltem ex parte in vſu ipſo conſiſtere, vt ampliùs liquet ex argumentis, quibus tum ipſe, tum eius ſectarii hunc errorem præcipuè ſtabilire conantur. Quorum primum eſt, quia de natura ſacramentorum iudicandum eſt ex verbis inſtitutionis. Atqui verba inſtitutionis Euchariſtiæ non minùs ſignificant illam conſiſtere eſſentialiter in vſu, quàm verba inſtitutionis Baptiſmi id de Baptiſmo ſignificent. Ergo Euchariſtia non minùs conſiſtit in vſu, quàm Baptiſmus. Maior eſt euidens. Minor probatur: idcirco enim ex verbis inſtitutionis Baptiſmi colligimus ipſum conſiſtere eſſentialiter in vſu; quia Chriſtus illum inſtituens dixit, *Baptizate omnes gentes*, ſiue vt habetur Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: vox autem, *Baptizate*, actionem, & vſum ſignificat. Atqui ſimiliter inſtituens Euchariſtiam vſus eſt verbis actionem ſignificantibus, dicens, *Accipite, & manducate: Bibite ex hoc omnes, Hoc facite in meam commemorationem.*

Error Caluiniſt. ſacram. hoc conſiſtere tantùm in vſu.

Reſpondeo, Maiorem huius argumenti, vt vera ſit, debere intelligi non de quibuſcunque verbis in inſtitutione ſacramenti prolatis, & ad præparationem illius, verbi gratia, vel ad finem, aut præceptum eius celebrandi ſpectantibus: ſed de illis, quæ formæ ſacramenti ſunt eſſentialia: quæ verba in inſtitutione Euchariſtiæ ſunt iſta, *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* In inſtitutione autem baptiſmi ſunt hæc, *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Eſt autem manifeſtum priora non ſignificare vſum, & actionem, ſed rem conſiſtentem, nempe corpus, & ſanguinem Chriſti poſitum ſub ſpeciebus panis & vini per modum cibi, & potus ſacri. Cibus autem & potus exiſtunt ante vſum, & ſumptionem: neque manducatio, & bibitio ſunt illorum eſſentia, vel pars eſſentialis: ſed ſunt dumtaxat vſus, & finis, ad quem referuntur. Vſus autem & finis rei ad aliquem vſum ordinatæ, non eſt de illius eſſentia: eſtque manifeſtum vſum comeſtionis, & potionis non eſſe de eſſentia cibi, & potus materialis, ſed totam illorum eſſentiam exiſtere ante vſum. Quare verba illa Chriſti, *Accipite & manducate, Bibite ex hoc omnes*, non pertinebant ad declarandam ſacramenti eſſentiam: ſed ad ſignificandum ipſius vſum; vel etiam ad imponendum præceptum vtendi Apoſtolis, quibus porrigebat; ſicut & illa; *Hoc facite*, pertinebant ad præceptum ſacrificandi, exemplo Chriſti: & alia, quæ immediatè ante conſecrationem fecit, vt lotio pedum, & admonitio illa, *Qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet*, &c. ſpectabant ad illius præparationem.

Soluitur primum illorum argumentum.

Secundum illorum argumentum, omiſſis aliis leuioribus, eſt huiuſmodi: Tunc tantùm eſt ſacramentum Euchariſtiæ, quando eſt ſignum ſenſibile efficax gratiæ nutrientis, vel illius promiſſionem conſcientiis noſtris obſignans. Atqui Euchariſtia id totum non habet niſi in vſu: tunc enim tantummodo confert, vel obſignat gratiam nutrientem, iuxta illud Ioan. 6. v. 54. & ſequentibus, *Niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, &c. Reſpondeo, maiorem propoſitionem, vt vera ſit, debere intelligi de ſigno efficaci in actu primo, & quantum eſt de ſe, modò non deſit conditio neceſſaria, vt tale ſignum operetur, & ſit efficax in actu ſecundo. Hoc autem habet Euchariſtia ante vſum: quia ex Chriſti inſtitutione eſt ſignum practicum, & efficax gratiæ in actu primo, id eſt, habens vim illius efficiendæ per modum ſpiritualis refectionis, poſita conditione ſumptionis ſacri illius cibi, & potus ſpiritualis: ſimili modo, quo cibus, & potus materialis ante vſum habet virtutem, & aptitudinem nutriendi, poſita conditione manducationis, & potionis. Porrò non eſſe de ratione, & eſſentia ſacramenti, vt ſit aliter efficax gratiæ, quàm in actu primo, confirmari poteſt exemplo Baptiſmi, qui ſi ab adulto indiſpoſito recipiatur, non habet effectum gratiæ ſanctificantis, adeóque non eſt efficax in actu ſecundo: tametſi habet veram, & totam Baptiſmi eſſentiam. Plura aduerſus hunc errorem Caluiniſtarum, & alium ſimilem Lutheranorum, videri poſſunt apud Yſambertum q. 83. art. 2. 3. & 4. vbi fuſè, & accuratè illum refellit, & reliquis eorum argumentis ſatisfacit. 16.

Diluitur ſecundum.

Obiici etiam poteſt in fauorem ſententiæ Gabrielis ſupra relatæ num. 10. vſum Euchariſtiæ eſſe ſacram cerimoniam, à Chriſto inſtitutam, ſignificantem & efficientem gratiam infallibiliter; iuxta illud Ioan. 6. *Qui* 17.

Tertium arg. Gabr. ad probandum vſum eſſe ſacr.

manducat meam carnem, &c. Ergo vel est sacramentum, vel saltem pars sacramenti Eucharistiæ. Confirmatur, quia Eucharistia non causat gratiam nisi cum vsu coniuncta, cui vsui gratia promittitur verbis relatis, ex Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: & alióqui sine manducatione conferret gratiam dummodo aliter applicaretur, vt cibus materialis, in stomacho positus quomodocumque, nutriret. Neque satisfacit id quod supra respondimus, Eucharistiam fuisse institutam per modum cibi & potus: cibus autem & potus, & tota eorum vis nutriendi, est ante vsum; ita vt vsus, seu functio, sit tantùm applicatio causæ completæ præexistentis, & conditio sine qua non. Non satisfacit, inquam, quia Extrema-vnctio fuit similiter instituta in modum medicinæ, cuius tota essentia & vis est ante vsum siue applicationem: Et tamen non solum oleum benedictum, sed ipse vsus & vnctio est de essentia sacramenti.

16. Solutio quorundam refellitur. Huic argumento respondent aliqui recentiores, oleum non esse institutum in ratione sacramenti per modum medicinæ adæquatè causantis: sicut est Eucharistia per modum cibi adæquatè nutrientis. Alioqui sicut in naturalibus medicina à quolibet applicata operatur, & Eucharistia à quolibet data: sic etiã oleum sacrum à quolibet ministro sine vllis verbis applicatum operaretur gratiam, quod est falsum. Nam ex Christi institutione requiritur vnctio, facta à tali ministro cum tali forma verborum. Ex quo sequitur ipsum oleum benedictum non significare complete gratiam sine tali actione. Quæ quidem actio etiam significat particulariter ex Christi institutione; adeóque est pars signi, seu sacramenti, & non mera applicatio.

17. Sed hæc solutio non satisfacit. 1. Quia sacramenta non perficiuntur rebus & verbis physicè solùm consideratis, sed moraliter, prout fiunt à tali vel tali persona & in talibus circumstantiis; putà, cum intentione ministri, atque etiam recipientis, si adultus est. Quare licet oleum sacrum fuisset institutum per modum medicinæ adæquatè sanantis, non sequeretur debere operari à quocumque applicaretur. Sanè baptismus est adæquatè causa regenerationis: & tamen non operatur, neque est baptismus sacramentalis, datus sine intentione ministri, aut sine intentione adulti recipientis. Absolutio quoque à peccatis cum præuia confessione & attritione, est causa adæquata remissionis peccatorum. Et tamen non operatur, neque sacramentum est, nisi fiat à sacerdote habente iurisdictionem cum debita intentione. 2. Sicut ex Christi institutione requiritur vnctio facta à tali ministro, cum tali forma verborum: ita requiritur manducatio cum aliqua dispositione conueniente in adultis, vt Eucharistia operetur: & in omnibus sacramentis requiritur ex Christi institutione intentio ministri. Et tamen inde non sequitur Eucharistiam nõ significare complete gratiam sine tali manducatione: aut alia sacramenta, sine ministri intentione: adeóque manducationem & intentionem esse partem signi seu sacramenti: ergo similiter non sequitur vnctionem esse partem signi seu sacramenti Extremæ-vnctionis, ex eo præcise quod requiratur ex institutione Christi.

18. Vera solutio. Aliter ergo Respondeo ad primum, Vsum Eucharistiæ non esse sacram cerimoniam institutam à Christo ad significandam & efficiendam per se gratiam infallibiliter, & ex opere operato, sed ad applicandum signum efficax gratiæ, & causã nutritionis spiritalis. Cùm enim hoc sacramentum sit institutũ in modum cibi & potus sacri ad spiritalem animæ refectionem, de illo philosophandum est vt de cibo & potu materiali, cuius vis reficiendi non consistit in vsu, sed in ipsa eius substantia, quæ res permanens est: vsus verò, siue manducatio, est tantùm applicatio, & conditio necessaria vt sumenti prosit.

Ad secundum dico vsum requiri vt applicationem causæ sanctificantis: & gratiam manducanti promitti propter corpus & sanguinem Christi sub speciebus constitutum, vt causam: propter manducationem verò, velut applicationem & modum applicandi necessarium vt causet. Nam ex Dei institutione debet applicari, & tali modo applicari; licet Deus per miraculum dispensare possit in tali modo applicationis, vt aliquando fecisse refert Cardinalis Delugo ex Salmerone, disp. 1. de Eucharist. num. 115.

19. Ad tertium Respondeo, differentiam esse inter Eucharistiam, & Extremam-vnctionem; quòd Eucharistia fuit instituta per modum cibi & potus permanentis & existentis ante vsum, ac sine vsu: At Extrema-vnctio fuit instituta in modum medicinæ seu remedii transeuntis, & in vsu ipso consistentis: vt sunt frictiones quædam, & attractiones humorum, & corporis agitationes, & emissiones sanguinis, & similes. Quæ differentia patet ex institutione vtriusque sacramenti. Nam Christus instituens Eucharistiam sic pronunciauit: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, loquens de illis vt de rebus permanentibus. Iacobus verò Apostolus promulgans institutionem sacramenti Extremæ-vnctionis, sic ait cap. 5. suæ epistolæ, *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes oleo in nomine Domini.* Sicut ergo Baptismus non est institutus in aqua permanente, sed in eius vsu & applicatione, id est, in ablutione sub præscripta forma verborum, vt colligimus ex Christi verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, Matth. vlt. sic ex illis Iacobi verbis, *Orent super eum vngentes oleo*, &c. bene colligimus hoc sacramentum non esse institutum in oleo sacro secundum esse permanens, sed in eius vsu & applicatione, siue vnctione infirmi, cum oratione, seu forma verborum deprecatoria, simul adhibenda.

SECTIO III.

Quid sit præcisè & adæquatè Sacramentum Eucharistiæ?

20\. RESpondeo, & dico tertiò, Sacramentum Eucharistiæ adæquatè sumptum non esse solum corpus & sanguinem Christi sine speciebus: neque solas species sine corpore & sanguine Christi: neque simul corpus & sanguinem cum speciebus, sine verbis aliquo modo designantibus & determinantibus ad significandum sensibiliter: sed hæc omnia in integro eius conceptu & directo Eucharistiæ significato includi. Prima pars huius assertionis probatur, quia sacramentum nouæ legis est signum sensibile, vt patet ex eius definitione: idque sacramento Eucharistiæ esse cum aliis commune affirmat Trident. sess. 13. cap. 3. initio. Atqui solum corpus & sanguis Christi, prout sunt in Eucharistia modo indiuisibili, non sunt sensibilia: ergo solum corpus & sanguis Christi non sunt sacramentum. Neque respondeas esse sensibilia per species: sicut in sacramento Pœnitentiæ contritio est sensibilis per actū externum pœnitentis: & in matrimonio consensus internus est sensibilis per signum externum quo exprimitur. Nam contra: licet non sit quidem necessarium, vt quæuis pars sacramenti sit per se sensibilis: integrum tamen sacramentum debet esse sensibile per se, aliqua saltem sui parte. Ideoque aliquid per se insensibile non potest esse integrum sacramentum. 2. Ex Trident. sess. 13. can. 1. In sacramento Eucharistiæ continetur verè, realiter & substantialiter corpus & sanguis Christi: Ergo Sacramentum Eucharistiæ non est solum corpus & sanguis Christi: alioqui continerentur in seipsis. Si enim sacramentum Eucharistiæ nihil est aliud, quàm corpus & sanguis Christi; dicere corpus & sanguinem Christi contineri in sacramento Eucharistiæ, erit dicere, corpus & sanguinem Christi contineri in seipsis. 3. Sancti Patres, & sacri Canones docent, Eucharistiam constare visibili elementorum specie. Ergo falsum est consistere in solo corpore & sanguine Christi. Nec obest quod iidem sancti Patres non rarò vocant Eucharistiam, corpus Christi: intelligunt enim corpus non nudum, sed speciebus consecratis velatum, & verbis formæ designatum sensibiliter: quod totum est integrum Eucharistiæ sacramentum cum sanguine similiter sub specie vini contento.

Solum corpus & sanguis Christi non sunt integrum sacrament. Eucharist.

21\. Secunda pars est contra Gabrielem in 4. dist. 8. q. 3. litera B. dicentem, solas species post consecrationem esse sacramentum Eucharistiæ, omnibus aliis semotis. Probatur autem, quia sacramentum Eucharistiæ conficitur per verba consecrationis, & adoratur cultu latriæ, & est cibus spirit. & causa vitæ ac nutritionis animæ, vt loquuntur Concilia citata num. 8. At solæ species non fiunt per verba consecrationis, neque solæ adorantur cultu latriæ, neque solæ sunt cibus spiritalis, & causa vitæ ac nutritionis animæ, cuius sanctificandi & viuificandi vis competit magis corpori & sanguini Christi, eique tribuitur Ioan. 6. v. 52. & sequentibus. Adde, quòd sancti Patres, Ignatius martyr in epist. ad Smyrnenses, vt refert Theodoret. Dialogo 3. Iustinus martyr in Apologia ad Antoninum, Irenæus lib. 4. cap. 24. aliique plures dicunt Eucharistiam esse carnem & sanguinem Christi: & in hoc sacramento esse Christum, quia est corpus Christi, vt ait Ambros. lib. de Initiandis, cap. 9. & constare duobus, visibili elementorum specie, & inuisibili Christi carne & sanguine, veluti persona Christi constat ex Deo & homine, vt dicitur can. *Hoc est*, de Consecrat. dist. 2. Quæ & similia non essent vera, si species solæ essent totum & integrum sacramentum Eucharistiæ.

Solæ species non sunt totum sacram. Eucharistiæ.

22\. Obiicies, capite *Cùm Marthæ*, de Celebratione missarum expressè dici species panis & vini esse sacramentum tantùm. Et can. *Ego Berengarius*, de Consecrat. dist. 2. coactum esse Berengarium fateri, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse. Vbi apertè sacramentum distinguitur à corpore & sanguine Christi. Item can. *Hoc est*, suprà cit. dicitur quidem sacrificium Ecclesiæ cōstare duobus, visibili elementorum specie, & inuisibili Christi carne & sanguine: sed additur, *Sacramento, & re sacramenti.* Respondeo, Sacramentum his locis sumi, vt sæpiùs aliàs, pro eo quod dicitur *Sacramentum tantùm*, iuxta eam diuisionem, de qua alibi, in sacramentum tantùm, rem tantùm, & rem ac sacramentum: id est, id quod tantùm significat, id quod tantùm significatur, & id quod partim significat, partim significatur. Quorum primum fatemur esse in sacramento Eucharistiæ species consecratas, id est, verbis moraliter coniunctas, quæ significant tantùm, non verò significantur. Corpus autem Christi, & sanguis, est res & sacramentum: quia partim significat gratiam nutritionis, partim significatur à speciebus consecratis. Gratia denique res tantùm est: quia tantùm significatur.

23\. Tertia pars conclusionis est cōtra Bellarm. Vasq. Aegid. Coninc, & alios affirmantes, species panis & vini vna cum corpore & sanguine Christi constituere, atque integrè cōponere sacramentum Eucharistiæ. Probatur autem primò ex dictis disp. 19. de Sacram. in genere, sect. 2. vbi conati sumus ostendere generaliter omnia sacramenta nouæ legis constare rebus & verbis, vt materia & forma: ibidemque pluribus Aduersariorum argumentis respondimus. Secundò, speciatim probatur, quia sacramentum Eucharistiæ significat in recto illud totum quod à

Neque corpus & sanguis cum speciebus sine verbis.

manducat meam carnem, &c. Ergo vel est sacramentum, vel saltem pars sacramenti Eucharistiæ. Confirmatur, quia Eucharistia non causat gratiam nisi cum vsu coniuncta, cui vsui gratia promittitur verbis relatis, ex Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: & alioqui sine manducatione conferret gratiam dummodo aliter applicaretur, vt cibus materialis, in stomacho positus quomodocumque, nutriret. Neque satisfacit id quod supra respondimus, Eucharistiam fuisse institutam per modum cibi & potus: cibus autem & potus, & tota eorum vis nutriendi, est ante vsum; ita vt vsus, seu functio, sit tantùm applicatio causæ completæ præexistentis, & conditio sine qua non. Non satisfacit, inquam, quia Extrema-vnctio fuit similiter instituta in modum medicinæ, cuius tota essentia & vis est ante vsum siue applicationem: Et tamen non solum oleum benedictum, sed ipse vsus & vnctio est de essentia sacramenti.

16. Solutio quorundam refellitur. Huic argumento respondent aliqui recentiores, oleum non esse institutum in ratione sacramenti per modum medicinæ adæquatè causantis: sicut est Eucharistia per modum cibi adæquatè nutrientis. Alioqui sicut in naturalibus medicina à quolibet applicata operatur, & Eucharistia à quolibet data: sic etiã oleum sacrum à quolibet ministro sine vllis verbis applicatum operaretur gratiam, quod est falsum. Nam ex Christi institutione requiritur vnctio, facta à tali ministro cum tali forma verborum. Ex quo sequitur ipsum oleum benedictum non significare complete gratiam sine tali actione. Quæ quidem actio etiam significat particulariter ex Christi institutione; adeóque est pars signi, seu sacramenti, & non mera applicatio.

17. Sed hæc solutio non satisfacit. 1. Quia sacramenta non perficiuntur rebus & verbis physicè solùm consideratis, sed moraliter, prout fiunt à tali vel tali persona & in talibus circumstantiis; putà, cum intentione ministri, atque etiam recipientis, si adultus est. Quare licet oleum sacrum fuisset institutum per modum medicinæ adæquatè sanantis, non sequeretur debere operari à quocumque applicaretur. Sanè baptismus est adæquatè causa regenerationis: & tamen non operatur, neque est baptismus sacramentalis, datus sine intentione ministri, aut sine intentione adulti recipientis. Absolutio quoque à peccatis cum præuia confessione & attritione, est causa adæquata remissionis peccatorum. Et tamen non operatur, neque sacramentum est, nisi fiat à sacerdote habente iurisdictionem cum debita intentione. 2. Sicut ex Christi institutione requiritur vnctio facta à tali ministro, cum tali forma verborum: ità requiritur manducatio cum aliqua dispositione conueniente in adultis, vt Eucharistia operetur: & in omnibus sacramentis requiritur ex Christi institutione intentio ministri. Et tamen inde non sequitur Eucharistiam nõ significare complete gratiam sine tali manducatione: aut alia sacramenta, sine ministri intentione: adeóque manducationem & intentionem esse partem signi seu sacramenti: ergo similiter non sequitur vnctionem esse partem signi seu sacramenti Extremæ-vnctionis, ex eo præcise quod requiratur ex institutione Christi.

18. Vera solutio. Aliter ergo Respondeo ad primum, Vsum Eucharistiæ non esse sacram cerimoniam institutam à Christo ad significandam & efficiendam per se gratiam infallibiliter, & ex opere operato, sed ad applicandum signum efficax gratiæ, & causã nutritionis spiritalis. Cùm enim hoc sacramentum sit institutũ in modum cibi & potus sacri ad spiritalem animæ refectionem, de illo philosophandum est vt de cibo & potu materiali, cuius vis reficiendi non consistit in vsu, sed in ipsa eius substantia, quæ res permanens est: vsus verò, siue manducatio, est tantùm applicatio, & conditio necessaria vt sumenti prosit.

Ad secundum dico vsum requiri vt applicationem causæ sanctificantis: & gratiam manducanti promitti propter corpus & sanguinem Christi sub speciebus constitutum, vt causam: propter manducationem verò, velut applicationem & modum applicandi necessarium vt causet. Nam ex Dei institutione debet applicari, & tali modo applicari; licet Deus per miraculum dispensare possit in tali modo applicationis, vt aliquando fecisse refert Cardinalis Delugo ex Salmerone, disp. 1. de Eucharist. num. 115.

19. Ad tertium Respondeo, differentiam esse inter Eucharistiam, & Extremam-vnctionem; quòd Eucharistia fuit instituta per modum cibi & potus permanentis & existentis ante vsum, ac sine vsu: At Extrema-vnctio fuit instituta in modum medicinæ seu remedii transeuntis, & in vsu ipso consistentis: vt sunt frictiones quædam, & attractiones humorum, & corporis agitationes, & emissiones sanguinis, & similes. Quæ differentia patet ex institutione vtriusque sacramenti. Nam Christus instituens Eucharistiam sic pronunciauit: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, loquens de illis vt de rebus permanentibus. Iacobus verò Apostolus promulgans institutionem sacramenti Extremæ-vnctionis, sic ait cap. 5. suæ epistolæ, *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes oleo in nomine Domini*. Sicut ergo Baptismus non est institutus in aqua permanente, sed in eius vsu & applicatione, id est, in ablutione sub præscripta forma verborum, vt colligimus ex Christi verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, Matth. vlt. sic ex illis Iacobi verbis, *Orent super eum vngentes oleo*, &c. bene colligimus hoc sacramentum non esse institutum in oleo sacro secundum esse permanens, sed in eius vsu & applicatione, siue vnctione infirmi, cum oratione, seu forma verborum deprecatoria, simul adhibenda.

SECTIO III.

Quid sit præcisè & adæquatè Sacramentum Eucharistiæ?

20. RESpondeo, & dico tertiò, Sacramentum Eucharistiæ adæquatè sumptum non esse solum corpus & sanguinem Christi sine speciebus: neque solas species sine corpore & sanguine Christi: neque simul corpus & sanguinem cum speciebus, sine verbis aliquo modo designantibus & determinantibus ad significandum sensibiliter: sed hæc omnia in integro eius conceptu & directo Eucharistiæ significato includi. Prima pars huius assertionis probatur, quia sacramentum nouæ legis est signum sensibile, vt patet ex eius definitione: idque sacramento Eucharistiæ esse cum aliis commune affirmat Trident. sess. 13. cap. 3. initio. Atqui solum corpus & sanguis Christi, prout sunt in Eucharistia modo indiuisibili, non sunt sensibilia: ergo solum corpus & sanguis Christi non sunt sacramentum. Neque respondeas esse sensibilia per species: sicut in sacramento Pœnitentiæ contritio est sensibilis per actū externum pœnitentis: & in matrimonio consensus internus est sensibilis per signum externum quo exprimitur. Nam contra: licet non sit quidem necessarium, vt quæuis pars sacramenti sit per se sensibilis: integrum tamen sacramentum debet esse sensibile per se, aliqua saltem sui parte. Ideoque aliquid per se insensibile non potest esse integrum sacramentum. 2. Ex Trident. sess. 13. can. 1. In sacramento Eucharistiæ continetur verè, realiter & substantialiter corpus & sanguis Christi: Ergo Sacramentum Eucharistiæ non est solum corpus & sanguis Christi: alioqui continerentur in seipsis. Si enim sacramentum Eucharistiæ nihil est aliud, quàm corpus & sanguis Christi; dicere corpus & sanguinem Christi contineri in sacramento Eucharistiæ, erit dicere, corpus & sanguinem Christi contineri in seipsis. 3. Sancti Patres, & sacri Canones docent, Eucharistiam constare visibili elementorum specie. Ergo falsum est consistere in solo corpore & sanguine Christi. Nec obest quod iidem sancti Patres non rarò vocant Eucharistiam, corpus Christi: intelligunt enim corpus non nudum, sed speciebus consecratis velatum, & verbis formæ designatum sensibiliter: quod totum est integrum Eucharistiæ sacramentum cum sanguine similiter sub specie vini contento.

Solum corpus & sanguis Christi non sunt integrum sacrament. Eucharist.

21. Secunda pars est contra Gabrielem in 4. dist. 8. q. 3. litera B. dicentem, solas species post consecrationem esse sacramentum Eucharistiæ, omnibus aliis semotis. Probatur autem, quia sacramentum Eucharistiæ conficitur per verba consecrationis, & adoratur cultu latriæ, & est cibus spirit. & causa vitæ ac nutritionis animæ, vt loquuntur Concilia citata num. 8. At solæ species non fiunt per verba consecrationis, neque solæ adorantur cultu latriæ, neque solæ sunt cibus spiritalis, & causa vitæ ac nutritionis animæ, cuius sanctificandi & viuificandi vis competit magis corpori & sanguini Christi, eique tribuitur Ioan. 6. v. 52. & sequentibus. Adde, quòd sancti Patres, Ignatius martyr in epist. ad Smyrnenses, vt refert Theodoret. Dialogo 3. Iustinus martyr in Apologia ad Antoninum, Irenæus lib. 4. cap. 24. aliique plures dicunt Eucharistiam esse carnem & sanguinem Christi: & in hoc sacramento esse Christum, quia est corpus Christi, vt ait Ambros. lib. de Initiandis, cap. 9. & constare duobus, visibili elementorum specie, & inuisibili Christi carne & sanguine, veluti persona Christi constat ex Deo & homine, vt dicitur can. *Hoc est*, de Consecrat. dist. 2. Quæ & similia non essent vera, si species solæ essent totum & integrum sacramentum Eucharistiæ.

Solæ species non sunt totum sacram. Eucharistiæ.

22. Obiicies, capite *Cùm Marthæ*, de Celebratione missarum expressè dici species panis & vini esse sacramentum tantùm. Et can. *Ego Berengarius*, de Consecrat. dist. 2. coactum esse Berengarium fateri, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse. Vbi apertè sacramentum distinguitur à corpore & sanguine Christi. Item can. *Hoc est*, suprà cit. dicitur quidem sacrificium Ecclesiæ cōstare duobus, visibili elementorum specie, & inuisibili Christi carne & sanguine: sed additur, *Sacramento, & re sacramenti.* Respondeo, Sacramentum his locis sumi, vt sæpiùs aliàs, pro eo quod dicitur *Sacramentum tantùm*, iuxta eam diuisionem, de qua alibi, in sacramentum tantùm, rem tantùm, & rem ac sacramentum: id est, id quod tantùm significat, id quod tantùm significatur, & id quod partim significat, partim significatur. Quorum primum fatemur esse in sacramento Eucharistiæ species consecratas, id est, verbis moraliter coniunctas, quæ significant tantùm, non verò significantur. Corpus autem Christi, & sanguis, est res & sacramentum: quia partim significat gratiam nutritionis, partim significatur à speciebus consecratis. Gratia denique res tantùm est: quia tantùm significatur.

23. Tertia pars conclusionis est cōtra Bellarm. Vasq. Aegid. Coninc. & alios affirmantes, species panis & vini vna cum corpore & sanguine Christi constituere, atque integrè cōponere sacramentum Eucharistiæ. Probatur autem primò ex dictis disp. 19. de Sacram. in genere, sect. 2. vbi conati sumus ostendere generaliter omnia sacramenta nouæ legis constare rebus & verbis, vt materia & forma: ibidemque pluribus Aduersariorum argumentis respondimus. Secundò, speciatim probatur, quia sacramentum Eucharistiæ significat in recto illud totum quod à

Neque corpus & sanguis cum speciebus sine verbis.

Christo assumptum est, & institutum ad significandam sensibiliter gratiam in modum nutritionis. Illud autem non est solæ species cum corpore & sanguine Christi: sed simul etiam verba formæ, quæ hoc magis expressè significant: ergo &c. Maior probatur 1. inductione aliorum sacramentorum. Hac enim de causa Baptismus significat in recto ablutionem & verba: Pœnitentia, actus pœnitentis & sacerdotis, & sic de aliis. Probatur 2. hac ratione generali: quia ex iisdem componitur integrum significatum directum sacramenti, ex quibus componitur eius significatio sacramentalis, id est, signum significans à Christo institutum: siue eædem sunt partes sacramenti, quæ sunt partes totius signi significantis, à Christo instituti. Minor autem probatur, quia Christus non assumpsit solùm, & instituit in signum sensibile & efficax gratiæ sanctificantis, corpus & sanguinem suum cum speciebus dumtaxat: sed etiã verba adhibuit, quibus sensibiliter significauit corpus & sanguinem suum dari in cibũ & potum sacrum & spiritalem: Sicut in Baptismo non instituit solùm lotionem aquæ, sed etiam verba significantia ablutionem illam esse mysticam & spiritalem: quæ verba sunt pars totius cerimoniæ seu signi sensibilis instituti ad significandam & efficiendam spiritalem regenerationem. Et verò sicut ablutio sola non significat illam sensibiliter sine verbis: ita corpus & sanguis Christi simul cum speciebus, sine verbis aliquo modo denominantibus & determinantibus ad significandum sensibiliter, non sunt signum per se sensibile nutritionis spiritalis. Nam species cum corpore & sanguine Christi, sine verbis, non sunt per se signum sensibile gratiæ, neque sunt sensibiliter cibus & potus Sacer, cùm discerni per se non possint à speciebus non consecratis, id est, à pane & vino communi.

Atque hoc ipsum fatetur Aegid. q. 73. n. 21. vbi ait, species non posse significare, Christum ibi verè esse præsentem, nisi ad hoc determinarentur per formam consecrationis, & quandam habitudinem ad eam iam pronunciatam. Secluso enim respectu ad talem formam, hostiæ consecratæ non magis significant Christum ibi esse præsentem, quàm non consecratæ. Hinc per se non possumus vnas ab aliis distinguere: sed solùm quatenus scimus super vnas prolatam esse formam, super alias non. Vnde, inquit, si Deus sine vlla sensibili consecratione poneret corpus Christi sub speciebus: hoc compositum non haberet rationem veri sacramenti, aut saltem non nisi imperfectam, aut alterius rationis ab iis quæ iam sunt. Quia non esset propriè sensibile signum inuisibilis effectus gratiæ. Addit tamen num. 22. nec verba formæ, nec habitudinem ad illa, esse partem essentialem & intrinsecam ipsius sacramenti, sed aliquid ad ipsius constitutionem prærequisitum: sicut institutio verborum significantium in oratione, vel habitudo ad illam, non est pars intrinsecè componens orationem.

24. Contra quæ insto, argumentando ad hominem: Primò, quia integrum sacramentũ Eucharistiæ essentialiter & per se est signum sensibile effectus gratiæ, vt idem Aegidius ait n. 19. in fine, iuncto numero 21. pariter in fine. Atqui compositum totum ex corpore Christi & speciebus, non est essentialiter & per se signum sensibile effectus gratiæ, sine verbis determinantibus, aut habitudine ad illa, vt idem fatetur n. 21. Ergo illud compositum non est integrum sacramentum Eucharistiæ, sine verbis determinantibus, aut habitudine ad illa.

Probatur, verba esse de essentia Eucharist.

2. Id per quod aliquid essentialiter & per se sensibile, constituitur formaliter sensibile, ita vt sine illo non sit sensibile, est pars illius intrinseca & essentialis. Sed sacramẽtum Eucharistiæ, quod essentialiter & per se est sensibile signum effectus gratiæ, constituitur formaliter sensibile, per verba formæ, aut per habitudinem ad illa, ac sine illis non est per se signum sensibile effectus gratiæ: ergo verba formæ, aut habitudo ad illa, est pars intrinseca & essentialis sacramenti Eucharistiæ. Maior est euidens. Vnicuique enim est essentiale id, quo formaliter in suo esse essentiali constituitur. Minor autem traditur ab ipsomet AEgidio: & consequentia legitima est.

25. 3. Habitudo illa specierum ad verba formæ super ipsas pronunciatæ, fictitia est, si per illam AEgid. intelligat aliud, quàm quòd verba remaneant moraliter in memoria actuali vel habituali, adeo vt cogitando de speciebus, cogitemus simul de verbis super eas prolatis, id est, cognoscamus verba consecrationis fuisse super eas pronunciata legitimè, ab habente potestatem & intentionem faciendi quod Christus instituit. Quo pacto verba formæ manent moraliter, id est, per recordationẽ, coniuncta materiæ, quam determinant, ad magis expressè, imo ad simpliciter significandum sensibiliter corpus Christi, & effectum gratiæ: ad quem tamen significandum in modum nutritionis, iuuant species panis & vini per verba determinatæ, quatenus significant Christum ibi esse per modum cibi & potus, loco panis & vini. Alia verò habitudo intrinseca speciebus, fictitia est. Cùm species illam non habeant ex se: neque accipiant à verbis extrinsecè denominantibus: neque ab institutione, à qua tantùm res extrinsecè denominatur instituta, sine vlla mutatione intrinseca per eam præcisè inducta. Adde, quòd illa habitudo, si esset, non esset sensibilis. Nam neque est visibilis, neque audibilis, neque vllo alio sensu externo vel interno perceptibilis. Ergo illa non potest constituere sacramentum Eucharistiæ per se & essentialiter sensibile. Quare necesse est constitui per ipsa verba, quæ prout pronunciantur actu, aut cognoscuntur fuisse pronunciata super tales species, determinant illas ad significandum id quod con-

Confirmatur.

continent (nempe corpus & sanguinē Christi) & id quod possunt in nobis efficere, spiritalem scilicet nutritionem. Vnde consequens est eadem verba, prout actu, aut moraliter sunt, esse formam constitutiuam sacramenti Eucharistiæ: quatenus sunt pars eius magis determinans, & magis significans sensibiliter, illudque constituens in esse signi per se & essentialiter sensibilis effectus gratiæ, atque ipsius corporis & sanguinis Christi, qui alioqui latet insensibiliter sub speciebus. Ex his enim constituitur sacramentum, id est, sacræ rei signum, ex quibus veluti constituitur eius significatio. Et illud habet rationem formæ quod magis determinat & perficit significationem rei sacræ.

26. Probatur à simili. Sicut ergo in Baptismo verbi gratia ablutio determinatur per verba ad significandam spiritalem ablutionem: & ideo in esse sacramenti, talia verba sunt forma talis materiæ? Simili modo in Eucharistia, verba consecrationis, quæ sunt pars totius ceremoniæ à Christo adhibitæ & institutæ, & determinant species ad rei sacræ & spiritalis nutritionis significationem, sunt forma compositi ex corpore & sanguine Christi ac speciebus: & cum illis constituunt vnum sacramentum, non per physicam vnionem & informationem, sed per extrinsecam denominationem, & coniunctionem tantùm moralem, quatenus verba proferuntur actu super species, aut cognoscuntur fuisse super eas prolata: sine quo non intelligimus species esse consecratas & significare aut continere Christum, esseque cibum & potum sacrum, ordinatum ad spiritalem nutritionem animæ. Quare verba non sunt tantùm aliquid prærequisitum ad constitutionem sacramenti Eucharistiæ, vt vult Aegidius: sed aliquid sine quo non potest intelligi formaliter constitutum in esse signi essentialiter & per se sensibilis, quale à Christo institutum est; & sine quo vt moraliter remanente, non remanet tale postquam consecratio desiit esse physicè, id est, postquam verba desierunt physicè pronunciari.

27. Ad instantiam verò Aegidii de institutione respectu orationis significantis ex instituto: Respondeo differentiam esse. Nam vox illa, *Oratio*, supponit tantùm pro terminis certo quodam modo connexis. Connotatiuè autem significat institutionem terminorum ad significandum. At verò terminus ille, *Sacramentum*, supponit apud Theologos pro aliquo morali composito per se sensibili, assumpto & instituto à Christo, ad significandam & efficiendam gratiam. Cuiusmodi compositum in Eucharistia non sunt tantùm species cum corpore & sanguine Christi, sed & verba super species prolata, quæ magis significant id quod fit. Sicut Baptismus non supponit solùm pro ablutione, connotando verba; sed pro ablutione, & verbis, connotando Christi institutionem, quòd scilicet tota hæc cerimonia sensibilis fuerit à Christo assumpta ad significandam, & efficiendam gratiam regenerantem. Ad quod significandum magis concurrunt verba, quàm ablutio sola, secundum eandem Christi institutionem. Et in vniuersum ex iis componitur sacramentum, ex quibus componitur significatio, id est, signum rei sacræ, quale fuit à Christo assumptum, & institutum.

Obiicies 1. argumentum nostrum probare substantiam panis, & vini, vt moraliter remanentem in memoria, esse partem intrinsecam sacramenti Eucharistiæ: quia non cognoscimus sensibiliter species esse consecratas, nisi recordemur verba fuisse prolata super panem, & vinum consecrandum. Neque verò esset, aut fieret Eucharistiæ sacramentum, si per Dei potentiam, species panis, & vini præcessissent sine substantia, ac super illas verba fuissent prolata. Addunt aliqui recentiores, malè à nobis colligi verba consecrationis esse partem intrinsecam sacramenti Eucharistiæ, ex eo quòd sine illis species, & corpus, aut sanguis Christi, non sunt signū sensibile gratiæ, cùm per se solas non possint discerni à speciebus non consecratis: neque enim cognoscimus hanc numero hostiam esse sanctificatiuam, & sacramentalem, nisi ex recordatione, quòd super illam prolata fuerunt verba consecrationis. Nam, contra, inquiunt, neque hæc verba *Hoc est corpus meum*, cognoscimus consecrare, nisi ex recordatione institutionis Christi. Neque cognoscimus pronunciantem illa verba ponere hunc effectum, nisi ex præsuppositione, quâ censetur esse sacerdos ordinatus ab Episcopo: & adhuc oportet præsupponere Episcopum fuisse talē, & ordinasse. Ergo institutio Christi, ordinatio sacerdotis, & potestas Episcopi, qui eum ordinauit, essent pars intrinseca formæ consecrationis: Imò, iuxta hanc sententiam, omnes ordinationes vsque ad Christum, essent pars illius intrinseca. Hoc autem est absurdum. Et sequela est manifesta ex paritate rationis. Item nescimus hæc verba *Hoc est corpus meum*, significare corpus Christi, nisi ex concomitantia aliorum verborum, cum quibus hæc pronunciantur, aut pronunciari solent à sacerdote consecrante, & simul ex recordatione institutionis hominum. Et tamen verba concomitantia consecrationem, & institutio hominum, non sunt pars intrinseca formæ consecrationis. Item consensus & verba contrahentium matrimonium nihil habent intrinsecum; quod determinet ad intelligendum ritum illum esse sanctificatiuum, aut vllo modo sacrum: sed hoc nouimus ex sola institutione Christi, quā docet Ecclesia. Et tamen institutio Christi, aut doctrina Ecclesię, non est pars intrinseca sacramenti matrimonii. Itaque non est necessarium, vt ea ex quibus constat intrinsecè sacramentum, significent gratiam sensibiliter per se sola, & nudè sumpta: sufficit enim vt significent per comparationem ad alia, 28. Argumenta sententiæ contrariæ.

ex quibus tamen non componitur sacramentum. Nam etiam aspersio aquæ, & verba illa, *Ego te baptizo*, &c. non demonstrant gratiam in baptismo, nisi comparentur cum institutione Christi, & cum intentione baptizantis: & tamen nihil horum est pars intrinsecè componens sacramentum, sed tantùm est terminus extrinsecus ad quem comparari debet baptismus, vt intelligatur esse sacramentum.

29. Cur verba sint de essentia magis quàm substantia panis & vini, aliaque connotata?

Ad 1. Respondeo negando paritatem. Licet enim ex Dei institutione substantia panis, & vini requiratur omnino ad effectionem Eucharistiæ, sitque necessarium nos recordari verba consecrationis fuisse super panem, & vinum legitimè prolata, vt cognoscamus species esse consecratas: tamen substantia ipsa panis, & vini non est à Christo assumpta, & instituta, vt pars signi sensibilis secundum se; sed tantùm vt materia transiens destruenda per verba consecrationis, quibus inducimur in hanc recordationem, quæque sufficienter significant sensibiliter Christi corpus, & sanguinem sub speciebus contineri, velut cibum & potum sacrum, loco prophani & communis substitutum, fueruntque à Christo assumpta, & instituta ad constituendum cum illis signum sensibile nutritionis spiritalis: sicut verba illa, *Ego te baptizo*, &c. fuerunt à Christo adhibita ad componendum cum ablutione signum sensibile regenerationis. Quare substantia panis, & vini se habet tantùm extrinsecè & connotatiuè ad sacramentum Eucharistiæ: non autem vt pars signi à Christo instituti. Eandémque ob causam neque intentio ministri, neque illius potestas, neque institutio Christi est pars intrinseca sacramentorum, sed aliquid extrinsecum ad illa prærequisitum velut eorum causa efficiens, extrinsecè, & connotatiuè importata nomine sacramenti. Secus autem verba, & alia symbola externa, quæ sunt partes totius cerimoniæ à Christo adhibitæ ad significandam, & efficiendam gratiam, & efficiendę aut ponendæ à ministro legitimo, cum intentione faciendi id quod Christus instituit.

30. Ad 2. Respondeo, Argumentum nostrum non integrè referri ab aduersariis: neq; enim colligimus verba consecrationis esse formam intrinsecam ex eo præcisè, quòd sine illis nō possit cognosci sensibiliter species esse consecratas, & valere ad effectum sacramentalem: fatemur enim alia quædam ad hoc intelligendū requiri, quæ tamen non sunt pars intrinseca sacramenti, sed tantùm connotata, & termini extrinseci comparationis, vt bene probat obiectio. Sed ex eo quòd, vt diximus n. 24. sacramentum Eucharistiæ significat in recto illud totum, quod à Christo assumptum fuit & institutum, veluti signum quoddam sacrum & diuinum, ad significandam sensibiliter gratiam in modum nutritionis. Illud autem non est solę species cum corpore & sanguine Christi, sed simul etiam verba formę consecrationis, quę fuerunt à Christo adhibita in hoc sacro signo instituendo, quæque spiritualem refectionem animę magis expressè significant. Maior probatur ex comparatione Eucharistiæ, cum aliis sacramentis. Sicut enim v. g. sacramentum Baptismi significat in recto totum illud, quod à Christo assumptum fuit & institutum ad significandam gratiam in modum regenerationis, nempe ablutionem, & verba illa, *Ego te baptizo*, &c. Et sacramentum Confirmationis significat in recto vnctionē chrismaticam cū verbis, quia Christus hæc duo assūpsit, & instituit ad significandam, & efficiendā gratiam in modum corroborationis & vnctionis militaris: par est ratio vt Eucharistia, de qua, cum proportione ad alia sacramenta philosophandum est, quantum fieri potest, significet in recto verba à Christo adhibita ad significandum corpus, & sanguinem suum sub speciebus per modum cibi & potus sacri, & consequenter nutritionem spiritualem animæ per gratiam vi talis sacramenti productam. Minor autem, quòd Christus non solùm species assumpserit cum corpore, & sanguine Christi ad id significandum, verùm etiam verba quæ hoc magis expressè significant, nota est ex euangelica narratione institutionis, neque in dubium reuocari potest.

Obiic. 2. Si verba consecrationis sunt forma essentialis sacramēti Eucharistię sequeretur non fore idem essentialiter Eucharistiæ sacramentum, quod nunc est, si Deus immediatè per se solum sine verbis panem, & vinum conuerteret in corpus, & sanguinem Christi, ac sub speciebus eodem modo poneret. Hoc autem est contra communem omnium sensum, inquit Mærat. disp. 1. de Euch. sect. 4. Ergo, &c. Secundò, inquit, sequeretur sacramentum Eucharistiæ non fore permanens, quia vnam partem essentialem haberet transeuntem. 3. Sequeretur etiam desiturum sacramentum Eucharistiæ, si penitus desinat sensibilis memoria habitualis consecrationis: quia tunc verba non remanebunt moraliter sensibiliter, si v. g. neque sacerdos, neque vllus alius hominum recordetur, neque recordari possit has species fuisse consecratas. 4. Concil. Trid. verbis supra relatis agnoscit totum sacramentum Eucharistię in eo quod circumfertur in processionibus, seruatur in pixide, defertur ad ægrotos. Hoc autem est solum corpus & sanguis cum speciebus. 5. Causa efficiens non est pars intrinseca, & essentialis sui effectus. At verba sunt causa efficiens sacramenti, ex Florent. in Decreto §. *Tertium est Eucharistiæ sacramentum*. 6. Denique illa res non est pars essentialis sacramenti nouæ legis, quæ gratiam sanctificantem nec significat proximè, nec efficit. Huiusmodi autem sunt verba consecrationis, quæ nihil aliud, quàm corpus & sanguinem Christi cum speciebus significant, & efficiunt. 31. Argumenta in contrarium.

Ad primum, Nego minorem, quam Aegid. quoque supra expressè negat, licet alioquin eiusdem sententiæ cum Mæratio, qui non generalem omnium sensum esse affirmat. 32. Diluuntur.

Ad secundum Respondeo, Sacramentum Eucharistiæ dici permanens, quia tota eius materia proxima, quodque in hoc sacramento præcipuum est simpliciter ac fere totum, permanet physicè: in quo differt ab aliis sacramentis, quæ tam ex parte materiæ proximæ, quàm ex parte formæ, existunt tantùm in actione, siue vsu.

Ad tertium dico id non magis esse inconueniens, quàm quòd sacramentum Eucharistiæ desiturum esse dicatur, si diuisio specierum fieret vsque ad partes insensibiles: quia tunc sacramentum desineret esse sensibile, & consequenter desineret esse sacramentum. Quod ipsum docet idem Mærat. disput. 4. sect. 4. & alibi fusiùs confirmabitur. Siue tunc maneat corpus Christi sub talibus speciebus donec corrumpantur, siue non maneat. Quod perinde est quantum ad præsentem quæstionem, & alibi examinabitur, cùm de hoc secundo casu disputabitur. Idem enim dicendum esse puto in vtroque casu.

33\. Ad quartum, Nego Trident. agnoscere totum sacramentum Eucharistiæ in eo, quod circumfertur, &c. Non enim vtitur hac voce *Totum*, neque negat sanguinem sub speciebus vini esse partem totius sacramenti Eucharistiæ, quæ tamen non circumfertur in processionibus, neque seruatur in sacrario. Addo nec hostiam consecratam circumferri sine morali habitudine, seu coniunctione per recordationem ad verba. Alioqui enim non circumfertur vt signum sensibiliter sacrum, & diuinum, nec potest prudenter adoranda proponi. Neq; propterea verba circumferuntur, sed tantùm cognoscitur verba fuisse aliquando, & alicubi prolata super huiusmodi species, quæ circumferuntur. Quo modo verba dicuntur moraliter coniungi tali materiæ, & concurrere cum illa ad significandum. Frustra verò instant aliqui recentiores, gratis omnino responderi Trident. non loqui de toto sacramento, cum ait illud circumferri in processionibus, asseruari in sacrario, & deferri ad ægrotos, sed tantùm de vna eius parte præcipua: Nusquam enim, inquiunt, meminit Trid. huius distinctionis: Et cùm dicat simpliciter & propriè sacramentum Eucharistiæ circumferri, & seruari, non debet hoc nomine intelligi id quod non constituit saltem vnum numero sacramentum. Atqui si verba consecrationis sunt forma intrinsecè constituens corpus Christi sub speciebus, non est vnum numero sacramentum, sed tantùm pars sacramenti. Modus autem ille loquendi est communis toti Ecclesiæ: omnes enim dicimus nos recepisse, manducasse, adorasse sacramentum Eucharistiæ, etsi verba manducari nequeant, solamque hostiam consecratam receperimus & adorauerimus.

Totum sacramentum Euchar. nõ circumfertur in processionibus &c.

Respondeo enim non gratis, sed cum fundamento auctoritatis D. Thomæ, & omnium fere Theologorum, & rationis, quâ illi nituntur, affirmari Tridentinum & Catholicos loqui de sacramento Eucharistiæ non integrè, & adæquatè sumpto, sed secundum aliquam eius partem præcipuam, quando dicunt circumferri in processionibus, seruari in sacrario, & deferri ad ægrotos, licet Christus sub specie panis tantùm circumferatur, & seruetur, aut ad ægrotos deferatur. Nam vt ostendemus inferiùs sect. 5. ex doctrina D. Thom. & omnium fere Theologorum, sacramentum Eucharistiæ integrè sumptum constat vtraque specie panis, & vini, cum corpore, & sanguine Christi sub illis existente, & seorsim posito, quantum est ex vi verborum: quia est institutum per modum perfecti conuiuii, cibo & potu constantis, ad explendam famem, & sitim spiritalem. Quod etiam docent plurimi eorum, qui contendunt formam verborum consecrationis non esse partem intrinsecam sacramenti. Ergo quando dicunt sacramentum Eucharistiæ circumferri, aut seruari, latum, aut seruatum sub altera tantùm specie, non loquuntur de integro sacramento: neque ille potest esse communis sensus Theologorum, qui alioqui sibi contradicerent. At neque etiam est ille sensus communis reliquorum fidelium; quippe qui non aliter sentiunt, quàm à pastoribus, & Doctoribus instruuntur.

Ad quintum alibi responsum fuit disp. 19. de Sacramentis in genere, sect. 2. num. 14. 34.
Ad sextum dico verba consecrationis dupliciter comparari ad sacramentum Eucharistiæ. 1. Vt causam efficientem, & sic proximè significant, & efficiunt corpus, & sanguinem Christi sub speciebus. 2. Vt formam moraliter informantem, & constituentem in esse cibi, & potus sacri sensibiliter; & sic concurrunt ad significandam, & efficiendam proxime gratiam in modum nutritionis spiritalis, ad quam cibus ille, & potus sacer totus quantus est, per se proximè ordinatur.

Superest notare idem quod est sacramentum Eucharistiæ, esse simul sacrificium; sicut consecratio est simul actio sacrificandi, & effectio sacramenti. Christus enim in Eucharistia immolatur, quatenus vi verborum ponitur indiuisibiliter, mortuo quodam modo, sub speciebus panis, & vini: atque etiam mysticè, & quantum est ex vi verborum corpus à sanguine separatur: quatenus vi illorum & directè corpus ponitur sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini. Aliud tamen connotatur nomine sacrificii, aliud nomine sacramenti. Et Eucharistia quidem dicitur, & est sacrificium, quatenus Christus ponitur sub speciebus, modo dicto, immutatúrque & immolatur ad protestandam supremam Dei excellentiam, cui tali actione, & immutatione offertur. Hic enim est proprius finis sacrificii. Sacramentum verò est, & dicitur, quatenus est cibus, & potus sacer institutus ad nostram sanctificationem, per modum nutritionis spiritalis infallibiliter efficiendam. Quam vim non habet prout sacri-

Eucharistia est simul sacr. & sacrificium, diuerso respectu.

ficium eſt. Neque enim infallibiliter impetrat gratiam iis omnibus, pro quibus offertur. At verò vt ſacramentum eſt, ſanctificat omnes non indignè recipientes.

SECTIO IV.

Refutatur quædam opinio contraria.

35. IN eo quod diximus, verba conſecrationis eſſe formam intrinſecam ſacramenti Euchariſtiæ, conſentiunt præcipuè S. Thomas quæſtionis 60. articulo 6. ad 2. & artic. 7. in corp. & quæſtionis 66. art. vlt. vbi generaliter de ſacramentis nouæ legis affirmat, ex rebus & verbis fieri vnum, ſicut ex materia & forma: nullum penitùs ab hac aſſertione generali excipiens. Deque Euchariſtia ſpecialiter idem aſſerit in quarto, diſtinctione octaua, quæſtione ſecunda, articulo primo, quæſtiuncula prima, Suarez diſputatione quadrageſima ſecunda, ſectione ſecunda, ſub finem, & Cardinalis Delugo diſputatione prima de Euchariſtia ſectione quarta. In qua tamen diſputatione duo habet ſententiæ noſtræ contraria.

Euchariſtia non ſignificat in recto ſolū corpus & ſanguinē. Ac primò quidem ſect. 3. contendit ſacramentum Euchariſtiæ in recto dicere ſolùm corpus & ſanguinem Chriſti: ſpecies verò ſacramentales & verba, tantùm in obliquo. Ratio eius eſt quia de modo ſignificandi & ſupponendi huius vocis, *Euchariſtia*, iudicandum eſt ex modo communi, quo illam Patres & Theologi vſurparunt. Atqui ſancti Patres per illam vocem ſignificarunt ſolùm in recto corpus Chriſti, quia paſſim aſſerunt Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti: quæ propoſitio falſa eſſet, ſi Euchariſtia includeret etiam ſpecies in recto: ſicut falsò diceretur, Homo eſt materia; quia homo plus dicit in recto, quàm materia. Sic autem Patres locutos eſſe probat ex Ambroſio, Auguſt. Chryſoſt. Cypr. Origene, Irenæo, Iuſtino, Ignatio, aliiſqu pluribus quorum verba ibidem refert.

36. Explicantur teſtimonia SS. Patrum. Reſpondeo 1. Patres qui ſic loquuntur, intelligere corpus Chriſti non nudè ſumptum, ſed coniunctum ſpeciebus conſecratis ſub quibus latet. 2. Patres aliter etiam loqui, & diſertè aſſerere ſpecies eſſe ſacramentum. Sic enim loquitur D. Auguſt. vel Lantfranc. aut quis alius author canonis, *Hoc eſt*, de Conſecrat. diſtinct. 2. vbi ait Euchariſtiam duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Chriſti carne & ſanguine: Sacramento & re ſacramenti. Et can. *Ego Berengarius*, eadem diſtinctione, coactus eſt à Patribus Concilii hæreticus ille fateri panem & vinum, quæ in altari ponuntur, non ſolùm ſacramentum, ſed etiam corpus & ſanguinem Chriſti eſſe. Nota, *non ſolùm Sacramentum, ſed etiam corpus & ſanguinem*: quæ diſtinctio eſſet falſa, ſi ipſum corpus & ſanguis ſola eſſent ſacramentum: eſſent autem ſola ſacramentum, ſi ſacramentum in recto pro illis ſolis ſupponeret. Illud enim ſolum eſt ſacramentum, de quo poteſt prædicari ſacramentum cum particula, eſt. Et Innocent. III. in cap. *Cum Marthæ*, de celebratione Miſſarum, dicit ſpecies viſibiles eſſe ſacramentum tantùm. In omnibus autem aliis ſacramentis id quod vocatur *Sacramentum tantùm*, pertinet ad rectum ſignificatum ſacramenti, vt patebit inductione: ergo & in Euchariſtia. Cyprianus quoque, vel quis alius eius contemporaneus author libri de Cardinal. Chriſti operibus, in ſermone de Cœna Domini, prope initium, ſic habet: *Panis iſte quem diſcipulis Dominus porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Dei factus eſt caro. Et ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita in ſacramento viſibili inuiſibiliter diuina ſe infudit eſſentia.* vbi per viſibile ſacramentum, intelligit ſpecies ſenſibiles quibus eſſentia diuina Chriſti, cum natura eiuſdem humana, inuiſibiliter ſe infudit. Eodem ſenſu fatetur ipſemet Cardinalis Delugo num. 44. intelligendum eſſe illud Auguſt. epiſt. 23. ad Bonifacium, vbi poſtquam oſtendit nomen rei ſignificatæ tribui interdum ipſi ſigno: ſic ait, *Sicut ergo ſecundum quendam modum Sacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt: Sacramentum ſanguinis Chriſti: ſanguis Chriſti eſt: Ita ſacramentum fidei, fides eſt.* Fatetur, inquam, Auguſtinum ibi nomine ſacramenti intelligere ſpecies ſolas panis & vini in recto. Et quod grauius eſt, Concil. Trident. ſeſſione 13. capite 3. initio ſic ait: *Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris ſacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis formæ formam viſibilem.* Itaque ex doctrina Concilii Tridentini Euchariſtia in recto eſt ſignum ſenſibile & viſibilis forma inuiſibilis gratiæ. At corpus & ſanguis Chriſti ſola, prout ſunt inuiſibiliter in ſacramento Euchariſtiæ, non ſunt forma viſibilis & ſignum ſenſibile: ergo Euchariſtia plus dicit in recto, quàm corpus & ſanguinem Chriſti.

Cyprian. Delugo. Auguſt.

Confirmatur, quia in omnibus aliis ſacramentis materia & forma ſignificantur in recto, vt fatetur auctor ſupra citatus, numero trigeſimo tertio. Nulla autem eſt ratio aliter ſentiendi de Euchariſtiæ ſacramento. Neque enim vrget quod ipſe ait numero quadrageſimo primo, Corpus Chriſti ſe habere quaſi ſuppoſitum reſpectu ſpecierum, quia ſuccedit ſubſtantiæ panis in munere ſuſtentandi: ſicut ergo alia nomina ſignificantia compoſitum ex ſubſtantia & accidentibus, ſupponunt pro ſuppoſito ſeu pro ſubſtantia: & in obliquo ſignificant accidentia quæ tali ſubſtantiæ inhærent: ſic, &c. Reſpondeo enim minorem propoſitionem non eſſe veram de nominibus artefactorum, quæ in recto ſupponunt etiam pro forma artificiali, æquè 37.

ac pro materia, vt domus, statua, scamnum, & similia. Sacramentum autem est quoddam artefactum morale.

38. *Actio transubstantiatiua nõ est de ratione intrinseca sacr. Euch.* 2. Idem author disput. cit. sect. 6. docet actionem transubstantiatiuam, id est, actionem quâ ponitur corpus Christi sub speciebus loco panis, & ex vi cuius desinit esse substantia panis, esse de ratione intrinseca sacramenti Eucharistiæ. Quia, inquit, illa actio est vnio corporis Christi cum speciebus. Quare sicut ad conceptum hominis pertinet intrinsecè vnio materiæ cum forma: sic etiam in Eucharistia vnio corporis Christi cum speciebus pertinet intrinsecè ad conceptum sacramenti. Notat autem actionem illam posse dupliciter considerari: nempe vel sub ratione primæ positionis; vel sub conceptu conseruationis corporis Christi sub illis accidentibus. Quæ quidem actio dat semper eandem denominationem, scilicet corpus Christi esse vnitum vel quasi vnitum speciebus: Hæc enim denominatio prouenit non ab aliqua vnione vera, quâ species informent corpus Christi; sed ab vnione effectiua, quâ Christus in genere causæ efficientis sustentat accidentia. Ergo actio ista debet intrinsecè pertinere ad conceptum Eucharistiæ, non solùm vt via ad eius productionem: sed etiam vt vnio vel quasi vnio corporis Christi cum accidentibus. Hæc ille.

39. Cuius doctrinæ opponi potest primò, Actionem quâ aliquid fit, aut conseruatur, non esse de illius essentia, seu ratione intrinseca, sed præsupponi illius essentiæ & rationi intrinsecæ, quippe tanquam id, vi cuius ponitur res secundum essentiam suam & rationem intrinsecam: & à quo pendet tanquam ab exercitio & influxu agentis, seu tanquam à potentia actiua se exercente, & ponente effectum. Actio autem transubstantiatiua est actio quâ fit & conseruatur Eucharistia: ergo, &c. Secundò, Non esse de ratione intrinseca, vel de essentia Eucharistiæ aliam vnionem, quàm moralem coniunctionem corporis Christi & specierum, id est, præsentiam intimam vtrorumque, inseparabilem ex Dei ordinatione, quamdiu species manent incorruptæ: quatenus Deus statuit tamdiu conseruare sub illis corpus Christi. Actio verò physica, quâ corpus Christi sustentet accidentia, meo iudicio est impossibilis, cùm Eucharistica accidentia non sustententur aliter quàm actione creatiua, quæ actio superat potentiam obedientialem creaturarum. Et quamuis non esset impossibilis; esset tamen non necessaria ad essentiam & conceptum sacramenti: & multiplicaret miracula sine necessitate. Idémque dico de alligatione corporis Christi ad species, ortâ ex vi quam habeant species ad trahendum secum corpus Christi, quæ vis sit qualitas supernaturalis indita speciebus, vt idem author affirmat numero 99. Illa enim vis & qualitas ponitur sine fundamento sufficienti, ad multiplicanda miracula sine necessitate, potestque sine illa sufficienter concipi sacramentum Eucharistiæ, modò concipiatur constitutum ex speciebus consecratis & corpore ac sanguine Christi, existente sub illis per modum cibi & potus sacri, ad spiritalem refectionem ordinati. Quod autem diuinitas sustentet actiuè accidentia Eucharistica, est extrinsecum & logicè accidentarium sacramento per se considerato; neque diuinitas est in sacramento vi verborum, sed tantùm per concomitantiam. Multóque minùs eius actio conseruatiua accidentium, hoc est, ipsamet Dei potentia vt sustentans accidentia, est intrinseca sacramento.

SECTIO V.

An sacramentum Eucharistiæ sit vnum vel plura specificè?

Sensus quæstionis est, An duæ species consecratæ, vna panis, & altera vini, constituant vnum specie Sacramentum? An verò sint plura specie diuersa sacramenta totalia? Respondeo, esse plura partialia specie diuersa, & constituentia vnum specie totale sacramentum Eucharistiæ, ad quod moraliter ordinantur vi institutionis. Ratio primæ partis est, quia species consecratæ panis & vini sunt per se seorsim & sigillatim signa practica gratiæ, per modum cibi & potus spiritalis: differuntque specificè; quia est alia materia & forma cibi, & alia potus illius spiritalis: quorum vterque per se seorsim ac solus significat & efficit gratiam in modum nutritionis. 40. *Est plura sacram. partialia specie diuersa.*

Secunda verò pars probatur, quia sacramentum Eucharistiæ est institutum in genere conuiuii, seu refectionis spiritalis, vt patet ex illis Christi verbis Ioannis sexto, *Caro mea vere est cibus*, &c. Vnde in officio diuino de sanctissimo Sacramento, vocatur, *Sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia*, &c. Ad perfectum autem conuiuium, seu refectionem integram, requiritur cibus & potus, quibus fames & sitis expleatur. Quare sicut cibus & potus materiales constituunt vnum conuiuium materiale, tanquam partes ad moralem illius constitutionem necessariæ: Ita cibus & potus Eucharisticus constituit vnum totale sacramentum Eucharistiæ, institutum velut conuiuium spiritale. Idque vi diuinæ institutionis, quæ hoc sacramentum ad animæ refectionem perfectam ordinauit. 41. *Est vnum specie integrum & totale.*

In hunc sensum accipe quod ait Diuus Thomas Quæstionis septuagesimæ tertiæ articulo secundo, vbi docet, sacramentum Eucharistiæ esse multa materialiter, id est, constare partibus diuersis, quæ sunt multa sacramenta partialia seorsim 42.

significantia & efficientia gratiam. Esse verò vnum formaliter & perfectiuè, in quantum ex eis perficitur vna refectio, vt ait ib. ad 2. id est, partes illas concurrere ad vnum perfectum & integrum sacramentum perfectæ refectionis constituendum, quod sine illis non esset integrum & perfectum. Quemadmodum enim domus integratur ex partibus necessariis ad inhabitandum: sic conuiuium, ex cibo & potu necessariis ad perfectè reficiendum. Quæcunque autem requiruntur ad constitutionem vnius perfecti sacramenti, & sine quibus non esset perfectum sacramentum, dicuntur vnum vnitate sacramenti, siue vnum sacramentum.

Refellitur prima sententia contraria.

Contrarium sentit Gabr. in 4. distinct. 8. quæst. 2. art. 2. conclus. 2. affirmans species consecratas panis & vini non esse vnum sacramenti vnitate. Ratio eius est, quoniam alioqui laicus recipiens corpus solum sub specie panis non acciperet integrum sacramentum. Addi 2. potest Patres & Ecclesiam sæpius vocare sacramenta in plurali, vtramque speciem consecratam panis & vini. 3. Ad perfectum sacramentum nouæ legis requiri & sufficere vt sit seorsim & separatim signum efficax gratiæ ex opere operato. Si ergo verum est non solùm species panis & vini coniunctim, sed etiam seorsim esse signa efficacia gratiæ: ergo tam diuisim, quàm coniunctim erunt sacramenta perfecta, saltem essentialiter: quamuis alioqui possint conuenire ad componendum vnum quoddam totale sacramentum aliquatenus perfectius integraliter, aut etiam essentialiter, constans ex vtroque.

43. Ad primum Respondeo, Laicum accipere integrum Christum: sed non accipere integrum signum sensibile, neque integrum sacramentum. An verò accipiat integrum effectum perfectæ nutritionis dicemus alibi. Ad secundum Respondeo, Sæpius quoque Patres & Ecclesiam vocare vtramque speciem sacramentum in singulari. Cur autem etiam in plurali, ratio triplex est. 1. Quia sunt multa sacramenta partialia. 2. Quia sunt sacra signa rerum diuersarum, quas vi verborum continent, nempe corporis & sanguinis Christi. 3. Quia Patres & Ecclesia quando Eucharistiam vocant sacramenta, loquuntur de multis totalibus sacramentis numero diuersis, & perceptis à variis fidelibus. Vnde ille loquendi modus ab Ecclesia solet vsurpari in postcommunione, in qua sacerdos pro sua & aliorum communione Deo gratias agit. Ad 3. Dico requiri ad perfectum sacramentum nouæ legis vt sit signum & causa gratiæ secundum perfectam quandam rationem in eo genere in quo institutum est. Quemadmodum Baptismus est signum & causa gratiæ secundum perfectam rationem regenerationis, & Confirmatio secundum rationem corroborationis athleticæ. Eucharistia verò secundum vnam speciem non est signum & causa perfectæ nutritionis seu refectionis, sed tantùm illius quæ ex solo cibo, vel ex solo potu prouenit. Vnde est quid imperfectum in ratione illius sacramenti quod ad integrè reficiendum institutum est, & ex vi institutionis debet cum alia specie constituere integrum sacramentum, quod sit signum & causa integræ ac perfectæ refectionis.

Contrarium quoque sentiunt eruditi quidam recentiores, qui docent primò Eucharistiam sub vnica specie, esse verum, & integrum, ac perfectum sacramentum nouæ legis. Quod probant 1. quia contraria sententia est contra sensum communem fidelium, qui communicantes sub sola specie panis, credunt se sumere perfectum aliquod, & integrum sacramentum. 2. Quia Trident. sess. 21. cap. 3. sic habet: *Fatendum est sub altera tantum specie totum, & integrum Christum, ac verum sacramentum sumi.* Sed omne verum sacramentum, est etiam integrum, & perfectum: nam verum & bonum conuertuntur cum ente, si per bonum intelligatur perfectum substantialiter. Itaque quod est verum sacramentum, est etiam integrum, & perfectum. 3. Quia panis Eucharisticus, separatim à calice sumptus, est res sensibilis, ex institutione diuina significans, & causans gratiam iustificantem ex opere operato. At hæc est vera definitio sacramenti. Ergo pani Eucharistico conuenit integra definitio sacramenti nouæ legis, ac proinde est integrum sacramentum. Neque dicas requiri vt sit perfectum signum & causa gratiæ, secundum perfectam quandam rationem in eo genere, in quo institutum est sacramentum. Nam ordinatio sacerdotis non est perfectum signum, & causa, in genere ordinationis: neque habet quidquid in illo genere institutum est à Christo, putà gratiam, & potestatem ordinis Episcopalis: & tamen est integrum sacramentum distinctum ab ordinatione Episcopi, vel Diaconi. 4. Denique nisi panis Eucharisticus esset integrum sacramentum, non potuisset Ecclesia prohibere laicis vsum calicis: quia non habet potestatem in substantiam sacramentorum, id est, neque potest ea instituere, aut substantialiter immutare: neque etiam potest generatim interdicere & abolere alicuius sacramenti vsum per suam prohibitionem, neque detruncare fidelibus. 44.

Secunda sententia nostrę contraria.

Docent secundò, Eucharistiam sub specie panis esse essentialiter totum sacramentum Eucharistiæ: ita vt Eucharistia sub vtraque specie collectiuè habeat quidem aliquam diuersitatem materialem; sed non in iis, quæ diuersitatem specificam formaliter inducunt in sacramenta. Quæ assertio est diuersa à præcedenti. Nam sacerdotium v. g. est integrum, & verum, ac perfectum sacramentum nouæ legis: & tamen non est integra, & tota ordinatio sacramentalis, differt enim essentialiter ab ordinatione Episcopi: & qui recipit solum ordinem sacerdotalem, non potest dici recepisse totam ordinationem sacram, quæ est sacramentum in Eccle- 45.

Altera pars eiusdem sententiæ.

sia. Probant autem hanc secundam assertionem, 1. Quia sacramenta distinguuntur formaliter per significationem, & efficaciam diuersæ gratiæ sacramentalis: Vbi enim est vnius gratiæ efficacia, & significatio, quamquam res subiectæ illi efficaciæ, & significationi, sint physicè diuersæ, non est tamen diuersum specie sacramentum: puta sub diuersis verbis, græcis, aut latinis: vel sub ritu ordinationis diuerso inter Græcos, & Latinos. Atqui non est diuersa gratia sacramentalis, alia ex pane, alia ex calice Eucharistico. Neque enim par est conditio refectionis spiritualis, & refectionis corporeæ, vt quemadmodum ista distinguitur in duas specie diuersas, alteram cibi, alteram potus; ita etiam refectio spiritualis distinguatur in duas: vt patet ex eo quòd vnus, & idem est appetitus iustitiæ, per quem dicimur esurire, & sitire iustitiam Matth. 5. Ergo & vnius iustitię impletione sub eadem formali ratione, fames & sitis expletur. Ergo refectio spiritualis non distinguitur in manducationem, & potum. Similiterque fruitio diuinæ essentiæ, quæ est consummata refectio, sub eadem ratione formali vtrumque munus implet cibi, & potus: & aliquando nomine cibi significatur, vt Luc. 14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*: aliquando nomine potus, vt Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*: aliquando vtrumque coniungitur, vt Ioan. 6. vbi Christus sic ait: *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet: Et qui credit in me, non sitiet in æternum*: insinuans sub sola specie panis esse vtramque refectionem, & extingui famem, & sitim. Eodem argumento vtitur Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 22.

46. **Confirmatio illius sententiæ.** Probant secundò, Quia alioquin Ecclesia non potuisset prohibere laicis vsum calicis: sicut non posset prohibere fidelibus hanc aut illam ordinationem, & præcipere, vt vna solùm contenti essent, si omnes essent à Christo omnibus, & singulis expositæ. Tertiò, nisi maneret integritas essentialis totius sacramenti Eucharistiæ, etiam dempto calice, Ecclesia sustulisset sacramentum omnibus conueniens in sua integritate essentiali. At hoc Ecclesia profitetur non esse in sua potestate: & cum aliquid variat in administratione sacramentorum, supponit non tolli fidelibus, nec diminui essentialiter sacramenta. Ita Concil. Trident. sessione 21. cap. secundo, approbans constitutionem Concilii Constantiensis prohibentem vsum calicis, dicit se velle illam haberi pro lege: quia semper ea fuit in Ecclesia potestas, vt in sacramentorum dispensatione, saluâ eorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, & venerationi sacramentorum, pro rerum, locorum, ac temporum varietate magis expedire iudicauerit. Quibus verbis Tridentinum agnoscit Ecclesiam debere saluam substantiam sacramentorum seruare. Quod est intelligendum etiam quoad vsum. Tum quia alioqui saluatio merè speculatiua parui momenti esset. Tum etiam quia Trident. hoc dicit contra calumniam hæreticorum accusantium Ecclesiam, quòd arcens laicos à communione calicis, non præbeat illis integra sacramenta, sicut à Christo sunt instituta. Cùm ergo Trident. ad hanc calumniam refellendam dicat Ecclesiam, prohibentem vsum calicis, saluare substantiam sacramenti integram, & dumtaxat dispensare in aliis: sine dubio supponit manere integrum in substantia sacramentum Eucharistiæ sub sola specie panis. Atqui hoc non esset, si sub vtraque specie esset diuersum substantialiter, & plenius sacramentum integritate specificè diuersa.

Quartò denique idem probant ex comparatione Eucharistiæ, cum sacramento Baptismi: quod cùm olim, solemnius saltem, semper administraretur per immersionem, non per aspersionem solam: quia tamen ægri, & infirmi, dispensatione quadam Ecclesiæ, baptizabantur aspersione, Cyprianus loquens de hac consuetudine lib. 4. epist. 7. sic ait, *Existimamus in nullo mutilari, & debilitari posse beneficia diuina: nec minus aliqui illis posse contingere, &c.* At similiter SS. Patres, qui sola aspersione ægros baptizabant, eosdem sub specie panis sola communicabant, vt patet ex communione Serapionis, miraculo etiam comprobata, apud Euseb. lib. 6. hist. Eccles. c. 36. Item deferebant secum Eucharistiam sub sola specie panis, vt in periculis possent eam sumere, quemadmodum colligitur ex Ambr. in oratione de obitu Satyri fratris. Sed in nullo credebant se posse mutilare, vel debilitare beneficia diuina, atque adeo, quando baptismus conferebatur per aspersionem, in eo consummari, ac perfici baptizatos, & totam Christi gratiam consequi. Ergo etiam putabant se, quando porrigebant Eucharistiam sub sola specie panis, non mutilare, aut debilitare beneficium Eucharistiæ: quam cum dico, totius beneficentiæ diuinæ fontem aperio. Hæc illi, quibus non est difficile satisfacere. 47. Euseb.

Ad primum argumentum, pro priori assertione propositum, Respondeo communem sensum fidelium, non esse alium, quàm communem sensum Theologorum, qui fere omnes cum D. Thom. quæst. 73. art. 2. in cor. docent sacramentum Eucharistiæ, non esse integrum, & perfectum, nisi constet vtraque specie. Quia, vt rectè ait ibi D. Thom. Vnum in perfectione, siue perfectum & integrum, est illud, ad cuius integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem eiusdem. Atqui cibus, & potus sacer requiruntur ad finem sacramenti Eucharistiæ: ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur: scilicet cibus, qui est alimentum siccum: & potus, qui est alimentum humidum. Et ideo 48. **Respondetur primo illius argumento.**

tiam ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus: & spiritualis potus, secundum illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Credunt verò præterea fideles se sumere sub vna specie totum & integrum sacramentum, quoad rem præcipuè significatam, id est, quoad Christum: & quidquid ad implendum communicandi præceptum necessarium est, sufficiensque ad spiritualem animæ nutritionem, nullaque gratia necessaria ad salutem defraudari eos, qui vnam speciem solam accipiunt, vt ait Trident. eodem cap. 3. sess. 21. siue tantum gratiæ accipiam per vnam speciem, quantum per vtramque, de quo variæ sunt Theologorum sententiæ.

49. Diluitur secundum. Ad secundum Respondeo, Tridentinum non sine causa hæc duo distinxisse, sumi sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, sumique verum sacramentum. Non sine causa, inquam, de Christo dixisse, sumi totum & integrum Christum: de sacramento verò nequaquam, sed duntaxat, sumi verum sacramentum, id est, verum signum efficax gratiæ sanctificantis: qua de causa sic infert verbis immediatè sequentibus. *Atque propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt.* Est autem verum eiusmodi signum, quamuis non sit totum, & integrum sacramentum, à Christo institutum vt perfectum conuiuium ad reficiendum integrè per modum cibi, & potus: sed dumtaxat sit vna pars illius sacramenti, & signum efficax solius refectionis per modum cibi, si loquamur de Eucharistia sub specie panis: aut per modum potus, si loquamur de illa sub specie vini. Quare falsum est quòd omne verum sacramentum, quocumque sensu, id est, verum signum efficax, sit etiam integrum, & perfectum. Non enim est integrum, si desit aliquid, quod ad eius perfectionem, & integritatem necessarium est. Atqui, vt vidimus supra ex Diuo Thoma tale aliquid deest Eucharistiæ, quando deest altera species necessaria ad significandam, & efficiendam integram refectionem spiritualem, qui est finis sacramenti Eucharistiæ.

50. Verum & bo. & quomodo conuertuntur. Ad id verò quod additur in obiectione, verum & bonum conuerti cum ente, si per bonum intelligatur perfectum substantialiter: adeoque si Eucharistia sub vnica specie est verum sacramentum, est etiam totum, & perfectum sacramentum: Respondeo, *Verum* conuerti cum bono, & cum ente, proportionaliter: ita vt vnumquodque intantũ sit verum, & bonum, siue perfectum, inquantum est ens. Atque ita Eucharistia sub specie panis, quàm est verum sacramentum, id est, signum efficax refectionis spiritualis per modum cibi: tam est perfectum, & totum signum talis refectionis partialis. Sed non est absolutè totum, & perfectum sacramentum Eucharistiæ, institutum ad reficiendum integrè per modum cibi, & potus: quia non est signum efficax vtriusque refectionis, sed vnius dumtaxat. Porro sicut ens abstractè sumptum tam dicitur de parte, quàm de toto: Ita verum, & bonum, quæ velut eius proprietates cum illo conuertuntur, æquè dicuntur de parte, & de toto. Vnũquodque enim, siue sit totum, siue pars, est verè id quod est, & est totum id quod est. Sed non propterea est totum simpliciter, vel totum id, cuius est pars. Itaque licet Eucharistia sub specie panis sit verè id quod est, & totum id quod est, id est, sit verum signum efficax gratiæ per modum cibi, & sit totum illud signum: non tamen est simpliciter totum sacramentum Eucharistiæ, institutum ad perfectè reficiendum per modum cibi & potus: sed pars dumtaxat illius sacramenti, & conuiuii spiritalis.

Ad tertium Respondeo, Definitionem sacramenti nouæ legis bene intellectam non conuenire perfectè & integrè pani Eucharistico, præcisè sumpto ab altera specie: quia, vt supra diximus, debet intelligi de signo perfecto in genere institutionis sacramenti, & habente omnia requisita ad finem proximum, propter quem institutum est: quippe sine quibus non est integrum sacramentum, vt dixit S. Thom. verbis supra relatis ex art. 2. quæst. 73. Neque obest instãtia aduersariorum de ordinatione sacramentali. Nam quælibet ordinatio sacramentalis, purà sacerdotium, habet quidquid ad finem illius proximum requisitum est; id est, ad constituendum perfectum sacerdotem, habentem potestatem ordinis ad consecrandum corpus & sanguinem Christi, & absoluendum à peccatis. Sumendo integrè sacerdotium pro vtraque ordinatione partiali, quã separatim confertur potestas consecrandi, & absoluendi à peccatis: ex qua duplici ordinatione constituitur integrum sacramentum ordinis sacerdotalis, sicut ex duplici specie eucharistica constituitur integrum sacramentũ Eucharistiæ. Quod verò supra sacerdotium detur ordo superior Episcopatus, est impertinens ad sacerdotium, & ad finem proximum illius: ita vt non officiat eius integritati. Sicut in ciuili repub. non desinit esse integra ordinatio, seu constitutio præsidum, ducum, præfectorum; licet vlteriùs detur ordinatio superiorum potestatum. 51. Soluitur tertium arg.

Quartum argumentum est idem cum tertio sequentis assertionis aduersariorum, illique satisfiet paulò post. Ad istius autem secundæ assertionis argumentum primum respondeo non esse vnicam, & eandem refectionem sacramentalem gratiæ, ex cibo, & potu Eucharistico, sed diuersam, respondentem analogicè refectioni corporali per panem confortantem, & per potum vini lætificantis cor hominis. Quamuis enim eadem sit gratia habitualis, quæ famem, & sitim spiritualem explet, quæque eadem præstat regenerationem, corroborationem, reconciliationem, & alios effectus reliquorum 52. Non est eadem refectio cibi & potus sacri.

sacramentorum: idémque etiam sit appetitus illius gratiæ in actu primo, qui est anima ipsa rationalis, obedientialiter capax eam recipiendi: potest tamen diuersimodè dari per analogiam ad diuersos effectus materiales: potestque etiam appeti in actu secundo, id est, appetitu elicito, diuersis actibus, prout analogicè huic aut illi effectui materiali respondet. Atque ita sicut dari potest, & appeti ad finem, & effectum regenerationis spiritualis per baptismum, & corroborationis per Confirmationem, &c. Ita similiter dari potest, & appeti per modum cibi confortantis sub specie panis Eucharistici, & per modum potus lætificantis sub specie vini, cum iure, & ordine ad auxilia illi fini proportionata: sicut in aliis sacramentis datur gratia habitualis, cum ordine, & iure aliquo ad auxilia fini cuiusque proprio conuenientia: qua de re plura dicemus dispur. 34. sect. 3. Interea aduerte in verbis relatis ex Ioan. 6. Christum non loqui de pane Eucharistico, de quo tantùm incipit loqui à versu 52. illius capitis, vt dicemus inferiùs disp. 30. sect. 6. n. 37. & fusiùs probant Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 179. cap. 4. & Iaub. de Barrault parte 3. Clypei cap. 30.

Vasq.

Barr.

53. Ad secundum Respondeo, Sicut Ecclesia iustis de causis prohibuit sacramentum matrimonii omnibus ordinatis maioribus ordinibus, aut voto solemni castitatis adstrictis, ita vt ne validè quidem contrahere illud possint absque dispensatione, propter Ecclesiæ constitutionem non modò prohibentem, verùm etiam irritantem: & à sacramento ordinationis arcet omnes bigamos, spurios, deformes, & alio quouis modo irregulares: quamuis matrimonium, & ordinatio, secundum Christi institutionem fuerint omnibus exposita, id est, Christus non interdixerit supradictis sacramentum ordinationis, aut Matrimonii, à quo tantum prohibentur ratione voti, aut constitutionis Ecclesiasticæ: ita potuit ob similes causas prohibere non omnibus quidem fidelibus, sed laicis & non sacrificantibus, vsum calicis: licet Christus illum omnibus exposuerit, id est, laicis non prohibuerit.

54. Quomodo intelligendum Ecclesiam non posse mutare substãtiam sacramentorum.

Ad tertium Respondeo, Ecclesiam non posse quidem mutare substantiam sacramentorum, instituendo alia, vel faciendo vt ea, quæ sunt à Christo instituta, non sint ampliùs talia, vel substituendo aliam materiam, & formam loco illius, quæ à Christo determinata fuit: neque etiam posse facere contra Christi præceptum quoad illorum vsum, priuando fideles omni illorum vsu, vel etiam aliquo necessario necessitate medii, vel præcepti. In quem sensum debet intelligi Trident. loco cit. ab aduersariis: non autem quòd non possit aliquos fideles iustis de causis prohibere ab aliquo eorum vsu, vel ab aliqua eorum parte, cuius receptio, neque est medium necessarium ad salutem, neque à Christo præcepta fuit. Euidens enim est Ecclesiam priuantem laicos vsu calicis, priuare aliquo pertinente ad integritatem conuiuii perfecti Eucharistici, à Christo instituti sub vtraque specie: ita vt qui vnicam recipit, non recipiat quidquid à Christo in Eucharistia institutum fuit, id est, totum signum sacramentale, sed tantùm vnam illius partem, quæ non plus habet significationis sacræ, & efficacis, quàm altera, iuxta Christi institutionem. Quare Tridentinum id non negat, neque negare potuit hæreticis Ecclesiam calumniantibus: sed affirmat dumtaxat, contra id, in quo consistit calumnia hæreticorum, Ecclesiam non facere contra institutionem, & præceptum Christi, qui non adstrinxit omnes fideles suo statuto ad vtramque speciem accipiendam, sed potiùs variis Scripturæ locis significauit vnam sufficere, vt dicit Trident. cap. 1. eiusdem sess. 21. Neque etiam facere supra potestatem sibi à Christo datam: quippe qui concessit Ecclesiæ vt in sacramentorum administratione, saluâ illorum substantiâ, modo suprà dicto, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret, vt ait initio cap. 2. & probat ex Apostolo 1. Corinth. 4. & 2. Corinth. 6. Neque etiam denique præiudicare saluti fidelium; quippe qui sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum sumunt, verúmque sacramentum: ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria defraudantur, vt addit cap. 3.

Ad quartum Respondeo 1. Cyprianum id non dicere tanquam certum ex communi Patrum consensu, vt volunt aduersarii, aut certa traditione: sed velut sensum suum priuatum, quem cum modestia, & formidine proponit. Sic enim habet loco citato, id est, lib. 4. epist. 7. alias epistola 76. num. 38. *Quæsiuisti etiam, fili carissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate, & languore gratiam Dei consequantur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quòd aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Qua in parte nemini verecundia & modestia nostra præiudicat, quo minùs vnusquisque, quod putat, sentiat, & quod senserit, faciat. Nos, quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari, & debilitari posse beneficia diuina, nec minus aliquid illic posse contingere, vbi plena, & tota fide & dantis, & sumentis accipitur, quod de diuinis muneribus hauritur.* Et in fine eiusdem epistolæ: *Rescripsi, fili carissime,* inquit, *ad litteras tuas, quantum parua nostra mediocritas valuit, & ostendi, quia nos, quantum in nobis est, sentiamus, nemini præscribentes, quò minùs statuat, quod putat vnusquisque Præpositus.* 55. Explicatur locus Cypriani.

Respondeo 2. Cyprianum eodem loco supponere totam essentiam & institutionem baptismi saluari in aspersione, seu perfusione, cum verbis legitimis formæ, æquè ac in mersione: vt patet ex eadem epistola, in qua pluribus argumentis id probat. Vnde rectè concludit aspersos tantumdem gratiæ reci- 56.

pere, & non minùs integrè Christianos fieri, quàm immersos: quia, vt addit paulò post verba initio relata, *In sacramentis salutaribus, necessitate cogente, & Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus conferunt diuina compendia*, id est, essentialia sacramenti à Deo instituta, & paucis contenta, omissis cerimoniis, & additamentis accidentalibus. Ex quo potiùs per argumentum à contrario, inferri potest, quòd non totum conferunt, nisi integrè sumantur diuina compendia, id est, nisi sumatur, quidquid est de integritate sacramenti, prout à Christo institutum fuit. Est autem manifestum Eucharistiæ sacramentum mutilari, seu minui aliquo modo, & non sumi totum, & integrum beneficium diuinum à Christo institutum, & collatum in Eucharistia, quando non sumitur sanguis sub speciebus Eucharisticis: quia sacramentum illud prout constat sanguine Christi, sub specie vini, est aliquod beneficium diuinum à Christo nobis collatum in Eucharistia, distinctum ab altera eius parte, id est, à corpore sub specie panis: quod beneficium non accipiunt laici communicantes sub sola specie panis. Quare licet rectè senserit Cyprianus non mutilari, & debilitari beneficium & gratiam baptismi, eo quòd fieret per aspersionem, & non per immersionem; quia ad illius substantiam, & efficaciam, Christus non aliud requisiuit, neque instituit, quàm ablutionem, quæ alterutro modo fieri potest, & alterutro indifferenter ab initio Ecclesiæ per Apostolos ipsos facta fuit (cum enim verbi gratia Petrus Apostolus tria hominum millia baptizauit eodem die, post habitam longam concionem, quâ eos ad conuersionem, & baptismum induxit Act. 2. non potuit tam breui tempore tantam hominum multitudinem aquis immergere) contrà tamen Eucharistia fuit instituta sub vtraque specie, in modum integri, & perfecti conuiuii cibo, & potu constantis, ad perfectam refectionem animæ. Quare qui alteram tantum speciem sumunt, non sumunt quidquid à Christo institutum est: quamuis ab initio Ecclesiæ vsus fuerit, vt quando fideles non poterant commodè vtramque speciem, & refectionem sumere, alteram, quæ faciliùs sub specie panis dari potest, acciperent: neque vnquam crediderint vtramque esse non sacrificantibus necessariò accipiendam ex necessitate præcepti. Qua de re plura dicemus inferiùs, cùm de præcepto communicandi disputabitur.

SECTIO VI.

An, & quomodo sacramentum Eucharistiæ sit vnum, vel plura numericè?

57. Sacramentum Euch.

Circa vnitatem sacramenti Eucharistiæ quæritur 2. An, & quomodo sacramentum Eucharistiæ sit numero multiplex? Respondeo esse numero multiplex, propriè, & philosophicè loquendo, quando species consecratæ panis, & vini multæ sunt, nisi per modum vnius refectionis sumantur, & ad vnum numero conuiuium ipso vsu ordinentur: tunc enim licet materialiter: & physicè multa sint; moraliter tamen vnum censeri debent, & per modum vnius operantur. (quomodo vnum num.)

Ad quod probandum Nota primò. Vnum dici non modò id, quod est simplex & indiuisibile, aut quod ex multis partibus physicè vnitis compositum est; sed etiam id, quod licet multis constet entitatibus disiunctis, habet moralem quandam & artificialem coniunctionem, qualis scilicet ad perfectionem vel finem talis artefacti sufficere censetur. Sic oratio dicitur vna, quia constat multis vocibus ita connexis, vt ad vnum sensum, & bene cohærentem, significandum aptæ sint: & exercitus dicitur vnus, quia constat militibus, signiferis, ducibus, variisque præfectis, cum quadam subordinatione & proportione, quæ ad bellum ordinatè gerendum apta sit: & domus est vna, quia constat variis rebus ad commodam habitationem dispositis. Et in vniuersum, cùm ens & vnum conuertantur; multa possunt constituere vnum, quo pacto constituunt ens: nempe aliquid quod ex illis componatur, & sine illis non sit, quodque sit indiuisum & indiuisibile in multa tota, quale & quantum ipsum est. Et hoc vnum ita ex multis compositum valere potest ad aliquid, ad quod partes seorsim sumptæ non valent. Vt parietes cùm tecto valent ad aëris iniurias arcendas: cibus & potus, ad integram nutritionem: exercitus, ad consequendam victoriam. (Vnum multipliciter constituitur.)

58. Nota secundò, Vt aliquid propriè & philosophicè dicatur vnum in aliquo genere, debere rationem, ob quam dicitur vnum, sumi ex aliquo pertinente ad illud genus. Nam vt rectè aduertit Vasq. disput. 168. cap. 2. num. 13. Concursus moralis plurium rerum ad constituendum vnum sacramentum, vel aliquid artificialiter vnum, non est pro sola voluntate censendus; sed iudicari debet ex aliquo constituto, ex quo vnitas artificialis sumi debet. Ita vt tunc multa dicantur ad vnum concurrere, quando ex illis fit vnum in eo genere. Quare cùm Eucharistiæ sacramentum sit institutum in genere conuiuii, per modum cibi & potus sacri; vnitas eius artificialis sumi debet ex aliquo pertinente ad rationem conuiuii, ita vt eius partes concurrant ad vnum quid in eo genere constituendum. Cætera verò impertinentia ad rationem conuiuii, sicut non faciunt ad eius esse in eo genere, ita neque ad vnitatem. (Vnum artificiale quomodo constituatur.)

Nota tertiò, Moralem vnitatem rerum artificialium non esse adeò constantem, quin possit facilè variari: ita vt ipsæ modò rationem partis, modò totius induant, & modò vnius, modò plurium, iuxta diuersam considerationem & acceptionem. Sic aliquot fercula seorsim apposita constituunt vnum totale conuiuium; apposita verò cum aliis (Vnitas rerum potest variari.)

constituant vnum cum illis. Sic duæ domus vnum per coniunctionem efficere possunt, & vna potest in duas diuidi. Sic etiam in Physica aqua, aquæ portiones diuisæ sunt duo continua totalia: coniunctæ vnum sunt.

59. His præmissis, probatur responsio: quia cùm species panis & vini consecratæ sunt multæ numero diuersæ, id est, sunt multæ species panis, & multæ species vini, non habent vnde censeri possint constituere vnum numero sacramentum, nisi sumantur per modum vnius refectionis aut conuiuii: aliquo enim species illæ sunt physicè & realiter diuersæ numero, & nihil habent pertinens ad rationem sacramenti, in quo vnitatem moraliter, id est, propter quod meritò censeantur constituere vnum sacramentum. Vnitas enim sacramenti sumi debet ex aliquo pertinente ad illud genus, in quo institutum est. At nihil est huiusmodi citra talem sumptionem, vt ostendemus refutando contrariam opinionem: ergo, &c.

Quòd tamen sufficiat sumi per modum vnius, vt quamuis aliquo sint multæ physicè, constituant moraliter vnum numero sacramentum, patet ex dictis de specifica vnitate. Quemadmodum enim plura sacramenta partialia, id est, plures species consecratæ, vna panis & altera vini, constituunt vnum specie sacramentum totale, quia componunt conuiuium vnum specie in genere moris & artefacti: pari ratione plures species consecratæ diuersæ rationis, vel eiusdem, censendæ sunt constituere vnum numero sacramentum, cum ordinantur ad vnam sumptionem, vel componunt conuiuium numero vnum moraliter.

60. Prima opinio contraria. Contrariam sententiam primò Vasq. disput. 198. cap. 2. num. 13. Et Marsil. cum secunda disput. 2. de Euchar. sect. 2. & 3. affirmantes tunc solum sacramentum Eucharistiæ esse vnum numero, quando est vnica species panis & vini seorsim, aut etiam duæ coniunctæ, vna panis & altera vini. Sicut enim ex his ipsis rebus specie inter se distinctis coalescit vna vnitas specifica integra & totalis: ita ex iisdem numero diuersis coalescere potest vnitas eiusdem numerica. At verò plura numero esse, quotiescunque species consecratæ panis & vini sunt diuisæ, & plures physicè: siue à diuersis, siue ab eodem simul sumantur. Siue ante consecrationem fuerint diuisæ, siue etiam post. Siue denique ab eodem, siue à pluribus consecratæ fuerint. Quia, inquiunt, in huiusmodi speciebus nihil est substantiale aut essentiale sacramento in genere suo, ex quo numericam vnitatem habere possint. Contra verò, est aliquid essentiale, ex quo plura censeri debent, nempe diuersa numero significatio & efficacia. Quælibet enim species habet suam significationem & efficaciam, potestque seorsim operari.

Refutatur. Sed contra, primò, Ex hac opinione sequeretur sacerdotem recipientem in eadem missa plures hostias, aut plures partes hostiæ diuisas, recipere plura sacramenta, & consequenter plures gratias. Nam plura sacramenta debent causare plures gratias. Respondet Vasq. plura quidem sacramenta recipi, sed non causare plures gratias: quia sumptio est conditio, sine qua non operantur, & quando sumptio est vna, limitantur ad vnum effectum. Sed contra: sumptio non est magis vna, quàm illæ hostiæ successiuè sumptæ. Physicè enim tam multiplex est. Si autem dicatur esse vna moraliter: idem de hostiis dici potest ac debet pari ratione. Deinde licet plures causæ totales simul applicentur subiecto capaci effectuum cuiusque illarum: hoc non impedit, quin suum quælibet operetur effectum. Atqui recipiens tot hostias est capax omnium effectuum cuiusque illarum, ergo, &c.

61. Secundò, Ad argumentum Vasquis Respondeo, non deesse aliquid substantiale, id est, non se habens per accidens & impertinenter, ex quo species illæ sortiri possint numericam vnitatem. Nam ad rationem sacramenti instituti in modum conuiuii, non est impertinens quòd illæ ordinentur ad vnum numero conuiuium vel sumptionem: quæ de specifica vnitate fatentur Vasq. cap. 1. & Marsil. sect. 1. disp. citatæ; patetque in proprio conuiuio.

Quomodo possit vnitas numerica ab vsu? Instabis cum Marsil. Sicut Eucharistia tota est ante vsum: ita ante eum suam iam habet vnitatem, aut distinctionem numericam. Neque verò Eucharistia, quæ ante vsum multiplica numero est, per vnum vsum, quo consumitur, vna numero fit. Tum quia vsus ei prorsus extrinsecus est. Vnitas autem eius numerica maximè est videri intrinseca. Vnde quamdiu repugnat Eucharistiam in suo esse constitui per vsum, tamdiu repugnat, eius vnitatem vsu, vnam numero fieri. Tum etiam quia certum est aliquando esse numero vnam ante vsum. Tunc autem vsus non est id, quod eam numero vnam esse facit: sed quiddam aliud, per quod toties vna numero esse debebit, quoties vna numero erit. Quia sicut quoties vna numero est, toties idem genus vnitatis numericæ habet: ita per idem vna numero constitui debet.

62. Soluitur instantia. Respondeo, Eucharistiam ante vsum habere suam vnitatem numericam physicam, quæ tamen potest cum aliis speciebus, ad eandem sumptionem relatis & simul sumptis, efficere vnum moraliter in genere conuiuii. Sicut multi cibi simul appositi, quantumuis physicè diuersi, constituunt vnum conuiuium; & simul sumpti faciunt vnam refectionem. Nec obest quòd Eucharistia non consistit in vsu, sed in cibo & potu sacro, præsupposito vsui, qui eatenus possit illi dici accidentarius logicè & extrinsecus. Nam hoc non impedit, quin moralis ordinatio, & applicatio actualis ad eundem vsum, det illi moralem vnitatem: quæ non consistit, vt physica, in solis intrinsecis; & in solis rei entitate secundum se sumpta prout in re est: sed considerata secundum æstimationem in

ordine ad aliquid, propter quod moraliter vnum censeri possunt ea, quae in seipsis physicè multa sunt & diuersa. Est ergo duplex vnitas vel diuersitas specierum Eucharisticarum. Vna physica, consistens in continuatione vel discontinuatione specierum, siue in indiuisione aut diuisione. Altera moralis, consistens in eo quod vnum numero conuiuium, seu refectionem vnam vel multiplicem constituunt, & per modum vnius moraliter se habeant. Prior illis conuenit ante vsum. Posterior ex vsu & applicatione ad vnam aut plures refectiones. Sicut enim per illas habent esse conuiuij ita & veritatem in genere conuiuij.

63\. *Altera instantia diluitur.* Vrgebis, quia inde sequeretur vnum numero sacramentum esse omnes hostias consecratas, quae à mille fidelibus simul ad sacram mensam accedentibus recipiuntur: quia tunc constituunt vnum numero conuiuium. Respondeo, per conuiuium hic quando dicimus eucharistiam fuisse per se institutam in genere conuiuij, nos intelligere conuiuium peculiare, seu refectionem integram vniuscuiusque priuatim. Est enim hoc sacramentum de numero eorum, quae per se pertinent ad vnitatem, id est, ad quemlibet singulariter perficiendum, vt baptismus, confirmatio, poenitentia, & caetera vocitat non ad multitudinem seu communitatem, vt ordo & matrimonium: quemadmodum

S. Thom. docet S. Thom. q. 65. art. 2. & confirmatur quia aliquin non posset missa priuata celebrari sacerdote solo communicante, si eucharistia esset per se instituta vt commune conuiuium. Deberet enim semper vt tale celebrari. Sicut non posset sub vna sola specie consecrari licitè, non modò quia perfectio sacrificij vtramque postulat: verum etiam quia de sacramenti huius integritate & perfectione est, vt sit integra refectio. Non posset enim licitè aliter confici, quàm eius integritas & perfectio per se requirit: licet possit imperfectè fieri à non celebrante.

64\. *2. Sententia dicens.* Secundò, sunt etiam qui existiment Sacramentum Eucharistiae esse vnum numero, quoties plures species sunt localiter coniunctae: vt quandò plurimae hostiae simul consecrantur, aut seruantur in sacra pixide. Sed illi magis secundum Vulgi sensum, quam philosophicè loqui videntur: localis coniunctio sola non sit aliquid pertinens ad genus Sacramenti Eucharistiae, ex quo eius vnitas specifica, vel numerica sumi possit.

Suar. 3. Sententia. Tertiò, Suarez disputatione trigesima nona, sectione quarta, probabilius putat omnes species consecratas, vbicunque & quomodocunque sint, esse vnum numero sacramentum. Primò, quia si Verbum diuinum assumeret plures humanitates, esset tamen vnicus homo. Ergo similiter Christus assumens quodammodo plures species, constituit cum illis vnicum Sacramentum. Secundò, Apostolus 1. Corinth. 10. ait fideles omnes esse vnum corpus, quia de vno pane participant: nimirum de vno numero pane, sicut sunt vnum numero corpus Ecclesiae morale & mysticum. Tertiò, Ambrosius cap. 10. Epistolae ad Hebraeos dicit vnicam esse hostiam, & non multas, quam Christus obtulit, & omnes offerunt Sacerdotes. Addit Modernus quidam qui hanc sententiam amplectitur disp. 1. de Euchar. num. 15. Eucharistiam importare tantùm in recto corpus Christi. Ergo Eucharistia non multiplicatur numero, licet species multiplicentur. Quia ad pluralitatem concreti debet multiplicari id, quod significatur in recto.

65\. Ad primum, Respondeo negando antecedens. Nam si Verbum diuinum plures humanitates assumeret; non esset vnicus homo, sed tam multiplex, quàm multae essent humanitates. Veritas enim vel multitudo concretorum substantiuorum substantialium sumenda est ex veritate vel multitudine significati formalis expressi per ea significati, quod in homine est humanitas. At expressum significatum formale sacramenti Eucharistiae non est Christus solus, sed ratio signi sensibilis, &c. In ratione autem signi sensibilis, vt sensibilis, pars eius potior sunt species sensibiles panis & vini, cum verbis consecrationis. *Vide supra disp. 6. sect. 3. & Com. 3. disp. 31. sect. 1. n. 9.*

Ad secundum & tertium, Respondeo panem illum, & hostiam, esse vnum, & non multa, secundum quid, id est, secundum Christum: non tamen simpliciter & absolutè quoad omnia. Vide cap. 7. *Ang. graibus*, de consecrat. dist. 2. dicitur tot holocausta offerenda esse in altari, quot populo possint sufficere. Durum autem & absurdum videtur, omnes fideles quotquot vnquam fuerunt, sunt, & erunt, vnicum numero sacramentum recipere. Quod tamen ex Suarii opinione sequeretur. Omnes enim recipiunt vnum numero Christum. Ad quartum, Nego Eucharistiae sacramentum in recto dicere tantum corpus & sanguinem Christi. Oppositum enim ostendimus sect. 3. & 4.

66\. *Diluitur obiectio.* Obijcit praeterea Modernus ille ibidem num. 17. Si in eodem calice sit vinum prodecem conuiuis, non dicitur plura vina, sed vnum vinum & vnus potus pro omnibus. Ergo sanguis Christi potandus à multis, dicetur vnus potus, dum est in vno calice: & corpus Christi fumendum à multis dicetur vnus cibus, dum est in eadem pixide. Sicut plura poma apposita in eodem ferculo dicuntur vnus cibus. Respondeo vinum consecratum, quandiu est in eodem calice, retinere physicam vnitatem: idcoque meritò dici vnum. Secus autem quando istu diuisum est in multa, vt fit quando sumitur istu à diuersis. Plura verò poma apposita in eodem ferculo, non sunt propriè & philosophicè loquendo vnus cibus eo ipso quòd simul apponantur: sed sunt plura poma, & plures numero cibi simul appositi: qui non faciunt vnitatem moralem in suo genere, nisi per modum vnius ad vnam refectionem sumantur, vel ad vnum conuiuium apponantur.

Opponit

67. Altera obiectio refellitur. Opponit insuper, non posse multiplicari numero sacramentum Eucharistiæ per intentionem, quâ destinantur hostiæ distribuendæ pluribus, vel dandæ vni. Quia illa intentio interna est nimis extrinseca sacramento, vt det illi vnitatem vel multitudinem: fierique potest, vt duo sacerdotes habeant contrarias intentiones, vnus dandi vni, alius dandi pluribus easdem hostias: in quo casu eritnè vnum, an plura? & cur potius vnum, quam plura? Ac nemo dicet cibum in ferculo appositum esse vnum vel plures, ex intentione interna, quam quis habet comedendi totum, vel distribuendi sociis. Denique qui defert sacramentum pro pluribus infirmis, non dicitur deferre sacramenta, sed sacramentum. Respondeo tria priora argumenta nobis non obesse, qui non dicimus sacramentum Eucharistiæ fieri vnum aut multa numericè sola intentione interna; sed vel physica sua vnitate: vel si ea non est, actuali constitutione vnius aut multiplicis conuiuii, siue sumptione & refectione vna, vel multiplici, quæ dat illi moralem vnitatem, aut multitudinem. Ad quartum Respondeo, Id dici modo loquendi vulgari, quo propter solam coniunctionem localem plures hostiæ consecratæ dicuntur esse vnum sacramentum: Licet philosophicè loquendo multa sint, cum nondum habeant sufficientem vnitatem moralem.

68. Tertia obiectio. Instat, quia non potest etiam dici vnum aut multa, pro vnitate aut multitudine sumptionum. Tum qui eadem est difficultas de sumptionibus, quomodo multiplicentur. Tum etiam quia potest contingere, vt sit duplex sumptio eiusdem sacramenti, Vt si vna eadémque hostia ab vno sumpta & non consumpta, sed integra reddita, sumatur ab alio. Respondeo ad primum, sumptiones, id est, refectiones Eucharisticas, facilè intelligi esse vnam aut multas, per analogiam ad refectionem corporalem. Ad secundum dico, tunc esse vnum sacramentum sumptum à duobus successiuè. Quia habet vnitatem physicam, cùm sit vna numero hostia. Quamdiu autem est vnitas physica, sacramentum est simpliciter & physicè vnum: neque potest fieri multa numero diuersa, nisi accedente physica diuisione: quæ quando est: tot sunt numero sacramenta, quot hostiæ diuisæ, nisi plures illæ hostiæ accipiant moralem vnitatem in genere conuiuii, ex applicatione ad vnam numero refectionem.

SECTIO VII.

An, & quomodo Eucharistia sit necessaria ad salutem?

69. Eucharistia est necessaria ex præcepto. Respondeo esse necessariam necessitate præcepti, non medii. Prima pars patet ex Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Cui præcepto diuino adiunctum fuit Ecclesiasticum annuæ communionis in Concilio Lateran. can. *Omnis vtriusque sexus*, & in Trid. sess. 13. can. 9. De quo præcepto plura dicemus alib cum D. Thom. q. 80. Neque enim in præsenti de illo disputatur.

Secunda verò pars probatur: quia, vt iam alibi notauimus, necessarium ad salutem necessitate medii dicitur. 1. Quidem & strictè illud, quod est medium per seipsum necessarium ad salutem, ita vt salus sine ipso in re habito nequeat obtineri. Quo pacto prima iustificatio, & gratia finalis, secundum legem ordinariam necessaria est: nam sine illis in re habitis nemo saluari potest. Secundò, minùs strictè ac propriè, id sine quo, aut sine alio tanquã eius vicario salus haberi nequit. Cuiusmodi est Baptismus respectu infantium, & adultorum non baptizatorum. Et sacramentũ Pœnitentiæ respectu eorum, qui post baptismum mortaliter peccarunt. Nam neq; illi sine baptismo, neq; isti sine sacramento Pœnitentiæ in re suscepto, vel sine eius veluti vicario, cum spiritali & directa obligatione ad ipsum contra eadem peccata adhibendum, iustificari possunt: ac proinde neque saluari. Salus enim necessariò supponit iustificationem. At Eucharistia neutro modo necessaria est: cùm & sine illa realiter suscepta salus haberi possit, & iustificatio ad salutem necessaria: atque etiam sine ipsius vicario, & speciali ac directa obligatione: quippe cuius specialis obligationis nullum indicium est. Non est necessaria necessitate medii.

Confirmatur, quia neque paruulis Eucharistia est medium necessarium: Trid. enim sess. 21. cap. 4. & can. 4. id definit, & alioqui non possent licitè eâ priuari ab Ecclesia. Neque etiam adultis: quippe qui possunt sine illa suscepta, ac sine eius speciali obligatione iustificari per Baptismum, Pœnitentiam, aliaque media, atque in gratia decedere: quæ duo ad salutem consequendam sufficiunt. Denique Concilia, quando ex professo agunt de necessitate huius sacramenti, nunquam illi maiorem tribuunt necessitatem, quàm præcepti. Vt speciatim videre est in Lateran. & Trid. supra citatis: fictitiumque est existimare quòd Baptismus, & alia media supra dicta, non iustificent nisi agendo vicarium sacramenti Eucharistiæ, cum directa & speciali eius obligatione vt medii per se quodammodo necessarii. Cuius obligationis nec in Conciliis citatis, nec alibi vllum fundamentum est. Sed potius sicut vnumquódque aliorum sacramentorum est per se sacramentum, & signum efficax gratiæ, distinctum à quolibet alio: ita per se habet suam efficacitatem independenter ab alio sacramento. 70. Confirmatur.

Obiicies 1. Quòd sicut Ioan. 4. à Christo dictum est, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* ita Ioan. 6. dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis vitam in vobis.* Atqui ex priori loco colligimus baptismum esse medium necessarium 71. Soluitur obiectio.

paruulis ad salutem: ergo ex posteriori idem de Eucharistia debet colligi. Respondeo non esse parem vtriusque rationem. Nam prior sententia prolata fuit absolutè in modum generalis constitutionis, *Nisi quis*, &c. Posterior verò prolata fuit in modum præcepti, directa ad audientes, *Nisi manducaueritis*, &c. Ad audientes, inquam, ac proinde ad capaces audiendi & suscipiendi obligationē præcepti: quales non sunt paruuli, nec amentes, quia rationis vsum non habent. Adde quod vt rectè notat Aegid. Con. loco infrà citando, ex fine rei quæ præcipitur, & conditione personarum, de præcepti latitudine iudicandum est. Nam si v. g. præcipiatur, vt omnes agant excubias: manifestum est non comprehendi infantes & fœminas. Finis autem sacramenti Eucharistiæ est conseruatio vitæ spiritalis per modum nutritionis, & reparationis detrimentorum à peccatis contingentium. Quibus detrimentis infantes & amentes obnoxii non sunt. Quare vt cibus corporeus ad nutritionem iis solùm necessarius est, in quibus calor naturalis, & similes causæ, vires paulatim deterunt: sic nutritio Eucharistiæ iis solùm necessaria est, qui per concupiscentiam & per peccatum possunt vires & vitam animæ perdere.

Præcepta quomodo intelligenda.

72. Instabis, quia quicquid dicendum sit de paruulis & amentibus, qui pro eo statu nullis obnoxii sunt tentationibus vel peccatis: adultis tamen videtur esse medium necessarium ad vitam spiritalem conseruandam contra tentationes & peccandi pericula: ita vt sicut illi, de quibus modò diximus, sine cibo & potu corporali vitam corpoream conseruare non possunt: sic neque isti spiritalem sine Eucharistia: quod non obscurè videtur affirmare Trid. sess. 13. c. 2. cùm ait: Sacramentum Eucharistiæ institutum fuisse tanquam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruamur.

Aliæ instantiæ repelluntur.

Respondeo primò, Conseruationem diuturnam vitæ spiritalis non esse simpliciter necessariam ad salutem. Sufficit enim ante mortem resurgere à peccato. Secundò, Eucharistiam esse vtique cibum admodum salutarem ad conseruationem vitæ spiritalis: non tamen vnicum, aut omnino necessarium. Nam per actus virtutum, maximéque charitatis, anima semel existens in gratia sufficienter nutriri potest, & à contrariis defendi, deficiente Eucharistia. Quando autem multi sunt cibi, & singuli sufficientes; nullus tunc determinatè est necessarius, sed aliquis indeterminatè. Quod confirmatur à simili. Nam Confirmatio v. g. est valde vtilis ad resistendum tentationibus contra fidem, & ad præseruandum à peccato infidelitatis: & tamen non ideò sequitur illam esse necessariam necessitate medii ad hunc effectum, vel ad salutem. Tertiò, Verum quidem est frequentem vsum huius sacramenti vtilissimum esse, & medium moraliter ac communiter penè necessarium ad diu standum & perseuerandum in gratia: quippe quod peculiariter institutum fuit tanquam antidotum contra peccata mortalia & venialia, vt Trident. supra docuit. Imò quia in præcepto graui est, non potest simpliciter aut diutissimè prætermitti sine peccato mort. & priuatione gratię, si eius copia sit. Sed non propterea necessariū est necessitate medii ad salutem: ad quam sufficit recuperare gratiam in articulo mortis, si ab illa excidimus. Gratiam autem haberi & recuperari posse sine Eucharistia veluti medio necessario, satis superiùs ostensum fuit.

73. Obiicies vltimò: Adulti, cùm ad iustificationem se liberè disponant, debent habere votum saltem implicitum & virtuale seruandi omnia præcepta grauia. Ergo cùm Eucharistia sit in graui præcepto respectu adultorum, debent habere votum illius. Ergo Eucharistia saltem in voto est illis necessaria necessitate medii ad iustificationem, & consequenter ad salutem. Respondeo, verum quidem esse, quòd qui se liberè disponit ad iustificationē, debet habere votum seruandi omnia præcepta grauia (adeóque Eucharistiæ præceptum) saltem implicitum, & conditionatum, si nimirum non desit facultas communicandi suo tempore, & exequendi cætera præcepta grauia. Sed hęc obligatio est generalis, & cōmunis omnibus præceptis. Et hæc necessitas non est alia, quàm præcepti, quæ distinguenda omninò est à necessitate medii; & supponitur esse distincta, quando quæritur, An Eucharistia, vel quidpiam aliud sit necessarium ad salutem necessitate medii, an verò tantùm necessitate præcepti? Vlteriùs verò ad necessitatem medii requiritur, sicut initio diximus, vt sine eo in re habito, vel saltem sine ipsius vicario cum speciali & directa obligatione ad ipsum, velut ad medium per se quodammodo necessarium, & contra eadem peccata adhibendum, iustificatio vel salus obtineri non possit: ita vt illud ipsum sit adhibendum suo tempore, si fieri possit, contra eadē peccata, per vicarium priùs remissa: sicut solutio pecuniæ facienda est pro eadem traditione rei, per chirographū traditę, quasi vicarium pecuniæ per se necessariæ, & exhibendæ pro emptione. Quod non conuenit aliis necessariis tantùm ex præcepto, vt amori Dei, honori parentum, & similibus.

Sitne Eucharistia necessaria in voto?

74. Estque diligenter notandum, quod licet adultis ad iustificationem necessarium sit habere votum seu desiderium explicitum, aut implicitum seruandi omnia præcepta grauia: non propterea tamē rem, quæ solùm ex præcepto necessaria est, dici propriè loquendo, esse necessariam in voto, aut nos per illam in voto iustificari, sicut qui iustificantur ante Baptismum, aut sacramentum Pœnitentiæ actu susceptum, dicuntur iustificari per Baptismum, aut per sacramentum Pœnitentiæ in voto. Nimirum quia, vt rectè notauit Arcud. lib. tertio de Sacramentis, capite 47. Aliud est esse necessarium ad salutem in voto: & aliud votum esse necessarium ad salutem. Nam necessarium in voto ad salutem est id,

Res tantùm præcepta, non est propriè necessaria in voto.

quod ipsum est necessarium vt saluemur, ita vt vel actu ponatur, vel suppleatur per desiderium, aut per aliquid aliud velut eius vicarium, cum speciali obligatione ad ipsum suo tempore ponendum, si fieri potest. Votum autem est necessarium, quando necessitas fertur tantùm immediatè supra voluntatem rei, non supra ipsam rem: facitque ipsam voluntatem esse nobis necessariam ad salutem, non autem ipsam rem. Vnde neque dici potest, quòd vi rei homo saluetur: sicut dicitur quòd vi Baptismi, aut sacramenti Pœnitentiæ iustificatur ille, qui conteritur ante sacramentum. Præceptum enim fertur solùm immediatè circa actum meum, prout meus, & liber est: non autem circa rem ad quam est operatio. Vnde in tantum facit rem mihi esse necessariam, in quantum facit actum meum esse necessarium circa rem. Et consequenter necessitas est prius in actu, deinde in re prout est actus circa illam. Ergo non ideo requiritur res, quia sine illa saluari non possim: sed quia sine actu ad illam, id est, sine executione præcepti in reipsa, vel saltem in voto, seu desiderio, & proposito implicito, aut explicito saluari non possum. Ita fere Arcud. cap. cit. §. *Deinde verò*.

75. *Res huius sacramenti quomodo necessaria?* Consentiunt Suar. disp. 40. Aegid. Con. in dub. ad art. 3. q. 73. Vasq. disp. 168. & alii communiter cum D. Thom. q. 65. art. 4. in corp. Quod autem ait a. 3. q. 73. rem huius sacramenti, id est, vnionem per gratiam & charitatem cum Christo, esse necessariam ad salutem necessitate medii, quia sine charitate & vnione cum Christo & Ecclesia nemo saluari potest: debet intelligi de vnione aliqua, quæcunque illa sit, & quomodocunque fiat: non autem de ea quæ fit vi Eucharistiæ, quæque est propriè res huius sacramenti. Quia tamen quomodocunque fiat, est vnio cum Christo, qui continetur in hoc sacramento: ideò quamuis per baptismum, aut per aliud medium fiat, dicitur per appropriationem res huius sacramenti. Quod item addit, sacramentum hoc in voto esse necessarium: intelligendum est de voto generali, ratione præcepti. Quo etiam sensu ait paruulos, sicut in fide Ecclesiæ credunt, & proponunt seruare omnia præcepta, quando baptizantur: eodem modo habere votum Eucharistiæ suo tempore recipiendæ; atque etiam tunc quodammodo eam recipere in voto. Quod denique concludit Eucharistiam minùs esse necessariam ad salutem, quàm Baptismum: non ita est intelligendum, vt velit vtrumq; sacramentum necessarium esse, propriè loquendo, necessi-

D. Thom. tate medii. Alioquin apertè sibi contradiceret q. 65. a. 4. in corp. vbi disertè docet, tria tantùm sacramenta esse propriè loquendo necessaria necessitate finis seu medii: Baptismum & Pœnitentiam respectu priuatarum personarum: & ordinem respectu communitatis: cætera verò necessaria tantùm esse respectu finis, ad melius esse: non autem ad consequendum finem simpliciter, quasi sine illis obtineri non possit.

SECTIO VIII.

Soluuntur argumenta in contrarium ex D. Augustino desumpta, aliisque Patribus.

Contra doctrinam præcedentem opinari videtur Innocent. I. apud August. epist. 93. ad Patres Concilii Mileuitani: vbi perspicuè affirmat sumptionem Eucharistiæ esse necessariam paruulis ad salutem: adeóque necessitate medii: nam respectu illorũ non potest esse necessaria de necessitate præcepti, cuius non sunt capaces. Verba illius sunt: *Illud verò quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducauerint carnem filii hominis, & biberint eius sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis.* Vbi loquitur Innocentius de reali sumptione Eucharistiæ, æquè ac de reali susceptione baptismi: sensúsque illius est: Tantum abest posse infantes saluari sine baptismi susceptione, vt etiam sine perceptione Eucharistiæ vitam gratiæ, & gloriæ habere nequeant. Eundémque locum Innocentii referens D. August. lib. 1. contra Iulian. c. 4. veluti definitionem Sedis Apostolicæ, sic ait: *Sancto Innocentio vide quid respondeas, &c. qui paruulos definiuit, nisi manducauerint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse.* Ex quo iterum sic argumentor: Id, sine quo vita gratiæ prorsus haberi non potest à paruulis, est illis necessarium ad salutem necessitate medii. Sed perceptio Eucharistiæ est huiusmodi, vt sine illa paruuli vitam gratiæ prorsus habere non possint. Ergo est illis necessaria necessitate medii.

Rursus idem S. August. lib. 1. de Peccat. meritis c. 20. hanc Christi sententiam, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c.* quam de Sacramento altaris, & reali eius manducatione ibidem exponit, affirmat æquè pertinere ad paruulos: adeóque necessariam illis esse, vt vitam habeant: nostramque expositionem huius loci datam n. 56. manifestè refutat. *An verò, inquit, quisquam etiam hoc dicere audebit, quòd ad paruulos hæc sententia non pertineat, possintque sine perceptione corporis huius, & sanguinis, in se habere vitam, quia non ait, Qui non manducauerit, sicut de baptismo, Qui non renatus fuerit: sed ait, Si non manducaueritis, velut eos alloquens, qui audire, & intelligere poterant: quod vtique non valent paruuli. Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, vt sine corpore, & sanguine filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas maior id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur. Quia non ait: Qui non manducauerit; sed, Si non manducaueritis. Et vbi est quod eodem loco de hac ipsa re ait, Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita? Secun-*

Ggg 2

cùm hoc enim etiam ad nos pertinere illud sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat. Quia non possumus dicere ad sæculum nos non pertinere, pro cuius vita Christus carnem suam dedit. Quis autem ambigat sæculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc sæculum veniunt? Nam sicut alibi ait, Filii sæculi huius generant, & generantur. Ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita: Et si non manducauerint carnem filii hominis, nec ipsi habebunt vitam.

78. Eandem expositionem illius loci Ioan. 6. & ex illo deductam necessitatem Eucharistiæ respectu paruulorum, commendat alibi sæpius idem S. Doctor: vt c. 24. eiusdem lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. *Optimè,* inquit, *Punici Christiani Baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem; & sacramentum corporis Christi nihil aliud quàm vitam vocant. Vnde, nisi ex antiqua, vt existimo, & Apostolica traditione, quâ Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter Baptismum, & participationem Dominicæ mensæ, non modò ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam, posse quemquam hominum peruenire? Hoc enim & Scriptura testatur secundum ea, quæ supra diximus. Nam quid aliud tenent, qui Baptismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis? & quod Petrus ait, Sic & vos simili forma Baptisma saluos facit? Quid aliud etiam, qui sacramentum mensæ Dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est, Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: &, Panis, quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita: &, Si non manducaueritis carnem filii hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis? Si ergo, vt tot, & tanta diuina testimonia concinunt, nec salus, nec vita æterna sine Baptismo, & corpore, & sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur paruulis.* Et lib. 1. Contra duas epistolas Pelagianorum c. 22. *Nec illud cogitatis* (sic enim omnino legendum est, prout habetur in omnibus correctis exemplaribus, & sensus manifestè postulat: non autem, *Nec illud cogitetis*, vt corruptè refertur à Gratiano c. *In Ecclesia, de Consecr. dist.* 4. & à D. Thoma q. 73. a. 3. §. *Sed contra*) *eos vitam habere non posse; qui fuerint expertes corporis, & sanguinis Christi. Dicente ipso, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Loquitur autem ibi de paruulis, vt ex antecedentibus manifestum est.

Ad hæc soluenda, Duo præmittenda sunt,

79. quæ sapienter notauit Arcud. lib. 3. de Sacram. c. 45. Vnum est, non esse mentem D. August. affirmare communionem Eucharisticam ita paruulis esse necessariam, vt sine illa realiter sumpta, salutem consequi non possint per Baptismum, si decedant in gratia per illum obtenta. Nam ipse contrarium expressè docet pluribus locis: vt epist. 23. ad Bonif. in fine; vbi dicit sacramentum Baptismi à paruulo susceptum valere ad eius tutelam aduersus omnes contrarias potestates: & tantum valere, *vt si ante vsum rationis ex hac vita emigrauerit, per ipsum Sacramentum, commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione liberetur.* Et lib. 1. de Pecc. merit. postquam docuit peccatũ originale remitti paruulis per Baptismum, addit cap. 19. in fine, *Cæterum quis ignorat quòd baptizatus paruulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit, quod paruus accepit. Verumtamen si percepto Baptismate de hac vita emigrauerit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum iustificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines & Deum, quæ soluuntur Christi gratiâ.*

Paruuli per Baptismum saluantur.

80. Alterum est, Negari non posse, quin ex mente D. Augustini sententia Christi Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis,* &c. pertineat aliquo modo ad paruulos: sed ad verum illius sensum intelligendum, considerandam esse occasionẽ disputationis, quæ illum mouit ad id affirmandum. Erat igitur illi contentio cum Pelagianis, qui dicebant infantes posse sine Baptismo saluari. Quos cum vrgeret August. verbis illis Christi Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* respondebant Pelagiani, negari quidem non-baptizatis regnum Dei, sed non vitam æternam. Contra quam euasionem adducit August. alterum locum ex Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* & tacitè sic argumentatur: Ad habendam vitam æternam necessarium est esse participem corporis, & sanguinis Domini. Atqui nullus non baptizatus est particeps corporis, & sanguinis Domini. Ergo nullus nõ baptizatus habet vitam æternam. Cùm autem dupliciter possit aliquis esse particeps corporis, & sanguinis Domini in Eucharistia, de qua participatione loquitur Augustinus: nimirum vel actu, quando actu recipitur: vel aptitudine, quia licet non actu recipiatur, aliquis tamen est aptus illi participare; & talis est, vt ad illum pertineat hoc conuiuium, habeatque capacitatem, & ius participandi: quod ius, & capacitas acquiritur per Baptismum, per quem Ecclesiæ membrum efficimur, & Christo incorporamur, eiusque spiritu viuificamur, vt possimus cibo illo spiritali, & diuino nutriri. Hoc secundo modo vult D. August. comprehendi paruulos illa Christi sententiâ, *Nisi manducaueritis*, ita vt sine tali participatione, saltem aptitudinali, vitam æternam obtinere nequeant. Vt patet ex illius verbis quæ referuntur Can. *Nulli*, 131. de Consec. dist. 4. *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrũ Christi efficitur; nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc, quod illud sacramentum est, inuenit.* Itaque iuxta mentem Diui Augustini verba illa

Quomodo sit communio necessaria paruulis ex mente D. August.

Christi, *Nisi manducaueritis, &c.* Idem significant, atque Nisi per baptismum facti fueritis membrum Ecclesiæ, mihique incorporati, & spiritu meo viuificati, factique idonei ad participandum corpori, & sanguini meo in conuiuio Eucharistico.

81. Explicatur primum illius testimonium. His præsuppositis non erit difficile ad singula testimonia initio sectionis obiecta respondere. Ad primum sumptum ex Innocentio dico sensum illius esse, non posse sine fatuitate prædicari paruulos æterna præmia consecuturos sine gratia Baptismi, cùm sine illo non fuerint viuificati spiritu Christi, factique participes in actu primo, id est, capaces sumendi corpus Christi in Eucharistia. Hunc enim esse verum illius sensum patet ex verbis sequentibus. Postquam enim dixit eos qui non manducauerint, non habituros vitam: subiungit: *Qui hanc* (vitam) *sine regeneratione defendunt* (id est, sine Baptismo haberi posse credunt) *videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare. Cùm prædicant eos* (paruulos) *habere, quod in eos creditur non nisi Baptismate conferendum.* Per Baptismum enim eis vita confertur, ratione cuius manducant, hoc est, capaces sunt manducandi corpus Domini.

82. Exponitur secundum. Ad secundum sumptum ex August. libr. 1. de peccat. merit. capite vigesimo, Respondeo primò, velle tantummodo Augustinum illam Christi sententiam pertinere ad paruulos in sensu suprà explicato. Ex quo non sequitur ipsam Eucharistiam secundum se esse medium necessarium paruulis ad salutem: sed Baptismum, qui sine perceptione Eucharistiæ, sufficit illis per effectum eius proprium viuificandi, & constituendi capacem communionis, & nutritionis Eucharisticæ. Secundò, ad priorem rationem D. Augustini ibidem propositam contra nostram explicationem, quæ est etiam D. Thomæ lect. 7. in Ioan. Iansenij in concordia cap. 59. Durandi, Palud. Caiet. & aliorum plurimorum, quos sequuntur è recentioribus Suar. Valent. Vasq. Aegid. Con. Delugo, Ysamb. Maldon. Cornel. & alij communiter; respondeo non sine causa Christum diuerso modo locutum esse de necessitate Baptismi dicendo, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Et de necessitate Eucharistiæ, dicendo, *Nisi manducaueritis.* Cúmque sæpius cap. illo 6. Ioan. dixerit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, v. 57. Qui manducat me, & ipse viuet propter me, v. 58. Qui manducat hunc panem viuet in æternum, v. 59.* Nunquam tamen dixisse, Qui non manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, non habet vitam æternam, non in me manet, non viuet propter me, non viuet in æternum. Non sine causa, inquam, Christum illo modo loquendi vsum esse, *Nisi manducaueritis, &c.* qui quantum est de se, non plus significat, quam necessitatem præcepti, directi ad capaces audiendi, & obediendi, cuiusmodi non sunt paruuli: non autem alio, *Nisi quis manducauerit, &c.* Qui quantum est de se, significat necessitatem medij, ortam ex lege lata per modum generalis constitutionis.

Dixi, quantum est de se: propterea quòd aliquando similis modus loquendi vsurpatur de aliquo necessario necessitate medii. Vt quando Christus dixit Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Verum necessitas illa non significatur præcisè per talem modum loquendi: sed potiùs per naturam materiæ subiectæ, quando illa talis est, vt sit per se necessaria ad obtinendam remissionem peccatorum, & exitum è vita in statu gratiæ: cuiusmodi est pœnitentia respectu eorum, qui lethaliter peccauerunt. At Eucharistia, non est talis naturæ. Neque enim fuit instituta veluti necessaria ad dandam remissionem peccatorum mortalium, quam potius supponit: vel ad obtinendum bonum exitum, & gratiam finalem, quam paruuli habent, sine reali sumptione Eucharistiæ, quando post baptismum decedunt, antequam ad annos discretionis peruenerint, vt fatetur D. August. locis supra cit. num. 65. & 66. Quare neque ex modo loquendi Christi Domini, neque ex materia subiecta colligi potest necessitas medii, sed dumtaxat necessitas præcepti respectu adultorum eius capacium. Quod amplius confirmatur, quia ad decentem Eucharistiæ sumptionem requiritur actualis fides, reuerentia, & deuotio, tanti Sacramenti maiestati conueniens: propter quod Apost. 1. Corinth. 11. sic præcipit: *Probet autem seipsum homo &c.* & Trident. sess. 13. cap. 7. affirmat, Si non decet ad sacras vllas functiones quempiam accedere, nisi sanctè, certè quò magis sanctitas, & diuinitas cœlestis huius sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentius cauendum illi esse, ne absque magna reuerentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat. Quapropter non fuit conueniens naturæ huius sacramenti, ferri constitutionem generalem obligantem etiam paruulos, qui non possunt hunc cibum diuinum discernere à prophano, & cum dispositione conuenienti ad illum accedere. Neque hinc sequitur quòd si præceptum à Christo latum non obligat paruulos, similiter non obligabit vllos alios præter adstantes, quos Christus alloquebatur, dicens, *Nisi manducaueritis.* Quia quando fertur aliquod præceptum generale, licet coram aliquibus dumtaxat promulgetur, & ad illos dirigatur sermo promulgantis: omnes tamen obligat, quorum par est conditio. Vt præceptum sacrificandi latum his verbis, Hoc facite, Matth. 26. & 1. Corinth. 11. Quod licet latum coram solis Apostolis, obligat tamen omnes sacerdotes, qui deinceps fuerunt & futuri sunt. Est autem par conditio aliorum adultorum, & eorum, in quorũ præsentia Christus dicebat, *Nisi manducaueritis, &c.* Secus autem paruulorum, vt suprà ostendimus.

83.

84. Ad alteram eiusdem S. Doctoris rationem, dico sensum verborum Christi esse, quòd panis Eucharisticus sit eius caro propria, quam ipse daturus erat, id est, morti expositurus pro sæculi vita: vt clariùs exprimit textus græcus, qui sic habet; καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς Id est, *Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Ex eo autem quòd omnes, ipsique etiam paruuli pertineant ad mundum siue ad sæculum de quo loquitur Christus; sequitur tantùm carnem eius fuisse passioni expositam pro omnibus, adeóque pro paruulis.

Respōditur alijs eius argumētis.

85. Ad tertium sumptum ex lib. 1. de peccat. merit. cap. 24. Respondeo nemini vitam sperandam esse sine Baptismo, & sine corpore, & sanguine Domini, non realiter quidem suscepto in Eucharistia, sed saltem aptitudinaliter per ipsum Baptismum, per quem scilicet factus sit capax realis illius participationis: quod ad vitam sufficere paruulis ostendimus supra ex verbis ipsius Augustini num. 80. & seq. Eodemque sensu dixit lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 22. Non esse cogitandum paruulos vitam habere posse, qui fuerint expertes corporis, & sanguinis Christi.

Cyrill. Eodem quoq; sensu intelligendum est quod ait Cyril. Alexand. lib. 4. in Ioan. c. 14. circa illa verba, Ioan. c. 6. v. 54. *Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Omnino vitæ, quæ in sanctimonia, & beatitudine consistit, expertes esse, minimèque eam gustare posse, qui per mysticam benedictionem (Græcè διὰ τῆς μυστικῆς εὐλογίας) filium non susceperunt.

Chrysost. Et quod ait Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. *Si non potest quis in regnum cælorum ingredi, nisi per aquam, & Spiritum Sanctum regeneratus fuerit: & qui non manducat carnem Domini, & sanguinem eius non bibit, æterna vita priuatur; omnia autem hæc non aliter, quam per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, Sacerdotis: qui fiet, vt sine istis possit aliquis vel ignem Gehennæ effugere, aut repositas assequi coronas?* Intelligendus, inquam, vterque est de participatione Eucharistiæ, per aptitudinem, quæ fit in ipso Baptismo. Aut etiam Chrysostomus distributiuè, & accommodè explicandus est quoad secundam partem propositionis, de illis solùm quibus ex præcepto necessaria est Eucharistia, quique vita priuantur per peccatum mortale, si huic præcepto graui non satisfaciunt.

86. Nyssen. Quod verò dicit Gregor. Nyssen. in orat. Catechetica cap. 37. *Corpus nostrum non posse consequi immortalitatem, nisi huic corpori immortale Christi fuerit coniunctum:* In Eucharistia scilicet, de qua ibi loquitur.

Cyrill. Et Cyril. lib. 10. in Ioan. cap. 13. post medium, *Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad immortalitatem, & vitam perpetuam traduci, nisi naturalis vitæ corpus illi coniungeretur.* Hæc, inquam, non pertinent ad significandam simplicem impossibilitatem resurrectionis: & gloriæ corporum sine perceptione Eucharistiæ: alioqui sancti veteris testamenti non essent resurrecturi: sed ad indicandum fuisse valde conueniens carnem Iesu Christi gloriosam, & incorruptibilem coniungi nostræ mortali, & corruptibili, in hoc sacramento, ad dandum illi ius speciale participandi ipsius gloriæ, & immortalitati, reparandumque damnum per esum cibi exitialis illatum, vt ait Greg. Nyssen. eod. loco.

87. Dionys. Quod denique affirmat Dionys. cap. 3. Eccl. Hierarch. initio, cæterorum Sacramentorum perfectionem ex hoc prouenire & idcirco vocari ab Hierotheo τελετῶν τελετὴν, id est perfectiuum perfectiuorum. Ex quo sequi videtur quod sicut cætera sacramenta accipiunt ab Eucharistia suam perfectionem, ita & vim agendi, in qua maximè consistit eorum perfectio: ac proinde si quod aliud necessarium est necessitate medij, ergo & Eucharistia, sine qua illud non potest habere suam perfectionem, & efficaciam ad finem obtinendum. Illud inquam, vt rectè exponit Arcudius lib. 3. cap. 49. non aliò pertinet, quàm ad significandum reliqua sacramenta efficere quidem aliquam coniunctionem cū Deo per charitatem, & gratiam sanctificantem quā causant in recipientibus: sed perfectionem huius coniunctionis non prouenire ab illis sacramentis, quæ minùs perfectè eam producunt; sed ab Eucharistia, quæ multò perfectiùs nos Deo, & Christo coniungit: quippe cui nos vnit substantialiter per realem præsentiam; cætera tantùm per affectum habitualem, id est, per gratiam, & charitatem, quæ etiam confertur excellenter ab Eucharistia, in qua, vt Trident. ait sess. 13. cap. 2. Saluator noster diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit.

88. Eucharistia est perfectio aliorum Sacramentorū. Sensus ergo Dionysij est, non quòd alia sacramenta accipiant ab Eucharistia virtutē quam habent nos perficiendi; sed quòd perfectio, quam nobis dant, vniendo nos Deo, perficiatur per Eucharistiam, quæ Christo nos coniungit, non modò excellenter per gratiam, verum etiam substantialiter quodammodo per realem sumptionem corporis, & sanguinis Christi Dei & hominis. Qua etiam de causa Dionysius ibidem affirmat sacramentum hoc prærogatiua quadam communionem & synaxim appellari, tametsi vnumquodque sacramentum etiam diuisas secretasque vitas nostras in vniformem illū statum, quo Dij efficimur, colligat. Et D. Thom. q. 73. a. 3. in cor. dicit Eucharistiam esse quodammodo finem aliorum sacramentorū, & consummationem spiritualis vitæ. Eademque de causa mos erat olim in antiqua ecclesia, vt ad causandam hanc perfectionem vnionis, cæteris sacramentis adiungeretur Eucharistia; nam baptizatis simul & confirmatis, æquè infantibus, ac adultis, statim dabatur communio, vt nunc etiam fit in Græcia, teste Arcudio supra citato: & sacris ordinibus initiati Eucharistia perficiebantur, vt nunc etiam in vtraque

Digitized by Google

ecclesia orientali, & occidentali seruatur: & communiter pœnitentes peracta exomologesi ad Eucharistiæ participationem admittebantur: & extremæ vnctioni adiungebatur viaticum: & matrimonii fœdus sacra communione sanciebatur quodāmodo, sanctiusque reddebatur. Cuius loco nunc Græci, & Rutheni panem & vinum sponso & sponsæ porrigunt ad degustandum: sicut in locum communionis Eucharisticæ, quæ non adeo frequenter ac in primitiua ecclesia fidelibus apud illos distribuitur, substituerunt in suis liturgiis panem eulogicum, quem *ἀντίδωρον* vocant, illumque passim loco Eucharistiæ populo distribuunt: quamuis certis temporibus ipsum quoque sacramentum distribuant. Concludo igitur hæc non satis probare Eucharistiam esse necessariā necessitate medii.

DISPVTATIO VIGESIMA NONA.

De Materia sacramenti Eucharistiæ.

Sectio I. *Vtrum materia huius sacramenti sit panis, & vinum?*
Sectio II. *An materia consecranda debeat esse præsens ministro consecranti, & certa ac definita in eius intentione?*
Sectio III. *An panis, & vinum quantæcunque magnitudinis, vel paruitatis consecrari possit?*
Sectio IV. *Vtrum panis debeat esse triticeus?*
Sectio V. *Vtrum panis debeat esse azymus?*
Sectio VI. *De materia calicis.*
Sectio VII. *Vtrum aqua vino mixta conuertatur in sanguinem Christi?*



E materia venerabilis sacramenti Eucharistiæ disputat S. Thomas quæst. 74. & art. 1. docet panem & vinum esse materiam conuenientem huius sacramenti: quia est aptissima ad illius vsum, & ad passionem Christi significandam, & ad effectum Eucharistiæ designandum. 2. Quantitatem materiæ huius sacramenti non esse determinatam: quia deberet determinari per comparationem ad vsum fidelium absolutè. Numerus autem fidelium est indeterminatus. 3. Propriam materiam huius sacramenti esse panem triticeum: quia eo communiter homines pro alimento vtuntur: & conuenientiùs effectum huius sacramenti significat, propter maiorem, quam habet, corroborandi vim. 4. Licet ex pane fermentato fieri possit, vt fit à Græcis: conuenientius esse vt fiat ex pane azymo. Tum quia Christus ipse ita celebrauit: tum etiam quia meliùs significat puritatem corporis Christi, quod sine corruptione conceptum fuit: & magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad vsum huius sacramenti: iuxta illud 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* 5. Solum vinum vitis esse propriam materiam huius sacramenti: tum propter institutionem Christi: tum etiam quia ad materiam sacramentorum assumitur id quod propriè, & communiter habet talem speciem. Propriè autem vinum dicitur, quod de

vite sumitur: alii verò liquores vinum dicuntur secundum quandam similitudinem ad vinum vitis. 6. Aquam vino misceri debere: quia creditur Dominus hoc sacramentum instituisse in vino aquâ permixto: & hæc mixtio conuenit repræsentationi Dominicæ passionis, & significationi effectus huius sacramenti, qui est vnio populi ad Christum, & introitus in vitam æternam. 7. Appositionem aquæ non esse de necessitate sacramenti: quia significat vsum fidelium, & vnionem eorum cum Christo: qui vsus non est de necessitate sacramenti. Iudicium autem de signo sumendum est ex eo, quod significatur. 8. Parum aquæ apponendum esse, quia debet aqua in vinum conuerti, & vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non potest, nisi adeo modicum aquæ apponatur, vt in vinum verti possit. Huc vsque D. Thom. cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs exponetur.

SECTIO I.

Vtrum materia huius sacramenti sit panis & vinum?

1. Panis & vinum sunt materia necessaria Eucharistiæ.

ONCLVSIO: Panis & vinum sunt materia necessaria sacramenti Eucharistiæ: neque potest vnum sine altero licitè consecrari: quamuis validè possit. Prima pars est de fide, vt patet ex verbis institutionis, iuncto Ecclesiæ sensu & conciliorum definitione. Nam Christus Eucharistiam instituens, & deinceps vsque ad mundi finem celebrari præcipiens Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. & 1. Corinth. 11. non aliam materiam, quàm panem & vinum adhibuit: & eam veluti necessariam determinauit, cùm dixit, *Hoc facite*: nempe hoc ipsum quod me fecisse videtis circa panem & vinum: efficiendo ex illis corpus & sanguinem meum: ita vt iuxta Christi institutionem non possit alia materia substitui: quemadmodum etiam Ecclesia semper intellexit, quæ olim Artotyritas, Pepuzianos, Aquarios, & similes, pro hæreticis habuit, eò quod in alia materia consecrarent. Et in Conciliis generalibus Lateran. sub Innocentio III. cap. 1. Florentino in Decreto 5. *Tertium est Eucharistia sacramentum*, & Trident. sess. 13. cap. 3. & 4. Eucharistiam semper ad panem & vinum restrinxit, nec aliam eius materiam, ex qua fiat, agnouit. Notandum verò panem & vinum non esse materiam ex qua componitur Eucharistia, sed tantùm esse materiam remotam & transeuntem, ex qua quoad totam substantiam destructa fit sacramentum Eucharistiæ, remanentibus tantum accidentibus, vt habet Trident. citato cap. 4. Neque tamen propterea per accidens se habent panis & vinum respectu Eucharistiæ: sed per se ac necessariò requiruntur, vt ex illis fiat Eucharistica transubstantiatio, suppeditentque species quæ ad sacramenti huius essentiam & significationem sunt omninò necessariæ.

Sunt tantum materia transiens, & ex qua.

2. Vna sine altera consecrari licitè nequit.

Secunda pars, quòd nec panis sine vino, nec vinum sine pane licitè consecrari possit, probatur quia est in præcepto tum diuino, tum Ecclesiastico, vt vna species sine altera non consecretur. Præceptum quidem diuinum colligitur ex illis Christi verbis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, iuncta interpretatione Tridentini sess. 22. cap. 1. vbi ait Christum his verbis, Apostolis, quos tunc Noui Testamenti sacerdotes constituebat, eorumque successoribus in sacerdotio, præcepisse vt corpus suum & sanguinem sub speciebus panis & vini, similiter vt fecerat, offerrent. Quódque per verbum, *Hoc*, vtrumque simul intellexerit, ac præceperit fieri, seu offerri, confirmat Ecclesia in Canone Missæ, verba consecrationis ex Euangelio sumpta sic concludens: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Idem etiam confirmat Trident. sess. 21. cap. 1. affirmans, *nullo præcepto diuino Laicos, & Clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub vtraque specie sumendum.* Quibus verbis non obscurè indicat aliter esse sentiendum de Clericis conficientibus, iuxta axioma Iurisconsultorum, *Exceptio firmat regulam.* Adde quòd institutio Eucharistiæ, siue vt sacramentum est, siue vt sacrificium, postulat vtramque speciem simul consecrari: institutio autem Eucharistiæ iuris diuini est. Ergo ius & præceptum diuinum postulat vtramque speciem simul consecrari. Minor est clara. Maior probatur: quia sacramentum Eucharistiæ institutum est in modum conuiuii, & perfectæ refectionis spiritualis, quæ cibo & potu perficitur. Et quamuis laicis vna species sufficiat ad sumptionem, propterea quòd Christus totus & integer in ea continetur: ordo tamen consecrationis postulat sacramentum integrè fieri, & ab ipso saltem consecrante sumi, vt Trident. docet loco proximè citato. Similiter Eucharistia est sacrificium inquantum est incruenta & mystica immolatio Christi, constituti mortuo quodam modo sub speciebus per

consecrationem, atque etiam separatio sanguinis à corpore, quantum est ex vi verborum, & expressa repræsentatio sacrificii cruenti quod per physicam & cruentam separationem sanguinis à corpore in cruce factum est. At hoc non fit, nisi quatenus ambæ species consecrantur, & sub illis corpus & sanguis separantur mysticè, atque expressè repræsentantur, vt separata fuerunt in cruce.

3. Neque potest Ecclesia in eo dispensare.

Hinc collige, Ecclesiam, quæ non habet potestatem in substantiam sacramentorum, neque in substantiam sacrificii, & alia quæ velut Ecclesiæ fundamenta fuerunt à Christo inuariabiliter instituta, non posse dispensare, vt vna species consecretur sine altera. Quod etiam nunquam concessit. Falsum enim est & fabulosum, quod scribit Volaterranus, & ex eodem refert Onuphrius, Innocentium VIII. dispensasse cum Norvvegis, vt calicem sine vino sacrificarent, eò quod vinum in illa regione propter nimium frigus diu conseruari non possit. Talis enim dispensationis nullum apparet vestigium in Pontificum bullis, tametsi Innocentius VIII. non à multo tempore sedem Apostolicam tenuit: & ipsa Volaterrani narratio, ab Onuphrio (qui tamen ex ipso sumpsit) paululum immutata, fidem sibi ipsa detrahit. Ait enim Innocentium concessisse Norvvegis, vt calicem sine vino sacrificarent, propter nimium frigus &c. Quasi verò calix vacuus, aut cum alio liquore quàm vino, sacrificari possit: & non potiùs vinum meliùs conseruetur in locis frigidioribus: ac non diu ante Innocêtium VIII. sufficienter conseruatum ibi fuisset: vt nunc etiam conseruatur, & habetur sufficienter ad consecrandum, in omnibus orbis noui partibus, quantumuis calidis aut frigidis. Videri potest Vasq. disp. 213. vbi nobiscum sentit post alios multos quoad hanc partem de præcepto diuino eiusque indispensabilitate. Itemque Suar. disp. 43. licet non desint qui dispensari posse existiment.

Vasquez. Suarez.

4. Præceptum verò Ecclesiasticum agnoscitur ab omnibus. Et satis liquet ex cap. *Nihil contra.* q. 1. & ex iis quæ habentur in Rubricis generalibus Missalis Romani titulo *de defectibus.* Vbi præscribitur, vt in omni casu quoad fieri potest, sacrificium integrum peragatur, & inter alia præcipitur, vt sacerdos, qui ex imprudentia aquam pro vino consumpsit, accipiat vinum & consecret atque consumat: non obstante præcepto Ecclesiastico de non sumenda Eucharistia nisi à ieiunis. Cui præcepto, quamuis graui, præponderat aliud de consecranda simul vtraque specie, & consumenda ab ipso consecrante. Quod autem dicimus non licere vnam speciem consecrari sine altera, intelligimus per se loquendo, & ex natura sacramenti atque diuinæ institutionis. Nam per accidens ignorantia excusare potest: vel impotentia consecrandi alteram post vnam bona fide consecratam: putà si vinum haberi nequeat, post quã sacerdos per imprudêtiam aquam pro vino consumpsit: aut si sacerdos moriatur hostiâ cõsecratâ, & non sit alius qui possit sacrificium peragere consecrando vinum. Nam si adest alius, debet. Item si mors immineat sacerdoti, si pergat, modò ne id in contemptum mysterii cedat, aut religionis, aut virtutis. At non si ægrotus viatico egeat: hæc enim necessitas non est tanta, vt propter illam modus cõsecrandi communis & per se necessarius non debeat seruari, cùm ægrotus excusetur à præcepto communionis, propter impotentiam, & Eucharistię defectus possit aliâ viâ suppleri.

Tertia pars conclusionis, Quòd tamen validè vna species sine altera consecrari possit, probatur: quia vna ante aliam à Christo consecrata est, & simili modo à sacerdotibus consecratur hostia, populoque adoranda proponitur, ante calicis consecrationem. Ergo vna species consecrari potest priùs quã altera. Ergo etiam potest consecrari sine illa. Nam si per ignorantiam, vel malitiam, vel impotentiam sistat in ea sacerdos, neque, vt debet, paulò post aliam consecret: prior tamẽ verè consecrata est: neque efficere potest sacerdos per negligentiam vel malitiam, vt non sit consecrata. Quod enim iam factum est, infectum esse nequit. Confirmatur, quia confectio sacramenti non pendet ex effectu futuro: neque præsentia corporis Christi sub speciebus panis, ex præsentia futura sanguinis sub speciebus vini. Nec dici potest, sacerdotem non posse vnam speciẽ consecrare, nisi & alteram speciem consecrare intendat. Nam quamuis ita esset: eâ consecratâ posset sententiam mutare, & nolle aliam consecrare. Sed fictum est quòd assumitur. Nam in omni sacramento satis est, si minister intendat efficere id, quod verba significant, & efficere possit circa materiam subiectam. Ergo ad panis consecrationem satis erit intendere, efficere corpus Christi ex pane, prout verba significant, & possunt efficere. Addunt aliqui, Christum Luc. 24. v. 30. solam speciem panis consecrasse. Sed incertum est an consecrauerit, ac non panem tantùm miraculosè fregerit. Deinde poterat per potestatem excellentiæ facere suprà & contra legem ordinariam & communem institutionis sacramenti, quod alii vel licitè, vel etiam validè facere nequeunt. Quare nihil ex eo potest colligi. 5. Potest validè vna species consecrari sine altera.

Obiicies cum Delugo disp. 19. sect. 8. num. 103. Christum instituisse hoc sacramentum in ratione sacrificii, ita vt fieri non possit, nisi fiat in ratione sacrificii: neque aliam dedisse Apostolis & sacerdotibus potestatem consecrandi, quàm potestatem sacrificandi: ita vt non sit duplex potestas ad vtrumque separatim, sed vnica. Ergo sicut non possunt sacrificare sub vnica specie, ita nec vnam solam validè consecrare. Hæc ille. Qui tamen num. 104. fatetur posse sacerdotem consecrare vnicam, modò non excludat intentionẽ consecrandi aliam, quam- 6. Diluitur obiectio.

uis postea ex impotentia non consecraret illam, vel ex malitia, aut ignorantia, vt addit num. 117. Respondeo primò, non constare, quòd vnius tantùm speciei consecratio nō sit sacrificium Eucharistiæ imperfectum, quatenus sub illa ponitur Christus mortuo & indiuisibili modo, ineptoque actionibus humanis: in quo consistit ratio essentialis huius sacrificii, vt docet alibi Cardinalis De-Lugo. Secundò, dato quòd non possit sacrificari sub vnica specie: responderi potest, non inde sequi, non posse vnam solam validè consecrari. Licet enim Christus vnicam dederit potestatem consecrandi & sacrificādi: potuit tamen illam dare valentem ad vtrumque tam coniunctim, quàm diuisim: nempe ad sacrificandum consecrando, & ad consecrandum non sacrificando, de facto, non de iure: in quo etiam non possit Ecclesia dispensare, vt paulò ante diximus. Non video autem quomodo intentio sacerdotis faciat, vt validè consecret vnicam speciem, si non habet potestatem consecrandi nisi sacrificando, & non potest sacrificare, nisi vtramque speciem consecrando. Aut quomodo ille qui ex malitia vult vnam solam speciem consecrare; habeat intentionem sacrificandi; aut non excludat intentionem sacrificandi, siquidem non potest per vnicam sacrificari, vt supponit auctor citatus. Hoc enim supposito, velle vnam tantùm consecrare, est velle non sacrificare. Velle autem non sacrificare absolutè, vt facit is, qui vult & facit hoc ex malitia, excludit manifestè intentionem sacrificandi. Quare verum non est, in hac suppositione, intentionem sacrificandi posse stare cum intentione non consecrandi alteram speciem.

SECTIO II.

An materia consecranda debeat esse præsens ministro consecranti: & certa ac definita in eius intentione.

7. *Materia debet esse præsens consecranti.* RESpondeo affirmatiuè, idque ita necessarium esse, vt alioqui consecratio nulla sit. Prima responsi pars est communis Theologorum, debetque intelligi de præsentia sensibili, quantum est ex se, quā scilicet aliquid externis sensibus sufficienter propositum est atque propinquum: non autem de præsentia tantùm intelligibili vel imaginabili, quā res intellectui vel imaginationi per cognitionem quodammodo repræsentatur. Debet etiā intelligi nō de quacúque præsentia sensibili ex quocunque loco remoto, ex quo res sentiri possit: sed de illa, quā res ita est propinqua, vt moraliter præsens, id est, ferè indistans à cōsecrante censeri possit, vt notat Tolet. lib. 2. Summæ cap. 25. num. 5. Et quidem Christus materiam sensibiliter præsentem ac moraliter indistantem consecrauit, idque censentur exigere verba formæ demonstratiua, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Nimirum ita vt corpus & sanguis sub speciebus quasi ad manum posita demonstrent. Et confirmatur, quia Eucharistia consecratur sacrificando. Res autem sacrificata, seu materia sacrificii, debet esse propinqua sacrificanti, & velut in manu illius posita, vt ab illo offeratur, & immutetur. Et verò nō potest aliter immutari à Sacerdote quoties immutatio fieri debet per actionem illius physicam & naturalem, vt fiebat in omnibus sacrificiis legis antiquæ: de Eucharistico autem simili modo quoad propinquitatem philosophandum est, cum proportione. Licet non tam perfecta requiratur, vt dicemus paulò post, quia illius immutatio fit tantùm moraliter à sacerdote. Estque inauditum, & absurdum existimare, posse sacerdotem consecrare simul omnem panem, qui est vbique terrarum, & vinum similiter, quantumcunque distent. Imò non sufficit partem materiæ consecrandæ esse sufficienter præsentem & propinquam: sed debet tota secundum se totam, ac non tantùm secundum aliquid sui. *Non sufficit partem materiæ esse præsentem.* Alioqui sacerdos iuxta mare stans, posset totum illud consecrare si vinum esset, aut si aqua esset materia calicis. Quare si materia sit tanta, vt secundum se totam non sit præsens sensibiliter, & sufficienter propinqua, non tota consecratur, sed id tantùm quod est propinquum & præsens sufficienter. Et quidem reliquum non nisi valde impropriè & denominatiuè præsens & propinquum dicitur. Alioqui totus aër, quātus est in sua sphæra, mihi propinquus esset, quando aliqua eius pars cum aliis continua mihi propinqua & immediata est.

8. *Quænam propinquitas materiæ requiratur?* Difficultas verò est, quanta & qualis esse debeat hæc propinquitas & præsentia sensibilis materiæ? Dicunt aliqui non debere distare ducentos passus, quamuis ibi videri possit. Neque esse vltra murum, vel quid simile, impediens ne possit sensibiliter humano modo demonstrari. Cuiusmodi non sunt censenda ea, quæ ad includendam rem huiusmodi instituta sunt, vel tanquam mera adiuncta continentia se habent, vt pyxis sacra ad hostias continendas: & arca vel crumena ad aurum continendum. Ostensâ enim crumenâ in qua pecunia continetur, aptè dices: Hæc est mea pecunia. Item materiam consecrandam non debere esse à tergo consecrantis: quia ibi non potest sensibiliter demonstrari per verba physicè prolata, ac vi sola ipsorum. Verùm hoc postremum non est certum. Possumus enim manu digitoue intento demonstrare sensibiliter per pronomē, *Hoc*, ea quæ sunt à tergo. Quod sufficit: æquè ac sufficeret vnam hostiam è multis designare digito, ad illam præ aliis consecrandam, & demonstrandam specialiter per verba, quæ alioqui per se sola non eam designarent potiùs, quàm alias. Quod etiam attinet ad propinquitatem, non potest illa certò & præcisè ab hominibus definiri, & certa regula præscribi: sed in dubio de illa mora-

liter & prudenter iudicandum eſt: In praxi verò vſus Eccleſiæ ſeruari debet. Nam ſine dubio ſufficit præſentia & propinquitas illa, quam Eccleſia iudicat ſufficere. Quare non eſt neceſſe, vt tangatur materia, vel in manibus phyſicè habeatur, aut haberi vel tangi poſſit: Neque vt videatur ſiue tota, ſiue ex parte: neque vt verborum ſonus ad illam vſque perueniat: cùm ex vſu & ſenſu Eccleſiæ conſtet oppoſitum: quippe quæ calicem coopertum, & formas ſub aliis exiſtentes, & neque attrectatas manibus, neque viſu perceptas, & materiam remotiorem, quàm vt extenſa manu, vel ſono verborum attingi poſſit à ſacerdote demiſſiùs loquente, conſecrari validè cenſet.

9. Materia conſecrationis debet eſſe determinata in intentione conſecrantis.

Secunda pars reſponſi, quòd ſcilicet materia conſecranda debeat eſſe certa & definita in intentione conſecrantis, eſt communis Theologorum, & probatur primò ex verbis formæ conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, quibus ſacerdos, ea proferens practicè, demonſtrat aliquid determinatum & ſenſibile, nempe corpus & ſanguinem Chriſti ſub his ſpeciebus ſenſibilibus. Probatur ſecundò ex dictis diſput. 22. de Sacramentis in genere, ſect. 4. & 5. nempe quia intentio miniſtri ſacramentorum debet eſſe practica, & operatiua ex dominio ipſius miniſtri, & determinatione, ac quaſi diſpenſatione circa tale ſubiectum præ alio, aut circa talem materiam præ alia. Item vis & actio efficiendi ſacramentum verſari debet circa aliquid ſingulare & determinatum, quod efficiat, aut in quod agat. Hæc autem determinatio non eſt ex ipſa rerum natura, vt in agentibus naturalibus: ſed ex determinatione intentionis miniſtri, qui poteſt è pluribus æqualibus eligere, quod vult; & agere in remotius, propiori relicto: Ergo intentio miniſtri debet verſari circa materiam determinatam, ad quam vim ſuam applicet. Atque hæc ratio generalis ſpecialiter locum habet in hoc ſacramento: quia vt iam diximus, ipſius forma ſpecialiter id exigit, cùm demonſtret ſenſibiliter id quod fit; adeóque poſtulet aliquid determinatum quod demonſtret per has propoſitiones, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, quæ non ſignificant neque demonſtrant corpus & ſanguinem Chriſti ſimpliciter & præciſè ſecundum ſe ſola, ſed vt poſita ſub his ſpeciebus, & quodammodo ſenſibilia. Atqui intentio miniſtri reſpondere debet & quadrare verbis, quibus conſecrat, & verba ſimiliter intentioni. Cùm igitur verba ſint demonſtratiua, quæ pro ſuo ſignificato poſtulant aliquid certum & determinatum: talis etiam debet eſſe intentio. Ideóque materia indefinita non poteſt conſecrari, quia non poteſt demonſtrari & determinatè ſignificari.

10. Non poteſt vna inter plures indeterminata conſecrari.

Vnde ſequitur primò, Non conſecraturum ſacerdotem qui de tribus hoſtiis vellet vnam tantùm conſecrare, non determinando quam. Ratio eſt, quia talis intentio eſt indeterminata. Et deinde nulla eſt ratio, cur vnam conſecret magis, quàm aliam tali intentione: atqui non omnes conſecrat, quia non intendit omnes conſecrare: ergo nullam: cùm non ſit ratio, cur hanc potius, quàm aliam: ſiquidem non magis intendit conſecrare hanc, quàm illam. Notandum tamen, quòd ſi quis duas loco vnius attuliſſet per errorem, ſufficeret vt generali intentione vellet conſecrare quicquid præſens habet: quemadmodum communiter fit. Per hanc enim confuſam & generalem intentionem ſatis derogaret errori ſuo, & vellet determinatè vtramque conſecrare poſito quòd ſint duæ. Idémque dico de eo, qui tulit duodecim hoſtias, putans ſe decem tantùm attuliſſe, vult tamen, confuſè ſaltem (vt ordinariè fit) conſecrare quicquid habet præ oculis, ſeu ſuper altare poſitum ad conſecrandum. Etenim communiter intentio conſecrantium eſt, atque eſſe debet, vt velint conſecrare omnes hoſtias ad conſecrandum allatas, vel ſibi propoſitas ſuper altare, more & modo communi, quo proponi ſolent. Hoſtias, inquam, non particulas exiguas, quæ ab illis excidunt ante conſecrationem. Et ſimiliter totum vinum quod in calice continuum eſt, non guttulas intra vel extra calicem à continuo diuiſas, niſi facilè ſint in continuum fluxuræ, vt quæ prope à fundo abſunt. Quod ſcrupuloſis notandum eſt, ne de aliis ſint nimis ſoliciti.

11. Nec medietas hoſtiæ indeterminatè.

Sequitur ſecundò, Non conſecraturum eum qui vellet tantùm mediam partem hoſtiæ conſecrare, non determinando quam. Idémque dico de duobus, quorum vnus vellet conſecrare vnam medietatem, alter alteram. Niſi enim quiſque determinet medietatem, quam conſecrare intendit, non conſecratur tota hoſtia. Imò nil conſecratur, ſi neuter determinet. Si autem vnus determinat, alius non; qui determinat, conſecrat ſuam medietatem; alius verò non conſecrat.

Nec aliquot partes proportionales.

Sequitur tertiò, Falſum eſſe quod docet Maior in 4. diſtinct. 11. quæſt. 2. poſſe ſacerdotem conſecrare omnes partes hoſtiæ proportionales impares, primam, tertiam, quintam, & ſic de cæteris; relictis omnibus paribus intermediis, hoc eſt ſecunda, quarta, ſexta, & ſic de cæteris. Quia impoſſibile eſt determinare ſenſibiliter & demonſtrare tales omnes partes impares, præciſè ab omnibus paribus, in ſententia Ariſtotelis de compoſitione continui ex ſemper diuiſibilibus, quam Maior cum aliis Nominalibus tenet. Partes enim proportionales ſunt communicantes, & continent aliæ alias ſimiliter diuiſibiles in duas medietates in infinitum, in quarum qualibet ſunt ſine fine pares & impares: adeò vt nulla præciſè ſit prima, tertia, quinta. Sitque impoſſibile, etiam per abſolutam Dei potentiam, ſumere primam proportionalem & tertiam, relicta ſecunda intermedia: cùm quæcunque ſumatur, ſit diuiſibilis in infinitas, contineatque in ſeipſa

infinitas secundas, infinitas tertias, & quartas, & sic deinceps sine fine: nullaque sit præcisè prima, quæ non sit etiam secunda, tertia, & aliæ infinitæ, in quas diuidi potest.

12. Nec hostia quam Deus determinabit.

Sequitur quartò, Eum non consecrare, qui ex decem hostiis vult duas tantùm consecrare, quas Deus determinauerit: vel ex eadem hostia eas solùm partes, quas Deus designauerit. Ratio est, quia neque ipse determinat, neque Deus determinabit, quia non concurret specialiter ad illum modum cõsecrandi illicitum & sacrilegum. Sed quid si supponamus Deum determinare? Respondeo, Si Deus determinauerit ante consecrationem, & suam determinationem consecranti significauerit, consecrationem fore validam: quia consecrans habet, ad quid determinet suam intentionem, quodque demonstret sensibiliter per pronomen, *Hoc*, illas nempe hostias, quas Deus illi significauit velle consecrari: aut potiùs corpus Christi sub illis speciebus. Sin autem Deus suam determinationem non significauerit: Existimo cum Suare, Vasque, Mærat. & aliis consecrationem fore nullam. Idemque dico de eo, qui vellet è decem consecrare duas, quas alius homo determinaret, nisi iste priùs suam determinationem alteri significaret. Quia Ministri ipsius est determinare suam intentionem, & ad certum quid eam applicare, illudque determinatè designare & demonstrare per hæc verba, *Hoc est corpus meum.* Si autem determinatio alterius ipsi occulta est, non potest intentio ministri per ipsummet, neque significatio verborum, præcisè prout ab illo proferuntur, ad certum aliquid referri: atque ita nihil poterit designare & determinatè demõstrare pronomine *Hoc*. Confirmatur: Quia intentio ministri debet quadrare verbis, & verba intentioni, vt paulò ante diximus. Atqui non quadrat in casu posito. Nam si ipse definitè signare nequit duas illas hostias inter multas alias: nullo modo potest illas indicare sensibiliter, & significare determinatè pronomine *hoc*, atque ab aliis secernere sua demonstratione, & determinatione.

13. Argumenta contraria.

Obiicies 1. Sacrificium Eucharistiæ oblatum à ministro pro eo, cui Deus prodesse voluerit, potest ei prodesse per solam Dei determinationem. 2. Qui audita multorum confessione vellet eum solum absoluere, qui certum aliquod, & proprium sibi peccatum, putà homicidium, confessus esset, validè absolueret: licet eum inter alios non dignosceret, vt ad illum speciatim verba formæ dirigeret, *Ego te absoluo* &c. 3 Qui auditis multis venialibus, vellet à duobus solùm absoluere, non determinando à quibus, absolueret tamen. 4. Pœnitens qui confusè tantùm meminit se commisisse peccatum mortale, & ignorat quodnam: potest tamen ac debet ab illo absolui: sicut & pœnitens moribundus confusè tantùm significans se commisisse aliqua peccata, quæ non potest speciatim proponere. 5. Sacerdos cæcus validè consecraret, qui super duas hostias è pluribus, ab alio tactas, aut in manus acceptas, formam proferret, dicens: Volo ex omnibus illis consecrare solas illas, quas tangis aut tenes in manibus: & tamen tunc determinatio æquè per aliũ fieret, ac si sacerdos diceret Volo consecrare solas illas, quas tu intendis & vis consecrari. 6. Sacerdos potest sola intentione interna è duabus hostiis aequè præsentibus vnam eligere & consecrare, absque vllo signo sensibili, quo significet se consecrare vnam potiùs, quàm aliam, vt fit ad probandos energumenos. Ergo non est necesse sacerdotem demonstrare sensibiliter, aut designare hostiam, quam consecrat. 7. Quidni possit sacerdos validè consecrare vnã è duabus secundum Dei intentionem, vel alterius, si illi constet vnam à Deo, vel ab aliquo alio intendi, licet ipse determinatè non nouerit quam? Tunc enim sacerdos illam determinatè intendit, & demonstrat, quatenus suam intentionem & verba formæ refert atque determinat ad intentionem alterius. Neque obest, quòd respectu sacerdotis, & aliorum ignorantium determinationem alterius, indicatio sit confusa: quia sicut ad esse sacramenti Eucharistiæ in conseruari sufficit confusa indicatio per verba formæ moraliter remanentia: vt fieret, si in sacra pixide hostiæ non consecratæ miscerentur consecratis, ita vt ab illis discerni non possent: aut quando aqua, vel vinum non consecratum, admixtum est consecrato, à quo discerni nequit, vt quotidie contingit: sic ad Eucharistiam in fieri, sufficit indicatio non omnino determinata, sed confusa respectu aliquorum, à quibus humanitùs discerni nequeat id quod consecratum est. 8. Denique potest quis validè consecrare, licet nolit consecrare minutissimas illas hostiæ particulas, quæ excident è toto post consecrationem inter sacrificandum aut vtendum; licet illas ipse non nouerit, neque ab aliis secernere dum consecrat, & determinare possit.

Ad primum Respondeo primò, negando consequentiam: Differentia enim est: quia qui offert sacrificium, non debet eum demonstrare sensibiliter, pro quo offert. Secundò, Nego antecedens: tunc enim nulli proderit sacrificium peculiari intentione: quia ministri est determinare, non Dei. Quare nisi minister aliquo modo determinet, putà, quia vult ei prodesse, quem Deus nouit magis egere, aut quid simile: nulli proderit specialiter, sed Ecclesiæ, & iis omnibus, pro quibus communiter offertur. Ad secundum Respondeo, Non esse de essentia sacramenti Pœnitentiæ, vt minister demonstret eum quem absoluit, ac sensibiliter secernat ab aliis. Neque hoc sonat particula, *Te*: sed tantùm vt ad eum præsentem suam intentionem & absolutionẽ dirigat. Ad 3. Nego assumptum. Neque enim à duobus illis absolueret, nisi determinaret. Ad 14.

14. Quæ intentio requiratur vt sacrificium prosit alicui?

4. Di-

14. Dico, in priori casu intentionem ministri ferri determinatè in hoc peccatum, qualecunque illud sit. In posteriori, ferri etiam determinatè in omnia peccata pœnitentis, confusè licet cognita. Aliud autem est ferri intentione confusa, id est, indeterminata, in hoc aut illud è multis: Et aliud, ferri determinata intentione in vnum quid, licet confusè, id est, imperfectè cognitum, ita tamen vt illud intendamus qualecunque sit; aut in aliquod totum, quod velimus adæquatè, qualecunque & quantumcunque sit; licet quale & quantum sit non nouerimus.

15. Ad quintum Respondeo, Sacerdotem illum æquè tunc hostias consecrandas per se determinare, ac si diceret: Volo eas solas consecrare quæ sunt super Corporale, relictis aliis quæ sunt extra super altare. Ac licet oculis eas discernere non possit, est enim cæcus, vt supponimus: tamen potest tactu. At non ita est de mera Dei vel alterius intentione occulta. Tunc enim sacerdos non habet, quò per seipsum intentionem suam & demonstrationem dirigat, quodque præ aliis designet vi verborum prout à se prolatorum. Ad sextum, admisso antecedente distinguo consequens: Non est necesse vt sacerdos signo sensibili patefaciat aliis quò dirigat suam intentionem, & quid dmonstret per verba formæ, concedo. Non est necesse, vt ipse formam sensibilem & sensibiliter demonstratiuam determinet ad aliquid certum, & applicet alicui vi suæ intentionis, & vi verborum vt à se prolatorum specialiter designato & indicato, nego.

16. Ad septimum: Sicut actio consecrandi debet tota esse à solo ministro: ita & intentio applicans potestatem consecrandi: est enim ministri intendere, sicut & agere: nam agit per potestatem sacerdotalem propria intentione applicatam, ac vi eius solius operantem: ab alio enim applicari nequit. Licet autem ad sacramentum Eucharistiæ in conseruari sufficiat confusa aliquo modo demonstratio verborum formæ moraliter remanentium: secus tamen in fieri. Quia plus requiritur ad fieri, quàm ad conseruari. Quemadmodum consensu omnium requiritur ad fieri præsentia sensibilis materiæ consecrandæ, & ministri: secus autem ad conseruari. Item ad fieri requiritur physica verborum pronunciatio, secus ad conseruari. Sic ergo aliquid requiritur ad modum demonstrandi, quando proferuntur verba, quod non requiritur, quando moraliter remanent.

Ad 8. Respondeo, Licet aliquis nolit consecrare particulas, minutissimas quæ excidêt è toto, adhuc esse materiam sufficientem quæ demonstratur determinatè: nempe ferè totum, præ quo illæ particulæ, & veluti atomi, nihil æstimantur. Sicut dicendum est de aqua modicissima vino infusa, si non conuertatur in vinum ante consecrationem, ac proinde neque in sanguinem Christi: quæ non impedit, quin vinum, quod præcipuum est & ferè totum, sensibiliter demonstretur, dicendo, *Hoc est vinum*: aut sanguis Christi sub speciebus vini, per hanc propositionem, *Hic est sanguis meus*. Puto autem hunc modum consecrandi, tametsi validum, illicitum esse, & contrarium praxi Ecclesiæ, iubentis particulas illas exactissimè colligi.

SECTIO III.

An panis & vinum quantæcunque magnitudinis aut paruitatis consecrari possit?

17. *Status quæstionis.* QVæstio est de facto seu validè, non de iure seu licitè. Peccaret enim sine dubio, qui plus materiæ consecraret, quàm decenter conseruari, & à fidelibus consumi possit; vel quàm possit sensibus percipi, & reuerenter tractari vel sumi. Quæstio item est, an quantacunque magnitudo panis & vini consecrari possit, quantum est ex se, & quantum est ex vi formæ ac potestatis sacerdotalis, si aliunde non desit conditio præsentiæ sensibilis, de qua dictum fuit suprà.

Materia quantæcunq; magnitudinis consecrari potest. Hoc ergo statu quæstionis præsupposito Respondeo & Dico primò, Quantamcunque panis & vini magnitudinem consecrari validè posse; & nullam esse adeò magnam, qua maior consecrari non possit, dummodò sit sufficienter præsens consecranti. Ita Theologi communiter cum D. Thoma q. 74. art. 2. Ratio præcipua est: quia de fide est Christum dedisse sacerdotibus potestatem consecrandi panem & vinum: & nulla constat auctoritate, vel traditione, aut ratione, Christum limitasse hanc potestatem ad certum terminum magnitudinis, quo maior, licet sensibiliter præsens, consecrari non possit. Ergo temerè limitaretur. Maior est certa ex Scriptura & Conciliis. Minor patebit ex solutione obiectionum.

18. Contrarium enim sentiunt D. Bonauent. in 4. dist. 10. 2. parte distinctionis a. 2. q. 4. Alensis p. 4. q. 34. membro 1. a. 3. §. 6. Angelus V. Eucharistia 1. num. 25. & pauci alii, affirmantes dari certum terminum quantitatis, vltra quem maior consecrari non possit. 1. Quia virtus sacerdotis & verborum finita est: virtus autem finita habet de se terminum certum, vltra quem non potest operari. 2. Cùm hoc sacramentum sit institutum in vsum fidelium, iudicandum est Christum dedisse tantùm potestatê consecrandi quantitatem, quanta fidelium vsui accommodata esset: nam prudens modus institutionis id exigit; & contra prudentiam esset dare potestatem, quæ non foret in ædificationem, & fini suo consentanea.

D. Thom. Soluuntur argumenta contraria sententiæ. Ad primum Respondeo, Virtutem sacerdotis & verborum consecrationis esse tantùm moralem, ad Deum mouendum infallibiliter vi institutionis; & non esse à Deo limitatam ad certam magnitudinem, quâ maior dari possit sensibiliter præsens, sed quantum est de se, extendi ad omnem panis quan-

titatem seu magnitudinem vlterius possibilem: eóque sensu dici posse infinitam seu illimitatam, quamuis physicè sit finita, quia est ipsa verba à Christo instituta. Confirmatur quia de ista virtute philosophandum est, vt de virtute sacerdotum remittendi peccata, cùm Deus illi non magis, quàm isti, limites posuerit in institutione; sed illi pro materia *circa quam*, assignauerit panem & vinum absolutè ac sine limitatione, sicut isti pro materia assignauit peccata. Atqui sacramenta v. g. Baptismi & Pœnitentiæ, quæ peculiariter & per se sunt instituta ad peccata remittenda, valent ad plura & plura in infinitum, ac sine limitatione: Ergo, &c.

19. Ad secundum Respondeo, Quamuis potestas consecrandi sit collata sacerdotibus in vsum fidelium: non tamen ita vt plus consecrari non possit, quàm sufficiat ad vsum fidelium. Quemadmodum licet collata sit eadem potestas in bonum vsum: non tamen ita vt mali sacerdotes eâ malè vti non possint, & ficti pœnitentes non indignè & sacrilegè, si velint, accedant. Quare aduersariorum coniectura non est bona: ex qua præterea sequeretur hoc incommodum, quòd sæpè in dubio versaremur, an possit fieri noua consecratio. Quis enim sciat, num quis malitiosè vel imprudenter iam consecrauerit, quantum ad vsum satis esse possit? & cùm plurimæ hostiæ simul consecrantur, vt sæpè fit; dubitari posset, num plures sint quàm sufficiant ad vsum fidelium, & consequenter an omnes sint consecratæ, imò an vlla ex illis: quia vel omnes, vel nulla: cùm intentio Ministri, & determinatio, non magis in vnas, quàm in alias feratur. Neque propterea contra prudentem modum institutionis quidquam factum est. Quin potiùs id eximiæ sapientiæ opus fuit. Cùm enim Christus ex malo vsu, vel modo consecrandi non patiatur damnum: multum autem intersit, vt potestas ministri certa sit, ne de illa facilè dubitari possit: consentaneum fuit rationi, vt semper haberet effectum, quoties forma à Christo instituta super materiam ritè pronunciaretur. Neque ideò potestas hæc non fuit data in ædificationem, licet per accidens possit quis ea abuti ad destructionem.

20. Materia quantumlibet parua consecrari potest, modo sensibilis sit.

Dico secundò panem & vinum quantæcunque paruitatis consecrari posse, dummodò sensibilis sit. Probatur, quia est verè panis & vinum, vt supponimus, quæ duo à Conciliis assignantur pro materia Eucharistiæ: & cùm sensibilia sint, possunt per verba formæ sensibiliter demonstrari. Christus etiam potest sub illis poni, quippe qui spiritali & indiuisibili modo est totus in toto, & totus in qualibet parte quantumuis exigua. Quare nihil impedit, quo minùs forma consecrationis possit tali materiæ validè applicari: validè, inquam, quamuis illicitè. Vt enim licitè consecratio fiat, seruandus est vsus Ecclesiæ, tam quoad paruitatem, quàm quoad magnitudinem: & habenda est ratio decentiæ, & finis, propter quem panis & vinum consecrantur: vt scilicet commodè vsui esse possit ad sumendum, adorandum, & ad alios vsus sacros.

Dixi, *Dummodò sensibilis sit*: quia si panis & vini diuisio procedere possit vsque ad panes insensibiles, manente licet substantia panis & vini (de quibus alioqui nulla est ratio dubitandi) probabilius, imò certum mihi videtur non posse consecrari, neque sufficere ad materiam sacramenti Eucharistiæ, si tam exiguæ sunt, vt acutissimis sensibus naturaliter percipi non possint, & humano modo sensibiliter demonstrari. Nam verba formæ consecrationis sunt demonstratiua sacramentaliter, id est, sensibiliter; debéntque aliquid demonstrare humano modo sensibile: Sacramentum quoque Eucharistiæ debet esse sensibile, non tantùm ex parte formæ; sed etiam ex parte materiæ, quæ talis esse debet, vt per pronomina formæ demonstratiua sensibiliter demonstretur: Ergo particulæ panis & vini insensibiles non possunt consecrari. Quod intelligo de particulis illis siue extra totum sumptis, siue in toto aliquo solitariè spectatis, ita vt solæ consecrari intendantur. Cùm enim sumptæ solitariè non sint sensibiles; non sunt aptæ consecrationi, neque possunt solæ per verba designari. Idémque dico de particulis, si quæ sunt tales, vt sub illis solis forma panis & vini consecrari non possit, si nimirum panis & vinum habeant minimum naturale, infra quod esse non possint. Nam quod per se solum non est panis & vinum, non potest etiam solum consecrari: solum, inquam, & solitariè: alioquin enim non est dubium, quin particulæ quamuis exiguæ, & diuisibiles in infinitum, consecrentur simul cum toto. De fide enim est, totam planè hostiam secundum omnes suas partes consecrari, ita vt nihil substantiæ panis remaneat; vinumque similiter, vt docet Concilium Tridentinum sessione decima tertia, capite tertio, & canone secundo. 21. Materia insensibilis non potest consecrari.

22. Contraria sententia.

Consentiunt Suarez, Vasquez, Aegidius Coninck, Maratius, & alii Recentiores communiter post Alensem, sanctum Bonauenturam, Diuum Thomam, & alios antiquiores. Contrarium tamen docent Sotus in quarto, distinctione nona, quæstione vnica, articulo secundo, & Valentia quæstione secunda de Eucharistia, puncto secundo, dubio secundo, affirmantes particulam quamlibet, etiam adeò paruam, vt sentiri non possit, consecrari validè posse. Primò, Quia de ratione sacramenti solùm esse videtur, vt sit signum in sua specie sensibile, cuiusmodi sunt panis & vinum, quæ sunt species sensibiles. Quod autem per accidens ratione paruæ quantitatis non sint sensibiles, nihil obstat. Secundò, Vt sacerdos hostiam consecrare possit, non est opus, vt ipse eam videat,

aut aliter sentiat. Nam sacerdos cæcus potest consecrare hostiam, quam nec videt, nec tangit, nec vllo alio sensu percipit. Quod autem ab alio videri possit vel sentiri, nihil facit ad rem. Neque est necesse, vt à quoquam sentiatur actu. Validè enim sacerdos ille consecraret, quamuis nullus alius consecrationi assisteret. Ergo non est necesse, vt materia consecrationis sit sensibilis actu. Tertiò, Si talis particula separaretur à toto, in quo, & cum quo per modum vnius consecrata fuit, maneret consecrata, essetque sub illa corpus Christi. Ergo poterat separatim consecrari. Antecedens patet ex Concil. Trident. sess. 13. can. 3. affirmante totum Christum contineri sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta. Et confirmatur ex communi omnium Doctorum sententia, quæ docet species consecratas, siue continuas, siue diuisas, tamdiu manere consecratas, & continere corpus & sanguinem Christi, quamdiu panis & vini substantia sub iisdem speciebus naturaliter fuisset conseruata.

23. Soluitur primum illius argumenti. Ad primum Respondeo primò, Id quod est insensibile in indiuiduo, esse quoque insensibile in specie prout ad ipsum contracta: quia licet alia quædam eiusdem speciei sensibilia sint, ipsum tamen secundum se totum est insensibile. Secundò, Vt aliquid in indiuiduo & secundum se sit sacramentum, debet esse sensibile in indiuiduo ac secundum se; & sensibile humano modo, id est, humanis sensibus naturaliter proportionatum, vt sit humanum sacramentum, hominum vsui & naturæ accommodatum, vt supponimus esse omnia legis nouæ sacramenta. Tametsi non est opus, vt sit sensibile omnibus, etiam iis, qui habent sensus imperfectos. Satis est enim, vt iis, qui habent sensus perfectos & acutos. Tertiò, Non per accidens tantùm, sed per se esse insensibile id, quod per se caret proportione quantitatis, vel qualitatis, ad sensum necessariæ, qualis est particula panis aut vini de qua loquimur in præsenti. Licet alia multa eiusdem speciei sensibilia sint, habeantque sufficientem proportionem ad sensum, & eo sensu dicatur illa particula esse sensibilis secundum speciem. Quartò, Quamuis per accidens tantùm esset insensibilis; esset quoque per accidens incapax consecrationis in tali statu. Quemadmodum licet panis & vinum secundum se possint sentiri: si tamen per accidens non possint demonstrari sensibiliter à consecrante propter nimiam distantiam, vel murum interpositum, quod illis est accidentarium, non possunt consecrari. Addo denique contra Valentiam suprà, non satis esse particulam illam de se insensibilem, Dei reuelatione, vel aliqua certa aut probabili ratione, vel nutu aut signo indicari. Neque enim potest consecrari, nisi ipsa per se humanis sensibus demonstrabilis sit, & quidem naturaliter: ita vt quamuis humani sensus attollerentur per miraculum ad illam percipiendam, nihilo tamen magis consecrabilis esset: quia sicut Christus formæ significationem determinauit ad materiam sensibilem & proportionatam sensibus humanis secundum vim ipsorum naturalem, illisque naturaliter demonstrabilem: sic ad eandem adstrinxit potestatem validè consecrandi, & efficiendi sacramentum Eucharistiæ.

24. Diluitur secundum. Ad secundum Respondeo, Aliud esse de facto à nullo sentiri defectu attentionis, vel applicationis sensuum: & aliud, non posse sentiri defectu proportionis necessariæ cum sensibus humanis, in quantitate, colore, vel aliis qualitatibus sensibilibus: & ad consecrationem non esse quidem necessarium actu sentiri: omninò tamen necessarium esse, vt materia sit actu sensibilis, quia verba formæ sunt demonstratiua sensibiliter, constituuntque sacramentum humano modo sensibile.

Particula insensibilis mane eine consecrata? Ad tertium Respondeo primò, Incertum esse, & non bene probatum, id quod assumitur, species scilicet insensibiles manere consecratas, id est, continere corpus & sanguinem Christi. Nam Trident. & Doctores Catholici possunt facilè intelligi de diuisione moraliter & humano modo facta, quæ non peruenit ad particulas omninò insensibiles: non autem de diuisione mathematica, qualis à Deo, vel ab Angelo, in partes minutissimas & prorsus insensibiles, nullique vsui humano per se vtiles fieri posset. Quod autem vrget Suar. disput. 43. sect. 8. Suarez. Concilia loqui absolutè, & non licere eorum definitionem restringere ad particulam minimam vel maiusculam, potest in ipsum euidenter retorqueri. Nam similiter Concilia loquuntur absolutè, cùm aiunt panem triticeum, & vinum de vite esse materiam consecrationis & sacramenti Eucharistiæ, vt Florentin. in Decreto 5. *Tertium est Eucharistiæ*. Et tamen per Suarem ipsum, si panis esset tam exiguus, vt esset insensibilis, non posset consecrari: neque vlla panis particula siue in toto, siue extra totum, sola potest consecrari, nisi sit tanta, vt possit sensibus humanis subiici, quemadmodum asserit sectione 7. disputat. cit. Ergo sicut licuit Suari restringere verba Conciliorum ad panem sensibilem respectu consecrationis: quidni liceat restringere respectu conseruationis? Confirmatur: Nam etiam Concilia absolutè definiunt, aquam veram & naturalem esse materiam Baptismi: & tamen constat ex ipsomet Suare disputatione vigesima, sectione secunda, & aliis communi consensu, non sufficere ad Baptismum quantulamcunque aquæ particulam, etiam insensibilem: estque communis sententia, necessarium esse vt corpus in aliqua principali parte, saltem mediocri aquæ quantitate tingatur. Ergo frustra Suar. in absoluta Conciliorum definitione vim facit.

titatem seu magnitudinem vlterius possibilem: eoque sensu dici posse infinitam seu illimitatam, quamuis physicè sit finita, quia est ipsa verba à Christo instituta. Confirmatur: quia de ista virtute philosophandum est, vt de virtute sacerdotum remittendi peccata, cùm Deus illi non magis, quàm isti, limites posuerit in institutione; sed illi pro materia *circa quam*, assignauerit panem & vinum absolutè ac sine limitatione, sicut isti pro materia assignauit peccata. Atqui sacramenta v. g. Baptismi & Pœnitentiæ, quæ peculiariter & per se sunt instituta ad peccata remittenda, valent ad plura & plura in infinitum, ac sine limitatione: Ergo, &c.

19. Ad secundum Respondeo, Quamuis potestas consecrandi sit collata sacerdotibus in vsum fidelium: non tamen ita vt plus consecrari non possit, quàm sufficiat ad vsum fidelium. Quemadmodum licet collata sit eadem potestas in bonum vsum: non tamen ita vt mali sacerdotes eâ malè vti non possint, & ficti pœnitentes non indignè & sacrilegè, si velint, accedant. Quare aduersariorum coniectura non est bona: ex qua præterea sequeretur hoc incommodum, quòd sæpè in dubio versaremur, an possit fieri noua consecratio. Quis enim sciat, num quis malitiosè vel imprudenter iam consecrauerit, quantum ad vsum satis esse possit? & cùm plurimæ hostiæ simul consecrantur, vt sæpè fit; dubitari posset, num plures sint quàm sufficiant ad vsum fidelium, & consequenter an omnes sint consecratæ, imò an vlla ex illis: quia vel omnes, vel nulla: cùm intentio Ministri, & determinatio, non magis in vnas, quàm in alias feratur. Neque propterea contra prudentem modum institutionis quidquam factum est. Quin potiùs id eximiæ sapientiæ opus fuit. Cùm enim Christus ex malo vsu, vel modo consecrandi non patiatur damnum: multum autem interfit, vt potestas ministri certa sit, ne de illa facilè dubitari possit: consentaneum fuit rationi, vt semper haberet effectum, quoties forma à Christo instituta super materiam ritè pronunciaretur. Neque ideò potestas hæc non fuit data in ædificationem, licet per accidens possit quis ea abuti ad destructionem.

20. Dico secundò panem & vinum quantæcunque paruitatis consecrari posse, dummodò sensibilis sit. Probatur, quia est verè panis & vinum, vt supponimus, quæ duo à Conciliis assignantur pro materia Eucharistiæ: & cùm sensibilia sint, possunt per verba formæ sensibiliter demonstrari. Christus etiam potest sub illis poni, quippe qui spiritali & indiuisibili modo est totus in toto, & totus in qualibet parte quantumuis exigua. Quare nihil impedit, quo minùs forma consecrationis possit tali materiæ validè applicari: validè, inquam, quamuis illicitè. Vt enim licitè consecratio fiat, seruandus est vsus Ecclesiæ, tam quoad paruitatem, quàm quoad magnitudinem: & habenda est ratio decentiæ, & finis, propter quem panis & vinum consecrantur: vt scilicet commodè vsui esse possit ad sumendum, adorandum, & ad alios vsus sacros.

Materia quantumlibet parua consecrari potest, modo sensibilis sit.

Dixi, *Dummodò sensibilis sit*: quia si panis & vini diuisio procedere possit vsque ad panes insensibiles, manente licet substantia panis & vini (de quibus alioqui nulla est ratio dubitandi) probabilius, imò certum mihi videtur non posse consecrari, neque sufficere ad materiam sacramenti Eucharistiæ, si tam exiguæ sunt, vt acutissimis sensibus naturaliter percipi non possint, & humano modo sensibiliter demonstrari. Nam verba formæ consecrationis sunt demonstratiua sacramentaliter, id est, sensibiliter; debéntque aliquid demonstrare humano modo sensibile: Sacramentum quoque Eucharistiæ debet esse sensibile, non tantùm ex parte formæ; sed etiam ex parte materiæ, quæ talis esse debet, vt per pronomina formæ demonstratiua sensibiliter demonstretur: Ergo particulæ panis & vini insensibiles non possunt consecrari. Quod intelligo de particulis illis siue extra totum sumptis, siue in toto aliquo solitariè spectatis, ita vt solæ consecrari intendantur. Cùm enim sumptæ solitariè non sint sensibiles; non sunt aptæ consecrationi, neque possunt solæ per verba designari. Idémque dico de particulis, si quæ sunt tales, vt sub illis solis forma panis & vini consecrari non possit, si nimirum panis & vinum habeant minimum naturale, infra quod esse non possint. Nam quod per se solum non est panis & vinum, non potest etiam solum consecrari: solum, inquam, & solitariè: alioquin enim non est dubium, quin particulæ quamuis exiguæ, & diuisibiles in infinitum, consecrentur simul cum toto. De fide enim est, totam planè hostiam secundum omnes suas partes consecrari, ita vt nihil substantiæ panis remaneat; vinumque similiter, vt docet Concilium Tridentinum sessione decima tertia, capite tertio, & canone secundo. 21.

Materia insensibilis non potest consecrari.

Consentiunt Suarez, Vasquez, Aegidius Coninck, Maratius, & alii Recentiores communiter post Alensem, sanctum Bonauenturam, Diuum Thomam, & alios antiquiores. Contrarium tamen docent Sotus in quarto, distinctione nona, quæstione vnica, articulo secundo, & Valentia quæstione secunda de Eucharistia, puncto secundo, dubio secundo, affirmantes particulam quamlibet, etiam adeò paruam, vt sentiri non possit, consecrari validè posse. Primò, Quia de ratione sacramenti solùm esse videtur, vt sit signum in sua specie sensibile, cuiusmodi sunt panis & vinum, quæ sunt species sensibiles. Quod autem per accidens ratione paruæ quantitatis non sint sensibiles, nihil obstat. Secundò, Vt sacerdos hostiam consecrare possit, non est opus, vt ipse eam videat, 22.

Contraria sententia.

aut aliter sentiat. Nam sacerdos cæcus potest consecrare hostiam, quam nec videt, nec tangit, nec vllo alio sensu percipit. Quod autem ab alio videri possit vel sentiri, nihil facit ad rem. Neque est necesse, vt à quoquam sentiatur actu. Validè enim sacerdos ille consecraret, quamuis nullus alius consecrationi assisteret. Ergo non est necesse, vt materia consecrationis sit sensibilis actu. Tertiò, Si talis particula separaretur à toto, in quo, & cum quo per modum vnius consecrata fuit, maneret consecrata, essetque sub illa corpus Christi. Ergo poterat separatim consecrari. Antecedens patet ex Concil. Trident. sess. 13. can. 3. affirmante totum Christum contineri sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta. Et confirmatur ex communi omnium Doctorum sententia, quæ docet species consecratas, siue continuas, siue diuisas, tamdiu manere consecratas, & continere corpus & sanguinem Christi, quamdiu panis & vini substantia sub iisdem speciebus naturaliter fuisset conseruata.

23. Soluitur primum illius argumentū.

Ad primum Respondeo primò, Id quod est insensibile in indiuiduo, esse quoque insensibile in specie prout ad ipsum contracta: quia licet alia quædam eiusdem speciei sensibilia sint, ipsum tamen secundum se totum est insensibile. Secundò, Vt aliquid in indiuiduo & secundum se sit sacramentum, debet esse sensibile in indiuiduo ac secundum se; & sensibile humano modo, id est, humanis sensibus naturaliter proportionatum, vt sit humanum sacramentum, hominum vsui & naturæ accommodatum, vt supponimus esse omnia legis nouæ sacramenta. Tametsi non est opus, vt sit sensibile omnibus, etiam iis, qui habent sensus imperfectos. Satis est enim, vt iis, qui habent sensus perfectos & acutos. Tertiò, Non per accidens tantùm, sed per se esse insensibile id, quod per se caret proportione quantitatis, vel qualitatis, ad sensum necessariæ, qualis est particula panis aut vini de qua loquimur in præsenti. Licet alia multa eiusdem speciei sensibilia sint, habeantque sufficientem proportionem ad sensum, & eo sensu dicatur illa particula esse sensibilis secundum speciem. Quartò, Quamuis per accidens tantùm esset insensibilis; esset quoque per accidens incapax consecrationis in tali statu. Quemadmodum licet panis & vinum secundum se possint sentiri: si tamen per accidens non possint demonstrari sensibiliter à consecrante propter nimiam distantiam, vel murum interpositum, quod illis est accidentarium, non possunt consecrari. Addo denique contra Valentiam suprà, non satis esse particulam illam de se insensibilem, Dei reuelatione, vel aliqua certa aut probabili ratione, vel nutu aut signo indicari. Neque enim potest consecrari, nisi ipsa per se humanis sensibus demonstrabilis sit, & quidem naturaliter: ita vt quamuis humani sensus attollerentur per miraculum ad illam percipiendam, nihilo tamen magis consecrabilis esset: quia sicut Christus formæ significationem determinauit ad materiam sensibilem & proportionatam sensibus humanis secundum vim ipsorum naturalem, illisque naturaliter demonstrabilem: sic ad eandem adstrinxit potestatem validè consecrandi, & efficiendi sacramentum Eucharistiæ.

24. Diluitur secundum.

Ad secundum Respondeo, Aliud esse de facto à nullo sentiri defectu attentionis, vel applicationis sensuum: & aliud, non posse sentiri defectu proportionis necessariæ cum sensibus humanis, in quantitate, colore, vel aliis qualitatibus sensibilibus: & ad consecrationem non esse quidem necessarium actu sentiri: omninò tamen necessarium esse, vt materia sit actu sensibilis, quia verba formæ sunt demonstratiua sensibiliter, constituuntque sacramentum humano modo sensibile.

Particula insensibilis manet-ne consecrata?

Ad tertium Respondeo primò, Incertum esse, & non bene probatum, id quod assumitur, species scilicet insensibiles manere consecratas, id est, continere corpus & sanguinem Christi. Nam Trident. & Doctores Catholici possunt facilè intelligi de diuisione moraliter & humano modo facta, quæ non peruenit ad particulas omninò insensibiles: non autem de diuisione mathematica, qualis à Deo, vel ab Angelo, in partes minutissimas & prorsus insensibiles, nullique vsui humano per se vtiles fieri posset. Quod autem vrget Suar. disput. 43. sect. 8. Suarez. Concilia loqui absolutè, & non licere eorum definitionem restringere ad particulam minimam vel maiusculam, potest in ipsum euidenter retorqueri. Nam similiter Concilia loquuntur absolutè, cùm aiunt panem triticeum, & vinum de vite esse materiam consecrationis & sacramenti Eucharistiæ, vt Florentin. in Decreto 5. *Tertium est Eucharistiæ.* Et tamen per Suarem ipsum, si panis esset tam exiguus, vt esset insensibilis, non posset consecrari: neque vlla panis particula siue in toto, siue extra totum, sola potest consecrari, nisi sit tanta, vt possit sensibus humanis subiici, quemadmodum asserit sectione 7. disputat. cit. Ergo sicut licuit Suari restringere verba Conciliorum ad panem sensibilem respectu consecrationis: quidni liceat restringere respectu conseruationis? Confirmatur: Nam etiam Concilia absolutè definiunt, aquam veram & naturalem esse materiam Baptismi: & tamen constat ex ipsomet Suare disputatione vigesima, sectione secunda, & aliis communi consensu, non sufficere ad Baptismum quantulamcunque aquæ particulam, etiam insensibilem: estque communis sententia, necessarium esse vt corpus in aliqua principali parte, saltem mediocri aquæ quantitate tingatur. Ergo frustra Suar. in absoluta Conciliorum definitione vim facit.

25. Particula insensibilis non foret sacramentum, licet maneret consecrata.

Secundò tamen, dato, quod magis communiter asseritur, tanquam probabiliori, quodque verba Conciliorum reddit magis generalia, nempe species illas insensibiles manere consecratas, & continere adhuc corpus & sanguinem Christi; nego consequentiam argumenti supra propositi, posse nimirum easdem consecrari. Nam consecratio non potest fieri nisi verbis formæ sacramentalis physicè prolatis, quæ necessariò debent aliquid sensibile demonstrare, & præsens sensibiliter hic & nunc, saltem in actu primo. Nego pariter tales species fore sacramentum: quia de ratione sacramenti est, vt sit aliquid sensibile, cuiusmodi non essent illæ species, quamuis sub illis Christus contineretur. Neq; verum est quod ait Suar. supra, sensibilitatem requiri quidem in effectione sacramenti, non autem in conseruatione eius: nam ex eodem Suar. disp. 1. sect. 3. &, vt ibid. testatur, ex Theologorum omnium sententia, de ratione sacramenti nouæ legis est, vt sit signum sensibile, & signum hominibus accommodatum ad Deum colendum corpore & anima. Ergo quicquid est sacramentum nouæ legis, debet esse signum sensibile non tantùm in fieri, sed & in conseruari. Implicat enim vt tale sit, & permaneat, sine ratione, per quam constituitur tale. Atqui particula insensibilis remanens non est signum sensibile: neque per se, quandoquidem supponimus esse insensibilem; neque per verba, à quibus demonstrari nequit humano modo, & sensibiliter designari. Ergo particula talis non potest esse sacramentum Eucharistiæ, neque in fieri, neque in conseruari. Deinde licet ad consecrationem non sit ampliùs necessaria prolatio formæ, ex qua forma Suarez cum aliis rectè colligit materiam quæ consecratur, debere talem esse, vt sensibiliter designari possit per pronomina demonstratiua, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*: necessarium tamen est, vt eadem forma moraliter perseueret, & designet species consecratas, quæ non sunt alioqui per se solæ determinatæ ad sensibilem & sacramentalem significationem rei sacræ: neque distingui à nobis possent à speciebus non consecratis, vt fatetur Suar. disp. 42. sect. 2. §. vltimo, vbi nobiscum sentit de forma intrinseca sacramenti Eucharistiæ. Ergo sicut dum consecrantur, debent esse sensibiles, vt sensibiliter demonstrentur per verba formæ realiter prolata: ita quamdiu permanent in esse sacramenti, debent esse sensibiles, vt sensibiliter demonstrentur per eadem verba moraliter remanentia.

Suarez.

Verum quidem est, quod ait Suar. plura requiri, vt aliquid fiat, quàm vt conseruetur. Nam præter id quod fit de creatione animæ rationalis, & impressione characteris; certum est materiam panis & vini consecrari non posse, nisi ministro consecranti sit ita præsens, vt possit ab illo demonstrari sensibiliter. Quæ tamen præsentia non est necessaria, vt conseruentur species consecratæ, quia non pendent à ministro in conseruari. Sed nihilominus quando aliquid est tale, vt sit de ratione rei intrinseca & essentiali: illud non minùs est necessarium, vt res in suo esse permaneat, quàm vt fiat. Quapropter cùm esse signum sensibile sit de essentia sacramenti nouæ legis; implicat tale remanere, & non esse signum sensibile. Et speciatim cùm de ratione sacramenti Eucharistiæ sit esse sensibile ex parte specierum, vt supponitur ad veritatem formæ sensibiliter demonstrantis; implicat esse sacramentum Eucharistiæ, & species esse insensibiles. Quare huiusmodi species insensibiles non essent sacramentum, quamuis reipsa continerent corpus & sanguinem Christi.

26. Species insensibiles sintne sacramentum si coëant in vnum sensibile?

Sed quæres, an si huiusmodi species coirent iterum in vnum sensibilem, essent hoc ipso sacramentum Eucharistiæ sine alia consecratione? Respondeo affirmatiuè: posito quòd, vt iam supponimus, corpus & sanguis Christi sub illis manserint, & non perierit memoria formæ super eas prolatæ, ex qua id constet. Tunc enim illis nihil deest ad rationem sacramenti præter sensibilitatem, quæ aduenit eo ipso quòd coëunt in vnum totum sensibile. Secus autem dicendum esset posito quòd, vt Maior, Vasquez, & Mærat. docent, Christus non manserit, sub eiusmodi speciebus insensibilibus. Est enim planè improbabile, quod dicit Maior in quarta, distinctione vndecima, quæstione tertia, vt habetur in quibusdam exemplaribus, species illas insensibiles, si coëant iterum in vnam sensibilem, fore hoc ipso consecratas, & Christi corpus & sanguinem iterum continere. Nam si Christus desiit sub illis esse, rediit substantia panis & vini. Et vt iterum Christus sub illis speciebus ponatur, atque in ipsum conuertatur substantia panis & vini, opus est noua consecratione & transubstantiatione. Neque enim vllo modo id esse potest ex sola talium specierum coniunctione, sine actione alia, quâ Christus ibi constituatur, & panis aut vinum in ipsum conuertatur. Quia non minus actionis & virtutis requiritur ad reproductionem rei quæ esse desiit, secundum id quod desiit; quàm ad primam productionem.

Maior.

SECTIO IV.

Vtrum panis debeat esse triticeus?

27. Debet esse panis verus & vsualis.

Constat inter Theologos materiam huius sacramenti panem verum & vsualem esse debere. Qualis non est ille qui fit alicubi ex fructibus arborum, vel ex radicibus, aut leguminibus, aut aliunde quàm ex granis aristas & culmos proferentibus, quæ geno-

taliter frumenta nominantur, latè sumendo nomen frumenti, prout est genus ad triticum, hordeum, secale, auenam, & similia; vt sumitur à Plinio lib. 18. histor. Natur. c. 7. & 8. & ab Isidoro lib. 17. Ethymolog. cap. 3. & plerisque aliis; licet frequentiùs, tum in Script. tum apud Patres, & in communi modo loquendi, sumatur specialiter pro tritico: qua de re videri potest Ysambert. q. 74. disp. 1. art. 3. Imò neque sufficit massa farinæ frumenti aquâ subacta & incocta, vel oleo aut butyro frixa, vel aquâ elixa. Hæc enim & similia propriè, & secundum communem vsum loquendi, non sunt verè panis, sed massa, lagana, pultes, placentæ, liba, aut aliquid huiusmodi, siue à vero pane differant specie, siue accidentariò tantùm. Panis enim propriè dictus & vsualis ille solùm est, qui fit ex massa farinæ frumentaceæ aqua subactæ, & clibani vel simili calore decoctæ, & quasi assatæ, non autem elixæ vel frixæ. Controuersia verò est, an quilibet panis vsualis & frumentaceus sufficiat?

28. Gabr. Caiet. Affirmant Gabr. lect. 35. in can. & in 4. distinct. 11. quæst. 2. art. 2. conclus. 2. & Caietan. quæst. 74. art. 3. Eorum argumenta hæc sunt. 1. Quia Concilium Carthaginense III. dicit offerri posse de frumentis & vuis. Nimirum de frumentis in vniuersum, sicut de vuis. 2. Quia materia sacramenti debet esse communis & facilè parabilis in qualibet regione: cuiusmodi est frumentum in genere: at non triticum, quod in multis locis non reperitur. 3. Materia sacramenti debet esse certa & nota. Talis autem erit, si dicamus esse frumentum in genere. At verò triticum generaliter à non tritico distingui vix potest, vt controuersiæ ea de re inter Doctores satis ostendunt.

29. Panis triticeus solus est materia Euchar. Communis tamen & vera sententia Theologorum fere omnium, & in primis D. Thomæ quæst. 74. art. 3. præcedenti contraria est, asseritque solum panem triticeum esse materiam sacramenti Eucharistici. Quia nimirum ita fert institutio Christi; vt declarat tum vsus antiquissimus, tum Florentinum in Decreto Eugenii, cùm sic ait: *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Cùm enim materiam consecrationis panis restringit ad triticeum, sicut materiam calicis ad vinum de vite: significat non minùs esse necessarium & essentiale, vt sit panis triticeus, quàm vt sit vinum de vite. Nemo autem dubitat vinum vitigineum esse materiam calicis necessariam & essentialem. Et paulò post: *Definimus item in azymo, siue fermentato, pane triticeo, corpus Christi veraciter confici.* Quibus verbis indicat nihil quidem referre ad veritatem & valorem consecrationis, sitne panis azymus, an fermentatus: dummodò tamen sit triticeus.

30. Dices ibidem addi aquam vino admiscendam esse in calice, quod ex præcepto tantùm necessarium est. Ergo ex Concilij verbis non potest amplius colligi, quàm panem ex præcepto triticeum esse debere. Item non omnia quæ Florentinum in aliis sacramentis assignat pro materia, sunt materia essentialis. Nam quæ assignat pro materia singulorum ordinum, non adhibentur ab Ecclesia Græca, quæ tamen validè ordinat.

Ad primum Respondeo, Concilium aliter loqui de mixtione aquæ, ac de pane triticeo & vino vitigineo. Nam de illa ait tantùm *modicissimam aquam ante consecrationem admisceri debere*: nimirum ex præcepto, ad Christum imitandum, qui iuxta Patrum traditionem *creditur in vino aqua permixto hoc instituisse*, id est celebrasse *sacramentum*, & aquam miscuisse: non tamen vt essentialem & prorsus necessariam, sed ad alios fines ibi exponendos. De pane autem triticeo & vino vitigineo simpliciter pronunciat esse materiam, vt in Baptismo dixit de aqua: & de chrismate, in Confirmatione. Soluuntur argum. ea contraria.

Ad secundum Respondeo, Licet non omnia pro materia assignata à Florentino in singulis sacramentis, sint materia essentialis, vt de sacramento Ordinis patet ex diuerso ritu Ecclesiæ Græcæ, à Romana & Latina Ecclesia tolerato & approbato; non esse tamen facilè, ac sine valde vrgenti & graui fundamento existimandum, non esse essentialia quæ assignantur à Florentino, ne alioqui tota eius doctrina de sacramentis sit dubia & suspecta.

Huic primæ & potissimæ rationi sumptæ ab institutione, ex qua essentia sacramentorum definienda est, addi possunt congruentiæ D. Thomæ quæst. 74. art. 3. quibus probat conuenienter sic institutum esse. Primò, Quia panis triticeus communior & principalior est, cùm communiùs eo vtantur homines, & alii ob eius defectum introducti videantur. Secundò, Quia magis confortat, ideóque conuenientiùs effectum huius sacramenti significat. Tertiò, Quia meliùs Christum repræsentat, qui Ioannis duodecimo, comparatur grano frumenti, id est tritici. Addi quartò potest, quia Christus in triticeo celebrauit. Nam omninò credibile est, panem illum festiuum & paschalem, in quo Christus celebrauit, triticeum fuisse; imò ex flore farinæ triticeæ, præsertim verò in ea regione, quæ optimi tritici feracissima erat, vt ex Deuteron. 8. aliisque locis colligitur. Probatur rationib. congruis.

31. Ad primum ergo pro Gabrielis opinione argumentum Respondeo, Concilium Carthaginense sumere frumentum pro tritico, vt Deuter. 8. sumitur, vbi ab hordeo distinguitur. Et Genes. 44. initio, vbi frumentum repetitur pro tritico. Et Ioan. 12. *Nisi granum frumenti*, &c. id est, tritici, iuxta interpretationem D. Thom. q. 74. a. 3. 5. *Sed contra*, aliorúmque plurium. Ad secundum Respondeo, ad effectionem Eucharistiæ non magnam tritici quantitatem requiri, quæ satis facilè in quauis mundi regione comparari potest. D. Thom.

Ad tertium Respondeo, Differentiam inter triticum & alias species frumenti non esse incertam, neque obscuram, aut difficilem agriculturæ peritis, penes quos totum huius rei iudicium esse debet, non autem penes Doctores Scholasticos, quibus ne ipsa quidem frumentorum nomina satis sunt nota & certa. Vnde existunt nonnullæ inter eos verborum potiùs, quàm rerum controuersiæ. Plurimi enim inter se dissentiunt, quia per idem nomen diuersa intelligunt. Exempli gratiâ D. Thom. art. cit. ad secundum, negat ex farre confici posse materiam Eucharistiæ: quia per far non intelligit triticum, sed granum aliud simile tritico. Alii verò per far intelligunt optimum genus tritici, ex quo sine dubio fieri possit panis Eucharistiæ. Similiter alii per siliginem intelligunt secale, alii triticum præstantissimum, alii vt D. Thom. in solutione secundi argum. tritici speciem imperfectiorem. Quæ controuersiæ nullius sunt momenti, cùm absolutè & simpliciter constet materiam huius sacramenti necessariam ex omni & solo illo frumento confici debere, quod in quauis regione à peritis triticum esse certò creditur: siue omne huiusmodi frumentum sit eiusdem speciei, siue non: ac denique panem aptum vt assumatur in materiam Eucharistiæ, esse illum, qui fit ex tritico mola vel aliter contrito, & in farinam conuerso, admixtâ aquâ naturali, & factâ massâ, quæ clibani vel alio simili calore decocta verè ac propriè dicitur & est panis. Quod tamen ita non est intelligendum, ac si nulla prorsus alterius rei admixtio interuenire possit, quin destruatur sacramenti materia. Nam vt rectè ait D. Thom. ad 3. Modica permixtio alterius grani, quàm triticei, non impediret debitam consecrationis materiam. Idémque dico de modica permixtione alterius aquæ, quàm naturalis. Secus autem si magna & notabilis esset. Ratio D. Thomæ & communis hæc est, quia id quod est modicum, quodammodo absumitur à plurimo, & speciem non mutat. Quod moraliter potiùs quàm physicè intelligendum puto, in quo etiam genere parum pro nihilo reputatur.

SECTIO V.

Vtrum panis debeat esse azymus?

32. Non refert ad valorem sacram. sitne panis azymus an fermentatus.

Conclusio: Non est de necessitate sacramenti, vt panis sit azymus, vel fermentatus, sed vterque dummodò sit triticeus, est sufficiens sacramenti materia. De necessitate verò præcepti est, vt à Latinis sacerdotibus in Ecclesia Latina seruetur eius consuetudo consecrandi in pane azymo: à Græcis verò in Ecclesia Græca, consuetudo, consecrandi in fermentato. Latina tamen consuetudo rationabilior & conuenientior est. Hæc conclusio tota est D. Thomæ quæst. 74. art. 4. & Doctorum Latinorum communiter: ac duæ quidem priores eius partes confirmantur à Florent. cuius verba sunt, prout in compendio referuntur paulò post initium: *Definimus item in azymo, siue fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis, consuetudinem.* Idémque prius docuerat Leo IX. in epistola ad Michaëlem Cerularium, vbi prætereà monet, vt vnusquisque iuxta Ecclesiæ suæ ritum celebrare sinatur, etiamsi in alieno solo versetur: vt cùm v. c. sacerdos Græcus transit per loca Latinorum, aut in illis commoratur aliquandiu: vel cùm sacerdos Latinus inter Græcos peregrinatur. Quia nimirum hæ consuetudines non tam sunt diuersorum locorum particularium, quàm generales vtriusque Ecclesiæ. Conueniens autem est, vt quisque seruet consuetudinem Ecclesiæ suæ, quandiu pars illius est: tametsi tunc potest, si velit, conformare se eorum ritui & consuetudini, inter quos peregrinatur: iuxta caput *Illa autem*, dist. 12. ex Ambrosio & Augustino sumptum. Communiter tamen excipiuntur templa inter Latinos Græcis concessa, vt ibi propriam Ecclesiam habeant: in quibus solis Græcis licitum est celebrare ritu Græco: quia ibi non censentur Latini esse vt peregrini. Similitérque in templis Latinorum, si quæ in Græcia sunt, Latinis tantùm licet celebrare ritu Latino. In vtrisque verò tenentur Latini & Græci seruare consuetudinem antiquam suæ Ecclesiæ. Quia ibi censentur esse in sua Ecclesia, cuius consuetudo legitima vim habet præcepti, & ab vnoquoque qui est illius pars, seruari debet dum in illa versatur.

Leo IX. Sacerdotes Latini & Græci tenentur ritum seruare suæ Ecclesiæ quando in illa celebrant.

Quòd si quæras, vnde profluxerit hæc diuersitas consuetudinum? Respondeo originem esse obscuram. D. Thomas q. 74 art. 4. in fine corp. significare videtur consuetudinem Ecclesiæ Græcæ inductam fuisse in odium Nazaræorum, vel Ebionitarum, asserentium legalia esse obseruanda. Idémque docent Ricardus, Scotus, D. Bonauentura, Paludanus, Durandus, Alensis, & Dominicus Sotus, vt refert Vasq. disp. 174. cap. 1. num. 3. qui addunt Ecclesiam vtramque, Latinam & Græcam, à tempore Apostolorum Christum imitatam esse, & in azymo consecrasse. Exortâ verò hæresi Ebionitarum, quæ ipsis Apostolorum temporibus erupit, vniuersam Ecclesiam in fermentato consecrare cœpisse. Deinde hac occasione cessante Latinam ad azymum rediisse: Græcam in fermentato constanter perstitisse, sed non repugnante, neque contrarium præcipiente Romana, imò potiùs approbante, vt ex Leonis epistola citata manifestum est. Vndecunque verò profluxerit, constat ex eadem Leonis epistola antiquissimam esse, & mentiri hæreticos cùm dicunt, Alexandrum III. primò hunc morem induxisse celebrandi in azymis, vt nouitate rei admira-

33. D. Thom. Vnde illa diuersitas inter Eccles. Lat. & Græcam.

tionem concitaret. Nam Leo IX. Alexandro III. & II. antiquior est.

34. Latina cõsuetudo melior est Græcâ.

Superest tertia pars conclusionis, latinam videlicet consuetudinem meliorem esse, quam probat D. Thomas art. cit. Primò, quia conformior est institutioni Christi, qui in azymis celebrauit. Nam hoc sacramentũ instituit primo die azymorum, vt habetur Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. Quo die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, vt præcipitur Exod. 12. Secundò, quia panis azymus melius significat corpus Christi sine corruptione conceptum, & fidelium sinceritatem ac puritatem ad vsum huius sacramenti necessariam. Meliùs etiam veritas sic respondet figuris. Nam & Agnus Paschalis comedebatur cum azymis Exod. 12. & panes Propositionis azymi erant, vt colligitur ex Leuit. 2. v. 11. vbi præterea præcipitur, vt omnis oblatio quæ Deo offertur, absque fermento fit.

35. Contraria sententia.

Contrarium sentiunt Græci schismatici, authore Michaele Cerulario Patriarcha Cõstãtinopol. qui anno Christi 1050. damnare cœpit Latinos, quòd panes azymos cõsecrarent. Fundamentum eorum præcipuum est: quia Christus celebrauit in fermentato: ergo nec debet, nec potest aliter fieri. Probant antecedens. Quia Christus non celebrauit prima die Azymorum, vt aiunt Matthæus, Marcus, & Lucas, locis supra citatis: sed ante diem festum Paschæ, vt scribit Ioannes aliorum corrector cap. 13. Confirmatur, quia illo ipso die, quo Christus passus est, Iudæi Pascha comedebant, vt ostendũt verba illa Ioan. 18. *Ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Adde quòd idem dies vocatur *Parasceue Paschæ*, id est, Parasceue Sabbati, in quod Paschæ festum inciderat. Eademque de causa dicitur fuisse magnus dies ille Sabbathi Ioan. 19. v. 31. Deinde nisi ita esset, festum Pentecostes non incidisset anno illo in diem Dominicum, vt fert Ecclesiæ traditio. Nam illi quinquaginta dies sicut cœpissent numerari à die Sabbathi, qui fuisset secũdus azymorum: ita desiissent in diem sabatti, vt numeranti facilè patebit. Denique non est credibile ipso die Paschæ Christum fuisse crucifixum, & Iudæos criminaliter in ipsum processisse, aliaque fecisse, die illo, vtpote festo & solemni, prohibita. Maximè verò cùm Christum Dominum violatæ legis accusarent, & ea propter interficerent. Sed & sanctæ mulieres, quæ die sabbathi quieuerunt secundum legem, nec ausæ sunt ad monumentum ire, vel vt ait Lucas in fine capitis 23. *siluerunt secundum mandatum*: die tamen passionis parauerunt aromata: & Ioseph emit sindonem, & Christum deposuit ac sepeliuit. Cùm tamen nominatim Exodi 12. v. 16. die festo Paschæ, seu primo azymorum, interdictum esset omnibus operibus, iis exceptis, quæ ad vescendum pertinent.

Respondeo primò, Consequentiam nullam esse. Christus enim siue azymum, siue fermentatum adhibuit ad consecrationem, non adhibuit vt azymum, vel fermentatum, ex necessitate sacramenti aut præcepti; sed simpliciter vt panem triticeum. Quemadmodum siue vinum album adhibuit, siue rubrum, non adhibuit secundum tales differentias, sed simpliciter vt vinum vitigineum. Quod non asserimus diuinando, sed colligimus ex antiquissimo vsu Ecclesiæ, cuius testes sunt Gregorius Magnus in Registro citatus à D. Thoma quæst. 74. art. 4. corp. & Leo. IX. ad Michaelem Cerul. Nunquam enim antiqua Ecclesia passa esset in re adeò nota & vsitata, ac tanti momenti, induci morem institutioni Christi contrarium. Vnde merito Florent. in Decreto Eugenii, loquens de tertio sacramento, materiam eius esse dixit panem triticeum: & vinum de vite absolutè, abstrahendo à differentiis fermentati vel azymi, rubei vel albi. Satisfit illius argumentis.

Respondeo secundò, Antecedens non esse verum. Ad cuius probationem dicendum est, quòd licet Christus, vt Græci volunt, anticipasset vno die esum Agni Paschalis; probabilissimum tamen foret, comedisse cum panibus azymis, vt & cum lactucis agrestibus, & aliis omnibus quæ Exodi duodecimo præscripta erant, totamque pariter anticipasse cerimoniam dierum illorum, in quibus post inchoatum azyma, id est, post esum Agni Paschalis, non licebat ad fermentum redire, sed septem diebus continuis comedebantur panes azymi. Verùm hæc anticipatio manifestè repugnat tribus prioribus Euangelistis; affirmantibus Christum edisse Pascha, & Eucharistiam instituisse primo die azymorum, *quando pascha immolabant Iudæi*, vt loquitur Marcus cap. 14. &, Vbi *venit dies azymorum in qua necesse erat occidi pascha*, vt scribit Lucas cap. 22. vbi nota verbum, *venit*, in Græco esse præteritum ἦλθε. Nota etiam quod ait, *Necesse erat*. Nam necesse id non fuisset, nisi lex tali die occidi præcepisset, & nisi legis præceptum adhuc viguisset, quod peculiariter obseruandum est contra Burgensem, Maldonatum, & alios quosdam asserentes Christum quidem edisse pascha die 14. sicut præceptum erat Exod. 12. Iudæos verò die 15. ex dispensatione quadam à temporibus Esdræ facta; quia, inquiunt, post exitum Babylonicum constitutum inter Iudæos fuit, vt quotiescunque Pascha in feriam sextam incideret, in sequentem diem Sabbathi transferretur, ne duo continenter dies festi consequerentur, quod populo graue erat, cùm nec sepelire mortuos, nec alia eiusmodi, etiam pia opera, & non magnopere laboriosa, facere possent. Hanc autem traditionem confirmant primò Rabbinorum Notericorum testimoniis. Secundò argumentis, quæ contra Græcos diluenda supersunt. — 37. Christus celebrauit in azymis.

Sed hæc opinio repugnat Lucæ verbis paulò ante relatis, & cadit in incommodum

quod vitare conatur. Nam dies septimus Azymorum, qui æquè festiuus & solemnis erat ac primus, vt patet Exod. 12. v. 16. incidisset in feriam sextam, proximè ante Sabbathum: vt taceam de festo Pentecostes, quod eodem anno dicitur accidisse, & celebratum fuisse proximo die post Sabbathum: quemadmodum & Hircani tempore, teste Iosepho lib. 13. Antiquit. cap. 16. in fine. Qui tamen Hircanus diu post Esdram, imò post Machabæos fuit. Quare translatio illa festorum à tempore Esdræ, commentitia est, & repugnans Iosepho, cuius authoritas Rabbinis Neotericis anteponenda est. Idem quoque Ioseph. 3. Antiquit. cap. 10. vbi festorum Paschalium & Pentecostes ordinē ac cerimonias accuratè describit, nusquam huius translationis meminit: & sapientiores Rabbini Neoterici Burgensi aduersantur, vt inter alios Isaac Arama, author lib. Achidac, qui est inter Talmudicos. Ex quo constat etiam suo tempore primum diem Azymorum proximè ante sabbatum celebratum fuisse: secundum verò, die ipso Sabbati, non obstante præcepto non metendi. Quare si modò Iudæi festa transferunt; id potiùs faciunt lucri causa, quàm ex antiqua traditione. Neque verum est, prohibitum fuisse diebus festis mortuos sepelire, vt adeo grauis esset duorum festorū coniunctio: quemadmodum in diluendis Græcorum argumētis declarabitur. Quæ vt clarè, & breuiter expediantur.

38. Pascha edebatur luna 14. exeūte.

38. Nota primò, Deum Exod. 12. v. 18. & Leuit. 23. v. 5. & Num. 28. v. 16. & Deuter. 16. v. 5. præcepisse Iudæis, vt in memoriam liberationis Aegyptiacæ quotannis die decimaquarta mensis primi in vespera comederent pascha, siue Agnum paschalem. Atque ab eo vespere per septem dies continuos vescerentur panibus azymis, nec quicquam fermentatum apud ipsos reperiretur. Dies autem ille decimus quartus mensis primi, qui Nisan dicebatur, & mensi nostro Martio circiter respondebat, erat semper decimus quartus dies lunæ illius, cuius plenilunium post Aequinoctium vernum proximè incidebat. Vtebantur enim Iudæi mensibus lunaribus, & annum semper inchoabant ab eo, cuius plenilunium subsequebatur proximè Aequinoctium vernum, quod sole arietem obtinente contingit. Hæc colliguntur ex cap. Exod. cit. & Iosep. lib. 3. Antiq. cap. 10. Vbi tamen in noua versione latina, & gallica aliquid perperàm additum est. Ex iisdemque locis refellitur opinio Luisii Legionensis existimantis agnum immolari, & edi debuisse post occasum solis diei decimi tertii, inchoante tantùm luna decima quarta, nō autē exeūte, vt cōmunis opinio fert. Nam Exod. 12. v. 10. præcipit Deus vt non remaneat quidquam ex eo vsque manè. Iosephus autem ait. *Nihil è victimis in sequentem diem relinquentes, quæ est quinta decima, & azymorum festiuitas prima.* Ergo manè proximè sequens post vesperam esus agni Paschalis, erat manè diei decimæ quintæ: ergo edebatur die decima quarta exeūte, siue quod idem est, in fine lunæ decimæ quartæ.

Nota secundò, diem sequentem nempe decimum quintum, fuisse Iudæis festiuum, 39.
& solemnem, dictumque primum azymorum, & festum Paschæ, & solennitatem primam azymorum, seu Paschæ: quo die, sicut & septimo azymorum interdictum erat Exod. 12. v. 16. omnibus operibus, exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent. Quod tamen de seruilibus intelligendum erat, vt explicatur Leuit. 23. v. 28. vbi opus diebus festis prohibitum vocatur opus seruile. A secundo autem azymorum die, qui erat mensis, seu Lunæ decimus sextus, post demessum, & oblatum manipulum primitiarum, numerabantur dies quinquaginta, quorum vltimus festum erat Pentecostes, siue Asartha, iuxta Ioseph. vbi supra, & Leuit. 23. v. 15. & Deuter. 16. v. 9.

39. Dies lunæ 15. erat festiuus & solemnis.

Nota tertiò, dierum computum apud Hebræos duplicem fuisse. Nam ecclesiasticè 40.
computabantur à primis vesperis, ad secundas: id est, à vespera vel occasu solis diei præcedentis, vsque ad vesperam, vel occasum diei sequentis: iuxta illud Leuit. 23. v. 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*: Ciuiliter verò incipiebant computari ab ortu solis, siue ab hora matutina: vt ex Matth. 20. intelligitur, vbi pater familias egreditur, vt vocet operarios primùm summò manè, deinde hora tertia, postea circa sextam & nonam, ac demum circa vndecimam, cum vna tantùm hora visualis diei superesset: vnde postea subditur: *Hi nouißimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti.*

40. Dierum cōputatio duplex & solemnis.

Ex hac diuersa computandi ratione orta est dissensio specie tenus inter Euangelistas. 41.
Cùm tres priores scribunt Christum Pascha celebrasse primo die azymorum; seu, quod idem est, die festo Paschæ: computantes diem illum ecclesiasticè à primis vesperis, id est, ab occasu solis diei decimæ quartæ. Ioannes verò, ante diem festum Paschæ, siue ante primum azymorum; computans ciuiliter diē illum ab ortu solis diei decimæ quintæ. Quod autem dicūt Græci Shismatici, tres priores Euangelistas fuisse deceptos, & à Ioanne correctos, blasphemum est: Ac si tres decipi potuissent, potuisset & vnus: nec propter vnius testimonium, tribus derogandum esset, si ab illo dissentirent, quod non faciunt.

41. Conciliantur Euangelistæ circa diem institutionis Eucharistiæ & esum Agni paschalis.

Illud autem Ioan. 18. *Vt manducarent Pascha*: intelligendum est de victimis Paschalibus, quæ in festis Paschalibus, & totis septem diebus azymorum solebant immolari nec nisi à mundis edi poterant, maximè si pacificæ erant, vt patet ex Leui. 7. v. 20. Nam etsi quædam prorsus cōburebantur in holocaustum: quædam tamen cedebant in vsum sacerdotum, & aliorum: vt de sacerdotibus liquet ex Iosepho lib. 3. Antiq. cap. 10. De aliis verò colligitur ex 2. Paral. cap.

30. v. 22. Hæc autem sacrificia Pascha fuisse dicta (quamuis agni Paschalis id magis propriè nomen esset) constat ex Deuter. 16. v. 2. vbi dicitur *Immolabisque phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Et 2. Paralip. 35. v. 7. 8. & 9. vbi dicuntur Rex Iosias, & Duces dedisse multa animalia, agnos, hædos, boues &c. ad faciendum Phase, hebraicè *Lappesahim*, id est, in Paschata.

43. Dies autem Passionis vocatur Parasceue Paschæ, non quòd fuerit pridie ante solennitatem; seu festum Paschæ; sed quia erat vnus è septem diebus Paschalibus, nempe Azymorum primus, & solemnitas Paschæ. Vnde Parasceue Paschæ, id est, Paschalis appellatur.

Dices, Id non minùs absurdum esse, quàm si quis vigiliam festi Corporis Christi incidentem in diem S. Ioannis Baptistæ, vocaret vigiliam S. Ioannis Baptistæ. Respondeo non ita esse. Nam vigiliæ nomen commune est vtrique festo, aliisque permultis: at Parasceue erat omnino propria Sabbathi: in quo quia non licebat cibos coquere, aliaque ad victum parare, coquebantur, & parabantur die præcedenti, Parasceue ideo dicta: Aliis verò diebus festis non erat interdictum operibus ad vescendum pertinentibus.

44. Dicitur autem fuisse magnus dies ille Sabbathi, non solùm quia Paschalis fuit; sed præcipuè ob celebritatem eorum, qui ad Pascha celebrandum conuenerant, necdum discedere potuerant, siquidem sabbatum illud festo Azymorum, seu Paschæ proximè successit.

Vasq. disp. 172. n. 14. Ysambert q 83. disp. 4. art. 6.

Dies autem quinquaginta Pentecostes numerabantur à secundo Azymorum exclusiuè, inclusiuè autem à tertio, vt Vasquez, Ysambert. & alii plerique docent: quibus nec Scriptura repugnat Leuit. 23. vers. 15. nec Iosephus 3. Antiq. cap. 10. Quanquam Suari, Aegid. Coninc, & quibusdam aliis magis placet, diem Pentecostes Iudaicum anno illo incidisse in diem Sabbati, Christianum verò in diem Dominicum. Alii recurrunt ad translationem festorum, & ceremoniarum, malè fundatam, & superiùs reiectam.

45. Denique non esse incredibile, Christum die festo Paschæ crucifixum fuisse, & Iudæos fecisse quę narrantur, patet, quia odio excæcati, & Christi sanguinis auidissimi, poterant facilè præcepti diuini fimites transgredi, & id ipsum facere, de quo Christum accusabant: iuxta illud Matth. 7. v. 5. *Hypocrita eijce primò trabem de oculo tuo*, &c. Constat tamen ex Ioan. 18. existimasse ipsos, aut finxisse, sibi licere Christum accusare, & Pilato ac Gentilibus occidendum tradere, etsi non per se occidere eo die, nimirum quia festus erat. Nam alioqui cur non licebat eis hominem interficere, quem summè blasphemum, & morte dignissimum iudicabant? Quin etiam ex Num. 15. colligere poterant, licere quoque interficere. Nam ibi ipso die Sabbati, quo tamen die multò plura interdicta erant, quàm vllis aliis diebus festis: neque enim licebat cibos coquere, iter facere, &c. Ipso, inquam, die Sabbati quidam eius transgressor iussu Dei, & Mosis lapidatus fuit: Et verò Ioan. 10. v. 22. 31. & 39. lapidare Christum, & apprehendere conati sunt ipso die festo Encæniorum. Et cùm de Christo occidendo deliberarent Matthæi 26. versu 5. dicerentque *Non in die festo*: addebant, non ne festum violetur, sed, *ne forte tumultus fieret in populo.* Quo timore sublato, populo Pharisæorum, & sacerdotum calliditate ad mortem Christi animato, ac Iudæ oblata opportunitate: consilium mutarunt, & ad facinus illo ipso die perpetrandum properarunt celeritate maxima. Quot enim peregrinationes ad Annam, ad Caipham, ad Pilatum, ad Herodem, iterum ad Pilatum; quotue supplicia tam breui tempore illata? Adde diebus aliis festiuis præter sabbata, opera tantùm seruilia ad edendum non pertinentia, prohibita fuisse: non autem opera pietatis. Sicut autem Iudæi, cùm Apostolos, & Discipulos interficerent, existimabant se obsequium præstare Deo, vt dicitur Ioan. 16. vers. 2. Sic, &c. Imò ipsis diebus sabbathi, multa Iudæi faciebant, ac sibi licere credebant, vt patet Luc. 14. vers. 5. *Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi?* & Matth. 12. vers. 5. *Non legistis in lege: quia sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt?* Et inferius vers. 11. repetitur quod ex Luc. allatum est, additúrque vers. 12. licere Sabbathis benefacere.

Vide S. Leonem serm 7 de passione cap 2. in fine.

Atque ex his liquet quid de Ioseph ho Christum sepeliente dicendum sit, cuius factum probari potest à simili, Tob. 2. vers. 4. vbi vir ille sanctus narratur die festo tulisse mortuum, vt sepeliret. Quod si noctu sepeliuit: non propter festum id fecit, sed ob metum. Liquet etiam quid dicendum de sanctis mulieribus, quæ tamen potiùs vespere Sabbati, finita eius festiuitate, emisse videntur, & parasse aromata, vt narrat Marc. cap. 16. licet Luc. cap. 23. per anticipationem rem velut priùs factam narret, vt interpretes meliùs sentientes intelligunt. 46.

SECTIO VI.

De materia Calicis.

Materia necessaria ad consecrationem Calicis est vinum vitigineum, id est, vinum verè, ac propriè dictum: cui aqua modica non ex necessitate sacramenti, sed ex præcepto tantùm Ecclesiastico admisceri debet. Prima pars est communis omnium Catholicorum cum D. Thom. qu. 74. art. 5. & probatur, quia Christus non modò ita 47.

Vinum est materia calicis.

celebrauit, vt patet ex illo eius verbo, quæ à Matth. cap. 26. & Marco cap. 14. post consecrationem calicis dicta referuntur: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* sed etiam ex ita celebrantur, assistit, et ostendit vitis Ecclesiæ antiquissima, & confirmant Concilia Carthaginense tertium can.
Carthag. Aurelia. Florent. Trident. 24. Altissiodor. can. 8. Florent. in Decreto Eugenij 4. *Tertium est Eucharistiæ sacramentum*, & Trident. sess. 13. cap. 3. & can. 2. Nam priora Concilia affirmant materiam calicis esse vinum de vite. Posteriora verò Transubstantiationem definiunt conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Vinum autem propriè, & simpliciter dictum, non est aliud, quàm vitigineum. Sicut aqua simpliciter est aqua naturalis, & elementaris. Quare nec sicera; nec omphacium; nec agresta; nec alij id genus liquores consecrari possunt: nec acetum, quod vinum esse, ac dici desinit, & ex vino substantialiter corruptum fit: nec mustum quamdiu in vuis includitur: quia tunc non censetur esse vinum, aut liquor potabilis, sed cibus comestibilis. Secus tamen vinum acescens nondum corruptum; quia adhuc vinum est: & mustum ex vuis expressum, quia in cap. *Cum omne*, de Consecrat. dist. 2. Iulius Papa permisit Aegypti Episcopis, vt in necessitate consecrarent mustum ex vuis expressum. Itemque vinum congelatum, quia est verè vinum, & calore adhibito potabile fit, vt praecipitur fieri in Rubricis Missal. si post consecrationem congelatur. Ex quo collige
Alanus. falli grauiter Alanum lib. 1. de Euchar. cap. 21. affirmantem Christum non remanere sub speciebus vini congelati: Id enim est contra sensum Ecclesiæ, & vsum communem hac Rubrica expressum. Alioquin enim non deberet illud consumi à Sacerdote, sed aliud consecrari. Quod si ante consecrationem congelatur, melius est assumere aliud, quàm illud consecrare: licet nihil illi desit ad consecrationem validam necessarium. Est enim verè vinum sensibile, & demonstrabile, atque per se potabile.

48\. Dices, aquam congelatam manentem congelatam non sufficere ad Baptismum: Ergo nec vinum congelatum ad Eucharistiam. Respondeo differentiam esse: quia Baptismus consistit essentialiter in vsu ablutionis, ad quem aqua manens congelata non sufficit. At Eucharistia est instituta in esse permanenti, non autem in vsu potionis.

Aqua debet admisceri in vino pro Eucharistia. Secunda pars conclusionis de aquæ admixtione traditur à Triden. sess. 22. cap. 7. cuius verba sunt: *Monet deinde sancta Synodus praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent.* Et à Floren. in Decreto, *Tertium est Eucharistiæ sacramentum*: vbi postquam dixit materiam calicis esse vinum de vite, diuersimodo loquitur de aqua. Neque enim ait illam esse materiam simpliciter, sed aquam modicissimam ante consecrationem vino misceri debere: debito nimirum, & necessitate praecepti Ecclesiastici, vt alibi declarat; cùm in eodem Decreto istum reprehendit Armenos, quòd non misceant aquam vino, ab vniuersali Ecclesiæ obseruantia discrepantes. Qui longè aliter reprehendendi fuissent, si contra praeceptum Christi, vel contra sacramenti necessitatem fecissent. Alexand. quoque 1. Epist. 1. cap. 4. & Concilium Triburiense cap. 19. mixtionem aquæ solùm à Patribus traditam esse dicunt, & vsurpandam propter rationes ibi idem, & à Floren. supra, & D. Thom. art. 6. quæst. 74. aliique Theologi communiter asseri solitas. S. Thom.
Nempe quia primò, Christus ita fecisse creditur, & in vino aquæ mixto instituisse; id est, celebrasse hoc sacramentum. Cuius rei testes, praeter citatos, sunt Liturgiæ D. Iacobi Apostoli, & D. Basilij. Secundò, quia id conueniens est ad commemorandum sanguinem & aquam de latere Christi patientis fluxisse, & ad significandum coniunctionem populi cum Christo, & salutem, seu tendentiam in vitam æternam. Aquæ enim multæ, populi multi sunt, Apocal. cap. 17. & vt ait
Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 1. *Redundat aqua in calicem, et salit in vitam æternam.* Ambros.
Quæ rationes, & similes, nullum praeceptum diuini, vel sacramenti necessitatem ostendunt. Nam Christi exemplum non est sequendum necessariò nisi quoad ea, quæ vel essentialia sunt, vel ab ipso praecepta. Sicut autem nec essentiale est Eucharistiæ, nec à Christo praeceptum, vt celebretur vespere, & post cœnam, vel ex panibus azymis, sicut ab ipso celebrata est, vt colligimus ex vsu Ecclesiæ ita neque, vt misceatur aqua, quemadmodum liquet ex Patribus, & Conciliis citatis. Illæ vero repraesentationes aquæ de latere Christi patientis, coniunctionis populi cum Christo, & salutis in vitam æternam; vel necessariæ non sunt, ideoque nec signum earum, vt ait S. Thom. art. 7. quæst. S. Thom.
74\. vel aliunde satis repraesentantur, quatenus sanguis mysticè vi verborum separatus à corpore, passionem Christi in memoriam reuocat; & potus ille, cibusque sacramentalis ad coniunctionem charitatis cum Christo, & nutritionem gratiæ, quæ vitæ æternæ semen est.

Ex his patet praeceptum aquæ vino miscendæ esse tantùm Ecclesiasticum: contra quod frustra contendunt Armeni, vt lib. 9. 49.
de quæst. Armenorum cap. 9. Hosius lib. 4. de Tradit. contra Brentium sub finem, & à Castro, verbo *Eucharistia*, Hæresi 7. mixtionem aquæ vel esse de necessitate sacramenti, vt volunt Armeni; vel saltem de necessitate praecepti diuini, vt duo alij. Nam ad id quod obijciunt ex Florent. in Decreto, Christum in vino aqua mixto instituisse hoc sacramentum; Respondeo, instituisse, id est, celebrasse, vt colligitur ex aliis verbis ibi expressis. Sancti autem Patres,
Cyprian. Cyprian. praecipuè, ideo vocant hanc mixtionem; traditionem dominicam; quia Christus eius exemplum dedit, etsi non

præceptum: cùm autem dicunt non posse aliter consecrari, intelligendi sunt de potestate iuris, non facti. Duriora quidem sunt aliqua verba D. Cypriani Epist. 63. vbi sic habet: *Sic in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest.* Et infra; *Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, quomodo corpus Christi non potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrumque adunatum fuerit.* Quibus verbis videtur clarè significari, requiri aquæ mixtionem ex necessitate sacramenti. Sed nihilominus benignè interpretandus est de sola iuris necessitate. Sicut eũ exponit D. Thom. q. 74. art. 7. ad. 1. Cui interpretationi fauent quæ subdit ibidem Cyprian. cùm ait: *Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis.* — D. Thom

50. Quando & quantum aquæ miscẽdum. Porrò in hac mixtione Ecclesiæ vsus, & præscriptum seruari debet quoad tempus, quantitatem, qualitatem, & alias circumstantias. Debet igitur admisceri tempore sacrificii, vt habet S. Thom. art. 8. Et quidem vt minimùm ante oblationem Calicis: sic enim habet antiquus, & communis vsus Ecclesiæ totius. Est tamen nonnulla diuersitas in diuersis Ecclesiis. Nam alicubi fit ipso initio Missæ. Alibi immediatè ante lectionem Euangelii. Alibi ante oblationem calicis immediatè. Quæ postrema consuetudo communior est. Quòd si quis ex obliuione, aut ex malitia, huiusmodi mixtionem non fecerit ante oblationem calicis: si antequam consecret aduertat, debet adhibere. Si verò iam consecrauerit, non debet. Quia iam præteriit tempus præscriptum; & præceptum quidem est de miscenda aqua vino consecrando, non autem consecrato. Debet autem aqua, quæ admiscetur, esse vera, & naturalis, seu elementaris. Quamquam posset misceri alia, si Ecclesia permitteret. Hoc enim est indifferens naturæ sacramenti. Quantitas verò modicissima esse debet, iuxta vsum passim receptum, & præceptum Florentini in Decreto, dicentis aquam modicissimam infundi debere. Quo restringitur, aut potiùs explicatur canon *Perniciosus*, quo tantùm prohibebatur, ne plus aquæ, quàm vini infundatur. Et corrigitur canon 19. Concil. Triburiensis (quod fuit tantùm particulare, & non apparet fuisse quoad hoc vsu receptum ab Ecclesia) vbi præscribitur, vt duæ sint partes vini, & tertia aquæ. Et verò si tantum aquæ infunderetur, vt vinum sensibiliter, ac notabiliter discerni non posset, & sub eius speciebus sanguis Christi non posset demonstrari sensibiliter per verba formæ: nulla esset consecratio, vt patet ex dictis sect. 2.

51. Possit ne in casu necessitatis aliter celebrari? Quòd si quæras, An hoc præceptum Ecclesiasticum de admixtione aquæ tale sit, vt seclusa expressa dispensatione (quæ certè ab Ecclesia fieri potest super proprio præcepto) in nullo casu liceat conficere Eucharistiam sine admixtione aquæ? Respondeo negatiuè; sed posse v. g. si cui mors intentetur, nisi sine aqua consecret, & in contemptum religionis id non fiat: putà si intentans existimet bona fide ita celebrari licitè posse. Aut si, vt ait Ledesma, ciues grauiter egeant communione in vrbe obsessa, vbi aquæ copia non sit, & sit vinum quantum sufficit ad celebrandum. Nam ad omittendum licitè aliquid præceptum, vel faciendum aliquid prohibitum solo iure positiuo non est semper necessaria expressa licentia: sed sufficit interpretatiua rationabilis, quam in casu proposito non deesse probabilius est.

52. Suar. Neque vrget argumentum, quo Suar. disp. 43. sect. 2. §. *Nihilominus*, & quidam alii oppositum contendunt. Nimirum quia non liceret, etiam in casu necessitatis, citra expressam dispensationem celebrare sine vestibus sacerdotalibus, vt videtur colligi ex iure can. de Consecr. dist. 1. C. vestimenta, atque etiam ex consuetudine. Grauius autem est omittere mixtionem aquæ, quàm celebrare sine vestibus sacerdotalibus. Ergò &c.

Respondeo enim primò Concil. Braccar. præterquam quòd est tantùm Prouinciale, habens limitatam iurisdictionem, non loqui in omni casu. Canon autem ille, *Vestimenta*, nihil de re proposita dicit. Secundò, nego omittere mixtionem aquæ esse aliquid grauius, quàm celebrare sine vestibus sacerdotalibus. Nam potiùs hoc posterius videtur habere multò maiorem rationem indecentiæ. Quamquam neque id in omni casu illicitum puto. Neque ille fuit sensus Luciani Presbyteri, & martyris, qui sine huiusmodi vestibus, imò planè nudus, & stratus, ac supinus super testarum aculeos, vt erat in carcere ligatus, celebrauit, suo pectori imponi iussis diuini mysterii signis, quo se ac suos communicauit die Epiphaniorum, pridie mortis suæ, vt ex Eusebio, & Origene refert Baron. ad annum Christi 311. Constantini sextum, Eusebii Papæ tertium. — Baron.

SECTIO VII.

An aqua vino mixta conuertatur in sanguinem Christi?

53. D. Thom. Aqua non vertitur in sanguinem, nisi prius in vinum versa sit. Respondeo negatiuè: Nisi conuertatur in vinum ante consecrationem. Ita communiter Theologi cum D. Thom. quæst. 74. art. 8. Vbi eandem ob causam ait modicam aquam esse infundendam, vt in vinum vertatur, & deinde in sanguinem, in quem verti non potest, nisi prius in vinum versa fuerit. Quod confirmat ex doctrina Innocentii Papæ III. cap. *Cum Marthæ*, de celebratione Missarum §. *Quæsiuisti etiam*: Vbi Pontifex tribus relatis opinionibus, quarum prima est, quòd aqua mutetur in phlegma, siue in aquam illam, quæ de Christi latere fluxit, quæ opinio est falsa: quia verba consecrationis mutant tantùm in id quod significant. Atqui non significant phlegma, sed

sanguinem: ergo si aquam mutant, in sanguinem mutat, non in phlegma. Deinde vera & naturalis aqua exiuit de Christi latere. Ergo aqua mutaretur in aquam. Secunda est, quòd mutetur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino, id est, quia priùs in vinum versa fuit. Tertia est, quòd maneat integra, & immutata. His, inquam, tribus opinionibus relatis concludit Pontifex pro secunda, vt probabiliori, dicens, Inter prædictas opiniones probabiliorem eam esse, quæ ait aquam cum vino conuerti in sanguinem, posito nimirum quòd in vinum priùs conuersa fuerit. Secunda enim opinio id solum asserit: & nulla ex aliis opinionibus ab eo relatis aliud dicit, nempe conuerti in sanguinem immediatè. Ex quo sequitur, quòd si aqua non priùs vertatur in vinum, non mutetur in sanguinem. Quandonam autem in vinum vertatur, ex quantitate, & actiuitate vini, aliisque principiis naturalibus, & philosophicis iudicandum est. Nemo enim hîc ad potentiam supernaturalem recurrit. Semper autè in vinum verti ante consecrationem credibile non est. Saltem, si vt permittebat Concil. Tribur. tertia pars aquæ infunderetur: vel si vt in Rubricis Missalis Romani præcipitur, sacerdos oblitus priùs mixtionis aquæ, misceat immediatè ante consecrationem.

54. Confirmatur. Confirmatur, quia id solum mutatur in sanguinem, quod est materia consecrationis, & sacramenti Eucharistiæ secundum diuinam institutionem, quam Ecclesia mutare non potest, nec quidquam substantiale illi addere. Atqui vinum solum est materia consecrationis calicis, non autem aqua, quæ tantùm additur vt ceremonia ex præcepto Ecclesiastico. Ergo, &c. Minor patet ex sect. præcedenti. Maior autem est euidens. Illud enim omne sine dubio est materia consecrationis, & conuersionis, quod consecratur, & conuertitur in sanguinem. Neque potest consecrari, ac conuerti, nisi sit materia consecrationis: quæ non agit circa aliquid, nisi sit eius materia circa quam, neque illud conuertit, si non sit materia conuersionis secundum Christi institutionem.

55. Confirmatur secundò, Quoniam alioqui aqua rosacea, vel balsamum, oleum, & similes liquores, mutarentur quoque in sanguinem, si ex Ecclesiæ præcepto admiscerentur vino, vt aqua naturalis. Et consecratio non esset tantùm conuersio totius substantiæ panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi, manentibus dumtaxat eorum accidentibus, id est, destructâ totâ illorum substantiâ, vt definit Concil. Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 2. Sed & substantiæ aquæ, manentibus quoque solis eius accidentibus, sub quibus sanguis Christi sit, non minùs, ac sub speciebus vini. Idémque dico, si pani consecrando Ecclesia misceret aliquam aliam substantiam.

56. Conine. Contrarium docent, è recentioribus Aegid. Con. in dub. ad art. 8. quæst. 74. Delugo disp. 4. sect. 3. & Augustin. Bernal. disp. 69. de Incarnat. num. 17. post Alan. lib. 1. de Euchar. cap. 13. & Baron. in fine anni 1188. Qui postremus (quod mirabile est) affirmat rem esse de fide, semperque fuisse ita creditum in Ecclesia: non aduertens se apertè contradicere Innocentio III. cap. *Cum Martha* supra relato. Alios quosdam citat Aegid. sed non omnes fideliter, aut appositè, cùm plerique dicant tantùm aquam infusam calici non conuerti in vinum ante consecrationem: de conuersione verò eius in sanguinem nihil definiant. De lugo. Alanus. Baron.

Primum argumentum Aegidii est, quia hoc vnanimi consensu docuerunt omnes sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ Catholicæ, qui hanc rem aliqua ratione attigerunt vsque ad finem sæculi duodecimi. Quod probat allatis testimoniis Alexandri I. Cypriani, Can. 4. de Consecr. dist. 2. Paschasii, Algeri, August. Ambros. Iustini mart. qui dicunt aquam offerri, benedici, consecrari, & consecratione mutari in sanguinem. 57. Soluitur p. im. arg. contrariæ sententiæ.

Respondeo cum Vasq. disp. 178. cap. 3. initio, nullum esse de Patribus & Doctoribus citatis, qui non possit intelligi de consecratione, & conuersione mediata. Nullus enim eorum dicit aquam secundum se proximè conuerti in sanguinem; sed aquam simul cum vino in sanguinem transire: coniunctam nimirum non solùm per infusionem, sed etiam per transmutationem in vinum. Neque hæc Patrum expositio extorta iudicari debet, & ab eorum sensu aliena: cùm & Innocentius III. supra relatus approbans secundam opinionem, quæ nostra est, eodem modo, quo cæteri Patres loquatur, & dicat aquam cum vino mutari in sanguinem, conuersione scilicet mediata, quam solam ibi approbat. Vt clariùs ex eodem Innocentio liquet lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 31. vbi sic habet: *Quibusdam*, inquit, *non absurdum esse videtur quòd aqua cum vino transit in sanguinem, ea scilicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem transit in sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aquæ? Alioquin tota vini substantia propter guttam aquæ mutatur, vt quoddam fiat ex illis confusum, quod nec sit aqua nec vinũ. Sic ergo tota fontis vel fluminis aqua propter modicam vnam stillam in confessionis speciem mutaretur: nec panis ille posset in Eucharistiam consecrari, qui factus est de frumento, cui forte mixtum fuerat vnum hordei granum, vel auena.* Hæc Innocent. qui sententiam illam non reiicit ibidem, sed potiùs tacitè approbat: dubitanter tamen & opinariuè dumtaxat, iuxta illud quod ex eodem retulimus cap. *Maiores*, de Baptismo, & id quod paulò ante dixerat cap. 29. lib. cit. vbi postquam initiò quæsiuit, *Vtrum aqua cum vino conuertatur in sanguinem?* allatis breuiter rationibus pro vtraque parte quæstionis, rem sub dubio relinquit, ita concludens: *Quis hoc valeat* (aliàs audeat) *definire?* Idem Respondeo

deo quibusdam aliis testimoniis à Delugo relatis ex Damasc. Hieron. Samona Gazensi, Nicolao Methonensi, & Martino Braccharensi.

58. Secundum argumentum Aegidii sumitur ex cap. citato, *Cum Marthæ*. Contendit enim Innocentium tertium suam sententiam, non nostram approbasse. Verùm friuola sunt quæcunque ad hoc probandum affert Aegid. cùm Innocentii verba sint adeo clara, vt tenebras illis offundere non possit. Relatis enim tribus opinionibus supra commemoratis, expressè, & in terminis sic ait: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari*. Quod asserit sola secunda opinio ex tribus relatis, loquens tantùm de conuersione mediata, de qua etiam idem Pontifex Innocentius iisdem verbis perspicuè loquitur, clariusque sensum illius exponit loco supra relato ex libro quarto de Mysteriis Missæ capite trigesimo primo. Ex quo præterea liquet friuolam esse illationem Augustini Bernalii, planéque alienam à mente Innocentii, cùm disputatione sexagesima nona de Incarnatione, numero decimo septimo, ex eo quod ille capite *Cùm Marthæ*, dicit, *Aquam cum vino in sanguinem transmutari*, infert illam transmutationem aquæ in sanguinem immediatè fieri, neque aliter posse Innocentii verba intelligi. Quod manifestè repugnat expositioni eiusdem Pontificis capite illo trigesimo primo, libri quarti de Mysteriis Missæ, vbi postquam dixit opinionem quorundam esse, *quòd aqua cum vino transit in sanguinem*: addit immediatè post, *ea scilicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem transit in sanguinem*. Itaque loquitur manifestè de conuersione mediata, iisdem verbis, & eodem sensu, quo loquebantur illi Theologi, vt ipsemet exponit: illorúmque sententiam eodem sensu, æquè ac iisdem verbis, magis approbat, quando capite, *Cùm Marthæ*, dicit illam è tribus à se relatis probabiliorem esse, cæterisque præferendam videri.

Malè autem obiicit Aegidius quòd alioqui Pontifex nullo modo respondisset ad quæstionem propositam: scilicet, inquit, an aqua immediatè conuertatur in sanguinem? Nam id non fuerat quæsitum à Pontifice: sed quod ipsemet initio proponit his verbis: *Quæsiuisti etiam vtrum aqua cum vino in sanguinem conuertatur? Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur*, &c. Malè item probat ex disputatione Gaufredi cum aliquot Galliæ Episcopis communem Ecclesiæ sententiam tunc fuisse, aquam absolutè conuerti in sanguinem, siue in vinum conuertatur, siue non. Quasi non manifestè pateat ex verbis Innocentii opinionem multorum Scholasticorum tunc fuisse aquam non conuerti in sanguinem, sed manere in propria substantia speciebus vini coniunctam: Aliorum verò, quibus ipse subscribit, sententiam fuisse, conuerti priùs in vinum, tum in sanguinem: Nullos verò ipse commemorat, qui dicerent aquam immediatè in sanguinem conuerti. Falluntur ergo, & Innocentio apertè contradicunt Gauf. Baronius, & Aegidius in quæstione facti, cuius Innocentius Summus Pontifex est testis oculatus omni exceptione maior, & aliis longè ab eo sæculo remotis anteponendus.

Tertiò, Argumentatur Aegidius ratione. Multò, inquit, certius est totum, quod continetur in calice post legitimam consecrationem conuerti in sanguinem, quàm aquam priùs conuerti in vinum. Atqui hoc esset falsum, si necessariò deberet priùs conuerti in vinum, quàm in sanguinem, vt per se patet. Ergo, &c. Probat maiorem: quia multi putant fide tenendum esse, totum liquorem contentum in calice conuerti in sanguinem per consecrationem, vt patet ex Gaufredo, Alano, & Baronio, supra citatis, & conuincitur ex sanctis Patribus communi consensu id asserentibus. Itémque ex Concilio Tridentino sessione decima tertia, canone secundo: Vbi definit totam substantiam vini conuerti in sanguinem, manentibus tantùm speciebus. Vinum autem accipit pro toto contento in calice: quia hoc totum solemus vocare vinum. Et canone tertio, definit Christum totum contineri sub singulis vtriusque speciei partibus. Quæ essent falsa, si substantia aquæ maneret sæpe integra. Adde quòd alioqui falsa, & sacrilega foret forma calicis, sicut falsò & sacrilegè pronunciaretur absolutè forma corporis super hostias, inter quas essent aliquæ chartaceæ, aut super calicem mixtum vino, & oleo: quia vox calicis significat totum id, quod per modum liquidi continetur, & forma absolutè ex intentione & vsu Ecclesiæ pronunciatur de toto illo liquido. Contra verò, nunquam fuit in Ecclesia iudicatum pertinere ad fidem an aqua conuertatur in vinum; cùm semper plurimi fuerint, qui publicè id negauerint, neque vnquam fuerint ab Ecclesia reprehensi. Imò cum maxima probabilitate id negant. Primò, Quia Aristoteles, Plinius, & omnes Medici, & Chymici id negant. Secundò, Quia experientia docet posse separari aquam; licet modicam, multo vino infusam. Tertiò, Quia corpus simplex, cuiusmodi est aqua, non potest immediatè conuerti in mixtum: Et aqua est naturæ tenacissimæ: ac ne viuentia quidem conuertere possunt in suam substantiam totum cibum, & potum; quem tamen sumunt naturæ suæ accommodatissimum. Item experimur vinum semper proportionatè Tertium argument.

amittere virtutem suam, pro multitudine aquæ, quæ illi imponitur, etsi guttatim imponatur, & per tanta interualla, quanta alii requirunt, vt ipsa conuertatur; ita vt tandem non percipiatur vinum, sed videatur in aquam conuersum: quod non contingeret, si aqua in vinum verteretur: neque contingit in vllo aliorum, quæ aliquid vertunt in suam substantiam: quantumcunque enim panem, verbi gratiâ, comedamus, nunquam tamen fiemus panis. Denique incredibile est vina debilia tam citò aquam in se conuertere: maximè si, vt permittebat Concilium Triburiense, tertia pars aquæ infundatur: vel si, vt Missale Romanum præscribit, infundatur immediatè ante consecrationem à sacerdote, qui tunc aduertit, se non priùs miscuisse aquam vino consecrando. Hæc Aegid.

60. Diluitur. Ad quæ Respondeo, negando maiorem primi argumenti: & ad eius probationem dico Gaufredum, Alanum, & Baronium contradicere Innocentio tertio, cuius auctoritas longè maior est. Ille enim satis apertè significat rem non esse de fide, quando capite supra citato, refert vt probabilem sententiam plurium Theologorum sui temporis, affirmantem aquam manere post consecrationem, permixtam accidentibus vini. Neque, inquit, inconueniens creditur, aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cùm legatur de ipsius latere processisse. Posteaque solùm præfert vt probabiliorem alteram sententiam affirmantem aquam conuerti mediatè in sanguinem, cùm priùs in vinum transeat, & vt supra retulimus, libro quarto, de Mysteriis Missæ, capite vigesimo nono, hac quæstione proposita, Vtrùm aqua cum vino conuertatur in sanguinem, & relatis breuiter argumentis vtriusque partis, affirmantis, & negantis; rem dubiam & indecisam relinquit, concludens, *Quis hoc valeat*, vel audeat, *definire?* Quòd si oppositum fuisset de fide, & communis traditio Patrum, vt volunt aduersarii, certè tam doctus, & tam sanctus Pontifex Summus id non ignorasset. Concilium verò Tridentinum per *vinum* intelligit id, quod propriè dicitur vinum: cuiusmodi non est aqua, nec totum mixtum ex aqua, & vino. Vinum enim accipit eodem modo, quo Florentinum definiens materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum de vite: quod vinum ab aqua, & à mixto manifestè distinguit: subdit enim: *Cui aqua modicissima ante consecrationem admisceri debet.* Vnde immeritò Aegidius Coninc contendit numero centesimo octuagesimo tertio, aquam esse materiam sacramenti Eucharistiæ, & comprehendi nomine vini, quod pro materia assignatur à Conciliis & Patribus. Immeritò quoque, & nimis leuiter affirmat numero centesimo sexagesimo quarto, non videri posse asseri sine errore aquam manere post consecrationem, postquam à Tridentino definitum est id, quod ex illo supra retulit, vinum scilicet in Christi sanguinem conuerti. Quasi nomine vini aquam necessariò comprehendat, ac totum in calice contentum.

Neque propterea forma calicis sacrilega est, & falsa; quamuis contingat modicam aquam infusam calici non fuisse conuersam in vinum ante consecrationem. Nam vt rectè ait Vasq. supra numero vigesimo secundo, verba consecrationis supra totum calicem prolata demonstrant solum id, quod in calice præcipuè continetur, & ex quo denominatio sumitur: & ratione illius solùm verba vera sunt, & effectum suum habent in materia illius. Neque est alia intentio vel vsus Ecclesiæ. Illud enim solum adoratur cultu latriæ, non aqua remanens in propria natura, vt neque puluisculus in calicem decidens, quemadmodum fere semper contingit. Non etiam propterea frangitur ieiunium, quale præcipitur ab Ecclesia ante communionem, vel in eo dispensatur eatenus, cùm alicui permittitur bis celebrare eodem die. Idemque dico si parum olei loco aquæ admisceretur vino. De hostiis verò chartaceis aliud est. Primò enim, illa admixtio, cùm ad nihil vtilis esse possit, non potest nisi sacrilegè fieri. Secundò, huiusmodi hostiæ chartaceæ essent planè disparatæ ab aliis, neque ab illis absorberentur, ac saltem specie tenus in eas verterentur, sicut aqua modicissima vino calicis admixta, quæ idcirco moraliter pro nihilo habetur. Idemque dico de modicissimis corpusculis pani consecrando admixtis, & cum eo compactis, vt frequentissimè contingit. Vix enim hostia est vnquam adeo purè triticea, vt nihil alterius grani, aut substantiæ admixtum habeat. De huiusmodi enim mixtione, vt de mixtione aquæ censendum est. Tertiò, licet impiè, & sacrilegè hostiæ chartaceæ triticeis admiscerentur, forma prolata super triticeas, ex intentione consecrantis, non propterea foret falsa: neque propterea non possent consecratæ solæ adorari: non tamen licitè possent cum aliis proponi adorandæ, sicut proponitur sanguis cum aqua in calice, aut corpus Christi cum atomis alterius substantiæ, ob differentiam ante allatam: quia modicum toti coniunctum, & ab illo moraliter absorptum, reputatur pro nihilo, eiusque ratio non habetur; seu non attenditur. Reliquum obiectionis probat tantùm non esse certum, aquam in vinum verti ante consecrationem. Quanquam pro eo malè citatur Aristoteles, qui perspicuè docet oppositum libro primo de

61. Id non obest forma consecr. calicis.

Generatione, capite vltimo, textu octuagesimo octauo, vt rectè Vasquez ostendit capite secundo, disputationis citatæ, & Conimbricenses in caput nonum, & decimum libri citati. Ex quo collige, quàm fideliter affirmet Aegid. omnes medicos, & chimicos ita sentire.

62. Verùm, quidquid de medicorum opinione sit, deque experientiis, & aliis ab Aegid. allatis, id nobis non obest asserentibus tantùm aquam conuerti in sanguinem, si priùs conuersa in vinum; secus non: semper autem conuerti non asserimus, nec probabile iudicamus. Ad illud autem quod obiicit Delugo disputatione quarta, numero quinquagesimo tertio, aquam illam in vinum conuersam, non esse vinum de vite: materia autem calicis, iuxta Concilia, est vinum de vite: Respondeo esse vinum de vite, quoad speciem, non quoad modum immediatum, quo factum est. Quis autem neget vinum ex aqua factum in Cana Galilææ potuisse assumi in materiam calicis?

Delugo.

Soluuntur alia argumenta.

Addunt aliqui recentiores suam sententiam de immediata conuersione aquæ in sanguinem, certam sibi omnino esse, & videri tenendam, vt indubitatè conformem communi fidelium sensui, & traditioni omnium sæculorum. Ad quod probandum adducunt aliqua testimonia Patrum, iam antea prolata ab Aegidio Coninc, & Delugo. Deinde addunt præcipuè formam consecrationis calicis non fore exactè veram, nisi semper totum mixtum in calice ex vino, & aqua, conuertatur in sanguinem, licet sæpe contingat aquam non verti in vinum ante consecrationem. Sed hoc nimis confidenter affirmant, nimisque facilè sibi persuadent. Cùm Innocentius III. cap. *Cum Marthæ*, supra citat. referens opiniones Theologorum sui temporis circa aquam calici infusam, nullam referat, quæ affirmet aquam immediatè conuerti in sanguinem: sed dumtaxat tres illas, quas diximus numero quinquagesimo tertio, quarum secundam approbat vt probabiliorem, asserentem aquam mediatè solùm conuerti in sanguinem. Cùm, inquit, priùs in vinum transeat. Quæ clausula frustra addita fuisset ab auctoribus illius sententiæ, nisi transitum aquæ in vinum existimassent esse conditionem necessariam, vt aqua possit conuerti in sanguinem: certumque est aduersarios non ita loqui, & clausulam illam reiicere vt superfluam. Itaque nullus Theologorum illius temporis (si Innocentio III. credendum est) docuit aquam immediatè conuerti in sanguinem. Quâ ergo confidentiâ dicunt aduersarii certum sibi videri, fuisse semper illum communem fidelium sensum, & traditionem omnium sæculorum? Qui enim fieri potuit, vt tum Innocentius III. tum omnes illius temporis Theologi hunc communem sensum ignorauerint? Et quomodo potuit esse communis sensus fidelium, qui tunc nullius Theologorum sensus fuit? Quomodo etiam illum ignorauit D. Thomas, qui non diu post Innocentium III. floruit, & eandem sententiam, quam Innocentius III. aduersariorum opinioni contrariam, vt probabiliorem secutus est quæstione septuagesima quarta, articulo octauo in corpore. Vbi similiter tres easdem sententias Theologorum refert, & postquam initio dixit primam, quæ affirmat aquam manere in vino consecrato, non posse stare, quia in sacramento altaris nihil est, nisi corpus, & sanguis Christi, vt ait Ambrosius libro de Officiis: & aliam, quæ affirmat aquam conuerti in phlegma, vel in aquam illam, quæ fluxit de Christi latere, non loqui rationabiliter: addit, aliorum opinionem esse probabiliorem, sicut dicit Innocentius III. qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem. Hoc autem, inquit, fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quod conuerteretur in vinum, & ideo semper est tutius parum aquæ apponere, & præcipuè si vinum sit debile; ne alioqui scilicet aqua maneat, & in sanguinem non transeat, cùm prius non transierit in vinum. Itaque Diuus Thomas hæc duo coniungit, sicut etiam faciunt Alensis, Bonauent. Scot. & alii fere omnes veteres, & recentes Theologi, aquam non semper conuerti in sanguinem, quia non semper conuertitur in vinum ante consecrationem; vt contingit saltem quando vino debili multum aquæ apponitur. Quæ appositio si tanta fieret, vt solueretur species vini, non posset perfici sacramentum, inquit Diuus Thomas articulo citato.

Sententia D. Thom.

Adde, fundamenta omnia aduersariorum, siue desumpta ex SS. Patribus, siue ex verbis consecrationis, fuisse expensa à Theologis grauissimis, & doctissimis huius temporis (neque præcipua illorum fuerunt antiquis incognita) quorum plerique, & longè plures, vt ingenuè fatetur Aegidius Coninx quæstione septuagesima quarta, articulo octauo, dubio vnico, numero centesimo octuagesimo sexto, imò fere omnes, vt testatur Ysambertus ad quæstionem septuagesimam quartam, disputatione quinta, articulo primo, censent doctrinam aduersariorum de conuersione immediata aquæ in sanguinem, non modò non certam esse, sed ne quidem æquè probabilem, ac oppositam. Et verò quæ proferunt ex SS. Patribus, non dicunt expressè id, quod intendunt, vt attendenti ad verba satis patebit. Glossæ verò, quas ipsi Patrum testimoniis addunt, necessariæ non sunt, & potest illis probabiliter satisfieri, vt nos antea fecimus, & fusiùs Ysambertus ad quæstionem septuagesimam quartam, disputatione quinta, articulo quinto, & Vasquez disputatione 63.

Coninc.

Ysambert.

centesima septuagesima octaua, capite tertio. Quod vero præcipuè vrgent, formam consecrationis calicis non fore exactè veram, nisi quidquid est in calice, conuertatur semper in sanguinem, nimis probat. Nam ex eo sequeretur non modò aquam, sed & puluisculum decidentem in calicem ante consecrationem, vel in vinum calici infundendum ; vt nunquam fere non contingit, conuerti in sanguinem: & quidquid pani consecrando admiscetur, siue alterius grani quàm triticei, siue puluisculi, aut alterius rei (vix enim contingit vnquam nihil aliud misceri) conuerti in corpus Christi. Cùm tamen certum sit non posse conuerti in corpus, & sanguinem Christi, nisi materiam sacramenti, quæ ex Florentino in decreto, non est alia, quàm panis triticeus, & vinum de vite, cui aqua modicissima admisceri debet. Denique, vt supra vidimus, Innocentius III. refert vt probabilem sententiam affirmantem aquam manere speciebus vini consecrati permixtam: neque inconueniens esse, vel absurdum credere aquam in corpore Christi, siue in calice consecrato esse, cum legatur processisse de eius latere: vtque iam sæpius probauimus, præfert tanquam probabiliorem sententiam asserentem conuerti, sed mediatè. Et quamuis vt contendunt aduersarii, de conuersione immediata loqueretur: illam tamen dumtaxat velut probabiliorem eligeret, non verò tanquam omnino certam, & indubitatè tenendam: licet præcipua fundamenta aduersariorum ipsi perspecta fuerint, & communem fidelium sensum, certamque traditionem Ecclesiæ non ignorauerit. Plus ergo sapiunt, quàm oportet, & suum iudicium Innocentii III. iudicio anteponunt, aut potiùs opponunt, qui dicunt contrarium certum omnino sibi esse, & tenendum, vt indubitatè conforme communi fidelium sensui, & traditioni omnium sæculorum.

64. Superest explicandum an sufficiat conuerti aquam in vinum, quocunque tempore id fiat, vt vertatur in sanguinem? Respondeo negatiuè. Primò enim, Si vertatur in vinum eo instanti, quo perficitur forma consecrationis, non propterea vertitur in sanguinem. Alioquin eodem instanti esset vinum, & non esset. Esset quidem per conuersionem naturalem, quam supponimus; & non esset, per transubstantiationem, quâ eodem instanti fieret sanguis Christi. Multòque minùs vertetur in sanguinem, si post consecrationem in vinum versa sit. Nam verba tantùm consecrant materiam existentem, & præsentem; quando proferuntur physicè. Quare tunc manebit vinum mixtum sanguini. Sed neque etiam vertetur in sanguinem, si post inchoata verba essentialia consecrationis, antequam absoluantur, conuertatur in vinum: quia ab initio ipso, quo forma essentialis profertur, materia debet esse præsens sacerdoti consecranti. Ergo multò magis debet esse realiter, & existere actu. Atqui non existit ab initio, siquidem ab initio non fuit vinum: Ergo, &c. Nec sufficit, quod extiterit vt aqua: quia aqua, vt aqua, non est materia: & verba, quæ prolata sunt antequam esset vinum, perinde se habent respectu illius, ac si non fuissent prolata.

Dices in reliquis sacramentis sufficere materiam esse præsentem moraliter, id est, proximè futuram: Ergo sufficit aquam verti in vinum proximè post. Respondeo sacramenta non conuenire in omnibus: & in singulis esse aliquid quod physicè præsens esse debeat ab initio formæ. Cuiusmodi est persona, quæ demonstratur per hæc verba, Ego te baptizo: Ego te confirmo: Te absoluo, &c. quæ persona est materia & subiectum in quod operatur sacramentum: eique in hoc similis est materia remota consecrationis, sub cuius accidentibus demonstrantur corpus, & sanguis Christi; & in quam exercetur actio transubstantiationis, vt sub eius accidentibus corpus, & sanguinem Christi constituat. Et hactenus de materia remota sacramenti Euchar. 65.

DISPVTATIO TRIGESIMA,

De reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.



DE reali præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia breuiter agit S. Doctor, vt de re tunc temporis minimè controuerſa, quæſt. 75. art. 1. vbi affirmat, tametſi verum Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia eſſe, neque ſenſu, neque intellectu naturaliter deprehendi poſſit: fide tamen, quæ auctoritati diuinæ innititur, id certum eſſe. Vnde meritò Cyrill. ſuper illud Luc. 22. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, dicit: *Non dubites an hoc verum ſit, ſed potiùs ſuſcipe verba Saluatoris in fide: cùm enim ſit veritas, non mentitur.* Additque tribus de cauſis id conueniens fuiſſe. Primò quidem, ob perfectionem nouæ legis. Debuit enim ſacrificium à Chriſto inſtitutum continere in rei veritate Chriſtum paſſum, quem ſacrificia veteris legis in ſignificatione, & figura ſolùm continebant. Secundò, Quia competit charitati Chriſti, vt per veritatem carnis, & ſanguinis ſui, nos ſibi coniungeret in hoc ſacramento. Tertiò, Quia conueniebat etiam perfectioni fidei, vt ſicut diuinitatem ſuam nobis exhibet Chriſtus inuiſibiliter in Incarnatione, ſub forma hominis: ita & in hoc ſacramento, carnem ſuam nobis exhiberet inuiſibili modo, ſub ſpecie panis. Addit errorem Berengarii aſſerentis corpus, & ſanguinem Chriſti non eſſe in ſacramento, niſi ſicut in ſigno, eſſe reiiciendum vt hæreticum, & verbis Chriſti contrarium. Ideóque illum coactum fuiſſe errorem ſuum reuocare, & veritatem fidei confiteri: vt habetur in cap. *Ego Berengarius*, de Conſecrat. diſtinct. 2.

Neque plus proficit quod addunt Ministri recentiores, nos uniri Spiritui Christi, & mediante spiritu, uniri corpori eiusdem, & sanguini. Nam si per spiritum Christi intelligant ipsius animam: non magis physicè ipsi unimur, quàm corpori, & sanguini, quippe quæ tantùm in cœlo est, ex adversariorum doctrina supra relata. Sin verò per spiritum Christi intelligant eius diuinitatem, quæ vbique est: unio localis, physica, & substantialis cum illa, præcedit sacramentum Eucharistiæ, & est communis rebus omnibus, animatis, & inanimatis: unio autem moralis per fidem, vel assistentiam ad bene operandum, habetur similiter per Baptismum, & Euangelii prædicationem.

5. Doctrina recta de Christo in Eucharistia. Doctrina verò Catholica præcedenti contraria hæc est, vt proponitur à Trident. sess. 13. cap. 1. *Docet sancta Synodus, & aperté, ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ sacramento, post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum, atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Hæc Trident. Vnde sequuntur tria præcedentibus Calvinistarum dogmatibus directè contraria. Primò scilicet, Eucharistiæ sacramentum non esse merum *signum* corporis, & sanguinis Christi in cœlo tantùm existentis: sed esse ipsummet corpus & sanguinem sub speciebus sensibilibus contentum. Secundò, Christum non exhiberi tantùm per fidem, nec manducari tantùm ore fidei; sed ore ipso corporis verè recipi, nobisque reipsa intimè, & substantialiter communicari, quando species consecratas recipimus. Tertiò, unionem cum Christo, quæ fit in Eucharistia, longè diuersam esse ab illa, quæ fit in Baptismo, aut per Euangelii prædicationem mediante fide in Christum, aut gratia sanctificante. Hæc enim tantùm moralis est, illa verò est physica, & substantialis, atque intima coniunctio cum Christo realiter, & secundum se, sub speciebus Eucharisticis nobis exhibito.

6. Idem, quod Trident. definierant antea Florent. in Decreto Eugenii 4. *Forma huius sacramenti*, Constantiense sess. 13. Lateran. sub Innocentio III. cap. 1. §. *Verum Christi corpus, & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem potestate diuina*: Romanum œcumenicum sub Nicolao II. vbi Berengarii error contrarius damnatus fuit: Nicænum secundum Act. 2. Ephes. part. 3. in declaratione anathematismi XI. Nicænum primum lib. 3. editionis Pisanæ, cap. *De sacra mensa*. Vtamittam plurima concilia particularia, in quibus eadem veritas, tanquam fidei dogma commendatur, & contrarius error, vt hæresis reiicitur. Superest, vt eandem veritatem ex Ecclesiæ traditione perpetua, Scripturaque, & SS. Patrum testimoniis confirmemus: & contrariis hæreticorum argumentis respondeamus.

SECTIO II.

Prima probatio veritatis Catholicæ ex historia Ecclesiastica, & perpetuo sensu Ecclesiæ.

7. Probatur autem 1. hoc argumento ex historia, & traditione ecclesiastica desumpto. Dogma de reali, & substantiali Christi præsentia sub speciebus Eucharisticis est huiusmodi, vt qui illi contradicere visi sunt, fuerint semper à catholicis Doctoribus, vel à conciliis ipsis repressi, & damnati, vt repugnantes fidei Ecclesiæ. Ergo tale dogma est dogma fidei catholicæ: & contrarium, vt hæreticum reiiciendum est. Consequentia est clara. Nam cùm Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis 1. Timot. 3. contra quam portæ inferi præualere non possunt Matth. 16. errare non possit circa fidei dogmata: quidquid ipsa semper pro fidei dogmate habuit, certissimè fidei dogma est. Quare si constet aliquid semper in ea pro fidei dogmate fuisse habitum; pariter constat fidei dogma esse. Similique argumento vsi sunt olim Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 4. contra Cerdonem & Valentinum: & generatim contra omnes hæreticos, Tertul. lib. de Præscriptionibus, & Vincentius Lirin. in lib. contra prophanas hæresum nouitates. Antecedens verò probatur ex historia Ecclesiastica.

8. Primi & contrarii Capharnaitæ. Primi igitur, qui reali Christi præsentiæ, & orali eius corporis manducationi sese opposuerunt, fuerunt Capharnaitæ illi, & discipuli increduli, verbis illis Domini scandalizati, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* & *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. Inter quos Iudam proditorem fuisse liquet ex versu sexagesimo quarto, *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt: sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eũ.* Nec obest quòd Iudas non abierit cum aliis incredulis: mansit enim, non ad credendum, & intelligendum, sed ad insidiandum, vt ait S. August. tract. 27. in Ioan. Hos autem omnes Christus ipse, summus Ecclesiæ doctor, incredulitatis damnauit, & catholicam doctrinam magis, ac magis confirmauit, non obstante illorum murmuratione, ac turpi discessione, vt sect. 4. ostendemus, vbi verba prædicta ponderabimus.

9. Secundò, Corinthii quidam, quos Apostolus 1. Cor. 11. v. 28. hæresis arguit, & v. 29. ac deinceps de veritate corporis, & sanguinis Domini in Eucharistia, deque sacramenti dignitate, & veneratione illi debita grauiter admonet, videntur quibusdam circa hæc omnia errasse: idèoque Paulum eam accuratè institutionem Domini repetiisse, & tam pronunciasse corporis, & sangui-

Prouincialibus synodis, atque ab innumeris scriptoribus catholicis refutati.

14. Ex hac verò perpetua cõtradictione quam hæc hæresis in Ecclesia sẽper passa est, liquet veritas antecedentis propositi argumenti: & consequenter aut nullam vnquam hæresim fuisse, aut sententiam Caluinistarum toties reiectam, & ab Ecclesia vniuersa, tot conciliis generalibus damnatam, hæresim esse. Vix enim alia est ex illis propositionibus, *Matth. 10. v. 16. & 28.* quas ipsimet inter hæreses numerant, toties reiecta, totiesque damnata. Et vel Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis, errauit turpiter, rectamque fidem, vt hæresim reiecit: vel opinio Caluinistarum toties damnata, non recta fides, sed certa hæresis est. Vel inquam, sententia de reali præsentia Christi in Eucharistia vera est, vel Ecclesiæ sponsus, qui via, veritas, & charitas est, non modo passus est, sed etiam causam dedit, vt sponsa dilectissima verbis illius, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus* persuasa in tam nefando, & abominando errore semper huc vsque hæserit, vt panis frustum pro ipso adorauerit, idque pro dogmate catholico constantissimè retinens, eos omnes, qui vnquam contradixerint, hæreticorum loco habuerit, atque vt tales represserit, & damnauerit. Nam vt partim liquet ex dictis, partim liquebit ampliùs ex dicendis, sole clarius est hanc semper fidem Ecclesiæ fuisse: & qui contra mutire ausi sunt, conciliorum œcumenicorum fulminibus, sanctorumque Patrum, & scriptorum catholicorum exercitibus mox oppressos fuisse. Contra verò Patres & scriptores catholicos, multa, & mira de veritate Eucharistica prædicasse, nunquam repugnante, sed approbante Ecclesia, quæ de sola figura importunissima, & falsissima essent. Vt inter alia, quòd tam verè sub speciebus Eucharist. lateat Christi humanitas quàm sub cibis humanitate latebat diuinitas: *Cyprian.* vt ait Cyprian. in Serm. *de cœna Domini*. Quòd naturæ mutentur, & panis non sit ampliùs natura, sed effigie panis, ibid. Quòd hæc mutatio magnum miraculum sit, opus *Ambros.* diuinæ omnipotentiæ, simile mundi creationi, & mutationi serpentis in virgam, vir*Cyrill.* gæque in serpentem. Exod. 4. vt loquitur Ambros. lib. *de iis, qui misteriis initiantur* cap. 9. Simile item conuersioni aquæ in vinum factę in Cana Galilææ Ioan. 2. vt affirmat Cyril. Hierosolym. Catech. 4. Mystag. Non esse sensibus credendum, sed Christi verbo, & modum, quo id fiat ineffabilem esse, vt affirmant Cyril. ibid. & Chrysost. hom. 83. in Matth. Quæ, & similia de figura apertissimè sunt falsa, neque ab Ecclesia primitiua, in fide integra, & incorrupta, patienter audiri potuissent, si persuasum habuisset Eucharistiam præter Christi figuram nihil esse. Nunquam enim tulisset eos, qui tam graues difficultates contra communem sensum, & supra captum humanum induxissent. Nec error tam difficilis, tam contra fidem, & communem, ac naturalem sensum, in re adeo nota, & apud primos Christianos vsitata, tam citò apud ipsos inualescere potuisset. Nemo denique sani iudicii credat Martialem Ignatium, Dionysium, Clementem Romanum, & alios Christi vel Apostolorum discipulos, contra quàm fuerant ab ipsis edocti, de veritate Eucharistica sensisse, & scripsisse. Et tamen certum est primos illos Ecclesiæ Patres, & qui deinceps illam vitæ sanctitate, & scriptis illustrarunt, realem Christi præsentiam in Eucharistia credidisse, & apertis testimoniis confirmasse, quorum aliqua proferemus, non quidem omnium, nam res infinita esset, sed duorum, vel trium è quinque primis sęculis: tum vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum: tum quia faciliùs annuit hæretici eos, qui postea sequuntur, nostros esse. Qui plura volet consulat Bellarm. & Perron. Cardin. lib. 2. de Euchar. & Gauter. in Tabulis chronol. verit. 1.

SECTIO III.

Probatur eadem veritas ex sanctis Patribus.

Ergo sæculo 1. Dionys. Pauli Apostoli discipulus in lib. de Eccles. Hierarc. cap. 15. *Dionys.*
3. in contemplatione, non longè ab eius initio, Eucharistiam sic alloquitur: *O diuinissimum & sanctum sacramentum, obducta tibi symbolicè operimenta ænigmatum reuelans, dilucidè nobis demonstrare, ac spiritales nostros oculos singulari, apertoque lumine imple.* Nota, obducta tibi symbolicè operimenta, &c. *Ignat.* quibus verbis manifestè significat aliud esse præter symbolum, seu figuram: Christum scilicet quem sub signorum operimentis latentem inuocat. S. Ignat. mart. Ioannis Apostoli discipulus, & tertius à Petro Antiochenus Episcopus, in Epist. ad Rom. *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus huius vitæ. Panem Dei volo, panem cœlestem qui est caro Christi filii Dei.* Et in Epist. ad Smyrn. vt refertur à Theodor. Dial. 3. de Saturnianis, & Simonianis hæreticis loquens, sic ait: *Eucharistias, & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.* Vbi nota Ignat. fertè affirmare Eucharistiam esse illam ipsam carnem Christi, quę pro peccatis nostris passa est, & contrarium errorem Saturninorum, vt hæresim reiicere.

Eodem sæculo Achaiæ Presbyteri, B. Andreæ Apostoli comites, & discipuli, cuius 16.
passionis testes oculati, & scriptores fuerunt, inter alia scribunt B. Andream Aegeæ proconsuli, vt Diis suis immolaret hortanti respondisse: *Ego omnipotenti Deo, qui viuus, & verus est, quotidie immolo non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cuius carnes, posteaquam*

omnis populus credentium manducauerit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus. Nota 1. verba illa, Agnum in altari, &c. Secundò, Id vt mirabile à B. Andrea prædicari, quod de figura, vel spirituali manducatione ore mentis per fidem, mirabile non esset, sed supra modum hyperbolicè dictum, & obscurissimè, ineptissiméque propositum: nisi fortè Apostolus non Proconsulis conuersionem, sed veritatis odium, & contradictionem quærebat. Nam alioqui non debebat rem per se claram, & non difficilem, obscurissimam reddere, creditúque difficillimam homini Gentili, cui mysteria fidei persuadere nitebatur. Porrò huiusmodi narrationem indubitatæ esse fidei testatus est ante sexcentos annos Petrus Damian. in serm. 2. de S. Andrea, vbi de hac Historia sic loquitur: *Non immeritò in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt, & ministri fuerunt sermonis.* Eandemque refert Metaphr. qui floruit ante annum Domini 859.

16. Iustin. Sæculo secundò, Iustinus mart. Apol. 2. sub finem de Eucharistia sic loquitur: *Quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus, carnem, & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistizatum cibum, ex quo sanguis, & carnes nostræ per immutationem aluntur, illius incarnati Iesu carnem, & sanguinem esse edocti sumus.* Vbi nota primò comparationem illam, Sicut Christus habuit carnem, & sanguinem: sic ab ipso Eucharistizatum cibum, carnem illius & sanguinem esse edocti sumus: verè nimirum, realiter, & substantialiter. Verba autem illa, *Ex quo sanguis, & carnes nostræ per immutationem aluntur*, sunt periphrasis panis. Et sensus est: Cibus, ex quo naturaliter immutato per naturalem nutritionem sanguis & carnes nostræ aluntur, Eucharistizatus per verbum Dei, & supernaturaliter immutatus, est caro, & sanguis illius incarnati Iesu: Nota secundò Iustinum ibi fidem communem Christianorum exponere, & apologiam illam ad Antoninum Imperatorem ethnicum, & ad Senatum Romanum pro Christianis omnibus scribere, cui mysteria fidei probare debebat, non autem verbis hyperbolicis, & obscuris, incredibilia reddere, gratísque odium fidei, & persecutionem incendere; vt fecisset, si id, quòd tantùm figura carnis, & sanguinis est, carnem, & sanguinem esse asseruisset. Adde quòd, si Eucharistia figuratiuè tantùm, & non realiter Christi caro erat: debebat id omnino Iustinus apertè declarare in apologia illa pro Christianis, qui inter alia accusabantur ab Ethnicis, quòd in sacris carnem humanam ederent, vt patet ex Athenagora in apologia ad eundem Antoninum Imperatorem, Tertull. in Apologet. cap. 7. & Minutio Fœlice in Octauio. Sed nimirum alia erat fides Christianorum illius temporis, cuius professio de vera carne Christi in Eucharistia accusationi illi causam dedit. Sicut eximius cultus externus, & adoratio Eucharistiæ olim exhibita, occasio fuit gentilibus suspicandi Christianos colere Cererem & Bacchum, vt testatur D. August. lib. 20. contra Faust. cap. 13.

Eodem sæculo S. Irenæus lib. 4. aduersus hæres. cap. 34. disputans contra Resurrectionis corporum aduersarios: *Quomodo autem*, inquit, *rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ a corpore Domini, & sanguine alitur?* & paulò post; *Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & cælesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia:* Vbi nota 1. Irenæum probare corpora nostra fieri incorruptibilia, quia aluntur corpore Christi. Ergo corpus Christi non tantùm mente, & ore fidei, sed & corpore ipso percipitur. 2. Eucharistiam constare, id est, componi intrinsecè ex re terrena, & ex re cœlesti, id est, corpore Christi. Ergo non tantùm illud significat, sed & verè, & realiter continet, neque enim potest constare re absente. 3. Nota comparationem illam, Sicut Eucharistia constat ex duabus rebus terrena, & cœlesti: sic & corpora nostra per Eucharistiam fiunt è corruptibilibus incorruptibilia: Atqui corpora nostra non fiunt incorruptibilia sola significatione, sed verè, & realiter: Ergo Eucharistia non constat Christi corpore sola significatione, sed verè & realiter: Tertull. verò in lib. de Carn. Resurrect. cap. 8. *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Nimirum sicut verè, realiter, ac substantialiter, & non solùm per figuram, aut per fidem, caro abluitur in Baptismo, & vngitur in Confirmatione: sic in Eucharistia verè, realiter, ac substantialiter vescitur Christi corpore. Vbi præterea nota, cùm Tertullianus totum obiectum communionis Eucharisticæ distribuat corpori, & animæ: & corpori quidem assignet perceptionem corporis, & sanguinis Christi; animæ verò perceptionem diuinitatis eiusdem Christi; non potest per corpus, & sanguinem Christi intelligere figuram solùm corporis, & sanguinis Christi; alioqui verum corpus, & verus sanguis Christi, excluderentur ab obiecto communionis. Neque loquitur de comestione mentis per fidem; siquidem illam comestionem carni tribuit, affirmatque, cùm caro corpore & sanguine Christi vescitur, mentem de Deo saginari. Et lib. de Idololat. cap. 7. contra indignos sacerdotes stylum acuens, *Proh scelus!* inquit, *semel Iudæi Christo manus intulerunt: isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ! Quæ magis amputandæ sunt, quàm quibus corpus Domini scandalizatur.* Frigida comparatio, & exclamatio, nisi realiter, & physicè ipsi corpus Christi lacessant, & scandalizent: sicut Iu-

17. Iren.

Tertull.

dari physicè sine dubio, non per fidem solùm aut figuram, semel Christo manus intulerunt.

Origen.

Sæculo tertio, Orig. Homil. 5. in diuers. loquens de puero Centurionis, apud Matthæum cap. 8. sic habet: *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris: manducas, & bibis corpus, & sanguinem Domini. Tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Hæc Origen. quæ nisi de vero Christi corpore, & sanguine, ore corporis verè percepto, rectè dici non possunt: maximè iuxta Caluini doctrinam sect. 1. propositam. Nam si Origenes loqueretur de corpore Christi metonymicè, id est, de pane significante corpus; non rectè eum vocaret epulum incorruptum, nec ei dici vellet, *Domine non sum dignus*, &c. Si verò loqueretur de ipso Christo per panem significato, sed in cœlo tantùm existente, & per fidem dumtaxat ore mentis, in cœlum fide seu cogitatione ascendentis, accepto, non diceret; *Vbi indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Etenim iuxta Caluini doctrinam, Christus per fidem non potest accipi nisi à piis, & ad vitam: ab impiis verò, & infidelibus non sumitur nisi externum symbolum. Origenes autem ei qui ingreditur ad pios & impios, dignè vel indignè, ad vitam vel ad iudicium, vult dici, *Domine non sum dignus.* Ergo vel panem inuocari, & adorari vult: vel loquitur de corpore ipso Christi nobis proposito sub speciebus, & intrante sub tectum corporis nostri.

Cyprian.

Cyprian. verò in serm. de Lapsis, loquens de illis, qui post negatam fidem in persecutione, ad Eucharistiam accedebant, nondum expiatâ per pœnitentiam conscientia: *Vis*, inquit, *infertur corpori eius, & sanguini. Et plus modò in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt.* Atqui si ore, & manibus, symbolum tantùm, & figuram corporis, & sanguinis Christi accipiunt, non autem ipsum Christi corpus, & sanguinem: incredibile omnino est, existimasse Cyprianum plus ipsos tunc peccare, quàm cùm fidem non sine magno scandalo in persecutione negauerant. Idem Cyprianus, vel quis alius apud ipsum grauis & eruditus scriptor eiusdem ætatis, vt testatur titulus libri, Cornelio Papæ Cypriani contemporaneo dedicati, in lib. de Cardinalibus Christi operibus, sermone *de Cœna Domini*, prope initium, sic ait: *Panis iste, quem discipulis Dominus porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Dei factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.* Nota 1. *non effigie, sed natura mutatus.* 2. Recurri ad omnipotentiam Dei, vt fiat hæc mutatio. Tertiò nota comparationem illam, *Sicut in persona Christi*, &c. nihil enim clarius dici potest.

Nicænum
Caluin.

Sæculo quarto, Concilium Nicænum primum (approbatum ab ipsomet Caluino cum tribus aliis proximis generalibus lib. 4. Institut. cap. 9. §. 8.) sic habet lib. 3. editionis Pisani cap. de Sacra mensa: *In hac sacra mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem, & calicem: sed attollentes mentem fide, intelligamus situm in illa sacra mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum: & pretiosum eius corpus, & sanguinem verè nos sumentes, credamus hæc esse nostræ resurrectionis symbola.* Vbi nota Concilium perspicuè affirmare, Christum situm esse in sacra illa mensa; in qua symbola panis & vini proponuntur: in eademque incruentè immolari à sacerdotibus, & à fidelibus verè recipi. 17.

Cyrill.
Hierosol.

Eodem sæculo Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. Mystag. paulò post initium, affirmat Christum panem in corpus suum, & vinum in sanguinem transmutasse, sicut aliquando aquam mutauit in vinum in Cana Galilææ. Et in fine eiusdem catechesis, *Hoc sciens*, inquit *& pro certissimo habens panem hunc, qui apparet, non esse panem, etsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum, quod apparet, tametsi gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.*

Similia habent Ambros. lib. de iis, qui mysteriis initiantur, cap. 9. Et Chrysost. hom. 83. in Matth. quorum verba referemus sect. 7. Gregor. autem Nyssen. in orat. catechet. cap. 37. vbi considerandum esse dixit, quomodo possit vnum illud corpus, quod tam multis fidelium toto orbe semper distribuitur, totum esse in vnoquoque, & ipsum in se totum manere, respondet: *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari.* Et paulò post: *Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud transelementatâ eorum, quæ apparent natura*: Ibidemque ait oportere sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera hominis. Id est, oportere, vt sicut vetitus cibus corporaliter ab Adamo comestus est: ita Christi corpus à nobis corporaliter, & intra viscera ipsa sumatur, adeoque non tantùm mente per fidem: *Vt cùm intra nos fuerit*, (adeòque non tantùm in cœlo, mente sola per fidem apprehensum) *hoc salutare medicamentum, veneni damnum, quod corpori fuerat inditum, per contrariam repellat actionem.* Legatur totum illud caput, quo nihil clarius dici potest contra errorem Caluinistarum contendentium spiritu tantùm, & non etiam corpore à nobis percipi corpus, & sanguinem Christi.

Hilar.

Hilar. quoque lib. 8. de Trinit. affirmat ratione huius mysterii Christum in nobis permanere carnaliter, & corporaliter nobis vniri. Ergo non tantùm spiritualiter: vt volunt Caluinistæ.

Cyrill.

Idemque affirmat Cyrill. Hierosol. loco supra citato cùm sic ait: *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis*, &c. *Sic Christiphori erimus, id est*

Christum ferentes, cùm eius corpus & sanguinem in membra nostra recepimus.

20. Sæculo quinto Chrysost. lib. 3. de Sacerd. *O miraculum! O Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Inepta exclamatio, si non ipse, sed variæ particulæ panis, ipsius figuræ, omnium manibus pertractentur. Aliud eius testimonium luculentissimum ex hom. 83. in Matth. referemus sect. 7. vbi affirmat, non esse in hoc mysterio credendum sensibus, qui falli possunt, sed verbo Dei infallibili: esseque sine ambiguitate tenendum, non esse panem, vt sensibus apparet, sed esse corpus Christi, sicut ipse asseruit. Itemque ex August. concione 1. in Psal. 33. vbi disertè ait, Christum hoc sacramentum instituentem, impleuisse ad literam illud quod de Dauide dictum fuerat, *Ferebatur in manibus suis*: seque ipsum tulisse propriis manibus, eo modo quo neque Dauid, neque vllus alius corpus suum in manibus portare potest: Realiter scilicet, & verè ac substantialiter: Nam figuram tantùm & signum aliquod sui corporis portare propriis manibus, vnicuique facillimum est.

Chrysost.

August.

Hieronym.

His adde illud Hieron. in comment. Psal. 109. *Quomodo Melchisedec Rex Salem obtulit panem, & vinum: sic & tu offers corpus & sanguinem tuum, verum panem, & verum vinum. Iste Melchisedec ista mysteria, quæ habemus tradidit nobis: Ipse est qui dixit, Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem* &c. Vbi nota primò Hieronymum non loqui de oblatione in figura solùm. Alioqui non bene per hoc Christum distingueret à Melchisedec; quòd Melchisedec panem, & vinum, Christus verò corpus & sanguinem suum obtulerit. Nam Melchisedec obtulit quoque figuram corporis & sanguinis Domini, vt docet idem Hieron. in cap. Matt. 26. vbi sic ait. *Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis comederat: assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur sacramentum. Vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedec summi Dei sacerdos panem, & vinum offerens fecerat: ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret*: id est, præsentem exhiberet, & figuræ veritatem substitueret. Nam quod Hieron. sic accipiat verbum, *Repræsentaret*, patet, quia antithesis tum Agni Paschalis cum Eucharistia, quam vocat verum Paschæ sacramentum; tum etiam Melchisedecis, quem ait præfigurasse, cum Christo, quem ait repræsentasse veritatem corporis sui, & sanguinis; omnino postulat, vt ex sensu Hieronymi, in agno Paschali, & sacrificio Melchisedecis, fuerit tantùm figura: in Eucharistia verò, exhibita sit veritas corporis, & sanguinis Domini. Nota 2. Per verum panem; & verum vinum, Hieronymum intelligere, non panem verum ratione naturæ, seu verum naturaliter (nam panis, & vinum Melchisedec non minus erant vera naturali veritate) sed verum prout opponitur typico & figuratiuo. Quo etiam sensu vocat Eucharistiam verum Paschæ sacramentum; id est, oppositum typico, & figuratiuo agno Paschali Iudæorum. Quo etiam sensu Cyprian. epist. 63. ad Cæcil. Melchisedecem cum Christo comparans, sic ait: *Præcedit ante imago sacrificii Christi in pane & vino constituta &c. Et veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit.*

Cyprian.

Eusebius denique Emisenus, aut alius grauis auctor eiusdem sæculi homil. 5. de Paschate, aliquantò post initium sic habet, *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui verbo suo, secreta potestate conuertit.* Et in fine, *Vt tibi nouum & impossibile non debeat videri, quod in Christi substantiam terrena, & mortalia commutentur.* Nota in vtroque testimonio, quòd visibilis, & terrena creatura in substantiam corporis, & sanguinis conuertatur. Item in priori, quòd verbo Dei, & secreta potestate id fiat; Nihil autem facilius est sine potestate tanta, quàm constituere aliquid signum, & figurã corporis, & sanguinis, quâ ob oculos positâ Christum per fidem apprehendamus. Neque id nouum, & impossibile videri poterat, quod in omnibus sacrificiis, & sacramentis legis veteris factum iam sæpius fuerat. Omnia enim illa erant Christi figura. Addit idem auctuor, *Quando benedicendæ verbis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi Numinis consecrentur, substantia illis est panis, & vini: post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autem, si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere? Imo iam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei potest esse difficile; cui facile fuit visibilia, & inuisibilia voluntatis imperio suscitare.* Hæc ille: quæ, si panis Eucharisticus est tantùm figura corporis Christi iuxta Caluini sensum, non nisi valde hyperbolicè, imò etiam falsò dici potuerunt.

SECTIO IV.

Obseruationes quædam circa Patrum testimonia.

Superioribus adde Patres antiquos, qui quinque primis illis Ecclesiæ sæculis floruerũt, multa expressè dicere, quibus nihil clarius à nobis dici potest contra errores Caluinistarum. Cuiusmodi est primò, quod asserunt disertè, Christum verè hic nobis commisceri, & vniri non fide tantùm, sed & ipsa re. *Verè*, inquit Hilarius lib. 8. de Trinit. *cibo Dominico Verbum carnem sumimus, naturamque carnis suæ sub sacramento nobis admiscenit.* Chrysost. hom. 83. in Matth. *Semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verùm & ipsa re nos suum efficit corpus.* Et hom. 45. in Ioan. ~~cap. 13. Nec negamus ... fide~~

45. in Ioan. *Vt itaque non tantum per charitatem, verum etiam ipsa re in illam misceamur carnem, per esum id efficitur quam largitus est nobis.* Cyrill. Alexand. lib. 10. in Ioan. cap. 13. *Non negamus rectâ nos fide, charitatéque sincera, Christo spiritualiter coniungi: sed nullam nobis coniunctionem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idque à diuinis Scripturis omnino alienum dicimus.* Et inferiùs: *An fortassis putat ignotam nobis mystica benedictionis virtutem esse, quæ, cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare?* Et paulò post: *Vnde considerandum est, non habitatione solùm quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse; verùm etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram, alii ceræ similiter liquefactæ ita commiscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum esse videatur: sic communicatione corporis, & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.* Similia habet Gregor. Nyssen. in oratione Catechet. cap. 37. vbi docet ad salutem necessarium esse, vt anima Christo per fidem vniatur, corpus autem alio modo. Quem modum explicans, ait hunc esse, vt Christi corpus intra nostrum recipiatur. *Oportet enim*, inquit, *sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera hominis, &c. Sed fieri non potest, vt sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum, & potionem misceatur visceribus, &c. Ea de causa per suæ gratiæ dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus, &c.*

Christus in Eucharistia corpori nostro realiter vnitur.

23. Mos antiquus adorandi Euchar.

Secundò, Docent hoc sacramentum propter Christum in eo existentem, adorandum esse, morémque illum fuisse antiquæ Ecclesiæ; qui tamen Idololatria esset, nisi Christus, in eo verè contineretur. Cyrill. Hierosol. Catech. 5. Mystag. *Accede*, inquit, *ad calicem sanguinis illius pronus, adorationis in modum.* Chrysost. Hom. 24. in 1. ad Cor. *Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & barbari cum timore, & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur barbaros, nos, qui cælorum ciues sumus. Illi eum in præsepi viderunt: tu verò non in præsepi, sed in altari, &c.* Theodoret. in Dial. 2. *Intelliguntur* mystica symbola *ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ verè existunt ea, quæ creduntur.* August. in Psalm. 98. explicans illud de carne Christi in Eucharistia, Adorate scabellum pedum eius, *Caro*, inquit, *Christi ex terra est, & nemo eam manducat, nisi prius adoret.* Quod tantùm abest vt idololatriam esse censeat August. vt è contrario affirmet fore potiùs peccatum manducare, & non adorare. Quòd autem loquatur de carne Christi, prout est in Eucharistia, patet ex eo, quod adiungit: *Ideo & ad terram quamlibet, cum te inclinas, atque prosternis, non quasi terram intuearis, &c.* Particula enim, *Quamlibet*, significat aliquam multiplicitatem, quæ non conuenit carni Christi, nisi prout localiter multiplicatur in Eucharistia. Adde quòd alioqui non erat, cur mentionem faceret manducationis, & Eucharistiæ, si de adoratione carnis Christi simpliciter loquebatur, non autem de adoratione, prout fit in Eucharistia. Idem ex eodem eiusdem Psalmi versiculo docet Ambros. lib. de Spiritu sancto, cap. 12. vbi apertè dicit carnem Domini à nobis in mysteriis adorari, sicut Apostoli in propria specie illam adorauerunt. Et hoc esse adorare scabellum pedum Domini. *Per scabellum*, inquit, *terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, vt supra diximus, adorauerunt.* Denique occasione adorationis Eucharistiæ suspicabantur gentiles, Christianos Cererem, & Bacchum adorare, vt patet ex August. lib. 20. contra Faustum cap. 13.

Tertiò, Perspicuè affirmant sancti Patres Christum occasione huius mysterii non tantùm in cœlo esse, vt volunt Caluinistæ, sed & in altari: vt disertè affirmat Chrysost. Hom. 24. in primam ad Corinth. Et Concil. Nicænum primum cap. *de sacra mensa.* Est autem illud Concilium primum è quatuor generalibus ab ipso Caluino receptis 4. Institut. cap. 9. §. 8. Item Christum in terris simul pluribus locis existere per magnum miraculum. Cuiusmodi est illud Chrysost. lib. 3. de Sacerdot. *O miraculum! O Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, eodem articulo temporis omnium manibus pertractatur.* Et Hom. 2. ad populum Antioch. in fine. *Elias Meloten discipulo reliquit: filius autem Dei ascendens carnem suam dimisit. Sed Elias quidem exutus: Christus autem, & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Basil. in Liturg. *Veni ad sanctificandum nos, qui sursum Patri consides, & hic nobis inuisibiliter adés.* Gregor. Nyssen. Orat. de Pasch. *Sicut diuinitas replet mundum, & tamen vna est, ita innumerabilibus locis consecratur, & tamen vnum corpus est.* 24.

Christus est simul in pluribus locis propter mysterium Eucharistiæ.

Quartò, Iidem Patres recurrunt ad omnipotentiam Dei, vt ostendant fieri magno miraculo quòd Christi corpus sub speciebus sit, quamuis contrarium sensibus nostris videatur, quibus non sit credendum in hoc mysterio, sed infallibili Dei verbo. Cuiusmodi sunt, quæ ex Cyrill. Hierosol. Catech. 4. Mystag. Ambros. lib. de Initiandis cap. 9. Chrysost. Homil. 83. in Matth. referemus sect. 7. Et Cyprian. lib. de Cardin. Christi oper. in serm. de Cœna, *Panis iste non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, &c.* Et Gregor. Nyssen. orat. Catech. capite trigesimo septimo, *Hæc autem dat* (Deus supple) *virtute benedictionis in illud* (corpus nempe Christi) *transelementatâ eorum, quæ apparent, naturâ.* Reddunt etiam rationem cur hîc voluerit Christus 25.

Eucharistia est opus omnipotentiæ Dei.

adesse inuisibiliter sub aliena specie, panis scilicet, & vini: vt videlicet sine horrore caro ipsius ederetur, & sanguis biberetur. Sic Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. ait non videri hic speciem sanguinis, vt nullus horror cruoris sit, & pretium tamen sit redemptionis. Et Cyrill. Alex. relatus à D. Thom. in cap. 22. Luc. *Decebat*, inquit, *Christum nostris quodammodo vniri corporibus per sacram eius carnem, & pretiosum sanguinem, quæ accipimus benedictione viuificatiua in pane, & vino. Ne enim horreremus carnem, & sanguinem, apposita sacris altaribus: condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ, quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis.*

26. Christus in Eucharistia percipitur ore corporis. Quintò, Affirmant corpus Christi in Eucharistia percipi non tantùm ore mentis per fidem, vt volunt Caluinistæ; sed ore ipso corporis. Cuiusmodi est, quod supra retulimus ex Cyrill. Alex. lib. 10. in Ioan. cap. 13. Gregor. Nyss. orat. Catech. cap. 37. Cyrill. Hierosolym. Catech. 4. Mystag. Tertull. lib. de Resurrect. Carn. cap. 8. Quibus addi potest illud S. Leonis serm. 6. de Ieiunio sep. mensis: (Leo.) *Sic sanctæ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi, & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur.* Docent quoque etiam impios, & infideles Christi corpus, & sanguinem sumere in sacramento, non per fidem, quâ carent, secundum Caluinistas, sed ore corporis realiter, ac substantialiter. Ita Theodoret. (Theodor.) in illud 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*, &c. Commentarius Ambrosio tributus, ibidem, August. (August.) lib. 5. de Baptism. cap. 8. & serm. 11. de Verb. Dom. cap. 11. Verba Augustini priori loco sunt. *Si ut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens dominicum sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus. Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat.*

27. Eucharistia celabatur Catechumenis. Sextò, Constat ex Theodoret. in Dialog. *Inconfusus*, August. Chrysost. & aliis Patribus passim, antiquam Ecclesiam celasse Catechumenos mysterium Eucharistiæ. Quod signum manifestum est non eam credidisse ibi tantùm esse signum corporis, & sanguinis Christi, per fidem apprehendendi, vt apprehenditur per baptismum, & per Euangelii prædicationem: sicut dicunt Caluinistæ in Catech. Dom. 52. Alioqui non magis Ecclesia Catechumenos celasset Eucharistiam; quàm Euangelii prædicationem, aut baptismum: aut quàm mysteria Trinitatis, & Incarnationis, longè difficiliora, quàm sit Christum eiusque promissiones apprehendere per fidem, sumendo panem, & vinum in illius memoriam. Liquet ergo Caluinistas fidem antiquæ Ecclesiæ deseruisse.

Septimò denique, ex veritate præsentiæ realis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, tanquam ex certissimo fundamento, & notissimo fidei articulo, argumentantur non rarò sancti Patres contra varios hæreticos, ad illorum errores refellendos. Sic Iren. lib. 3. contr. Hæres. cap. 2. probat contra Gnosticos Christum venisse in vera carne, quia, inquit, alioqui neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis eius esset, neque panis, quem frangimus, cõmunicatio corporis eius. Sanguis enim non est nisi à venis, & carnibus, & à reliqua, quæ est secundũ hominem, substantia. Et Hilar. lib. 8. de Trinit. probat contra Arianos Patrem, & Filium esse vnum non tantùm vnitate voluntatis, sed etiam vnitate reali, & naturali: sicut nos cum filio vnum efficimur reali, & naturali coniunctione corporum in hoc sacramento. *Verè*, inquit, *cibo dominico Verbum carnem sumimus, naturamque carnis suæ sub sacramento nobis admiscuit.* Et paulò post: *Hæc à nobis ideo commemorata sunt, quia voluntatis tantùm vnitatem hæretici personas diuinas vnitas esse interpretantur, & ad id exemplo vnitatis nostræ cum Deo vtuntur: quasi nobis ad filium voluntate tantùm religionis vnius, nulla per sacramentum carnis naturalis communionis proprietas indulgeretur.* Eodem argumento vtuntur Irenæus, Cyrillus Alex. Greg. Nyss. locis supra citatis, aliique Patres ad probandam carnis resurrectionem, cuius resurrectionis semen accipimus, & ius speciale per coniunctionem realem corporis nostri cum corpore, & sanguine Christi, quæ in hoc sacramento fit. Hæc igitur, & similia, plurima, quæ breuitatis causa prætereo, sole clariùs ostendunt veteris Ecclesiæ fidem à metaphoris Caluinisticis longè abhorruisse; & vel rectam de Eucharistia sententiam, primitiuæ Ecclesiæ incognitam fuisse; vel nostram rectam esse, Caluinisticam verò importunam, & hæreticam. 28.

SECTIO V.

Probatur eadem veritas ex Scriptura.

AD eandem veritatem probandam quatuor argumenta præcipua ex Scriptura desumi possunt, quæ fusè & eruditè prosequitur & expendit Cardinalis Bellarmin. lib. 1. de Eucharistia cap. 4. & sequentibus. Primum sumitur ex figuris Eucharistiæ, quæ præcesserunt in veteri testamento. Secundum ex eiusdem promissione, quæ habetur Ioan. cap. 6. Tertium ex institutione, de qua Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. Quartum ex vsu, de quo Paulus 1. Corinth. 10. & 11. 29.

Primum argumentum ex figuris, est huiusmodi: Ea quæ repræsentabantur figuris veteris testamenti, debent esse nobiliora figuris, quibus repræsentabantur. Sed si Euchari- (Prima probatio veritatis Eu-)

charistiæ, ex eius figuris, agno Paschali & Manna.

stia est tantummodò signum corporis Christi per fidem ipsum exhibens, non est nobilior figuris, quibus repræsentabatur. Ergo Eucharistia non est tantummodò huiusmodi signum, sed aliquid nobilius, nempe ipsummet corpus Christi. Maior est per se nota, & patet ex Apostolo Coloss. 2. v. 17. vbi figuras comparat vmbræ: res autem repræsentatas, corpori. Minor probatur ex duabus potissimùm, omissis aliis, nimirum Agno Paschali, & Manna. Nam quòd Agnus Paschalis figura fuerit sacramenti Eucharistiæ, ostendit Christus ipse, quando in cœna vltima post esum Agni Paschalis Eucharistiam instituit, veluti figuræ veritatem substituens, vt notat S. Leo serm. 7. de Pass. Domini. Idemque affirmant Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 40. Cyprian. lib. de Vnitate Ecclesiæ, Hieron. in cap. 26. Matth. August. lib. 2. cont. Liter. Petil. cap. 37. & plures alii. Manna quoque eiusdem figuram fuisse Christus ipse significat Ioannis 6. vers. 59. & sequentibus: *Non si ut manducauerunt Patres vestri Manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur*, &c. *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Idémque docent Ambros. lib. de iis, qui mysteriis initiantur cap. 8. & 9. Chrysost. Cyrill. Alex. August. & Theophyl. in cap. 6. Ioan. aliique eiusdem interpretes.

30. Iam verò quòd panis Eucharisticus non sit nobilior huiusmodi figuris, si nihil aliud habet, quàm quod ipsi tribuunt Caluinistæ; probatur, quia potiùs ipsæ nobiliores sunt, siue spectentur in entitate, siue in ratione signi. Etenim Agnus Paschalis est res præstantior pane naturali secundum entitatem, vt manifestum est. Manna quoque, quod de cœlo pluebat, & Angelorum artificio mirabili fiebat, præstantius erat pane communi, qui de clibano prodit, & manu pistorum fit. Quoad significationem verò meliùs significabatur caro Christi carne Agni; mors Christi, morte Agni; sanguis Christi sanguine Agni; innocentia Christi, & mansuetudo, innocentiâ illius Agni anniculi & sine macula. Effectus quoque sacramenti huius, qui est nutritio spiritalis animæ, meliùs significabatur per esum carnis Agni: caro enim meliùs nutrit: maiorémque habebat analogiam cum illa. Cúmque secundum Caluinistas nihil aliud sit effectus ille, quàm excitatio fidei ad apprehendendum Christum, quo spiritualiter nutriamur; meliùs fiebat per occisionem, & esum agni, quàm per esum panis. Magis enim id fidem excitat, quod Christum meliùs repræsentat. Similitérque Manna meliùs Christum repræsentabat, quàm panis: tum quia de cœlo erat, Psal. 77. tum etiam quia saporem mirabilem continebat, Sapient. 16. vers. 2. & æquali mensurâ sumebatur ab omnibus, licet inæqualiter colligeretur, Exod. 16. vers. 18. Quare meliùs valebat ad fidem in Christum excitandam, & ad nutritionem spiritalem, quæ ex fide consequitur.

Atque hoc argumentum eò magis vrget aduersarios, quòd ipsi asserunt Israëlitas in esu Mannæ Christum edisse per fidem, vt fit in esu Eucharistiæ: & in sacramentis veteris legis fuisse cum symbolo externo rem exhibitam per fidem, sicut in nostris. Quod Caluinus, Beza, Petrus Martyr, & alii affirmant, & confirmant ex 1. Corinth. 10. vers. 3. & 4. *Omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, Petra autem erat Christus.* Quasi dicat Apostolus Israëlitas omnes eandem nobiscum Christianis escam edisse. Cùm tamen Apostolus Israëlitas tantùm comparet inter se, non autem cum Christianis: neque affirmet Christum simili modo illis exhibitum fuisse in manna, & aqua de petra; quo nobis exhibetur in sacramento corporis, & sanguinis sui, ita vt à nobis non aliter quàm per fidem edatur, vt contendunt aduersarii. 31.

Notandum item, Negare aduersarios vlla esse verba essentialia sacramento: nam quæ nos volumus esse formam, irrident ipsi vt magica, & incantatoria: neque alia eorum loco admittunt: vt videre est apud Calu. 4. Instit. c. 14. n. 4. Quare vanum est effugium Petri martyris parte 5. defens. de Euchar. respondentis sacramenta nouæ legis esse nobiliora; quia sunt clariora ratione verborum. Nam in sententia aduersariorum, hæc claritas est sacramento extrinseca; proueniens non ab ipso sacramento, & à verbis sacramentalibus, seu ritualibus, locum formæ habentibus, sed à verbis concionatoriis, id est, à concione Ministri docentis quò sacramentum tendat, id est, quo fine accipiatur. A qua concione si petenda esset nobilitas sacramentorum, sacramentum esset nobilius, aut ignobilius, prout à Ministro magis, aut minùs eloquenti, & finem sacramenti explicante, exhiberetur. Quod absurdum est, & contra S. August. aliósque Patres affirmantes dignitatem, & valorem sacramentorum à Christo peti, non ab ipsorum ministris. *Nam si pro diuersitate meritorum baptisma sanctum est; quia diuersa sunt merita, diuersa erunt baptismata: & tantò quisque aliud melius putatur accipere, quantò à meliore videtur accepisse*: inquit August. tract. 6. in Ioan. & paulò post: *Quare ergo, si vnus ab illo v. g. iusto & sancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ: vnum tamen, & par, & æquale est quod acceperunt: ni quia hic est, qui baptizat?* 32. Caluin. August.

Cætera, quæ Petrus mart. ibidem addit ad tuendam maiorem nobilitatem sacramentorum nouæ legis, minoris sunt momenti, & luculenter refutantur à Bellarm. lib. 1. de Eucharist. cap. 4. Certè Christus ipse Ioan. 6. & sancti Patres, quando Eucharistiam præferunt Mannæ, vel agno Paschali, aliísque figuris: non eam causam 33. Bellarm.

afferunt: quia meliùs verba significant, vel alias à Petro mart. commemoratas: sed quia caro Christi est. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, inquit Christus cap. cit. vers. 52. & Origen. homil. 7. in lib. Numer. *Tunc*, inquit, *in ænigmate erat Manna cibus: nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus: sicut ipse dicit. Quia caro mea verè est cibus*. Et Ambros. lib. de iis qui Myst. init. cap. 9. *Considera nunc vter præstantior sit, panis Angelorum; an caro Christi, quæ vtique corpus est vitæ*, &c. Et Hieron. in cap. 1, Epist. ad Titum, *Tantum interest inter panes Propositionis, & corpus Christi: quantum inter vmbras, & corpora; inter imaginem, & veritatem; inter exemplaria verorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur*. Vbi Hieronymus per corpus Christi Eucharistiam intelligit. Loquitur enim de illis, qui in Eucharistia volunt Christi corpus recipere, quos ait debere ab vsu coniugii abstinere, æquè ac eos, qui volebant panes Propositionis edere: iuxta exemplum Achimelech sacerdotis, qui noluit Dauidi, & sociis dare panes Propositionis edendos, nisi postquam intellexit eos aliquandiu abstinuisse ab vxoribus. Et S. Leo serm. 7. de Pass. Dom. *Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis; antiqua obseruantia nouo tollitur sacramento: Hostia in hostiam transit: sanguinem sanguis excludit: & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur*: Christi scilicet carne, & sanguine substitutis Agno Paschali, eiusque sanguini.

SECTIO VI.

Proponitur secundum argumentum ex Scriptura.

34. *1. Probatio veritatis Eucharistiæ, ex eius promissione.* SEcundum argumentum sumitur ex cap. Ioan. 6. vbi Christus Eucharistiæ institutionem promisit verbis illis v. 52. & seqq. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*. Hæc Christus. Circa quæ nota primò, nusquam in Scriptura clariùs asseri Deum esse trinum, aut Christum esse Deum: quàm hîc asseratur Christi carnem, & sanguinem esse cibum, ac potum, & comedi, ac bibi. Secundò, Verba Scripturæ in proprio sensu, quoad fieri potest, intelligenda esse: ne si ad metaphoras pro libito detorqueantur, nihil certi ex Scriptura possit intelligi. Propria autem comestio est illa, quæ ore corporis fit: nam comestio Caluinistica per fidem est æquè metaphorica, atque os, dentes, & guttur fidei; seu mentis, metaphorica sunt. Tertiò, Nihil hîc cogere vt a sensu proprio recedamus: contra verò multa cogere ad proprium sensum retinendum. Nam Christus promittit illis verbis, *Panis, quem ego dabo*, id scilicet, quod in fine vitæ præstitit Matth. 26. quando corpus suum sub specie panis discipulis edendum præbuit. Promissiones autem debent concipi propriis verbis, & claris. Estque impostoris plus in specie verborum promittere, quàm dare. Deinde Iudæis murmurantibus vers. 58. eò quòd intelligerent Christum de carne sua propriè, & realiter manducanda locutum esse: non remouet Christus hanc cogitationem, sed addit verba, quæ magis, ac magis, proprietatem significant, dicens cum gemina asseueratione versu 54. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis*, &c. & vers. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Verè, inquit, non tropicè, & metaphoricè, vt esset, si panis, qui ore corporis sumitur, & editur, carnis eius in cœlo existentis figura tantùm esset: aut si caro ipsa fide sola ederetur, vt volunt Caluinistæ. Nam sicut os, & guttur animæ metaphoricum tantùm est, neque est magis verè os, & guttur; quàm imago regis, fit verè rex: ita & eius cibus & potus, est tantùm cibus & potus metaphoricè, non autem verè & propriè.

Quartò, Discipulis ipsis scandalum patientibus, & murmurantibus, eò quòd, vt Capharnaitæ, existimarent Christum non solùm carnem suam promittere edendam verè ac propriè ore corporis; sed vlteriùs etiam edendam more communi, mortuam scilicet, & diuisam in frusta, vt bubulæ carnes, & veruecinæ edi solent: remouit quidem Christus hunc edendi modum, & cogitatum carnalem, vt notant S. August. tractat. 27. in Ioan. & Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 22. 23. & 24. verbis scilicet illis versu 64. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*. Quasi diceret: Ne putetis me daturum vobis carnem meam destitutam spiritu viuificante, sine quo nihil prodesset ad vitam æternam: aut modo illo carnali inhumano, & barbaro. Verba, enim, quæ ego loquor vobis, non sunt intelligenda de modo illo carnali, sed spiritali, & vitali. *Verba, quæ ego loquor vobis*, inquit Cyrillus cap. 24. spiritus sunt; id est, spiritalia, & tractantia de spiritu. Et vita sunt, id est, viuificantia, & tractantia de eo, quod vita est naturâ suâ, id est, de Diuinitate, sine qua caro nihil prodesset. Perstitit tamen Christus in asserenda reali manducatione carnis suæ; & ad faciendam fidem rei mirabilis, mentionem fecit miraculi futuræ ascensionis suæ, dicens vers. sexagesimo tertio, *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* Quasi volens rem vnam mirabilem alia æquè mirabili confirmare.

35. *Augustinus.* *Cyrillus.*

Ac discipulis nihilominus retrò abeuntibus, & ab ipso discedentibus v. 67. nullum aliud verbum addidit, quo metaphoram Caluinisticam vel leuiter insinuaret. Atqui facillimum erat, Christiq; Domini, suorum amantissimi, beneuolentiam decebat, vnico verbo figuræ, aut manducationis per fidem, difficultatem omnem non modò eleuare, sed penitùs adimere. Adde quòd solebat Christus, si quid obscurius turbis proposuisset, explicare discipulis id ab ipso exigentibus: vt patet ex Matth. 13. de parabolis seminantis, & zizaniorum; aliisque locis. Quæ autem fuit vnquam vel maior occasio, vel necessitas explicandi sensum suũ discipulis, & corrigendi eorum existimationem, si falsa erat; quàm tunc temporis, cùm vsque ad defectionem pene omnes scandalizati sunt? Et tamen Christus illos, ob eam existimationem abire passus est, & ad duodecim Apostolos dixit vers. 68. *Numquid & vos vultis abire?* quasi diceret: Non habeo aliud, quod faciam. Mysterium proposui, ad quod credendum fide opus est: qui non vult credere, abeat.

36. Ad de prætereà, Christum moueri debuisse ad sensum suum aperiendum, si is alius erat, non solùm scandalo suorum pene omnium discipulorum, sed & totius Ecclesiæ, quam præuidebat occasione horum verborum, & similium, credituram carnem ipsius, & sanguinem verè sub speciebus panis, & vini manducari, & bibi. Præuidebat, inquam, Christus omnes totius orbis Ecclesias, Syriacas, Aethiopicas, Arabicas, Græcas, Italicas, Gallicas, Hispanicas, Germanicas, Polonicas, Moscouiticas, Indicas, omnes denique, quotquot ante exortum sacramentariorum extiterunt, verba sua ita intellecturas, vt crederent carnem eius, & sanguinem sub speciebus verè contineri, ac recipi, atque vt ibi præsentem adorarent. Qui si error est, & Idololatriæ scelus: modus ille loquendi de re alioquin ad explicandum facili, totum terrarum orbem in errorem, & idololatriam induxit. Adde denique consensum sanctorum Patrum, prædicta Christi verba in sensu proprio interpretantium, Cyrilli vtriusque, Basilii, Chrysost. Gregor. Nyss. Theodoreti, &c. de quibus vide Bellarm. lib. 1. de Euchar. cap. 5. & Vasq. disp. 179. cap. 4. Bellarm. Vasquez.

37. Probatur Christum loqui de Eucharist. Ioan. 6.

Malè verò respondent Caluinistæ Christum in cap. 6. Ioan. non loqui de Eucharistia, quod etiam nonnulli Catholicorum imprudenter, & minùs consideratè affirmant. Nam licet initio capitis agat de pane materiali, eiusq; multiplicatione miraculosa pridie facta; cuius miraculi occasione turbæ iterum conuenerant ad Christum; vt iterum saturarentur simili miraculo: ac deinde occasione huius desiderii panis materialis, loquatur Christus de seipso, vt pane spirituali, appetendo, & edendo per fidem, credendo scilicet ipsius Incarnationem, & diuinitatem v. 27. & seqq. tamen quod postea à versu 52. transeat ab illa comestione spiritali per fidem, ad aliam, quâ carnem suam ore ipso corporis edendam, & sanguinem bibendum promittit, ostendunt ea omnia quæ notauimus expendendo verba superiùs relata ex eodem cap. Atque vlteriùs primò, modus ille loquendi in futuro, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vel, vt est in textu græco, *caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita* vers. 52. Nam si loquebatur tantùm de seipso, vt edendo per fidem, credendo ipsius diuinitatem, & incarnationem: iampridem hoc dederat. Quare panis, quem promittit se daturum, & quem nondum dederat, aliquid aliud est. 2. Idem ostendit crebra illa, & sæpius repetita eodem cap. distinctio manducandi, & bibendi: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: vers. 54. & sequentibus. Atqui si loquebatur Christus de sola manducatione per fidem extra sacramentum Eucharistiæ, illa distinctio erat inanis, & superflua: nam comestio, & potio per fidem, sunt vnum, & idem, nempe credere in Christum.

3. Idem patet ex eo quòd Iudæi intelligentes Christum verbis modò relatis loqui de alio modo manducationis magis difficili, quàm per fidem, murmurarunt iterum: sed longè aliter, quàm priùs, cùm de fide sola loquebatur. *Quomodo potest*, inquiunt, v. 53. *hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Discipuli quoque, qui nullam passi erant difficultatem, quandiu intellexerant Christum de fide sola loqui; his posterioribus verbis scandalizati sunt dicentes vers. 61. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Christoque nihilominus in eadem sententia perstante, & miraculum huius manducationis miraculo suæ ascensionis in cœlum confirmante, *Multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant* vers. 67. quod signum manifestum est Christum verbis posterioribus de alia manducatione, quàm per fidem, magis mirabili, ac difficili ad credendum, loquutum esse. Quartò, Si Ioannes eo capite non loquitur de Eucharistia, nusquam alibi loquutus est de illa: cùm tamen soleat, aquilæ instar, in summis, ac præcipuis fidei nostræ mysteriis explicandis immorari. Quare potiùs credibile est omnino, ipsum quidem more suo voluisse omittere; quæ ab aliis Euangelistis narrantur de institutione: promissionem verò ab aliis omissam fusissimè prosequutum esse. Incredibile item est Christum Dominum, si de fide tantùm in ipsum habenda loquebatur; rem explicatu facilem verbis tam obscuris voluisse inuoluere, & aliud adeo præ se ferentibus, vt Capharnai- Confirmatur.

tis, & discipulis ipsis, occasionem dederint ab ipso discedendi. Ac denique si de Eucharistia loqui voluisset, quid potuisset clarius dicere, magisue consentaneum iis quæ in Eucharistiæ institutione gesta sunt, vbi effectus huic promissioni planè respondere videtur, vt patebit ex collatione verborum vtrobique à Christo prolatorum. Plura in hanc sententiam videri possunt apud Bellarm. & Vasq. locis supra citatis.

SECTIO VII.

Proponitur tertium argumentum ex Scriptura.

38. Tertia probatio ex verbis institutionis.

TErtium argumentum sumitur ex verbis, quibus Christus hoc sacramentum instituit Matth. 26. vers. 26. & sequentibus. *Cœnantibus autem eis accepit panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum: & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Similia habent Marc. cap. 14. Luc. cap. 22. & Paulus 1. Corinth. 11. Quæ verba si propriè, prout sonant, intelligantur; manifestè confirmant veritatem Catholicam de præsentia corporis, & sanguinis Christi, sub speciebus Eucharisticis. Ideóque contendunt Caluinistæ impropriè, & metonymicè interpretanda esse, ita vt verbum *Est*, ponatur pro, significat; vel particula *Corpus*, & *Sanguis*, sumantur non pro vero, & naturali corpore, sed pro figura corporis & sanguinis, sensusque sit, Hoc est corpus meum, id est, hic panis est figura corporis mei, vt exponit Caluin. 4. Institut. cap. 17. num. 21. Addens panem Eucharistiæ non esse nudam figuram corporis Christi, sed esse figuram, quæ rem ipsam exhibeat, per fidem scilicet, iuxta ea, quæ tradit ibid. num. 5. & Catech. Gallicus Caluinistarum Domin. 52. Ideoque Christum non dixisse, Hic panis est figura corporis, sed corpus ipsum, vt ostenderet esse signum efficax, cum quo res ipsa exhiberetur.

39. Verum prædicta Christi verba in sensu proprio intelligenda esse persuadent efficaciter, quæ sequuntur. Primò, consensus Euangelistarum, & Pauli, locis citatis; qui omnes, cùm institutionem sacramenti referunt, nusquam vtuntur voce, significat, aut nomine figuræ, vel signi Caluinistici: sed vtuntur vbique verbo, *Est*, & vocibus Corporis & Sanguinis: existimantes scilicet proprietatem retinendam esse, neque hîc locum relictum fuisse interpretationi, quam in locis difficilioribus mutuò sibi præstare solent Euangelistæ. Secundò, Christus verba citata proferens, loquebatur solis Apostolis, quibus velut totius orbis futuris doctoribus Magister optimus arcana cœlestia palam, & sine ambagibus reuelare solebat: ac si quid turbis, aut Pharisæis obscurius dixisset, & parabolicè, dilucidè exponebat. Et quidem scandalum ortum Ioan. 6. satis eum monebat, vt clariùs loqueretur, si quid obscurum erat. Præterea loquebatur tum Christus eo loco, & tempore, quo minimè oportebat loqui obscurè, & metonymicè: nimirum cùm Apostolos tanti sacramenti participes primùm faciebat. Nam vt cum affectu conuenienti illud reciperent, necesse erat, vt planè intelligerent, quid sibi porrigebatur. Clarè ergo illud proponi debuit. Tertiò, Christus verbis relatis Eucharistiam instituens testamentum condebat suum, iuxta illud Luc. 22. & 1. Corinth. 11. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.* Testamenta autem à viris bonis, & prudentibus nonnisi verbis propriis, & perspicuis condi solent: ne vnde lites extingui deberent, inde potiùs pullulent. Sanè testamentum vetus Exod. 24. disertis verbis, & perspicuis, antiquis patribus datum est. Nec decuit vetus testamentum, quod noui vmbra, & figura erat, propriis vocibus, ac perspicuis proponi: Nouum autem figuratis, & obscuris locutionibus tradi. Et in Lege *Non aliter ff. de Legatis* 3. statuitur, vt in significatione verborum alicuius testamenti non liceat recedere à proprietate verborum; nisi vbi manifestum est aliter sensisse testatorem, qui si prudens, & bonus est, debet ab ambiguis, & æquiuocis vocibus abstinere.

4. Sicut antiquum illud testamentum, pactum etiam fuit, seu fœdus, vt patet Exod. 24. v. 8. & ad Hebr. 9. v. 20. Nam quod vocatur à Moyse fœdus, testamentum à Paulo appellatur: Sic verba Christi supradicta, non solum testamenti, sed & pacti vim cõtinent; quibus nimirum Christus nouum fœdus sanguine suo ictum, & pactum æternum inter Deum, & homines sanciebat. Atqui pactorum, fœderum, & contractuum formulæ debent, & solent esse inter bonos propriæ, & perspicuæ, ac nequaquam tales, quæ mille modis, huc, & illuc torqueri, flecti, & reflecti possint: ne non coniunctio, & consociatio inde sumatur, sed contentio interminabilis pro concordia, & pace nascatur. 5. Christus verbis illis statuebat de sacramento omnium præstantissimo, vt fatentur Caluinistæ, cuius præstantiam, necessitatem, & reuerentiam maximè commendauit, tum ipsemet Ioan. 6. tum etiam Apostolus 1. Corinth. 11. Atqui sacramenta, cùm sint Ecclesiæ bases, & fundamenta, minimè debent, si quid aliud, tropicis verbis implicari; ne instabilitatis in fundamento ipso, grauissimique erroris circa eorum fidem, & vsum, præbeatur occasio. Et quidem Circumcisio clarissimè instituitur Genes. 17. & Agnus Paschalis Exod. 20. Et in toto Leuitico, vbi tot sacrificia, & expiationes, & aliæ sacræ cerimoniæ instituuntur, vix reperire est vocem vllam metaphoricam: Matth. quoque vlt. & Marci 40.

vlt. vbi de Baptismi institutione, seu potius vsu, & præcepto agitur, omnia verbis propriis atque perspicuis declarantur. Quis ergo sibi persuadeat, Christum in instituendo, & tradendo primario legis Euangelicæ sacramento, ita obscurè & tropicè loquutum esse, vt inter ipsos legis doctores dubium sit, & controuersum, sitne panis, an corpus suum illud ipsum, quod instituit, & tradidit? Sextò, Christus iisdem verbis tradebat vnum è grauissimis, ac periculosissimis fidei Christianæ dogmatibus: ergo verbis propriis tradidit: dogmata enim fidei, grauia præsertim, & periculosa, omnibusque ad credendum proposita, ineptè non nisi per tropos, & metaphoras traderentur: vnde certissimæ dubitationes, & dissensiones emergerent. Testes ipsimet Sacramentarii, qui ex ea, quam fingunt, paucorum verborum Christi ambiguitate, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, tam multas, & diuersas expositiones, seu potiùs deprauationes excogitarunt. Ex quibus octuaginta refert Claudius de Saintes Repet. 1. de Euchar. cap. vlt. Ducentas verò libellus editus anno 1577. vt testatur Bellarm. lib. 1. de Euchar. cap. 8. Alius denique postea editus quadringentas, vt testatur Aegid. Coninc ad art. 1. quæst. 75.

41. Denique Christus verbis citatis legem Ecclesiæ, & præceptum perpetuum imposuit de eodem sacramento deinceps celebrando, vt Paulus 1. Corinth. 11. magis expressit, verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem &c.* Leges autem, & præcepta clarè proponi debent: & prudentis legislatoris, ac sapienter præcipientis est, puro, & sincero sermone mentem suam exponere, vt certò constet obtemperanti, quid imperatum, & exequendum sit: maximè verò, cùm plurimi interesset, vt Apostoli, & successores, intelligerent quid sibi daretur, quoue affectu, & honore excipiendum esset. Aliter enim panis figura corporis, aliter ipsum corpus excipiendum est. Neque potest sine idololatria æqualis honor vtrique exhiberi. Quid ergo causæ fuit, cur Christus minùs propriè & clarè loqueretur, tot rationibus proprietatem, & perspicuitatem sermonis exigentibus? Adde consensum Sanctorum Patrum prædicta verba in sensu proprio interpretantium, quorum plurima testimonia legi possunt apud Bellarm. lib. 2. de Euchar. Perron. in opere de Euchar. Gauter. in tabulis Chronograph. verit. 1. per singula sæcula, & Cooc. tom. 2. lib. 6. art. 1. Ego tribus, aut quatuor illustrioribus contentus ero.

42. Chrysost. Chrysost. homil. 83. in Matth. explicans verba Christi supra relata: *Credamus*, inquit, *Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit.* Et paulò post: *Nam verbis eius defraudari non possumus: sensus verò noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ipse dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate: sed cre-*

Cyrill. *damus, & oculo intellectus id perspiciamus.* Cyrillus Hierosolimitanus Catechesi quarta Mystag. paulò post initium: *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, Hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? Atque eodem confirmante, & dicente, Hic est sanguis meus: quis, inquam, dubitet, & dicat non esse eius sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum in Cana Galileæ, sola voluntate: Et non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutarit? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus stupendum miraculum operatus est: an non multò magis corpus, & sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur? Quare cum omni certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus & sub specie vini datur tibi sanguis: vt sumpto corpore, & sanguine Christi, concorporeus illi, & consanguineus fias.* Et in fine eiusd. Catech. *Hoc sciens*, inquit, *& pro certissimo habens panem hunc qui apparet, non esse panem, etsi gustus panem esse sentiat: sed esse corpus Christi. Et vinum quod apparet, tametsi gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.* Ambr. lib. de iis, qui myst. init. cap. 9. *Forte dicas*, inquit, *aliud video, & quomodo tu mihi asseris quòd corpus Christi accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, vt probemus &c. Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus non esse id quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses. Proiecit eam, & facta est serpens &c. De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant?* Ambros.

August, lib. 2. contra aduersarium legis & Prophetarum cap. 9. *Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde, atque ore suscipimus. Quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere.* Quæ August. verba inepta omninò, & falsa essent, si de figura tantùm, vel de comestione tantùm spirituali, & Caluinistica per fidem loqueretur. Quis enim hoc horribilius putet, quàm hominem perimere? Et concione. 1. in Psal. 33. Christum Dauidi comparans, coram Achis Gethæorum rege insaniam simulanti, applicat verba illa Christo, *Ferebatur in manibus suis*: atque Christum hoc sacramentum instituentem, ipsum met corpus suum manibus propriis tulisse eo pacto, quo neque Dauid, neque quisquam alius hominum ferre potest: verè nimirùm, & reipsa, nam sui corporis figuram & imaginem facilè quisque ferat. August. verba hæc sunt, *Ferebatur in manibus suis. Hoc quomodo possit fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum portari potest homo: manibus suis ne-* 43. August. Christus se ipsum portabat in Eucharistia.

mo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam, non inuenimus: in Christo autem inueniamus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis. Nec obest quod concione sequenti eandem sententiam repetens, addit: *Ipse se portabat quodammodo.* Hoc enim addit, vt significet non portasse in propria specie, vel more communi, quo portantur corpora humana magno labore, in humeris, vel alio simili modo: sed non excludit corporis veritatem, cùm manifestè falsum sit non posse alios homines seipsos in signo portare, & tamen negat August. de vllo alio dici posse, quod seipsum propriis manibus portauerit.

SECTIO VIII.

Proponitur quartum argumentum ex Scriptura.

44. *4 Probatio ex vsu huius sacram.* QVartum argumentum ex iis sumitur, quæ de vsu eiusdem sacramenti tradit Apost. 1. Corinth. 10. & 11. cuius verba priore loco sunt v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Vbi, vt ex contextu apparet, comparat hanc communicationem, & participationem, cum ea, quâ Israelitæ edentes hostias participabant sacrificiis altaris Mosaici, & Gentiles participabāt sacrificiis idolorum edentes Idolothyta. Atqui Iudæi, & Gentiles participabāt verè & realiter sacrificiis illis, & nō tantū per figuram, aut per fidem. Ergo calix cui benedicimus, & panis, quem frangimus, est vera & realis communicatio, & participatio sanguinis, & corporis Domini; & non tantùm per figuram, & per fidem. Ideoque Chrysost. hom. 24. in 1. Cor. expendens verba illa: *valde*, inquit, *fideliter dixit, & terribiliter. Hoc est autem quod dixit: Id quod est in calice, est id, quod fluxit ex latere, & illius sumus participes.* Et paulò post: *Quamobrem si sanguinem*, inquit, *cupis, non aram idolorum, brutorum cæde, sed meum altare meo cruenta sanguine. Quid est hoc horribilius? Quid autem amabilius, dic quæso? Hoc faciunt etiam, qui amant, Cùm viderint eos quos amant, aliena concupiscere, & propria despicere, sua dantes, persuadent, vt abstineant ab iis, quæ sunt illorum. Sed qui amant quidem, in possessionibus, pecuniis, & vestibus suam ostendunt liberalitatem, & magnificentiam: in sanguine autem nullus vnquam. Christus autem etiam in eo suam nostri ostendit curam, & ardentem in nos charitatem.* Hæc Chrysost. (*Chrysost.*) quasi diceret Christum, & Paulum cum ipso, verbis citatis, volentem auertere Corinthios à desiderio, & esu carnium idolis immolatarum, proponere eis vsum rei melioris, nempe corporis, & sanguinis sui. Sicut illi qui amant, cùm vident personam amatam concupiscere aliquid alterius, vt eam ab eius desiderio auertant, solent aliquid illi melius offerre. At certè non offerunt, neque dant in figura tantùm, aut per fidem: putà, gemmam aut vestem sericam pictam, vel fide solùm apprehensam, vt eam auertant à vera veste serica concupiscenda: alioqui non assequerentur intentum. Ergo similiter Christus, & Paulus non offerunt Corinthiis carnem Christi tantùm in figura, vel edendam solùm per fidem.

Posteriore loco Apostolus repetita fideliter institutione Eucharistiæ, ad eius vsum magnam præparationem requirit, sine qua accedentes reos esse pronunciat corporis, & sanguinis Domini, v. 27. Idque infert ex eo quòd Christus tradendo panem, & calicem, dixerit: *Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum:* & *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.* His enim verbis subiungit: *Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* & v. 29. *Qui enim manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini.* Vbi nota. 1. tantum abesse, vt Paulus verba institutionis metaphoricè interpretari ausus sit, quod Caluinistæ faciunt imprudenti temeritate contra tot sæculorum præcedentium fidem, vt potius ex ipsorum proprietate supposita, inferat indignè sumentes reos fieri corporis & sanguinis Domini. Nimirum quia corpus ipsum & sanguinem indignè recipiunt. Et vt ait commentarius, qui Ambrosio tribuitur, (*Ambros.*) *Reus erit corporis & sanguinis Domini, quia corpus ipsum & sanguinem Domini conculcauit.* Vel vt habet Cypr. serm. de lapsis, (*Cyprian.*) *Vis infertur corpori eius & sanguini, & in Dominum manibus atque ore delinquitur,* magis quàm cum in persecutione Christus negatur metu tormentorum, vt addit ibidem, quod tamen peccatum grauissimum est. Vel vt ait Theodoret. in (*Theodoret.*) expositione eiusdem loci, *Illud autem, Reus erit corporis, & sanguinis, hoc significat, quòd quemadmodum tradidit ipsum Iudas, ipsi autem insultarunt, & eum probris, & conuiciis affecerunt Iudæi: ita eum dedecore & ignominia afficiunt, qui sanctissimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum, & incestum os immittunt.* Et Chrysost. hom. 45. in Ioann. (*Chrysost.*) eundem Pauli locum exponens: *Si*, inquit, *qui Regis purpuram coinquinant, haud secus, quam qui scindunt, puniuntur: quid mirum si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui ipsum clauis affixerunt?* Similia habent Basil. lib. de Bapt. (*Basil.*) cap. 3. Oecumen. in locum Pauli citatum, (*Oecum.*) & alii.

Quod autem respōdet Calv. 4. Inst. cap. 46. 17. n. 33. in fine, Reum esse corporis & (*Caluin.*) sanguinis Domini, non quia corpus & sanguinem ore sumpsit, sed quia mysterium prophanauit: & nimirum iuxta eius doctrinam, corporis & sanguinis Christi sigillum seu figuram & imaginem, pignus sacræ cum Deo coniunctionis, violauit: dici non de-

buit, ab eo qui sacris imaginibus cultum omnem ademit. Et inde sequitur ipsum, & eius similes iconoclastas reos esse corporis, & sanguinis tum Christi, tum Sanctorum. Deinde, quamuis manna, & agnus Paschalis, & alia legis antiquæ sacramenta, & sacrificia, essent figura corporis, & sanguinis Christi; nusquam tamen, qui ea indignè sumebant, accusantur, & damnantur vt rei corporis Christi, & sanguinis, nec illa vnquam vocantur corpus & sanguis Christi. Aliud ergo est peccatum eorum, quos hîc Apost. huius criminis damnat: nempe illud ipsum, quòd, vt subdit Paulò post, *non diiudicant corpus Domini*, id est non discernunt, sed ita sumunt, ac si non esset corpus Domini, sine discretione illius à cibis vulgaribus: Et vt loquuntur Patres citati, ipsum corpus, quod Iudæi crucifixerunt, malè tractant, immittentes in os incestum, & impurum, & sordidà suscipientes animâ.

47. Vnde 2. sequitur, iuxta Pauli doctrinam, corpus Christi & sanguinem non tantùm sumi ore fidei, quod secundum aduersarios nunquam indignè fit: sed etiam ore corporis. Etenim qui indignè sine fide accedunt, recipiunt nihilominus corpus & sanguinem Domini, sed ad iudicium, & condemnationem. Quod præter verba Pauli, & Patrum testimonia iam relata, confirmat D. August. (quo tamen vno præcipuè abuti solent hæretici in contrarium) libro 5. de Baptismo cap. 8. *Sicut inquit Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malū accipiendo, sed malè accipiendo locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisquam sumens dominicum sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus. Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat.* Et epist. 162. post medium: *Tolerat ipse Dominus Iudam Diabolum, furem, & venditorem suum: sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles nouerunt, pretium nostrum.* Certè non panis figura corporis, sed ipsum Christi corpus, & verus eius sanguis pretium nostrum est. Et serm. 11. de Verb. Dom. cap. 11. *Illud etiam quod ait*, Qui manducat carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo, *quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quòd iudicium sibi manducent, & bibant, cum ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant? Numquid & Iudas Magistri venditor, & traditor impius, quamuis primum ipsum manibus eius confectum sacramentum carnis, & sanguinis eius, cum cæteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Euangelista declarat, manducaret, & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt: vel cum manducauerint, & biberint, apostatæ fiunt: numquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducauerit, & biberit; in Christo manet, & Christus in eo.* Nota verba illa, *Cū ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant.* Nota insuper D. August. hæc dicere, vt ex immediatè præcedentibus, & sequentibus liquet, ad ostendendum, propositionem illam Christi Marc. 3. *Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum*, pati aliquam exceptionem: & intelligendam esse non de quauis blasphemia in Spiritum sanctum, sed de aliqua peculiari; æquè ac ista Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem* &c. debet intelligi de aliqua peculiari manducatione. Exceptio autem cadere debet in res contentas sub eodem subiecto propositionis vniuersaliter sumptæ. Ineptè enim applicaretur aliis, de quibus nulla suspicio esse potest, si de illis in propositione nullo modo sit sermo, ita vt terminis eius vniuersalibus claudi non videatur. Itaque sicut prior exceptio fit à propositione generali de verè blasphemantibus cōtra Spiritum sanctum: ita posterior fieri debet à generali propositione de verè sumentibus corpus & sanguinem Christi.

August.

Christus sumitur in Eucharist. ab indignè recipientibus.

SECTIO IX.

Confirmatur eadem veritas aliis argumentis.

48. Præcedentibus Scripturæ, & Patrum testimoniis adde primò consensum totius Ecclesiæ pluribus Conciliis œcumenicis expressum, Nic. 1. & Ephes. (quæ sunt duo è primis quatuor generalibus à Caluino receptis 4. Inst. c. 9. n. 8.) Nicen. II. Romano œcumenico sub Nicolao II. Lateran. sub Innoc. III. Constantiensi, Florentino, Trident. vt omittam Turonense Vercel. Senonense & alia prouincialia. Sane Berengarius, qui primus hæresim oppositam vulgauit, mox in quinque conciliis damnatus fuit, quorum duobus ipse interfuit, & hæresim suam ter abiurauit, ac tandem in fide catholica cum magna erroris sui pœnitudine vitam finiuit. Eundem etiam consensum testantur Ecclesiæ schismaticæ, Græca, Armena, Chaldaica, & aliæ, quæ licet iamdiu à Romana defecerint, fidem tamen de veritate corporis Christi in Eucharistia, vt Apostolicam constantissimè tuentur.

Consensus Ecclesiæ circa veritatem Eucharistiæ.

49. Adde secundò miracula in eiusdem veritatis confirmationem facta, de quibus vide Cyprianum lib. de Lapsis, Chrysost. lib. 6. de Sacerd. vbi refert visos fuisse sæpius Angelos Christum super altare in Eucharistia adorantes: Optat. Mileuit. lib. 2. contra Donatistas, vbi ait eos laniatos fuisse à propriis canibus, quibus Christi corpus obiecerant. Greg. Magnum lib. 2. Dialog. cap. 24. Bernardum in vita Sancti Malachiæ lib. 2. cap. 7. & alios antiquos, & sanctos, omnique prorsus exceptione maiores. Eorum

Miracula ad illam cō firmādam.

omnis populus credentium manducauerit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus. Nota 1. verba illa, Agnum in altari, &c. Secundò, Id vt mirabile à B. Andrea prædicari, quod de figura, vel spirituali manducatione ore mentis per fidem, mirabile non esset, sed supra modum hyperbolicè dictum, & obscurissimè, ineptissiméque propositum: nisi fortè Apostolus non Proconsulis conuersionem, sed veritatis odium, & contradictionem quærebat. Nam alioqui non debebat rem per se claram, & non difficilem, obscurissimam reddere, creditúque difficillimam homini Gentili, cui mysteria fidei persuadere nitebatur. Porrò huiusmodi narrationem indubitatæ esse fidei testatus est ante sexcentos annos Petrus Damian. in serm. 2. de S. Andrea, vbi de hac Historia sic loquitur: *Non immeritò in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt, & ministri fuerunt sermonis.* Eandemque refert Metaphr. qui floruit ante annum Domini 859.

16. Iustin. Sæculo secundò, Iustinus mart. Apol. 2. sub finem de Eucharistia sic loquitur: *Quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus, carnem, & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistizatum cibum, ex quo sanguis, & carnes nostræ per immutationem aluntur, illius incarnati Iesu carnem, & sanguinem esse edocti sumus.* Vbi nota primò comparationem illam, Sicut Christus habuit carnem, & sanguinem: sic ab ipso Eucharistizatum cibum, carnem illius & sanguinem esse edocti sumus: verè nimirum, realiter, & substantialiter. Verba autem illa, *Ex quo sanguis, & carnes nostræ per immutationem aluntur*, sunt periphrasis panis. Et sensus est: Cibus, ex quo naturaliter immutato per naturalem nutritionem sanguis & carnes nostræ aluntur, Eucharistizatus per verbum Dei, & supernaturaliter immutatus, est caro, & sanguis illius incarnati Iesu: Nota secundò Iustinum ibi fidem communem Christianorum exponere, & apologiam illam ad Antoninum Imperatorem ethnicum, & ad Senatum Romanum pro Christianis omnibus scribere, cui mysteria fidei probare debebat, non autem verbis hyperbolicis, & obscuris, incredibilia reddere, gratisque odium fidei, & persecutionem incendere; vt fecisset, si id, quòd tantùm figura carnis, & sanguinis est, carnem, & sanguinem esse asseruisset. Adde quòd, si Eucharistia figuratiuè tantùm, & non realiter Christi caro erat: debebat id omnino Iustinus apertè declarare in apologia illa pro Christianis, qui inter alia accusabantur ab Ethnicis, quòd in sacris carnem humanam ederent, vt patet ex Athenagora in apologia ad eundem Antoninum Imperatorem, Tertull. in Apologet. cap. 7. & Minutio Fœlice in Octauio. Sed nimirum alia erat fides Christianorum illius temporis, cuius professio de vera carne Christi in Eucharistia accusationi illi causam dedit. Sicut eximius cultus externus, & adoratio Eucharistiæ olim exhibita, occasio fuit gentilibus suspicandi Christianos colere Cererem & Bacchum, vt testatur D. August. lib. 20. contra Faust. cap. 13.

Eodem sæculo S. Irenæus lib. 4. aduersus hæres. cap. 34. disputans contra Resurrectionis corporum aduersarios: *Quomodo autem, inquit, rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini, & sanguine alitur?* & paulò post: *Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia:* Vbi nota 1. Irenæum probare corpora nostra fieri incorruptibilia, quia aluntur corpore Christi. Ergo corpus Christi non tantùm mente, & ore fidei, sed & corpore ipso percipitur. 2. Eucharistiam constare, id est, componi intrinsecè ex re terrena, & ex re cœlesti, id est, corpore Christi. Ergo non tantùm illud significat, sed & verè, & realiter continet, neque enim potest constare re absente. 3. Nota comparationem illam, Sicut Eucharistia constat ex duabus rebus terrena, & cœlesti: sic & corpora nostra per Eucharistiam fiunt è corruptibilibus incorruptibilia: Atqui corpora nostra non fiunt incorruptibilia sola significatione, sed verè, & realiter: Ergo Eucharistia non constat Christi corpore sola significatione, sed verè & realiter: Tertull. verò in lib. de Carn. Resurrect. cap. 8. *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Nimirum sicut verè, realiter, ac substantialiter, & non solùm per figuram, aut per fidem, caro abluitur in Baptismo, & vngitur in Confirmatione: sic in Eucharistia verè, realiter, ac substantialiter vescitur Christi corpore. Vbi præterea nota, cùm Tertullianus totum obiectum communionis Eucharisticæ distribuat corpori, & animæ: & corpori quidem assignet perceptionem corporis, & sanguinis Christi; animæ verò perceptionem diuinitatis eiusdem Christi; non potest per corpus, & sanguinem Christi intelligere figuram solùm corporis, & sanguinis Christi; alioqui verum corpus, & verus sanguis Christi, excluderentur ab obiecto communionis. Neque loquitur de comestione mentis per fidem; siquidem illam comestionem carni tribuit, affirmatque, cùm caro corpore & sanguine Christi vescitur, mentem de Deo saginari. Et lib. de Idololat. cap. 7. contra indignos sacerdotes stylum acuens, *Proh scelus! inquit, semel Iudæi Christo manus intulerunt: isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ! Quæ magis amputandæ sunt, quam quibus corpus Domini scandalizatur.* Frigida comparatio, & exclamatio, nisi realiter, & physicè ipsi corpus Christi lacessant, & scandalizent: sicut Iu-

17. Iren.

Tertull.

dæi physicè sine dubio, non per fidem solùm aut figuram, semel Christo manus intulerunt.

Origen. Sæculo tertio, Orig. Homil. 5. in diuers. loquens de puero Centurionis, apud Matthæum cap. 8. sic habet: *Quando sanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris: manducas, & bibis corpus, & sanguinem Domini. Tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Hæc Origen. quæ nisi de vero Christi corpore, & sanguine, ore corporis verè percepto, rectè dici non possunt: maximè iuxta Caluini doctrinam sect. 1. propositam. Nam si Origenes loqueretur de corpore Christi metonymicè, id est, de pane significante corpus; non rectè eum vocaret epulum incorruptum, nec ei dici vellet, *Domine non sum dignus*, &c. Si verò loqueretur de ipso Christo per panem significato, sed in cœlo tantùm existente, & per fidem dumtaxat ore mentis, in cœlum fide seu cogitatione ascendentis, accepto, non diceret; *Vbi indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Etenim iuxta Caluini doctrinam, Christus per fidem non potest accipi nisi à piis, & ad vitam: ab impiis verò, & infidelibus non sumitur nisi externum symbolum. Origenes autem ei qui ingreditur ad pios & impios, dignè vel indignè, ad vitam vel ad iudicium, vult dici, *Domine non sum dignus.* Ergo vel panem inuocari, & adorari vult: vel loquitur de corpore ipso Christi nobis proposito sub speciebus, & intrante sub tectum corporis nostri. Cyprian. verò in serm. de Lapsis, loquens de illis, qui post negatam fidem in persecutione, ad Eucharistiam accedebant, nondum expiatâ per pœnitentiam conscientia: *Vis*, inquit, *infertur corpori eius, & sanguini. Et plus modò in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt.* Atqui si ore, & manibus, symbolum tantùm, & figuram corporis, & sanguinis Christi accipiunt, non autem ipsum Christi corpus, & sanguinem: incredibile omnino est, existimasse Cyprianum plus ipsos tunc peccare, quàm cùm fidem non sine magno scandalo in persecutione negauerant. Idem Cyprianus, vel quis alius apud ipsum grauis & eruditus scriptor eiusdem ætatis, vt testatur titulus libri, Cornelio Papæ Cypriani contemporaneo dedicati, in lib. de Cardinalibus Christi operibus, sermone *de Cœna Domini*, prope initium, sic ait: *Panis iste, quem discipulis Dominus porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Dei factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.* Nota 1. *non effigie, sed natura mutatus.* 2. Recurri ad omnipotentiam Dei, vt fiat hæc mutatio. Tertiò nota comparationem illam, *Sicut in persona Christi*, &c. nihil enim clarius dici potest.

Cyprian.

Sæculo quarto, Concilium Nicænum primum (approbatum ab ipsomet Caluino cum tribus aliis proximis generalibus lib. 4. Institut. cap. 9. §. 8.) sic habet lib. 3. editionis Pisani cap. de Sacra mensa: *In hac sacra mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem, & calicem: sed attollentes mentem fide, intelligamus situm in illa sacra mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum: & pretiosum eius corpus, & sanguinem verè nos sumentes, credamus hæc esse nostræ resurrectionis symbola.* Vbi nota Concilium perspicuè affirmare, Christum situm esse in sacra illa mensa; in qua symbola panis & vini proponuntur: in eadémque incruentè immolari à sacerdotibus, & à fidelibus verè recipi. Eodem sæculo Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. Mystag. paulò post initium, affirmat Christum panem in corpus suum, & vinum in sanguinem transmutasse, sicut aliquando aquam mutauit in vinum in Cana Galileæ. Et in fine eiusdem catechesis, *Hoc sciens*, inquit *& pro certissimo habens panem hunc, qui apparet, non esse panem, etsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum, quod apparet, tametsi gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.* 17.

Nicænum Caluin.

Cyrill. Hierosol.

Similia habent Ambros. lib. de iis, qui mysteriis initiantur, cap. 9. Et Chrysost. hom. 83. in Matth. quorum verba referemus sect. 7. Gregor. autem Nyssen. in orat. catechet. cap. 37. vbi considerandum esse dixit, quomodo possit vnum illud corpus, quod tam multis fidelium toto orbe semper distribuitur, totum esse in vnoquoque, & ipsum in se totum manere, respondet: *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari.* Et paulò post: *Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud transelementatâ eorum, quæ apparent naturâ*: Ibidemque ait oportere sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera hominis. Id est, oportere, vt sicut vetitus cibus corporaliter ab Adamo comestus est: ita Christi corpus à nobis corporaliter, & intra viscera ipsa sumatur, adeoque non tantùm mente per fidem: *Vt tùm intra nos fuerit*, (adeòque non tantùm in cœlo, mente sola per fidem apprehensum) *hoc salutare medicamentum, veneni damnum, quod corpori fuerat inditum, per contrariam repellat actionem.* Legatur totum illud caput, quo nihil clarius dici potest contra errorem Caluinistarum contendentium spiritu tantùm, & non etiam corpore à nobis percipi corpus, & sanguinem Christi. Hilar. quoque lib. 8. de Trinit. affirmat ratione huius mysterii Christum in nobis permanere carnaliter, & corporaliter nobis vniri. Ergo non tantùm spiritualiter: vt volunt Caluinistæ. Idemque affirmat Cyrill. Hierosol. loco supra citato cùm sic ait: *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis*, &c. *Sic Christiphori erimus*, id est

Hilar.

Cyrill.

Christum ferentes, cùm eius corpus & sanguinem in membra nostra recep rimus.

20. Sæculo quinto Chrysost. lib. 3. de Sacerd.

Chrysost. *O miraculum! O Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Inepta exclamatio, si non ipse, sed variæ particulæ panis, ipsius figuræ, omnium manibus pertractentur. Aliud eius testimonium luculentissimum

August. ex hom. 83. in Matth. referemus sect. 7. vbi affirmat, non esse in hoc mysterio credendum sensibus, qui falli possunt, sed verbo Dei infallibili: esseque sine ambiguitate tenendum, non esse panem, vt sensibus apparet, sed esse corpus Christi, sicut ipse asseruit. Itemque ex August. concione 1. in Psal. 33. vbi disertè ait, Christum hoc sacramentum instituentem, impleuisse ad literam illud quod de Dauide dictum fuerat, *Ferebatur in manibus suis*: seque ipsum tulisse propriis manibus, eo modo quo neque Dauid, neque vllus alius corpus suum in manibus portare potest: Realiter scilicet, & verè ac substantialiter: Nam figuram tantùm & signum aliquod sui corporis portare propriis manibus, vnicuique facillimum est.

Hieronym. His adde illud Hieron. in comment. Psal. 109. *Quomodo Melchisedec Rex Salem obtulit panem, & vinum: sic & tu offers corpus & sanguinem tuum, verum panem, & verum vinum. Iste Melchisedec ista mysteria, quæ habemus tradidit nobis: Ipse est qui dixit, Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem &c.* Vbi nota primò Hieronymum non loqui de oblatione in figura solùm. Alioqui non bene per hoc Christum distingueret à Melchisedec; quòd Melchisedec panem, & vinum, Christus verò corpus & sanguinem suum obtulerit. Nam Melchisedec obtulit quoque figuram corporis & sanguinis Domini, vt docet idem Hieron. in cap. Matt. 26. vbi sic ait. *Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis comederat: assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur sacramentum. Vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedec summi Dei sacerdos panem, & vinum offerens fecerat: ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret*: id est, præsentem exhiberet, & figuræ veritatem substitueret. Nam quod Hieron. sic accipiat verbum, *Repræsentaret*, patet, quia antithesis tum Agni Paschalis cum Eucharistia, quam vocat verum Paschæ sacramentum; tum etiam Melchisedecis, quem ait præfigurasse, cum Christo, quem ait repræsentasse veritatem corporis sui, & sanguinis; omnino postulat, vt ex sensu Hieronymi, in agno Paschali, & sacrificio Melchisedecis, fuerit tantùm figura: in Eucharistia verò, exhibita sit veritas corporis, & sanguinis Domini. Nota 2. Per verum panem; & verum vinum, Hieronymum intelligere, non panem verum ratione naturæ, seu verum naturaliter (nam panis, & vinum Melchisedec non minùs erant vera naturali veritate) sed verum prout opponitur typico & figuratiuo. Quo etiam sensu vocat Eucharistiam verum Paschæ sacramentum, id est, oppositum typico, & figuratiuo agno Paschali Iudæorum. Quo etiam sensu Cyprian. epist. 63. ad Cæcil. Melchisedecem cum Christo comparans, sic ait: *Præcedit ante imago sacrificii Christi in pane & vino constituta &c. Et veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit.*

Eusebius denique Emisenus, aut alius grauis auctor eiusdem sæculi homil. 5. de Paschate, aliquantò post initium sic habet, *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui verbo suo, secreta potestate conuertit.* Et in fine, *Vt tibi nouum & impossibile non debeat videri, quod in Christi substantiam terrena, & mortalia commutentur.* Cyprian. Nota in vtroque testimonio, quòd visibilis, & terrena creatura in substantiam corporis, & sanguinis conuertatur. Item in priori, quòd verbo Dei, & secreta potestate id fiat; Nihil autem facilius est sine potestate tanta, quàm constituere aliquid signum, & figurã corporis, & sanguinis, quã ob oculos positã Christum per fidem apprehendamus. Neque id nouum, & impossibile videri poterat, quod in omnibus sacrificiis, & sacramentis legis veteris factum iam sæpius fuerat. Omnia enim illa erant Christi figura. Addit idem auctor, *Quando benedicendæ verbis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione summi Numinis consecrentur, substantia illis est panis, & vini: post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autem, si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere? Imo iam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei potest esse difficile; cui facile fuit visibilia, & inuisibilia voluntatis imperio suscitare.* Hæc ille: quæ, si panis Eucharisticus est tantùm figura corporis Christi iuxta Caluini sensum, non nisi valde hyperbolicè, imò etiam falsò dici potuerunt.

SECTIO IV.

Obseruationes quædam circa Patrum testimonia.

SVperioribus adde Patres antiquos, qui quinque primis illis Ecclesiæ sæculis floruerũt, multa expressè dicere, quibus nihil clarius à nobis dici potest contra errores Caluinistarum. Cuiusmodi est primò, quod asserunt disertè, Christum verè hic nobis commisceri, & vniri non fide tantùm, sed & ipsa re. *Verè*, inquit Hilarius lib. 8. de Trinit. *cibo Dominico Verbum carnem sumimus, naturamque carnis suæ sub sacramento nobis admiscuit.* Chrysost. hom. 83. in Matth. *Semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verùm & ipsa re nos suum efficit corpus.* Et hom. 45. in Ioan. ~~cap. 15. Non negamus [illegible]~~

~~fidecer-~~

45. in Ioan. *Vt itaque non tantùm per charitatem, verùm etiam ipsa re in illam misceamur carnem, per escam efficitur quam largitus est nobis.* Cyrill. Alexand. lib. 10. in Ioan. cap. 13. *Non negamus rectâ nos fide, charitatéque sincera, Christo spiritualiter coniungi: sed nullam nobis coniunctionem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idque à diuinis Scripturis omnino alienum dicimus.* Et inferiùs: *An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ, cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare?* Et paulò post: *Vnde considerandum est, non habitatione solùm quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse; verùm etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram, alii ceræ similiter liquefactæ ita commiscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum esse videatur: sic communicatione corporis, & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.* Similia habet Gregor. Nyssen. in oratione Catechet. cap. 37. vbi docet ad salutem necessarium esse, vt anima Christo per fidem vniatur, corpus autem alio modo. Quem modum explicans, ait hunc esse, vt Christi corpus intra nostrum recipiatur. *Oportet enim*, inquit, *sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera hominis*, &c. *Sed fieri non potest, vt sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum, & potionem misceatur visceribus*, &c. *Ea de causa per suæ gratiæ dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus*, &c.

Christus in Eucharistia corpori nostro realiter vnitur.

23. Secundò, Docent hoc sacramentum propter Christum in eo existentem, adorandum esse, morémque illum fuisse antiquæ Ecclesiæ; qui tamen Idololatria esset, nisi Christus, in eo verè contineretur. Cyrill. Hierosol. Catech. 5. Mystag. *Accede*, inquit, *ad calicem sanguinis illius pronus, adorationis in modum.* Chrysost. Hom. 24. in 1. ad Cor. *Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & barbari cum timore, & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur barbaros, nos, qui cælorum ciues sumus. Illi eum in præsepi viderunt: tu verò non in præsepi, sed in altari*, &c. Theodoret. in Dial. 2. *Intelliguntur mystica symbola ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ verè existunt ea, quæ creduntur.* August. in Psalm. 98. explicans illud de carne Christi in Eucharistia, Adorate scabellum pedum eius, *Caro*, inquit, *Christi ex terra est, & nemo eam manducat, nisi prius adoret.* Quod tantùm abest vt idololatriam esse censeat August. vt è contrario affirmet fore potiùs peccatum manducare, & non adorare. Quòd autem loquatur de carne Christi, prout est in Eucharistia, patet ex eo, quod adiungit: *Ideo & ad terram quamlibet, cum te inclinas, atque prosternis, non quasi terram intuearis*, &c. Particula enim, *Quamlibet*, significat aliquam multiplicitatem, quæ non conuenit carni Christi, nisi prout localiter multiplicatur in Eucharistia. Adde quòd alioqui non erat, cur mentionem faceret manducationis, & Eucharistiæ, si de adoratione carnis Christi simpliciter loquebatur, non autem de adoratione, prout fit in Eucharistia. Idem ex eodem eiusdem Psalmi versiculo docet Ambros. lib. de Spiritu sancto, cap. 12. vbi apertè dicit carnem Domini à nobis in mysteriis adorari, sicut Apostoli in propria specie illam adorauerunt. Et hoc esse adorare scabellum pedum Domini. *Per scabellum*, inquit, *terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, vt supra diximus, adorauerunt.* Denique occasione adorationis Eucharistiæ suspicabantur gentiles, Christianos Cererem, & Bacchum adorare, vt patet ex August. lib. 20. contra Faustum cap. 13.

Mos antiquus adorandi Euchar.

Tertiò, Perspicuè affirmant sancti Patres Christum occasione huius mysterii non tantùm in cœlo esse, vt volunt Caluinistæ, sed & in altari: vt disertè affirmat Chrysost. Hom. 24. in primam ad Corinth. Et Concil. Nicænum primum cap. de sacra mensa. Est autem illud Concilium primum è quatuor generalibus ab ipso Caluino receptis 4. Institut. cap. 9. §. 8. Item Christum in terris simul pluribus locis existere per magnum miraculum. Cuiusmodi est illud Chrysost. lib. 3. de Sacerdot. *O miraculum! O Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, eodem articulo temporis omnium manibus pertractatur.* Et Hom. 2. ad populum Antioch. in fine. *Elias Meloten discipulo reliquit: filius autem Dei ascendens carnem suam dimisit. Sed Elias quidem exutus: Christus autem, & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Basil. in Liturg. *Veni ad sanctificandum nos, qui sursum Patri consides, & hic nobis inuisibiliter coës.* Gregor. Nyssen. Orat. de Pasch. *Si ut diuinitas replet mundum, & tamen vna est, ita innumerabilibus locis consecratur, & tamen vnum corpus est.* 24.

Christus est simul in pluribus locis propter mysterium Eucharistiæ.

Quartò, Iidem Patres recurrunt ad omnipotentiam Dei, vt ostendant fieri magno miraculo quòd Christi corpus sub speciebus fit, quamuis contrarium sensibus nostris videatur, quibus non fit credendum in hoc mysterio, sed infallibili Dei verbo. Cuiusmodi sunt, quæ ex Cyrill. Hierosol. Catech. 4. Mystag. Ambros. lib. de Initiandis cap. 9. Chrysost. Homil. 83. in Matth. referemus sect. 7. Et Cyprian. lib. de Cardin. Christi oper. in serm. de Cœna, *Panis iste non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro*, &c. Et Gregor. Nyssen. orat. Catech. capite trigesimo septimo, *Hæc autem dat* (Deus supple) *virtute benedictionis in illud* (corpus nempe Christi) *transelementatâ eorum, quæ apparent, naturâ.* Reddunt etiam rationem cur hic voluerit Christus 25.

Eucharistia est opus omnipotentiæ Dei.

adesse inuisibiliter sub aliena specie, panis scilicet, & vini: vt videlicet sine horrore caro ipsius ederetur, & sanguis biberetur. Sic Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. ait non videri hic speciem sanguinis, vt nullus horror cruoris sit, & pretium tamen sit redemptionis. Et Cyrill. Alex. relatus à D. Thom. in cap. 22. Luc. *Decebat*, inquit, *Christum nostris quodammodo vniri corporibus per sacram eius carnem, & pretiosum sanguinem, quæ accipimus benedictione viuificatiuâ in pane, & vino. Ne enim horreremus carnem, & sanguinem, apposita sacris altaribus: condescendens Deus nostris fragilitatibus, instuit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ, quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis.*

26. Quintò, Affirmant corpus Christi in Eucharistia percipi non tantùm ore mentis per fidem, vt volunt Caluinistæ; sed ore ipso corporis. Cuiusmodi est, quod supra retulimus ex Cyrill. Alex. lib. 10. in Ioan. cap. 13. Gregor. Nyss. orat. Catech. cap. 37. Cyrill. Hierosolym. Catech. 4. Mystag. Tertull. lib. de Resurrect. Carn. cap. 8. Quibus addi potest illud S. Leonis serm. 6. de Ieiunio sep. mensis: *Sic sanctæ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi, & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur.* Docent quoque etiam impios, & infideles Christi corpus, & sanguinem sumere in sacramento, non per fidem, quâ carent, secundum Caluinistas, sed ore corporis realiter, ac substantialiter. Ita Theodoret. in illud 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*, &c. Commentarius Ambrosio tributus, ibidem, August. lib. 5. de Baptism. cap. 8. & serm. 11. de Verb. Dom. cap. 11. Verba Augustini priori loco sunt. *Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens dominicum sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus. Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat.*

Christus in Eucharistia percipitur ore corporis.

Leo.

Theodor.

August.

27. Sextò, Constat ex Theodoret. in Dialog. *Inconfusus*, August. Chrysost. & aliis Patribus passim, antiquam Ecclesiam celasse Catechumenos mysterium Eucharistiæ. Quod signum manifestum est non eam credidisse ibi tantùm esse signum corporis, & sanguinis Christi, per fidem apprehendendi, vt apprehenditur per baptismum, & per Euangelii prædicationem: sicut dicunt Caluinistæ in Catech. Dom. 52. Alioqui non magis Ecclesia Catechumenos celasset Eucharistiam; quàm Euangelii prædicationem, aut baptismum: aut quàm mysteria Trinitatis, & Incarnationis, longe difficiliora, quàm sit Christum eiusque promissiones apprehendere per fidem, sumendo panem, & vinum in illius memoriam. Liquet ergo Caluinistas fidem antiquæ Ecclesiæ deseruisse.

Eucharistia celabatur Catechumenis.

Septimò denique, ex veritate præsentiæ realis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, tanquam ex certissimo fundamento, & notissimo fidei articulo, argumentantur non rarò sancti Patres contra varios hæreticos, ad illorum errores refellendos. Sic Iren. lib. 3. contr. Hæres. cap. 2. probat contra Gnosticos Christum venisse in vera carne, quia, inquit, alioqui neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis eius esset, neque panis, quem frangimus, cõmunicatio corporis eius. Sanguis enim non est nisi à venis, & carnibus, & à reliqua, quæ est secundũ hominem, substantia. Et Hilar. lib. 8. de Trinit. probat contra Arianos Patrem, & Filium esse vnum non tantùm vnitate voluntatis, sed etiam vnitate reali, & naturali: sicut nos cum filio vnum efficimur reali, & naturali coniunctione corporum in hoc sacramento. *Verè*, inquit, *cibo dominico Verbum carnem sumimus, naturamque carnis suæ sub sacramento nobis admiscuit.* Et paulò post: *Hæc à nobis ideo commemorata sunt, quia voluntatis tantùm vnitate hæretici personas diuinas vnitas esse interpretantur, & ad id exemplo vnitatis nostræ cùm Deo vtuntur: quasi nobis ad filium voluntate tantùm religionis vnius, nulla per sacramentum carnis naturalis communionis proprietas indulgeretur.* Eodem argumento vtuntur Irenæus, Cyrillus Alex. Greg. Nyss. locis supra citatis, aliique Patres ad probandam carnis resurrectionem, cuius resurrectionis semen accipimus, & ius speciale per coniunctionem realem corporis nostri cum corpore, & sanguine Christi, quæ in hoc sacramento fit. Hæc igitur, & similia, plurima, quæ breuitatis causa prætereo, sole clariùs ostendunt veteris Ecclesiæ fidem à metaphoris Caluinisticis longè abhorruisse; & vel rectam de Eucharistia sententiam, primitiuæ Ecclesiæ incognitam fuisse; vel nostram rectam esse, Caluinisticam verò importunam, & hæreticam. 28.

SECTIO V.

Probatur eadem veritas ex Scriptura.

Ad eandem veritatem probandam quatuor argumenta præcipua ex Scriptura desumi possunt, quæ fusè & erudite prosequitur & expendit Cardinalis Bellarmin. lib. 1. de Eucharistia cap. 4. & sequentibus. Primum sumitur ex figuris Eucharistiæ, quæ præcesserunt in veteri testamento. Secundum ex eiusdem promissione, quæ habetur Ioan. cap. 6. Tertium ex institutione, de qua Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. Quartum ex vsu, de quo Paulus 1. Corinth. 10. & 11. 29.

Primum argumentum ex figuris, est huiusmodi: Ea quæ repræsentabantur figuris veteris testamenti, debent esse nobiliora figuris, quibus repræsentabantur. Sed si Euchari-

Prima probatio veritatis Eu-

charistiæ, ex eius figuris, agno Paschali & Manna. stia est tantummodò signum corporis Christi per fidem ipsum exhibens, non est nobilior figuris, quibus repræsentabatur. Ergo Eucharistia non est tantummodò huiusmodi signum, sed aliquid nobilius, nempe ipsummet corpus Christi. Maior est per se nota, & patet ex Apostolo Coloss. 2. v. 17. vbi figuras comparat vmbræ: res autem repræsentatas, corpori. Minor probatur ex duabus potissimùm, omissis aliis, nimirum Agno Paschali, & Manna. Nam quòd Agnus Paschalis figura fuerit sacramenti Eucharistiæ, ostendit Christus ipse, quando in cœna vltima post esum Agni Paschalis Eucharistiam instituit, veluti figuræ veritatem substituens, vt notat S. Leo serm. 7. de Pass. Domini. Idemque affirmant Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 40. Cyprian. lib. de Vnitate Ecclesiæ. Hieron. in cap. 26. Matth. August. lib. 2. cont. Liter. Petil. cap. 37. & plures alii. Manna quoque eiusdem figuram fuisse Christus ipse significat Ioannis 6. vers. 59. & sequentibus: *Non sicut manducauerunt Patres vestri Manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur, &c. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Idemque docent Ambros. lib. de iis, qui mysteriis initiantur cap. 8. & 9. Chrysost. Cyrill. Alex. August. & Theophyl. in cap. 6. Ioan. aliique eiusdem interpretes.

30. Iam verò quòd panis Eucharisticus non sit nobilior huiusmodi figuris, si nihil aliud habet, quàm quod ipsi tribuunt Caluinistæ; probatur, quia potiùs ipsæ nobiliores sunt, siue spectentur in entitate, siue in ratione signi. Etenim Agnus Paschalis est res præstantior pane naturali secundum entitatem, vt manifestum est. Manna quoque, quod de cœlo pluebat, & Angelorum artificio mirabili fiebat, præstantius erat pane communi, qui de clibano prodit, & manu pistorum fit. Quoad significationem verò meliùs significabatur caro Christi carne Agni; mors Christi, morte Agni; sanguis Christi sanguine Agni; innocentia Christi, & mansuetudo, innocentiâ illius Agni anniculi & sine macula. Effectus quoque sacramenti huius, qui est nutritio spiritalis animæ, meliùs significabatur per esum carnis Agni: caro enim meliùs nutrit: maiorémque habebat analogiam cum illa. Cúmque secundum Caluinistas nihil aliud sit effectus ille, quàm excitatio fidei ad apprehendendum Christum, quo spiritualiter nutriamur; meliùs fiebat per occisionem, & esum agni, quàm per esum panis. Magis enim id fidem excitat, quod Christum meliùs repræsentat. Similitérque Manna meliùs Christum repræsentabat, quàm panis: tum quia de cœlo erat, Psal. 77. tum etiam quia saporem mirabilem continebat, Sapient. 16. vers. 2. & æquali mensurâ sumebatur ab omnibus, licet inæqualiter colligeretur, Exod. 16. vers. 18. Quare meliùs valebat ad fidem in Christum excitandam, & ad nutritionem spiritalem, quæ ex fide consequitur.

Atque hoc argumentum eò magis vrget aduersarios, quòd ipsi asserunt Israëlitas in esu Mannæ Christum edisse per fidem, vt fit in esu Eucharistiæ: & in sacramentis veteris legis fuisse cum symbolo externo rem exhibitam per fidem, sicut in nostris. Quod Caluinus, Beza, Petrus Martyr, & alii affirmant, & confirmant ex 1. Corinth. 10. vers. 3. & 4. *Omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, Petra autem erat Christus.* Quasi dicat Apostolus Israëlitas omnes eandem nobiscum Christianis escam edisse. Cùm tamen Apostolus Israëlitas tantùm comparet inter se, non autem cum Christianis: neque affirmet Christum simili modo illis exhibitum fuisse in manna, & aqua de petra; quo nobis exhibetur in sacramento corporis, & sanguinis sui, ita vt à nobis non aliter quàm per fidem edatur, vt contendunt aduersarii. 31.

Notandum item, Negare aduersarios vlla esse verba essentialia sacramento: nam quæ nos volumus esse formam, irrident ipsi vt magica, & incantatoria: neque alia eorum loco admittunt: vt videre est apud Calu. 4. Instit. c. 14. n. 4. Quare vanum est effugium Petri martyris parte 5. defens. de Euchar. respondentis sacramenta nouæ legis esse nobiliora; quia sunt clariora ratione verborum. Nam in sententia aduersariorum, hæc claritas est sacramento extrinseca; proueniens non ab ipso sacramento, & à verbis sacramentalibus, seu ritualibus, locum formæ habentibus, sed à verbis concionatoriis, id est, à concione Ministri docentis quò sacramentum tendat, id est, quo fine accipiatur. A qua concione si petenda esset nobilitas sacramentorum, sacramentum esset nobilius, aut ignobilius, prout à Ministro magis, aut minus eloquenti, & finem sacramenti explicante, exhiberetur. Quod absurdum est, & contra S. August. aliósque Patres affirmantes dignitatem, & valorem sacramentorum à Christo peti, non ab ipsorum ministris. *Nam si pro diuersitate meritorum baptisma sanctum est; quia diuersa sunt merita, diuersa erunt baptismata: & tantò quisque aliud melius putatur accipere, quantò à meliore videtur accepisse:* inquit August. tract. 6. in Ioan. & paulò post: *Quare ergo, si vnus ab illo v. g. iusto & sancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ: vnum tamen, & par, & æquale est quod acceperunt: nisi quia hic est, qui baptizat?* 32. Caluin. August.

Cætera, quæ Petrus mart. ibidem addit ad tuendam maiorem nobilitatem sacramentorum nouæ legis, minoris sunt momenti, & luculenter refutantur à Bellarm. lib. 1. de Eucharist. cap. 4. Certè Christus ipse Ioan. 6. & sancti Patres, quando Eucharistiam præferunt Mannæ, vel agno Paschali, aliisque figuris: non eam causam 33. Bellarm.

afferunt: quia melius verba significant, vel alias à Petro mart. commemoratas: sed quia caro Christi est. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, inquit Christus cap. cit. vers. 52. & Origen. homil. 7. in lib. Numer. *Tunc*, inquit, *in ænigmate erat Manna cibus: nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus: sicut ipse ait. Quia caro mea verè est cibus*. Et Ambros. lib. de iis qui Myst. init. cap. 9. *Considera nunc vter præstantior sit, panis Angelorum; an caro Christi, quæ vtique corpus est vitæ*, &c. Et Hieron. in cap. 1, Epist. ad Titum, *Tantum interest inter panes Propositionis, & corpus Christi: quantum inter vmbras & corpora; inter imaginem, & veritatem; inter exemplaria verorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur*. Vbi Hieronymus per corpus Christi Eucharistiam intelligit. Loquitur enim de illis, qui in Eucharistia volunt Christi corpus recipere, quos ait debere ab vsu coniugii abstinere, æquè ac eos, qui volebant panes Propositionis edere: iuxta exemplum Achimelech sacerdotis, qui noluit Dauidi, & sociis dare panes Propositionis edendos, nisi postquam intellexit eos aliquandiu abstinuisse ab vxoribus. Et S. Leo serm. 7. de Pass. Dom. *Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis: antiqua obseruantia nouo tollitur sacramento: Hostia in hostiam transit: sanguinem sanguis excludit: & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur*: Christi scilicet carne, & sanguine substitutis Agno Paschali, eiusque sanguini.

SECTIO VI.

Proponitur secundum argumentum ex Scriptura.

34. *a Probatio veritatis Eucharistiæ, ex eius promissione.* SEcundum argumentum sumitur ex cap. Ioan. 6. vbi Christus Eucharistiæ institutionem promisit verbis illis v. 52. & seqq. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*. Hæc Christus. Circa quæ nota primò, nusquam in Scriptura clariùs asseri Deum esse trinum, aut Christum esse Deum: quàm hîc asseratur Christi carnem, & sanguinem esse cibum, ac potum, & comedi, ac bibi. Secundò, Verba Scripturæ in proprio sensu, quoad fieri potest, intelligenda esse: ne si ad metaphoras pro libito detorqueantur, nihil certi ex Scriptura possit intelligi. Propria autem comestio est illa, quæ ore corporis fit: nam comestio Caluinistica per fidem est æquè metaphorica, atque os, dentes, & guttur fidei; seu mentis, metaphorica sunt. Tertiò, Nihil hîc cogere vt a sensu proprio recedamus: contra verò multa cogere ad proprium sensum retinendum. Nam Christus promittit illis verbis, *Panis, quem ego dabo*, id scilicet, quod in fine vitæ præstitit Matth. 26. quando corpus suum sub specie panis discipulis edendum præbuit. Promissiones autem debent concipi propriis verbis, & claris. Estque impostoris plus in specie verborum promittere, quàm dare. Deinde Iudæis murmurantibus vers. 58. eò quòd intelligerent Christum de carne sua propriè, & realiter manducanda locutum esse: non remouet Christus hanc cogitationem, sed addit verba, quæ magis, ac magis, proprietatem significant, dicens cum gemina asseueratione versu 54. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis*, &c. & vers. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Verè, inquit, non tropicè, & metaphoricè, vt esset, si panis, qui ore corporis sumitur, & editur, carnis eius in cœlo existentis figura tantùm esset: aut si caro ipsa fide sola ederetur, vt volunt Caluinistæ. Nam sicut os, & guttur animæ metaphoricum tantùm est, neque est magis verè os, & guttur, quàm imago regis, fit verè rex: ita & eius cibus & potus, est tantùm cibus & potus metaphoricè, non autem verè & propriè.

Quartò, Discipulis ipsis scandalum patientibus, & murmurantibus, eò quòd, vt Capharnaïtæ, existimarent Christum non solùm carnem suam promittere edendam verè ac propriè ore corporis; sed vlteriùs etiam edendam more communi, mortuam scilicet, & diuisam in frusta, vt bubulæ carnes, & veruecinæ edi solent: remouit quidem Christus hunc edendi modum, & cogitatum carnalem, vt notant S. August. tractat. 27. in Ioan. & Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 22. 23. & 24. verbis scilicet illis versu 64. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*. Quasi diceret: Ne putetis me daturum vobis carnem meam destitutam spiritu viuificante, sine quo nihil prodesset ad vitam æternam: aut modo illo carnali inhumano, & barbaro. Verba, enim, quæ ego loquor vobis, non sunt intelligenda de modo illo carnali, sed spiritali, & vitali. *Verba, quæ ego loquor vobis*, inquit Cyrillus cap. 24. spiritus sunt, id est, spiritalia, & tractantia de spiritu. Et vita sunt, id est, viuificantia, & tractantia de eo, quod vita est naturâ suâ, id est, de Diuinitate, sine qua caro nihil prodesset. Perstitit tamen Christus in asserenda reali manducatione carnis suæ, & ad faciendam fidem rei mirabilis, mentionem fecit miraculi futuræ ascensionis suæ, dicens vers. sexagesimo tertio, *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* Quasi volens rem vnam mirabilem alia æquè mirabili confirmare.

35. August. Cyrillus.

Ac discipulis nihilominus retrò abeuntibus, & ab ipso discedentibus v. 67. nullum aliud verbum addidit, quo metaphoram Caluinisticam vel leuiter insinuaret. Atqui facillimum erat, Christiq; Domini, suorum amantissimi, beneuolentiam decebat, vnico verbo figuræ, aut manducationis per fidem, difficultatem omnem non modò eleuare, sed penitùs adimere. Adde quòd solebat Christus, si quid obscurius turbis proposuisset, explicare discipulis id ab ipso exigentibus: vt patet ex Matth. 13. de parabolis seminantis, & zizaniorum; aliisque locis. Quæ autem fuit vnquam vel maior occasio, vel necessitas explicandi sensum suũ discipulis, & corrigendi eorum existimationem, si falsa erat; quàm tunc temporis, cùm vsque ad defectionem pene omnes scandalizati sunt? Et tamen Christus illos, ob eam existimationem abire passus est, & ad duodecim Apostolos dixit vers. 68. *Numquid & vos vultis abire?* quasi diceret: Non habeo aliud, quod faciam. Mysterium proposui, ad quod credendum fide opus est: qui non vult credere, abeat.

36. Ad de præterea, Christum moueri debuisse ad sensum suum aperiendum, si is alius erat, non solùm scandalo suorum pene omnium discipulorum, sed & totius Ecclesiæ, quam præuidebat occasione horum verborum, & similium, credituram carnem ipsius, & sanguinem verè sub speciebus panis, & vini manducari, & bibi. Præuidebat, inquam, Christus omnes totius orbis Ecclesias, Syriacas, Aethiopicas, Arabicas, Græcas, Italicas, Gallicas, Hispanicas, Germanicas, Polonicas, Moscouiticas, Indicas, omnes denique, quotquot ante exortum sacramentariorum extiterunt, verba sua ita intellecturas, vt crederent carnem eius, & sanguinem sub speciebus verè contineri, ac recipi, atque vt ibi præsentem adorarent. Qui si error est, & Idololatriæ scelus: modus ille loquendi de re alioquin ad explicandum facili, totum terrarum orbem in errorem, & idololatriam induxit. Adde denique consensum sanctorum Patrum, prædicta Christi verba in sensu proprio interpretantium, Cyrilli vtriusque, Basilii, Chrysost. Gregor. Nyss. Theodoreti, &c. de quibus vide Bellarm. lib. 1. de Euchar. cap. 5. & Vasq. disp. 179. cap. 4.

Bellarm. Vasquez.

37. Probatur Christum loqui de Eucharist. Ioan. 6.

Malè verò respondent Caluinistæ Christum in cap. 6. Ioan. non loqui de Eucharistia, quod etiam nonnulli Catholicorum imprudenter, & minùs consideratè affirmant. Nam licet initio capitis agat de pane materiali, eiusq; multiplicatione miraculosa pridie facta; cuius miraculi occasione turbæ iterum conuenerant ad Christum; vt iterum saturarentur simili miraculo: ac deinde occasione huius desiderii panis materialis, loquatur Christus de seipso, vt pane spiritali, appetendo, & edendo per fidem, credendo scilicet ipsius Incarnationem, & diuinitatem v. 27. & seqq. tamen quod postea à versu 52. transeat ab illa comestione spiritali per fidem, ad aliam, quâ carnem suam ore ipso corporis edendam, & sanguinem bibendum promittit, ostendunt ea omnia quæ notauimus expendendo verba superiùs relata ex eodem cap. Atque vlteriùs primò, modus ille loquendi in futuro, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vel, vt est in textu græco, *caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita* vers. 52. Nam si loquebatur tantùm de seipso, vt edendo per fidem, credendò ipsius diuinitatem, & incarnationem: iampridem hoc dederat. Quare panis, quem promittit se daturum, & quem nondum dederat, aliquid aliud est. 2. Idem ostendit crebra illa, & sæpius repetita eodem cap. distinctio manducandi, & bibendi: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: vers. 54. & sequentibus. Atqui si loquebatur Christus de sola manducatione per fidem extra sacramentum Eucharistiæ, illa distinctio erat inanis, & superflua: nam comestio, & potio per fidem, sunt vnum, & idem, nempe credere in Christum.

3. Idem patet ex eo quòd Iudæi intelligentes Christum verbis modò relatis loqui de alio modo manducationis magis difficili, quàm per fidem, murmurarunt iterum: sed longè aliter, quàm priùs, cùm de fide sola loquebatur. *Quomodo potest,* inquiunt, v. 53. *hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Discipuli quoque, qui nullam passi erant difficultatem, quandiu intellexerant Christum de fide sola loqui; his posterioribus verbis scandalizati sunt dicentes vers. 6. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Christoque nihilominus in eadem sententia perstante, & miraculum huius manducationis miraculo suæ ascensionis in cœlum confirmante, *Multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant* vers. 67. quod signum manifestum est Christum verbis posterioribus de alia manducatione, quàm per fidem, magis mirabili, ac difficili ad credendum, loquutum esse. Quartò, Si Ioannes eo capite non loquitur de Eucharistia, nusquam alibi loquutus est de illa: cùm tamen soleat, aquilæ instar, in summis, ac præcipuis fidei nostræ mysteriis explicandis immorari. Quare potiùs credibile est omnino, ipsum quidem more suo voluisse omittere; quæ ab aliis Euangelistis narrantur de institutione: promissionem verò ab aliis omissam fusissimè prosequutum esse. Incredibile item est Christum Dominum, si de fide tantùm in ipsum habenda loquebatur; rem explicatu facilem verbis tam obscuris voluisse inuoluere, & aliud adeo præ se ferentibus, vt Capharnai-

Confirmatur.

afferunt: quia meliùs verba significant, vel alias à Petro mart. commemoratas: sed quia caro Christi est. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, inquit Christus cap. cit. vers. 52. & Origen. homil. 7. in lib. Numer. *Tunc*, inquit, *in ænigmate erat Manna cibus: nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus: sicut ipse dicit. Quia caro mea verè est cibus*. Et Ambros. lib. de iis qui Myst. init. cap. 9. *Considera nunc vter præstantior sit, panis Angelorum; an caro Christi, quæ vtique corpus est vitæ*, &c. Et Hieron. in cap. 1, Epist. ad Titum, *Tantum interest inter panes Propositionis, & corpus Christi: quantum inter vmbras, & corpora; inter imaginem, & veritatem; inter exemplaria verorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurebantur*. Vbi Hieronymus per corpus Christi Eucharistiam intelligit. Loquitur enim de illis, qui in Eucharistia volunt Christi corpus recipere, quos ait debere ab vsu coniugii abstinere, æquè ac eos, qui volebant panes Propositionis edere: iuxta exemplum Achimelech sacerdotis, qui noluit Dauidi, & sociis dare panes Propositionis edendos, nisi postquam intellexit eos aliquandiu abstinuisse ab vxoribus. Et S. Leo serm. 7. de Pass. Dom. *Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis: antiqua obseruantia nouo tollitur sacramento: Hostia in hostiam transit: sanguinem sanguis excludit: & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur*: Christi scilicet carne, & sanguine substitutis Agno Paschali, eiusque sanguini.

SECTIO VI.

Proponitur secundum argumentum ex Scriptura.

34. Secundum argumentum sumitur ex cap. Ioan. 6. vbi Christus Eucharistiæ institutionem promisit verbis illis v. 52. & seqq. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*. Hæc Christus. Circa quæ nota primò, nusquam in Scriptura clariùs asseri Deum esse trinum, aut Christum esse Deum: quàm hic asseratur Christi carnem, & sanguinem esse cibum, ac potum, & comedi, ac bibi. Secundò, Verba Scripturæ in proprio sensu, quoad fieri potest, intelligenda esse: ne si ad metaphoras pro libito detorqueantur, nihil certi ex Scriptura possit intelligi. Propria autem comestio est illa, quæ ore corporis fit: nam comestio Caluinistica per fidem est æquè metaphorica, atque os, dentes, & guttur fidei; seu mentis, metaphorica sunt. Tertiò, Nihil hic cogere vt a sensu proprio recedamus: contra verò multa cogere ad proprium sensum retinendum. Nam Christus promittit illis verbis, *Panis, quem ego dabo*, id scilicet, quod in fine vitæ præstitit Matth. 26. quando corpus suum sub specie panis discipulis edendum præbuit. Promissiones autem debent concipi propriis verbis, & claris. Estque impostoris plus in specie verborum promittere, quàm dare. Deinde Iudæis murmurantibus vers. 58. eò quòd intelligerent Christum de carne sua propriè, & realiter manducanda locutum esse: non remouet Christus hanc cogitationem, sed addit verba, quæ magis, ac magis, proprietatem significant, dicens cum gemina asseueratione versu 54. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis*, &c. & vers. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Verè, inquit, non tropicè, & metaphoricè, vt esset, si panis, qui ore corporis sumitur, & editur, carnis eius in cœlo existentis figura tantùm esset: aut si caro ipsa fide sola ederetur, vt volunt Caluinistæ. Nam sicut os, & guttur animæ metaphoricum tantùm est, neque est magis verè os, & guttur, quàm imago regis, fit verè rex: ita & eius cibus & potus, est tantùm cibus & potus metaphoricè, non autem verè & propriè.

Margin: 1. Probatio veritatis Eucharisticæ, ex eius promissione.

Quartò, Discipulis ipsis scandalum patientibus, & murmurantibus, eò quòd, vt Capharnaïtæ, existimarent Christum non solùm carnem suam promittere edendam verè ac propriè ore corporis; sed vlteriùs etiam edendam more communi, mortuam scilicet, & diuisam in frusta, vt bubulæ carnes, & veruecinæ edi solent; remouit quidem Christus hunc edendi modum, & cogitatum carnalem, vt notant S. August. tractat. 27. in Ioan. & Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 22. 23. & 24. verbis scilicet illis versu 64. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*. Quasi diceret: Ne putetis me daturum vobis carnem meam destitutam spiritu viuificante, sine quo nihil prodesset ad vitam æternam: aut modo illo carnali inhumano, & barbaro. Verba, enim, quæ ego loquor vobis, non sunt intelligenda de modo illo carnali, sed spiritali, & vitali. *Verba, quæ ego loquor vobis*, inquit Cyrillus cap. 24. spiritus sunt; id est, spiritalia, & tractantia de spiritu. Et vita sunt, id est, viuificantia, & tractantia de eo, quod vita est naturâ suâ, id est, de Diuinitate, sine qua caro nihil prodesset. Perstitit tamen Christus in asserenda reali manducatione carnis suæ; & ad faciendam fidem rei mirabilis, mentionem fecit miraculi futuræ ascensionis suæ, dicens vers. sexagesimo tertio, *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat priùs?* Quasi volens rem vnam mirabilem alia æquè mirabili confirmare. 35.

Margin: August. Cyrillus.

Ac discipulis nihilominus retrò abeuntibus, & ab ipso discedentibus v. 67. nullum aliud verbum addidit, quo metaphoram Caluinisticam vel leuiter insinuaret. Atqui facillimum erat, Christiq; Domini, suorum amantissimi, beneuolentiam decebat, vnico verbo figuræ, aut manducationis per fidem, difficultatem omnem non modò eleuare, sed penitùs adimere. Adde quòd solebat Christus, si quid obscurius turbis proposuisset, explicare discipulis id ab ipso exigentibus: vt patet ex Matth. 13. de parabolis seminantis, & zizaniorum; aliisque locis. Quæ autem fuit vnquam vel maior occasio, vel necessitas explicandi sensum suũ discipulis, & corrigendi eorum existimationem, si falsa erat; quàm tunc temporis, cùm vsque ad defectionem pene omnes scandalizati sunt? Et tamen Christus illos, ob eam existimationem abire passus est, & ad duodecim Apostolos dixit vers. 68. *Numquid & vos vultis abire?* quasi diceret: Non habeo aliud, quod faciam. Mysterium proposui, ad quod credendum fide opus est: qui non vult credere, abeat.

36. Ad de præterea, Christum moueri debuisse ad sensum suum aperiendum, si is alius erat, non solùm scandalo suorum pene omnium discipulorum, sed & totius Ecclesiæ, quam præuidebat occasione horum verborum, & similium, credituram carnem ipsius, & sanguinem verè sub speciebus panis, & vini manducari, & bibi. Præuidebat, inquam, Christus omnes totius orbis Ecclesias, Syriacas, Aethiopicas, Arabicas, Græcas, Italicas, Gallicas, Hispanicas, Germanicas, Polonicas, Moscouiticas, Indicas, omnes denique, quotquot ante exortum sacramentariorum extiterunt, verba sua ita intellecturas, vt crederent carnem eius, & sanguinem sub speciebus verè contineri, ac recipi, atque vt ibi præsentem adorarent. Qui si error est, & Idololatriæ scelus: modus ille loquendi de re alioquin ad explicandum facili, totum terrarum orbem in errorem, & idololatriam induxit. Addе denique consensum sanctorum Patrum, prædicta Christi verba in sensu proprio interpretantium, Cyrilli vtriusque, Basilii, Chrysost. Gregor. Nyss. Theodoreti, &c. de quibus vide Bellarm. lib. 1. de Euchar. cap. 5. & Vasq. disp. 179. cap. 4.

Bellarm. Vasquez.

37. Probatur Christum loqui de Eucharist. Ioan. 6.

Malè verò respondent Caluinistæ Christum in cap. 6. Ioan. non loqui de Eucharistia, quod etiam nonnulli Catholicorum imprudenter, & minùs consideratè affirmant. Nam licet initio capitis agat de pane materiali, eiusq; multiplicatione miraculosa pridie facta; cuius miraculi occasione turbæ iterum conuenerant ad Christum; vt iterum saturarentur simili miraculo: ac deinde occasione huius desiderii panis materialis, loquatur Christus de seipso, vt pane spirituali, appetendo, & edendo per fidem, credendo scilicet ipsius Incarnationem, & diuinitatem v. 27. & seqq. tamen quod postea à versu 52. transeat ab illa comestione spiritali per fidem, ad aliam, quà carnem suam ore ipso corporis edendam, & sanguinem bibendum promittit, ostendunt ea omnia quæ notauimus expendendo verba superiùs relata ex eodem cap. Atque vlteriùs primò, modus ille loquendi in futuro, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vel, vt est in textu græco, *caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita* vers. 52. Nam si loquebatur tantùm de seipso, vt edendo per fidem, credendò ipsius diuinitatem, & incarnationem: iampridem hoc dederat. Quare panis, quem promittit se daturum, & quem nondum dederat, aliquid aliud est. 2. Idem ostendit crebra illa, & sæpius repetita eodem cap. distinctio manducandi, & bibendi: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: vers. 54. & sequentibus. Atqui si loquebatur Christus de sola manducatione per fidem extra sacramentum Eucharistiæ, illa distinctio erat inanis, & superflua: nam comestio, & potio per fidem, sunt vnum, & idem, nempe credere in Christum.

3. Idem patet ex eo quòd Iudæi intelligentes Christum verbis modò relatis loqui de alio modo manducationis magis difficili, quàm per fidem, murmurarunt iterum: sed longè aliter, quàm priùs, cùm de fide sola loquebatur. *Quomodo potest*, inquiunt, v. 53. *hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Discipuli quoque, qui nullam passi erant difficultatem, quandiu intellexerant Christum de fide sola loqui; his posterioribus verbis scandalizati sunt dicentes vers. 6. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Christoque nihilominus in eadem sententia perstante, & miraculum huius manducationis miraculo suæ ascensionis in cœlum confirmante, *Multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant* vers. 67. quod signum manifestum est Christum verbis posterioribus de alia manducatione, quàm per fidem, magis mirabili, ac difficili ad credendum, loquutum esse. Quartò, Si Ioannes eo capite non loquitur de Eucharistia, nusquam alibi loquutus est de illa: cùm tamen soleat, aquilæ instar, in summis, ac præcipuis fidei nostræ mysteriis explicandis immorari. Quare potiùs credibile est omnino, ipsum quidem more suo voluisse omittere; quæ ab aliis Euangelistis narrantur de institutione: promissionem verò ab aliis omissam fusissimè prosequutum esse. Incredibile item est Christum Dominum, si de fide tantùm in ipsum habenda loquebatur; rem explicatu facilem verbis tam obscuris voluisse inuoluere, & aliud adeo præ se ferentibus, vt Capharnai- Confirmatur.

tis, & discipulis ipsis, occasionem dederint ab ipso discedendi. Ac denique si de Eucharistia loqui voluisset, quid potuisset clarius dicere, magisue consentaneum iis quæ in Eucharistiæ institutione gesta sunt, vbi effectus huic promissioni planè respondere videtur, vt patebit ex collatione verborum vtrobique à Christo prolatorum. Plura in hanc sententiam videri possunt apud Bellarm. & Vasq. locis supra citatis.

SECTIO VII.

Proponitur tertium argumentum ex Scriptura.

38. Tertia probatio ex verbis institutionis.

TErtium argumentum sumitur ex verbis, quibus Christus hoc sacramentum instituit Matth. 26. vers. 26. & sequentibus. *Cœnantibus autem eis accepit panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum: & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Similia habent Marc. cap. 14. Luc. cap. 22. & Paulus 1. Corinth. 11. Quæ verba si propriè, prout sonant, intelligantur; manifestè confirmant veritatem Catholicam de præsentia corporis, & sanguinis Christi, sub speciebus Eucharisticis. Ideòque contendunt Caluinistæ impropriè, & metonymicè interpretanda esse, ita vt verbum *Est*, ponatur pro, significat; vel particula *Corpus*, & *Sanguis*, sumantur non pro vero, & naturali corpore, sed pro figura corporis & sanguinis, sensusque fit, Hoc est corpus meum, id est, hic panis est figura corporis mei, vt exponit Caluin. 4. Institut. cap. 17. num. 21. Addens panem Eucharistiæ non esse nudam figuram corporis Christi, sed esse figuram, quæ rem ipsam exhibeat, per fidem scilicet, iuxta ea, quæ tradit ibid. num. 5. & Catech. Gallicus Caluinistarum Domin. 52. Ideóque Christum non dixisse, Hic panis est figura corporis, sed corpus ipsum, vt ostenderet esse signum efficax, cum quo res ipsa exhiberetur.

39. Verum prædicta Christi verba in sensu proprio intelligenda esse persuadent efficaciter, quæ sequuntur. Primò, consensus Euangelistarum, & Pauli, locis citatis; qui omnes, cùm institutionem sacramenti referunt, nusquam vtuntur voce, significat, aut nomine figuræ, vel signi Caluinistici: sed vtuntur vbique verbo, *Est*, & vocibus Corporis & Sanguinis: existimantes scilicet proprietatem retinendam esse, neque hic locum relictum fuisse interpretationi, quam in locis difficilioribus mutuò sibi præstare solent Euangelistæ. Secundò, Christus verba citata proferens, loquebatur solis Apostolis, quibus velut totius orbis futuris doctoribus Magister optimus arcana cœlestia palam, & sine ambagibus reuelare solebat: ac si quid turbis, aut Pharisæis obscurius dixisset, & parabolicè, dilucidè exponebat. Et quidem scandalum ortum Ioan. 6. satis eum monebat, vt clarius loqueretur, si quid obscurum erat. Præterea loquebatur tum Christus eo loco, & tempore, quo minimè oportebat loqui obscurè, & metonymicè: nimirum cùm Apostolos tanti sacramenti participes primùm faciebat. Nam vt cum affectu conuenienti illud reciperent, necesse erat, vt planè intelligerent, quid sibi porrigebatur. Clarè ergo illud proponi debuit. Tertiò, Christus verbis relatis Eucharistiam instituens testamentum condebat suum, iuxta illud Luc. 22. & 1. Corinth. 11. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.* Testamenta autem à viris bonis, & prudentibus nonnisi verbis propriis, & perspicuis condi solent: ne vnde lites extingui deberent, inde potiùs pullulent. Sanè testamentum vetus Exod. 24. disertis verbis, & perspicuis, antiquis patribus datum est. Nec decuit vetus testamentum, quod noui vmbra, & figura erat, propriis vocibus, ac perspicuis proponi: Nouum autem figuratis, & obscuris locutionibus tradi. Et in Lege *Non aliter ff. de Legatis 3.* statuitur, vt in significatione verborum alicuius testamenti non liceat recedere à proprietate verborum; nisi vbi manifestum est aliter sensisse testatorem, qui si prudens, & bonus est, debet ab ambiguis, & æquiuocis vocibus abstinere.

4. Sicut antiquum illud testamentum, pactum etiam fuit, seu fœdus, vt patet Exod. 24. v. 8. & ad Hebr. 9. v. 20. Nam quod vocatur à Moyse fœdus, testamentum à Paulo appellatur: Sic verba Christi supradicta, non solum testamenti, sed & pacti vim cõtinent; quibus nimirum Christus nouum fœdus sanguine suo ictum, & pactum æternum inter Deum, & homines sanciebat. Atqui pactorum, fœderum, & contractuum formulæ debent, & solent esse inter bonos propriæ, & perspicuæ, ac nequaquam tales, quæ mille modis, huc, & illuc torqueri, flecti, & reflecti possint: ne non coniunctio, & consociatio inde sumatur, sed contentio interminabilis pro concordia, & pace nascatur. 5. Christus verbis illis statuebat de sacramento omnium præstantissimo, vt fatentur Caluinistæ, cuius præstantiam, necessitatem, & reuerentiam maximè commendauit, tum ipsemet Ioan. 6. tum etiam Apostolus 1. Corinth. 11. Atqui sacramenta, cùm sint Ecclesiæ bases, & fundamenta, minimè debent, si quid aliud, tropicis verbis implicari; ne instabilitatis in fundamento ipso, grauissimique erroris circa eorum fidem, & vsum, præbeatur occasio. Et quidem Circumcisio clarissimè instituitur Genes. 17. & Agnus Paschalis Exod. 20. Et in toto Leuitico, vbi tot sacrificia, & expiationes, & aliæ sacræ cerimoniæ instituuntur, vix reperire est vocem vllam metaphoricam: Matth. quoque vlt. & Marci 40.

vlt. vbi de Baptismi institutione, seu potius vsu, & præcepto agitur, omnia verbis propriis atque perspicuis declarantur. Quis ergo sibi persuadeat, Christum in instituendo, & tradendo primario legis Euangelicæ sacramento, ita obscurè & tropicè loquutū esse, vt inter ipsos legis doctores dubium sit, & controuersum, sitne panis, an corpus suum illud ipsum, quod instituit, & tradidit? Sextò, Christus iisdem verbis tradebat vnum è grauissimis, ac periculosissimis fidei Christianæ dogmatibus: ergo verbis propriis tradidit: dogmata enim fidei, grauia præsertim, & periculosa, omnibusque ad credendum proposita, ineptè non nisi per tropos, & metaphoras traderentur: vnde certissimæ dubitationes, & dissensiones emergerent. Testes ipsimet Sacramentarii, qui ex ea, quam fingunt, paucorum verborum Christi ambiguitate, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, tam multas, & diuersas expositiones, seu potius deprauationes excogitarunt. Ex quibus octuaginta refert Claudius de Saintes Repet. 1. de Euchar. cap. vlt. Ducentas verò libellus editus anno 1577. vt testatur Bellarm. lib. 1. de Euchar. cap. 8. Alius denique postea editus quadringentas, vt testatur Aegid. Coninc ad art. 1. quæst. 75.

41. Denique Christus verbis citatis legem Ecclesiæ, & præceptum perpetuum imposuit de eodem sacramento deinceps celebrādo, vt Paulus 1. Corinth. 11. magis expressit, verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem &c.* Leges autem, & præcepta clarè proponi debent: & prudentis legislatoris, ac sapienter præcipientis est, puro, & sincero sermone mentem suam exponere, vt certò constet obtemperanti, quid imperatum, & exequendum sit: maximè verò, cùm plurimi interesset, vt Apostoli, & successores, intelligerent quid sibi daretur, quoue affectu, & honore excipiendum esset. Aliter enim panis figura corporis, aliter ipsum corpus excipiendum est. Neque potest sine idololatria æqualis honor vtrique exhiberi. Quid ergo causæ fuit, cur Christus minùs propriè & clarè loqueretur, tot rationibus proprietatem, & perspicuitatem sermonis exigentibus? Adde consensum Sanctorum Patrum prædicta verba in sensu proprio interpretantium, quorum plurima testimonia legi possunt apud Bellarm. lib. 2. de Euchar. Perron. in opere de Euchar. Gauter. in tabulis Chronograph. verit. 1. per singula sæcula, & Cocc. tom. 2. lib. 6. art. 1. Ego tribus, aut quatuor illustrioribus contentus ero.

42. Chrysost. Chrysost. homil. 83. in Matth. explicans verba Christi supra relata: *Credamus*, inquit, *Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit.* Et paulò post: *Nam verbis eius defraudari non possumus: sensus vero noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ipse dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate: sed credamus, & oculo intellectus id perspiciamus.*

Cyrill. Cyrillus Hierosolimitanus Catechesi quarta Mystag. paulò post initium: *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, Hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? Atque eodem confirmante, & dicente, Hic est sanguis meus: quis, inquam, dubitet, & dicat non esse eius sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum in Cana Galileæ, sola voluntate: Et non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutarit? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus stupendum miraculum operatus est: an non multò magis corpus, & sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur? Quare cum omni certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis: vt sumpto corpore, & sanguine Christi, concorporeus illi, & consanguineus fias:* Et in fine eiusd. Catech. *Hoc sciens*, inquit, *& pro certissimo habens panem hunc qui apparet, non esse panem, etsi gustus panem esse sentiat: sed esse corpus Christi. Et vinum quod apparet, tametsi gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.* Ambr. lib. de iis, qui myst. init. cap. 9. *Forte dicas*, inquit, *aliud video, & quomodo tu mihi asseris quòd corpus Christi accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, vt probemus &c. Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus non esse id quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses. Proiecit eam, & facta est serpens &c. De totius mundi operibus legisti, quia Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant?* Ambros.

August. lib. 2. contra aduersarium legis & Prophetarum cap. 9. *Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde, atque ore suscipimus. Quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere: & humanum sanguinem potare, quàm fundere.* Quæ August. verba inepta omninò, & falsa essent, si de figura tantùm, vel de comestione tantùm spirituali, & Caluinistica per fidem loqueretur. Quis enim hoc horribilius putet, quàm hominem perimere? Et concione. 1. in Psal. 33. Christum Dauidi comparans, coram Achis Gethæorum rege insaniam simulanti, applicat verba illa Christo, *Ferebatur in manibus suis*: aitque Christum hoc sacramentum instituentem, ipsummet corpus suum manibus propriis tulisse eo pacto, quo neque Dauid, neque quisquam alius hominum ferre potest: verè nimirum, & reipsa, nam sui corporis figuram & imaginem facilè quisque ferat. August. verba hæc sunt, *Ferebatur in manibus suis. Hoc quomodo posset fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum portari potest homo: manibus suis ne-* 43. August. Christus se ipsum portabat in Eucharistia.

buit, ab eo qui sacris imaginibus cultum omnem ademit. Et inde sequitur ipsum, & eius similes iconoclastas reos esse corporis, & sanguinis tum Christi, tum Sanctorum. Deinde, quamuis manna, & agnus Paschalis, & alia legis antiquæ sacramenta, & sacrificia, essent figura corporis, & sanguinis Christi; nusquam tamen, qui ea indignè sumebant, accusantur, & damnátur vt rei corporis Christi, & sanguinis, nec illa vnquam vocátur corpus & sanguis Christi. Aliud ergo est peccatum eorum, quos hîc Apost. huius criminis damnat: nempe illud ipsum, quòd, vt subdit Paulò post, *non diiudi ant corpus Domini*, id est non discernunt, sed ita sumunt, ac si non esset corpus Domini, sine discretione illius à cibis vulgaribus: Et vt loquuntur Patres citati, ipsum corpus, quod Iudæi crucifixerunt, malè tractant, immittentes in os incestum, & impurum, & sordidâ suscipientes animâ.

47. Vnde 2. sequitur, iuxta Pauli doctrinam, corpus Christi & sanguinem non tantùm sumi ore fidei, quod secundum aduersarios nunquam indignè fit: sed etiam ore corporis. Etenim qui indignè sine fide accedunt, recipiunt nihilominus corpus & sanguinem Domini, sed ad iudicium, & condemnationem. Quod præter verba Pauli, & Patrum testimonia iam relata, confirmat D. August. (quo tamen vno præcipuè abuti solent hæretici in contrarium) libro 5. de Baptismo cap. 8. *Sicut inquit Iudas, cui buccellã tradidit Dominus, non malù accipiendo, sed malè accipiendo locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisquam sumens dominicum sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus. Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat.* Et epist. 162. post medium: *Tolerat ipse Dominus Iudam Diabolum, furem, & venditorem suum: sinit accipere intèr innocentes discipulos, quod fideles nouerunt, pretium nostrum.* Certè non panis figura corporis, sed ipsum Christi corpus, & verus eius sanguis pretium nostrum est. Et serm. 11. de Verb. Dom. cap. 11. *Illud etiam quod ait*, Qui manducat carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo, *quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hîc poterimus accipere, de quibus dixit Apostolus, quòd iudicium sibi manducent, & bibant, cum ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant? Numquid & Iudas Magistri venditor, & traditor impius, quamuis primum ipsum manibus eius confectum sacramentum carnis, & sanguinis eius, cum cæteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Euangelista declarat, manducaret, & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt: vel cum manducauerint, & biberint, apostatæ fiunt: numquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducauerit, & biberit; in Christo manet, & Christus in eo.* Nota verba illa, *Cũ ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant.* Nota insuper D. August. hæc dicere, vt ex immediatè præcedentibus, & sequentibus liquet, ad ostendendum, propositionem illam Christi Marc. 3. *Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum*, pati aliquam exceptionem: & intelligendam esse non de quauis blasphemia in Spiritum sanctum, sed de aliqua peculiari; æquè ac ista Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem* &c. debet intelligi de aliqua peculiari manducatione. Exceptio autem cadere debet in res contentas sub eodem subiecto propositionis vniuersaliter sumptæ. Ineptè enim applicaretur aliis, de quibus nulla suspicio esse potest, si de illis in propositione nullo modo sit sermo, ita vt terminis eius vniuersalibus claudi non videatur. Itaque sicut prior exceptio fit à propositione generali de verè blasphemantibus cõtra Spiritum sanctum: ita posterior fieri debet à generali propositione de verè sumentibus corpus & sanguinem Christi.

August.

Christus sumitur in Eucharist. ab indignè recipientibus.

SECTIO IX.

Confirmatur eadem veritas aliis argumentis.

48. PRæcedentibus Scripturæ, & Patrum testimoniis adde primò consensum totius Ecclesiæ pluribus Conciliis œcumenicis expressum, Nic. 1. & Ephes. (quæ sunt duo è primis quatuor generalibus à Caluino receptis 4. Inst. c. 9. n. 8.) Nicen. II. Romano œcumenico sub Nicolao II. Lateran. sub Innoc. III. Constantiensi, Florentino, Trident. vt omittam Turonense Vercel. Senonense & alia prouincialia. Sane Berengarius, qui primus hæresim oppositam vulgauit, mox in quinque conciliis damnatus fuit, quorum duobus ipse interfuit, & hæresim suam ter abiurauit, ac tandem in fide catholica cum magna erroris sui pænitudine vitam finiuit. Eundem etiam consensum testantur Ecclesiæ schismaticæ, Græca, Armena, Chaldaica, & aliæ, quæ licet iamdiu à Romana defecerint, fidem tamen de veritate corporis Christi in Eucharistia, vt Apostolicam constantissimè tuentur.

Consensus Ecclesiæ circa veritatem Eucharistiæ.

49. Adde secundò miracula in eiusdem veritatis confirmationem facta, de quibus vide Cyprianum lib. de Lapsis, Chrysost. lib. 6. de Sacerd. vbi refert visos fuisse sæpius Angelos Christum super altare in Eucharistia adorantes: Optat. Mileuit. lib. 2. contra Donatistas, vbi ait eos laniatos fuisse à propriis canibus, quibus Christi corpus obiecerant. Greg. Magnum lib. 2. Dialog. cap. 24. Bernardum in vita Sancti Malachiæ lib. 2. cap. 7. & alios antiquos, & sanctos, omnique prorsus exceptione maiores. Eorum

Miracula ad illam cõfirmandam.

testimonia plurima refert Cocc. tom. 2. lib. 6. art. 8. Et nunc etiam in Ecclesia Catholica ad præsentiam venerabilis Eucharistiæ horrescunt Dæmones, parentque inuiti, & Christum adorant, ac non rarò pelluntur de obsessis, vel possessis corporibus. Quod à sacramentariis nunquam fieri potuit; neque fieri potest, vt in confirmationem doctrinæ falsæ vera edantur miracula: quia Deus non potest mendacio, & impietati attestari.

50. Creditur à sanctis, impugnatur ab impiis.

Adde tertió hanc veritatem professos esse eos omnes qui vitæ sanctitate, & miraculis in Ecclesia floruerunt: Martialem, Dionysium, Irenæum, Iustinum Martyrem: Cyprianum, Ambrosium, Chrysostomum, Basilium, Hieronymum, Augustinum, & alios: vt patet ex eorum testimoniis supra relatis. Quibus adde posterioribus sæculis Gregor. magnum: Bernardum, Dominicum, Franciscum, Antonium Patauinum, Franciscum Xauerium: de quo vltimo sic scribit Richardus Hacluitus Minister Anglus in volumine secundo de primis nauigationibus par. 2. pag. 8. *Pius ille confessor, & solers Indorum in iis, quæ ad religionem pertinent, institutor, Franciscus Xauerius post multos exantlatos labores, post iniurias, & calamitates magno animo superatas, omnibus benedictionibus spiritualibus plenus, obiit anno 1552. Postquam multa hominum millia ad fidem Christi perduxisset. De hoc viro sancto, virtutibus eius, & mirabilibus, omnes recentes Indorum historiæ testantur.* Atqui Xauerium inter cætera constat Eucharistiam adeò veneratum esse, vt nixis genibus eam administraret. Quod pietatis genus sibi esse gratissimum Deus miraculo confirmauit. Interdum enim visus est sublimis è terra Eucharistiam administrare. Contra verò, qui hanc doctrinam oppugnarunt, homines fuerunt malæ vitæ, superbi, impuri, multisque aliis vitiis, & erroribus dediti. Berengarium enim non modò superbum, & arrogantem extitisse, sed etiam magiæ, ac necromantiæ deditum, testantur eius coæui Lanfranc. Cantuariensis Episcopus in principio libri de Eucharistia: Guitmundus lib. 1. de Verit. corporis & sanguinis Christi fere initio: Guillel. Malmesbur. de Rebus Angl. lib. 3. De Vvicleffo, Caluino, Zuinglio, & aliis, videantur Huntlæus tom. 2 Epitō. controu. 3. cap. 1. & 17. Lindan. in Historia Religionis, Ræmondus de origine hæresum huius temporis, & Bolsec. in vitā Caluini. Quis credat Deum istis potius, quàm illis viris sanctis & vitæ innocentis, suique cultus perstudiosis, veritatem patefecisse? permisisseque viros illos miraculis, & vitæ sanctitate illustres, & omnibus ad imitandum propositos, in tam fœdo errore, & idololatriæ vitio perpetuò hæsisse?

51. Cur negetur ab hæreticis?

Adde quartò, Quòd præcipua ratio cur hæretici ab hac fidei veritate recesserint, sit quia illis videtur impossibile Christum verè, realiter, & substantialiter sub speciebus Eucharisticis contineri. Ideo enim Christi verba è natiuo, & proprio sensu, ad tropicum detorquent: Ideo Patrum testimonia apertissima vel contemnunt, vel conantur eludere. Ideo ab Ecclesiæ catholicæ sensu recedunt, quòd putent impossibile Christum simul esse in pluribus locis, esse sine extensione, & dimensionibus naturalibus: permissum esse Sacerdotum potestati, & indignitatibus multis subiectum, quæ frequenter contingunt in Eucharistia. Sed meminisse debent se rationibus humanis nuntium remisisse art. 5. Confess. suæ Gallicanæ: ac protestatos esse cætera omnia verbo diuino infallibili subiicienda esse. Veruntamen dicunt, & non faciunt, Pharizæorum more. Neque iuxta Paulum 2. Corinth. 10. captiuant intellectum in obsequium Christi, sed potius Christum in obsequium intellectus. Et exclamant interea cum Propheta Psal. 115. *Omnis homo mendax*: Sed interiùs ab illa regula communi se excipiunt. Et qui fidem omnibus aliis superbè derogant art. prædicto, ipsis etiam Conciliis generalibus Ecclesiæ: sibi solis priuatim fidem adhiberi volunt, sibi Spiritum sanctum infallibiliter adesse, atque interiùs loqui. Sed hæreticis omnibus superbus ille, & impudens loquendi modus communis semper fuit, & nunc etiam est Lutheranis, Anabaptistis, Zuinglianis, Antitrinitariis, & cæteris, qui donec inter se conueniant, ac meliora missionis suæ præbeant argumenta, ridendi prorsus, vt leuissimè dicam, & contemnendi sunt.

Vt autem ad propositum redeamus, si Caluinistæ propter difficultates naturales, & rationes humanas, impossibile putant, vel prorsus incredibile, Christum realiter in sacramento esse, contra Scripturæ testimonia satis aperta, & antiquorum fidem, ac totius Ecclesiæ sensum: Quomodo credunt alia nec minus difficilia, nec magis in Scripturis expressa, aut sanctorum Patrum auctoritate & Ecclesiæ sensu, ac traditione confirmata, nec minori apparentia ab antiquis hæreticis in tropicos sensus accepta; cuiusmodi sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, & similia? Nimirum quoniam homines animales difficultates huius mysterii, quippe sensibiles, & palpabiles, vident: aliorum verò, vtpote subtiliores, non vident: in quas, si fortè aliquando inciderint, faciunt, quod in Michaële Serueto, Polonis, Hungaris, aliisque multis, experientia comprobauit, qui de Caluinistis, Antitrinitarii, Ariani, Athei facti sunt. Nam Seruetus Antitrinitariorum restaurator, prodiit ex hara Caluini: & Ariani Poloni Caluinistæ primum fuerūt. Et Hungari similiter sub rege Hunniade à Caluinismo ad Antitrinitarios defecerunt, vt refert Gordon. Huntlæus Contron. 1. cap. 25. Et Caluinum, ac Bezam, Arianismum suboluisse Genebrardus in Psalmos, aliique eruditi obseruarunt. Alius quidam, vt refert Becan. tom. 1. Opuscul. in opusc. de auctore peccati cap. 17. nomine Godefridus à Valle, Lutetiæ publicè combustus

52. Non est neganda propter naturales difficultates.

Hunniades Rex ex Caluinista antitarius.

anno 1572. ex Caluinista Atheus, librum edidit de arte nihil credendi: In quo affirmat, eum, qui volet esse atheus, à Caluinismo incipere debere. Vnicuique autem in sua arte credendum est. Hoc idem Hosius Cardin. qui Concilio Tridentino præfuit, longè ante præuiderat, cùm dixit Caluinismum ad Atheismum viam esse rectissimam. Pergant ergo, si videbitur, viam illam insistere. Nos Christi verbis, Patrum auctoritati, & totius Ecclesiæ sensui, columnæque & firmamento veritatis adhærentes, pronunciemus cum Trident. sess. 13. Can. 1. *Si quis negauerit in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in signo, vel figura, aut virtute, Anathema sit.*

Caluinismus via ad atheismum.

53. Rationibus autem humanis, quas obiiciunt, multæ piæ, & congruæ opponi possent. Vt, quòd conueniens fuerit aliis modis admirabilibus, quibus Christus sese communicauit, hunc addi. *Se nascens dedit socium, conuescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium*, inquit D. Thom. in hymno quodam Ecclesiastico. Quòd decuerit diuinam sapientiam, bonitatem, & omnipotentiam, hanc Epitomen, & memoriam facere mirabilium, & beneficiorum suorum: conueniensque fuerit vt per cibum homo victus, & morti obnoxius, per cibum hunc viuentem, & viuificum ad immortalitatem resurgeret: ac loco illius comminationis, *In quacunque die comederis, morte morieris*; audiret tandem, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Quòd sic oportuerit ad fidem exercendam, spem excitandam, & charitatem inflammandam: ad vnionem fraternam, & vitæ puritatem, ad religionis, humilitatis, patientiæ, liberalitatis, castitatis, & omnium virtutum moralium studium promouendum. *Quod enim bonum eius, aut quod pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zachar. 9. Sed de his, & similibus vide Chrysost. homil. 61. ad populum. Cyprian. serm. de cœna, & alios à Suare citatos disp. 46. sect. 7. vbi rationes modò tactas, aliasque plures, fusè, ac piè prosequitur.

Rationes congruæ veritatis Eucharist.

SECTIO X.

Soluuntur obiectiones Caluinistarum ex Scriptura.

54. Contra doctrinam fidei propositam multa obiiciunt Caluinistæ, & recentissimè Molinæus in Clypeo fidei, par. 2. sect. 25. & sequentibus primæ editionis. Ac primùm opponit, ex Euangelio constare Christum accepisse panem, & benedixisse, fregisse, ac dedisse discipulis suis dicendo, *Hoc est corpus meum.* Ergo id quod Christus dabat discipulis, erat panis simul & corpus Christi. Panis quidem realiter, corpus autem Christi sacramentaliter, id est, significatiuè: alioqui enim falsa erit altera pars istius narrationis Euangelistarum. Respondeo veritatem illius narrationis exigere potiùs oppositum: vt nimirum id, quod Christus dedit, fuerit verè panis, & corpus Christi: non simul, sed successiuè: panis ante consecrationem, & corpus Christi post consecrationem, ac vi illius: iuxta illud Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 5. *Antequam consecretur, panis est: vbi autem Christi verba accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem, Accipite, & edite ex eo omnes. Hoc est corpus meum.* Ambros.

55. Opponit secundò: Christus pronuncians verba illa, *Hoc est corpus meum*, per particulam, *hoc* intelligebat id quod tunc in manibus tenebat. Atqui panem tunc tenebat. Ergo per particulam *hoc*, panem intelligebat: ita vt sensus propositionis fuerit, Hic panis est corpus meum, sacramentaliter scilicet, & in signo, vt idem Christus explicat, cum addit, teste Paulo 1. Corinth. 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Etenim corpus Christi non est in sacramento, nisi eo modo, quo frangitur. Atqui frangitur tantùm in sacramento sacramentaliter, & in signo, quatenus scilicet panis Eucharisticus est signum corporis Christi in cruce.

Respondeo particulam, *hoc*, significare id quod Christus demonstrabat in fine propositionis: quod non erat panis, sed ipsius corpus: Etenim significatio illius particulæ seorsim sumptæ, confusa est, & suspensa, donec addantur alia verba, per quæ determinatur. Vis enim illius particulæ est aliquid demonstrare. Cū autem æquè valeat ad demonstranda innumerabilia: quid hic, & nunc demonstret, pendet ex eo, ad quod determinatur. Determinatio autem illa fit in præsenti propositione, ad corpus Christi. Quare corpus demonstrat, & non panem. Sic cùm dico, Hic est pater meus, hic est seruus meus, hic est equus meus: particula *Hic* demonstrat, & confusè significat vt demonstrabile, id quod determinatur, & exprimitur subiunctis vocibus, Pater meus, seruus meus, equus meus. Simili modo Christus in Cana Galilææ aquam in vinum vertens, poterat amphoram aquæ plenam manibus tenens dicere, Hoc est vinum, & eodem instanti, quo hæc verba absoluebat, aquam in vinum vertere. Quæ propositio verissima fuisset: cùm & significatio nominis demonstratiui, *Hoc*, & veritas totius propositionis, sit metienda ex instanti, quo absoluitur, pro quo instanti supponit, & ad illud refertur tota.

56. Sensus ergo propositionis Christi non est ille à Molinæo datus, Panis est corpus meum: sed, Hoc, quod scilicet vobis demonstro, & edendum præbeo, est corpus meum. Illud autem ab Apostolo additum, *Quod pro vobis frangitur*, intelligendum est de Christi passione, quæ significatur per verbum de præ-

testimonia plurima refert Cocc. tom. 2. lib. 6. art. 8. Et nunc etiam in Ecclesia Catholica ad præsentiam venerabilis Eucharistiæ horrescunt Dæmones, parentque inuiti, & Christum adorant, ac non rarò pelluntur de obsessis, vel possessis corporibus. Quod à sacramentariis nunquam fieri potuit; neque fieri potest, vt in confirmationem doctrinæ falsæ vera edantur miracula: quia Deus non potest mendacio, & impietati attestari.

50. Creditur à sanctis, impugnatur ab impiis. Adde tertiò hanc veritatem professos esse eos omnes qui vitæ sanctitate, & miraculis in Ecclesia floruerunt: Martialem, Dionysium, Irenæum, Iustinum Martyrem: Cyprianum, Ambrosium, Chrysostomum, Basilium, Hieronymum, Augustinum, & alios: vt patet ex eorum testimoniis supra relatis. Quibus adde posterioribus sæculis Gregor. magnum: Bernardum, Dominicum, Franciscum, Antonium Patauinum, Franciscum Xauerium: de quo vltimo sic scribit Richardus Hacluitus Minister Anglus in volumine secundo de primis nauigationibus par. 2. pag. 8. *Pius ille confessor, & solers Indorum in iis, quæ ad religionem pertinent, institutor, Franciscus Xauerius post multos exantlatos labores, post iniurias, & calamitates magno animo superatas, omnibus benedictionibus spiritualibus plenus, obiit anno 1552. Postquam multa hominum millia ad fidem Christi perduxisset. De hoc viro sancto, virtutibus eius, & mirabilibus, omnes recentes Indorum historiæ testantur.* Atqui Xauerium inter cætera constat Eucharistiam adeò veneratum esse, vt nixis genibus eam administraret. Quod pietatis genus sibi esse gratissimum Deus miraculo confirmauit. Interdum enim visus est sublimis è terra Eucharistiam administrare. Contra verò, qui hanc doctrinam oppugnarunt, homines fuerunt malæ vitæ, superbi, impuri, multisque aliis vitiis, & erroribus dediti. Berengarium enim non modò superbum, & arrogantem extitisse, sed etiam magiæ, ac necromantiæ deditum, testantur eius coæui Lanfranc. Cantuariensis Episcopus in principio libri de Eucharistia: Guitmundus lib. 1. de Verit. corporis & sãguinis Christi fere initio: Guillel. Malmesbur. de Rebus Angl. lib. 3. De Vvicleffo, Caluino, Zuinglio, & aliis, videantur Huntlæus tom. 2 Epitó. controu. 3. cap. 1. & 17. Lindan. in Historia Religionis, Ræmondus de origine hæresum huius temporis, & Bolsec. in vita Caluini. Quis credat Deum istis potiùs, quàm illis viris sanctis & vitæ innocentis, suique cultus perstudiosis, veritatem patefecisse: permisisseque viros illos miraculis, & vitæ sanctitate illustres, & omnibus ad imitandum propositos, in tam fœdo errore, & idololatriæ vitio perpetuò hæsisse?

51. Cur negetur ab hæreticis? Adde quartò, Quòd præcipua ratio cur hæretici ab hac fidei veritate recesserint, sit quia illis videtur impossibile Christum verè, realiter, & substantialiter sub speciebus Eucharisticis contineri. Ideo enim Christi verba è natiuo, & proprio sensu, ad tropicum detorquent: Ideo Patrum testimonia apertissima vel contemnunt, vel conantur eludere. Ideo ab Ecclesiæ catholicæ sensu recedunt, quòd putent impossibile Christum simul esse in pluribus locis, esse sine extensione, & dimensionibus naturalibus: permissum esse Sacerdotum potestati, & indignitatibus multis subiectum, quæ frequenter contingunt in Eucharistia. Sed meminisse debent se rationibus humanis nuntium remisisse art. 5. Confess. suæ Gallicanæ: ac protestatos esse cætera omnia verbo diuino infallibili subiicienda esse. Veruntamen dicunt, & non faciunt, Pharizæorum more. Neque iuxta Paulum 2. Corinth. 10. captiuant intellectum in obsequium Christi, sed potius Christum in obsequium intellectus. Et exclamant interea cum Propheta Psal. 115. *Omnis homo mendax*: Sed interiùs ab illa regula communi se excipiunt. Et qui fidem omnibus aliis superbè derogant art. prædicto, ipsis etiam Conciliis generalibus Ecclesiæ: sibi solis priuatim fidem adhiberi volunt, sibi Spiritum sanctum infallibiliter adesse, atque interiùs loqui. Sed hæreticis omnibus superbus ille, & impudens loquendi modus communis semper fuit, & nunc etiam est Lutheranis, Anabaptistis, Zuinglianis, Antitrinitariis, & cæteris, qui donec inter se conueniant, ac meliora missionis suæ præbeant argumenta, ridendi prorsus, vt leuissimè dicam, & contemnendi sunt.

52. Non est neganda propter naturales difficultates. Vt autem ad propositum redeamus, si Caluinistæ propter difficultates naturales, & rationes humanas, impossibile putant, vel prorsus incredibile, Christum realiter in sacramento esse, contra Scripturæ testimonia satis aperta, & antiquorum fidem, ac totius Ecclesiæ sensum: Quomodo credunt alia nec minus difficilia, nec magis in Scripturis expressa, aut sanctorum Patrum auctoritate & Ecclesiæ sensu, ac traditione confirmata, nec minori apparentia ab antiquis hæreticis in tropicos sensus accepta; cuiusmodi sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, & similia? Nimirum quoniam homines animales difficultates huius mysterii, quippe sensibiles, & palpabiles, vident: aliorum verò, vtpote subtiliores, non vident: in quas, si fortè aliquando inciderint, faciunt, quod in Michaële Serueto, Polonis, Hungaris, aliisque multis, experientia comprobauit, qui de Caluinistis, Antitrinitarii, Ariani, Athei facti sunt. Nam Seruetus Antitrinitariorum restaurator, prodiit ex hara Caluini: & Ariani Poloni Caluinistæ primum fuerũt. Et Hungari similiter sub rege Hunniade à Caluinismo ad Antitrinitarios defecerunt, vt refert Gordon. Huntlæus Controu. 1. cap. 29. Et Caluinum, ac Bezam, Arianismum suboluisse Genebrardus in Psalmos, aliique eruditi obseruarunt. Alius quidam, vt refert Becan. tom. 1. Opuscul. in opusc. de auctore peccati cap. 17. nomine Godefridus à Valle, Lutetiæ publicè combustus

Hunniades Rex ex Caluinista antitrinitarius.

anno 1572. ex Caluinista Atheus, librum edidit de arte nihil credendi: In quo affirmat, eum, qui volet esse atheus, à Caluinismo incipere debere. Vnicuique autem in sua arte credendum est. Hoc idem Hosius Cardin. qui Concilio Tridentino præfuit, longè ante præuiderat, cùm dixit Caluinismum ad Atheismum viam esse rectissimam. Pergant ergo, si videbitur, viam illam insistere. Nos Christi verbis, Patrum auctoritati, & totius Ecclesiæ sensui, columnæque & firmamento veritatis adhærentes, pronunciemus cum Trident. sess. 13. Can. 1. *Si quis negauerit in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in signo, vel figura, aut virtute, Anathema sit.*

Caluinismus via ad atheismum.

53. Rationes cō gruæ veritatis Eucharist.

Rationibus autem humanis, quas obiiciunt, multæ piæ, & congruæ opponi possent. Vt, quòd conueniens fuerit aliis modis admirabilibus, quibus Christus sese communicauit, hunc addi. *Se nascens dedit socium, conuiscens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium*, inquit D. Thom. in hymno quodam Ecclesiastico. Quòd decuerit diuinam sapientiam, bonitatem, & omnipotentiam, hanc Epitomen, & memoriam facere mirabilium, & beneficiorum suorum: conueniensque fuerit vt per cibum homo victus, & morti obnoxius, per cibum hunc viuentem, & viuificum ad immortalitatem resurgeret: ac loco illius comminationis, *In quacunque die comederis, morte morieris*; audiret tandem, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Quòd sic oportuerit ad fidem exercendam, spem excitandam, & charitatem inflammandam: ad vnionem fraternam, & vitæ puritatem, ad religionis, humilitatis, patientiæ, liberalitatis, castitatis, & omnium virtutum moralium studium promouendum. *Quod enim bonum eius, aut quod pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zachar. 9. Sed de his, & similibus vide Chrysost. homil. 61. ad populum. Cyprian. serm. de cœna, & alios à Suare citatos disp. 46. sect. 7. vbi rationes modò tactas, aliasque plures, fusè, ac piè prosequitur.

SECTIO X.

Soluuntur obiectiones Caluinistarum ex Scriptura.

54. Contra doctrinam fidei propositam multa obiiciunt Caluinistæ, & recentissimè Molinæus in Clypeo fidei, par. 2. sect. 25. & sequentibus primæ editionis. Ac primùm opponit, ex Euangelio constare Christum accepisse panem, & benedixisse, fregisse, ac dedisse discipulis suis dicendo, *Hoc est corpus meum.* Ergo id quod Christus dabat discipulis, erat panis simul & corpus Christi. Panis quidem realiter, corpus autem Christi sacramentaliter, id est, significatiuè: alioqui enim falsa erit altera pars istius narrationis Euangelistarum. Respondeo veritatem illius narrationis exigere potiùs oppositum: vt nimirum id, quod Christus dedit, fuerit verè panis, & corpus Christi: non simul, sed successiuè: panis ante consecrationem, & corpus Christi post consecrationem, ac vi illius: iuxta illud Ambros. lib. 4. de sacram, cap. 5. *Antequam consecretur, panis est: vbi autem Christi verba accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem, Accipite, & edite ex eo omnes. Hoc est corpus meum.*

Ambros.

Opponit secundò: Christus pronuncians verba illa, *Hoc est corpus meum*, per particulam, *hoc* intelligebat id quod tunc in manibus tenebat. Atqui panem tunc tenebat. Ergo per particulam *hoc*, panem intelligebat: ita vt sensus propositionis fuerit, Hic panis est corpus meum, sacramentaliter scilicet, & in signo, vt idem Christus explicat, cum addit, teste Paulo 1. Corinth. 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Etenim corpus Christi non est in sacramento, nisi eo modo, quo frangitur. Atqui frangitur tantùm in sacramento sacramentaliter, & in signo, quatenus scilicet panis Eucharisticus est signum corporis Christi in cruce. 55.

Respondeo particulam, *hoc*, significare id quod Christus demonstrabat in fine propositionis: quod non erat panis, sed ipsius corpus: Etenim significatio illius particulæ seorsim sumptæ, confusa est, & suspensa, donec addantur alia verba, per quæ determinatur. Vis enim illius particulæ est aliquid demonstrare. Cū autem æquè valeat ad demonstranda innumerabilia: quid hic, & nunc demonstret, pendet ex eo, ad quod determinatur. Determinatio autem illa fit in præsenti propositione, ad corpus Christi. Quare corpus demonstrat, & non panem. Sic cùm dico, Hic est pater meus, hic est seruus meus, hic est equus meus: particula *Hi* demonstrat, & confusè significat vt demonstrabile, id quod determinatur, & exprimitur subiunctis vocibus, Pater meus, seruus meus, equus meus. Simili modo Christus in Cana Galilææ aquam in vinum vertens, poterat amphoram aquæ plenam manibus tenens dicere, Hoc est vinum, & eodem instanti, quo hæc verba absoluebat, aquam in vinum vertere. Quæ propositio verissima fuisset: cùm & significatio nominis demonstratiui, *Hoc*, & veritas totius propositionis, sit metienda ex instanti, quo absoluitur, pro quo instanti supponit, & ad illud refertur tota.

56. Sensus ergo propositionis Christi non est ille à Molinæo datus, Panis est corpus meum: sed, Hoc, quod scilicet vobis demonstro, & edendum præbeo, est corpus meum. Illud autem ab Apostolo additum, *Quod pro vobis frangitur*, intelligendum est de Christi passione, quæ significatur per verbum de præ-

senti, tanquam proximè futura, & moraliter præsens: vt Beza ipse in eundem locum exponit 1. Corinth. 11. v. 24. Quod Vulgata intelligens, vertit præsens κλώμενον, per futurum, *tradetur*. Et ita falsum est assumptum Molinæi; Christi scilicet corpus non esse in sacramento, nisi eo modo, quo in eo frangitur: cùm sermo sit de fractione non quæ fiat in sacramento, sed in cruce & passione, in qua licet ossibus parcitum est, caro tamen Christi concissa, fracta, dilacerata fuit. Sed quamuis demus verbum, *frangitur*, referri ad fractionem, quæ in sacramento fiat: nego Christi corpus frangi tantùm sacramentaliter in sensu Caluinistico, id est, significatiuè, quatenus significatur mors, & passio Christi. Frangitur enim aliter, non secundum se quidem, & ratione sui, ita vt pars à parte diuellatur; sed ratione specierum; quibus fractis, earumque particulis, corpus Christi intimè subest, loco substantiæ panis: & quæ quando franguntur, dicitur corpus ipsum frangi denominatiuè à speciebus fractis. Sicut substantia dicitur videri denominatiuè, quando videntur accidentia, quibus subiacet.

Corpus X. quo sensu dicitur frãgi in Euch.

57. Tertiò opponit, à Christo addi verbis relatis 1. Corinth. 11. v. 25. *Hoc facite in meã commemorationem*: ex quo sic argumentatur: Id quod Christus dabat, erat commemoratio Christi: ergo non erat Christus ipse: eadem enim res non est commemoratio sui ipsius. Respondeo, Apostolum versu sequenti clarè docere cuiusnam rei sit Eucharistia cõmemoratio, quando subiicit: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Itaque iuxta Paulum, Eucharistia est commemoratio mortis Christi, seu potiùs celebratur, & sumitur in memoriam mortis Christi. Hoc autem non repugnat præsentiæ Christi sub sacramento. Nam Christus præsens inuisibiliter sub sacramento, potest optimè sumi in memoriam passionis ipsius. Neque repugnat rem eandem excitare memoriam sui ipsius sub diuerso statu. Quod ipsum docet Caluinus in eundem Pauli locum.

Quæ commemoratio X fiat in Eucharist.

Quartò opponit, Christum sacramentum hoc instituẽtem loquutum esse hebraicè, siue syriacè: in lingua autẽ hebraica nusquam reperitur, verbum *significat*: Sed vetus testamentum hebræum loco verbi *significat*, semper vtitur verbo *est*, vt probat ex Genes. 40. v. 12. & 18. & cap. 41. v. 26. Vbi, inquit, verbũ *sunt*, ponitur quater pro significant, aut repræsentant. Et Ezech. 37. v. 11. & Dan. secundo, versu trigesimo octauo: & capite quarto, versu vigesimo, & vigesimo secundo; & capite septimo, versu decimo septimo, & vigesimo quarto: & capite octauo, versu vigesimo & vigesimo primo. Vnde infert sensum huius propositionis. *Hoc est corpus meum*, hunc esse, *Hoc significat corpus meum*; neque aliter Christum id exprimere potuisse.

58. Sed hoc argumentum ignorantiæ plenum est. Primò enim, falsum est in lingua hebraica nusquam reperiri *Significat*, vel *est signum*. Reperitur enim Gen. 9. v. 12. & 13. & cap. 17. v. 11. & alibi. Quare Christus dicere poterat linguâ hebraicâ, si voluisset, panem esse signum corporis sui: sicut Gen. 9. dixit Deus arcum cœlestem esse signum fœderis sui cum Noë, & vniuerso genere humano, & cap. 17. Circumcisionem esse signum fœderis sui cum Abrahamo, & posteris. Secundò falsum est verbum, *Sunt*, poni pro *significant* in locis ab aduersario citatis: cùm nullibi ponatur verbum *Sunt*, nisi in duobus, scilicet Gen. 41. v. 27. & Dan. 7. v. 17. ibique non ponatur pro *Significat*, sed pro *Est*, vt patebit consulentibus textum hebraicum. Tertiò, licet verbum hebraicum defuisset Christo, quo sensum suum clarè exprimeret: At non deerat Euangelistis, & Apostolo Paulo græcè scribentibus: qui neque illum ignorarunt, neque tacere debuerunt ad arcendum ab Ecclesia idololatriæ periculum: Nam quod addit Minister, Christum illud periculum remouisse verbis istis, *Hoc facite in meam commemorationem*: friuolum est, vt supra ostendimus. Quartò denique, licet in lingua hebraica, græca, latina, gallica, & quauis alia, verbum *Est*, sumi soleat pro *Significat*, quando sermo est de interpretatione somniorum, figurarum, vel allegoriarum, quarum esse est aliud repræsentare (quibus de rebus sermo est in Scripturæ locis à Ministro mala fide citatis) secus tamen quando est sermo de rebus aliis: præsertim in testamentis, legibus, contractibus, & fœderibus, vbi verborum proprietas, & perspicuitas necessaria est.

Desitne verbum *significat*, in lingua Syriaca?

Opponit quintò verbum *Est*, aliquando in Scriptura sumi pro *significat*: aut quod eòdem redit, prædicatum, vel subiectum propositionis sumi impropriè pro signo rei: vt cùm dicitur, *Est enim phase*: *Ioannes est Elias*: *Ego sum vitis vera*: *Ego sum ostium*: *Petra erat Christus*, &c. 59.

Sumaturne *Est*, pro significat?

Respondeo primò, In plerisque propositionum prædictarum esse aliquod additum prædicati, vel subiecti, ex quo allegoricus sensus manifestè detegitur. Vt v. g. in vltima propositione, immediatè antea dixerat Paulus. *Bibebant autem de spiritali consequẽte eos Petra*. & subiunxit, *Petra autem erat Christus*. Sermo igitur erat de Petra spirituali. Sic quando Christus ait se esse viam, vel vitem, vel ostium, determinat ibidem de qua via, vel vite, vel ostio loquatur, nimirum spiritualibus, vt ex antecedentibus, vel consequentibus apertum est. Hic autem planè oppositum videmus. Nam quæ Christus adiunxit prædicato corporis, & sanguinis, dicendo, *Quod pro vobis traditur*, aut *tradetur*, *Qui pro vobis effunditur*, aut *effundetur*, repugnant allegoriæ quâ corpus pro corpore mystico, quod est Ecclesia, vel pro figura sumeretur. Neque enim corpus Ecclesiæ

clesiæ, vel figura corporis, & sanguinis Christi, pro nobis in cruce tradita, & effusa fuerunt: sed verum corpus, & verus sanguis Christi.

60. Respondeo secundò, Magnum esse discrimen inter propositiones allatas in obiectione, & eas, de quibus nunc disputamus. Nam in illis enunciatur disparatum de disparato, quæ non possunt esse vnum & idem, vt propositio videtur affirmare: & quorum vnum esse aliud verè, ac propriè, est euidenter impossibile. Euidenter enim impossibile est Christum esse verè, ac propriè vitem, aut ostium, aut petram: id est, verum hominem esse lignum, aut lapidem: Quare necessarium est in huiusmodi propositionibus impropriè sumi prædicatum, aut subiectum, cùm vnum de altero affirmatiuè enunciatur. At in istis propositionibus, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, non enunciatur disparatum de disparato, & incompossibili: sed enunciantur corpus & sanguis Christi de seipsis confusè conceptis, & significatis per pronomina demonstratiua *Hoc*, & *Hic*, adiectiuè sumpta; & optimè cohærentia cum prædicatis *corpus*, & *sanguis*, ad quæ confusè significanda, & demonstranda, non minùs apta sunt, quàm ad quæuis alia, quibus applicari possunt: vt cùm dicimus, Hoc est pallium meum: Hic est ager meus, filius meus, seruus meus, & similia. Non significatur, inquam, per has propositiones quòd panis sit corpus Christi, & vinum sit sanguis: quódque panis & corpus Christi sint vnum, & idem: sed quòd id, quod demonstratur sub speciebus panis, sit corpus Christi: & id, quod demonstratur sub speciebus vini, sit sanguis Christi.

61. Respondeo tertiò, Consequentiam ineptam esse, ac simili modo probatum iri quamcunque aliam Scripturæ propositionem metaphoricam esse. Sic quidem Ariani, Nestoriani, Manichæi, contendebant has propositiones, *Ego & Pater vnum sumus*: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Et hi tres vnum sunt*: *Tu es Christus filius Dei viui*: *Verbum caro factum est*: metaphoricas esse; & similes aliis, in quibus dicuntur homines iusti esse vnum cum Deo, & iudices vocantur dii, & membra humana tribuuntur Deo. Quibus nihil respondebunt Caluinistæ, quod in ipsos retorqueri non possit. Quid enim dicent Arianis, & Antitrinitariis objicientibus propositiones has, *Ego & Pater vnum sumus*, &, *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, & hi tres vnum sunt*, intelligendas esse de morali tantùm vnitate: sicut istas, *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*, Ioannis decimo septimo, versiculo vigesimo secundo. Et, *Vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus*, 1. Corinth. 10. Certè mysteria Trinitatis, & Incarnationis, neque in Scriptura toties sunt expressa, neque verbis magis significantibus & propriis. Quorum si proprietas retinenda est, cur non etiam istorum, *Hoc est corpus meum*? Si antiquæ Ecclesiæ sensus sequendus, cur non etiam hic illi adhæretur? Si Conciliorum œcumenicorum auctoritas priuatorum quorundam temeritati anteponenda, cur non etiam hic anteponitur? Si alia loca Scripturæ metaphorica natiuæ illorum significationi non derogant, cur hic volunt derogari, tot rationibus proprietatem sermonis exigentibus? Si difficultates naturales inexplicabiles deuorandæ, & captiuandus intellectus in obsequium fidei; cur non hic idem obsequium exhibetur? Sed Caluinistæ, qui profitentur se nihil credere, nisi vel in Scriptura expressum, vel consequentiâ necessariâ ex Scriptura illatum, vbi in Scriptura expressum habent verbum, *Est*, loco illo positum esse pro *significat*? Ex quo Scripturæ loco per consequentiam necessariam illud inferunt? Nam si aliam non habent, præter hanc, *Est*, alicubi sumitur pro *significat*: ergo etiam hic: inepti sunt, & vix Spiritum sanctum habent, cùm tam malè argumentantur, vt ostendant Christum æquiuocè loquutum esse contra omnium gentium morem, secundum quem in fœderibus, contractibus, testamentis, & præceptis, à proprietate verborum discedi non potest ad ambiguitates, & æquiuocationes, sine malitia, vel imprudentia.

Instat, Quia verba Christi sunt sacramentalia: Christus enim sacramentum tunc instituebat. Sacramentum autem est in genere signi: ergo non nisi de signo loquebatur, signoque tribuebat nomen rei significatæ. Respondeo, consequentiam ineptam esse. Nam ex Christi locutione sacramentali oppositum potiùs inferendum est. Locutio enim sacramentalis est non modò significatiua; sed etiam practica, & effectiua eius, quod significat: vnde sequitur, verba Christi, quibus sacramentaliter asseruit hoc esse corpus suum, id verè effecisse. Sicut verba baptismi, *Ego te baptizo*, verè efficiunt id quod significant. Nec refert quòd locutio indicatiua, sit. Nam & vox, quâ Deus mundum creauit, est hebraicè indicatiua, & nihilominus effectiua. Et in baptismo quoque indicatiua est, verè tamen mundatur à peccato, qui exterius abluitur. In ciuilibus etiam indicatiua formula non minùs potest vsurpari ad aliquid efficiendum, aut constituendum; quàm imperatiua. Aequè enim gubernator ac iudex erit is, cui princeps, eum constituendo, dixerit; Tu es gubernator, vel iudex: quàm si dixerit; Esto gubernator, vel, Esto iudex. 62.

Verba sacramentalia efficiunt id quod significant.

Opponit denique sextò, verba illa Lucæ vigesimo secundo, & primæ Corinthiorum vndecimo. *Hic calix nouum* 63.

testamentum est in meo sanguine: quibus ait explicari, id, quod Christus Matth. 26. dixerat, *Hic est sanguis meus noui testamenti* &c. Et ex illis sic argumentatur: Calix siue id quod in calice continetur, non est testamentum, nisi sacramentaliter, & significatiuè: ergo similiter id quod antea Christus edendum dederat discipulis, non erat eius corpus, nisi sacramentaliter & significatiuè. Eodem enim modo verbum, *est*, vtrobique explicari debet, nimirum pro *significat*. Item id quod est in calice, non est sanguis Christi realiter: alioqui sanguis Christi esset in sanguine Christi: cùm dicatur, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*. Ergo similiter id quod antea dedit non erat corpus Christi realiter. Tertiò, id quod datur in calice, funditur: additur enim à Luca, & à Paulo, *Qui pro vobis funditur*. At sanguis Christi non funditur, cùm venis inclusus maneat: superest ergo vt dicatur fundi sacramentaliter, & significatiuè, quatenus vinum, quod effunditur, est signum effusionis sanguinis factæ in cruce.

Sanguis Christi in Euchar. quomodo est sanguis noui testamenti, & testamentum?

Respondeo ad primum argumentum. Id quod in calice continetur, esse testamentum realiter, quatenus testamenti vox, secundum communem, & vsitatum loquendi modum, significat instrumentum authenticum quo declaratur voluntas testatoris: cuiusmodi est sanguis contentus in calice, respectu voluntatis Christi. Notandum enim vocem testamenti sumi dupliciter secundum communem, & vsitatum loquendi modum. Primò, pro voluntate, testatoris. Secundò, pro instrumento authentico, quo declaratur voluntas testatoris. Priori modo sumitur testamentum à Matth. cùm ait, *Hic est sanguis meus noui testamenti*. Posteriori à Luca & Paulo dicentibus. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, id est, Hic calix est instrumentum authenticum meæ voluntatis, in meo sanguine consistens.

64. Ad secundum, Nego propterea sanguinem Christi esse in sanguine Christi: sed sensus illius propositionis est, Hic calix, id est, id quod in hoc calice continetur, est nouum testamentum, id est, authenticum instrumentum meæ voluntatis, in sanguine meo, supple, consistens, vel constitutum, quatenus Christus constituit & decreuit sanguinem suum in sacramento datum, esse authenticum instrumentum suæ voluntatis.

Ad tertium Dico illud, *Funditur*, explicandum esse eodem modo, quo supra, *Frangitur*, Ita nimirum, vt sermo sit de effusione facta in cruce, significata per præsens, quia proximè futura: vel si ad præsentem effusionem in sacramento factam referatur; dicatur sanguis fundi ratione effusionis specierum, quibus subest, & quarum effusionem sequitur.

65. Cur Eucharistia vocetur panis & vinum? Opponit septimò, Eucharistiam post consecrationem vocari genimen vitis Matth. 26. vers. 29. & panem 1. Corinth. 11. vers. 26. & capit. 10. vers. 16. aliisque locis. Respondeo, nunquam Eucharistiam panem, & vinum dici, sine aliquo addito, ex quo intelligamus, non de pane communi sermonem esse, sed de corpore Christi: iuxta illud Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Et sicut Christus Samaritanæ dicens, *Qui biberit ex aqua hac, quam ego dabo ei*, &c. significabat se loqui, non de communi aqua, sed de gratia: sic cùm dicitur de Eucharistia, *Itaque quicunque manducauerit panem hunc*, &c. *Panis quem frangimus*, &c. significatur non de communi pane sermonem esse, sed de corpore Christi per conuersionem panis in ipsum facto, iuxta ea, quæ paulò antè, vel immediatè post, iisdem locis adduntur.

Respondeo secundò, Eucharistiam panem, & vinum, vel genimen vitis vocari posse, quia retinet panis, & vini accidentia, & quia ex pane, & vino facta est. Solet enim Scriptura res appellare nomine rerum, quarum similitudinem induunt, vt agnoscit Caluinus ipse in cap. Gen. 18. vers. 16. ad verba illa; *Et surrexerunt viri illi*: vbi sic ait: *Viros iterum appellat Moyses, quos aperte testatus est fuisse Angelos: sed nomen illis à forma, quam induerant, imponit*. At Eucharistia post consecrationem retinet panis, & vini similitudinem, totamque speciem externam: Solet etiam Scriptura terminum conuersionis vocare nomine rei, ex qua conuersio facta est. Sic Genes. 2. Eua vocatur os, quia de osse, seu costa Adæ facta. Et Exod. 7. vers. 12. Serpens, in quem virga Mosis conuersa fuerat, vocatur virga. Et Ioan. 2. vers. 9. aqua in vinum versa, vocatur aqua post conuersionem. Et homo passim puluis, & terra dicitur; quia de terra, & puluere formatus.

Opponit octauò, illud 1. Corinth. 10. versu decimo sexto. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?* Vbi ait manifestum esse, Paulum per panem intelligere panem verum, non autem corpus Christi: tum quia panis, de quo loquitur, frangitur: at corpus Christi non frangitur. Tum quia dicit panem illum esse communicationem corporis Christi: at corpus Christi non est communicatio corporis Christi. 66.

Respondeo, Apostolum per panem illum, intelligere Eucharistiam constantem Christi corpore, & speciebus; quæ frangitur secundum species, & corpus dicitur frangi ratione specierum, modo superiùs explicato numero quinquagesimo sexto. Est autem Eucharistia communicatio corporis Christi passiuè, & intransitiuè: quia quando nobis datur, corpus Christi verè nobis communicatur: ac sicut verè loquitur filius, quando ostendens bona sibi à patre relicta, dicit hanc esse participationem, quam habet bonorum paternorũ: quæ participatio, passiua scilicet, est ipsamet bona sibi

Quo sensu Eucharistia est cõmunicatio corporis Christi?

à patre relicta: sic verum est dicere participationem, seu communicationem passiuam corporis Christi esse ipsummet corpus Christi nobis communicatum.

67. Quo sensu verba Christi sunt spiritus & vita?

Denique omissis aliis leuioribus, inculcant sæpius Caluinistæ illud Ioan. 6. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam.* Sed ad hoc supra responsum fuit, vbi diximus post Augustinum, & Cyrillum in locum illum Ioannis, Christum respondentem Capharnaitis murmurantibus, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* & existimantibus datum iri modo carnali, & mortuo, vt carnes bubulæ dari, & edi solent; significasse verbis illis modum illum carnalem, & mortuum nihil prodesse, neque modo illo dandam esse, sed spiritali & vitali: suaque verba spiritali, & vitali illo modo esse intelligenda. Absurdum verò esset existimare carnem Christi diuinitati vnitam hypostaticè, nihil prodesse simpliciter. Alioqui cur à Verbo assumpta & passioni exposita? Cur Apostolus diceret Coloss. 1. nos esse Deo reconciliatos per carnem Christi? Cur aduersarii dicunt illam ipsam per fidem à se sumi? Et si ipsa non prodest quicquam; quid prodest panis frustulum, quod eius loco in cœna exhibent? Ineptum ergo est existimare Christum simpliciter asseruisse carnem suam nihil prodesse: sed tantùm affirmauit non prodesse esam illo modo carnali, quem Capharnaitæ, carnales homines, & diuinum mysterium sensu carnali metientes, imaginabantur: seu potius modum illum carnalem, & barbarum, atque inhumanum edendi carnem suam, non prodesse: seque de illo minimè loqui, sed de alio, quo caro viua, & diuinitati coniuncta, spiritali quodam modo, & inuisibili, atque ab omni specie inhumanitatis remoto ederetur. Vide inferiùs numero septuagesimo octauo illustrem locum Augustini ad hanc expositionem confirmandam.

SECTIO XI.

Soluuntur obiectiones Caluinistarum ex Patribus.

68. Explicantur duo loca Tertulliani.

Opponit idem Molinæus primò Tertullianum lib. 3. contra Marcion. cap. 19. vbi sic ait: *Panem, suum corpus appellans, vt & hinc iam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse.* & lib. 4. contra eundem Marcion. cap. 40. *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum fecit dicendo, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei.*

Respondeo, Tertullianum priori loco dicere, vt patet ex contextu, & clarè ostendit Cardinal. Perron. lib. 2. de Eucharist. Auctor. 6. Christum iam olim per Hieremiam dedisse pani corporis sui figuram, verbis nimirum illis, Hierem. 11. *Mittamus lignum in panem eius*, id est, crucem in corpus eius. Posteriori, per metathesim ait Christum è pane, veteri corporis sui figura, (vt probat ex verbis Hieremiæ relatis) corpus suum fecisse dicendo, Hoc, quod apud Hieremiam fuit figura corporis mei, corpus meum iam est, transitiuè scilicet, id est, transit, & conuertitur in corpus meum: Qui sensus ex antecedentibus facilè intelligitur, habita ratione scopi Tertulliani, qui illis locis, & libris, non aliud intendit, quàm Christum non venisse improuisò, sed longè antea fuisse prophetatum, & impleuisse quæ fuerant à Prophetis de ipso prædicta: vt longa inductione ibidem ostendit. Habita item ratione styli Tertulliani insolentis, & prærupti, qui libro contra Praxeam cap. 19. initio, simili metathesi vtitur, cùm Paulum citans 1. Corinth. 15. sic ait: *Dicendo namque Christus mortuus est, id est, vnctus*: pro, Christus, id est, vnctus, mortuus est. Hac autem metathesi vsus vtrobique videtur, ne interiecto suo, *id est*, Scripturæ verba interrumperet. Vide Perron. supra, & Iaubertum de Barrault tom. 3. Clypei cap. 32. §. 1. & 2. qui fusiùs loca citata exponunt, & verum sensum Tertulliani hunc esse perspicuè ostendunt.

Opponunt secundò illud Cypriani lib. 2. epist. 3. *Vinum fuit, quod sanguinem suum dixit*: Respondeo vinum fuisse ante consecrationem, quod sanguinem suum dixit, & fecit esse per consecrationem. Idemque Respondeo ad locum, quem obiicit paulò post ex Chrysost. Homil. 83. in Matth. *Quando Christus dedit mysteria, vinum dedit*, id est, vino, non aqua vsus est ad consecrationem. Disputant enim ibi ambo illi Patres contra Aquarios hæreticos, aquam solam offerentes in Calice. Porro Chrysost. ibid. tam clarè affirmat vinum in sanguinem fuisse conuersum, vt nihil clarius dici possit, nec nisi impudentissimè possit dissimulari. 69. Explicatur alia duo Cypriani & Chrysost.

Opponit tertiò illud Origenis in cap. 15. Matth. *Ille cibus qui sanctificatur per verbum Dei, perque obsecrationem, iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum emittitur.* Ibidémque Eucharistiam vocat corpus symbolicum, & typicum. Ad priorem partem huius obiectionis, Respondeo primò, locum Origenis esse dubiæ, aut nullius fidei, quippe ab Erasmo primùm in lucem editum, & Origenis operibus insertum sine vllius auctoritate, vel testimonio, vt ostendit Cardin. Perron. lib. cit. in Origene, siue Auctore 7. Secundò, missâ eiusdem Perronii longiori responsione, dico nomine materialis, quod est in cibo illo, debere intelligi species sensibiles, non autem corpus ipsum Christi gloriosum, & non ampliùs animale, sed spiritale; vt loquitur Apostolus de corporibus resurgentium 1. Corinth. 15. versic. 44. 70. Origenes.

non omnino esse desierit, quia erat alibi, & non tantùm in vno loco. Certè cùm alicui manus amputatur, aut digitus; anima desinit esse in illo, non per abscessum, nec per conuersionem, nec per redactionem ad nihilum: sed propter separationem manus aut digiti à corpore.

87. Quod est simul in pluribus locis, non propterea separatur à seipso.

Huic argumento simile est istud, quod subiiciunt: Separare corpus Christi à seipso, est illud destruere. Atqui ponere corpus Christi in Eucharistia; cùm sit simul in cœlo, est separare corpus Christi à seipso? Respondeo, non sequi, si per diuinam virtutem corpus Christi sit in diuersis locis, quòd separetur à se, aut diuidatur, aut multiplicetur. Nam vnum & idem corpus est, quod ponitur in diuersis locis. Quemadmodum anima rationalis, dum post incrementum corporis est vbi non erat, nec tamen propterea desinit esse vbi erat; non separatur à se, nec diuiditur, nec multiplicatur; sed vna, & eadem est, vbi non erat, & manet vbi erat.

88. Quod factum est, potest iterum fieri actione diuersa & totali.

Obiiciunt præterea: Impossibile est vt id quod factum est, fiat ampliùs, postquam factum manet. Atqui Christi corpus factum fuit in Incarnatione, & ab eo tempore manet factum: ergo non potest fieri. Quare transubstantiatio, quæ esset corporis, & sanguinis Christi effectio, est impossibilis. Respondeo, maiorem esse falsam. Non enim repugnat, id quod factum est, habere nouam causam eiusdem sui esse, & in ipso permanere per nouam actionem: quod perinde est, quoad substantiam, ac si fieret. Exemplum est, si Deus conseruet aliquid, cuius omnes aliæ causæ conseruatiuæ deficiant: putà lumen in aëre, remoto sole, & quouis alio corpore luminoso. Quod etiam naturaliter contingit in multis. Nam ea quæ in conseruatione non pendent à causis secundis, à quibus fuerunt producta, vt calor, & aliæ plurimæ formæ accidentales, & substantiales; conseruantur à Deo connaturaliter actione diuersa à prima productione, ipsique æquiualente; & perinde attingente ipsam rei substantiam, ac si de nouo fieret. Non repugnat etiam id quod iam semel factum est, iterum fieri per aliam actionem, remanente priori: quia, vt ostendimus alibi, possunt absolutè duæ causæ totales eiusdem generis producere simul eundem effectum; non tantùm moraliter, sed etiam physicè.

89. Vltima quoque illatio argumenti propositi incerta est inter Theologos: quia inter eos non constat, si aliquid ponatur in nouo loco: etiam ita vt alteri substantiæ sub iisdem accidentibus succedat per transubstantiationem, oportere vt id fiat per eius productionem. Multi enim contendunt sufficere aliam actionem ponendi illud sine productione, vt patebit disput. sequenti. Vana autem sunt quæcunque alia circa eiusmodi argumentum addunt Caluinistæ de differentia incarnationis, & transubstantiationis. Quamuis enim vna non sit alia: tamen vna non excludit aliam, neque repugnat illi circa idem Christi corpus: siue in transubstantiatione sit productio noua, & effectio corporis Christi: siue tantùm sit eius positio sine productione. Planeque ostendunt se penitùs ignorare quid sit contradictio, dum vocant contradictionem, quòd Christus per incarnationem acceperit nonnulla, quæ non habet in sacramento secundum ordinem & modum, quo sub accidentibus panis existit. Non enim est repugnantia si aliter quippiam in vno loco sit, quàm in alio: neque inde sequitur quòd simpliciter res sit, & non sit: aut quòd absolutè aliquid illi insit, & non insit: sed dumtaxat quòd in pluribus locis posita habeat diuersa: ita vt in vno non habeat, quod in alio. At non habere in vno, non est simpliciter non habere. Hæretici autem huc vsque non probarunt non posse rem eandem esse in pluribus locis, & in illis habere diuersa, per absolutam Dei potentiam. Dúmque conantur id probare, ostendunt se ignorare vim, & sensum primi principii disciplinarum: imò etiam terminos ipsos. Nesciunt enim quid sit esse, neque norunt distinguere esse primarium, & præcipuum, ab esse accidentario: propterea que animose, & confidenter argumentantur: Si Christus habet aliud esse naturale per incarnationem, & aliud sacramentale per transubstantiationem: ergo est duæ personæ, & duo indiuidua: quod est impossibile. Sed facile est apud iudices competentes sistere illorum impetum.

Hæretici ignorant quid sit contradictio.

90. Esse rerum duplex.

Nam ipsum esse primarium & substantiale Christi, & corporis eius, ac sanguinis, vnum semper est: neque potest per vllam potentiam multiplicari. Præter illud autem esse, est aliud accidentarium, vt esse calidum, esse frigidum, esse vegetum, esse fatigatum, esse motum vel quiescens, &c. Quæro itaque ex illis num putent eundem numero esse Christum nunc in cœlo, qui ante resurrectionem fuit in terris? Id certè neque ipsi negant, neque saluo Apostolorum symbolo & Euangelio, negare possunt. Ille tamen Christus tunc erat passibilis, & mortalis; nunc est immortalis, & impassibilis. Tunc suberat variis mutationibus, & dispositionibus, quarum nunc habet oppositas. Estne propterea diuersum illud esse Christi primarium, & præcipuum? Esse autem in alio, & alio loco, & in diuersis locis habere qualitates, aut modos diuersos, non magis mutat illud esse primarium, & præcipuum, quàm illos habere temporibus diuersis. Nam sicut eadem res, quæ modò mouetur, modò quiescit, manet nihilominus ipsa eadem numero: Et ille, qui ex frigido fit paulatim calidus; subit aliud, & aliud esse minùs frigidi, & magis calidi: neque tamen propterea desinit esse hic numero idem, & vnus homo:

Lutheranos. Addit Molin. alia quædam Augustini, & Hieron. loca, in quibus loquuntur de manducatione solùm spiritali, & metaphorica, vel de manducatione fructuosa, & vtili sacramenti Eucharistiæ: vel affirmant non sumi in Eucharistia corpus illud, quod in cruce passum; neque sanguinem illum, qui in cruce fusus est: vel allegoricè interpretantur verba institutionis, aut promissionis Eucharistiæ, de corpore mystico Ecclesiæ, vel de meditatione mortis Christi.

Sensus moralis Patrũ non excludit literalem.

Respondeo primò, Patres per illos sensus morales, quibus ad mores informandos, & alios fines bonos vtuntur, non excludere literalem; quem ibidem, vel alibi exprimunt. Vt neque Paulus ad Galat. 4. explicans allegoricè quòd Abraham duos filios habuit, excludit propterea sensum historicum. Secundò, Patres septem prioribus sæculis Ecclesiæ, liberiùs in sensum moralem Christi verba esse interpretatos, quòd eo vsque veritas Eucharistiæ non nisi indirectè, vel obiter interdum impugnata, apud omnes indubitata esset. Et vt in simili ait August. lib. 1. contra Iulianum cap. 6. sciebant se loqui in Ecclesia Catholica; mentémque suam satis intelligi. Tertiò, Patres interdum de Eucharistia obscuriùs loqui consultò propter Catechumenos. Vnde Theodoret. Dial. 2. post medium, de Eucharistia loquens: *Non oportet*, inquit, *apertè dicere: Est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos.* Similique aposiopesi vtuntur sæpe August. Chrysost. Cyrill. Epiphan. aliique Patres. Norunt fideles, inquiunt, norunt initiati. Quartò, Patres, & Scriptores Catholicos iam olim distinxisse triplicem Christi manducationem: spiritalem tantùm, sacramentalem tantùm, & mixtam ex vtraque: spiritalem item aliam per fidem, aliam per gratiam, & aliam per gloriam. De quibus vide accuratiores D. Thomæ interpretes ad art. 1. quæst. 80. Similitérque in sacramento Eucharistiæ distinxisse sacramentum, id est, species consecratas; à re sacramenti, id est, à corpore, & sanguine Christi sub speciebus: vt refertur de Consecrat. dist. 2. c. *Hoc est.* Item in Christo duplicem præsentiam agnouisse: carnalem, seu corpoream in propria, & visibili specie; & spiritalem, seu inuisibilem in sacramento. Et consequenter duplex quodammodo corpus, & duplex esse: naturale scilicet, ac visibile; & sacramentale, atque inuisibile. Quo sensu Hieronym. in cap. 1. ad Ephes. ad illa verba, *In quo habemus redemptionem*, sic ait: *Dupliciter verò sanguis Christi, & caro intelligitur. Vel spiritalis illa; de qua ipse dixit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Vel caro, & sanguis Christi, quæ crucifixa, & qui militis effusus est lancea. Iuxta hanc diuisionem, & in sanctis eius diuersitas carnis, & sanguinis accipitur. Vt alia sit caro, quæ visura sit salutare Dei: alia caro, & sanguis, quæ Regnum Dei non queunt possidere.* Alia scilicet quoad modum, & qualitates, non quoad substantiam. Resurgent enim sancti in eadem carne substantialiter. Similitérque alia est caro Christi in Eucharistia, & in cruce; quoad modum essendi: At non alia quoad substantiam. Denique nota præter Eucharisticum panem, alium fuisse (vt nunc etiam est panis benedictus) dictum panem Catechumenorum; eò quòd daretur Catechumenis, quibus tamen Eucharisticus non modò non dabatur, sed ne videri quidem permittebatur.

August.

Theod. 1.

Hieron.

Hinc facile erit respondere prædictis, & 75.
similibus aliis sanctorum Patrum testimoniis, à Molinæo, & aliis Caluini sequacibus, frequenter obiectis. Nam Augustin. lib. 2. de Peccat. merit. cap. 26. cùm sic ait: *Quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctum tamen est, quoniam sacramentum:* Loquitur manifestè de pane Catechumenorum, quem vocat sacramentum lata & impropria significatione, id est, sacrum signum vel vnitatis inter fideles, vel ipsius Eucharistiæ, & corporis Christi. Cùm verò dicit tractatu vigesimo quinto, in Ioannem, *Quid paras dentem, & ventrem? Crede & manducasti*: loquitur de manducatione spiritali tantùm: & in libro sententiarum à Prospero collectarum, sent. 339. & tractat. 26. in Ioan. sub finem, vbi negat malos sumere corpus Christi spiritaliter, tametsi dentibus premant sacramentum corporis, & sanguinis, loquitur de manducatione spiritali: vel de mixta, quæ non tantùm sacramentalis sit, sed & spiritalis: id est, quæ non tantùm sit sacramenti perceptio, sed etiam gratiæ. Cùm autem ait tractat. 50. in Ioan. sub finem, *Secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundum præsentiam verò carnis rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habebitis*: loquitur de præsentia carnali, & in propria specie. Et cùm addit ibidem paulò post, nos per fidem tenere Christum in Eucharistia, vt in Baptismo; non propterea negat tenere etiam secundum rem; neque in omnibus Eucharistiæ Baptismum æquiparat.

Explicatur varia loca D. August.

Locus autem eiusdem August. in Psalm. 76.
98. *Spiritaliter intelligite quod loquutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis*, rectè explicatur à D. Thom. quæst. 75. art. 1. ad 1. de corpore visibili, & passibili, vt tali; quale tunc erat. Nec obstat quòd vtitur ibi D. August. pronomine demonstratiuo *Hoc*, & relatiuo *Quod*: nam familiare est, vt his vocibus demonstrentur, & referantur res, etiam secundum statum aliquem, & modum accidentarium, vt cùm ille dicebat.

Non sum qui fueram, &c.

Atque ita seipsum explicat idem sanctus Doctor tom. 2. in epist. ad Irenæum, verbis relatis de Consecr. dist. 2. c. 45. *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Ipsum quidem, & non ipsum.*

Ipsum inuisibiliter, & non ipsum visibiliter. Similimodo etiam modo seipsum exponit S. Hieronym. loco supra relato, numero 74. in fine.

77. Quod verò ait idem August. lib. contra Adimantum cap. 12. Non dubitasse Dominum dicere; *Hoc est corpus meum*, cùm signum daret corporis sui: & epist. 23. sub finem, Sacramenta plerunque sumere nomina rerum, quarum sunt sacramenta, propter aliquam similitudinem cum ipsis; & sicut secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: ita sacramentum fidei, fidem esse. Hæc, inquam, sunt intelligenda de Eucharistia, vel secundum quod est signum corporis Christi mystici, quod est Ecclesia: vel secundum quod est signum corporis Christi patientis, & mortis eius annua & quotidiana commemoratio, vt fusè, & eruditè ostendit Cardin. Perron. lib. 3. de Euchar. eiusque additamento: vel secundum id quod sacramentum tantùm est, & signum veri corporis Christi non absentis, sed præsentis: sicut columba super Christum descendens Ioan. 1. erat signum Spiritus sancti, non vacuum, sed plenum.

78. Denique quando lib. 3. de Doctr. Christiana cap. 16. inter locutiones figuratas hanc ponit, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis*, &c. & ne flagitium videatur iubere, ait figuram esse, præcipientem passioni Domini communicandum esse, &c. Est quidem verum figuram esse, quatenus verba non sunt intelligenda prout crassè, & prima fronte sonant, de manducatione nimirum carnali modo, atque vulgari, vt idem August. explicat tract. 27. in Ioan. vbi sic ait: *Caro non prodest quicquam, sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Accedit spiritus ad carnem; & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis.* Et paulò post: *Sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam.* Sensus autem à D. August. datus de manducatione spiritali per memoriam passionis, bonus quidem est, sed non solus. Neque enim Christus tantùm præcepit Apostolis, Matth. 26. vt passionis suæ recordarentur: sed vt reipsa comederent id quod ipsis offerebat, quodque corpus, & sanguinem suum esse asseuerabat. Et regula D. Augustini de Scripturæ verbis figuratè interpretandis, quando flagitium suadere videntur, ita intelligenda est, vt non plus recedatur à Scripturæ proprietate, quàm ad flagitium vitandum opus est. Nam alioqui proprietas Scripturæ retineri debet, quoad fieri potest. Nec est cuiusque iudicare an, & quando flagitium suadeant; facilè enim Caluinistæ, & illis similes existimassent flagitium præcipi, quando iubebatur Abraham filium immolare, Genes. 22. & seipsum, suósque circumcidere, Genes. 17. aut Oseas fornicariam quærere, & facere filios fornicationum, Oseæ 1. quæ tamen propriè, & ad literam fuerunt intelligenda. Plura de his vide apud Perron. lib. 2. de Euchar. & Barrault tom. 3. Clypei cap. 32.

SECTIO XII.

Soluuntur argumenta ex rationibus humanis.

SVperest diluere argumenta desumpta ex rationibus humanis, quæ sunt vltima, & præcipua Ministrorum præsidia. Quamuis enim nihil frequentiùs in ore habeant, quàm verbi diuini appellationem: nihil tamen minùs colunt in cordis recessu, quàm illud, quod infirmæ suæ rationi subiiciunt. Hanc habent summam regulam credibilitatis suæ, vt quod eorum debilis, & infirma ratio iudicauerit non esse impossibile, illud teneri posse statuant, non autem aliquid vltra. Fatentur interea non esse subiicienda fidei mysteria infirmitati rationis humanæ: & art. 5. Confess. suæ fidei Eccles. Gallic. protestantur se illi nuncium remittere in rebus fidei, & rationes humanas, cæteraque omnia verbo diuino infallibili subiicienda esse. Sed reipsa nihil minùs faciunt, planéque illis similes esse videntur, qui verbo quidem confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Tit. 1. vers. 16. 79.

Hæretici subiiciunt rationi verbum Dei.

Quæ autem de rationibus humanis obiiciunt, hæc præcipuè sunt: Quòd in primis repugnet corpus humanum esse inextensum localiter. Repugnet secundò dari penetrationem dimensionum. Repugnet tertiò vnum, & idem corpus esse simul in pluribus locis. Contingant denique in Eucharistia quædam etiam indecentia, Christoque indigna, vt reali eius præsentiæ repugnent. Ecce quibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quàm possidet vanitas! inquit D. August. in simili, lib. 22. de Ciuit. cap. 11. fere initio. 80.

Ad primum Respondeo, Nunquam hæreticos ostendisse implicare contradictionem, vt corpus liberetur ab extensione actuali, ipsi accidentaria, & naturaliter etiam variabili, inuariatâ ipsius essentiâ, atque etiam integritate substantiali: vt in rarefactione, & condensatione apparet, per quam naturaliter corpus extensum ad spatium multò minus redigitur, vel è contrario ad multò maius extenditur. Deus autem infinitè potentior est, quàm natura creata. Et quamuis apud homines impossibile sit camelum eò redigi paruitatis, vt per foramen acus intrare possit: à Deo tamen possibile illud est, vt Christus ipse affirmat Matth. 19. Quidni ergo possit corpus humanum accommodare ad quantitatem hostiæ multò maioris acus foramine, quod tamen hæretici impossibile iudicant? Imò ex solo exemplo naturali condensationis, citra diuinam reuela-

Corpus potest supernaturaliter priuari extensione actuali.

tionem, colligi posset facilè, corpus extensum redigi posse ad punctum loci. Cùm infinitè maior sit Dei potentia naturali virtute condensandi: & aliunde non ostendatur id implicare contradictionem. Nam de essentia corporis non est extensio illa actualis, & dispositio partium in loco secundum quandam correspondentiam: sed extensio tantùm in ordine ad se, quæ consistit in ipsa multitudine partium, ex quibus constat ipsius entitas apta coextendi loco, & spatio diuisibili. Loquor autem de corpore humano, aut de corporibus, quæ nunc sunt: abstraho enim ab illa quæstione an absolutè dari possit corpus etiam entitatiuè indiuisibile, & simplex quoad partes entitatiuas, sicut nonnulli dicunt dari, & certè dari potest simplex quoad partes physicas, id est, expers compositionis ex materia, & forma substantiali, vt de corporibus cælestibus affirmat Auerroes.

81. Neque propterea amittetet ordinem partiũ secundum se.

Cùm autem corpus in indiuisibili ponitur non amittit propterea ordinem partium in ordine ad se, neque propterea minus fit secundum entitatem, sed dumtaxat secundum locum. Corpus enim Christi positum in indiuisibili, non propterea desinit habere duas aures, duo brachia, duos pedes, & quotquot partes habebat antea: neque propterea desinit caput esse vnitum immediatè collo, & non pectori: collum autem humeris, & non pedibus, quamuis hæc omnia secundum locum simul sint, & vnico spatii puncto claudantur. Denique si hæretici credunt Deum adeo esse impotentem, vt accidentia naturali necessitate cum corporibus iuncta, adimere illis non possit, vel naturales conditiones, & se habendi modos mutare: quomodo credunt solem obscuratum iri Matth. 24. & resurgentium corpora spiritalia fore 1. Corinth. 15. & Christum se inuisibilem reddidisse, super aquas ambulasse, & alia similia, quæ ab Euangelistis narrantur? An facilius putant corpus quodcunque è nihilo creare, aut in nihilum redigere, quā in punctum spatii contrahere?

82. Possibilis est penetratio dimẽsionum supernaturaliter.

Ad secundum Respondeo similiter nunquam hæreticos ostendisse penetrationem dimensionum repugnare Dei omnipotentiæ, quæ potest quidquid non implicat contradictionem Luc. 1. v. 37. & Mar. 14. v. 36. Quin potiùs ex Scriptura oppositum deduci potest. Nam vt omittam, quod ait Paulus Hebr. 4. v. 14. *Habentes ergo pontificem magnum qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei*: & quod aiunt sancti Patres, Christum per penetrationem exiisse ex vtero matris illæso & ex tumulo clauso: Christus Ioan. 20. v. 19. intrans ianuis clausis in domicilium Apostolorum, vel transiuit per aliquid patens, & apertum, quod potiùs nudè dici debuit ab Euangelistis, quàm intrasse ianuis clausis, quasi quid admirabile per se, quod non fuit, si aliunde via patuit: vel transiuit per postes, vel per muros, vel sine transitu stetit repentè in medio discipulorum. Eligant Ministri quod volent, & discant Dei opera suo sensu exiguo non metiri. Nihil autem respondebunt, quod vel Ioannis verba vana, aut falsa non reddat, vel eorum incredulitatem non arguat. Nam siue dicant Christum sine transitu stetisse inter discipulos, siue per muros, aut per postes ingressum esse, vtrumque superat intellectum humanum, neque viribus naturalibus fieri potest. Dicere verò quòd Christus ingressus sit per ostium, vel aliud spatium apertum & patens, reddit verba Euangelistæ vana, vel falsa, quibus affirmat Christum ianuis clausis stetisse in medio. Si enim fores reseratæ sunt, non stetit, nec venit ianuis clausis, sed potiùs reseratis. Si verò per aliquod spatium patens intrauit: hoc potiùs dicendum fuit, quàm illum venisse, & stetisse in medio ianuis clausis. Adde quòd non fuisset ratio, cur Apostoli ratione talis ingressus existimarent se spiritum videre, vt refert Luc. cap. 24. v. 37. Denique figmentum est, nullo modo conueniens verbis Euangelistæ, asserere Christum vel per ostium apertum, vel per aliud spatium patens fuisse ingressum. Siquę ostium non aperuit: multò minus vel aliquid demolitus est, vel per aliud spatium patens intrauit.

Quando autem per penetrationem partes multæ coëunt in locum eundem: non propterea desinũt esse multæ, neque propterea quælibet est æqualis multitudini omnium secundum entitatem: licet nec multæ, nec inæquales secundum locum sint; id est, nec multa loca, nec inæqualia occupent, sed eundem. Sic quatuor Angeli in puncto eodem existentes, quatuor tamen sunt, nec vnus est æqualis in entitate multitudini omnium, quamuis tantum loci occupet, ac tota multitudo. Idemque est de materia, & forma substantiali, & de accidentibus, quibus substantiæ afficiuntur. Hæc enim omnia penetratiuè sunt simul. Neque repugnat naturaliter penetratio dimensionum quarumlibet: sed tantùm earum, quæ quantitatis exclusiuæ atque impenetrabilis propriæ sunt. 83.

83. Quæ se penetrãt, non definunt esse diuersa

De tertia difficultate dicemus disp. 31. sect. 3. vbi ostendemus ea quæ ab hæreticis obiiciuntur, vana esse, & inutilia contra Dei omnipotentiam: imò etiam contra præsentiam animæ in corpore, aut Dei in vniuerso, & alia ab ipsis credita, æquè pugnare. 84.

84. Caluinistæ similes Nestorianis.

Ad quartum Respondeo Nestorium sæpe, vel Iudæum, aut Ethnicum, ea quæ ab hæreticis obiiciuntur in eo genere; sic enim illi Christi Domini diuinitatem impugnabant: Egone Deum esse credam infantulum vagientem in cunis, vel hominem sputis fœdatum, flagris conscissum, ac denique cruci inter latrones affixum? Sicut autem charitas erga homines, & nostræ salutis desiderium, Christum ad ea impulit, ita & ad diuinum hoc sacramentum instituendum, non obstantibus illis indignitatibus: quibus

annihilationem, sed conuersionem. 3. Hanc conuersionem non esse similem conuersionibus naturalibus, sed esse omnino supernaturalem, sola Dei virtute effectam. Non enim est tantùm conuersio formalis, id est, mutatio vnius formæ in aliam, qualis fieri potest virtute agentium naturalium: sed est conuersio totius entis, id est, totius substantiæ panis, & vini, in totam substantiam corporis, & sanguinis Christi: vnde proprio nomine transubstantiatio dici potest. 4. Facta consecratione omnia accidentia panis & vini remanere, quemadmodum sensu apparet: idque rationabiliter à diuina prudentia fieri. Tum quia non est consuetum hominibus, sed horribile carnem hominis comedere, & sanguinem bibere. Et ideo proponuntur nobis caro, & sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum, quæ frequentiùs in vsum hominis veniunt, scilicet panis, & vini. Tum etiam ne sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria, Dominum nostrum manducaremus. Tum denique, vt dum inuisibiliter corpus, & sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei. 5. Formam substantialem panis non remanere: quia tota substantia panis conuertitur in totam substantiam corporis Christi: & contrarium repugnat formæ verborum sacramentalium. 6. Conuersionem hanc fieri in instanti; quia diuina virtute fit: & substantia corporis Christi, ad quam terminatur, non suscipit magis & minus: neque vllum in hac conuersione subiectum est, quod successiua præparatione indigeat. 7. Hanc propositionem, *Ex pane fit corpus Christi*, veram, & propriam esse: quia particula *ex*, designat ordinem extremorum, quorum vnum in alterum conuertitur. *Huc* vsque D. Thom. cuius doctrina sequentibus sectionibus illustranda est.

SECTIO I.

Vtrum in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem?

1. Conclusio negatiua.

RESPONDEO negatiuè cum D. Thoma quæst. 75. art. 2. & fide Catholica. Sic enim definitum est in Concilio Romano sub Gregor. VII. Lateran. sub Innoc. III. cap. 1. Constantiensi sess. 8. Florent. in Decreto Eugenii, & Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 2. Confirmatur primò auctoritate sanctorum Patrum asserentium panem per consecrationem fieri corpus Christi, vt loquuntur Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 40. Et Iustin. sub finem Apolog. 2. Mutari non effigie, sed naturâ, vt ait Cyprian. serm. de Cœna Domini. Transelementari, & transubstantiari, vt ait Gregor. Nyss. in orat. Catechetica cap. 37. Non esse ampliùs panem, licet gustus panem esse sentiat, vt ait Cyrill. Hierosolym. Catech. 4. Mystag. Mutari, & verti in corpus Christi, vt ait Ambros. lib. de Init. cap. 9. & alia id genus plurima, quorum aliqua supra retulimus: plura verò referuntur à Bellarm. lib. 3. de Eucharist. cap. 20. & Valent. disp. 6. quæst. 3. punct. 2. §. 3.

Confirmatur secundò ex Scriptura: quia veritas, & proprietas verborum formæ consecrationis, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, requirit vt panis, & vinum non remaneant. Nam ad eorum veritatem, & proprietatem retinendam secundum communem, & vsitatum loquendi modum, necessarium est, vt sub accidentibus panis, & vini non remaneant eorum substantiæ. Si enim remanerent, demonstrarentur pronominibus demonstratiuis formæ consecrationis, quibus aliquid sensibiliter sub speciebus demonstratur. Quod vt probem, suppono cum Suar. disp. 49. sect. 2. pronomen, *Hoc*, applicari posse, vel rei, seu substantiæ, quæ ex natura sua, aut ex arte & vsu communi, aliam continere apta est: cuiusmodi sunt crumena, dolium, arca, &c. vel rei, seu substantiæ, quæ non est apta continere aliam, vt est triticum v. gr. vel panis, & similia. Priori modo, in satis propria, communi, & vsitata significatione designare potest substantiam contentam sub alia substantia: vt cùm de marsupio, vel dolio dicimus, Hoc est aurum meum: Hoc est vinum meum. Ratio est,

2. Probatur ex proprietate verborum formæ consecrationis.

quia ea, quæ per se destinata sunt ad capiendum, & continendum, quatenus talia sunt, censentur duntaxat veluti adiunctum quoddam eorum, ad quæ continenda, & capienda ordinantur. Ideóque non tam illa attendimus, quàm ea, quæ illis continentur, & se habent instar accidentis artificialis, ad hoc effecti, vt alienam substantiam in se contineat, & designet. De aliis verò non similiter loquimur, sed ex vi, & proprietate pronominis demonstratiui designamus sub accidentibus sensibilibus substantiam, quam accidentia illa contegunt, & cui inhærent, si alicui inhærent: vel si nulli inhærent, demonstramus eam quæ loco illius substituta est, & vice illius sub iisdem accidentibus subest. Dum enim accidentia sensibilia subiecto proprio inhærent, ad illud propriè pertinent, illúdque propriè designant, & ad sensum demonstrabile constituunt. Si verò non insunt vlli subiecto, & tamen continent, & contegunt aliquod corpus loco sui subiecti substitutum: tunc tale contentum constituunt demonstrabile ad sensum. Quoniam ergo panis non erat de se aptus ad continendum corpus Christi, neque in hunc vsum assumi solebat: si sub accidentibus illius substantia panis adfuisset, demonstrata fuisset à Christo consecrante, ex vi, & proprietate talis pronominis. Quamdiu enim sub accidentibus continetur, non potest excludi à propria, & vsitata significatione, ac demonstratione illius pronominis. Postquam verò substantia panis conuersa est in aliam, quæ vice illius, sub iisdem accidentibus subest: iam non substantia panis, sed illa, quæ loco illius substituitur, illo signo propriissimè demonstratur. Iam enim accidentia munus suum demonstrandi in istam transtulerunt, & non est alia, quæ sub illis demonstrari possit. Hanc ratiocinationem confirmare videtur Trident. sess. 13. cap. 4. vbi sic ait: *Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, &c. remanentibus tantùm accidentibus.*

3. Error Luther. Aduersus hæc opponunt Lutherani primò testimonia quædam Scripturæ, quibus præcedenti disp. sect. 10. responsum fuit. Opponunt secundò, Gelasium Papam lib. de Duabus naturis Christi, contra Eutychetem, in fine: Chrysost. epist ad Cæsar. Ephræm apud Photium in Bibliotheca, Damasc. lib. 4. de fide cap. 14. & Theodoret. Dial. 1. & 2. quasi affirment naturam panis, & vini remanere, & cum corpore Christi coniungi. Sed Gelasium & Chrysostomum falsò citant. Ephræm autem peressentiam sensibilem, quæ non amittitur, αἰσθητὴν οὐσίαν, intelligit accidentia sensibilia. Damasc. verò quando ait loco cit. Christum cum pane & vino coniunxisse suam diuinitatem, intelligit, cum pane & vino remanentibus quoad species dumtaxat, vt sequentia verba declarant. Nam Damasc. eodem loco, vbi dixit Christum cum pane, & vino diuinitatem suam coniunxisse, eaque suum corpus, & sanguinem fecisse, subiungit: *Corpus enim secundum veritatem coniunctum est diuinitati, quod ex sancta Virgine corpus est. Non quòd ipsum corpus assumptum è cælo descendat: sed quod ipse panis, & vinum transmutentur in corpus, & sanguinem Dei.* Et paulò post addit, panem & vinum per inuocationem & aduentum Spiritus sancti transmutari in corpus & sanguinem Christi, sicut cibus & potus conuertuntur in substantiam aliti, ita vt non sint duo, sed vnum & idem.

Similitérque Theodor. per symbola, quæ dicit non mutare naturam, sed gratiam illis adiici, intelligit species Eucharisticas, vt vult Bellarm. Vel potiùs, vt rectè docet Cardin. Perron. per naturam intelligit naturalem panis speciem seu figuram, colorem, saporem, & cætera accidentia naturalia, quæ naturæ nomine significari solent à Patribus, vt variis exemplis confirmat idem Cardinalis loco infra citando. Sed & ipsemet Theodoretus id satis indicat iisdem locis, ipsamque panis & vini substantiam in corpus & sanguinem Christi mutari, non obscurè profitetur. Nam Dialogo illo primo, postquam dixit, *Symbola, & signa, quæ videntur, nomine corporis, & sanguinis honorauit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam adiiciens*: subiungit non esse attendendum ad naturam eorum, quæ videntur; sed credendum mutationi, quæ hic fit ex gratia. Et Dial. 2. postquam dixit symbola, seu signa mystica manere in priori substantia, & figura, & forma, vt videri, & tangi possint, sicut priùs: subdit: *Intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & adorantur, & creduntur, vt quæ illa sunt, quæ creduntur.* Quamquam etiam aliter verti possunt verba Theodoreti in hunc modum: *Manent enim in prioris substantiæ, seu naturæ, vel essentiæ, & figura, & forma.* μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. Accipiendo scilicet vocem οὐσίας, in genitiuo, qui regatur ab aliis duabus vocibus σχήματος, & εἴδους sumptis in ablatiuo, vt rectè obseruauit Perron. lib. 2. de Eucharist. Auctor. 6. apud quem plura de his, & aliis Lutheranorum obiectionibus, & sanctorum Patrum auctoritatibus videri possunt, & apud Iaub. de Barrault tom. 3. Clyp. cap. 32.

Explicantur testimonia Patrum.

Opponunt tertiò, Accidentia sine subiecto non posse manere: & id, quod remanet in Eucharistia post consecrationem, posse alterari, & corrumpi in vermes, vt experientiâ manifestum est. At hoc non fieret, nisi remaneret saltem materia substantialis panis, & vini, quæ sit subiectum harum mutationum. Ergo, &c. Sed ad primum dicendum est, puerile argumentum esse, si contra Dei omnipotentiam assumatur. Quamuis enim accidentia non possint esse, quin semper retineant aptitudinem, ac propensionem naturalem 4.

Soluuntur alia argumenta Luther.

naturalem ad inhærendum subiecto: nihilominus non est de eorum ratione essentiali inesse actu, sed possunt conseruari diuinitus absque subiecto. Ad secundum Respondeo, Secretum, & exercitium fidei exigere, vt eueniant omnia exteriùs, & sensibiliter in pane, & vino consecrato, quæ euenirent in non consecrato. Eueniunt autem Deo supplente id quod ex parte causarum naturalium deest, vt inferiùs exponemus disput. 32. sect. 4.

SECTIO II.

An panis & vinum conuertantur in corpus & sanguinem Christi?

5. PRima conclusio: Nihil substantiæ panis & vini remanet sub speciebus post consecrationem. Absolutè tamen tota substantia vtriusque manere posset cum corpore, & sanguine Christi. Sed non salua proprietate verborum, quibus reipsa fit consecratio secundum præsentem Christi institutionem.

Prima pars conclusionis est de fide, expressè tradita à Trident sess. 13. can. 2. cùm ait fieri conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in sanguinem, remanentibus dumtaxat speciebus panis, & vini. Similia habentur in concilio Coloniensi parte 7. c. 15. & can. *Omnia*, de Consecrat. dist. 2. vbi dicitur, post consecrationem nihil aliud manere, nisi accidentia panis, & corpus Domini. Vnde collige errasse grauiter Rupertum lib. 2. de Diuin. Offic. cap. 2. si, vt nonnulli ipsi tribuunt, & vt eius verba præ se ferunt, existimauit panem in Eucharistia manere vnitum hypostaticè Verbo, eo prorsus modo, quo natura humana fuit à Verbo assumpta: & Durandum in 4. dist. 11. q. 3. aientem panis, & vini materiam remanere, sicut in conuersionibus substantialibus naturalibus manet eadem materia sub vtraque forma: Materia enim eadem, quæ fuit sub forma ligni, manet sub forma ignis, quando lignum vertitur in ignem. Ac denique falli modernos quosdam Thomistas, & Godefridum Quodlibet. 8. quæst. 17. quorum priores asserunt remanere existentiam panis, & vini, vt per eam accidentia panis & vini existant: Posterior vult manere panis & vini subsistentiam, vt per eam accidentia extra subiectum subsistant. Quæ omnia satis manifestè damnantur supradicta definitione Tridentini affirmantis totam substantiam panis, & vini conuerti, remanentibus tantùm eorum speciebus, id est, accidentibus.

6. Non vnitur hypostaticè Verbo. Præterea verò Rupertus temerè, ac sine fundamento inducit mysterium vnionis hypostaticæ, & impanationis Verbi, inauditum in Scriptura, & in antiqua Ecclesia. Quæ vnio hypostatica quotidie multoties fiat, & destruatur, quoties Eucharistia consecratur, & consumitur: quæque panem adorandum constituat, & tam propriè, ac verè Deum, quàm Christus est Deus. Quæ omnia sunt inaudita, & absurda, & ad veritatem verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, planè inutilia. Neque enim de pane, sed de vero suo corpore in cruce tradito pro nobis, Christus hæc verba protulit.

Durandus autem perperam asserit manere panis materiam, & informari animâ Christi gloriosâ. Primò enim, absurdum est animam Christi gloriosam informare materiam alterabilem, & diuisibilem. Secundò, non fieret transsubstantiatio, sed solùm generatio, & formalis conuersio, contra Concilia Lateran. & Trident. locis infra citandis. Tertiò, materia illa panis non esset corpus Christi: quia non esset corpus organicum: nisi velit Durandus in eam induci formas partiales, & organicas vt fiat corpus humanum, & aptum animæ rationali recipiendæ. Siue autem easdem induci velit quæ sunt in Christi corpore, vbi existit connaturali modo, siue diuersas; non esset corpus illud, quod in cruce pro nobis traditum fuit, sed aliud ab illo realiter diuersum, saltem ex parte materiæ: contra expressa Christi verba, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. 7. Non manet etiam panis & vini materia, quæ informetur animâ Christi.

Denique Thomistæ, & Godefridus, malè supponunt accidentia physica non habere existentiam propriam, & existentiam substantialem: atque subsistentiam, esse quid distinctum realiter, & separabile à substantia, cuius est. Quod quàm sit à veritate alienum, ex dictis alibi, & ex philosophia tam notum est, vt noua refutatione non egeat. 8. Non manet eius existentia, aut subsistentia.

Secunda pars conclusionis, quòd nihilominus absolutè loquendo tota substantia panis & vini manere potuerit cum corpore, & sanguine Christi, probatur, quia corpus & sanguis Christi sunt in sacramento, spirituali, & indiuisibili modo, ad eum modum, quo Angelus est in spatio physico, vel anima in corpore. Qui modus essendi non magis excludit præsentiam panis, & vini, quàm Angelus excludat præsentiam spatii physici, in quo est; aut anima præsentiam corporis. Quare non modò non repugnant esse simul absolutè, sed ne quidem se expellunt connaturaliter secundum talem modum essendi: vt facerent, si vtrumque corpus esset modo connaturali, & impenetrabili; tunc enim se mutuò excluderent ab eodem spatio. 9. Potuit absolutè manere tota substantia panis & vini.

Tertia pars, Quòd non potuerint simul esse saluâ verborum proprietate, quibus nunc fit consecratio, patet ex dictis sect. 1. Nimirum quia si substantiæ panis, & vini essent sub accidentibus simul cum corpore, & sanguine Christi, demonstrarentur potiùs per pronomina demonstratiua formæ consecrationis. Quia illa accidentia sunt 10. Non tamē saluâ proprietate verborum formæ.

demonstrarent substantiam panis sub illis intimè existentem; vt supponimus. Secus autem si ab illis etiam localiter auelleretur, & extra conseruaretur. Accidentia enim non demonstrant nisi id, quod illis subest. Quamdiu tamen illis subest propria substantia, non desistunt ab officio illam sensibiliter demonstrandi, licet priuentur vnione cum illa: quæ vnio insensibilis est: neque ab illa pendet necessariò officium demonstrandi.

15. *Refellitur tertium.* Ad tertium, Nego antecedens. Nam in rigore, & proprietate sermonis falsum est dicere de ferro candente, Hoc est ignis: nisi distinctè designentur pori in quibus ignis inclusus est. Idémque dico de ostendente in marsupio aurum, & argentum, & affirmante Hoc est aurum: nisi tam parum argenti mixtum sit, vt moraliter reputetur pro nihilo. Neque loquenti liberum est designare verè, ac propriè quicquid volet, per pronomina demonstratiua applicata accidentibus sensibilibus: sed id tantùm ad quod verè, ac propriè designandum sunt apta secundum vsum communem loquendi.

16. *Panis & vinum non annihilantur.* Secunda conclusio: Panis & vinum non annihilantur, sed conuertuntur, & transsubstantiantur in corpus, & sanguinem Christi eodem instanti, quo perficitur forma consecrationis. Prima pars est D. Thomæ q. 75. art. 3. & communis, exceptis paucis, qui de nomine litigant. Ratio D. Thomæ est, quia verba formæ consecrationis non significant annihilationem, id est puram, & simplicem desitionem panis, & vini: sed potiùs conuersionem in corpus, & sanguinem Christi, quæ sub ipsorum accidentibus sensibilibus demonstrant, loco panis, & vini substituta. Et quamuis tota substantia panis, & vini pereat, nihilque fit actu, ac non magis existat post consecrationem, quàm existeret antequam produceretur: quemadmodum & formæ substantiales, vel accidentales, quæ pereunt, nihil ampliùs sunt, neque secundum quicquam suæ entitatis remanent; eoque sensu dici possint annihilari: propriè tamen non dicuntur annihilari ea, quæ conuertuntur in aliquid aliud, & quodammodo fiunt illud: ita vt in eorum desitione non sit pura subtractio conseruationis, sed interueniat actio positiua tendens ad aliquid aliud illis succedens, & connexum aliquo modo cum ipsorum destructione per aliquid manens cōmune vtrique. Adde quòd manent accidentia panis, & vini, destructa substantia. Per annihilationem autem intelligitur desitio totalis, & omnimoda rei, nullo illius remanente accidente, vel subiecto. Vnde non dicitur v. gr. lux annihilari, sole recedente, & aëre (in quo lux erat) remanente.

17. Dices, rem non desinere per actionem illam positiuam, quâ ponitur aliquid aliud: sed per desitionem influxus causæ conseruantis, qui nisi desineret, res non periret, licet aliud poneretur. Desitio autem illa est formaliter eiusdem rationis, siue aliud ei succedat, siue non. Atqui in eo casu, quo nihil ei succederet, esset annihilatio. Ergo est quoque annihilatio formaliter, & propriè, quamuis aliud ei succedat.

Respondeo, Verum quidem esse rem nullam desinere formaliter, & præcisè per positionem, seu productionem alterius. Nec dari vllam actionem destructiuam: quia nulla entitas desinit per vim & influxum alicuius agentis formaliter, & immediatè: sed sola subtractione concursus, seu conseruationis causæ, à qua pendet necessariò in conseruari: siue sit sola causa prima, siue etiam secunda: quatenus Deus ad præsentiam agentis contrarii, & fortioris altera causa secunda, vel ob rerum exigentiam, desinit conseruare effectum à se cum alia causa productum: vel etiam causa ipsa secunda non potest simul in vtrumque influere, ideóque ab vno desinit, vt in alium influat. Quo pacto materia prima desinit ab influxu materiali circa vnam formam substantialem, vel accidentalem, vt concurrat ad aliam, præsente causa fortiori id exigente. Et intellectus, aut voluntas cessat ab actu præcedenti, vt producat alium ipsi oppositum, vel incompatibilem. Et generatim omnes effectus non aliter desinunt formaliter, præcisè, & immediatè, quàm per solam desitionem influxus. Et quocunque alio posito non desinerent, nisi causa desineret influere. Quare desitio influxus est adæquata causa proxima desitionis rerum. Remotè tamen dicuntur effectiuè destruere causæ illæ, quæ efficiunt aliquid incompossibile naturaliter cum effectu, qui desinit. Et formaliter destruere aliquid dicuntur ea, quæ ipsi formaliter opponuntur, vt albedo nigredinis quatenus non possunt naturaliter informare subiectum altera forma affectum; nisi illa desinat. Verumtamen licet substantia panis, & vini non desinat formaliter, & proximè per positionem corporis, & sanguinis Christi sub eorum speciebus: sed per cessationem influxus in eandem substantiam, quæ cessatio esset formaliter eiusdem rationis, licet corpus, & sanguis Christi non ei succederent: non tamen dicitur annihilatio, quia terminus ille non significat desitionem solam secundum se, sed connotat vlteriùs nihil manere, quod ad illam rem pertinuerit; & ita desinere, vt in aliud non conuertatur. Esset ergo eadem desitio formaliter in casu proposito: sed non esset eadem connotatio, ideóque non esset annihilatio.

Res desinunt per subtractionem influxus causæ conseruantis.

Secunda pars conclusionis, Quòd panis, & vinum conuertantur, & transsubstantientur in corpus, & sanguinem Christi, patet ex Concil. Lateranen. cap. *Firmiter*, & Concilio Tridentino sessione 13. cap. 4. & canone secundo: vbi expressè id definitur. Et confirmatur testimoniis sanctorum Patrum relatis initio sectionis primæ, asserentium panem transelementari, mutari natura; verti in corpus Christi, &c. Quod autem id fiat eo instanti, quo perficitur forma consecrationis, patet ex dictis de Sacramentis in genere. Verba enim consecra- 18. *Panis & vinum conuertuntur in corpus & sanguinē Christi.*

tionis operantur, quemadmodum sacramenta, eo instanti, quo primùm sunt perfecta essentialiter. Cúmque affirment de præsenti esse corpus, & sanguinem Christi, sintque vera, & efficacia; debet esse id quod significant, & quidem illo instanti, cùm nulla sit causa differendi, vel ratio cur deinceps sit potiùs hoc instanti, quàm alio. Illéque fuit sensus sanctorum Patrum Irenæi, Gregorii Nyss. Eusebii Emiss. Ambros. August. & aliorum; quorum verba refert Suar. disp. 49. sect. 2. Idem cōfirmat vsus Ecclesiæ adorandi Christum in Eucharistia statim post consecrationem. Et quidem ante vsum fuisse ibi adoratum in antiqua Ecclesia patet expressis sanctorum Patrum testimoniis disp. præced. relatis sect. 4. n. 23. Ex quibus omnibus refellitur hæresis Buceri, & sequacium affirmantium Christi corpus, & sanguinem non existere in Eucharistia; nisi in vsu, seu sumptione. Quod neque ex Christi verbis colligunt, quibus potiùs repugnat: neque aliunde habent, quàm ex vano, & temerario capitis sui figmento, longiori refutatione indigno. Videri possunt quæ diximus d. 27. n. 15. & 16.

SECTIO III.

Quomodo panis, & vinum conuertantur in corpus, & sanguinem Christi?

19. *Conuersio propriè quid sit, & quæ ad illam requirantur?*

AD maiorem veritatis propositæ confirmationem, & declarationem, considerandum est, conuersionem propriè dictam, iuxta communem doctrinam Philosophorum, esse transitum vnius termini positiui desinentis, in alium sibi connexione aliqua succedentem, remanente aliquo, quod sit commune vtrique termino. Quatuor itaque ad illam requiruntur, & sufficiunt. Primò, vt sit inter duos terminos positiuos: debet enim necessariò esse duo, quorum vnum vertatur in aliud: vnum sit terminus à quo conuersio incipiat, & aliud sit terminus, ad quem tendat, & in quem desinat. Debent item hæc duo esse realia, & positiua: quia propriè loquendo, neque nihil conuertitur in aliquid, neque aliquid in nihil: sed vnum ens positiuum, & actuale in aliud, vt v.g. lignum in ignem, calidum in frigidum, panis & vinum in corpus & sanguinem Christi.

20. 2. Requiritur vt terminus à quo, qui nimirum conuertitur in aliud, desinat esse secundum eam rationem, quâ dicitur conuerti: terminus verò ad quem, fiat seu producatur sub ea ratione, secundum quam aliud dicitur in ipsum conuerti. Ex. gr. vt aër in aquam conuertatur, debet desinere esse aër secundum rationem aëris, & aqua debet fieri secundum rationem aquæ. Ita docet S. Thom. p. 3. q. 2. a. 1. vbi loquens de diuina essentia sic ait: Nec ipsa potest conuerti in aliud, cùm sit incorruptibilis; nec aliud in ipsam, cùm sit ingenerabilis. Et D. August. lib. 18. de Ciuit. cap. 18. hanc differentiam esse ait inter conuersiones miraculosas, ac veras, quæ à Deo fiunt, & apparentes, quæ à Dæmone; quòd illæ fiant per veram, & substantialem rerum conuersionem: hæ verò per solam inuisibilem translocationem, quam negat esse veram conuersionem. Ratio à priori est, quia conuersio est actio, quâ vnum vertitur in aliud, & ab vno esse in aliud transit, atque illud quodammodo fit. Hoc autem non videtur verè fieri, nisi terminus qui conuertitur, desinat esse id quod est, & nisi fiat illud, in cuius esse conuerti, & transire dicitur. Nam alioqui, quomodo in illud transit, & illud ipsum quodammodo fit?

3. Requiritur connexio aliqua inter terminum à quo, & terminum ad quem; ac dependentia inter desitionem vnius, & successionem alterius: ita vt ille desinat, quia hic subsequitur: & productio istius, sit aliquo modo causa desitionis alterius. Siue illa connexio, vel causalitas, physica sit, ita vt vnum physicè aliud destruat, ob repugnantiam essendi simul naturalem & physicam: siue tantùm moralis, ita nimirum vt ex aliqua necessitate morali, vel congruentia, productio vnius sit causa finalis, vel moraliter effectiua desitionis alterius. Nam ad veram conuersionem non sufficit vt vnum desinat quomodocunque, quando alterum incipit: sed inter vnius desitionem, & alterius productionem, necessaria est habitudo per se, & connexio quædā, ex qua resultet vna totalis actio conuersionis, his duabus partialibus constans, desitione scilicet vnius, & productione alterius; ac per se tendens à termino formali desitionis, vt à termino à quo, ad formalem terminum productionis, tanquam ad terminum ad quem. 21.

Quartò denique, Requiritur vt aliquid, quod præextiterit in termino à quo, maneat in termino ad quem, sitque illi commune: circa quod termini formales sibi succedant, & aliquo modo repugnent, ac circa illud fiat tota conuersio. Nam repugnantia inter terminos, vel cōnexio, & ordo per se inter vnius desitionem, & productionem alterius, sufficienter ad conuersionē intelligi non potest, nisi ratione alicuius rei communis vtrique, in quam, vel sub qua vnus introducitur, & expellitur alius, vt rectè docet Suar. disp. 80. sect. 2. Et improbabile omnino est, quod ait Gabr. in 4. dist. 11. q. 1. & fusiùs lect. 40. in Canonem, sufficere ad conuersionem, vt Deus velit vnum conseruare ad destructionem alterius, sine alia connexione. Atque ita si Deus, muscâ destructâ in terra, statuat solem in cœlo conseruare; fore vt hoc ipso musca in solem conuertatur. Et panem conuerti posse in corpus Christi existens tantùm in cœlo: hoc ipso quòd Deus velit ibi Christum conseruare ad destructionem panis, nihil aliud cum Christo commune habentis præter illam intentionem: atque ita quidlibet posse conuerti in quodlibet, præter Deum, qui à nullo pendet in fieri, & conseruari. Quod non ali- 22.

Falsa sententia nominalium.

ter probat Gabr. quàm Scoti auctoritate, quæ in vsu communi terminorum postponenda est communi sententiæ. Quemadmodum etiam quod refert ibidem ex Ochamo, sufficere saltem loci communionem: si nimirum res succedat, aut conseruetur in eodem loco, vbi erat alia, quæ desiit. Quid enim hoc obest annihilationi, cùm locus sit merè extrinsecus, & impertinens, aut indifferens rei desinenti, & succedenti: vel sit tantùm idem spatium imaginarium, cui vtraque res intime quasi inexistit successiuè? Ac si sufficiat simultas loci, quidni sufficiat simultas temporis, quæ non magis extrinseca est, quàm simultas loci? Quemadmodum etiam si iuxta Gabr. sufficit intentio agentis, licet res succedentes sint loco dissitæ: quidni sufficiat, licet sint tempore dissitæ? quod tamen ipse negat sufficere, & meritò: alioqui res hodie destructa conuerteretur in illam, quæ post mille annos producetur.

23. Sed his figmentis Nominalium omissis, vt ad rem redeamus: illud commune vtrique termino remanens, & circa quod exercetur oppositio terminorum à quo, & ad quem, interdum est tota substantia, vt in conuersionibus accidentalibus fit: quando verbi gratiâ manus calida conuertitur in frigidam: interdum verò est pars substantiæ, vt fit in conuersionibus formalibus, seu transformationibus substantialibus: vt cùm verbi gratiâ aqua in aërem vertitur naturaliter, remanente materia, & desinente forma aquæ: interdum denique est sola accidentia: vt fit in transubstantiatione propriè dicta, quæ est mutatio, seu potiùs transitus totius substantiæ in substantiam totam, remanentibus tantùm accidentibus.

24. Hæc autem quatuor reperiuntur in mysterio Eucharistiæ. Primò enim, ex Trident. supra cit. habemus duos terminos positiuos: nempe totam substantiam panis, & vini, pro termino à quo: & corpus, & sanguinem Christi, pro termino ad quem. Secundò, ex eodem habemus totam substantiam panis, & vini desinere, & solas species remanere: corpus verò Christi, ac sanguinem produci, & fieri asserunt sancti Patres, vt Cyprian. serm. de Cœna, vbi de Christo sic ait: *Qui vsque hodie verissimum, & sanctissimum suum corpus creat.* Et Ambros. lib. 4. de Sacrament. cap. 4. *Panis iste, panis est ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane, fit caro Christi.* Deinde vbi ostendit hoc fieri posse propter vim verborum Christi, quia sermo Christi tantæ est efficaciæ, vt possit quæuis de nihilo creare, subdit: *Sed post consecrationem dico tibi, quòd iam est corpus Christi. Ipse dixit & factum est, ipse mandauit, & creatum est.* Similitérque Hieron. Euseb. Emiss. & alii Patres dicunt corpus, & sanguinem Christi confici, fieri, creari, quorum testimonia legi possunt apud Suar. disp. 50. sect. 3. §. *Secundo principaliter,* vbi nobiscum sentit: Itémque Leon. Less. lib. 12. de Attributis diuinis cap. 16. Aegid. Conink quæst. 75. art. 4. dub. 5. & Ylambert. ad quæst. 75. disp. 8. art. 10.

Omnia ad conuersionem requisita, reperiuntur in Eucharist.

25. 3. Inter desitionem panis, & productionem corporis Christi est cõnexio, & causalitas moralis: ita vt panis desinat, quia ponitur corpus Christi, eo modo, quo ponitur vi verborum consecrationis, nempe ita vt per ea sub accidentibus sensibilibus verè, ac propriè demonstrari possit: ad quod requiritur, vt substantia panis, & vini non remaneat sub iisdem accidentibus: nam alioqui demonstraretur per illa: & posito quòd sub illis non remaneat, non est conueniens, vt conseruetur alibi miraculosè sine accidentibus: sed forma debet desinere priuata suis dispositionibus: & consequenter materia, vel quia non debetur illi existentia, nisi propter formas substantiales, vt causam finalem, sicut docent philosophi nonnulli: Quare censetur desinere simpliciter substantia panis, & vini, quia miracula in mysteriis explicandis non debent multiplicari sine necessitate, quemadmodum neque entia in rerum naturalium expositione. Vel potius quia non conuenit eam conseruari, absque vlla forma substantiali, & ad nullam est disposita: exigitque mysterium fidei vt nulla forma sensibilis, & experimento cognoscibilis in illam inducatur.

26. 4. Species, quæ in pane extiterunt, remanent in corpore Christi: non quidem eodem modo, quo in pane fuerunt, inhærendo: nam id conueniens non est, neque possunt ipsæ extensæ, & diuisibiles, naturaliter inhærere corpori posito modo spiritali & indiuisibili: sed moraliter componendo cum illis vnum quid ad sensum demonstrabile in genere cibi, & potus. De qua vnione plura dicemus alibi. Species tamen non sunt terminus ipse formalis, vel pars termini formalis trãsubstantiationis. Nam conuersio substantialis non fit ex composito accidentali ad compositum accidentale: sed à substantia ad substantiam, vt de præsenti conuersione definit Trid. loco suprà cit. asserens fieri conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem: quam idcirco in fine capitis transubstantiationem aptissimè dici ait. Nam sicut aliæ substantiales actiones non terminantur, nisi ad aliquid substantiale formaliter: sic conuersio substantialis non terminatur ad aliud formaliter, quàm ad substantiam, ipsius vi positam. Et sicut propriè transfiguratio est, quando res mutatur ex vna figura in aliam: & transformatio, quando ex vna forma in aliam: sic transubstantiatio simplex est, quando transit simpliciter, & totaliter ex vna substantia in aliam. Vox tamen conuersionis, & transubstantiationis significat connotatiuè substantiam illam succedere alteri sub iisdem accidentibus vtrique communibus: sine quo connotato non dicitur transubstantiatio: licet alioqui esset eadem actio substantialis, quæ significatur in recto nomine

trãsnubstantiationis: cui actioni physicè, & præcise spectatæ accidentale est logicè, quòd substantia corporis, & sanguinis Christi vi illius producta constituatur sub accidentibus panis, & vini, & moraliter, aut physicè aliquo modo illis vniatur ad constituendum cibum, & potum sacrum cum illis; sicut antea substantia panis, & vini constituebat cibum, & potum communem, cum iisdem accidentibus.

SECTIO IV.

Refutantur contrariæ sententiæ.

27. *Trãsubstãtiatio propriè nõ est tantum successio substantiarum.* CONtrarium sentit primò Vasq. disput. 181. cap. 11. & 12. dicens transubstantiationem non consistere formaliter in aliqua actione; sed in ordine substantiæ in substantiam; siue in successione, quâ substantia corporis, & sanguinis Christi substantiæ desinenti panis, & vini succedit sub eorum accidentibus, vi significationis verborum formæ consecrationis, quorum veritas exigit, vt ibi sint corpus, & sanguis Christi, demonstrabilia sub illis accidentibus: & consequenter vt ibi non sit amplius substantia panis, & vini, quæ nisi desineret esse, impediret ne corpus & sanguis Christi demonstrari possent sub speciebus: atque ita non verè diceretur, & propriè, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.

Hanc sententiam probat primò auctoritate D. Thomæ, & aliquot veterum Scholasticorum: sed parum efficaciter. Illi enim quamuis in trãssubstãtiatione successionem, & ordinem agnoscant: non tamen negant esse quoque veram actionem, & productionem, aut conseruationem termini ad quem: inter quam actionem, & inter desitionem termini à quo, fit ordo, & successio. Imò idipsum nonnulli clarè docent.

28. Probat secundò ex refutatione aliarum opinionum: & quia hæc facilior est ad explicandum mysterium fidei: ac denique quia ad verborum veritatem nihil amplius requiritur. Trident. autem sess. 13. cap. 4. ex sola verborum veritate colligit transubstantiationem: Quare nihil amplius ad illam requiri debet, quàm requiratur ad veritatem verborum. Verùm eius refutationi, quatenus nobis obest, respondebimus inferiùs, ostendemúsque mysterii explicationem, & verba Tridentini aliquid amplius requirere. Contra verò ipsius opinionem pugnant primò D. Thomas, & sancti Patres supra citati, affirmantes corpus Christi fieri, creari, &c. Secundò, Omnis conuersio est essentialiter actio. Ergo & transsubstantiatio, quæ est species conuersionis, est essentialiter, & formaliter actio. Quare de ratione transubstantiationis Eucharisticæ est, vt corpus Christi actione aliqua attingatur. 3. Quia transsubstantiatio, quæ est actio, & conuersio substantialis; debet habere pro termino formali substantiam. Atqui non habet, in sententia Vasquis: quia nihil substantiale fit, sed tantùm substantia substantiæ succedit in eodem loco, & sub iisdem accidentibus, id exigente verborum veritate. Imò etiam, vt docet Vasquez ibidem, sufficeret substantiam panis desinere, licet de nouo non poneretur sub illius accidentibus corpus Christi, dummodo ante verborum prolationem sub illis præextitisset: quemadmodum absolutè fieri posset. Denique si transsubstantiatio est tantùm successio substantiarum, sensu exposito à Vasque: sequitur corpus Christi conuerti in substantiam nostram, aut in vermes, quando species corrumpuntur; non minùs quàm panem conuerti in corpus Christi: quia vtrobique substantia substantiæ succedit. Quod si respondeat Vasq. illud prius non requiri ad veritatem aliquorum verborum, quorum vi, & significatione practicâ id fiat, vt vera sint: Oppono absurdum esse existimare conuersionem, & transsubstantiationem non aliter quàm per verba aliqua fieri posse. Sufficit enim esse in re successionem sine verbis. Sicut in naturalibus conuersionibus non interueniunt verba.

Cùm autem quærit Vasq. quænam actio sit conuersio? Non enim est desitio panis, quæ non est actio, sed cessatio influxus conseruantis. Non etiam est positio, aut productio corporis Christi: Nam conuersio est eius, quod conuertitur: Corpus autem Christi non conuertitur, sed panis in ipsum: Deinde simplex rei positio, vel productio, non est conuersio. Respondeo, nomen conuersionis duo significare simul, & coniunctim: nempe desitionem termini à quo, & productionem termini ad quem: connotando vlteriùs, quòd remaneat aliquid commune vtrique termino: ad quem vtrumque pertinet conuersio: & terminum quidem à quo, denominat conuersum: terminum autem ad quem, denominat id quod per conuersionem factum est. 29.

Alii secundò dicunt corpus Christi in Eucharistia non produci, sed tantùm localiter ibi poni, & quodammodo adduci. Quæ opinio est Scoti in 4. dist. 11. quæst. 3. art. 2. §. *Quantum ergo ad istum articulum dico*, &c. Sed hæc opinio loco trãssubstantiationis locationem substituit. Et loco actionis verè substantialis, quæ ad substantiam terminetur, dat mutationem accidentalem, quæ non est aliud, quàm acquisitio nouæ præsentiæ, seu potiùs modi essendi sub speciebus. Atqui transsubstantiatio est conuersio substantialis, & actio substantialis circa terminum ad quem. Ergo illa opinio destruit transubstantiationem, & repugnat definitionibus Conciliorum Lateran. Cap. *Firmiter*, & Tridení. sessione. 13. cap. 4. & canone 2. Et denique illa mutatio non magis est transubstantiatio; quàm adductio, seu inductio vini in vas priùs aqua plenum, sit transsubstantiatio: cùm Scotus velit ne quidem necessarium esse 30. *Corpus Christi nõ tantum localiter ponitur in Euchar.*

Digitized by Google

ad traussubstantiationem, vt desinat terminus à quo.

31. Transsubstantiatio non est tantum actio separatiua accidentiũ.

31. Alii tertiò docent transsubstantiationem Eucharisticam esse actionem, quá corpus, & sanguis Christi separant accidentia à substantia panis, & vini, illaque extra omne subiectum conseruant: ex quo sequitur desitio substantiæ panis & vini. Aiunt autem illam actionem tria in se includere: nimirum & quòd sit productio huiusmodi accidentium ex nullo subiecto: & quòd sit formalis vnio corporis, & sanguinis Christi cum iisdem accidentibus: & denique quòd sit conuersio panis in corpus, & vini in sanguinem. Sicut inquiunt, eductio formæ materialis è materia, licet sit vnica numero actio, est simul productio formæ, & formalis vnio eius cum materia, & conuersio, quâ forma præcedens expellitur, atque in nouam succedentem conuertitur. Ita Henriq. lib. 8. de Sacram. cap. 22. & 25.

32. Sed contra: primò, hæc opinio dat transsubstantiationi accidentalem terminum ad quem: quod est contra naturam transsubstantiationis, & actionis substantialis; quæ ideo dicitur substantialis, quòd formaliter, & per se terminetur ad aliquid substantiale. Secundò, falsum est quòd productio accidentium ex nullo subiecto, sit vnio formalis eorundem cum corpore, & sanguine Christi. Nam producere accidentia ex non subiecto, non est formaliter ea vnire. Imò quando producuntur ex subiecto, naturâ prius est illa produci, quàm vniri formaliter. Quia productio formæ est natura prior forma. Vnio autem formæ cum materia, prout se tenet ex parte formæ, non est prior forma, sed est illâ posterior tanquam modus se habendi illius, præsupponens esse simpliciter & tanquam eius causalitas vel effectus. Quare falsum est eandem numero actionem esse productionem formæ, & formalem eius vnionem cum materia. Siquidem vnio est posterior formâ ordine naturæ. Productio verò formæ est prior formâ. Tertiò, D. Thom. in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 3. ad 5. negat verbis consecrationis vim instrumentalem ad hoc vt accidentia sint sine subiecto. Et tamen ibidem tribuit verbis consecrationis vim instrumentalem ad transsubstantiationem. Ergo ex eius mente transsubstantiatio non est actio tribuens accidentibus vt sint sine subiecto. Quartò, si panis & vinum transsubstantiantur in corpus, & sanguinem Christi eo solo, & formaliter, quòd corpus, & sanguis Christi separant accidentia à substantia panis, & vini: pari ratione possent dici conuerti, & transsubstantiari in Deum, posito quòd Deus, præsens illis accidentibus substantialiter, ea separet per se solũ ab eadem substantia panis, & vini, & ea conseruet sine subiecto. Consequens autem est absurdum, & contra sanctos Patres, & Theologos omnes, negantes posse quicquam conuerti in Deum; æquè ac Deum posse conuerti in aliud.

D. Thom.

33. Neq; vnio cum speciebus panis & vini. Sotus.

33. Alii quartò putant terminum formalem transsubstantiationis in eo consistere, quòd corpus & sanguis Christi vniantur speciebus panis, & vini, loco substantiæ ipsorum desinentis. Ita Domin. Soto in 4. dist. 9. qu. 2. art. 4. §. *Igitur conuersio*: vel in eo quòd corpus & sanguis Christi succedant substantiæ panis, & vini secundum aliquod munus substantiale conjunctionis cuiusdam primariæ cum eorum accidentibus, vt Valentia vult quæst. 3. de Eucharistia p. 3. vel vt alii malunt secundum munus substantiale constituendi cibum, & potum substantialem cum speciebus. Vel denique, vt vult Moncæus disp. 11. cap. 14. & Mærat. disp. 16. de Eucharist. sect. 2. secundum modum, & rationem contenti substantialis sub iisdem accidentibus, simili quodam modo, quo substantia panis, & vini sub illis continebatur. Ex quo essendi modo sequitur physicè, & connaturaliter quòd substantia panis, & vini desinat: quoniam eadem accidentia non possunt simul duplici contento substantiali seruire: vt neque materia duplici formæ substantiali subesse: sine qua physica repugnantia, & incompossibilitate terminorum non est vera conuersio, & transsubstantiatio. Nam intentio agentis non mutat naturam actionum, & rerum. Et conuersio non ex agentis intentione; sed ex ipsa rei natura, & externo agendi modo spectanda est. Illud quoque necessarium est ad veritatem verborum formæ consecrationis: nisi enim corpus, & sanguis Christi contineantur substantialiter sub accidentibus simili modo, quo substantia panis & vini continebatur: non poterit verè, ac propriè dici, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*. Idem enim requiritur, vt hoc verè dicatur, quod antea requirebatur, vt diceretur, Hic est panis, Hoc est vinum.

Valent.

Moncæ.

Mærat.

34. Sed contra: primò, vnio substantiæ cum accidentibus non est terminus substantialis, cuiusmodi esse debet terminus formalis transsubstantiationis: sed est terminus accidentalis, ratione accidentium quibuscum vnio fit. Et actio, quæ terminatur ad huiusmodi vnionem, terminatur ad aliquid accidentale. Sicut enim compositum illud dicitur accidentale, cuius aliqua pars accidentalis est; sic vnio illa dicitur accidentalis, quæ constat aliquo accidentali: cuiusmodi est omnis vnio inter substantiam, & accidens, quæ ex parte accidentis, accidentalis est: vnio enim est ipsa extrema immediatè seipsis coniuncta. Atqui actio substantialis debet habere terminum purè substantialem: alioqui enim non dicitur actio substantialis, sed à deteriori sumitur denominatio: Ideóque calefactio, frigefactio, & similes actiones, non dicuntur substantiales, quia non habent terminum purè substantialem; licet attingant substantiam aliquo modo, vt id cui vnitur calor, aut frigus. Ergo transsubstantiatio, quæ est species actionis substantialis, debet haberé

Digitized by Google

terminum purè substantialem. Ergo non illam vnionem corporis Christi cum accidentibus, quæ non est purè substantialis.

35. Neque cōiunctio primaria cum accidentibus in modum substantiæ, aut contenti substantialis.

Secundò, Idem esto iudicium de coniunctione illa primaria; deque munere constituendi cibum, & potum substantialem, cum speciebus, iuxta opinionem Valentiæ, & aliorum. Nam ille terminus non est purè substantialis, sed includit aliquid accidentale ex parte specierum, quibuscum fit coniunctio, & constitutio cibi, & potus. Qui cibus, & potus, est tantùm substantialis ex parte corporis, & sanguinis: accidentalis verò ex parte specierum concurrentium intrinsecè ad hunc cibum & potum constituendum.

36. Tertiò, Modus quoque ille contenti substantialis, excogitatus à Moncæo, & Mæratio, cùm per ipsos sit accidentalis, & distinctus in re à corpore, & sanguine Christi, non potest esse terminus formalis actionis substantialis, qualis est transsubstantiatio. Præterquam quòd frustra & superfluè talis modus asseritur: cùm corpus Christi per seipsum formaliter sit contentum substantiale: neque ad hoc egeat vllo modo distincto: imò impossibile sit esse contentum formaliter per aliud: quod sic probo. Quemadmodum euidenter impossibile est quicquam existere formaliter, id est, esse actu in rerum natura, per aliud à se distinctum, & diuersum: quia quidquid aliud sit actu, nisi ipsum quoque secundum se est in rerum natura; non existit ipsum, sed illud aliud: & si ipsum secundum se est actu in rerum natura; hoc ipso existit formaliter, quouis alio re, vel ratione circumscripto: Sic euidenter impossibile est corpus Christi contineri formaliter, & esse contentum substantiale, sub speciebus panis, & vini, per aliud à se distinctum, & diuersum. Quia quidquid aliud contineatur, nisi ipsum secundum se contineatur, non est contentum sub illis, sed illud aliud: & si ipsum secundum se continetur, hoc ipso est contentum substantiale sub illis, quouis alio re, vel ratione circumscripto. Cùm contineri sub speciebus, nihil sit aliud, quàm actu illis subesse. Et corpus Christi, si illis verè subest; secundum se formaliter, id est, secundum suam entitatem, illis subest. Neque subest, nisi ipsummet sub illis sit, quidquid aliud dicatur illis subesse.

37. Adde quòd, Si corpus Christi contineretur sub speciebus per modum à se distinctum: non tantùm modus, aut corpus Christi secundum illum modum, sed etiam secundum se verè sub illis contineretur, æquè ac modus. Quemadmodum si res locata esset in loco per modum à se distinctum, res ipsa, modo illi subiecta, esset in loco secundum se formaliter, æquè ac modus ille: imò naturâ prius quàm modus, qui ex re ibi educitur, nec alibi educi potest. Quare vterque modus est æqualiter superfluus. Forma enim illa manifestè est superflua, sine qua habetur id, quod per illam formaliter tribui dicitur.

Denique, Quid sit ille modus contenti substantialis præter intimam præsentiam corporis Christi, & specierum, non apparet, nec explicatur ab aduersariis. Nam substantia panis, & vini, non aliter continetur sub iisdem accidentibus, quàm per intimam præsentiam, & vnionem formalem, ac physicam cum illis. Quæ vnio non est inter corpus Christi gloriosum, atque indiuisibiliter positum, & inter huiusmodi accidentia. Superest ergo præsentia intima, quam habet loco substantiæ panis, cum vnione formali ad summum morali, propter Dei decretum de præsentia illa conseruanda, quamdiu species non corrumpentur: vel etiam fortè actiua, & retentiua corporis Christi ad species, de qua dicemus alibi. Sed hæc vnio actiua non est modus accidentalis distinctus à corpore Christi, neque terminus transsubstantiationis: sed est corpus ipsum retinens species sibi coniunctas, & localiter inseparabiles, per actionem distinctam, & naturâ posteriorem transsubstantiatione. Neque physicè, & ex natura rei repugnat incompatibiliter substantiæ panis, & vini sub iisdem speciebus. Quia corpus, & sanguis Christi sint in sacramento spiritali modo, & indiuisibili: ad eum modum, quo Angelus ibidem esse potest, vel anima in corpore. Qui modus essendi indiuisibiliter non repugnat præsentiæ alterius substantiæ: possetque Angelus, non obstante præsentia panis, retinere species & panem simul, ne localiter à se auellerentur, aut moraliter illis esse vnitus decreto propriæ, vel diuinæ voluntatis. Repugnantia ergo præsentiæ panis oritur ex intentione agentis, ponentis corpus Christi sub speciebus eo modo, vt sub illis possit sensibiliter demonstrari: cui demonstrationi obesset substantia panis, sicut antea dictum est. Neque propterea non est vera transsubstantiatio, vt ostendemus paulò post. 38.

Alii quintò affirmant transsubstantiationem eucharisticam in eo consistere, quòd corpus Christi succedat substantiæ panis in munere sustentandi ipsius accidentia: quatenus corpus Christi sustentat physicè, sed actiuè, eadem accidentia, quæ antea materialiter sustentabantur à substantia panis. Verùm illa opinio coincidit ex parte cum tertia suprà reiecta; iisdemque argumentis refellitur. Quibus adde, quòd constitutio corporis Christi sub speciebus, per actionem, quæ physicè sustentet accidentia panis extra subiectum, est improbabilis: quia creatio non potest communicari vlli creaturæ, id est, nulla creatura potest habere vim creandi, siue naturalem, siue obedientialem. At illa actio est creatio, quia est conseruatio accidentium sine concursu subiecti, id est, ex nihilo subiecti. Deinde si corpus Christi, vt est in sacramento, sustentat actiuè accidentia: prius est corpus sic esse, quàm 39. Neque successio corporis Christi in munere sustētandi accidentia panis.

sustentare accidentia, & illa conseruare. Sed hoc est falsum. Nam è contrario prius naturâ est conseruari accidentia panis, quàm corpus Christi sub illis esse. Ideo enim corpus Christi est in Eucharistia, quia panis accidentia durant: non contrà. Ergo potiùs corpus Christi, vt est in sacramento, pendet in conseruari ab accidentibus.

Refellitur eusio. Respondent aliqui recentiores, pro priori naturæ antequam corpus Christi incipiat, vel perseueret conseruare accidentia panis, non debere præintelligi ipsa accidentia formaliter existere, sed radicaliter ratione existentiæ præteritæ, & negationis alterius causæ aptæ ad eorum destructionem. Sed contra: primò, si accidentia tantùm existerent radicaliter, & non formaliter; corpus Christi non conseruaretur in sacramento. Ergo non tantùm existentia radicalis, sed & formalis est causa conseruationis corporis Christi in sacramento, debetque illi præintelligi. Secundò, vt accidentia existant radicaliter, non sufficit ea extitisse de præterito, & non esse alteram causam aptam ad eorum destructionem, sed debent esse omnes causæ positiuæ, à quibus pendent necessariò in conseruari. Alioqui enim non est integra radix, seu causa existentiæ. Vna autem ex illis causis est corpus Christi prout est in sacramento, iuxta doctrinam aduersariorum. Ergo si accidentia debent præintelligi positioni, aut conseruationi corporis Christi in Sacramento, vt radicaliter existentia, debet ipsummet corpus præintelligi, vt positum, aut perseuerans in sacramento, ad hoc vt ponatur, aut perseueret in sacramento: Et accidentia pendent in conseruari ab ipso vt posito, & conseruato in sacramento: cùm tamen vice versa, accidentia pendeant in conseruari à Christi corpore, per actionem quâ constituitur in sacramento, & quâ sustentat actiuè accidentia: iuxta eorumdem aduersariorum doctrinam. Mitto alia, quæ contra illam sententiam, eiusque expositionem possunt facilè occurrere. Tantùm addo ex ea sequi posse aliquid in Deum conuerti, v.g. panem; si Deus velit succedere substantiæ panis in munere sustentandi accidentia, sustentando ea actiuè. Respondent aliqui negando sequelam: quia, inquiunt, Deus non conseruaret accidentia cum obligatione ex parte accidentium, sicut corpus Christi obligatur à speciebus sacramentalibus: quod tamen requiritur, vt aliquid dicatur substare accidentibus, & succedere alteri substantiæ in munere substandi.

40. Alterum effugium refutatur. Sed hæc obligatio ex parte specierum multiplicat miracula sine necessitate, nisi confictâ ad tuendam opinionem malè anticipatam: Aliunde enim tota mysterii veritas seruari potest commodè. Deinde actio, iuxta aduersarios, quorum est hæc responsio, est in ipso effectu, vel in subiecto in quod agitur, tanquam illius modus. Ergo actio, quâ Deus sustentaret illa accidentia, esset in illis. Ergo si actio talis esset, vt ex modo suæ perfectionis postularet Deum esse intimè præsentem effectui, quod non est improbabile, esset aliquid ex parte specierum, quo Deum sibi alligarent. Et quidem vnio hypostatica Deum sic alligat humanitati: atque actio ipsa vnitiua Dei, seu Verbi cum humanitate. Tertiò, substare accidentibus, ex vi vocis, nihil est aliud, quàm sub illis stare. Quod non dicit alligationem ex parte accidentium. Et munus substandi actiuè, seu potius conseruandi accidentia sine subiecto, est in conceptu suo independens ab alligatione ex parte accidentium.

SECTIO V.

Respondetur argumentis aduersariorum.

Auctorum supra citatorum, qui nobis aduersantur, aliqui contendunt esse impossibile, Christi corpus productum iampridem, & alibi existens, attingi in sacramento actione productiua. Alii verò, licet id possibile putent, iudicant tamen non esse necessarium ad transsubstantiationem: Vnde id tanquam non necessarium, & alioqui durum, ac difficile respuunt. Verum vtrique falli mihi videntur. Primò enim neque impossibile, neque intellectu difficile est corpus Christi, licet iam præexistens, terminare aliam actionem, & influxum in suum esse. Nam conseruatio est continuus influxus in esse præsuppositum, & iam productum, quod conseruari potest, vel per eandem actionem cum prima productione, vel etiam per diuersam, vt in plurimis naturaliter fit. Sicut autem admittimus, propter fidem huius mysterii, corpus vnum & idem poni diuinitus in alio loco, remanente priori: ita non difficilè admittere possumus conseruari diuinitus per aliam actionem, remanente priori. Talis autem est actio sacramentalis, quæ est potiùs conseruatio quædam, quàm prima productio: cùm sit influxus in esse præexistens, & non iam primùm de nouo productum, ita vt antea non esset. Confirmatur, quia, vt verior philosophia docet, possunt diuinitus duæ causæ efficientes totales, ac physicæ, eiusdemque generis, & ordinis, per actiones siue influxus totales de se sufficientes, & à se inuicem independentes, terminari simul ad eundem effectum. Quod etiam naturaliter in moralibus causis contingit. 41. Non est impossibile, corpus & sanguinem Christi produci in Euch.

Ad veram autem transsubstantiationem necessarium id esse patet ex dictis suprà. Nam cùm, iuxta Trident. hæc transsubstantiatio sit conuersio totius substantiæ panis in corpus, & vini in sanguinem: sicut ad eius veritatem necessarium est desinere substantiam panis, & vini, tanquam terminum à quo: ita & produci corpus, & sanguinem, tanquam terminum ad quem, vt verè ac 42. Ad veram transsubstantiationem necessarium est produci terminum ad quem.

vt propriè panis in corpus Christi substantialiter vertatur, & transeat, atque ipsummet quodammodo fiat. Sicut enim non conuertitur, si manet id quod est ita neque fit aliud, si non fit illud aliud, in quod conuerti dicitur. Et quidem D. Thom. quæst. 75. art. 2. in corp. negat Christi corpus in sacramento poni per loci mutationem, sed per conuersionem substantiæ panis in ipsum: Sicut, inquit, ignis incipit esse domi non per locationem, sed per generationem: indeque infert substantiam panis desinere: quia, inquit, quod conuertitur in aliud, non manet facta conuersione. Nulla autem est ratio, cur magis requiratur ad veram conuersionem desinere terminum à quo, quàm fieri terminum ad quem. Quare vtrumque necessarium est, vt ex eodem D. Thom. & D. August. supra probauimus. Nam cùm in vera conuersione vnum transeat in aliud, & fiat illud: sicut non potest verè dici, quòd transeat in aliud, nisi desinat esse id quod est: sic neque dici potest quòd fiat aliud, nisi fiat illud aliud, quod ipsummet fieri dicitur. Cùm ergo dicitur panis fieri corpus Christi, vt passim sancti Patres loquuntur: sicut ad hoc necessarium est panem desinere esse id quod est: sic necessarium est fieri corpus Christi, vt panis desinens dici possit fieri corpus Christi. Nam alioqui si non fit corpus Christi, quomodo panis dicitur ipsum fieri? Quod argumentum æquè vim habet, licet huiusmodi propositiones resoluantur in sensum proprium, quem habere debent. Panis fit corpus Christi, vel Panis transit in corpus Christi, id est, ex pane transeunte, & destructo tanquam ex termino à quo, fit corpus Christi: qui modus loquendi cùm vsurpetur à SS. Patribus, & in tit. de Consecrat. dist. 2. atque in diuinis officiis, non potest nisi temerè, & imprudenter reprehendi.

Corpus Christi ponitur in Euchar. per actionem productiuam.

43. Obiicitur primò D. Thomas quæst. 76. art. 6. in c. vbi affirmat per hoc Christum esse in sacramento, quòd accipit habitudinem ad species: Et ad tertium dicit huius solius habitudinis desitione fieri vt in eo esse definat. Et quæst. 78. art. 5. ait verba consecrationis non efficere, vt corpus Christi sit corpus Christi: sed vt contentum sub speciebus sit corpus Christi. Item 1. p. quæst. 45. art. 5. negat vniuersim vllam creaturam posse esse instrumentum creationis. At verba consecrationis essent instrumentum creationis, si producerent corpus Christi: eius enim productio verè creatio est, cùm fiat ex nullo subiecto præsupposito, saltem quoad materiam primam formis organicis præsuppositam.

Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ.

Respondeo verba D. Thomæ articulo illo 6. in corp. hæc esse: *Christo non est idem esse secundum se, & esse sub hoc sacramento: quia per hoc, quòd dicimus ipsum esse sub hoc sacramento, significatur quædam habitudo eius ad hoc sacramentum.* Quæ verba nobis non obsunt, & intelligenda sunt de habitudine tantùm secundum dici, quæ certè non est terminus transsubstantiationis. Ibidem verò ad 3. ait, cessantibus speciebus desinere esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad eas species, & nimirum fundamentum habitudinis illius, quod est corpus Christi sub speciebus, sine quo inde sublato, tolli non potest habitudo præsentiæ ad species. Quomodò autem tollatur corpus ipsum D. Thomas ibi non satis exponit. Cùm verò negat 1. p. creaturam posse esse instrumentum creationis, loquitur de creatione simpliciter, quâ res ex purè nihilo fit, & non ex aliquo positiuo, siue tanquam subiecto, siue tanquam termino à quo; vt patet ex ratione D. Thomæ: quia scilicet causa instrumentalis debet virtute propria exercere aliquam actionem præuiam & dispositiuam ad effectum causæ principalis. Quando autem res ex nihilo fit, creatura non habet, in quod exerceat actionem naturalem virtutis propriæ, præuiam actioni causæ principalis: ergo, &c. Quod solùm verum est, quando res fit ex nihilo simpliciter: alioquin enim potest agere circa subiectum, aut terminum à quo: sicut hîc verba proferuntur super panem, & vinum, simili modo, quo Christus loquebatur circa ægrotos curandos miraculosè, aut mortuos suscitandos, vel eos manu tangebat, aut quid simile. Vide quæ supra diximus disput. 21. sect. 8. num. 66. de sententia & modo philosophandi D. Thomæ circa causalitatem instrumentalem.

Obiicitur secundò, Sanctos Patres communiter probare transsubstantiationem ex mundi creatione, tanquam opere difficiliori: 44. quia scilicet difficilius est creare, quàm mutare naturas. Atqui non est opus difficilius, si transsubstantiatio ipsa est creatio. Est autem creatio, si est reproductio corporis Christi. Ergo, &c. Respondeo Patres qui hac probatione vtuntur, vt Ambros. lib. de Initiandis cap. 9. argumentari à pari, & expressè dicere non esse minus nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Quod si aliqui, vt Innoc. lib. 9. de Mysterio altaris cap. 7. & D. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 3. dicunt maius esse creare, quàm mutare, & transsubstantiare: id eo sensu verum est de simplici creatione, quatenus in ea totum fit ex purè nihilo, ita vt nihil illius præsupponatur iam factum: in mutatione autem, & transsubstantiatione non ita fit totum, ex purè nihilo, & absque eo quòd quidquam illius præsupponatur: sed fit ex aliquo præexistente, tanquam termino *a quo*, & præest aliquid illius iam factum, nempe illud commune, quod remanet sub vtroque termino; atque ita creatio simplex, cæteris paribus, est aliquid maius ea ex parte: quasi terminum suum magis extrahens è nihilo, & habens purum nihil pro termino à quo.

Opponitur tertiò, Creationem substantiæ, 45. & transsubstantiationem esse actiones essentialiter diuersas: cùm illa ex se, suaque natura, nihil aliud tollat, quàm non esse sub-

stantiæ, quæ creatur: hæc verò tollat præterea terminum positiuum qui transsubstantiatur. Ergo transsubstantiatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi non est creatio. Respondeo, negando antecedens sumptum vniuersaliter de actione positiua quæ dicitur transsubstantiatio. Hæc enim præcisè sumpta, & formaliter non debet differre essentialiter ab actione creatiua, sed connotatione alicuius extrinseci, sine quo non dicitur transsubstantiatio. Nomen enim transsubstantiationis, præter illam actionem positiuam importat desitionem termini à quo, vel ex natura rei, vel ex intentione,& modo operandi; atque etiam, quòd remaneat aliquid commune vtrique termino, desinenti scilicet, & succedenti: ita vt transsubstantiatio non sit sola actio positiua, & positio termini ad quem; sed simul etiam sit desitio, seu destructio termini à quo: hoc enim complexum significatur nomine transsubstantiationis: nisi quis malit significare tantùm in recto actionem positiuam, & connotare desitionem, quod parum interest.

Creatio & transsubstantiatio quomodo differunt.

46. Obiicitur quartò: Productio termini *ad quem* eatenus solùm potest esse conuersio termini *à quo*, in ipsum terminum *ad quem*, quatenus est causa desitionis illius: iuxta sensum, quo dici solet, Generatio vnius, nempe termini ad quem, est corruptio alterius, nempe termini à quo, non formaliter, sed causaliter. Atqui conseruatio, seu productio Eucharistica corporis Christi, quatenus productio & actio est, non est causa desitionis panis, sed omnino per accidens illam comitatur: quia esse corporis Christi, quod producitur aut conseruatur, non pugnat vllo modo cum esse panis, secundum modum essendi spiritalem & indiuisibilem, quo Christus est in sacramento. Ergo non est causa cur desinat. Ergo merè concomitanter se habet ad desitionem, si simul desinit. Ergo desitio panis est verè ac propriè mera annihilatio, quia ex natura rei ad nihil tendit, & non ad aliquid positiuum. Nam ex propria natura res denominandæ sunt, non ex Dei intentione & voluntate extrinseca, quæ sicut non mutat rerum naturas, ita neque mutare debet appellationes ex natura petitas. Quare non sufficit intentio agentis. Quia ratio conuersionis non ex intentione extrinseca ipsius operantis, sed ex modo exteriori agendi desumi debet. Respondeo, productionem Eucharisticam corporis Christi, esse causam moralem desitionis panis, secundum intentionem agentis, & modum, quo Christus ibi ponitur, ita scilicet, vt possit sensibiliter sub speciebus demonstrari: ideóque hæc transsubstantiatio est ex parte moralis, & non purè ex natura rei, ex qua sola non semper sumitur rerum denominatio. Neque propterea desitio panis est pura annihilatio: quia panis non omnino perit: manent enim illius accidentia, quod sufficit ne dicatur annihilatio ex natura rei, quamuis ex sola rei natura non causetur à productione corporis Christi, neque ad illam naturaliter tendat.

Quomodo productio corporis Christi est causa desitionis panis.

Opponitur quintò: In conuersionibus naturalibus non semper fit terminus formalis simpliciter secundum suum esse primarium, sed tantùm secundum aliquod munus substantiale. Nam in hominis generatione, vel mutatione, non fit anima rationalis simpliciter; sed tantùm fit informans & vnita: id est, incipit informare, & vniri materiæ. Ergo sufficit corpus Christi vniri accidentibus in conuersione Eucharistica. Confirmatur, quia ad veritatem verborum formæ consecrationis sufficit abesse substantiam panis,& sub eius speciebus adesse corpus Christi, quomodocunque ibi ponatur: aut saltem per modum contenti substantialis. Ergo hoc etiam sufficit ad veram conuersionem. Alioqui Trident. sess. 13. cap. 4. malè eam colligeret ex verborum veritate. Respondeo negando antecedens argumenti propositi. Et ad priorem eius confirmationem dico animam simpliciter non esse terminum formalem generationis, aut nutritionis hominis; sed animam vt vnitam. Fit autem vnita per generationem, aut nutritionem: simpliciter verò non fit, nisi per creationem, saltem natura priùs, quàm vniatur. Ad posteriorem Respondeo, conuersionem colligi ex veritate verborum, non vt simpliciter necessariam, quasi absolutè aliter fieri nequeat, aut non possint aliter verba verificari: sufficeret enim transmutatio localis, quâ substantia panis aliò transferretur, & corpus Christi eius loco sub accidentibus poneretur: tunc enim verum esset, *Hoc est corpus meum*, vt fatentur aduersarii, in quos propterea retorqueri potest argumentum ex parte desitionis totius substantiæ panis, quam ipsimet admittunt, & omnes, Scoto excepto, ad veram conuersionem necessariam esse dicunt: sed quia intellexit Ecclesia, à Spiritu sancto, & Apostolis, Patrumque traditione edocta, Christum fecisse, quod dixit, perfecto, & conuenienti modo. Efficiendo de pane corpus suum, & substantiam vnius in substantiam alterius transmutando: sicut perfectè, & conuenienter operatus est in conuersione aquæ in vinum, & similibus miraculis. 47.

Verùm instat Vasq. hoc responsum infirmare definitionem Tridentini colligentis transsubstantiationem præcisè ex veritate verborum cap. 4. sessionis 13. non autem adiuncta traditione, aut alio quopiam: quod significare solet, cùm aliquid aliunde colligit, quàm ex præcisa verborum veritate, vt patet ex cap. 7. eiusdem sessionis. Respondeo, Tridentini verba cap. cit. hæc esse: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*, (verè, id est, non significatiuè, & metaphoricè, vt volunt Sacramentarii, contra quos loquitur Concilium) *ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit* (nempe intelligente Christi verba verè ac pro- 48.

priè) *per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri*, &c. Christo scilicet perfectè, & conuenienter operante, id quod dixit, quemadmodum Ecclesia persuasum semper habuit.

49. Corpus Christi quomodo desinit esse in Eucharist.

Opponitur septimò, Inconueniens esse corpus Christi toties produci & destrui, quoties species Eucharisticæ consecrantur & corrumpuntur. Et mysteria fidei non debere his difficultatibus implicari, si fieri potest. Respondeo, non esse inconueniens corpus Christi productiuè in sacramento poni per consecrationem, seu potiùs de nouo conseruari: & quando species corrumpuntur, desinere esse per cessationem huiusmodi nouæ conseruationis: desinere, inquam, non simpliciter, quia semper existit alicubi, saltem in cœlo, in propria & naturali specie: sed secundum quid, id est, secundum talem reproductionem, seu iteratam conseruationem: In quo nobis consentiunt Aegid. Coninc quæst. 75. artic. 4. dub. 5. num. 157. Lessius lib. 12. de Attribut. diuin. cap. 16. num. 127. & Ysambert. ad quæst. 85. disput. 8. art. 11. Neque propterea dici potest Christus annihilari: quia manet alibi: neque mori simpliciter, quia semper viuit & regnat in propria specie, licet desinat esse & viuere sub speciebus Eucharisticis post earum corruptionem. Neque etiam dici potest conuerti in substantiam succedentem; quia neque ex natura rei, neque ex intentione agentis, Dei scilicet, desinit ibi esse, vt altera succedat sub iisdem accidentibus: sed solùm ideo desinit, quia species sunt corruptæ, & æquè desineret, licet nulla alia substantia succederet.

50. Aliter respondet Suar. disput. 54. sect. 1. conclus. 3. dicens corpus Christi desinere tantùm localiter, ad eum fere modum, quo anima rationalis desinit esse in manu, vel alia parte abscissa ex corpore viuo, & superstite. Sed hæc responsio non cohæret cum eo, quod idem nobiscum docet, corpus Christi produci in Eucharistia. Si enim verè producitur, quia ponitur in sacramento per actionem productiuam, veluti conseruatiuam: quomodo non verè destruitur secundum quid, quando desinit esse sub speciebus corruptis? quandoquidem cessat ille secundus influxus in esse, siue secunda productio: cuius cessatio videtur esse destructio, æquè ac eius positio, fuit productio; & æquè ac, verè Christus destrueretur si semel esset, cessante influxu, quo à Deo conseruabatur. Item alioqui non posset destrui in loco isto secundo, nisi actione positiua destructiva, quæ actio impossibilis est, vt alibi ostendimus: nihil enim desinit propriè, & proximè, nisi per cessationem influxus causæ conseruantis. Si autem potest eadem res produci in diuersis locis, aut conseruari simul: quidni etiam possit in vno destrui, & in alio conseruari, nempe vno influxu desinente vno in loco, & altero durante in alio? Nec valet exemplum animæ rationalis, quæ non est in manu diuersa actione productiua, sicut corpus Christi est in Eucharistia.

Superest notare diligenter id, quod sæpius inculcauimus, terminum formalem transsubstantiationis esse corpus, & sanguinem Christi; non autem Christum integrum. Nam illud solum est terminus formalis, quod ponitur directè, & vi verborum: illudque etiam solum producitur. Cætera verò, quæ tantùm indirectè, & per concomitantiam ponuntur sub speciebus cum corpore vel sanguine; ponuntur tantùm inductiuè, ad eum fere modum, quo anima rationalis inducitur in materiam alimenti sufficienter dispositam, absque eo quòd ipsa producatur. Similique actione dicerem poni corpus, & sanguinem, si natura transsubstantiationis id pateretur: non sunt enim multiplicanda miracula, vt neque entia, sine necessitate. Quia non minùs absurdum est multiplicare miracula sine necessitate, in explicatione mysteriorum fidei: quàm multiplicare entia sine necessitate, in explicatione rerum naturalium.

51. Quis sit terminus formalis præcisè transsubstantiationis?

DISPVTATIO

DISPVTATIO TRIGESIMA-SECVNDA,

De modo quo Christus est in Eucharistia: Deque accidentibus cum eo remanentibus.



DE argumento proposito disputat S. Thomas quæst. 76. & 77. in quarum priore docet totum Christum in hoc sacramento contineri, partim vi verborum sacramentalium, partim ex naturali concomitantia: esséque totum sub qualibet specie, & sub qualibet illius parte, siue ante diuisionem, siue post: quia Christus est in sacramento per modum substantiæ, cuius natura tota est in qualibet parte dimẽsionum, sub quibus continetur. Sicut sub qualibet parte aëris, est tota natura aëris: & sub qualibet parte panis est tota natura panis. Totam etiam quantitatem dimensiuam, & alia accidentia corporis Christi ibi esse per concomitantiam: quia substantia corporis naturaliter non diuiditur à sua quantitate dimensiua, & ab aliis accidentibus. Non esse verò Christum in sacramento, sicut in loco: quia non est in illo secundum modum quantitatis dimensiuæ, sed secundum modũ substantiæ. Eadémque de causa non esse ibi mobiliter secundum se, sed solùm per accidens, ad motum specierum in quibus est. Neque etiam posse videri oculo corporeo: quia eius accidentia non possunt immutare medium, vt sic ab oculo corporali videri possint: & corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ: substantia verò, inquantum eiusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subiacet alicui sensui. Et quamuis interdum miraculosè videatur caro, vel puer, ad ostendendam veritatem corporis Christi: non est Christus ipse, qui apparet exteriùs; sed inuisibiliter, & indiuisibiliter manet sub speciebus, quamdiu illæ remanent incorruptæ.

In posteriori quæst. affirmat 1. Accidentia panis & vini manere sine subiecto substantiali: cùm neque sint in substantia panis, & vini, quæ perit, neque in corpore Christi impassibili, neque in aëre circumstanstante, qui non est susceptiuus huiusmodi accidentium, nec simul po-

teſt habere propria & aliena; & non eſt, vbi ſunt ſpecies, ſed ab illis depellitur, vt eis locum det. 2. Alia accidentia, quæ remanent in hoc ſacramento, eſſe in quantitate dimenſiua panis, aut vini remanente, ſicut in ſubiecto. Apparet enim aliquid quantum eſſe ibi coloratum, & aliis accidentibus affectum, nec in talibus ſenſus decipitur. 3. Cum accidentia Euchariſtica remaneant in ſuo eſſe; & agere ſequatur eſſe; quia vnumquodque agit, inquantum eſt ens actu: conſequens eſt, quòd etiam remaneant in ſuo agere. Et ideo omnem actionem, quam poterant agere, ſubſtantiâ panis, & vini exiſtente, poſſunt etiam agere, ſubſtantiâ panis, & vini tranſeunte in corpus, & ſanguinem Chriſti. 4. Sicut eſſe horum accidentium poterat corrumpi, ſubſtantiâ panis, & vini exiſtente: ita etiam poteſt corrumpi illa abeunte: quia eſt idem eſſe, quod antea: & quando corruptio eſt talis, vt natura panis & vini cum illa non conſiſteret, deſinit eſſe corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus ita corruptis. 5. Ex illis corruptis, quamuis nulla adſit materia, poſſe aliquid generari, quantitate dimenſiua vicem materiæ gerente. Nam in ipſa conſecratione datur miraculosè quantitati dimenſiuæ panis & vini, quòd ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum. Et ideo quidquid poſſet generari ex materia panis & vini, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate: non quidem nouo miraculo, ſed ex vi miraculi priùs facti. 6. Species ſacramentales nutriendi virtutem habere. Ex hoc enim cibus nutrit, quòd conuertitur in ſubſtantiam nutriti. Species autem ſacramentales poſſunt conuerti in ſubſtantiam aliquam, quæ ex eis generatur: ergo & in corpus humanum. 7. Species ſacramentales frangi poſſe ſecundum quantitatem dimenſiuam: non tamen frangi ipſum corpus Chriſti; quia eſt incorruptibile, & impaſſibile: & totum manet ſub qualibet parte. 8. Poſſe vino conſecrato liquorum alium miſceri. Sed ſi tanta ſit permiſtio, vt non maneant ſpecies eædem numero, non manet ſub illis ſanguis Chriſti. Conſecratur enim hic panis, & hoc vinum. Huc vſque D. Thomas.

SECTIO I.

Quomodo Chriſtus ſecundum ſubſtantiam ſit in hoc ſacramento?

1. HRISTVS totus, & integer ſecundum ſubſtantiam eſt in hoc ſacramento ſub qualibet ſpecie, & ſub qualibet parte ſpecierum: directè quidem, ſeu ex vi verborum, ſecundum corpus ſub ſpeciebus panis; & ſecundum ſanguinem ſub ſpeciebus vini: indirectè vero, ſeu per concomitantiam, quoad alia.

Chriſtus eſt totus ſub qualibet ſpecie.

Prima pars eſt de fide, definita in Conſtantien. ſeſſ. 3. Florent. in Decreto Eugenii, & Trident. ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 3. traditúrque à D. Thom. quæſt. 76. art. 3. & aliis Theologis affirmantibus Chriſtum in ſacramento eſſe per modum eſſentiæ, quæ tota dicitur eſſe in ſingulis partibus, quatenus nihil eſt in illis diſſimilitudinis eſſentialis, & metaphyſicæ: vel potiùs ad modum ſubſtantiæ ſpiritalis, totum in toto, & totum in qualibet parte. Quod intellige de partibus etiam ante ſeparationem. Nam Trident. cap. cit. loquitur abſolutè: & ſeparatio non poteſt eſſe cauſa, vt Chriſtus ſit totus in aliqua parte, ſi in illa totus antea non erat.

Pro eiuſdem veritatis fidei confirmatione teſtimonia SS. Patrum videri poſſunt apud Vaſq. diſput. 185. cap. 1. & Barrault tom. 3. Clypei cap. 29. & in titulo de Conſecrat. diſtinct. 2. can. *ſinguli*, & can. *vbi pars eſt corporis, eſt & totum*, &c. Ratio ab inconuenienti addi poteſt: quia ſi non eſſet Chriſtus totus in ſingulis partibus, ſed ſemel tantùm in tota hoſtia conſecrata, vel ſemel tantùm in aliqua parte diuiſibili, aut aliquoties in aliquot partibus diuiſibilibus: diuiſâ illâ hoſtiâ, vel aliqua parte in qua eſt Chriſtus, deberet Chriſtus diuidi, vel deſinere eſſe in hoſtia, vel in 2.

parte illa. Vtrumque autem absurdum est, & contra sensum, & vsum Ecclesiæ singulas particulas adorantis, & in illis totum Christum agnoscentis. Difficultas verò quæ hic oritur ex sententia Aristotelis de infinitate præsentiarum partialium Christi in Eucharistia, propter infinitam diuisibilitatem specierum, habet æquè locum in præsentia animæ rationalis ad corpus, & Angeli ad spatium diuisibile: de his enim omnibus eodem modo philosophandum est. Quæstio autem num Christi corpus sit etiam in indiuisibilibus continuantibus, & terminantibus partes in infinitum diuisibiles, reiicienda est. Quia vel continuum constat ex solis partibus semper diuisibilibus, vel ex solis indiuisibilibus, vt sentiunt illi omnes qui cohærentiùs & meliùs philosophantur.

3. Vi verborum corpus est sub specie panis, & sanguis sub specie vini.

Secunda pars conclusionis traditur à Trident. sess. 13. cap. 3. cuius verba hæc sunt: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem, sub panis & vini specie, vnà cum ipsius anima, & diuinitate existere. Sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypostaticam vnionem. Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie, atque sub vtraque contineri: totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* Huc vsque Trident.

4. Dicitur autem esse vi verborum, id quod verba præcisè significant, ita vt non essent vera, nisi illud esset. Cuiusmodi sunt corpus respectu formæ consecratiuæ panis; & sanguis respectu formæ consecratiuæ vini. Per concomitantiam verò dicuntur esse cætera, quæ corpus & sanguinem Christi comitantur, id est, quæ illis coniuncta sunt in Eucharistia, ratione connexionis, quam habent cum iisdem in statu Christi naturali. Deus enim conuenienter statuit, vt quæ sunt alibi in Christo coniuncta, non separentur in Eucharistia, si nihil aliud obstet, aut repugnet: eadémque connexio, quæ est inter illa, vt sunt extra sacramentum, sit inter eadem, vt sunt in sacramento. Alioqui minus bene esset Christo in Eucharistia. Cumque separatio neque necessaria sit, quia possunt illa simul poni; neque vtilis ad nostram salutem, propter quam Christus suscepit defectus: non debet asseri.

5. Quid intelligatur nomine corporis? non

Difficultas verò grauis est, quid hic nomine corporis, & sanguinis intelligendum sit? Aliqui vt Gabriel, lect. 42. in Canonem litter. E, F, G, H, per corpus intelligunt materiam primam. Sed illi impropriè vocant corpus, id quod corpus non est. Neque enim quando dicitur componi humanitatem ex corpore, & anima; communis hominum sensus est, quòd corpus illud sit materia prima: cùm alioqui materia prima vulgò nota sit, & non sit opus nomini materiæ, corporis nomen substituere. Deinde sequeretur ea quæ habent eandem materiam primam, habere idem corpus: Atque ita idem esse corpus hominis viuentis, & vermium ex illo mortuo genitorum: quia in vtrisque est eadem materia prima. Hoc autem est absurdum, & alienum à sensu & modo loquendi communi. materia prima.

Alii vt Palud. & Suar. disput. 51. sect. 4. conclus. 2. intelligunt compositum ex materia prima, & anima rationali, non vt anima est, sed vt dat esse corporeum, organicum, humanum. Verùm illi non relinquunt locum concomitantiæ reali, & physicæ; de qua Trident. suprà loqui videtur, non autem de logica tantùm, seu metaphysica. Nam concomitantia realis est tantùm inter diuersa, & connexa: non autem inter ea; quæ sunt penitùs idem realiter. Illa enim potiùs est identitas realis, & non tantùm concomitantia. Atqui anima vt est forma constituens esse corporeum, & vt est anima, est penitùs idem in re. Quare si ex vi verborum est in sacramento tanquam dans esse corporeum; est etiam per identitatem in sacramento, vt anima, & non tantùm per concomitantiam; vt ait Tridentinum. Adde magnam esse difficultatem in sententia Suaris quomodo vi verborum practicè, & effectiuè, ac physicè, attingatur anima secundum gradum dantem esse corporeum, & non secundum gradum animæ, ratione solâ distinctum. Adde præterea in triduo mortis Christi, nomine corporis, tale quid intelligi non potuisse. Et tamen verba tunc vera fuissent. 6.

Item iuxta eandem sententiam non fuisset idem corpus Christi viuum & mortuum. Nam corpus viuum constituitur intrinsecè per animam, illamque includit: corpus autem mortuum constituitur intrinsecè per formam inanimatam, nimirum per formam cadaueris, iuxta illorum auctorum sententiam: hæc autem constituta differunt essentialiter, & quidem multò magis, quàm homo viuus, & vermis ex eo mortuo genitus. Nam hæc duo conueniunt in genere corporis animati: illa verò tantùm in genere corporis mixti. Cadauer enim non potest constitui in genere corporis animati. Quare iuxta illam sententiam magis differunt corpus hominis viui & mortui, quàm corpus hominis viui, & vermis ex illo producti. Ac sicut non potest verè dici idem esse corpus hominis viuentis, & vermis: ita dici non posset idem esse corpus hominis viuentis, & mortui. Quare non fuisset idem corpus

Christi, quod de Beata Virgine natum est, & in cruce passum, quodque iacuit in sepulcro, & resurrexit: contra doctrinam, & modum loquendi. SS. Patrum, qui sæpius affirmant idem esse corpus, quod hæc omnia fecit, aut passum est. Nec obest, quod corpus hominis viuum, & mortuum minùs differunt in accidentibus, quàm homo, & vermis. Nam identitas, aut diuersitas corporis non sumitur ex accidentibus, sed ex esse substantiali illius. Quod enim facit ens, facit vnum. Ergo quæ magis conueniunt in esse substantiali corporis, sunt etiam magis vnum & idem in ratione corporis, quidquid sit de accidentibus. Et potiùs ex illa diuersitate maiori accidentium connaturalium deberent aduersarii inferre maiorem diuersitatem substantialem corporum, quibus illa accidentia sunt propria, & connaturalia (sicut fit in omnibus aliis substantiis naturalibus) si vellent sequi experientiam, & cohærenter philosophari. Vlteriùs iuxta eandem sententiam sequeretur corpus Christi fuisse corruptum substantialiter verè, & propriè loquendo: de quo tamen Psalm. 15. prædictum fuerat, & Actor. 2. repetitum, fore vt non videret corruptionem. Probatur sequela. Nam illud corrumpitur substantialiter verè, & propriè loquendo, quod mutatur intrinsecè & secundum se in aliam substantiam specie, aut genere diuersam. At corpus Christi per mortem fuisset mutatum intrinsecè, & secundum se, à genere viuentis, in quo ante mortem constitutum erat intrinsecè vt corpus, per animam rationalem, in genus inanimati, in quo post mortem constitutum fuit intrinsecè per formam cadaueris. Ergo fuit corruptum substantialiter. Nec obest quòd manserunt eadem accidentia. Quia corruptio substantialis non attenditur penes illa. Vel potiùs, vt supra dixi, ex eorum permanentia connaturali in eodem corpore, iudicandum est non fuisse factam substantialem illius mutationem, & corruptionem.

7. *Neque disiunctum ex corpore viuo, aut mortuo.* Alii tertiò, vt Vasq. disp. 186. cap. 3. & aliqui recentiores subtiles & eruditi aiunt per *corpus*, significari disiunctum ex corpore viuo, aut mortuo: vel, vt isti exponunt, disiunctum ex materia organizata; vel substantiali organizatione, quàm putant fieri formaliter per ipsam animam rationalem; vel organizatione accidentali, quæ fit per accidentia, quibus variæ partes materiæ diuersimodè afficiuntur. Itaque, inquiunt, nomine corporis intelligi potest verosimiliter materia prima, vt subest cuilibet ex his organizationibus. Nam vt subest illis, est materia organizata, & componens cum forma substantiali compositum, vel viuentis, vel cadaueris. Quod non aliter probant, quàm ex communi modo loquendi, & ex refutatione aliarum opinionum. Inde verò inferunt materiam poni ex vi verborum, non autem animam rationalem: quia licet anima non poneretur, verba possent esse vera ratione organizationis accidentalis.

Sed in contrarium opponi potest, nomine corporis intelligendam esse partem alteram naturæ humanæ, eo sensu quo dicitur homo constare ex corpore, & anima, & Verbum diuinum assumpsisse humanitatem constantem ex corpore & anima, vt iidem auctores fatentur. Atqui materia organizata substantialiter non est pars naturæ humanæ, sed est totum conflatum ex materia prima, & anima rationali organizante substantialiter per seipsam formaliter, vt volunt auctores citati. Quare nomen corporis non potest hic significare materiam sic organizatam. Neq; etiam disiunctum ex organizatione substantiali, aut accidentali: sicut vox, *homo*, non significat disiunctum ex homine, vel lapide, sed hominem tantùm distinctè, & determinatè: quia altera pars illius disiuncti non potest cadere sub eius significationem. Neque iuxta eorundem auctorum sententiam verè dici potest id quod addunt paulò post, dempta organizatione accidentali, posse diuinitus manere hominem, & adhuc esse compositum ex corpore, & anima. Nam impossibile est hominem esse compositum realiter ex corpore, & anima, si nomine corporis comprehenditur ipsa anima intrinsecè illud cōstituens in esse proprio corporis, id est, in esse materiæ substantialiter organizatæ, & animatæ, vt iidem auctores affirmant. Hoc enim esset dicere hominem componi ex homine, & ex anima: nam corpus ita sumptum est totus homo.

Respondent corpus esse tantùm materiam in recto, connotare verò formam in obliquo. Et sicut materia organizata non est homo; nec materia animata est homo, licet habeat ab anima formaliter esse organizatam, vel esse animatam: sic etiam licet habeat ab anima formaliter esse corpus humanum: non tamen idem est corpus humanum, quod humanitas: quia hæc dicit vtramque partem in recto. Corpus autem humanum dicit in recto materiam tantùm, & in obliquo formam substantialem. 8.

Sed hæc responsio mihi non satisfacit. Primò quia, vt aliquid sit verè totum à parte rei, non est necesse, vt nomen quo significatur, significet in recto quidquid habet: nam homo est totum à parte rei, licet vox hominis significet in recto hypostasim, seu suppositum quà tale, & in obliquo humanitatem, iuxta doctrinam eorundem Recentiorum in tract. de Incarn. disp. 13. sect. 3. Ergo licet corpus humanum significaret tantùm in obliquo formam substantialem, & in recto materiam; non propterea desineret esse à parte rei totum conflatum ex materia, & forma substantiali humana; hoc est, anima rationali. Existimo autem nomen corporis abstractè sumptum ab hypostasi, vt hîc sumitur, significare in recto totum id quod est: sicut humanitas in recto significat totam humanitatem, & albedo albedinem: concretè verò sumptum pro supposito prędicamētali, significat in recto hypostasin, & in obliquo *Refutatur evasio.*

corporeitatem: vt homo humanitatem; & animal animalitatem.

9. Secundò, Vt aliquid ponatur vi verborum ſufficit, quòd per verba ſignificetur (ſiue in recto, ſiue in obliquo) ita vt ſine illo poſito verba non eſſent vera. Ergo dato, & non conceſſo, quòd corpus ſignificet animam in obliquo, id non impedit quin ponatur vi verborum anima, ſi neceſſaria eſt, vt id quod ponitur ſit corpus Chriſti, prout ſignificatur in ſenſu verborum neceſſario. At ſenſus verborum neceſſarius, prout nunc proferuntur, eſt, vt ponatur corpus Chriſti humanum, & viuum, quale nunc habet, ex doctrina eorundem auctorum, quippè qui affirmant ad veritatem verborum non ſolùm requiri ea, ſine quibus in nullo caſu verba eſſent vera: ſed ea omnia, ſine quibus hic & nunc verba non eſſent vera. Nam, inquiunt, Si Chriſtus haberet verbi gratia corpus ieiuniis magis attenuatum: verba eſſent vera, licet non poneretur corpus ita plenum, ac de facto habebat. Nunc tamen ad perfectam verborum veritatem oportuit poni idem corpus, quale de facto habebat. Item inquiunt, ſi temporis decurſu perdidiſſet plures partes, & acquiſiuiſſet alias: verba eſſent vera, licet non ponerentur hæ partes, quas modo habet. Nunc autem ad veritatem verborum oportet poni corpus cum his partibus, quas de facto habet: quia, vt verba ſint vera, debet poni illud idem corpus, quod de facto habet Chriſtus; non aliud quod potuiſſet habere, & quod ſi haberet, illo poſito verba eſſent vera. Ergo ſimiliter ſi hoc corpus, quod nunc habet, conſtituitur per hanc formam ſubſtantialem, & ad verborum veritatem requiritur, vt ponatur illud corpus quod de facto habet Chriſtus; conſequens eſt vt verba ad ſui veritatem exigant hic & nunc, quòd ponatur tale corpus, cum tali forma ſubſtantiali. Ergo hic & nunc ponitur anima rationalis ex veritate verborum. Quam conſequentiam deducunt & admittunt iidem Recentiores: illa tamen aduerſatur eorum doctrinæ relatæ ſupra num. 7. initio; minùſque bene conuenire mihi videtur cum definitione Concilii Tridentini ſeſſ. 13. cap. 3. affirmantis corpus quidem & ſanguinem eſſe in Euchariſtia ex vi verborum: animam autem vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur,

10. Alii quatò, Exiſtimant nomine corporis, & ſanguinis intelligi debere aliquid ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi, vel vt tali formaliter, vel ſecundum gradum ſufficientem ad conſtituendum aliquid ſimpliciter ſubſiſtens. Verùm hæc opinio repugnat communi ſententiæ Theologorum aſſerentium hypoſtaſim Verbi non eſſe in ſacramento vi verborum, ſed ſolùm per concomitantiam. Quæ ſententia magis conſonat Trid. cap. cit. affirmanti diuinitatem hic eſſe propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem: animam autem vi illius naturalis connexionis, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur. Vbi videtur connexionem hanc comparare cum vnione hypoſtatica, ac proinde vtramque pariter à vi verborum excludere. Videtur etiam nomen diuinitatis latiùs ſumere, quàm pro ſola natura diuina, quæ per ſe immediatè non fuit vnita, ſed ſecundum hypoſtaſim Verbi. Ac licet nomine diuinitatis naturam intelligeret; ea tamen ſecundum contrariam opinionem non ſolùm propter concomitantiam, vt Trid. aſſerit, ſed propter realem identitatem eſſet in ſacramento. Inſuper hæc opinio ponit aliquid vi verborum in ſacramento, quod ad verborum veritam neceſſarium non eſt.

Neque aliquid ſubſiſtens ſubſiſtētia Verbi.

Nam licet corpus ſignificare poſſit aliquid ſubſiſtens partialiter, & incompletè, & non tantùm partem naturæ, ſed etiam partem ſuppoſiti: hæc tamen ſignificatio non eſt neceſſaria, ſed poteſt etiam accipi pro parte naturæ duntaxat. Quo ſenſu dicunt Philoſophi humanitatem componi ex corpore, & anima. Et Theologi cum D. Thom. p. 3. q. 5. & 6. docent communiter Verbum diuinum aſſumpſiſſe corpus, & animam: quod tam falſum eſſet, quàm aſſumpſiſſe hominem, ſi per *corpus*, aliquid ſubſiſtens intelligeretur. Nam cum aſſumi ſecundum mentem Theologorum nihil ſit aliud, quàm hypoſtaticè vniri: ſicut repugnat omnino quicquam ſubſiſtens vniri hypoſtaticè alteri, & alienâ ſubſiſtentiâ terminari, ſaltem quâ ſubſiſtens eſt: ita repugnat omnino aſſumi. Similitérque nomen ſanguinis, licet ſignificare poſſit conſtitutum ex natura ſanguinis, & ex eius ſubſiſtentia: poteſt tamen ſumi pro ſola natura; vt ſumitur à Theologis ibidem affirmantibus Verbum diuinum aſſumpſiſſe ſanguinem, aut ſanguinem fuiſſe hypoſtaticè vnitum Verbo. Quare hæc poſterior ſignificatio ad veritatem verborum ſufficit, & præterea commodior eſt ad explicandam concomitantiam, vt ex ſupra dictis colligitur.

Aliis ergo opinionibus reiectis exiſtimo dicendum nomine corporis intelligi alteram partem ſubſtantialem naturæ humanæ, componentem cum anima: quæ pars non eſt ſola materia prima, ſed compoſitum ex illa, & ex formis partialibus, quæ dant eſſe corporeum organicum humanum, vt dicemus inferiùs num. 20. & ſequentibus: nomine verò ſanguinis, intelligi compoſitum ex materia, & forma ſanguinis: ſemotâ vtrobique ſubſiſtentiâ. Hoc enim ſolum ad verborum veritatem neceſſarium eſt, & ad ſenſum Tridentini videtur magis accommodatum. Non eſt etiam neceſſarium nomine corporis ſanguinem comprehendi. Nam de corpore exſangui Petri v. gr. verè dicitur hoc eſſe corpus Petri. Neque verum eſt particulam *Hoc*, ſignificare ſemper aliquid 11.

subsistens; aut particulam *Meum*, significare corpus prout est Christi, & consequenter prout Verbo vnitum est. Nam pronomen *Hoc*, potest optimè demonstrare corpus secundum rationem suprà expositam. Particula verò *Meum*, in rigore denotat solum identitatem illius corporis cum eo, quod fuit, aut est Verbi: sic enim vulgò dicitur corpus Petri, vel Pauli, quod iam non est in ipso, sed antea fuit, & iterum erit. Quo sensu vera esset hæc propositio, Hoc est corpus meum: id est, hoc corpus est Christi, & Verbi: quamuis Verbum, & reliqua, quibus constat Christus, non essent in ipso sacramento. Ideóque non sunt in illo vi verborum. Sufficit enim quòd fuerit, vel sit alibi corpus vnitum Verbo, & componens cum illo Christum ita loquentem per se, vel per ministros suos. Confirmatur, quia illa particula *Meum*, non minus significat ipsum esse corpus naturæ humanæ Christi, quàm esse suppositi diuini. Ergo sicut eo non obstante non est necesse poni vi verborum reliquum naturæ Christi, nempe animam rationalem: sic neque hypostasim Verbi.

12. Obicies, Caro Christi constituit hoc sacramentum, quatenus est viuifica: Sic enim est sacramentum, & instrumentum nostræ sanctificationis. At cùm sacramentum Eucharistiæ sit excellentius omnibus sacramentis, quæ sunt, & esse possunt, caro Christi constituit hoc sacramentum, vt est hoc modo viuifica, quo nulla res creata viuifica esse potest. Est autem ita viuifica, quatenus est caro propria Verbi. Ergo vt sic est sacramentum. Item verba Christi sumenda sunt vt vera in maximè propria, & congrua ratione loquendi. Sed illa exigit vt corpus in Eucharistia sit proprium Christi loquentis, non modò alicubi, sed maximè in eo loco, & conditione, sub qua Christus dicit illud esse suum corpus. Dicit autem non alibi tantùm, sed specialiter in Eucharistia, & sub speciebus panis, esse suum, ac proinde Verbo vnitum hypostaticè. Ergo debet in Eucharistia esse tale, ad hoc vt verba Christi sint in proprio sensu vera. Confirmatur, quia non potest dicere propriè Verbum diuinum, quòd corpus ibi sit suum, vbi esset ab eo alienum. Sed si in Eucharistia esset sine vnione, quamquam alibi eam haberet, esset in Eucharistia alienum à Verbo: esset enim suppositum merè humanum, & nudus homo, eo ipso præcisè quòd cessaret esse vnitum hypostaticè. Confirmatur 2. quia ex eo, quòd in symbolo dicatur filius Dei sepultus, colligunt Patres, & Theologi, non fuisse dissolutam vnionem hypostaticam Verbi, sed mansisse in corpore quando sepeliebatur. Itaque non sufficeret, vt diceretur filius Dei sepultus ratione sui corporis, illud corpus alias fuisse vnitum Verbo, seu filio Dei. Ergo neque vt verbum propriè dicat demonstrando Eucharistiam, *Hoc est corpus meum*, sufficit quòd illud corpus fuerit antea, vel sit alibi vnitum Verbo.

Ad primum Respondeo, Carnem Christi constituere hoc sacramentum præcisè ex vi verborum, quatenus est ipsamet caro Christi, & Verbi diuini, per identitatem. Ex quo etiam virtutem habet specialem viuificandi, qualem alia sacramenta non habent, nec vlla res purè creata habere potest, id est, nullum habens respectum ad vnionem hypostaticam. Reipsa verò est etiam Verbo vnita in sacramento per concomitantiam; licet ad verborum veritatem in rigore non requiratur esse vnitam: neque id sit necessarium, vt sit viuifica excellentiori modo, quàm reliqua sacramenta. Fundamentum enim illius excellentiæ sufficiens est, quòd ipsamet caro Christi sumatur in hoc sacramento vi verborum: & quod vi decreti diuini caro illa sit inseparabiliter vnita Verbo hypostaticè, vbicunque est: atque ad eius applicationem diuinitas gratiam operetur infallibiliter in quibuscunque dignè recipientibus: illaque operatio sit carnis, & humanitatis Christi specialiter propria, quia reipsa constituit vnum suppositum cum diuinitate operante. 13. Soluuntur argumenta contraria.

Ad secundum Respondeo, Verba Christi sumenda esse vt vera in rigore: non autem in quacunque latitudine sensus, quem congruè possunt recipere. Alioqui significarent etiam corpus illud esse vnitum animæ (sic enim maximè propriè Christi est) & constare sanguine, aliisque omnibus, quæ corpori viuo naturaliter, ac necessariò conueniunt. Quod est falsum. Nam sanguis non est vi verborum sub specie panis: nec anima sub vtraque, cum corpore, & sanguine, vt definit Trident. sess. 13. cap. 3. Dico igitur in rigore verborum corpus Christi significari, vt proprium illius per identitatem, non autem vt vnitum hypostaticè Verbo in Eucharistia: sicut etiam non significatur vt vnitum animæ; alioquin anima esset in sacramento vi verborum, contra Trident. cap. cit. Est enim impossibile corpus significari vt vnitum animæ, & non significari simul animam vt vnitam corpori. Estque pariter impossibile poni corpus vt vnitum animæ, & non poni animam vt vnitam corpori: aut existere vnum vt vnitum, sine alio pariter vnito: Cum hæc duo vel in idem coincidant, vel sint correlata, & relata sint simul natura, & cognitione: sitque impossibile esse vnum correlatum vt tale, & non esse aliud. Vnde similiter est impossibile significari per verba corpus vt vnitum hypostasi Verbi, & non significari iisdem verbis hypostasin vt vnitam corpori: Ponique vi verborum corpus vt vnitum hypostasi, & non poni hypostasin vt vnitam corpori. Ideóque non cohærent illa duo dicta aduersariorum: vnionem hypostaticam esse vi verborum in sacramento, prout illa vnio se tenet ex parte corporis, & illi identificatur: secus verò, vt se tenet ex parte Verbi. Nam cum non possint hæc duo neque significatione, & conceptu, neque positione & existentia separari: impossibile est vnum significari vi verborum, 14.

& non significari aliud: & vnum vi verborum non poni, posito alio.

15. Ad priorem confirmationem Respondeo, Licet corpus Christi esset reipsa in Eucharistia sine vnione hypostatica; adhuc tamen esset proprium Verbi per identitatem: quia esset illud ipsum, quod hypostaticè vnitum est, aut fuit antea. Idque verum foret, quamuis in Eucharistia corpus illud haberet propriam subsistentiam, loco diuinæ: in quo tamen casu non esset suppositum, & persona, sed pars actu, vel aptitudine, alicuius suppositi, vt constat ex dictis alibi. Ad posteriorem, dico non esse parem vtrumque loquendi modum. Nam in primo non dicitur dumtaxat corpus Christi, seu Verbi incarnati, fuisse sepultum, & eius animam descendisse ad inferos: ad quod in rigore sufficeret identitas eiusdem corporis, & animæ; sed dicitur ipse Christus seu Filius Dei, sepultus, & descendisse ad inferos: quod manifestè aliquid amplius significat, & plus requirit ad saluandam proprietatem verborum. Contra verò in Eucharistia Christus tantùm asserit hoc corpus, quod demonstrat sub speciebus panis, esse corpus suum: non autem asserit seipsum, aut Verbum diuinum esse illud, quod sub speciebus proponit & demonstrat. Vt autem essent pares locutiones, & bona comparatio aduersariorum, debuisset Christus dicere, Ego ille ipse sum, qui sub speciebus panis me edendū propono: vel, Accipite, & comedite: Hoc est Verbum incarnatum, seu filius Dei: sicut in symbolo dicitur de ipso Verbo, seu filio Dei, Conceptus est de Spiritu sancto, natus de Maria Virgine, passus, crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos.

SECTIO II.

Quomodo Christus sit in Eucharistia quoad integritatem corporis, & sanguinis, & quoad accidentia?

16. SVperest quærere primo, an nomine corporis totum, & integrum Christi corpus intelligendum sit, & nomine sanguinis, totus sanguis? Ratio dubitandi est, quia de corpore mutilo verè dici potest, Hoc est corpus meum; & de sanguinis portione, v. g. extracta è vena, verè dici potest, Hic est sanguis meus. Ergo non est necessarium ad verborum veritatem totum corpus, & sanguinem poni. Ergo non ponitur totum vi verborum. Et iam difficultas erit, cur hæc potius portio sanguinis, quàm alia; aut hæ corporis partes, quàm aliæ?

Nomine corporis, totū Christi corpus intelligi debet.

Respondeo cum D. Thom. & aliis communiter, intelligendum esse totum Christi corpus, & totum sanguinem, quantus est in specie naturali extra sacramentum. In hunc enim sensum perfectum propositio Christi accipienda est, cùm sit indefinita & æquiualeat vniuersali, neque habeat vnde potiùs vnam partem, quàm aliam significet. Neque obest, quod Christus addidit Luc. 22. *Qui pro vobis effunditur*. Nam moraliter totus sanguis Christi fuit in passione effusus: & hæc particula non fuit addita ad limitandum, sed ad commendandum valorem illius sanguinis. Neque verò exempla in ratione dubitandi allata sunt similia. Nam propositiones illæ habent vnde limitentur per mutilationem, & separationem antea factam: & propter illam pronomen demonstratiuum determinatur ad corpus mutilum, aut portionem sanguinis è vena extractam. At in Eucharistia corpus & sanguis Christi ponuntur vi verborum, prout ibi existunt. Quare cùm aliunde non supponatur facta esse mutilatio, aut minutio sanguinis, sed vtrumque in Christo integrum existat in statu naturali: si poneretur in Eucharistia corpus mutilum, aut sanguis diminutus, deberet illa mutilatio, & diminutio fieri vi verborum. Non potest autem vi illorum fieri, siquidem non magis ex se significant vnam corporis partem, aut sanguinis portionem, quàm aliam: ideoque non est cur ponant vnam, potiùs quam aliam. Dicendum est ergo poni totum & integrum corpus & sanguinem, prout existit in specie naturali ipsius Christi.

Porro si sanguis Christi in propria specie non habeat continuitatem, probabilius puto non poni in Eucharistia vt continuum, ex vi verborum. Adeóque sanguinem non vnitum, & non continuatum in corpore Christi in statu naturali, esse quoque discontinuum & non vnitum in sacramento. Ratio est, quia sequitur, quantum fieri potest, modum essendi in statu naturali: & positio eius totius in eodem loco, vel in eodem indiuisibili loci, non facit vt vniantur inter se partes sanguinis, quæ extra sacramentum non sunt vnitæ. Quemadmodum confusio partium corporis in eodem loco, non facit vt caput vniatur immediatè pedibus, sed collo. Neque vrget ratio Suaris contrarium sentientis disp. 51. sect. 3. §. *Sed quares obiter*, quòd scilicet res liquidæ vniuntur, & continuantur inter se, eo ipso, quòd habent localem approximationem: Id enim tantùm verum est de rebus illis existentibus modo naturali extenso, & diuisibili. Alioqui vinum prophanum calici infusum, vniretur similiter sanguini Christi, quod est absurdum.

Quæritur secundò, si in triduo passionis Christi, Apostoli consecrassent, fuissetne in Calice vi verborum sanguis effusus cum alia parte restante in Christi corpore mortuo, posito quòd non omnem in mathematico rigore effuderit? Ratio dubitandi est, quia tunc extra Sacramentum non erat connexio naturalis inter sanguinem effusum, & sanguinem residuum. Quare sicut nunc, si Christus resurgens non resumpsit præputium; non ponitur illud vi verborum, defectu con- 17.

Debeatne etiam totus eius sanguis intelligi nomine sanguinis.

nexionis, siue vnionis naturalis: Ita nunc etiam, si quæ particula sanguinis in terris fuit relicta, non ponitur vi verborum in calice, neque per concomitantiam. Est autem par ratio vt non poneretur sanguis ille residuus in corpore Christi mortuo.

Respondeo debuisse poni vi verborum sanguinem illum totum, qui adhuc erat sanguis Christi siue effusus, siue non effusus. Sensus enim perfectus illius propositionis hoc postulat, quæ est indefinita, æquiualens vniuersali, & non magis vnum quàm alium demonstrat vi verborum: id est, non magis effusum, quàm non effusum; aut contra. Alia verò est ratio de sanguine relicto à Christo resurgente, qui non est amplius sanguis Christi, id est, pars Christi neque actu, neque potentia: sed tantùm per ampliationem dicitur sanguis Christi, quia fuit Christi. Eodemque modo philosophandum est de præputio, si in perpetuum relictum est à Christo. Sin autem resurgens illud resumpsit: nō debuit nihilominus poni in sacramento, ante resurrectionem à Christo ipso in nocte cœnæ instituto & effecto. Quia corpus ex vi vocis, & communi modo loquendi non significat partes exiguas non continuatas, aut non componentes actu cum aliis: & talis particulæ separatio præuia, satis determinat propositionem ad corpus sine illa significandum, & demonstrandum quantum est in statu naturali Christi. Alia tamen est ratio de sanguine, quia partes sanguinis non dicunt continuationem, neque continuantur omnes inter se in corpore humano, sed diuersis vasis, & venis includuntur. Ideoque non requiritur continuatio inter illas, vt significentur nomine sanguinis, comprehendanturque hac propositione, Hic est sanguis meus: dummodo verè sint sanguis Christi.

18\. Quæres tertiò, an Pater, & Spiritus sanctus sint etiam per concomitantiam in Eucharistia? Respondeo affirmatiuè. Quia verbum, & diuinitas est ibi per concomitantiam, propter vnionem cum corpore, & sanguine. Pater autem, & Spiritus sanctus, ratione circuminsessionis sunt omnino inseparabiles à Verbo, & à diuinitate. Sed non propterea panis, & vinum in ipsos conuertuntur: quia terminus *ad quem* conuersionis debet fieri actione conuersiua, vt supra diximus: & non est terminus conuersionis nisi illud, quod vi verborum ponitur. Neque etiam possunt dici manducari sacramentaliter: quia non traiiciuntur in stomachum per motum localem, cuius sunt incapaces secundum se: vnde etiam non possunt manducari secundum se. Sed neque etiam dici possunt manducari denominatiuè per communicationem idiomatum sumptam à corpore vnito hypostasi Verbi. Quia illa communicatio non extenditur ad personas relatiuè oppositas Verbo vnito humanitati, vt suo loco diximus.

Pater & Spiritus S. sunt in Euchar. per concomitantiam.

19\. Quæritur quartò, vtrum accidentia Christi Domini sint in Eucharistia vi verborum? Respondeo non esse vi verborum, sed per concomitantiam. Ita D. Thom. quæst. 76. art. 4. & alii communiter. Ratio primæ partis est, quia vi verborum id solum est in sacramento, quod ad eorum veritatem necessarium est, & ad quod directè, & per se terminatur conuersio: Accidentia autem non sunt huiusmodi.

Accidentia Christi non sūt in Euc. vi verborū, sed per concomitantiam.

Secunda pars probatur, Quia propter naturalem connexionem corporis, & sanguinis Christi cum accidentibus suis, conueniens est vt habeat illa in sacramento: si nimirum id de aliquo non repugnet, vel nihil aliud obstet. Quæ limitatio sumitur ex D. Thoma quæst. cit. art. 5. ad 3. vbi ait concomitantiam sacramentalem non habere locum in accidentibus extrinsecis, quæ à loco, vel ab alio quopiam extrinseco peculiarem dependentiam habent, ratione cuius vel repugnat omnino, vel non est conueniens, vt corpus Christi comitentur. Cuiusmodi sunt præsentia, & motus localis, distātia vel indistantia ab alio quopiam, figura, & extensio partium extra partes: quæ tamen omnia non sunt vera accidentia physica, sed modi se habendi, aut respectus secundum dici, qui de re prædicantur accidentaliter. Si quæ tamen sunt vera accidentia, quæ similem habeant repugnantiam, vel disconuenientiam; in iis concomitantia sacramentalis non habet locum. In cæteris verò habet: quia mensura status Christi sacramentalis, est status naturalis Christi: Et perfectio illius status est mensura perfectionis status sacramentalis. Alioqui sacramentum redundaret in imperfectionem Christi: Et minùs ei delectabile foret in sacramento esse, si in eo spoliaretur suis perfectionibus: quæ spoliatio, cùm alioqui neque necessaria, neque vtilis sit ad bonum finem, non debet asseri. Hinc colligo quantitatem corporis Christi esse in Eucharistia, si non est ipsamet eius extensio actualis, sed radix impenetrabilitatis, vt multi volunt. Esse item qualitates corporeas primas, & secundas, & qualitates animæ naturales, ac supernaturales.

Contra primam partem responsi suprà dati sentiunt Gabriel Vasq. disp. 187. cap. 4. & alii quidam, qui contendunt accidentia naturalia corporis Christi esse in Eucharistia vi verborum. Quoniam inquiunt corpus Christi hic ponitur vi verborum, vt organicum est, & heterogeneum. Atqui non est tale nisi per accidentia, per diuersas scilicet partium dispositiones, & affectiones naturales. Ergo, &c. 20.

Respondeo, Poni vi verborum ut organicum est substantialiter: Et esse tale formaliter per formas partiales substantiales, animæ subordinatas: non autem per accidentia, quæ ad summum organizationem tantùm accidentalem constituunt, & ad substantialem disponunt consistentem in formis substantialibus, quæ dant formaliter esse carnis, ossium, neruorum, venarum, musculorum,

cartilaginum, &c. quæque anima abscedente remanent in corpore mortuo. Vt rectè docent & fusè probant è recentioribus Aegid. Conine in dub. ad art. 2. quæst. 76. & Dandin. in lib. 2. de Anima text. 11. digress. 8. parte 3. vbi etiam ostendit eandem esse sententiam Aristotelis.

21. Datur in homine formæ partiales. Qui autem dicunt nullas esse in homine partiales formas substantiales, contendunt contra satis manifestam experientiam. Nam cùm anima possit separari in instanti, vel in tempore imperceptibili, non est credibile tam multas formas subitò generari sine præuiis dispositionibus necessariis: nempe formam cerebri, iecoris, cordis, ossis, &c. quæ formæ post animæ separationem existunt in corpore vndecunque mors contingat, siue caloris excessu, siue frigoris; siue vulnere, siue morbo. Diuersas autem esse, & distinctas substantialiter, non minùs apparet experientiâ: quàm formas sanguinis, pilorum, vnguium, &c. quæ per ipsosmet aduersarios distinguuntur tum inter se, tum à forma carnis, vel ossis. Non enim minùs differunt proprietatibus, & affectionibus naturalibus & intrinsecis. Quare credibilius est, quòd sicut formæ sanguinis, & pilorum substantialiter differunt, & in corpore viuo præextiterunt: sic, &c. Maximè verò cùm appareat cadauer esse potiùs residuum quid ex viuente extincto, quàm nouum compositum substantiale à natura factum. Et hæc opinio commodior item est Theologis ad explicandum quomodo corpus Christi idem numero in sepulcro iacuerit, & resumptum fuerit, sine productione, & destructione formæ cadaueris. Quomodo item corpora sanctorum eadem sint, quæ ab eorum animabus informata sunt, & informabuntur iterum. Philosophis autem commoda est ad tuendum materiam nunquam esse naturaliter destitutam omni forma substantiali, & ad explicandam Aristotelicam definitionem animæ, *Est actus corporis organici*, &c. & id quod communiter dicitur, hominem componi ex corpore, & anima; qui loquendi modus de terra, igne, lapide, & similibus non vsurpatur, tametsi gradus corporei distingui possit in eorum formis ab vltimo gradu specifico, non minùs quàm in anima.

22. Quo sensu generatio vnius est corruptio alterius? Quod autem dicit Aristoteles, generationem vnius esse corruptionem alterius, non est vniuersaliter intelligendum, sed vt plurimum, &, si est totalis rei corruptio. Quod item ait manum abscissam esse æquiuocè manum, verum est vel de manu sumpta vt instrumentum est, & organum aptum ad functiones vitales: vel etiam substantialiter, vt viua est: quia vt sic, includit animam. Nec verum est quod obiiciunt aliqui, sufficere animam ad tribuendum id, quod per formas partiales tribuitur: quia cum sit perfectior omnibus illis formis partialibus, continet in se, quicquid illæ perfectionis habent. Illud enim quod ab anima præsupponitur in subiecto, non tribuitur formaliter ab ipsa. Ac licet anima per informationem tribuat aliquod esse substantiale materiæ; non tamen omne, nec illud peculiare, quod per formas partiales tribuitur. Licet etiam sit perfectior formis partialibus: non propterea dat formaliter id, quod illæ continent. Alioqui daret etiam formaliter id quod continent accidentia. Quod si formæ illæ parum durant in cadauere, causa est, quia earum dispositiones sunt debilis resistentiæ: ideoque abscedente anima, cuius influxu fouebantur, & reparabantur, facilè deficiunt. Cuius rei indicium est quòd si à corrumpentibus remoueantur, aut balsamo liniantur, diutissimè durant. Confirmatur ex forma sanguinis, neruorum, vnguium, pilorum, &c. quas tamen distingui non negant aduersarii: neque volunt illud esse formale, quod per eas tribuitur, ab ipsamet anima tribui. Et tamen forma sanguinis non minus facilè corrumpitur post abscessum animæ, vel post eius separationem à corpore viuente, quàm forma carnis, aut neruorum: neque plus durant pili, & vngues, quàm ossa & dentes. Non obest etiam quod plerique dicunt, Vnius entis corporei non esse nisi vnicam formam substantialem, quia forma dat esse simpliciter: Et quidquid aduenit enti constituto in actu, aduenire per accidens, & facere vnum per accidens: Constituitur autem ens in actu per formam substantialem. Hæc enim axiomata, vt vera sint, debent intelligi de esse simpliciter omnino completo & perfecto; deque actu similiter planè completo. Cuiusmodi esse, & actus, non datur per eas formas substantiales, quæ naturaliter ordinantur ad aliam perfectiorem, ad illamque disponunt, & ei inseruiunt, constituendo partes organicas corporis, quod informat quibusue vtitur ad vitaliter operandum. 23.

Obiicit Delugo disp. 8. sect. 4. num. 62. & sequentibus: Formæ partiales non faciunt cum materia vnum ens completum: alioqui non posset materia rursus actuari per formam rationalem. Ergo abeunte anima, non potest materia manere naturaliter cùm solis illis formis: sicut non potest manere sine vlla prorsus forma, ratione sui incomplementi. Secundò, idem dicendum esset de cadauere equi, ac de cadauere hominis, imò & de arbore excisa. Quis autem credat lignum mortuum esse ens minùs completum, quàm ferrum vel lapidem? Tertiò, non est iuxta naturam rerum, quòd corrumpatur aliqua forma substantialis absque introductione alterius. Corruptio enim non intenditur propter se, sed propter generationem; & ideo dicitur generatio vnius esse corruptio alterius. Quando ergo corrumpitur viuens, debet introduci alia forma substantialis; alioqui dabitur corruptio vnius, sine generatione alterius. Item dabitur è contra generatio vnius absque corruptione alterius, putà quando in Embryonem introducitur forma viuentis.

23. Ad primum Respondeo, Negando consequentiam. Licet enim formæ illæ partiales non sint ita completæ, vt non ordinentur naturaliter ad aliam perfectiorem, ad quam disponunt materiam substantialiter: sufficiunt tamen vt materia existat cum illis, à quibus plus accipit perfectionis, quàm à forma ferri, vel lapidis. Et manifestum est non esse tantum incomplementum materiæ sub illis formis, atque est materiæ nudæ. Quare non sequitur materiam non posse existere naturaliter cum priori incomplemento, si non potest existere cum posteriori, vt fert communis Philosophorum sententia. Adde quod si necessarium esset aduenire formam cadaueris ad constituendum ens completum cum materia, quæ alioqui non potest sine illa existere homine mortuo, sequeretur corpus Christi constitutum per talem formam in esse cadaueris, fuisse naturam omnino completam in genere substantiæ: & compositum ex illa natura completa, & ex hypostasi Verbi constitutum, fuisse totum quoddam & integrum perfectúmque suppositum, de quo per communicationem idiomatum verè dici potuisset, Cadauer est Deus, cœlum & terram creauit, homines redemit, &c. quod absurdum & inauditum est.

Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ.

Ad secundum Respondeo, Non esse difficilius id credere, quàm credere, quod verissimum est, centum leucas aquæ oceani quamdiu sunt aliis coniunctæ, & cum illis vnum totum constituunt, esse ens minùs completum, quàm sit vnica gutta separata, aut aqua modica vase inclusa, quæ vt sic, totum quoddam est integrumque suppositum. Aliud autem est esse ens minùs completum: & aliud esse ens minùs perfectum. Animá rationalis est ens minùs completum, quàm ferrum, aut lapis: & tamen longè perfectior est.

Ad tertium Respondeo, Corruptionem non intendi propter se, sed sequi naturaliter ex introductione dispositionum disconuenientium formæ, quæ expellitur. Quæ introductio fit ab agentibus naturalibus intendentibus passum sibi assimilare: sed non semper talis, vt ad nouam formam substantialem introducendam sufficiat. Neque debet à Deo defectus ille suppleri si materia retinet aliam formam substantialem, sub qua possit conseruari: vt fit in casu, de quo loquimur. Quis vero sit sensus illius axiomatis, Generatio vnius est corruptio alterius; paulò ante exposuimus numero vigesimo secundo. Ostendimus etiam numero sexto in fine, inconueniens esse existimare corpus Christi fuisse corruptum substantialiter per introductionem formæ cadaueris, loco animæ rationalis.

SECTIO III.

De præsentia Christi in Eucharistia.

Dico primò Christum, vltra præsentiam naturalem, & extensam, quam habet in cœlo; habere aliam multiplicem miraculosam, & sine extensione partium extra partes, in sacramento Eucharistiæ. Hæc conclusio traditur à Trident. sess. 13. cap. 1. vbi ait hæc inter se non repugnare vt ipse Saluator noster ad dextram Patris in cœlis assideat iuxta modum essendi naturalem: & vt multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit. Quam præsentiam sacramentalem magis explicans can. 3. definit, In venerabili sacramento Eucharistiæ sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: Et nimirum etiam ante separationem: quia separatio non facit, vt sit vbi antèa non erat. Sola enim consecratio ponit corpus & sanguinem sub speciebus, sub quibus antea non erat. Diuisio autem specierum non est consecratio. 24.

Christus habet multiplicem præsentiã localem in Eucharistia & in cœlo.

Ad idem confirmandum valent quæcunque suprà attulimus ad probandum Christum verè, & realiter in Eucharistia contineri: & ibi esse modo indiuisibili, totum in toto, & totum in qualibet parte: quod non esset, si haberet ibidem extensionem partium extra partes. Ex verbis autem Trident. allatis corrigendi sunt Catholici quidam negantes Christum in Eucharistia esse in loco: cùm Trident. expressè illis contradicat, his verbis: *Et multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit.* Vel ita benignè explicandi sunt, vt tantùm velint Christum in sacramento non esse in loco modo naturali, & corporeo, sed spiritali, & miraculoso. Quo sensu loquitur D. Thom. quæst. 76. art. 5. in cor. vt ratio ab eodem allata ibidem ostendit. Et D. August. lib. 20. contra Faustum cap. 11. eodem sensu ait Christum vnam tantùm præsentiam localem habere, naturalem scilicet, & corpoream. Quod autem addit epist. 57. ad Dardan. *Spatia tolle corporibus, & nusquam erunt: Et quia nusquam erunt, neque erunt:* ita intelligendum est, quòd spatiis sublatis, corpora naturaliter, & de potentia ordinaria nusquam futura sint: licet absolutè in indiuisibili esse possint. 25.

Quod si quæras vtrum præsentia Christi localis in sacramento circumscriptiua sit, an definitiua? Respondeo neutram esse. Nam esse præsens circumscriptiuè, est commensurari, & coëxtendi loco, ac secundum varias sui partes variis loci partibus respondere. Esse autem præsens definitiuè, est ita esse alicubi, vt res alibi nusquam sit. Christus autem neutro modo est localiter præsens in 26.

Præsentia Christi in Eucharistia sitne definitiua.

sacramento: nam neque spatio commensuratur, neque desinit esse in cœlo, quando est in sacramento. Hi tamen duo modi essendi in loco sic explicati, vt à D. Thom. art. cit. ad 1. & ab aliis multis explicantur, adæquati non sunt: sed præter illos alius est, neque circumscriptiuus, neque definitiuus, sed neuter; æquè tamen verus, ac proprius. Vt enim verè, ac propriè quippiam sit in loco, sufficit vt verè, ac propriè sit indistans à spatio, eique intimè assistat. Ad quod impertinens est, quòd res habeat, aut non habeat partes, vel vsum extensionis actualis: aut quòd alibi sit, vel non sit: neque enim minùs verè est, vbicunque est, quamuis simul alibi sit. Nec minùs res indiuisibiles, aut inextensæ sunt aptæ esse in loco, quàm res diuisibiles, aut extensæ: sunt enim æquè aptæ esse in aliquo spatio per intimam præsentiam, & indistantiam sui ab illo.

28. Contra conclusionem tria opponunt hæretici. Primò, quòd repugnet esse corpus humanum, & esse inextensum localiter, esseque in indiuisibili, vel totum in toto, & totum in qualibet parte spatii. Hoc enim est habere proprietates spiritus, & non ampliùs esse corpus, cui essentiale est habere partes extra partes situ differentes. Secundò, quòd repugnet pariter dari penetrationem dimensionum, sine qua impossibile est corpus humanum esse positum in indiuisibili, aut totum in toto, & totum in qualibet parte. Tertiò, quòd repugnet vnum, & idem corpus esse simul in pluribus locis, siue circumscriptiuè, siue quouis alio modo, propter contradictiones, & absurda, quæ inde sequuntur.

Christum fuisse simul in pluribus locis probatur ex Script.

Verùm ad duo priora responsum fuit alibi, disput. 30. sect. 12. Ad tertium Respondeo contrarium potiùs ex Scriptura satis apertè ostendi posse. Nam Psalm. 109. de Christo dictum est, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et Actor. 3. dicitur cœlum ipsum recepisse vsque ad tempus restitutionis omnium, id est, vsque ad diem iudicii extremi, ibique semper, atque indesinenter residere fatentur aduersarii. Et tamen Actor. 23. apparet Christus Paulo in carcere, ipsique adstat, & innititur iuxta vim textus græci, ἐπιστὰς αὐτῷ, id est, assistens, adstans, innitens ipsi: quod fieri non potuit: si de cœlo tantùm apparuit.

29. Et cap. 9. narratur alia Christi apparitio Paulo facta in via, cum pergeret Damascum: in cuius narratione quatuor sunt notanda. Primò, quòd Paulus, & eius comites, vocem Christi loquentis audierint; quod signum est non longè abfuisse. Nisi quis dicat vocem nouo miraculo ad aures eorum à cœlo vsque peruenisse: Cum tamen Ananias ibidem affirmet audisse Paulum vocem de ore eius: & huius alterius miraculi nullam mentionem faciat Scriptura: neque dicat Christum è cœlo apparuisse Paulo, vt de Stephano dixerat cap. 7. Vtriusque autem historiæ idem scriptor est, qui omnino in vtriusque narratione pari simplicitate & fidelitate est vsus. Secundò, quòd Paulus Christum sibi apparentem non nouerit. Facilè autem nosse potuisset, si, vt Stephanus, Christum ad Patris dexteram in cœlo vidisset, vbi residere à Stephano audierat. Tertiò, quòd dicatur apparuisse illi in via, quà veniebat, ἐν τῇ ὁδῷ ᾗ ἤρχου, quasi velit significare Scriptura Christum Paulo occurrisse, & in eadem via fuisse. Quartò, quòd qui apparet, Iesum se esse affirmet, idque Ananias Paulo confirmet ibidem, & Paulus ipse Iudæis, & Agrippæ Act. 22. & 26. & 1. Corinth. cap. 9. vers. 1. & cap. 15. vers. 8. quibus duobus vltimis locis significat non minùs sibi apparuisse, quàm cæteris Apostolis. Quare dici non potest phantasma, vel Angelum, vel aliud quippiam Christi loco apparuisse.

Eadem repugnantia imaginaria Caluinistarum refelli potest efficaciter exemplo animæ rationalis in corpore, & Angeli in aliquo spatio diuisibili, & Dei in toto vniuerso existentis indiuisibiliter per suam entitatem indiuisibilem, totam vbique præsentem, vt hæretici ipsi fatentur. Quibus exemplis tollitur præcipua difficultas, quòd idem, totum in diuersis locis existens, videatur quodammodo multiplicari, & à seipso diuidi, & extra seipsum existere. Nec refert quòd anima, vel Angelus, non possint naturaliter simul esse in locis discretis, vel quòd habeant quantitatem indiuisibilem, & inextensam, corpus autem diuisibilem, & extensam. Nam infinitè plus omnipotentiæ diuinæ dari debet, quàm naturali facultati animæ, vel Angeli. Et repugnantia, si vlla esset, vtrobique esset. Ac si entitas animæ, vel Angeli, non obstante limitatione, & vnitate sua, potest nihilominus sine contradictione, & sine diuisione à seipsa, fieri præsens diuersis locis, in quibus tota sit; quidni etiam substantia, & quantitas, & extensio corporis, non obstante sua limitatione naturali, vel vnitate suæ entitatis? Vnde collige non repugnare etiam multiplicem Christi, aut alterius corporis, præsentiam circumscriptiuam, id est, cum extensione partium in ordine ad locum. Nam difficilius non est, vt Christi corpus sit in pluribus locis diuisibiliter: quàm vt in cœlo sit diuisibiliter, & indiuisibiliter in sacramento. Imo hoc secundum magis miraculosum est, magisque alienum à naturali exigentia corporis. Et argumenta, quæ à quibusdam Theologis, ac Philosophis incautioribus fiunt in contrarium; æquè impugnant præsentiam multiplicatam posteriori modo. Quæ autem afferuntur ab hæreticis, vana sunt, & exemplis allatis, quamuis naturalibus, facilè refelluntur. 30.

Probatur exemplo animæ rationalis non repugnare idem corpus esse in pluribus locis.

Nam quod aiunt, fore vt corpus à seipso diuidatur, & distet, vtque de cubitali fiat bicubitale, vel decubitale, vel infinitè maius, nulla additione facta: vt denique vno in loco quiescat, & moueatur in altero: in vno 31.

comedat, pinguescat, non moriatur: in altero esuriat, macrescat, moriatur: occurrat sibi ipsi, se verberet, & interficiat, & sepeliat corpus suum exanime, si velit, aut suo funeri assistat. Hæc, inquam, & similia vana sunt, & in exemplis naturalibus superiùs allatis patiuntur instantiam.

Primùm enim, Corpus in duobus locis positum non propterea diuideretur, aut distaret à seipso entitatiuè, sed tantùm localiter: id est, haberet quidem diuersa loca, & distantia; sed non diuersam entitatem. Sicut anima rationalis prout existit in pede, differt localiter à seipsa, prout existit in capite. Similitérque de cubitali non fieret bicubitale entitatiuè, sed localiter tantùm: id est, occuparet quidem locum bicubitalem, & per replicationem illi adæquaretur: sed non propterea haberet duos cubitos entitatis. Sic Angelus existens in puncto, seque postea extendens localiter, non propterea crescit entitatiuè: sed per eandem entitatem indiuisibilem, multoties replicatam, incipit respondere, & adæquari localiter spatio diuisibili. Sic etiam anima rationalis, crescente corpore, quod ipsa informat, crescit localiter, sed non entitatiuè. Denique ipsa mouetur interdum in manu, & non mouetur, sed quiescit in pede: comedit in ore, & non comedit in oculo: occurrit sibi ipsi, quando manus altera ad alteram accedit, sibique ipsi dolorem infligit: & si non vitam, quia est immortalis, informationem tamen sibimetipsi eripit, & vnionem cum corpore, vel ex parte, vel ex toto, quando aliquis sibi manum abscindit, vel mortem infert: atque ita suo cadaueri vel partiali, vel totali assistit, si velit, ac sepelit. Quare vel exemplo illo naturali corrigere possunt suam prauam imaginationem hæretici. Illud autem Angeli ad mulieres, Matth. 28. *Non est hic, surrexit enim:* vel narratiuè tantùm, non illatiuè dictum est: vel etiam illatiuè familiari sermone, qualis decebat mulieres, in quo non attenditur quid metaphysicè & absolutè, sed quid communiter fiat. Vel denique quia Christus dixerat se, vt Ionam de ceti ventre, exiturum de sepulcro, ita vt ibi non remaneret: vnde meritò dixit Angelus: *Non est hic, surrexit enim, sicut dixit.* Vide Suar. disp. 48. vbi de hac tota quæstione suo more fusissimè, & luculentissimè disputat: neque enim in quæstione adeo trita in philosophia libet ampliùs immorari.

32. *Error hæreticorum recentiorũ Deum non esse vbique nec animã in toto corpore.*

Moneo tantùm recentiores quosdam Caluini Ministros, vt effugiant vim argumenti ab exemplo Dei, & animæ rationalis desumpti, ausos esse negare Deum esse vbique, & animam rationalem esse in toto corpore. Ita VVorstius citatus à Becano 1. par. tract. 1. cap. 6. Et Mestresatius lib. 2. de Eucharist. cap. 15. in fine. Quorum ille Deum, hic animam, vnico tantùm in puncto esse vult. Sed primus apertè est Nestorianus, vel Deum facit mobilem localiter ad motum humanitatis Christi, vt ostendimus alibi: & Paulo contradicit Actor. 17. vers. 28. *Non longè est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*; & Psalm. 138. *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades*, &c. aliisque pluribus Scripturæ locis asserentibus Deum esse vbique. Nec dici potest cur Deus sit in hoc mundi puncto, potiùs quàm in alio; eique immobiliter, ac necessariò adhæreat. Secundus autem turpiter errat contra rationem, & philosophiam. Anima enim est actus corporis organici potentiâ vitam habentis. At vnicum punctum non est corpus organicum. Quæ enim organizatio, & quæ organa possunt esse in puncto vnico? Attingere autem organa per virtutem à se deriuatam, & extra se immissam, non est ea informare, & esse actum substantialem illorum: alioqui sol virtutem suam in terram immitens, eam informaret. Secundò, cur anima est potiùs in hoc puncto cordis, aut cerebri, quàm in alio; cum cor sit homogeneum, & cerebrum etiam: id est, omnes vtriusque partes, sint similes inter se, & eiusdem rationis? Tertiò, quomodo anima videt in oculo, olfacit in naribus, tangit in omnibus fere corporis partibus, si ibi non est? Respondebit Minister, hæc omnia præstare à puncto, in quo est, per virtutem à se distinctam & à se deriuatam. Ergo cum experiamur sensationes non minùs procedere à principio substantiali sensitiuo, quàm intelligere, & velle, à principio rationali; intelliget pariter, & volet per distinctam virtutem: Atque ita omnia vitæ exercitia, & actus secundi vitales, discurrere, velle, mereri, peccare, &c. fient per virtutem distinctam, non per ipsam animam, quæ secundum essentiam suam, & substantiam, mortuo quodam modo semper manebit, nihil videns, nihil intelligens, nihil volens aut appetens. Sola enim virtus ab animâ deriuatâ, ac localiter disiuncta videbit, audiet, intelliget, appetet, viuet. Quæ omnia sunt stolida & non nisi ex studio contradicendi Ecclesiæ excogitata.

33. *Præsentia sacramentalis Christi pendet ab eius præsentia naturali.*

Dico secundò, Præsentiam Christi sacramentalem pendere ex institutione diuina à naturali eius præsentia, seu modo essendi extra sacramentum. Hoc colligo ex Trident. sess. 13. cap. 3. vbi ait verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem, sub panis, & vini specie, vnà cum ipsius anima, & diuinitate, existere. Sed corpus quidem sub specie panis; sanguinem verò, sub specie vini, ex vi verborum. Ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur. Huc vsque Trident. Ex quibus verbis sic argumentor: Christus est totus sub quauis specie secundum corpus, & sanguinem, & animam, & diuinitatem, vi naturalis connexionis, &c. id est, vi illius connexionis, quam partes istæ habent in esse suo

suo naturali, cui conformatur esse sacramentale. In hoc enim fundatur discursus Concilij, quòd nimirum debeant esse Christi partes coniunctæ in sacramento, sicut sunt extra, ex Dei scilicet institutione: alioqui enim ex natura rei non est necesse rem positã in duobus locis, habere in vno, quidquid habet in alio: & Verbum diuinũ, quod est vbique, non habet vbique vnitam sibi humanitatem. Ergo modus essendi sacramentalis pendet à modo naturali essendi. Per præsentiam autem sacramentalem intelligo esse Christi in Eucharistia: & per præsentiam naturalem, intelligo esse Christi naturali modo. Ergo præsentia Christi sacramentalis pendet ab eius præsentia naturali. Intelligo etiam Christum siue viuum, siue mortuum, vt erat in triduo: quo tempore, si quis cõsecrasset, non fuisset sanguis sub specie panis, nec corpus sub specie vini, nec anima sub vlla ex his speciebus.

34. Aliam rationem addit Suar. disp. 48. sect. 2. quia scilicet præsentia Christi sacramentalis causatur efficaciter à Christo posito in esse naturali. Quod aliqui confirmant ex eo quòd Christus est principalis consecrans, & summus sacerdos, cuius cæteri consecrantes vicarij tantummodo sunt, in eius persona loquentes dum cosecrant. Sed hæc ratio probaret non potuisse consecrari in triduo, quod esse absurdum fatetur Suar. ibidem. Respondet autem, tunc corpus mortuum, aut animam separatam, potuisse efficere præsentiam sacramentalem. Verùm neque corpus mortuum, neque anima separata, est sacerdos. Deinde Christus, quando alii consecrant, concurrit tantum moraliter, quatenus constituit sacerdotes Euangelicos, qui suis verbis, & suo nomine consecrarent. Ad quod non est necesse Christum physicè existere dum consecratur, sed sufficit extitisse antea, siue modo naturali, siue alio, & ita instituisse, eamque institutionem durare moraliter per Dei voluntatem Christi vices supplentem, & quasi eius negotium curantem. Cum autem iuxta sententiam Suaris disp. 50. & rei veritatem, corpus Christi ponatur in Eucharistia per veram productionem ipsius; impossibile est poni physicè ab ipso corpore Christi in genere causę efficientis: quia nihil potest produci immediatè & physice à seipso: alioqui productio non esset ratio sufficiens distinguendi personas in Trinitate, in qua omnia sunt vnum, quantum fieri potest.

Hæc depẽdentia est tantum ab institutione diuina.

Dixi in conclusione id esse tantùm ex institutione diuina: quia ex sola rei natura nulla est dependentia inter vtrumque essendi modum, sed quilibet est æquè absolutus, & independens ab alio. Ac sicut fuit diu esse Christi naturale sine sacramentali, ante scilicet quàm Sacramentum institueretur: sic vice versa potuit esse sacramentale sine naturali, ac priùs illo, si Deus voluisset.

35. Præsentia Christi ad species, nõ est præsentia ad locum.

Dico tertiò: Præsentia Christi ad species non est præsentia ad locum: sed hæc posterior illâ est ex intentione diuina: neutra verò modum addit ex natura rei distinctum, quo formaliter Christus, vel loco præsens constituatur, vel speciebus physicè vniatur. Prima pars probatur, quia licet Christus per idem formaliter, nempe per seipsum, sit præsens speciebus, & loco, in quo sunt species: ideóque non sit diuersitas ex parte rei, quæ præsens est, etiam secundum id, quo formaliter præsens est: quia tamen non dicitur præsens nisi connotando aliud, cui est præsens: præsentia ad species, & præsentia ad locum, differunt ex parte connotati: quia species & locus differunt: potestque locus millies variari, speciebus iisdem manentibus, vt fit quando species loco mouentur. Ex quo etiam fit, vt præsentia localis millies variari possit, inuariatã præsentia Christi ad species. Cùm enim species localiter mouentur, mutatur quidem præsentia Christi localis: at non præsentia ad species. Sicut nos quando localiter mouemur, mutamus quidem præsentiam localem; sed non præsentiam & coniunctionem inter corpus & animam.

Priùs autẽ intenditur à Deo præsentia corporis & sãguinis Christi ad species, quàm ad locum: quia præsentia ad species intenditur per se primò, ad constituendum cum illis cibum, & potum sacramentalem: per coniunctionem saltem moralem inseparabilem, quandiu species seruantur incorruptæ. Præsentia verò ad locum intenditur tantùm secundariò, & consequenter, quia species ibi sunt, & non potest Christus esse præsens intimè speciebus, quin sit etiam præsens loco in quo species sunt. Vnde etiam fit vt motis localiter speciebus, Christus locum mutet cum illis, ne desinat illis esse coniunctus, & intimè præsens: ad quam coniunctionem differentiæ locorum per accidens se habent. Hinc etiam fit, vt ratio cur Christus sit sacramentaliter in hoc, aut illo loco, sit quia species in tali loco sunt: Ex quo patet præsẽtiam sacramentalem Christi ad talem locum, subordinari præsentiæ Christi ad species. 36. Præsentia ad species est prior præsentiã ad locum.

37. Præsentiã Christi non est modus ab illo distinctus.

Secunda pars conclusionis probatur: quia Christum esse præsentem loco, nihil est aliud formaliter, quàm Christum intimè inexistere loco, vel spatio, in quo est. At Christus per seipsum formaliter, id est, per suammet entitatem illi inexistit intimè, estque euidenter impossibile, vt formaliter inexistat per aliud: quia quidquid aliud inexistat, si ipsemet Christus secundum se formaliter non est in tali spatio intimè, non inexistit ipse, sed illud aliud: Si autem ipsemet secundum se formaliter est in tali spatio: hoc ipso illi inexistit fomaliter, quocunque alio re vel ratione semoto. Quarè modus superadditus est omnino superfluus. Qui modus vel seipso formaliter inexisteret in spatio, vel per alium. Si per alium: itur in infinitum. Si per se: ergo Christus per se quoque inexistit formaliter: quia per se, id est, secundum suam entitatem, non minus est in spatio,

quàm modus. Imò naturâ prius deberet Christus esse in spatio, vt ex illo modus ibi educeretur: quippe qui pédet à Christo, vt existente in tali parte, vel puncto spatii, in quo solo educi potest, ita vt nulla vi alibi produci, nec aliò transferri possit, secundum aduersarios. Item si modus superadditur, non modò totum compositum ex re, & modo est præsens; sed & pars vtraque seorsim sumpta præsens est, tum alteri inuicem, tum spatio. Quod signum manifestum est non fieri rem præsentem formaliter per modum illum, quia quod constituitur tale per formam distinctam, non habet illum effectum formalē seorsim sumptum à tali forma. Ex. gr. quod constituitur album per albedinē à se distinctam, non est album seorsim sumptum ab albedine. Deniq; sicut impossibile est quicquam existere formaliter per aliud, id est, esse actu in rerū natura: ita nō minùs euidenter implicat, quicquā existere alicubi, vel aliquādo, id est, in loco, vel tempore per aliud formaliter. Plura de hac parte conclusionis diximus supra disput. 5. sect. 6. num. 57.

38. Non est vnio physica inter corpus Christi & species Eucharisticas.

Tertia pars conclusionis est communis Theologorum, negantium inter Christum & species intercedere vllam formalem vnionem physicam, quā coniungantur vt subiectum & accidens, vel aliter. Quod & miraculosum, & superfluum, & minùs congruum esset: & aliud esset à simplici præsentia ad species, ac naturā posterius illā. Posset enim Christus esse simpliciter præsens speciebus, & non esse illis vnitus formaliter, & physicè. Ac si physicè vnitus esset, priùs naturā præsens esse deberet, quàm vnionem illam subiret.

Aliqui tamen graues Theologi censent admittendam esse vnionem quandam physicam effectiuam, in actione aliqua: quod nimirum corpus Christi ad se species trahat, vt magnes ferrum: vel potius species apprehendat quodammodo, & inseparabiliter sibi adiunctas teneat: vel quòd Christi corpus penetrationi specierum resistat. Sicut enim corpora gloriosa, quamuis cedere possint penetrationi, possunt tamen resistere: sic corpus Christi &c. Ita tamen vt Christus non resistat motioni specierum, sed ad earum motum ducatur sponte, & inseparabiliter. Vel 3. in eo quòd Christus se speciebus præsentē sistat vi quapiā: vt nos per naturalem grauitatem sistimur naui, lecticæ, equo, quibus motis mouemur. Ad hoc autem asserendum impelluntur præcipuè, quoniam alioqui cùm species mouemus, non moueremus Christum physicè: atque ita verè, & propriè ipsum non ederemus: nam quod editur, debet physicè traiici in stomachum, vi eius, à quo editur. Et comestio propriè non significat actionem moralem, sed physicam. Addunt, Christum contineri sub speciebus, vt Trident. loquitur, & substantiæ panis vicem subire: & sacramenti constitutionem in vnione, & coniunctione consistere.

39. Christus in Euchar. non resistit formaliter penetrationi specierum.

Ad quæ dico resistentiam formalem corporis Christi in Eucharistia ad penetrationem specierum, quam excogitauit Aegid. Coninc quæst. 75. art. 4. dub. 2. num. 94. non esse probabilem: Nihil enim apparet in Christo, neque rationabiliter excogitari potest, quod repugnet formaliter ex natura sua, & incompossibiliter penetrationi specierum, id est, earum positioni in eodem spatio cum corpore, & sanguine Christi: resistentiā tamē actiuam non esse impossibilem, neque improbabilem: per eamque posse Christum impedire non modò, vt ne tota species à se diuellatur, sed etiam, vt ne talis pars speciei subeat talem partem, aut punctum spatii, in quo Christus illi resistit, licet non resistat in alio: quemadmodum si duobus in locis distantibus, & discretis positus esset; posset resistere speciebus vno in loco, nō in alio. Itē nō esse impossibilē, neq; improbabilē vnionē aliquam actiuam, quā Christus quodammodo species apprehendat, aut teneat, aut illis se præsentē sistat. Quæ si ab ipso sine miraculo exerceri potest (vt de anima eius gloriosa probabilissimū est) admitti potest cōmodè ad euitādū miraculum conseruationis præsentiæ Christi sub speciebus, quandiu ipsæ incorruptę perseuerant. Absolutè tamen id non est necessarium ad esse sacramenti. Nam sufficere potest illa moralis vnio, quam sortiuntur ex intentione Dei. Qui sicut primò Christum adiunxit speciebus, vt cum illis cibum, & potum constitueret: ita sub illis eum conseruat inseparabiliter, quandiu ipsæ integrę sunt, vnde fit, vt illis motis, moueatur Christus: quod ad veram comestionem sufficit, dum modò verè, ac realiter traiiciatur. Cōtineri verò sub speciebus, non est aliud, quàm sub illis latere. Vicem autem substantiæ panis abunde supplet componendo cum speciebus cibum, & potum substantialem, cuius compositio formaliter non debet necessariò esse plusquàm moralis: sicut in aliis sacramentis, & artefactis, & mixtis permultis, moralis tantùm est. Neque est necesse, vt corpus Christi sustentet effectiuè & conseruet extra subiectum accidentia panis, vt suppleat eius substantiam, & officium sustentandi, ideóque, quasi illorum substantia, possit sub illis demonstrari: ac vicissim à panis accidentibus alligetur corpus Christi per qualitatem supernaturalem ipsis inditam, quā teneant Christi corpus inseparabiliter, illudque ferant quocunquę moueantur; vt sentit Cardinalis Delugo disp. 6. de Euchar. nū. 19. & sequentibus. Nam actio conseruatiua accidentium extra subiectum, est impossibilis corpori Christi cùm sit actio creatiua, operatiua ex nihilo subiecti. Qualitas verò illa supernaturalis, multiplicat miracula sine necessitate: cū sufficiat moralis vnio, vel physica actiua, corporis Christi ad species, de qua paulò ante diximus.

Potest admitti vnio actiua, qua species apprehendat & teneat.

Corpus Christi non sustentat actiue species Eucharisticas.

SECTIO IV.

Quid poßit Christus agere & pati prout in sacramento est?

40. Christus potest naturaliter moueri cum speciebus in Euch.

SErmo est de potentia naturali, vel citra nouum miraculum. De qua dico primò Christum posse in sacramento moueri localiter, & re ipsa moueri à nobis quando in stomachum traiicitur, circumfertur in processionibus, aut defertur ad infirmos. Patet, quia supposita vnione Christi cũ speciebus, de qua supra, nulla est ratio, quin mediantibus speciebus possit à nobis naturaliter moueri: æquè ac Angelus, vel dæmon adhærens corpori, & affixus, mouetur naturaliter, quando Energumenum ex vno loco in alium mouemus: vel æquè ac animam rationalem mouemus, moto corpore, cui vnita est. Iam enim ratio disparitatis, vel impossibilitatis, suprà reiecta, fuit, cùm ostendimus præsentiam localem non distingui à re præsente, & per motũ localem nihil distinctum à mobili inhærens ipsi produci. Quare non est timendum, ne modus aliquis supernaturalis producatur in corpore Christi, aut ne fiat aliquid aliud, quod vires nostras naturales excedat. Existimo præterea posse sine alio miraculo Christi Domini corpus, prout in sacramẽto est, ab eius anima gloriosa moueri, etiam immediatè ac per se primò, id est, non mediantibus speciebus, quibus motus primò imprimatur: atque etiam ab Angelo, sicut Angeli, & animæ separatæ, possunt sese mutuò immediatè mouere localiter. Nam vtrumque æqué facile est. An verò possit Christus ibidem se mouere motu organico, ad quem scilicet concurrant organa motus, patebit ex dicendis conclusione tertia.

41. Christus non mouetur in hostia, circulariter tantum mota.

Notandũ tamẽ Christũ nõ moueri ad motũ quemlibet specierũ. Nã si species moueãtur circulariter in eodẽ penitùs spatio, Christus nullo modo localiter mouetur, neque motu acquisitiuo, neq; deperditiuo Non quidem acquisitiuo: quia non acquirit locum, in quo antea non esset secundum se totum, aut secundum eandem sui partem. Non etiam deperditiuo: quia non desinit esse in loco, in quo antea erat. Neque propterea mutatur vnio corporis Christi ad partes specierum: sicut non mutatur vnio hypostatica, mota humanitate Christi, & manẽte hypostasi verbi immota. Cùm autẽ species mouentur motu lationis à loco vno in alium, Christus mouetur tantùm motu deperditiuo, ex ea parte spatii, ex qua mouentur species: & acquisitiuo, ex ea parte ad quam mouentur.

42. Christus in Eucharist. potest obire operationes omnes independentes à corpore, non autem alias.

Dico secundò Christum, prout in sacramento indiuisibiliter existit, posse quidem obire spiritales omnes operationes independentes a corpore: sed non alias dependentes: neque etiam posse effectum vllum corporeum in seipso efficere, vel ab alio pati, & recipere. Declaratur, & probatur conclusio. Primò loquimur de effectibus propriè dictis, qui sint aliquid distinctum in re ab eo, à quo fiunt, & ab illo, in quo recipiuntur: cuiusmodi non sunt motus, & præsentia localis. Supponimus autem tales esse actus intelligendi, volendi, & similes, ex communi philosophorum, & theologorum sententia. Secundò, supposito lumine gloriæ in anima Christi gloriosa, & aliis principiis beatitudinis, non est dubium, quin sine nouo miraculo possit actus beatificos exercere. Nec vlla est ratio, cur similiter non possit elicere actus alios scientiæ supernaturalis, si similiter non dependent à phãtasmate, vel ab organo corporeo, & si qui sunt alii actus intellectus, & voluntatis, quos possit anima gloriosa exercere independenter à corpore.

43. De aliis verò effectibus, ex toto, vel ex parte corporeis, & ab organo pendentibus, aut ab agente extrinseco efficiendis, alia est ratio. Quia vt talis effectus reciperetur in corpore posito indiuisibiliter: deberet ipse, naturâ suâ diuisibilis, & extensus, vel indiuisibiliter poni, vel diuisibiliter coextẽdi subiecto indiuisibiliter posito, & secundum partes sui diuersas educi ex ipso vt diuersimodè replicato: adeo vt subiectum, prout est replicatum in parte præsentiæ A, non patiatur ibi secundum se totum, sed secundum partem vnam inadæquatam: cùm tamen quælibet pars subiecti sit æquè applicata ibi, & æquè capax effectus. Alioqui enim vel accidens secundum eandem sui partem educitur ex diuersis subiectis, & illis inhæret immediatè, & totidem habet effectus formales; quod excedit virtutem naturalem accidentis corporei: vel ex qualibet parte subiecti educitur pars integrans, & componens extensionem naturalem accidentis, quæ tamen omnes penetratiuè, & indiuisibiliter simul sint, sicut partes subiecti sunt omnes simul penetratiuè, & indiuisibiliter; atque ita non vitatur replicatio, & modus essendi indiuisibilis in effectu producto; sed vlteriùs tot erunt effectus indiuisibiliter positi, quot sunt subiecti replicationes, & præsentiæ partiales; qui modus agendi excedit vires agentis naturalis. Neque apparet verisimile producere tantùm in parte vna inadæquata; sed potiùs quemadmodum ignis circulariter circa mundi centrum existens, & secundum omnes partes æquè distans à centro, nusquam virtute naturali moueretur: quia partes omnes, æqualiter ad supernum nitentes, sese mutuò impedirent, & continerent in eodem loco: neque deberetur illis concursus, & determinatio diuina vt hæc aut illa prædominaretur, vel omnes in vnam potius, quàm in aliam differentiam loci concederent: sicut etiam duo obiecta æqualiter appetibilia ita librant appetitum

irrationalem, & non liberum, sesseque mutuò impediunt, vt neutrum efficaciter appeti possit: quia vtrumque est æquè appetibile: Ita probabile est partes omnes totius in indiuisibili positi, per æqualem capacitatem effectus sese mutuò impedire.

44. Exerceatne aliquas? Quòd si quæras an saltem supernaturaliter exerceat Christus in sacramento aliquas operationes corporeas, & organicas? Respondeo esse probabile, quod aliquas exerceat: vt v. gr. quod videat, audiatque adstantes.

Dico tertiò, De facto quidem Christum non videri in Eucharistia oculo corporeo, neque grauitare, neque suis corporeis qualitatibus calore, humore, & similibus ad extra operari: dubium tamen esse, an illud omne fit ex rei natura: an potiùs Deo, vel Christo impediente, ad tegendum mysterium fidei.

45. Christus non videtur in Eucharistia. Prima pars experientiâ nota est. Intelligo autem Christum non videri ordinariè: non negando apparitiones extraordinarias, quarum meminit S. Thomas quæst. 76. art. 8. Quanquam non semper in huiusmodi apparitionibus Christus ipse videtur. Possunt enim multipliciter fieri. Nimirum vel per solam immutationem potentiæ visiuæ, cui species carnis, vel sanguinis imprimatur, vnde sequatur visio carnis aut sanguinis. Vel secundò, per immutationem specierum sacramentalium in ea, quæ apparent. Vel tertiò, per immutationem medii, siue corporis circumstantis sacramentum, quod carnis, vel sanguinis, aut infantis speciem exprimat. Vel quartò, quòd Christus ipse se videndum exhibeat: quod tribus modis fieri potest. Primùm enim vltra præsentiam indiuisibilem, & replicatam, quam semper habet in sacramento, quamdiu illud durat, potest aliam assumere iuxta species, diuisibilem, & extensam in ordine ad locum, secundum quam appareat virili forma, vel infantili. Secundò, sicut lumen indiuisibiliter positum, & replicatum in spatio diuisibili, si speciem emitteret, aut oculum determinaret, videretur per modum vnius continui, ita Christus emissa specie caloris, & lucis suæ gloriosæ indiuisibiliter positæ, sed in spatio continuo replicatæ, videri posset confusè per modum vnius colorati lucidi, non humanâ figurâ, sed circulari, vel qualis alia est sacramenti figura. Tertiò, vbi in hostia figura Christi depicta est, possent partes corporis Christi sub illa figura indiuisibiliter existentes, illique adæquatè per modum vnius continui respondentes, possent, inquam partes illæ solæ, sine aliis ibidem penetratiuè existentibus, exhiberi visibiles. Nam vbi caput exprimitur, est verè caput, & sic de aliis partibus. Quamuis autem non sit ibi vna pars sola, sed simul cum aliis omnibus: posset tamen diuinitus sine aliis videnda exhiberi.

46. Interdum Cum autem Christus corpore lacero, & conscisso apparet, vel species in carnem, aut sanguinem vertuntur: probabile est non apparere Christum ipsum, vel carnem, & sanguinem Christi, vt docent S. Thomas art. citato, & alii communiter. *Christus* enim *resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, Rom. 6. & experientia docet temporis lapsu tabescere id, quod caro, aut sanguis esse videbatur. Neque tamen vlla tunc deceptio interuenit ex parte Dei, qui per huiusmodi mirabiles apparitiones, non intendit quenquam fallere, sed confirmare veritatem præsentiæ Christi in sacramento. Ad quod sufficit vt interueniat aliquod opus miraculosum, & diuinum: quamuis vera caro, & verus Christi sanguis, non videantur in seipsis. Vt enim rectè ait S. Augustinus lib. 2. de quæstion. Euangelist. cap. vlt. & post eum D. Thomas quæst. 76. artic. 8. Quando fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Quam etiam ob causam Christus absque deceptione apparuit sub specie peregrini duobus discipulis euntibus in Emmaus. Porro si species sacramentales verè ac realiter mutantur in carnem, & sanguinem, vel in lapidem aut cineres, vt interdum miraculosè factum testatur Diuus Cyprianus in sermone de lapsis; non manet ampliùs sub illis sacramentaliter corpus Christi, vt rectè affirmat sanctus Thomas suprà; quippe quæ iam non sunt ampliùs species panis: neque debent sumi vt sacramentum, sed reuerenter asseruari, quemadmodum vsu Ecclesiæ receptum est. caro quæ apparet in Euch. non est vera caro Christi.

Secunda pars conclusionis probatur, quia Diuus Thomas articulo septimo, quæst. citatæ, Thomistæ ibidem, Suarez, Vasquez, & alii communiter, docent Christum non posse naturaliter videri oculo corporeo, eò quòd speciem sui nequeat oculo imprimere. Quia impressio specierum sensibilium est operatio corporea. Christus autem, prout in sacramento est, non potest vllam corpoream operationem obire. Nam agentia corporea, sicut non possunt esse naturaliter sine extensione partium extra partes: ita nec possunt sine illa operari: & modus operandi in eo sequitur modum essendi. Indéque inferunt non posse Christum suo calore, aliisue qualitatibus corporeis, vel seipsum, vel aliquid aliud alterare: imò neque grauitare, neque seipsum, aut aliud mouere organicè: quia etiam ad huiusmodi vsus virtutis corporeæ necessaria est extensio, & modus naturalis essendi in loco: necessaria inquam, non tanquam vis agendi, sed veluti conditio, sine qua non; sicut propinquitas ad passum requiritur tanquam pura conditio ad agendum. 47. Probabile est Christũ in Euchar. non posse videri naturaliter.

Hoc tamen faciunt incertum, quæ sequuntur. 1. Dubium est an visio rei per se præsentis sufficienter, & debito modo applicatæ fiat necessariò per speciem impressam, & 48. Incertum tamen illud esse videtur.

non sufficiat determinatio obiecti, quod certè potest determinare, potentiam capacem: alioqui ne Angeli quidem, neque vlla creatura egens concursu, & determinatione obiecti, posset videre naturaliter vllum corpus positum indiuisibiliter in spatio diuisibili. Secundò, ratio allata, cur agentia corporea posita indiuisibiliter, non possint emittere speciem, vel alias operationes obire, valde incerta est, & obscura. Experimur enim accidentia corporea perinde agere, siue sint in subiecto proprio, & connaturali, siue in extraneo, & dissentaneo, vt calor in aqua; atque etiam extra omne subiectum, vt accidentia Eucharistica. Quamuis enim eiusmodi accidentia non possint esse naturaliter sine subiecto: posito tamen quòd sine illo sint, possunt agere naturaliter. Nempe quia retinent totam vim suam agendi quæ non consistit in inhæsione, sed in ipsamet eorum entitate, quæ tota manet citra inhæsionem. Quidni ergo similiter possint agentia corporea agere sine extensione actuali, in qua non consistit vis agendi sed in entitate, quæ integra manet? Patet enim ex instantia allata, modum agendi, non sequi modum essendi hoc sensu, quòd res non possit operari, nisi connaturali modo existat. Et confirmatur ex mysterio Incarnationis: in quo licet humanitas Christi non subsistat connaturali modo: perinde tamen operatur, atque nostra.

49. Præterea Tertiò, licet oculus corporeus non possit naturaliter videre rem indiuisibiliter positam sine replicatione, ob defectum omnis extensionis: neque distinctè videre rem positam cum replicatione, cognoscendo scilicet rem illam corpoream, vt indiuisibiliter positam: & replicationem, vt constantem partialibus præsentiis indiuisibilibus: aut singulas partes corporis simul positas indiuisibiliter per replicationem: hæc enim omnia satis manifestè excedunt virtutem naturalem visus corporei, non adeò subtilis: Non apparet tamen, cur verbigratiâ, lux valde intensa, posita indiuisibiliter in spatio diuisibili per replicationem, tota in toto, & tota in qualibet eius parte, non possit confusè videri per modum vnius lucis continuæ, similis aliis, quæ videntur ordinariè (nam in istis oculus non discernit an constent partibus semper diuisibilibus, an punctis vnitis, & continuatis, an vnico puncto replicato, & per replicationem æquiualente pluribus, quoad extensionem, & occupationem loci) Curuè simili modo Christus in Eucharistia, non possit confusè videri naturaliter? Neque enim obstat diuersitas colorum, simul existentium: quia possunt confusè simul videri, sicut multi soni possunt simul audiri. Neque etiam ratio allata conuincit. Cur enim hæc obiecta non immittant species confusè repræsentantes, aut oculum confusè determinent: vt facere solent obiecta, quæ è loco remotiore videntur? Certè non est improbabile, quòd si albedo in pariete tota inhæreret toti parieti, & tota cuilibet eius parti; nihilo minus quam nunc videretur: haberet enim apparenter extensionem qualis à nobis imperfectè videtur, neque posito quòd videretur, posset illam oculus discernere ab albedine connaturaliter posita, diuisibiliterque extensa: possetque illa vt apparenter extensa determinare oculum ad sui visionem.

Non obest quoque altera ratio, quæ addi solet, visionem scilicet fieri per pyramidem, cuius apex est in oculo, basis in obiecto. Etenim illud obiectum, de quo loquimur, cùm sit extensum per replicationem, habet sufficienter, in quo fundetur basis, eo sensu, quo intelligunt optici. Magis verò incredibile est decem talenta plumbi non grauitare naturaliter, si replicata occupet spatium, quantum occupant sine replicatione: cùm tamen nihil propterea grauitatis naturalis amittant: aut ignem maximum, & vehementissimum, implentem per replicationem totam aliquam fornacem, non posse stupam iniectam calefacere, & comburere: quamuis nihil minus habeat caloris, & virtutis ad comburendum, quàm si ibidem esset semel tantum, extensus connaturaliter sine replicatione. Quid enim obest illa replicatio? cùm potius experiamur virtutem agendi, esse fortiorem, quò magis vnita est: & illa replicatio non eam minuat, sed potiùs veluti augeat & multiplicet. Sicut enim plus faceret homo positus in duobus locis simul: Ita videtur debere potiùs ignem plus agere, multoties positum in eodem loco per replicationem.

Non procurantur istis efficaciter.

Neque satisfacit quod aliqui respondent: ideo agentia corporea non posse agere sine naturali extensione, quia ad agendum requiritur contactus quantitatiuus. Nam primò, res extensa per replicationem, potest habere contactum quantitatiuum. 2. Ille contactus non est necessarius generatim; sed sufficit contactus virtutis, seu constitutio patientis intra sphæram actiuitatis agentis. Ad agendum enim, & patiendum, sufficit vis agendi, & patiendi, & debita propinquitas inter agens & patiens. Et quidem aqua seipsam reducit ad pristinam frigiditatem: & tamē non habet contactum quantitatiuum ad seipsam: vt nec anima rationalis, ad proprium corpus, quod alterat. Deniq; non minùs potest principium habere actionem suam naturalem, quando se toto est præsens toti passo; quàm dum per vnam partem est præsens vni parti passi, & per alteram alteri. Imò videtur quòd licet, verbi gratiâ, intensissimus calor esset in puncto vnico, non propterea minùs, aut remissiùs ageret: sed potiùs tanto fortiùs, quò virtus vnita est fortior seipsa dispersa. 50.

Euasio refellitur.

Concludo itaque ex duabus opinionibus allatis primam authoritate, secundam ratione præualere, & probabiliorem mihi videri, cum Ocamo in quartum quæstione quarta. Maiore ibidem distinct. 10. quæstione 5. Gabriele lectione 45. in canonem Missæ, aliisque Nominalibus, quorum sententiam

habere partes suas, alias extra alias, naturaliter impenetrabiles. Ita vt sicut ipsa dicitur à Suare exigere naturaliter quantitatem, & per illam habere impenetrabilitatem cum alia quantitate, & cum alia materia, quantitate similiter affecta: sic maiori compendio dicatur ipsa esse per se impenetrabilis aliis partibus materiæ; licet non repugnet penetrationi formarum substantialium, & accidentalium, quæ penetratiuè simul cum materia esse possunt. Atque ita non sit opus illa quantitate realiter distincta à materia, quâ fiat impenetrabilis, ne frustra dicatur fieri per plura, quod æquè commodè fieri potest per pauciora. Concludo itaque opinionem illam de quantitate peculiari realiter distincta à substantia, & ab aliis accidentibus, esse incertam, & obscuram: licet non careat probabilitate, præcipuè propter asserentium authoritatem.

55. *Accidentia Euch. manent sine vllo subiecto substantiali.*

Secunda propositio D. Thomæ, accidentia scilicet panis & vini remanere sine vllo subiecto substantiali, definita est in Constantiensi sess. 8. Et confirmatur, quia neque subiectantur in corpore, & sanguine Christi glorioso, & indiuisibiliter posito: id enim & naturaliter impossibile, & incongruum est. Neque in substantia panis, & vini, quæ desiit. Neque in alia substantia, loco panis & vini substituta: hoc enim repugnaret proprietati verborum formæ consecrationis: quia non corpus Christi, sed substantia illa sub accidentibus demonstraretur. Quamuis autem accidentia naturaliter esse non possint sine substantia, cui mediatè, vel immediatè inhæreant: eorum tamen esse, non est actu inesse, sed diuinitus sine inhæsione, & sine vllo concursu subiecti esse possunt. Porro cùm accidens liberatur à concursu subiecti, actio, quâ producitur, vel conseruatur sine illo, creatio quædam est, ab eductione diuersa, & accidentibus minimè debita, sed supernaturalis.

Accidentia quomodo sunt per se.

Non est tamen necesse, vt accidens, loco inhærentiæ, modum distinctum, & positiuum per se essendi acquirat. Nam sine illo potest à Deo conseruari, & quidem minori miraculo, ac maiori compendio. Modus enim ille essendi per se, miraculosus, & obscurus, ac difficilis, imò plane impossibilis est. Implicat enim esse per se formaliter, & esse per aliquid distinctum: quia quod est per aliud, non est per se. Dico igitur accidentia illa non esse per se, nisi negatiuè; id est, esse sine subiecto, sine quo conseruantur, diuina virtute sustentante, vt ait S. Thomas art. 1. quæst. citatæ. Cùm autem dicitur Deus sustentare, non est existimandum, quod concurrat materialiter, & subiectiuè. Id enim nimiæ imperfectionis est, quàm vt Deo tribui possit: sed sustentat efficienter, quatenus supplet per efficientiam, id quod de concursu materiali desideratur.

56. *Cætera accidentia*

Tertia propositio D. Thomæ de inhæsione cæterorum accidentium in quantitate (naturaliter scilicet, sicut ante consecrationem inerant) philosophica est, & à multis recepta: vt testantur Suarez disput. 56. sect. 3. conclus. 1. & Vasq. disp. 194. cap. 3. n. 25. *sintne in quantitate velut in subiecto proximo?*

Quamuis enim Philosophi, & Theologi plurimùm differant in assignanda natura quantitatis: plerique tamen in eo conueniunt, quòd quantitas inter accidentia materialia, & à materia realiter distincta, sit primum & vniuersalissimum, maximeque inseparabile ab ipsa, quodque in omnibus physicis alterationibus, aliis supponatur, sitque proportionatum, & aptum, vt aliorum sit commune subiectum. Ad quod non obest, inquiunt, imperfectio quantitatis. Nam sicut imperfectio materiæ primæ, non obstat quò minus formæ substantiales multò nobilissimæ possint ex ipsa educi, & in ea subiectari: sic, &c.

57.

Hæc tamen opinio non videtur adeò probabilis. Primò, quia nulla solida ratio datur, cur cætera accidentia non possint immediatè inhærere substantiæ, æquè ac quantitas. Imò in ea assignanda multi sibi contradicunt, aut falsum apertè supponunt. Nam quod aliqui dicunt cætera accidentia recipi immediatè in quantitate, quia materia sine illa est inextensa; & non possunt recipi in subiecto inextenso: æquè probat quantitatem ipsam non posse immediatè recipi in materia, sed egere aliquo alio per quod materia naturâ priùs fiat extensa, & proportionata quantitati recipiendæ. Quod autem dicunt alii materiam sine accidentali quantitate nullas habere partes, est euidenter falsum: cùm materia sit substantia corporea & diuisibilis: sitque impossibile substantiam diuisibilem secundum suam entitatem componi ex partibus accidentalibus: debeatque necessariò quibuslibet partibus cuiuscunque accidentis subesse naturaliter aliqua pars substantialis materiæ ex qua educatur & cui inhæreat mediatè vel immediatè. Secundò Aristoteles in prædicamentis cap. *de substantia*, docet maximè proprium esse substantiæ, vt eadē numero sit susceptiua contrariorum, idque nulli alteri competere quod substantia non sit. Hoc autem falsum esset, si qualitates contrariæ reciperentur immediatè in quantitate realiter distincta à substantia. Tertiò, magis conueniens est accidentia, quibus v. gr. disponitur materia ad formas substantiales, illi proximè inhærere, & non alteri subiecto, in quo non sunt recipienda. Alioqui quomodo vim suam illi communicabunt? Quomodo illam formæ aptabunt, & capacem facient? Estne conueniens vnum recipere, & aliud aptari, ac disponi ad recipiendum? Neque satisfacit quod respondet Delugo disp. 10. n. 15. accidentia tantùm determinare materiam ad formam recipiendam, sicut determinant agens ad eam producendam. Respondeo enim non tantùm determinare quomodocunque, sed etiam benè disponere & aptare vt forma ibi bene sit.

Adde quòd in ea sententia, tam verè ac propriè, imò magis, diceretur quantitatem olere, sapere, calescere, frigescere, &c. quàm

supernaturalis, & miraculosa.

61. Denique cùm species consecratæ miscentur, vel inter se, vel cum aliis non consecratis; non propterea permiscentur, loquendo propriè, corpus, & sanguis Christi. Quia permixtio significat diuisionem aliquam, & interpositionem eius, quod permiscetur. At sanguis Christi non diuiditur, sed simul est totus indiuisibiliter vbicunque est sub speciebus consecratis. Idemque dico de corpore. Quare si quando SS. Patres dicunt misceri sanguinem: loquuntur metaphoricè, eodem pacto quo dicunt corpus frangi. In hac autem permixtione, tamdiu manent sub speciebus, corpus, & sanguis Christi, quandiu panis, & vini substãtię manerent, id est, quandiu mixtio non est corruptiua. Vnde quando vinum consecratum miscetur vino non consecrato; non propterea desinit sanguis Christi sacramentaliter esse sub illo. Sed non propterea est in vino non consecrato, licet permixto, & vtcunque per hanc mixtionem sanctificato, nec nisi sacris vsibus applicando, iuxta Ordinem Romanum, & Ecclesiæ praxim. Quia vinum illud non fuit transsubstantiatum & conuersum in sanguinem Christi, per formam consecrationis, quæ non operatur nisi quando profertur physicè, & circà materiam tunc præsentem.

Sanguis Christi non permiscetur liquori infuso in calicem.

62. Item licet aqua modicissima vino cõsecrato permixta (vt ea quæ debet ante consecrationem calici infundi) alteretur à speciebus consecratis, & mutetur in vinum: non propterea consecratur. Quia species consecratæ non possunt alias consecrare: quippe quibus hæc vis non fuit data, sed tantum verbis sacramentalibus physicè prolatis à sacerdote, cum intentione debita, super panem & vinum sufficienter præsentia. Neque valet similitudo ab aliquibus ducta, ab aqua vino mixta, & ante inchoatam consecrationem in vinum versa: vel ab aqua benedicta, cui si alia misceatur, benedicta fit, Canone *Quod in dubiis*, de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris; iuncta glossa eiusdem canonis. Nam in priori exemplo vinum ex aqua factum, præsens est tempore consecrationis, quando verba formæ proferuntur. In posteriori verò, benedictio ex Ecclesiæ voluntate extenditur ad aquam permixtam per moralem solùm mutationem, vel denominationem, ad quam Ecclesiæ voluntas, & constitutio sufficit. At verò consecratio fit per physicam transmutationem, & veram transsubstantiationem: cuius efficiendæ vis instrumentaria physica, vel potiùs moralis, non speciebus vel mixtioni, sed verbis physicè, & ritè prolatis, data fuit diuinitus.

Aqua post cõsecrationem non vertitur in sanguinem

63. Obiicies ex dictis n. 44. & 47. sequi sacerdotem non verè & propriè mouere, comedere, & deglutire hostiam consecratam. Hæc enim significant motum localem prouenientem physicè ab ipso sacerdote. Si autem species Eucharisticæ non sunt impenetrabiles propter quantitatem substantiæ panis, & vini remanentem, & accidentia reliqua subiectantem; quomodo possunt naturaliter à nobis moueri localiter: cùm non possimus imprimere motum, nisi iis quæ resistunt penetrationi per contactum, aut per impulsum, tractionem, aut vectionem? Imò, posito quòd quantitas impenetrabilis distinguatur à substantia, & remaneat in Eucharistia: quomodo eâ mota à sacerdote, moueantur vi eiusdem alia accidentia, si non ipsi inhærent, sed se habent vt scopæ dissolutæ, absque vlla vnione, neque inter se, neque cum tertio?

Respondeo, Species illas omnes reddi diuinitus impenetrabiles, si non formaliter, saltem actiuè resistendo penetrationi. Quo miraculo præsupposito, naturaliter sequitur, quòd physicè possint moueri localiter à sacerdote. Cùm autem grauitas manens in Eucharistia naturali suo ingenio descendit: alia accidentia simul descendunt simili de causa. Quia scilicet species illæ omnes habent vim diuinitus resistendi auulsioni, & penetrationi aliarum partium, sine quibus penetratis non potest vna moueri, aliâ immota. Non est autem improbabile potentiam obedientialem specierum posse ad hoc eleuari.

Soluitur obiectio.

Obiicies secundò, Experientiâ notum esse, quòd virtus stomachi fatigetur agendo in species Eucharisticas, æquè ac in hostias non consecratas. Ergo signum est stomachum agere in illas species. Ergo vi sua illas concoquit, & digerit. In eo enim non putant homines sibi illudi, sed se verè agere, & pati. Ergo cùm non possint creare, id est, producere ex nihilo; dicendum est manere quantitatem substantiæ panis, & vini, ex qua, velut ex subiecto educant accidentia, quibus alterant, & concoquunt species consecratas. 64.

Respondeo, Potentias etiam conatu irrito fatigari, vt experientia notum est. Potest etiam hæc fatigatio oriri à speciebus consecratis, naturaliter agentibus in stomachum, & male interdum afficientibus; præsertim si sumantur in magna quantitate.

Et hactenus de materia Eucharistiæ, tum remota, tum proxima: id est, tum de pane, & vino consecrandis, ipsorumque conuersione in corpus, & sanguinem Christi: tum de ipso corpore, & sanguine, & modo, quo existunt in sacramento; deque speciebus cum corpore, & sanguine remanentibus: quorum duo priora, nempe panis, & vinum, sunt materia remota, & transiens sacramenti Eucharistiæ. Posteriora verò, nempe corpus, & sanguis cum speciebus, sunt materia proxima, & permanens. Sequitur, vt deinceps de forma, & de aliis ad sacramentum pertinentibus cum D. Thoma disseramus.

Altera oppositio diluitur.

DISPVTATIO TRIGESIMA-TERTIA,

De forma venerabilis Sacramenti Euchariſtiæ.



DE forma Venerabilis ſacramenti Euchariſtiæ diſputat S. Thom. quæſt. 78. & docet 1. formam huius ſacramenti eſſe, *Hoc eſt corpus meum:* &, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. quia ſignificat id quod efficitur, & Chriſtus illam expreſſit illáque vſus eſt. 2. Ineſſe verbis illis virtutem quandam creatam effectiuam conuerſionis panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti: inſtrumentalem tamen, ſicut eſt in aliis ſacramentis. Cum enim hæc verba in perſona Chriſti proferantur, ex eius mandato; conſequuntur virtutem inſtrumentalem à Chriſto: ſicut & cætera eius facta, vel dicta habent inſtrumentaliter ſalutiferam virtutem. 3. Verba illa eſſe vera, quia efficiunt id quod ſignificant, & efficiunt in vltimo inſtanti quo abſoluuntur: nihilque aliud ſignificant, quàm contentum ſub ſpeciebus, quod priùs erat panis, & vinum, eſſe iam corpus & ſanguinem Chriſti. 4. Verba conſecrationis panis effectum ſuum conſequi nondum prolatis verbis conſecrationis vini: quia completam habent ſuam ſignificationem: & cùm ſint vera, efficiunt id quod ſignificant. Significant autem de præſenti, non de futuro poſt conſecrationem calicis. Idque confirmat ritus Eccleſiæ, quæ ſtatim poſt prolationem verborum, quibus panis conſecratur, adorat corpus Chriſti ante conſecrationem calicis. Supponens videlicet corpus Chriſti iam ibi eſſe vi conſecrationis panis. Hæc D.Thom. quæ ſequentibus ſectionibus fuſiùs declarabuntur.

SECTIO I.

Quæ sit forma consecrationis panis & vini?

1. Verba formæ essentialia. RESPONDEO formam necessariam & essentialem consecrationis panis & vini esse verba ista, vel æquiualentia, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Probatur primò ex Scriptura, iuncta interpretatione Concilii Trident. sess. 13. cap. 1. vbi affirmat Christum hoc sacramentum instituisse, quando post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis, atque perspicuis verbis testatus est. Verba autem quibus Christus id testatus est, sunt verba supra relata, vt docent Paulus & Euangelistæ. Quare licet Christus alia quædam verba illis præmiserit, siquidem prius gratias egit, benedixit, & panem fregit, vt habent iidem scriptores sacri: non tamen illis omnibus, aut aliquo illorum, consecrauit: sed cùm verba illa protulit post gratiarum actionem, vt ait Tridentinum: & vt in textu græco habetur εὐχαριστήσας, εὐλογήσας, id est, cùm, postquam gratias egisset, postquam benedixisset, dixit, *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum,* &c. Sic igitur argumentor: Christus instituit hoc sacramentum, ipsummet celebrando, eâdem cerimoniâ essentiali, & eâdem formâ verborum, quâ deinceps voluit celebrari: vt patet ex verbis ab ipso mox additis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui illud instituit proferendo verba ista, *Hoc est corpus meum,* &c. vt patet ex Euangelistis, iuncta interpretatione Tridentini. Ergo forma ista verborum est essentialis, debuitque deinceps ab omnibus vsurpari in celebratione huius sacramenti.

2. Probatur secundò, Ex Florent. in Decreto 5. *Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum.* Quibus verbis Florentinum, licet non expressè determinet quænam sint illa verba Saluatoris: duas tamen conditiones assignat, ex quibus deprehendi, ac determinari queant. Prima est, quòd hæc verba sint illa quibus hoc sacramentum conficitur. Secunda, quòd pronuncientur à sacerdote in persona Christi loquente. Quæ duæ conditiones verbis à nobis assignatis conueniunt. Nam quòd illis conficiatur hoc sacramentum, docent expressè sancti Patres infra citandi. Eadem quoque à sacerdote personam Christi induente proferuntur. Nam sacerdos, postquam venit ad illa verba, potest, & debet illis vti ad efficiendum, imitando illud ipsum quod narrat. Ita vt non solùm intendat verba illa Christi referre, tanquam ab eo dicta: sed etiam in persona Christi loquendo, per ea significare & efficere hoc esse corpus suum. Alia verò quæ à quibusdam Theologis dissentientibus assignantur pro forma, talia sunt, vt vel sine illis sacramentum confici possit: vel etiam assertiuè, & in persona Christi verè à sacerdote pronunciari non possint, vt ex dicendis infra constabit.

Probatur tertiò ex sanctis Patribus, Irenæo lib. 5. aduersus hæreses cap. 2. Tertull. lib. 4. contra Marcionem cap. 40. Cypriano in serm. de Cœna, Gregorio Nysseno in sermone Catechet. cap. 37. Euseb. Emisseno in serm. de Corpore & sanguine Domini, Hieron. Epistola ad Heliodorum cap. 7. Ambrosio lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & 5. & lib. de Initiand. cap. 9. August. serm. 28. de verbis Domini. Qui, & alii antiquissimi, non modò testantur Eucharistiam fieri per Verbum Dei, vt loquuntur Irenæus, & Gregor. Nyssenus: ore proprio sacerdotis, vt loquitur Hieronymus: sermone dicto super materiam panis, vt loquitur Origenes: verbis Domini Iesu, vt loquitur Ambrosius: ante verba Christi panem dici, vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panem sed corpus appellari, vt ait Augustinus, locis supra relatis: verùm etiam expressè & determinatè dicunt fieri verbis illis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* vt Tertullianus, Ambros. & Gregor. Nyssen. citatis quibus adde Damascenum lib. 4. de Fide cap. 14. 3.

Accedit quartò ratio D. Thomæ quæst. 78. art. 2. quia scilicet verba à nobis assignata, vel æquiualentia, significant sufficienter id quod efficitur per consecrationem nempe conuersionem mirabilem panis & vini, in corpus & sanguinem Christi. Quare sicut Baptismus perficitur verbis illis, Ego te baptizo, &c. quibus sufficienter significatur id quod efficitur: idémque dico de formis aliorum sacramentorum: sic Eucharistia, &c. 4.

Per hæc refelluntur primò Nouatores: quorum aliqui, teste Claudio de Saintes Repetit. 7. cap. 5. in suæ cœnæ celebratione verba prædicta omittunt, & eorum loco dicunt, *Accipe, ede, memento Domini:* vel, *Hic est panis meus: Accipite, comedite, hoc facite in meam commemorationem.* Alii verba prædicta ad instruendum potiùs, quàm ad consecrandum vtilia, & ad fraterculorum fidem excitandam adhibenda putant: vel caput sextum Ioannis recitant: vel caput vndecimum 1. ad Corinthios, vt Caluinistæ Galliæ: vel ministris liberum esse volunt vt ea tum proponant, quæ magis ad fratrum ædificationem iuuare videbuntur. Alii denique consecrationem à Christo factam esse, & à nobis fieri debere asseuerant, non per verborum prædictorum prolationem; sed per benedictionem, vel gratiarum actionem, quam præmisisse Christum prolationi verborum scribunt Matth. cap. 26. Marc. cap. 14. Luc. cap. 22. & Paulus 1. Corint. 11. 5. Errores hæreticorum circa formam consecrat.

Sed ad hæc confirmanda nihil afferunt 6.

Refutantur magni momenti. Falsum enim est, & contra sensum primitiuæ Ecclesiæ, Christum vel aliter consecrasse, vel consecrari aliter voluisse, quàm verbis suis ab Euangelistis constanter, & à Paulo relatis: vt testantur Patres antiqui locis supra citatis. Nec refert quòd Christus dixerit tantum, *Hoc facite*: & non, *Hoc dicite & facite*. Nam verbum, *facite*, totam hanc cerimonam consecrandi, rebus, & verbis constantem, comprehendit: sicut verbum, *Baptizate*, comprehendit cerimoniam abluendi simul & pronunciandi verba à Christo instituta. Licet autem Christus gratias egerit, & benedixerit, ac fregerit panem consecrandum, & vinum sacrum propinauerit: non tamen constat ex Scriptura, ne quidem per necessariam consequentiam, Christum his omnibus, aut aliquo illorum formaliter ac præcisè consecrasse. Neque ille fuit sensus primitiuę Ecclesiæ. Vnde igitur id habent Nouatores? Licet etiam Apostolus 1. Corinth. 10. v. 16. calici dicat benedici: non rectè infertur benedictione ipsa præcisè ac formaliter consecrari. Sicut non rectè colligeretur panem fractione consecrari, ex eo quòd ibidem dicat frangi: *Panis quem frangimus*, &c. Ac si Christus benedictione consecrasset, vel actione gratiarum, vel fractione & distributione: incertum nobis reliquissent scriptores sacri quænam sit illa benedictio, & gratiarum actio, & fractio, vel distributio, quomodóue diuersa ab aliis quæ à Christo narrãtur vsurpatæ, ante & citra Eucharistiæ celebrationem, Lucæ 9. versu 16. & c. 22. v. 17. Ioan. 6. v. 11. Matth. 14. v. 19. & cap. 15. v. 36. Marci 6. v. 41. & cap. 8. v. 7. Cùm autem aliqui Patrum dicunt prece, vel benedictione mystica, vel gratiarum actione cõsecrari, vt Iustinus, Origenes, Ambrosius, August. & Theodoret. interdum affirmant: intelligunt nomine benedictionis, vel gratiarum actionis, totam sacram actionem quâ Eucharistia de more celebratur, in qua actione est gratiarum actio, & benedictio, & deprecatio. Vel ipsam consecrationem nominibus illis significant. Actio enim sacramentalis à circumstãtia nomen interdum accipit. Adde quòd ipsa consecratio est tacita quædam precatio, & inuocatio Spiritus sancti, cuius virtute fit. Est item quædam benedictio, & gratiarum actio: quatenus ad Deum laudandum, & gratias illi referendas celebratur hoc sacrificium, eóque tendit consecratio ex Christi institutione.

7. Altera sententia rejicitur. Refelluntur secundò Innocentius III. lib. 4. de mysteriis missæ c. 6. in fine, Durand. lib. 4. diuinorum officiorum cap. 41. Catharinus, & alii pauci, affirmantes tanquam probabile Christum non verbis illis consecrasse: sed vel sola sua diuina virtute, antequam verba illa proferret; vel aliqua benedictione aut gratiarum actione, præmissa horum verborum prolationi. Quam benedictionem, aut gratiarum actionem, alii quidam (inter quos est diuus Thomas quæst. 78. art. 1. ad 1.) malè confundunt cum ipsa consecratione, quasi idem omnino fuerit. Primò enim concilium Trident. sess. 13. cap. 1. & textus Græcus, apertè significant Christum priùs benedixisse, & gratias egisse, quàm ea verba protulerit. Secundò, idem Tridentinum dicit Christum instituisse hoc sacramentũ, non cùm benedixit, & gratias egit: sed quando post gratiarum actionẽ dixit, *Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus*. Tertiò sancti Patres suprà citati clarè docent Christum per illa verba consecrasse, & nos similiter per illa consecrare. Nec obest quòd locutiones illæ sunt indicatiui modi. Nam, vt alibi diximus, propositiones practicæ, id est, effectiuæ eius quod significãt, possunt concipi per modum indicatiuum, æquè ac per imperatiuum. ex. gr. potest Rex iudicẽ constituere verbis illis efficacibus, *Tu es iudex*: æquè ac istis, *Esto iudex*. Et quidem ipsa mundi creatio in lingua hebraica narratur esse facta per verbum indicatiui positum pro imperatiuo, Gen. 1. Quartò deniq; non obest quòd aliquãdo Patres affirmãt Eucharistiam consecrari benedictione mystica, vel gratiarum actione: id enim intelligũt eo sensu quo paulò ante exposuimus: neque eo loquendi modo negare intendunt id, quod alibi disertè affirmarunt, Christum scilicet per illa verba, *Hoc est corpus meum* &c. panem & vinum vertisse in corpus & sanguinem suum. — Benedictio fuit distincta à consecratione Euchar.

8. Tertiò, refelluntur pariter Græci recentiores opinantes cõsecrationem perfici, non verbis Christi suprà relatis, sed quibusdam orationibus, quæ post illa ab Ecclesia fiunt. Sic inter alios Hieremias Patriarcha Constantin. in censura Lutheri cap. 10. Qui error satis confutatur, tum verbis Florentini, & sanctorum Patrum asserentium consecrationẽ confici verbis Christi: tum vsu ipso Ecclesiæ latinæ, quæ mox finita prolatione verborum prædictorum, ante alias orationes, corpus Christi & sanguinem adorandum proponit. — Refellitur error Græcorum.

Potest tamen pro hac sententia opponi, quòd Patres aliqui supra citati dicant consecrationem fieri per orationem & inuocationem Spiritus sancti. Et inter alios Gregorius magnus lib. 7. epistola 64. sic ait: *Orationem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo orationem, oblationis hostiam consecrarent.* Secundò, quòd in liturgiis sanctorum Iacobi, & Chrysostomi, post verba prædicta, *Hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei*, &c. Oret Sacerdos vt panis, & vinum fiant corpus & sanguis Christi; quódque D. Basil. in sua liturgia post eadem verba recitata, vocet panem & vinum ἀντίτυπα corporis & sanguinis Christi: Cum tamen iuxta Damasc. lib. 4. cap. 14. & Epiph. in 7. Synodo, actione 6. non vocentur ἀντίτυπα, nisi ante consecrationem. — Basil. Damasc. Epiphan.

Verùm ad Patrum testimonia satis suprà responsum fuit. Gregorii autem sensus est, quòd non consecrarent Apostoli sine oratione Dominica, id est, quòd illam semper in litur-

in liturgia seu Missæ officio, & celebratione recitarent: non tamen quòd per illam formaliter consecrarent. Ad liturgias, dicendum est vel non peti vt fiat simpliciter corpus Christi; sed vt fiat nobis, id est, nobis proficiat, & non venenum sit culpâ nostrâ, quod debet esse antidotum, & cibus salutaris: vt Patres Græci exposuerunt in Florent. hac de re interrogati. Eodemque sensu in liturgia Clementis rògatur Deus vt ostendat panem hunc corpus Christi: non autem, vt faciat. Vel secundò, proferuntur hæc verba super panem & vinum considerata vt ante consecrationem. Quo sensu Ecclesia multa iam dicit de Christo considerato vt ante primum aduentum: *Veni Domine, noli tardare*, &c. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum*, &c. Quod de Basilio manifestum est. Nam ibi instituit quandam anacephaleosin totius sacrificii, quasi iam primùm ipsum inciperet. Ait enim sacerdos initio illius precationis, se accedere ad altare, quasi inchoaturum iam sacrificium: cùm tamen iamdiu steterit ad altare. Deinde petit vt Spiritus sanctus descendens super panem, typum corporis Christi, ipsummet corpus illum efficiat: cùm tamen antea Diaconus dixerit Eucharistiam ibi esse, quæ Græcis ipsis assentientibus, sine corpore Christi non est. Et confirmatur ex Epiphanio, & Damasceno supra citatis. Ita enim dicendum est, vt verum sit quod aiunt, nunquam à Basilio Eucharistiam post consecrationem ἀντίτυπα vocari. Posset nihilominus etiam post consecrationem dici ἀντίτυπα, vt à Clemente Romano, Chrysostomo, Nazianzeno, & aliis vocatur: vel ratione specierum, quæ sunt signum corporis Christi, non vacuum sed plenum: vel etiam ratione corporis Christi patientis, cuius hoc sacramentum repræsentatio est. Plura contra Græcorum errores circa formam huius sacramenti vide apud Arcudium lib. 3. à capite 25.

SECTIO II.

An quædam alia verba requirantur necessariò ad consecrationem?

10\. *Quæ verba sint præcisè necessaria?*

QVæstio est de facto, non de iure. Nam de iure, siue vt licitè fiat, debent dici, & seruari omnia, quæ præcipit Ecclesia. De facto autem, id est, vt validè consecretur, dico sufficere verba illa, aut æquiualentia, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*: Ita Theologi communiter, & patet ex sectione præcedenti: ampliùs verò confirmabitur respondendo nonnullis contrarium sentientibus.

Scotus enim in quartum distinctione octaua quæstione secunda §. *De secundo*: & Angelus V. Eucharistia primo, numero vigesimo quarto, putant omnia illa verba, *Qui pridie quàm pateretur*, &c. vsque ad finem consecrationis, esse non quidem de essentia formæ, sed tamen planè necessaria vt forma vim habere possit. Nam sine illis sacerdos non significaret se loqui in persona Christi: quod tamen necessarium est, vt supra vidimus ex Florentino. Græci verò nonnulli volunt essentialem formam consecrandi panem consistere in hac tota propositione, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Alii, vt Diuus Thomas, formam essentialem consecrandi calicem dicunt non perfici solis his verbis, *Hic est sanguis meus*: vel, *Hic est calix sanguinis mei*: sed similiter aliis, quæ ab Ecclesia Latina adduntur, & super calicem pronunciantur. Sic enim asserit in corpore articuli tertii, quæstionis septuagesimæ octauæ. Quem Dominicus Sotus in quartum distinctione vndecima, quæstione prima, articulo tertio, & alii quidam excusare conantes, dicunt verba quæ sequuntur pronomen, *meus*, vel, *mei*, non esse quidem essentialia; sed tamen esse de substantia formæ: quia sacerdos legitimè consecrans, debet intendere per illa omnia consecrare, neque ante perficere consecrationem, quàm fuerint omnia pronunciata.

11\. *Verba illa, Qui pridie, &c. non sunt necessaria nec ista, Accipite & comedite, &c.*

Sed ad hæc dico primò, Scotum, & Angelum sibi apertè contradicere. Quid enim est aliud verba aliqua esse de essentia formæ, quàm esse talia vt sine illis sensus debitus & sufficiens formæ, seu validus, & vim habens, non possit enunciari? Ergo si verba illa, *Qui pridie*, &c. sunt talia, vt sine illis non possit enunciari sensus practicus in persona Christi; sunt de essentia formæ. Talis enim sensus est omnino debitus, & alius non sufficit ad consecrationem, vt ostendemus sectione quarta. Deinde cùm ex Florentino in Decreto §. *Forma huius sacramenti*, &c. Verba formæ talia sint, vt in persona Christi proferantur à sacerdote, & vt in quibusdam Florentini exemplaribus legitur, sint verba Saluatoris, quibus confecit hoc sacramentum: dici non potest verba illa, *qui pridie*, &c. esse de forma; quippe quæ neque à Christo conficiente prolata sunt, neque proferuntur à sacerdote tanquam ex Christi persona, sed merè historicè tanquam à Christo dicta. Verba verò illa, *Accipite, & manducate*, prolata quidem à Christo sunt: non tamen de præsenti significatiuè, seu assertiuè proferuntur à sacerdote; quasi ipse Apostolis, vel aliis de præsenti distribuat. Ergo non sunt forma consecrationis: quia forma consecrationis enunciatur assertiuè, & de præsenti, vt ostendemus sectione quarta. Adde tertio, quòd eadem verba non significant intrinsecum quid vel essentiale sacramento, sed aliquid posterius, & extrinsecum: nempe vsum sacramenti, &

diceret, *Hoc est venerabile corpus meum*: non propterea vox, *venerabile*, esset de essentia formæ.

17. Secundò dico, Posito quòd assertiuè diceretur particula, *enim*, æquè ac alia verba; duplicem fore sensum illius propositionis, æquiualentem duabus propositionibus per quas exponi potest. Primus est absolutus, & verus, *Hoc est corpus meum*. Secundus est caussalis & falsus in hypothesi de qua disputamus. Sensus enim esset: *Hoc est corpus meum, & hæc est caussa cur dixerim, Accipite & comedite*. Primus sufficit ad consecrationem. Falsitas secundi non obest veritati & efficaciæ primi: quia potest ab illo separari: & non est necesse hanc propositionem, aliasque similes accipi in rigore sensus caussalis indiuisibilis, more hypotheticarum; sed iuxta communem loquendi modum potest sumi in duplici sensu exponibili per duas propositiones, quarum prima separari potest à secunda, & esse vera sine illa. Vt si quis Lutheranus diceret: Hoc est verum corpus Christi, Christus enim dixit corpus suum esse cum pane sub eius speciebus.

18. *Verba illa, quod pro vobis traditur, non sunt necessaria.*

Superest dicere de verbis formam essentialem sequentibus, *Quod pro vobis traditur*. Quæ verba cum à Latina Ecclesia prætermittantur, non sunt necessaria, multóque minùs substantialia, siue essentialia. Nam in ritu consecrationis errare nequit, iuxta caput, *Ad abolendam*, de hæreticis, vbi perpetui anathematis vinculo innodantur qui contrarium censent. Deinde verba illa, si de traditione cruenta intelligantur, non possunt enunciari assertiuè de præsenti: & à Matthæo & Marco omissa sunt.

Nec ista, Noui & æterni testamenti, &c.

Idémque dicendum est de verbis quæ calicis consecrationi ab Ecclesia Latina adduntur, *Noui & æterni testamenti*, &c. Nam quædam eorum à quibusdam Euangelistis omittuntur: & quædam prorsus à nullo referuntur. Nec assertiuè de præsenti dici potest quòd effundetur pro vobis, id est, pro Apostolis: nec pro vllo, si de cruenta effusione sermo sit. Non significant etiam substantiam sacramenti, sed vsum potiùs & effectum. Et quod grauissimum est, omnes antiquæ Græcorum Liturgiæ prætermittunt, *æterni*, & *mysterium fidei*. Aethiopes vero in sua, quæ Matthæi Apostoli esse dicitur omittunt, *noui & æterni testamenti*. Ergo verba illa non sunt essentialia. Alioqui non consecrassent. Quod qui assereret, non sine magna temeritate damnaret vniuersalem traditionem Ecclesiæ Liturgias illas recipientis, & approbantis. Damnaret item erroris intolerabilis omnes his liturgiis vsos: & Ecclesiam Romanam vitiosæ conniuentiæ, quæ ne in Florentino quidem Græcos huius erroris arguerit. Quin potiùs sicut ex vsu antiquissimo Latinæ Ecclesiæ colligimus verba illa, *quod pro vobis traditur*, non esse necessaria, sic, &c. Et verò sicut ad corporis consecrationem se habent verba illa, *Hoc est corpus meum*: sic & ista, *Hic est sanguis meus*, vel æquiualentia, ad sanguinis consecrationem. Dicere autem quòd Deus cum Ecclesiis illis dispensauerit, aut cum Latina, vt formâ licet diminutâ validè consecrarent, gratis omnino, & temerè confictum est.

19. *Verba sacramentalia non possunt suspendi à sacerdote, & impediri ne operentur.*

Soti verò interpretatio, & opinio, neque Diuo Thomæ congruit, neque probabilis est. Nam sacerdos legitimè consecrans debet intendere per formam efficere quod potest. Neque est in eius potestate vt suspendat effectum sacramenti, postquam materia, & forma essentialis, sunt perfectè adhibitæ; quod in aliis omnibus sacramentis inductione patet. Nimirum quia materia & forma sacramentorum sunt agentia necessaria, quæ cùm primùm sunt, agunt quidquid, & quantum possunt. Neque pendent à Ministro, nisi quoad applicationem. Vt ignis & alia id genus agentia, quæ à nobis tractari queunt, & applicari; non tamen impediri quin effectum sortiantur, si applicentur.

SECTIO III.

De significatione, & efficacia verborum formæ.

20. QVæritur primò quid significent verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus?* Respondeo ex dictis alibi notum esse quid per verbum, *est*, & per nomina corporis & sanguinis intelligendum sit: nimirum hæc omnia propriè sumi debere, non autem in sensu metaphorico & improprio; designando veram naturam corporis & sanguinis Christi verè & realiter ac substantialiter sub speciebus panis & vini contineri. Supersunt ergo pronomina, *hoc*, & *hic*, de quibus variæ sunt opiniones, referente Diuo Thoma articulo quinto quæstionis septuagesimæ octauæ. Verior autem & simplicior ea mihi videtur, quæ docet huiusmodi pronominibus adiectiuè sumptis significari corpus, & sanguinem, non quidem expressè secundum rationem corporis & sanguinis, sed secundum rationem demonstrabilis; siue vt sunt aliquid singulare demonstrabile, quod quale sit determinatur magis, & explicatur subiectis vocibus corporis, & sanguinis: vt fit in his, & similibus locutionibus, Hic est equus meus, Hæc est domus mea, Hoc est prædium meum: in quibus pronomina demonstratiua posita ex parte subiecti, significant prædicatum confusè, vt quid demonstrabile, determinandum, & exprimendum per nomina addita pronominibus demonstratiuis, ex parte prędicati. Hunc philosophandi modum velut magis natiuũ, & purum, post Guit-

mundum, Altisiodor. Alensem, Maiorem, & alios antiquiores, probant Claudius de Sainctes repet. 7. cap. 7. Maldonatus in cap. Matth. 26. vers. 26. & Vasquez disp. 201. cap. 4.

21. Refelluntur aliæ sententiæ.

Alii verò qui per particulam, *hoc*, panem intelligunt, siue absolutè secundum suam substantiam; siue vt transit in corpus Christi: falsò opinantur prima ex parte. Nam panis non est corpus Christi. Ex alia verò locum incautè dant hæreticorum metaphoris, quando verbum, *est*, à natiua significatione deducunt ad tropicam, quâ significet, *transit*. Similiter qui sola accidentia panis & vini demonstrari censent: vel falsam reddunt propositionem, si, *est*, propriè sumatur: vel metaphoricam, si sumatur pro, *continet*, vel *significat*, vel *recipit*, &c. Qui autem, *hoc*, substantiuè accipiunt in neutro genere, & resoluunt per has voces, Hæc substantia confusè, & indeterminatè significata, vel Hoc edulium, vel, Hoc contentum sub speciebus, &c. Illi non satis proportionem seruant, inter vtramque formam. Nam in forma consecrationis sanguinis, *hic*, adiectiuum est, iuxta vulgatam versionem, cuius propter antiquitatem, & Tridentini definitionem sessione quarta, magna est auctoritas: quamuis in græco omnia neutra sint: quia σῶμα, & αἷμα, & ποτήριον, sunt neutra. Qui denique per, *hoc*, intelligunt Hoc edulium, aut quid simile, commune secundum rationem pani, & ei quod pani succedit: per, *hic*, autem liquorem vel potum, vel simile quid, commune vino præcedenti; & sanguini Christi succedenti: quam sententiam præfert Suarez nostræ, licet eam valde probabilem esse, & absque vllo inconuenienti teneri posse fateatur: Illi sensum verborum bonum quidem assignant, sed tamen minùs purum, ac non necessarium. Nam per accidens est quòd potus, vel liquor, sint eiusdem generis cum pronomine, *hic*, ac proinde subintelligi possint. Et quamuis nullum tale nomen masculinum esset, quod potum aut liquorem denotaret: forma tamen illa vera esset. Neque ideo vera est, quia potus aut liquor sunt eiusdem generis. Adde quòd si potus subintelligitur, vel liquor: æquè diceretur, Hic est sanguis meum, si sanguis esset neutrius generis: vt dicitur, Hic, supple potus vel liquor, est vinum meum. Et ex opposito licet, corpus, masculinum esset, æquè diceretur, Hoc est corpus meus; sicut, Hoc, supple edulium, est panis meus. Et eodem loquendi modo dici posset, Hoc, supple animal rationale, est pater meus: Hoc est mater mea: Hoc est filius meus: quæ à communi loquendi modo, & Scripturæ phrasi aliena sunt.

22. Neque verò ex nostra opinione sequitur propositionem istam, Hoc est corpus meum, esse identicam. Alius enim est conceptus prædicati, & alius subiecti. Nec sensus est quòd corpus Christi sit corpus Christi: sed quòd hoc demonstrabile sub speciebus panis, sit corpus Christi. Nec denique verum est omne adiectiuum in oratione supponere aliquod substantiuum, quod præcedat. Sufficit enim si illud habeat ante vel post. Expressè inquam & formaliter: Nam virtualiter & implicitè verum est omne adiectiuum importare materialiter aliquod substantiuum, cui adiiciatur secundum magis expressum, & formale suum significatum.

Quæritur secundò, An verba formæ efficiant corpus Christi vt vera sunt? Ita vt vis efficiendi fundetur in veritate, id est, operentur quâ vera? Respondeo negatiuè, sed fundari tantùm in significatione. Ratio est, quia id in quo fundatur vis efficiendi corpus & sanguinem Christi, debet esse prius natura, & independens à corpore & sanguine Christi efficiendo. At veritas verborum non est prior naturâ, sed posterior ac dependens. Existentia enim rei significatæ est causa veritatis propositionis in illa fundatæ, quia ex eo quòd res est vel non est prout significatur, propositio est vera vel falsa, ex Aristotele primo Periherm. capite quarto. Priùs ergo est existentia rei significatæ eo modo quo significatur, siue præsens, siue futura, siue præterita; quàm sit veritas propositionis significantis. Et consequenter priùs est causa existentiæ rei significatæ, id est, præsentiæ, præteritionis, vel futuritionis rei: quàm sit veritas fundata in illa præsentia, præteritione, vel futuritione rei. Quare veritas non potest esse illius causa effectiua. Alioquin esset causa effectiua eius, quod habet esse priùs natura quàm ipsa, & independenter ab ipsa. Qua de re plura diximus alibi disputatione 18. de Sacramentis in genere, sectione 8. 23. Verba formæ non efficiunt corpus Christi vt vera sunt sed vt significatiua. Aristot.

Contrarium videtur sentire Diuus Thomas quæst. 78. artic. 5. in corpore post medium, vbi ait veritatem huius locutionis *Hoc est corpus meum*, non præsupponere rem significatam, sed eam efficere, & similem esse conceptioni intellectus practici, quæ non præsupponit rem conceptam, sed facit eam. In eoque differre conceptionem aut propositionem practicam à conceptione aut propositione speculatiua, quæ non facit sed præsupponit obiectum suum. Respondeo cum Caietano initio commentarii eiusdem artic. Sanctum Thomam intelligendum esse de veritate practica, non de speculatiua. Notandum enim propositiones practicas, id est, effectiuas eius quod significant, habere duplicem veritatem. Vnam practicam, quæ est veritas in causando, & in eo consistit, quòd sit verè causa rei significatæ. Alteram speculatiuam, quæ est veritas in demonstrando, & consistit in conformitate propositionis cum re significata. In quo differunt 24. Veritas formæ consecrat. duplex, practica, & speculatiua.

propositiones practicæ à speculatiuis, quæ habent tantùm secundam veritatem: & in eodem sunt similes conceptioni practicæ, verbi gratia ideæ domus in mente Architecti, quæ, & verè effectiua est rei conceptæ; & est eidem conformis, quatenus eam repræsentat sicuti est. Sic autem intellectus Diuus Thomas nobis non obest: quia veritas illa practica nihil est aliud, quàm significatio propositionis vt effectiua corporis Christi, vi diuinæ institutionis. An autem vis illa effectiua sit physica vel moralis; & quo instanti operetur, & an forma consecratiua vnius speciei panis, vel vini pendeat necessariò ab altera, ita vt sine illa de iure vel de facto non possit operari, patet ex dictis alibi, disp. 21. sect. 4. & 6. & disp. 29. sect. 1.

SECTIO IV.

Vtrum verba formæ consecrationis pronuncientur tantum historicè, an verò etiam assertiuè?

25. Quid sit pronunciari historicè, & assertiuè. PRo tituli explicatione suppono primò, illud pronunciari seu dici historicè, siue quod idem est, recitatiuè, aut materialiter, quod tantùm refertur tanquam ab alio dictum: ita vt nos illud ipsum non asseramus, vel negemus; sed tantùm asseramus id ab alio dictum fuisse; nec illud sit assertio, vel propositio nostra formaliter; sed materiale & extremum vnum propositionis, quâ asserimus illud ab alio pronunciatum fuisse. Vt cùm dicimus verbi gratiâ, Aristoteles dixit mundum esse ab æterno. Formaliter verò & significatiuè seu assertiuè aliquid dicimus, quando per verba quæ pronunciamus, intendimus aliquid affirmare, vel negare. Vt cùm dicimus, Falsò dixit Aristoteles mundum esse ab æterno. Vel absolutè, Mundus non est ab æterno.

26. Potest aliquid vtroque modo pronunciari. Suppono secundò, Posse aliquid vtroque modo efferri: historicè scilicet, & assertiuè. Vt si quis dicat: Aristoteles dixit, & ego idem dico, mundum esse ab æterno. Quæ propositio sine dubio impium & hæreticum faceret, non autem simplex recitatio. Sic etiam posset quis ad difficultatem aliquam respondere tum ex sensu Diui Thomæ, tum etiam ex suo, in hunc modum: Respondeo, cum D. Thoma, vel, respondet Diuus Thomas, &c. Similiter posset quis referre quomodo Christus docuerit pronunciare orationem Dominicam: eamque simul affectu referentis & orantis pronunciare. Posset item referre quomodo Christus vel Apostoli baptizauerint, concionati sint, vitia hæc aut illa exprobrauerint: & simul ea referendo Christum vel Apostolos imitari, baptizando aliquem re ipsa, vel concionando iisdem verbis, vel exprobrando eadem vitia audirotibus. Sic igitur sacerdos super materiam consecrationis sacramentalia verba pronuncians, potest illa velut à Christo dicta referre; & simul Christum imitari, eiusque personam induendo asserere super materiam propositam, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

His suppositis, variæ sunt de proposita quæstione Theologorum sententiæ. Nam Innocentius III. lib. 4. de Eucharistia cap. 17. & alii quidam existimant recitatiuè tantùm & historicè proferri. Quia alioqui falsò diceret sacerdos, *Hoc est corpus meum.* Neque enim illud, de quo asserit, est corpus sacerdotis. Falsò etiam diceret in consecratione calicis, *qui pro vobis & pro multis effundetur*, &c. Neque enim sanguis Christi modò fundendus est pro Apostolis, vel aliis, pro quibus Christus fundendum esse dicebat. 27. Variæ sententiæ.

Ex opposito Marsilius, Gabriel, & alii, quos sequitur Vasquez disputatione ducentesima, capite secundo, existimant tantùm assertiuè, seu formaliter & significatiuè tantùm proferri. Quia repugnat vt proferantur vtróque modo, vtque sacerdos simul in propria & in aliena persona loquatur. Ac duo illi loquendi modi propositionem æquiuocam facerent. Nam vt recitatiuè proferretur, referretur ad species quas Christus consecrauit, & ad factum Christi. Vt autem assertiuè, seu formaliter, & significatiuè pronunciaretur, referretur ad species hic & nunc præsentes sacerdoti, & ad id quod ab ipso fit.

Verior tamen est Diui Thomæ sententia quæst. 78. art. 5. & aliorum plurimorum, quos refert & sequitur Suarez disput. 58. sect. 4. recitatiuè simul, & assertiuè proferri. Probatur, quia recitatiuè quidem & historicè proferri satis ostendit contextus canonis, cùm sic ait: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: & eleuatis oculis in cælum, ad te Deum patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, & fregit, deditque Discipulis suis dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum. Simili modo postquam cænatum est*, &c. Vbi nota particulas, *dicens*, &, *enim*. Quarum prior significat manifestè Christum verba illa sacramentalia dixisse, eadémque referri tanquam à Christo dicta. Posterior verò connectit verba sacramentalia cum præcedenti narratione. Nec vlla est ratio cur contra facilem, planum, & obuium sensum, dicatur series narrationis interrumpi, cùm ad ea ventum est. Imò aliter præcedentia nullum habent sensum completum. 28. Verba formæ consecrat. proferuntur vtroque modo.

Quòd autem sensu quoque formali, seu assertiuo, & significatiuo enuncientur, patet, quia sacerdos alioqui non loqueretur in persona Christi: quod est contra Florent. in Decreto, & Ambrosium lib. 4. de Sacramentis cap. 4. aliosque Patres asserentes sacerdotem consecrantem loqui in 29.

persona Christi. Neque enim in Christi persona loqueretur, si tantùm referret Christum ea dixisse. Deinde alioqui circa materiam præsentem nihil assereret: ac proinde non efficeret conuersionem ex vi & veritate verborum: Quod est contra Trident. sess. 13. cap. 3. & 4. Verba enim perinde vera essent, siue materia, quam in manibus habet, conuerteretur, siue non: & siue sub speciebus præsentibus corpus Christi constitueretur, siue non. Nam significarent tantùm conuersionem materiæ quam Christus accepit in manus, & præsentiam corporis, & sanguinis, sub eiusdem materiæ speciebus. Ac proinde vera essent eo ipso quòd ita fuit, quidquid sit de cætero, quod sicut non significatur, ita ad veritatem planè impertinens est. Nec verum esset quod communiter docent Theologi, ex vi & significatione verborum materiam consecrandam debere esse præsentem, vt sub illius speciebus demonstretur sensibililiter corpus Christi. Nam verba illam non significarent, sed materiam à Christo in cœna vltima consecratam, quæ loco & tempore longè distat ab illa, quam quotidie consecramus.

30. Confirmatur. Vlteriùs, non esset verum quædam etiam nunc poni sub speciebus ex vi verborum, & alia per concomitantiam. Nam vis verborum exigeret tantùm olim Christum quædam posuisse, cùm verba illa protulit super panem & vinum. Quæ verba essent æquè vera recitatiuè prolata, quamuis nunc nihil poneretur sub speciebus. Ergo si quid nunc ponitur, non ponitur vi verborum historicè tantùm prolatorum. Adde quòd si verba non haberent vim consecrandi nisi recitatiuè prolata, sequeretur sacerdotem non consecraturum qui sic diceret, & nihil amplius, *Hoc est corpus meum.* Tunc enim historicè non referret Christum ea dixisse. Adde item verba formalia aliorum sacramentorum proferri assertiuè, & applicari præsenti materiæ. Ac licet Christus, absolutè loquendo, instituere potuerit, vt, quamuis materialiter tantùm prolata, haberent effectum; non tamen ita instituit, sed potiùs oppositum, vt nisi formaliter enuncientur nihil efficiant. Adeo vt sensus materialis in efficiendo pendeat à formali, etsi non vice versa. Sacerdos enim qui solùm assertiuè in persona Christi diceret, *Hoc est corpus meum*, verè consecraret: & sicut aliæ sacramentales formæ assertiuè tantum prolatæ operantur: sic ista solùm assertiuè prolata operari potest; tametsi ab aliis in eo differt, quòd ex Ecclesiæ præcepto materialiter & assertiuè simul pronunciari debet.

31. Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ. Ad fundamentum igitur primæ opinionis Respondeo sacerdotem in persona Christi loqui, ac verè asserere, *Hoc est corpus meum.* Verba autem illa, *Qui pro vobis, & pro multis tradetur*, &c. non dicuntur à nobis significatiuè proferri; sed tantùm verba essentialia formæ, quæ tamen illis & aliis in sensu historico non interrupto cohærent. Primum autem fundamentum opinionis secundæ suprà euersum est exemplis quibus ostendimus materialem sensum & formalem non repugnare, sed simul aptè coniungi posse. Ad secundum nego committi æquiuocationem: nam secundum vtrumque sensum non est eadem propositio: sed in sensu materiali & historico verba illa, *Hoc est corpus meum*, sunt tantùm pars propositionis, quâ asseritur Christum exhibuisse, & demonstrasse corpus suum sub speciebus sibi præsentibus. In sensu autem formali sunt propositio integra, quâ sacerdos in persona Christi loquens demonstrat idem corpus sub speciebus sibi præsentibus. Vtroque autem modo vnum & idem est formale eorum significatum in recto, corpus scilicet Christi Domini, quod demonstrant: licet id, sub quo demonstrant, & quod connotatiuè significant, non sit idem in historico sensu, & in assertiuo. Sed hæc diuersitas materialis est: nec magis ponit æquiuocationem, quàm diuersitas locorum in quibus quidpiam demonstratur: aut quàm diuersitas subiectorum ponit æquiuocationem in nomine, *Album, calidum*, & similibus. Vquiuocatio enim petenda est ex formali & expresso significato. Idem vinum successiuè positum in diuersis vasis potest sine æquiuocatione demonstrari dicendo, *Hoc est vinum meum*, estque idem quod demonstratur, licet sint diuersa ea, sub quibus demonstratur.

SECTIO V.

Pro quo instanti verificentur verba consecrationis?

Respondeo verificari pro eo instanti, quo vltimò completur essentialiter forma consecrationis, consistens in his verbis aut æquiualentibus, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, prolatis ex intentione significandi & faciendi id quod Christus instituit. Ratio est, quia ex hoc toto indiuisibiliter pendet tota significatio essentialis formæ. Operatur autem quâ significatiua, vt paulò ante diximus: & non operatur nisi quando est perfecta essentialiter. Quare non ponit corpus & sanguinem Christi sub speciebus, nisi eo instanti, quo perficitur essentialiter. Adeóque non primò verificatur, nisi pro eodem instanti: quia non priùs verum est, id quod sub speciebus demonstratur, esse corpus & sanguinem Christi. Confirmatur, quia sensus propositionis est anceps, & ambiguus, donec ab illo vltimo determinetur. Nam si loco pronominis, *meum*, adderetur aliis particulis vox, *Cæleste*, vel, *aërium*, vel, *brutum*, & similes; longè aliud affirmaretur, essétque alius sensus ad quem illæ particulæ, ac tota propositio, determinarentur. 32. Forma verificatur pro vltimo instanti quo perficitur essentialiter.

Obiicies cum Delugo disput. 11. num. 33.

Grauis difficultas, quomodo non si vlterius expectandu.

132. propositionem debere esse iam omnino absolutam & completam, vt complete & determinate significet. Non intelligitur autem esse completa, donec constet non adiici alia verba, quæ determinent priora. Quid enim si sacerdos Caluinista his verbis, *Hoc est corpus meum*, adderet, *non reipsa, sed figurâ tantum*? Ergo vt fiat consecratio, non sufficit proferri verba essentialia: sed aliquandiu expectandum est, vt constet ibi sistere propositionem ac finiri, aut nihil addi determinans ad sensum contrarium, vel substantialiter diuersum. Neque dicas sufficere verba illa esse integrè prolata sine animo addendi alia verba. Nam ille animus interior non sufficit vt verba externa habeant externam significationem, quam ex vi sua non possunt habere.

34. Resolutio.

Omissis multis quæ respondet auctor cit. num. 135. & sequentibus, Dico primò, aliud esse propositionem esse iam omnino absolutam: & aliud, intelligi esse absolutam. Primum ad essentialem significationem & efficaciam formæ necessarium est: non secundum. Quare non est expectandum donec illud intelligatur. Secundò dico propositionem debere esse iam omnino absolutam, & completam essentialiter, quoad verba essentialiter necessaria, vt significet in actu primo, & quantum est de se, hoc esse corpus, & hunc esse sanguinem Christi. Est autem talis, quando à sacerdote proferuntur & finiuntur verba formæ essentialia, cum intentione significandi, & efficiendi id quod Christus instituit: siue ibi sistatur, siue non: dummodo non addatur quidquam quod corrumpat sensum verborum essentialium, vt fit in exemplo allato. Sed neque tunc potest esse intentio sufficienter significandi id, quod Christus instituit. Quia non possunt cum tali addito id significare, secundum modum communem loquendi, secundum quem formæ sacramentorum debent significare id quod significant. Verba autem illa essentialia, cùm agant necessariò, & habeant quidquid ad agendum requiritur, nempe legitimum sonum, & sensum: non possunt suspendi à voluntate addendi alia verba non essentialia. Quare siue in illis sistat sacerdos, siue alia addat; iam tunc habent effectum.

35. Confirmatur.

Et quidem vel ea, quæ adduntur, sunt conformia verbis essentialibus, & bene cum illis cohærentia: cuiusmodi sunt illa quæ à Græcis adduntur consecrationi panis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: & ea, quæ à Latina Ecclesia adduntur formæ consecrationis calicis, *Noui & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: vel sunt impertinentia: vel denique sunt dissentanea, & contraria veritati formæ, vt si sacerdos Caluinista adderet, *Hoc est corpus meum, figurâ tantùm*. Si primum: verba quæ adduntur, sunt tantùm maior explicatio significati formæ essentialis, non necessaria ad eius essentiam, & vim efficiendi. Quare forma sine illa esset, ac priùs illa est, & operatur. Si secundum, id est, si sunt impertinentia; non obsunt, neque prosunt significationi & efficaciæ formæ. Si tertium, id est, si sunt dissentanea & contraria: vel ita adduntur, vt ex modo quo apponuntur, corrumpant substantialiter sensum essentialem formæ secundum vsum communem loquendi, & intelligendi. Et tunc non intenditur significatio, quam Christus instituit: nihilque fit, quia non ponuntur verba essentialia formæ, quæ non consistunt tantùm in sono verborum, sed & præcipuè in vero sensu. Vel ita adduntur, vt non corrumpant sensum essentialem, faciendo vnam propositionem cum illis, habentem sensum contrarium, aut substantialiter diuersum; sed distinguendo vnum sensum ab alio, & vnam propositionem ab alia: vt si quis dicat, Hoc est corpus meum, id est, vt ego arbitror figurâ tantùm, non reipsa. Et tunc intentio generalis & absoluta sacerdotis, intendentis significare per illa verba, & facere id, quod Christus instituit, derogat eius errori priuato, quem verbis sequentibus exprimit. Atque vbi constiterit de eius intentione tali, iudicandum erit validè consecrasse.

Dices: Si propositio affirmatiua de præsenti debet verificari pro instanti, in quo vltimo completur: ergo hæc propositio quæ immediatè præcedit formam consecrationis, *Accipite & manducate ex hoc omnes*, & hæc quæ Matth. 26. refertur à Christo dicta ante consecrationem calicis, *Bibite ex hoc omnes*, debet verificari pro vltimo instanti, quo finitur. At eo instanti erat tantùm panis & vinum. Ergo Christus illis verbis aut falsum dixit, aut iussit Apostolos comedere panem, & bibere vinum. 36.

Respondent aliqui recentiores primò, Existimare nonnullos Christum priùs consecrasse, quàm verba illa protulerit: licet ab Euangelistis inuerso ordine referantur. Sed hæc responsio nullo firmo nititur fundamento, solúmque videtur excogitata ad fugiendam difficultatem propositam. Quare secundò respondent differentiam esse inter hanc propositionem, *Accipite & comedite ex hoc*: & istam, *Hoc est corpus meum*. Quia, inquiunt, prima est præceptiua; posterior verò est assertiua: ad cuius veritatem requiritur vt obiectum tale sit tunc, quale affirmatur esse. Debet ergo illud, *hoc*, referri ad id quod in fine propositionis erat sub speciebus: at in priori propositione non ita: quia per illam non affirmabatur, sed præcipiebatur comedi id, quod esset sub speciebus, tunc scilicet quando acciperetur ad comedendum.

Sed contra: Primò, Quisquis præcipit, significat assertiuè suam esse voluntatem vt fiat id quod præcipit. Ergo Christus priori propositione significauit assertiuè suam esse 37. Refutatur quorundã expositio.

voluntatem vt Apostoli comederent ex hoc, de quo tunc loquebatur. Secundò, nulla redditur ratio, cur veritas propositionis assertiuæ debeat referri ad vltimum instans, quo profertur; & non veritas propositionis præceptiuæ, quâ de præsenti iubemur aliquid facere. Neque ego video rationem vllam solidam esse: sed dico veritatem illius propositionis, *Accipite & comedite ex hoc omnes*, non esse referendam ad vltimum instans quo dicitur, *ex hoc*; quia ibi non finitur propositio, sed in aliis verbis additis, *Hoc est corpus meum*, quæ sensum priorem longè diuersum faciunt, ac planè disparatum, ab eo quem haberent, si solitariè proferrentur. Quemadmodum ergo si quis diceret, Hoc est *corpus meum figurâ tantùm*, efficeret vt propositio non compleretur illis verbis prioribus, Hoc *est corpus meum*, quorum sensus mutaretur & corrumperetur verbis posterioribus additis per modum vnius propositionis, cuius sensus indiuisibiliter pendet ab vtrisque simul sumptis, & ita connexis: sic Christus addendo, Hoc *est corpus meum*, fecit vt propositio præcedens, *Accipite & comedite ex hoc*, non fuerit completa; sed eorum sensum mutauit, ac substantialiter diuersum fecit ab eo quem solitariè prolata habuissent.

38. Soluitur instantia. Dices: Christus potuit non addere illa verba, & sine illis panem in corpus suum conuertere secretò, ac discipulis edendum dare. Respondeo in eo casu propositionem illam, *Accipite & comedite ex hoc*, fore completam; sed non fore sufficienter significatiuam ejus quod fit, & esse tunc moraliter accipiendam hoc sensu, *Accipite & comedite ex hoc quod vobis dabo, vel, quod vos edere faciam*. Quo etiam sensu morali, enunciando vt præsens id, quod tantùm est moraliter præsens, & præsens censetur quia proximè futurum est, solent accipi propositiones quoque affirmatiuæ non-præceptiuæ. Vt cùm dicimus: *sic argumentor, Omne totum est maius sua parte*, &c. vel cùm aliquis Hero vocanti dicit, Venio, & statim post se itineri dat. Verba autem consecrationis non sunt tantùm moraliter vera; sed in rigore physico seu mathematico, vt supponit Tridentinum sess. 13. cap. 3. cùm ex eorum veritate colligit Christum esse in Eucharistia ante vsum, id est, antequam sumatur. *Nondum enim*, inquit, *Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod præbebat*: ac proinde verè tale erat antequam Eucharistia de manu Domini ab Apostolis susciperetur. Similiterque verè tale est, antequam Eucharistia sumatur à fidelibus de manu sacerdotis.

39. Altera difficultas diluitur. Eodẽ modo solui debet alia difficultas, quã iidem authores proponunt in hunc modum. Si habens pomum in manu, diceres mihi, Accipe & comede ex hoc, quia est cibus saluberrimus, & post illa verba antequam illud dares, & ego acciperem, conuerteretur in lapidem: non putarem me inuitatum ad esum lapidis, sed pomi, quod ante in manu habebas, quando dixisti, Comede ex hoc. Similiterque Apostoli non putarunt se inuitatos per illa verba, Comedite ex hoc, ad esum corporis Christi, sed ad esum panis, quem tunc Christus in manibus habebat. Cui difficultati respondent ipsi negando consequentiam: quia, inquiunt, in priori casu non solùm mutata fuisset substantia pomi in substantiam lapidis; sed etiam accidentia illa, quæ designantur in obliquo ex intentione loquentis per particulam, *hoc*: at verò in Eucharistia manent accidentia panis. Sed potiùs respondendum censeo, iuxta præcedentia, differentiam esse: nam in priori propositione nihil additur, quod distrahat & corrumpat sensum priorum verborum, ad significandum dari lapidem, & non pomum quod adhuc in manibus tenetur. Sed potiùs id quod additur, confirmat dari pomum, & non lapidem, qui non est cibus saluberrimus. Secus verò est in posteriori propositione, in qua verba à Christo addita significant dari corpus suum sub speciebus panis. Si autem fingamus, nulla addi verba: vel is, qui dat, ignorat conuersionem futuram, & determinat suam intentionem ad id, quod habet tunc in manibus: vel generalius vult, vt comedat illud quidquid erit. Si primum: fallitur, eiusque propositio non est conformis euentui. Si secundum: propositio accipienda est moraliter, vt dixi paulò ante, & non satis significat id quod edendum datur.

SECTIO VI.

An eadem materia per plures formas simul consecrari possit?

Respondeo affirmatiuè: idque non modò validè, sed etiam licitè in iis casibus, in quibus Ecclesia id permittit, & statuit. 40. Conclusio affirmatiua. Prima pars facilis est. Sicut enim idem potest validè à pluribus verba simul proferentibus baptizari aut absolui, velut à causis totalibus in eodem genere: ita eadem hostia potest simul consecrari validè à pluribus sacerdotibus verba consecrationis proferentibus, ac simul formam essentialem finientibus. Simul, inquam: alioquin aut priùs finiens nihil facit: aut posteriùs finiens inutiliter profert eadem verba. Si enim priùs finiens habet absolutam intentionem, consecrat antequam alter finierit: & iam iste nihil facit, quia materia iam consecrata non potest iterum validè consecrari. Sin autem habet intentionem suspensam, donec alter finierit, velitque tantùm consecrare, cùm alter finiet, quamuis ipse priùs absoluat verba essentialia: nihil facit; quia non potest suspendere vim verborum iam prolatorum, quæ necessariò agit: neque potest efficere vt

conuertant materiam in corpus, aut sanguinem Christi, quando amplius non proferentur.

41. Secunda pars probatur ex consuetudine Ecclesiæ, præscripta sub præcepto in nouo Pontificali, quá sacerdotes recens ordinati eandem materiam consecrant simul cum Episcopo ordinante. Quæ consuedo imprudenter & temerariè improbatur à Durando in 4. distinct. 13. quæst. 3. num. 10. Item ex alia consuetudine, quá Episcopus recens consecratus celebrat cum Episcopo consecrante idem sacrificium ex eadem materia. Et in Ecclesia Græca Episcopo celebranti adest semper aliquis sacerdos, qui simul cum Episcopo consecrat eandem materiam, vt referunt Vasquez disput. 218. cap. 2. & Cardin. Delugo disp. 11. num. 163. Olim etiam, teste Innocentio lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 25. omnes presbyteri Cardinales simul cum Summo Pontifice consecrabant eandem materiam.

Cærimonia Neomystarum consecrantium cum Episcopo.

42. Cùm autem non possint simul consecrare, nisi simul finiant verba essentialia, quod moraliter loquendo vix contingit; difficultas est quomodo hæc consuetudo Ecclesiæ legitima sit & licita? quippe quæ exponit periculo proferendi verba consecrationis super materiam iam ab alio consecratam, quod inutile, & sacrilegum est. Respondeo vitari hoc incommodum, si noui sacerdotes, vel alii cum principali offerente celebrantes, habeant, vt debent, intentionem proferendi verba consecrationis historicè solùm, seu recitatiuè, si priùs aut posteriùs, quàm principalis celebrans, absoluant verba essentialia; & velint tantùm ea proferre assertiuè, atque per illa consecrare, dummodo simul cum Episcopo, vel principali offerente absoluant. Quo sensu facilè intelligi potest id quod ait Innocentius III. lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 25. quodque ex illo refert & sequitur sanctus Thomas quæst. 82. art. 2. in corp. talem esse debere omnium simul celebrantium intentionem, vt ad idem instans referatur: nempe, vt ait Innocentius, ad instans in quo absoluit Episcopus: vt ita cæteri qui dicuntur concelebrare, non impediant effectum principaliter celebrantis.

Qualis debeat esse illorum intentio?

43. Contra quam responsionem, quæ est Suaris, & Aegidii Coninc ad quæst. 82. art. 2. post Alensem parte 4. quæst. 36. mem. 8. & Ledes. 1. parte 4. quæst. 32. art. 2. dub. 2. opponit Delugo supra num. 168. praxim communem Ecclesiæ, quæ non admonet recens ordinatos de tali intentione conditionata non consecrandi si priùs absoluant quàm Episcopus: sed potiùs communiter monet vt habeant intentionem consecrandi. Deinde posita hac intentione conditionata, non vitantur omnia incommoda. Nam primò, manet moraliter certum quòd plures proferent inaniter verba consecrationis. Quòd autem habeant conditionatam intentionem, parum refert: Nam etiam prolatio verborum conditionata super materiam iam consecratam, est intrinsecè mala & prohibita, vt omnes supponunt. Secundò, non vitatur illud inconueniens, quòd consecrans non perficit sacrificium sumendo vtramque speciem. Nam Neomystæ sumunt tantùm speciem panis.

44. Ad primum Respondeo, Ecclesiam supponere notam illis esse doctrinam communem de celebratione sacramentorum, quæ est vt eorum Ministri habeant saltem generalem intentionem faciendi id quod intendit Ecclesia, & eo modo quo ipsa intendit: qua intentione derogent cuicunque errori priuato, suo, vel alieno. Intentio autem Ecclesiæ videtur meritò esse qualem suprà diximus, vt magis patebit refutando alias opines. Monet ergo illos Ecclesia vt habeant intentionem consecrandi, prout ipsa intendit.

Soluuntur argumenta contraria.

45. Ad secundum Respondeo non proferre inaniter, quando proferunt historicè, ob fines bonos, propter quos illa cærimonia introducta est, & cum aliqua spe consecrandi, ac proferendi assertiuè si ea simul cum Episcopo absoluant: qui idcirco debet alta voce, & distinctè, singula verba essentialia pronunciare. Similiter non est intrinsecè malum & prohibitum referre historicè verba consecrationis super materiam iam consecratam: & nego id ab omnibus supponi. Neque etiam est incommodum minùs principaliter consecrantes non perficere sacrificium sumendo vtramque speciem, dummodo principalis, & veluti dux talis sacrificii, illud perficiat. Imò neque satis constat teneri aliter, quàm ex præcepto Ecclesiastico, sacerdotem principaliter aut solitariè consecrantem, sumere quod consecrauit: & non sufficere quòd sumatur ab alio sacerdote: vt idem author fatetur num. 173. post Suarem disp. 75. sect. 5. in fine. Frustra ergo obiicit tanquam incommodum id quod ipse tandem fatetur posse sine incommodo affirmari.

45. Aliter verò respondet ipse num. 172. omnes habere intentionem saltem conditionatam consecrandi, & non recitandi solùm materialiter illa verba. Neque obstare inconueniens supra allatum, quòd plures proferant vltimum verbum super materiam iam consecratam. Quia licet, inquit, hoc in communi verum sit & moraliter certum, quòd non omnes absoluent simul, & quòd aliqui proferent super materiam iam consecratam: nemini tamen in particulari, quando profert vltimam syllabam, constat moraliter certò quòd iam illa materia consecrata sit. Imò omnes conantur simul proferre, & monentur sedulò, vt id curent. Quare singuli, quando proferunt, possunt seriò intendere consecrare, cùm sit illa ad minus materia dubia.

Refutantur aliæ sententiæ circa Neomystas concelebrantes.

Sed hæc responsio non minorem patitur difficultatem, quàm præcedens. Primò enim, malum & sacrilegum est adhibere materiam dubiam, quando potest haberi certa: vt baptizare infantem aqua, de qua dubitatur sitne vera aqua an rosacea: & consecrare vinum,

de quo dubitatur an sit corruptum. Secundò, si in communi moraliter certum est quòd non omnes absoluent simul, & quòd aliqui proferent verba super materiam iam consecratam; exponit se quilibet, nesciens num alius præueniat, periculo moraliter certo non absoluendi simul, & volendi consecrare materiam iam consecratam: quod illicitum est. Nisi præfatus auctor veniat ex parte ad sententiam, quam suprà improbauit respectu Episcopi, seu principalis consecrantis; nolle scilicet quemlibet consecrare nisi conditionatè, posito quòd non priùs absoluat alius. Contra quod recurrunt omnia, quæ ipse nostræ sententiæ obiicit velut inconuenientia. Quare non debuit propter illa reiici: quæ aliunde id commodi habet, quòd facit principalem offerentem semper consecrare, & sacrificium consummare sumendo vtramque speciem consecratam.

48. Neomystæ proferunt assertiuè verba consecrationis.

Deterius est quod alii respondent, Neomystas proferre tantum recitatiuè verba consecrationis, quasi discendo ab Episcopo quomodo & quibus verbis consecrandum sit. Nam contrà: Primò, hæc responsio non conuenit aliis consuetudinibus antiquis suprà memoratis. Secundò, in Pontificali sæpe dicitur expressè nouos sacerdotes cum Episcopo celebrare: ideóque ipsos ante communionem non recitare confessionem generalem, vt alii faciunt, quia ipsi concelebrant Pontifici. Et in eodem Pontificali iubetur Episcopus tot hostias consecrare, quot sunt Presbyteri recens ordinati: vt scilicet communicent de hostiis à se oblatis & consecratis, quantum fieri potest. Tertiò, si noui sacerdotes deberent tantùm proferre recitatiuè verba consecrationis; non esset ratio cur in nouo Pontificali moneretur Episcopus verba illa paulatim, & alta voce proferre, nempe vt alii simul cum illo absoluere possint, & consecrare. Alioqui enim parum aut nihil referret ante vel post ea recitare, cum nihil debeant operari. Nec obest quod in antiquo Pontificali habebatur, *debere nouos sacerdotes cum Episcopo dicere omnia quæ sunt in Missa, sicut si celebrarent.* Nam particula, *sicut*, non significat semper improprietatem, aut diuersitatem ab eo, cui additur: & hoc loco apponitur ad significandum debere eos omnia dicere, quia concelebrant.

49. Non suspendunt illorum efficaciam.

Alii dicunt omnium formas simul operari eo instanti, quo postremus verba essentialia perficit. Quia priorum intentio efficaciam formæ eo vsque suppendit. Sed hæc opinio falsa est, vt satis patet ex dictis alibi. Quia scilicet formæ sacramentales agunt necessariò cùm primùm applicantur materiæ debitæ: neque potest earum efficacia à Ministro suspendi. Speciatim verò forma consecrationis significat & verificatur in rigore de præsenti, in vltimo instanti, quo perficitur; vt præcedenti sectione diximus. Quæ significatio non potest à Ministro mutari per suam intentionem.

50. Quomodo excusentur à sacrilegio?

Denique Vasquez disp. 218. cap. 4. supposito, quòd priùs docuit, omnes & singulos Neomystas proferre debere assertiuè verba consecrationis, neminem recitatiuè: ait rationem ob quam sacrilegium non est si præter spem, & opinionem, ex multis vnus priùs consecret quàm alii, & ita alii super materiam consecratam prolationem verborum absoluant, esse quia cùm non parum congruat institutioni huius sacramenti, vt plures simul consecrent; nulla ei iniuria irrogatur, si id fiat etiam cum periculo prædicto proferendi verba super materiam iam consecratam: dummodo id de industria, vel ex maxima negligentia non fiat: & ex alia parte, cerimonia illa, non parum conueniens huic sacramento, semel aut iterum in Latina Ecclesia, & semper in Græca, celebrante Episcopo seruetur. Hæc ille.

Verùm, cùm falso principio nitatur, nimirum quòd impossibile sit verba consecrationis simul ab eodem proferri recitatiuè & assertiuè, siue absolutè, siue conditionatè? & cùm institutionis congruentia non postulet vt velint impossibile, nempe velint absolutè consecrare materiam quæ amplius consecrari non potest; quod in omnibus aliis sacramentis de se malum & sacrilegum est: Non video quomodo congruentia institutionis excuset hic à sacrilegio in sententia Vasquis. Neque etiam quomodo præter spem & opinionem accidat, id quod accidere certum moraliter est, & moraliter ineuitabile in magna multitudine; & quod vnicuique in particulari potest æquè contingere. Non igitur ex eo capite sunt excusandi Neomystæ à sacrilegio: sed potiùs quia, vt suprà diximus, illorum intentio est proferre tantùm verba consecrationis recitatiuè, posito quòd non simul ea finiant cum Episcopo: ita vt nolint consecrare, nisi cum illo consecrent. Et hactenus de forma huius sacramenti. 51.

DISPVTATIO TRIGESIMA-QVARTA,

De effectibus sacramenti Eucharistiæ.



DE effectibus venerabilis sacramenti Eucharistiæ disputat S. Thomas totâ quæst. 79. & affirmat sacramentum hoc conferre gratiam, cùm Christum omnis gratiæ fontem contineat, & passionem eius repræsentet, detúrque per modum cibi, & potus spiritalis, vt nos sustentet, augeat, & delectet, Christique membra inter se vniat vinculo charitatis. 2. Adeptionem gloriæ esse quoque effectum huius sacramenti. Tum ratione Christi, quem continet; & passionis eius, quam repræsentat, quæ vitam æternam nobis aperuit. Tum ratione vsus eiusdem sacramenti: quia refectio cibi spiritualis, & vnitas significata per species panis, & vini, habentur quidem in præsenti, sed imperfectè; perfectè autem in statu gloriæ. 3. Operari etiam remissionem mortalium in eo, qui bona fide deuotè & reuerenter accedit, non sufficienter contritus. Consequitur enim per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati. 4. Remittere etiam peccata venialia: quia est cibus spiritualis, quo id restauratur, quod ex calore concupiscentiæ per peccata venialia deperditur. 5. Tollere etiam reatum pœnæ, non totius, sed secundum quantitatem deuotionis offerentium, prout est sacrificium: vel recipientium, prout est sacramentum. 6. Præseruare hominem à peccatis mortalibus futuris: quia peccatum est mors quædam spiritualis animæ. Vnde hoc modo præseruatur aliquis à peccato futuro, quo præseruatur cor us à morte futura. Quod fit partim interiùs corroborando cibo, & potu, vel medicamentis contra interiora corruptiua: partim muniendo exteriùs contra externas impugnationes, sicut à morte præseruamur per arma, quibus munitur corpus. Eucharistia verò corroborat vitam spiritualem, tanquam spiritalis cibus, & medicina: repellitque omnem Dæmonum impugnationem, inquantum est signum quoddam passionis Christi, per quam victi sunt Dæmones. 7. Non prodesse nisi sumentibus, prout est sacramentum: secus vero prout est sacrificium. 8. Peccata venialia præterita non impedire effectum sa-

cramenti. Potest enim aliquis post multa venialia commissa, deuotè accedere ad hoc sacramentum, & plenariè consequi illius effectum. Illa vero, quæ actu exercentur in eius perceptione, impediunt ex parte illius effectum: quia eius effectus non solùm est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis: sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

An sacramentum Eucharistiæ conferat primam gratiam?

1\. Eucharistia per se non confert primam gratiam.

CONVENIT inter Catholicos sacramentum Eucharistiæ non esse per se institutum ad conferendam primam gratiam, & remissionem peccatorum mortalium. Quia non est per se institutum ad faciendum id, quod per se præsupponit iam esse factum. Atqui per se præsupponit collatam esse primam gratiam, factamque remissionem peccatorum mortalium, si quæ erant in recipiente. Quippe quod per se institutum est in modum alimenti & potus spiritalis ad nutritionem animæ. Alimentum autem, & potus, ac nutritio supponunt vitam in recipiente. Nam alioqui non potest nutriri, neque cibus & potus possunt illi prodesse, vt manifestè patet in cibo, & potu, & nutritione corporali: ex qua per analogiam de spiritali philosophandum est. Et confirmatur ex Scriptura. Si enim Eucharistia esset per se instituta ad remissionem mortalium, non esset ratio, cur Apostolus 1. Corinth. 11. arceret à communione reos peccati mortalis, exigerétque præmitti eius expiationem per sacramentum Pœnitentiæ, verbis illis, *Probet autem seipsum homo*, &c. vt exponit Trident. sess. 13. cap. 7. Ideóque Concilia Florentinum in Decreto Eugenii, §. *Huius sacramenti effectus*, & Trident. sess. 13. c. 2. quando enumerant effectus per se sacramenti Eucharistiæ, non assignant illi effectum remissionis peccatorum mortalium: sed Florentinum quidem ait effectum huius sacramenti esse adunationem hominis ad Christum, augendo gratiam, & operando, quoad vitam spiritualem, omnem effectum, quem cibus, & potus materialis quoad vitam agunt corporalem. Tridentinum verò dicit Christum voluisse sumi hoc sacramentum tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius qui dixit, *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, id est, à venialibus, & à peccatis mortalibus præseruemur. Qui modus loquendi diuersus de venialibus, & mortalibus notandus est.

Probatur ex Scri. 1.

Patres quoque communi consensu affirmant priùs per Pœnitentiam remissionem peccatorum obtinendam esse, quàm ad hoc sacramentum accedatur. Vt Ambros. lib. 6. in Luc. c. 9. *Nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit ante sanatus*, &c. *Vbique ergo in hoc mysterio hic ordo seruatur, vt priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet.* Et Basil. lib. 2. de Bapt. c. 3. *Mundemus nos*, inquit, *ab omni inquinamento, atque ita ad sancta accedamus, vt iudicium eorum qui Dominum occiderunt, effugiamus. Propterea quod quisquis ederit panem, & biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et Cyprian. epist. 10. 11. aliisque locis docet esse contra legem Euangelicam dare communionem lapsis non præmissa confessione peccatorum. Neque tantùm id affirmat de peccatis publicis, publicaque pœnitentia, & reconciliatione tunc temporis necessaria, vt dicemus, disput. sequenti: Nam in lib. de Lapsis dicit confessionem peccatorum cordis, id est, etiam secretorum, & interiorum, esse faciendam sacerdoti, ante communionem. Similique modo loquuntur Chrysost. homil. 83. in Matth. & hom. 24. in 1. ad Corinthios, Leo epist. 91. ad Theodorum Episcopum Foroiuliensem cap. 2. August. tract. 26. in Ioan. Cyrill. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 17. Gregor. lib. 2. in 1. Regum cap. 1. & plures alii, qui ad dignè, & licitè communicandum necessarium esse dicunt priùs obtinuisse remissionem peccatorum, & esse in statu gratiæ. Debent autem omnino intelligi de eo saltem, quod per se necessarium est ex primaria intentione Christi sacramentum hoc instituentis. 2. Confirmatur ex SS. Patribus.

Frustra verò huic communi consensui Catholicorum in Scriptura, & Patribus, & sacramenti institutione fundato, opponunt Nouatores illud Matth. 26. vers. 28. à Christo dictum in consecratione calicis: *Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sensus enim est, non quòd calix Eucharisticus conferat remissionem peccatorum, sed quòd sanguis in eo contentus esset in cruce effundendus in remissionem peccatorum. Et planè sibi contradicunt iidem Nouatores, quando asserunt primò, homines per fidem iustificari, seu obtinere remissionem peccatorum. Secundò, fidem esse necessariò prærequisitam ad Eucharistiam recipiendam, iuxta illud Apostoli, *Probet autem seipsum homo*, ac sine 3. Refutatur error contrarius.

ac sine illa Christum non manducari spiritualiter, nullumque fructum Eucharistiæ percipi. Tertiò, Eucharistiam nihilominus conferre remissionem peccatorum. Quomodo enim illam confert, si necessariò præsupponit collatam esse per actum fidei præcedentem? Loquimur autem de prima remissione, seu iustificatione, de qua etiam loquuntur hæretici, qui secundam & iteratam remissionem eorumdem peccatorum non agnoscunt: imò docent semel iustificatis, & verè fidelibus, nulla peccata deinceps imputari.

4. *Sententia affirmans Eucharistiam conferre per accidens primam gratiam.* His præmissis controuersia est inter Theologos, an secundariò, & quasi per accidens, sacramentum Eucharistiæ conferat in aliquo casu remissionem peccatorum mortalium? Qua de re duæ sunt sententiæ. Prima affirmat, conferre in eo casu, quo aliquis attritus bona fide accedit ad Eucharistiam. Ita D. Thom. quæst. 79. a. 3. in fine corporis, & Thomistæ communiter, aliique quos refert, & sequitur Suarez disp. 63. sect. 1. dicto 3. quorum tamen aliqui putant sufficere bonam fidem sine attritione: Alii ex opposito dicunt non sufficere attritionem, nisi bona fide putetur esse contritio. Dicitur autem bona fide accedere, is, qui vel inuincibiliter ignorat se admisisse peccatum mortale, vel existimat se licitè ita accedere.

5. Probant primò, Ex sanctis Patribus, Cypriano in serm. de Cœna, Chrysost. Homil. 33. in Matth. Damasc. lib. 4. de fide cap. 14. & aliis affirmantibus hoc sacramento remitti peccata, lauarique animas, & mundari. Item ex illa oratione Ecclesiæ, quâ petitur vt sacramentum hoc sit ablutio scelerum. Et cap. *Cùm omne crimen*, de consecrat. distinct. 2. dicitur omne crimen huius sacrificii oblatione deleri. Et in Trident. sess. 13. can. 5. supponitur remissionem peccatorum esse huius sacramenti effectum, etsi nec solum, nec præcipuum. Sic enim habetur: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum huius sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus prouenire, anathema sit.* Fauet denique textus Græcus Luc. 22. vbi calix dicitur effundi de præsenti, nempe in remissionem peccatorum, vt addit Matthæus cap. 26. Paulus quoque 1. Corinth. 11. ad Eucharistiam cum fructu recipiendam non aliud requirit, quàm vt homo seipsum probet. Atqui seipsum probat sufficienter, qui morali diligentia adhibita, ignorat inuincibiliter se admisisse peccatum mortale, vel se ritè confessum aut contritum esse putat.

6. Probant secundò, duplici ratione. Vna est, quia sacramenta omnia nouæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem, vt definit Concil. Trident. sessione septima, canone sexto de Sacramentis in genere. Qui autem bona fide accedit, non ponit obicem; maximè si attritus accedat, formaliter scilicet aut virtualiter: quod omnino necessarium puto, quia peccatum mortale non remittitur adultis sine aliqua detestatione, saltem virtuali, & sine contritione latè sumpta, vt docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. initio: eamque supponit sanctus Thomas quæst. 79. artic. 3. in fine corporis, in peccatore per Eucharistiæ sacramentum viuificando, cùm ait: *Forte enim primò non fuit sufficienter contritus, sed deuotè & reuerenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remissionem peccati.* Altera ratio est, quia de diuina misericordia & bonitate piè præsumitur quòd Eucharistia prosit ad gratiam homini sic disposito: cùm Deus sit misericors, & clemens, ac præstabilis super malitia aduersus eos, qui ex animo peccatum detestantur, & deuotè ac bona fide confugiunt ad sacramenta, eorumque incapaces non sunt.

Secunda sententia negatiua est sancti Bonauenturæ Gersonis, Gabrielis, Alensis, & maioris, quos referunt, & sequuntur Vasquez disput. 205. cap. 4. & Delugo disputatione 12. num. 3. Quorum præcipuum fundamentum est, quia non est facile tribuendus sacramentis effectus aliquis, nisi constet vel ex Scriptura, vel ex traditione, vel ratione certa ex institutione sacramentali desumpta. Atqui nec Scriptura, nec traditio id docent: Nulla enim profertur. Nec etiam ratio ex institutione petita, quæ potius oppositum suadet, quia nutrimentum non prodest mortuis: ergo neque hoc sacramentum institutum in modum nutrimenti. Confirmatur, quia vis tota sacramentorum est ex institutione. Ergo non habent illum effectum, ad quem instituta non sunt. At Eucharistia non est instituta ad dandam primam gratiam, sed ad illam augendam in modum nutrimenti. 7. *Sententia contraria negans.*

8. Neque dicas Eucharistiam esse quidem institutam per se in modum nutrimenti, per accidens verò esse institutam ad dandam primam gratiam. Nam hoc secundum gratis asseritur. Deinde illud, *per accidens*, nullum bonum sensum habere potest. Vel enim significat effectum illum sequi præter intentionem agentis, vt monstra dicuntur fieri per accidens, quia sequuntur vi causarum naturalium, præter intentionem naturæ intendentis alium effectum, quem quia non potest assequi, hunc producit: aut sicut ille qui fodit vineam, dicitur per accidens inuenire thesaurum: vel significat effectum hunc fieri contra exigentiam ipsius sacramenti, quod ex natura sua postulat statum gratiæ, & præuiam remissionem peccati in recipiente. Primum est falsum; quia si effectus ille fit, non fit præter intentionem, & expectationem Christi, sic instituentis, & agentis per sacramentum: quod sacramentum intendit omnem effectum, ad quem institutum est. Secundum malè

asseritur, quia id sufficit, vt sacramentum dicatur concurrere solùm per accidens ad illum effectum. Alioquin pœnitentia conferret gratiam per accidens ei, qui habens decem mortalia, vnum omisit in confessione per obliuionem inculpabilem. Quia per se loquendo sacramentum hoc exigebat, vt de omnibus confiteretur. Et in vniuersum non bene dicitur fieri per accidens id, quod fit ab aliquo applicante se ad illud faciendum ex suppositione prioris intenti non habiti. Exempli gratiâ, Deus non dicitur remittere peccata per accidens; quamuis primariò exigat, vt peccata non committantur; & ex hypothesi quòd hoc non assequatur, velit peccata remittere. Alia multa addit Delugo supra num. 6. & sequentibus, quæ tamen magis loquendi modum, quàm rem ipsam impugnant.

9. *Vtraque sententia est probabilis.* Vtraque sententia probabilis est authoritate & rationibus, quibus nititur: neutra verò conuincit, quia vtriusque argumentis potest probabiliter satisfieri: vt patebit ex sequentibus. Quare immeritò nonnulli, primam sentententiam sequuti, putant rem certam esse. Prima tamen præferenda, vt probabilior, esse mihi videtur: tum propter authoritatem Diui Thomæ: tum etiam quia magis pia, & diuinæ bonitati conformior est. Quòd autem non superet gradum probabilitatis, patet quia ad primum illius argumentum sumptum ab authoritate, responderi potest non improbabiliter, Patres citatos loqui vel de peccatis venialibus vel de virtute huius sacramenti, quatenus sacrificium est, ad impetrandam remissionem mortalium, eóque modo lauandum, & mundandum. Loquuntur etiam interdum de virtute huius sacramenti ad præseruandum à mortalibus, vel ad tollendos prauos affectus, & reliquias peccatorum præcedentium. Simili modo illa oratio Ecclesiæ, & caput, *Cum omne crimen*, debent intelligi de Eucharistia, vt sacrificium est impetratorium remissionis peccatorum. Tridentinum autem potest intelligi de venialibus, quæ dicemus infra remitti per hoc sacramentum. Quod si mortalia quoque remitteret: ille sanè esse præcipuus huius sacramenti effectus: quia remissio peccati mortalis est effectus infinitus, maior quodammodo ipsa gratiæ habitualis infusione præcisè sumpta. Quare Tridentinum eo ipso quòd negat præcipuum huius sacramenti effectum esse remissionem peccatorum, negare videtur per ipsum remitti peccata mortalia. Denique locus Diui Lucæ citatus potest ac debet intelligi de Eucharistia, vt sacrificium est, prout in illa Christus mysticè immolatur per effusionem seu separationem sanguinis à corpore vi verborum sub speciebus vini. Paulus autem requirit probationem, vt ne quis indignè culpabiliter communicet, iudiciúmque sibi manducet & bibat. Quod peccatum vitat ille, qui diligentiam sufficientem adhibuit, permittiturque à Paulo accedere ad communionem. Sed hoc non sufficit ad fructum Eucharistiæ recipiendum. Alioquin is, qui putans inuincibiliter se esse baptizatum, communicaret, reciperet eius fructum, quamuis non esset baptizatus: quod est falsum. Et qui non esset attritus vllo modo, iustificaretur putans bona fide post sufficientem diligentiam se posse licitè communicare. Quod tamen improbabile est, ob rationem paulò ante allatam, quia scilicet peccatum non remittitur adulto sine aliqua detestatione illius, & contritione latè sumpta, ex Trident. sess. 14. cap. 4.

Secundum quoque argumentum eiusdem sententiæ sumptum ex ratione non excedit probabilitatem, vt per se patet, ideóque non adimit probabilitatem secundæ sententiæ. Prior tamen magis placet, quam etiam alibi, vt magis probabilem sequuti sumus: præcipuè propter auctoritatem D. Thom. quæst. 79. art. 3. in c. & in 4. distinct. 9. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. magnæque partis Theologorum, & ob rationem superiùs expositam, quæ sufficit ad tribuendum valde probabiliter hunc effectum sacramento Eucharistiæ. Ad rationem autem propositam in contrarium, desumptam ex institutione sacramenti, Respondeo nutrimentum conuertendum in substantiam aliti vi facultatis ipsius naturalis, cuiusmodi est alimentum corporeum, non prodesse quidem mortuis, quippe qui carent tali vi & facultate. Secus autem spiritale, quod è contrario suscipientem in se quodammodo conuertit. Maximè verò cùm ille, de quo loquimur, non ita sit mortuus, quin aliquem vitæ spiritalis actum exerceat, & cum attritione, ac bona fide deuotè, reuerentérque ad sacramentum accedat. Sacramenta autem viuorum (cuiusmodi sunt omnia, exceptis Baptismo, & Pœnitentiâ, quorum ille ad suscitandum mortuum peccato Originali, vel actuali ante regenerationem commisso institutus est, hæc ad suscitandum mortuum per actualia post Baptismum commissa) sic idcirco appellantur, non quòd nunquam possint prodesse mortuis: sicut nec illa ita sunt mortuorum, vt non possint prodesse viuis: sed dicuntur sacramenta viuorum, quia per se ex primaria intentione, & secundum propriam dispositionem, quam ex institutione, vi primariæ intentionis requirunt, gratiæ vitam præsupponunt in subiecto: Licet ex benignitate & secundaria intentione Christi, fragilitatis hominum miserentis, eam tribuere possint accedentibus bona fide cum attritione, vt probabiliter de Dei misericordia præsumitur. Cætera quæ adduntur in obiectione, probant tantùm secundariam hanc intentionem non posse propriè dici esse per accidens. In quo est quæstio de nomine.

10. S. Thom.

SECTIO II.

Quo tempore vel instanti Eucharistia gratiam conferat: & vtrum operetur post sumptionem, quamdiu species sacramentales durant in stomacho?

11. De quæstione proposita dissensio est inter Theologos. Aliqui enim putant gratiam dari successiuè, quandiu sumptio durat, vel quamdiu species sunt in stomacho. Alii eo instanti, quo communicans inter sumendum est optimè dispositus. Alii eo instanti, quo primò verum est dicere, sacramentum iam comestum esse secundum aliquid sui, qualecunque illud sit. Alii eo instanti quo primò totum comestum est.

12. Quo instanti gratiam producat. Ego cum Vasque disput. 203. cap. 2. num. 18. & Suare disput. 63. sect. 4. rem incertam, Christique sapientiæ, & arbitrio reliquendam existimo. Deinde probabilius arbitror, gratiam simul, & instantaneè produci, cùm primùm est sumptio sacramenti. Nam sicut reliqua sacramenta operantur simultaneè eo instanti, quo primùm essentialiter sunt perfecta, & applicata subiecto. Sic & istud, quod, non minus quàm illa, est causa naturalis, id est, non libera; & operatur necessariò cùm primùm & quantum potest: & cuius applicatio propriè, & per modum cibi, & potus, in comestione & potione consistit, iuxta illud Christi, *Qui manducat me, viuet propter me: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Ioan. 6. Manducare autem, vel bibere, non est in os accipere simpliciter, vel in guttur immittere. Neque enim censentur comedere, & ieiunium frangere, qui in os, vel in guttur cibum, & potum immittunt, si non absorbeant, vt in gargarismo fit: Sed est cibum, & potum traiicere vsque ad stomachum, vt aliqui volunt: vel, vt alii, infra aliquam partem gutturis, nobis quidem incertam & ignotam, in se tamen certam ac determinatam, & Deo notam. Cùm ergo primùm verum est, cibum aut potum sacramentalem partem illam transilire, vel in stomachum ingredi, tunc gratia producitur. Tunc enim sacramentum applicationem & conditionem necessariam ad operandum habet, nec est quidquam quod ipsum ab operando retardet. Christus enim Ioan. 6. nihil aliud, nisi manducationem requirit: & ita magis commendatur Christi liberalitas, & sacramenti efficacia, & morienti inter communicandum melius prouidetur, quàm si quid aliud desideretur: si enim contingeret ægrotum recipientem Viaticum mori, antequam ad vlteriores partes peruenerit, reciperet nihilominus effectum sacramenti. Proportio verò inter hunc cibum & communem, non est in omnibus quærenda: alioqui sicut nutritio non fit ex cibo communi, nisi post eius corruptionem: sic neque fieret ex cibo Eucharistico, nisi post eius desitionem.

Neque assentior Aegid. Coninc ad quæst. 79. dub. 2. num. 28. Suari disp. 63. sect. 4. & 5. Delugo disp. 12. num. 46. Ysamb. ad quæst. 79. disp. 3. art. 2. & aliis affirmantibus pium affectum actualem, si adsit, & exerceatur perseueranter toto illo tempore, quo species sumuntur, aut in stomacho durant, efficere vt sacramentum ex opere operato pergat infundere gratiam. Hoc enim tametsi probabilitate non caret, vt dicemus inferiùs; probabilius tamen esse mihi videtur Eucharistiam, sicut alia sacramenta, infundere instantaneè gratiam totam, quam confert ex opere operato, tunc cum primùm sufficienter applicatur subiecto. Pius autem ille affectus potest quidem augere gratiam ex opere operantis: sed non facit vt sacramentum pergat operari, aut operetur iterum infundendo augmentum gratiæ ex opere operato. Alioquin plurimùm prodesset segniori stomacho esse, aut plures, vel maiores hostias sumere: vnde ortus erat abusus quorumdam sacerdotum in Hispania, plures, aut maiores hostias amicis suis distribuentium. Qui abusus, vt superstitiosus, sublatus fuit, & repressus authoritate inquisitionis: teste Vincentio Fernandes, in repetitione de Eucharistia parte 9. dubio vnico, num. 1. Fernand.

13. Respondet Delugo disp. 12. num. 65. id esse per accidens: sicut etiam per accidens vtilius esse potest retinere aliquam particulam in ore, quam postea deglutias; vel tardiùs venire presbyterum, ex quo sequitur longior dispositio communicaturi. Per se autem non prodesse, quia tota illa dispositio potest præmitti ante communionem hostiæ paruæ, & per consequens potest haberi tantus effectus gratiæ. Iidémque n. 48. hanc rationem addit ad suam, & aliorum supra citatorum sententiam probandam. Quia Eucharistia causat gratiam per modum cibi nutrientis. Quare susceptio, seu manducatio se habet solùm vt conditio & applicatio, non vt virtus agendi. Ergo dum cibus ipse fuerit in stomacho, poterit operari: siquidem habet secum totam virtutem, & ibi adest totum sacramentum. Ergo sicut in primo instanti potuit: sic etiam poterit agere in toto tempore sequenti. Causa enim necessaria debitè applicata non est cur non operetur.

14. Refellitur euasio. Sed contra: Primò, Non est per accidens id quod per se, id est, ex natura ipsius rei, & semper ac necessariò sequitur vi talis causæ. Atqui ex hostia maiori, per se, & semper, ac necessariò sequitur quod plus duret in stomacho, cæteris paribus, detque locum maiori augmento gratiæ, in hac opinione. Secundò, nego vtilius esse retinere aliquam particulam Eucharistiæ in ore, quæ post alias deglutiatur. Eucharistia

enim confert totum suum effectum, cum primùm verum est, cibum illum, secundum aliquam sui partem, sufficientem ad comestionem, manducatum esse, vt diximus paulò superiùs. Tertiò, ad rationem allatam Respondeo causam necessariam, quæ potest simul totum suum effectum operari, non operari successiuè. Atqui nulla est ratio asserendi non posse Eucharistiam, æquè ac alia sacramenta, operari simul totum effectum suum, quo primùm instanti sufficienter applicata est. Neque potest reddi ratio, cur Baptismus non pergat operari, dum longo tempore continuatur ablutio, vel trina mersio more antiquo; sed operetur quidquid potest, cum primùm ablutio sufficiens est, & verba essentialia prolata: Eucharistia verò operetur successiuè quamdiu est in stomacho. Adde quod hoc argumentum probaret, debere vi primæ dispositionis tamdiu operari, sine continuatione actuum, aut accessu nouæ dispositionis; quod tamen negant Suarez, Delugo, & alii huius sententiæ assertores.

15. Quid si sacramẽtum Euch. non priùs habuit effectum?

Loquor autem de effectu gratiæ sanctificantis: nam quoad alios effectus, puta dulcedinem spiritalem, auxilia, & similia, quæ dantur tempore opportuno; non nego dari posse, & sæpissime dari, quamdiu Eucharistia est in stomacho communicantis, per continuos, aut iteratos actus deuotionis ad illos effectus secundarios se disponentis. Loquor etiam in casu, quo sacramentum Eucharistiæ iam habuit effectum in primo instanti sufficientis manducationis: quem effectum nego augeri vi sacramenti ex opere operato, propter actus pios, qui exercentur quamdiu species durant in stomacho. Nam alioqui, si contingat aliquem esse indispositum primo illo instanti, posteaque se sufficienter disponere, dum pergit comestio sacramenti, aut dum species incorruptæ durant in stomacho: non nego gratiam conferre ex opere operato, vt rectè post Caietanum, Gabrielem, Maiorem, & plures alios docet Ysambert. quæst. 79. disp. 3. art. 2. proposit. 3. Quia causæ naturales id est, necessariò operantes, quæ propter impedimentum, & indispositionem subiecti non operantur, cum primùm applicantur, sortiuntur postea suum effectum, quando remouetur impedimentum, tollitúrque indispositio, modò non desit sufficiens applicatio. Atqui sacramentum Eucharistiæ operatur per modum causæ naturalis, & necessariæ, estque sufficienter applicatum, quamdiu species traiiciuntur in stomachum, aut in eo perseuerant. Ergo, &c. Confirmatur, quia si, vt probabile est, & à multis assertum, Eucharistia postquam desiit physicè, reuiuiscit obice remoto, & operatur suum effectum, sicut Baptismus, & alia sacramenta: par aut maior est ratio vt illum habeat, dum adhuc physicè existit.

16. Doctrina inconstans Aduersariorum.

Quare minùs cohærenter philosophantur, meo iudicio, aliqui aduersariorum, qui docent Eucharistiam, quamdiu durat in stomacho, operari, si continuetur dispositio, vel si melior ponatur: & tamen negant operari, si peccator conteratur de indigna sumptione; antequam species corrumpantur in eius stomacho. Neque vllius est momenti ratio differentiæ, quam assignant: quia scilicet, inquiunt, quamuis cibus ille diuinus sit adhuc in stomacho; non tamen prodest, nisi prout cibus voluntarius, seu voluntariè acceptus. Tunc autem non potest eo modo prodesse: quia acceptio voluntaria, fuit facta in statu peccati: perseuerantia autem sola non sufficit, nisi prout coniuncta cum voluntaria acceptione illius cibi. Contra enim, quamuis non prosit Eucharistia nisi voluntariè accipienti, saltem adulto: potest tamen accipi voluntariè ab indisposito. Potest enim stare voluntas recipiendi cum actuali indispositione, & indigna receptione, defectu præuiæ confessionis sacramentalis, aut contritionis in casu necessitatis. Dicere autem quòd non prosit, nisi voluntariè accepta in statu gratiæ, est petitio principii, & contra ipsosmet aduersarios, qui non negant prodesse recipienti bona fide in statu peccati mortalis, cuius ignarus est. Dicere quoque non prodesse sacramenta, nisi voluntariè suscepta, voluntate minimè vitiosa & culpabili, repugnat communi doctrinæ Theologorum ab aduersariis ipsis receptæ, de reuiuiscentia baptismi quamuis cum obice positiuo recepti scienter & liberè.

Minùs etiam cohærenter philosophantur iidem, quando dicunt talem indignè communicantem non teneri se disponere post sumptionem, quamdiu species durant in eius stomacho; & non continuò peccare peccato sacrilegii, & indignæ communionis quamdiu non conteritur. Nam potiùs tenetur grauiter non impedire voluntariè ne sacramentum physicè existens, & applicatum, sortiatur suum effectum primarium. Cumque nondum illum habuerit, tenetur sub peccato graui procurare vt habeat: adeóque tenetur conteri, & se disponere toto eo tempore, quo sacramentum præsens est, potestque, ac debet operari, si non impediatur. 17.

Quid si dispositio varietur? 18.

Neque magis aptè, & consequenter philosophantur Aegid. Coninc quæst. 79. Dub. 2. num. 28. & Ysambert. art. supra citato propos. 2. quando dicunt sacramentum Eucharistiæ non pergere operari, & augere gratiam, nisi varietur dispositio, ita scilicet, vt vel intensior fiat, vel noua accedat. Etenim si, vt ipsi dicunt, sacramentum Eucharistiæ ideo debet pergere operari quamdiu durat in stomacho, quia sacramenta meliùs operantur in subiecto meliùs disposito; subiectum autem meliùs disponitur, quando dispositio fit intensior, aut aliqua noua accedit: debet pariter magis operari, quando durat & continuatur post sumptionem eadem dispositio. Quia dispositio, quæ plus durat, melior est, cæteris paribus. Et sicut eadem dispositio, si præfuisset ante sumptionem, &

longiùs durasset, concurrisset dispositiuè ad maiorem gratiam vi sacramenti obtinendam: ita debet post sumptionem ad maiorem disponere, si sacramentum adhuc operari potest. Atque hoc etiam verum esse debet in casu, quo dispositio ita durat, vt tamen sit remissior. Nam etiam tunc melior est dispositio durans, licet facta remissior, quàm si tota desineret in ipsa receptione: quia duratio confert aliquid, & auget bonitatem, & malitiam actuum humanorum.

18. *Quid si tātùm perseuerat eadem?* Non placet denique, neque satis cohærenter dictum videtur id quod ait Aegid. Coninc dub. cit. num. 31. Sicut sumptio sacramenti, etsi physicè loquendo, duret per aliquod tempus, tamen si loquamur de ea moraliter, & in ordine ad producendam gratiam, acceptatur eodem modo à Deo, ac si tota compleretur in instanti, idcóque sacramentum in instanti operatur: ita omnem dispositionem ad gratiam, quam habet communicans, vsque ad vltimum instans communionis, etsi physicè loquendo successiuè fiat, & secundum quasdam partes sequatur primum instans communionis: à Deo tamen in ordine ad gratiam sacramentalem, eodem modo acceptari, ac si præcederet primum instans communionis. Idcóque sacramentum primo illo instanti conferre totam gratiam quæ illi toti dispositioni respondet: ita vt reliquo tempore sumptionis non augeatur gratia vi sacramenti. Ratio est, inquit, quia cum toto illo tempore homo verè, ac realiter sumat Christum, & tam perfectè in vltimo instanti, atque in primo: omnis dispositio, quæ vltimum instans præcedit, est vera dispositio ad communionem, eamque secundum aliquam sui partem præcedit. Ergo sicut totum tempus, quo durat communio, computatur quodammodo pro instanti: ita etiam debet computari totum illud tempus, quo augetur illa dispositio, quasi hæc esset posita primo instanti: quia est eadem vtriusque ratio.

Sed contra: Primò, Si hæc doctrina vera est: ergo debet haberi ratio totius dispositionis, in primo instanti, non modò in casu, quo non variatur, id est, eadem tantùm perseuerat: sed etiam in casu, quo feruentior, & maior fit, aut quo nouus actus superuenit. Ergo etiam tunc non debet augeri gratia successiuè vi sacramenti, quamdiu durat comestio, & feruentior aut noua dispositio; sed tota debet primo instanti dari. Deinde iuxta eandem doctrinam debet haberi ratio, eodem primo instanti, non modò totius illius dispositionis quæ intenditur, aut accedit, vel continuatur inuariata, dum comestio durat, seu traiectio in stomachum: verùm etiam quamdiu sacramentum in illo perseuerat. Hoc enim æquè potest pro vno instanti communionis, & nutritionis spiritualis reputari. Tertiò, est contra communem sententiam Theologorum, & contra veritatem, dicere Deum in sacramentis efficiendis, aut in effectu eorum præstando, habere rationem dispositionis, quæ nondum est. Alioquin qui iustificarent eo instanti, quo perficiuntur essentialiter, intuitu illius, quamuis tota subsequeretur physicè receptionem sacramenti. Quod omnium consensu falsum est. Et potiùs est de natura dispositionis, vt præexistat formę, & physicè præeat effectui, ad quem introducendum, & recipiendum disponit subiectum.

His tamen, quæ parum cohærenter asseruntur, correctis, fateor contrariam sententiam non carere probabilitate. Potuit enim sacramentum Eucharistiæ ita institui, vt operetur gratiam, non solùm quando recipitur, sed etiam post, quamdiu durat, modò subiectum quomodocunque meliùs disponatur. Prodest enim per modum cibi, & habet esse permanens; in quo sicut differt à reliquis sacramentis; ita potest ab illis differre, quòd non solùm in primo instanti comestionis operetur, sed etiam quamdiu durat, & subiecto applicatum manet. Neque contrarium vllo euidenti argumento conuincitur. Et aliunde valet hæc sententia ad excitandos homines, vt maiori pietate, & diligentia se colligant, exerceantque actus feruentiores post sumptionem Eucharistiæ, vt maiorem effectum gratiæ consequantur vi illius ex opere operato. Quanquam ad homines excitandos sufficit Eucharistiam operari solere tunc temporis alios effectus dulcedinis spiritualis, & auxiliorum gratiæ, vt paulò ante diximus. Valet etiam hæc sententia ad magis commendandam efficaciam diuini huius sacramenti, si verum est habere virtutem operandi gratiam non solùm quando primùm recipitur, sed etiam quamdiu durat, modò non desit dispositio extensiuè, aut intensiuè melior. Et cum manducatio sit tantùm applicatio istius cibi sacramentalis, in quo est tota virtus operandi, sitque tantùm conditio sine qua non: probabile est cibum istum operari non in applicatione solùm, sed etiam post quamdiu durat: quia applicatio causæ solet esse vtilis ad effectum, non solùm quando actu fit, verùm etiam postea, quamdiu causa manet applicata subiecto. 19. *Resolutio quæstionis.*

SECTIO III.

An qui communicat sub vtraque specie, plus gratiæ recipiat, quàm qui sub vna?

Respondeo affirmatiuè, cum Vasq. disp. 215. cap. 2. Marat. disp. 33. sect. 4. Joan. Præposito ad quæst. 80. art. 12. Dub. 3. Delugo disp. 12. de Euchar. sect. 3. num. 68. & sequentibus, Cazalio lib. 2. de Cœna Domini, Arboreo in c. 6. Ioannis, Ruardo art. 15. contra Lutherum, §. *Respondeo vtramque speciem*, Alensi parte 4. quæst. 32. membro 1. art. 2. in fine. Idémque responsum probabile esse fatentur Suarez disp. 63. sect. 6. Sotus in 4. distinct. 12. quæst. 1. 20.

art. 12. & alii plures, quos citat Henriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 44. in comment. circa §. 5.

21. *Conclusio affirmatiua probatur.* Probatur primò, authoritate Clementis VI. qui in Bulla ad Regem Galliæ data, concedit illi communicare sub vtraque specie, *ad maius*, inquit, *gratiæ augmentum.* Non esset autem maius gratiæ augmentum per se loquendo, ac vi concessionis sumendi vtramque speciem, nisi vtraque plus gratiæ, quàm vna sola, conferret. Secundò, probatur ratione, quam fusiùs prosequitur Vasquez cap. citato. De efficacia sacramentorum iudicandum est, aut ex Scriptura, aut ex traditione, seu definitione Ecclesiæ, aut si nihil horum suppetat, ex ipsamet sacramenti significatione. Cùm enim sacramenta nouæ legis sint signa rei sacræ sanctificantis nos, sintque effectiua illius rei sacræ, quam significant (in quo differunt à sacramentis legis veteris) non malè ex significatione eorum efficacitatem & virtutem colligimus. Atqui sacramentum Eucharistiæ, institutum sub duplici specie in modum perfecti conuiuii ad spiritalem animæ refectionem, significat duplicem gratiam, & refectionem spiritalem. Vnam, quæ respondeat cibo materiali, & refectioni per cibum ad sedandam famem: Alteram potui respondentem, ad sedandam sitim. Ergo qualibet duarum specierum significat gratiam diuersam, & consequenter eam efficit. Ergo plus datur gratiæ per vtramque, quàm per vnicam; cùm significatio sacramenti id postulet, & contrarium neque ex Scriptura, neque ex traditione, seu definitione Ecclesiæ constet.

22. *Confirmatur.* Confirmatur, quia non est dubium, quin potuerit Christus sacramentum Eucharistiæ ita instituere, vt plus gratiæ per vtramque speciem, quàm per vnicam conferretur: essétque in eo simile prophano conuiuio, quòd sicut in illo plus est refectionis per cibum, & potum, quàm per alterum solum, quo non fit perfecta refectio: sic in conuiuio Eucharistico plus gratiæ, & refectionis spiritalis acquireretur vtrâque specie reficiente instar cibi, & potus; quàm vnicâ solâ. Atqui si Christus ita instituisset, quid aliud facere debuisset, quàm quod fecit? Aut quid aliud dicere ad declarandam huiusmodi intentionem, quàm quod dixit Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus?* Ergo ita instituisse credendus est, si nihil aliud obstet.

23. *Contraria sententia.* Contrarium sentiunt D. Bonauentura, Ricard. Gabr. Caiet. Alanus, Bellarm. & alii plures, quos citant, & sequuntur Suarez suprà, Aegidius Coninc quæst. 79. art. 1. dub. 2. conclusione 3. & Ysambert. ad q. 80. disp. 7. art. 3. Obiiciunt autem primò, Christum authorem gratiæ sub qualibet specie totum contineri. Ergo sub qualibet æquè sanctificat. Respondeo primò, Per accidens esse sacramento, quòd Christus totus sub qualibet specie contineatur. Nam vi verborum ponitur tantùm corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini. Neque in triduo mortis Christi fuisset Christus totus sub qualibet specie: quamuis sacramentum tunc idem fuisset essentialiter, eandémque significationem & virtutem habuisset. Secundò, Respondeo Christum solum non esse causam gratiæ; sed species, quæ sunt pars sacramenti, & signi efficacis, esse quoque partem causæ instrumentaliter sanctificantis. Tertiò, Christum non operari in sacramentis quantum potest, sed quantum vult. Apparet autem ex institutione, voluisse Christum diuersimodè operari sub diuersis speciebus: & sub specie panis, confortare per modum cibi; sub specie vini, inebriare, & lætificare per modum potus: Atque ita sub vtraque simul integram refectionem præstare.

24. *Obiectio secunda.* Obiiciunt secundò, Differentiam esse inter refectionem corporalem, & spiritalem: quia cùm fames & sitis corporalis differant inter se; debent cibo, & potu diuerso expleri: earumque expletio & refectio diuersa est. At verò fames, & sitis spiritalis idem sunt, eadémque gratia sanctificante explentur, atque earum expletio, & refectio est vnus, & idem effectus, qui æquè fit à qualibet specie, licet ambæ simul perfectiùs, atque expressiùs illum significent.

Differentia famis & sitis animæ. Respondeo famem, & sitim animæ dici metaphoricè per analogiam ad famem, & sitim corporalem: quatenus sicut corpus indiget cibo, & potu materiali, vt viuat: sic anima indiget gratiâ. Quamuis autem ex parte animæ idem sint fames, & sitis spiritalis, saltem in actu primo (nam in actu secundo potest diuersis actibus gratia expeti per modum cibi, & potus) & gratia, quâ reficitur, sit eadem specie: differt tamen realiter numericè, vel intensiuè quoad gradus, secundum quos augeri potest, & dari diuersimodè secundum diuersas analogias, sicut reipsa fit in aliis sacramentis. Nam in Baptismo datur gratia ad regenerationem: in Confirmatione, ad robur: in Pœnitentia, ad sanitatem animæ, &c. licet sit eadem gratia specie, quâ regeneramur, corroboramur, & sanamur. Quæ identitas gratiæ specifica non impedit, quin sit diuersa significatio, & efficacia Baptismi, Confirmationis, & sacramenti Pœnitentiæ, diuersusque effectus, & finis, ad quem referuntur. Sic ergo licet eadem specie gratia detur per quamlibet speciem, quæ gratia per se valet contra famem & sitim animæ: potest tamen per vtramque maior dari, & secundum diuersam analogiam ad cibum, & potum materialem, plenamque, & integram refectionem ex vtroque constantem.

25. *Tertia oppositio.* Obiiciunt tertiò, Non aliud significari per vtramque speciem, quàm per vnicam, sed tantùm idem expressiùs significari: & non differre ex parte rei significatæ, sed tantùm in modo significandi. Nam Christus significatus idem est; & gratia eadem, quâ anima reficitur quoad famem, & sitim, quæ in anima idem sunt. Perfectior autem signi-

ficatio non est causa maioris gratiæ. Alioqui baptismus datus per trinam mersionem daret maiorem gratiam; quia magis significat sepulturam, & resurrectionem moralem cum Christo per emundationem animæ à peccato, & renouationem ad vitam spiritalem. Et hostia, cui Christi crucifixi imago est impressa, meliùs Christi mortem repræsentat; & matrimonium per verba contractum meliùs significat consensum, quàm per nutus; & tamen non plus gratiæ dat, sicut neque moneta plus valet, quamuis Regis imaginem meliùs expressam gerat.

26. Species consecratæ significant diuersa.

Respondeo negando antecedens, Nam per speciem consecratam panis, id est, verbis moraliter coniunctam, significatur tantùm directè, & per se, corpus Christi in modum cibi; & per speciem vini, sanguis in modum potus. Item per speciem panis significatur gratia, vt respondens ei refectioni corporali, quæ fit per panem sustentantem, & confortantem. Per speciem autem vini significatur gratia, vt respondens refectioni, quæ fit per vinum lætificans cor hominis. Quæ gratia duplex esse debet, vt respondeat duplici refectioni materiali per cibum, & potum, vnam perfectam, & integram constituenti. Quare non tantùm significatur perfectiùs idem effectus, vt in exemplis allatis baptismi, & matrimonii: sed maior, & nouus effectus significatur per alteram speciem; adeóque efficitur; cùm significatio efficax esse debeat. Alia verò exempla non sunt ad rem: cùm imago Christi impressa hostiæ non pertineat ad significationem sacramentalem: & Rex non instituerit, vt moneta plus valeat, si meliùs expressam eius imaginem gerat: quemadmodum Christus instituit, vt sacramenta efficiant gratiam, quam significant.

27. Quarta obiectio ex S. Thoma.

Obiiciunt quartò, Sanctum Thomam opusc. 58. cap. 32. affirmare tam vtilem, & dulcem esse laicis sanguinem Christi sumptum sub specie panis, quàm sit sacerdotibus, sumptus sub specie vini. Et 3. parte quæst. 80. a. 12. ad 3. ait posse sumi corpus sine sanguine, nec inde sequi aliquod detrimentum. Quæ duo sunt falsa, si species vtraque plus gratiæ confert, quàm sola species panis. Neque enim hoc posito tam vtilis laicis est perceptio solius speciei panis; & patiuntur aliquod detrimentum, si priuantur effectu illo gratiæ. Vnde haberent iustam causam conquerendi de Ecclesia, statuente vt à calicis communione abstineant.

S. Thom. fauet nostræ sententiæ.

Respondeo, Verba D. Thomæ priori loco hæc esse: *Sicut sacerdos sumit sanguinem Christi sacramentaliter de calice; ita fidelis populus sumit ipsum intellectualiter de ipso Christi corpore.* & paulò post: *Hic potus fidelem mentem dulcedine sua delectat.* Quæ verba fideliter, vt iacent, relata, nihil fauent aduersariis. Posteriore loco D. Thomas per *detrimentum*, intelligit priuationem rei ad salutem necessariæ. Alioquin Ecclesia damnum quoque inferret infantibus, quos priuat omnino communione Eucharistica: & omnibus fidelibus, quibus non permittit sæpius quotidie Eucharistiam sumere. Et quidem S. Thomas ibidem rationem afferens, cur laici non patiantur detrimentum, non ait, quia tantumdem gratiæ recipiunt, vt dicere debebat, si sensisset quod volunt Aduersarii: sed, *quia*, inquit, *sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit; & sub qualibet specie totus Christus continetur.* Neque propterea iustam habent ansam laici conquerendi, si Ecclesia ad sacramenti reuerentiam, & ad vitanda multa inconuenientia, sanxit vt specie panis contenti sint: alioqui possent etiam iustè conqueri, quòd propter sacramenti reuerentiam sanxerit, ne sæpius eodem die celebretur, aut sumatur, vtque infantes, & amentes eo priuentur: maximè cùm gratiæ augmentum per calicem, quo priuantur, possint facilè compensare per frequentiorem communionem sub specie panis, sub qua etiam Christum integrum sumunt.

Obiiciunt quintò, Tridentinum sess. 21. cap. 3. asserere fatendum esse etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui vnam solam speciem accipiunt: & can. 3. asserit totum, & integrum Christum omnium gratiarum fontem, & authorem, sub vna specie panis sumi. 28. Quinta obiectio ex Trident.

Fauet etiã Trident.

Respondeo, Priora verba Tridentini nobis potiùs fauere, neque enim dixit simpliciter, *nulla gratia defraudari*: sed consultò addidit, *necessaria ad salutem.* Ad posteriora dico Christum omnium gratiarum fontem non conferre sub qualibet specie omnes gratias, neque operari, quantum potest, sed quantum vult, & quantum instituit. Addo teste Suare, & Aegidio supra, multos viros graues affirmare, pleròsque de Patribus Tridentinis sensisse plus gratiæ tribui per vtramque speciem, quàm per vnicam, tametsi ea loquendi moderatione Concilium vsum esse videtur cap. 3. citato, vt ab vtrauis sententia definienda abstineret. Qua moderatione correxit tacitè caput trigesimum secundum Synodi prouincialis Moguntinæ sub Sebastiano, xiii. annos ante Tridentinum habitæ, in qua nimis confidenter sic fuerat pronunciatum: *Cùm autem nemo fidelium dubitet, virtutem sacro-sanctæ Eucharistiæ non ex speciebus pendere, sed ex viuifica Christi carne, & sanguine prouenire: iam ne hoc quidem quisquam fidelis dubitare debet, illum sub vna specie communicandi morem ad salutem fidelium æquè vtilem & efficacem esse, quàm alterum sub vtraque; cùm constet non minus accipi in vna specie.* Et quidem cùm nullus recentiorum illorum, qui à nobis dissentiunt, ac ne quidem Doctorum Germanorum, qui Moguntiæ docuerunt, vt Becanus, vtatur hac Concilii definitione ad confirmandam contrariam sententiam, eaque non obstante Theologi communiter doceant, gratiam pendere à specie-

bus, vt à parte sacramenti, addantque non pauci esse probabile, aut probabilius vtramque speciem plus gratiæ conferre; colligo illam synodum, saltem quoad hoc, non fuisse à Summo Pontifice approbatam, eiusque definitionem nullius esse momenti, quæ alioqui quæstionem clarè decideret. Sed & in Summa Conciliorum nihil refertur ex illa Synodo.

SECTIO IV.

De aliis effectibus sacramenti Eucharistiæ.

29. *Primus effectus, gratia per modum nutritionis.* SEx præcipui effectus Eucharistiæ numerantur, & exponuntur à D. Thoma q. 79. art. 1. & quinque sequentibus, quorum aliquos iam explicauimus, & breuiter tantùm hic perstringemus: de aliis fusiùs nunc dicemus: & omnes eodem ordine, quo D. Thomas illos proposuit, recensebimus.

Primus est gratia per modum nutritionis. Patet ex Florentino in Decreto 5. *Huius sacramenti effectus, quem in anima causat*, & Trident. sess. 13. cap. 2. De eodem effectu loquebatur Christus Ioan. 6. cùm diceret, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et, *Qui manducat me, viuet propter me.* Et quidem vim causandi gratiam habet ex eo quòd est sacramentum nouæ legis. Specialiter verò eam causat in modum nutritionis, quia in modum cibi, & potus instituta est, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Et Matth. 26. *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus.* Dicitur autem, causari gratia in modum nutritionis, eòque differre à gratia, quæ per alia sacramenta confertur, non ratione quidem solius entitatis, quæ vbique similis est, similitérque informat: sed ratione finis, & auxiliorum gratiæ, quæ sunt ei annexa, & præparata ad eundem finem. Cetera enim sacramenta ad alios effectus, & fines peculiares gratiam conferunt. Baptismus ad regenerationem. Confirmatio ad robur, & statum virilem in vita spiritali: Pœnitentia ad resurgendum à peccato: Extrema vnctio ad leuamentum ægritudinis, aut animæ, & fœlicem ac facilé exitum ex hac vita. Ordo ad conferendam potestatem efficiendi validè, aut licitè ministeria Ecclesiastica. Matrimonium ad coniuges sanctificandos, muniendósque subsidiis, quibus conuenienter status ille sustineri possit. Eucharistia verò gratiam tribuit, tum vt cum Christo vnus spiritus, & vna caro quodammodo fiamus, & aliquo pacto in ipsius naturam transeamus, sicut solemus participare qualitates ciborum, quibus vescimur, illorumque substantiam nobis vnire: tum etiam ad excitandum feruorem charitatis contra peccati fomitem, & peccata ipsa, seu venialia, seu mortalia: vt perseueremus in vita spiritali, reparemusque detrimenta per peccati fomitem illata: sicut per nutritionem corpoream sustentamur, & perseueramus in vita corporea, occurrimusque detrimentis illatis per actionem caloris naturalis, & agentium contrariorum vires naturales paulatim consumentium.

30. *Secundus effectus, gloria æterna.* Secundus effectus est gloria æterna, cuius adipiscendæ causa est Eucharistia, non tantùm quatenus est causa gratiæ, & consequenter gloriæ, cuius illa radix & semen est: verùm etiam peculiariter, quatenus causa est perseuerantiæ, nutriendo, & fouendo vitam spiritalem; & coniunctionis, atque vnionis cuiusdam carnis nostræ cum carne Christi, ratione cuius concorporei Christi, & consanguinei simus, vt loquitur Cyrillus Catech. 4. Mystag. & caro de carne Christi, atque os de ossibus eius, & quodammodo duo in carne vna, vt Irenæus, Chrysost. Damasc. aliique loquuntur. Vnde fit vt corporibus nostris speciali titulo debeatur immortalitas, & vita æterna, iuxta illud Christi Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouißimo die.* Alias duas rationes claras, & faciles addit S. Thomas quæst. 79. artic. 2. in corp. quarum priorem sumit ex efficacia passionis Christi, quæ aperuit nobis aditum vitæ æternæ, secundum illud Hebr. 9. *Noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromißionem hæreditatis.* Posteriorem sumit ex refectione cibi spiritualis, & vnitate significata per species panis, & vini, quæ imperfectè solùm habentur in præsenti, perfectè autem in statu gloriæ, iuxta illud Augustin. tract. 26. in Ioan. *Cùm cibo, & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant: hoc veraciter non præstat nisi iste cibus, & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles, facit in societate sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta.* Sed circa priorem rationem obseruandum est, passionem Christi esse causam vniuersaliorem, quàm sacramentum Eucharistiæ, à quo non adæquatur, neque ad omnem eius effectum applicatur: sed secundùm Dei dispositionem, atque mensuram. Alioquin vna communione consequeremur quidquid per alia sacramenta, & media, virtute passionis nobis communicatur. Nam passio Christi ad hæc omnia simul conferenda sufficientem vim habet.

31. *Tertius effectus, remissio peccati mort.* Tertius effectus est remissio peccati mortalis, & infusio primæ gratiæ, non per se quidem, id est, ex primaria intentione Christi instituentis: sed per accidens, cum quis attritus bona fide accedit. Qui effectus probabilis est, vt patet ex dictis sect. 1.

Quartus remissio peccati venialis. Quartus est remissio peccati venialis. Patet ex Trident. sess. 13. cap. 1. vbi hoc sacramentum ait esse antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruamur. Per culpas autem quotidianas, quas à peccatis mortalibus distin-

guit, & velut alterum membrum diuisionis opponit; intelligit peccata venialia: Cumque dicit nos per hoc sacramentum ab illis liberari, & non solùm præseruari, vt ait de mortalibus; significat se loqui de liberatione redemptionis, seu remissionis; & non tantùm præuentionis.

32. Duobus autem modis remitti possunt. Prior est immediatus: quando sine alia dispositione per se sufficienti ad remissionem venialium, tolluntur tamen vi huius sacramenti, realiter suscepti. Posterior est mediatus: quando scilicet virtute huius sacramenti excitatur, Deo præueniente, voluntas ad exercendum actum de se sufficientem ad remissionem eorum obtinendam: cuiusmodi est sine dubio actus contritionis de venialibus, vel actus feruentis charitatis virtualiter illis oppositus. Vtrumque ponit D. Thomas art. 4. quæst. 79. & vterque probabilis est. Potuit enim conuenienter sacramento Eucharistiæ tribui vis illa, vt per se immediatè, id est, sine alia dispositione per se sufficienti, valeret ad delenda venialia: atque etiam vt remotè, & mediatè posset ea delere per actum charitatis supernaturalis de se sufficientem ad eorum remissionem. Cùm enim sit commune omnibus sacramentis, vt præter gratiam habitualem, tribuant suo tempore, rite suscipientibus, & in gratia perseuerantibus, nec aliter diuinæ liberalitati obsistentibus, auxilia actualia ad exercendos actus charitatis, aliarumque virtutum supernaturalium: sanè quod attinet ad charitatem, id multò magis conuenit huic sacramento amoris, instituto ad nutriendam, fouendamque amicitiam diuinam, quod potissimum fit feruentioribus actibus charitatis. Ac sicut gratia habitualis, prout hoc sacramento datur, specialiter tendit ad vnitatem, & coniunctionem amicissimam cum Christo: ità specialiter tendit ad amorem actualem, & exercitium amicitiæ. Est quoque valde consentaneum vt Christus in hoc sacramento existens, in quo diuini amoris sui erga homines diuitias velut effudit, vt Tridentinum loquitur: eosdem vicissim peculiari modò ad sui amorem excitet.

Dupliciter remittit venialia.

33. Atque hinc illa refectio actualis spiritalis dulcedinis, de qua D. Thomas quæst. 79. artic. 1. ad 2. quandò scilicet anima spiritaliter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ, iuxta illud Cant. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charißimi.* Non est tamen necessarium, neque verum, effectum illum tribui semper in vsu ipso sacramenti Eucharistiæ rite suscepti. Nam neque experientia id ostendit, sed potiùs oppositum: neque ex Scriptura, vel Conciliis, aut SS. Patribus id colligitur: neque ex natura ipsius sacramenti. Licet enim per modum alimenti fuerit institutum: & vt ait Florentinum in Decreto, post D. Thomam art. citato in corpore, omnem effectum habeat proportionaliter, quem materialis cibus, & potus habent; sustentet, reparet, augeat, delectet: alimentum tamen corporale dum alit, non dat necessariò actum secundum, sed esse, & actum primum: non esse simpliciter, & funditus, sed esse additum, & superueniens. Neque etiam reparat illo ipso instanti, quo sumitur: sed quando sufficientes dispositiones id exigunt. Delectatio verò est alimento accidentalis, ex eo proueniens, quòd alimentum sentitur, & placet. Simpliciter enim potest alimentum sumi sine delectatione, & sine sensu, & sine aduertentia, & sine vigilia. Quare ex ratione alimenti dari non debet Eucharistiæ, tanquam constans, & necessarius effectus, vt in ipso vsu pariat actualem feruorem charitatis, & delectationem, seu dulcedinem, aut vt reparet aliquid: Licet hoc illi valde conueniat, & frequenter contingat in subiecto bene disposito.

Refectio spiritualis dulcedinis.

34. Quintus effectus est remissio pœnæ debitæ peccatis. Qui effectus Eucharistiæ conuenit, non tantùm quatenus sacrificium est, qua ratione satisfaciendi, vim habet, & placandi, ac propritiandi Deum, vt disput. 59. sect. 1. explicabitur. Verum etiam quatenus sacramentum est. Nam cùm, vt sacramentum, habeat vim remittendi peccatum mortale, & veniale, modo superiùs explicato; & peccatum non remittatur sine aliqua remissione pœnæ: consequens est vt pœnam aliquam cum peccato remittat. Loquor autem de remissione ex opere operato, & non per viam impetrationis, aut meriti de congruo, quam à fortiori competere sumptioni, aut celebrationi Eucharistiæ, si eò referatur, dubitari non potest.

Quintus effectus, remissio pœnæ.

35. Sextus effectus est præseruatio à peccatis futuris. Patet ex Trident. sess. 13. cap. 2. vbi ait hoc sacramentum institutum fuisse, vt antidotum, quo præseruemur à peccatis mortalibus. Eodémque pertinent illa Christi verba Ioan. 6. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* & *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis*: vbi de vita spiritali sermo est: quæque dicuntur à Sanctis Cyrillo, Cypriano, Chrysost. Bernardo, aliisque Patribus, ad ostendendam sacramenti huius vtilitatem, & quodammodo necessitatem ad diu standum & perseuerandum in gratia. Qua de re plura videri possunt apud Suarem disp. 63. sect. 9. conclus. 2. & Delugo disp. 12. sect. 4. vbi notat hunc effectum præstari ab Eucharistia quinque modis. Primò, quatenus causat copiosam gratiam gratum facientem. Secundò, quatenus animam spiritali dulcedine inebriat, minusque sensibilem reddit & facilem ad impressionem tentationum. Tertiò, quatenus fugat Dæmones, qui concupiscentias inordinatas solent excitare. Quartò, quatenus mentem illuminat, iuxta illud Ioan. 8. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*, illuminans scilicet eos, ad quos accedit, & in quibus inhabitat corporaliter,

Sextus effectus, præseruatio à peccatis.

Quintò denique, quatenus minuit fomitem concupiscentiæ, impediēs, vel debilitans motus carnis illicitos, excitansque contrarios. Quæ omnia Scripturæ, & Patrum testimoniis apposite confirmat. Nota præterea non semper, neque infallibiliter tribui piè communicantibus auxilia efficacia ad perseuerandum, alioquin non exciderent à gratia, vt frequenter contingit.

56. His sex effectibus à D. Thoma enumeratis, alios addunt recentiores Theologi. Nam præter suauitatem quandam, & dulcedinem deuotionis, quam Deus magna cum animi præparatione communicantibus impertiri solet, feruorémque charitatis exuberantis, & erumpentis ad opera Deo grata, non modò necessaria, seu præcepta, sed etiam supererogationis; sicut aqua feruere dicitur, quando exuberat intra vas, & dilatans se vndique, foras erumpere conatur: Vltra hunc, inquam, effectum, quatuor alios numerant ad corpus pertinentes, quod in primis quodammodo sanctificat suo contactu, sicut olim instrumenta passionis contactu corporis Christi sanctissimi, & nunc sacra vasa Eucharistiæ inseruientia, eius contactu sanctificantur, & sacrantur: vt inter alios docet Cyrillus Catech. 4. Mystag. Secundò, ardorem concupiscentiæ minuit, & iræ feruorem, aliasque prauas affectiones corrigit. Vel humores temperando, vnde fomes peccati mitigetur: vel per gratias præuenientes corroborando mentem, vt fomiti præualeat: vel auocando imaginationem à peccati illecebris, & in animam infundendo spiritalis suauitatis affluentiam, quæ in corpus quodammodo redundet, ipsumque sopiat, & abstrahat à rebus terrenis, vt cor, & caro nostra simul in Deum viuum exultent: vel denique procul arcendo Dæmonem, ne libidinem, & malos in nobis affectus accendat. De quibus vide Cyrillum lib. 4. in Ioan. cap. 17. Hieron. in cap. 9. Zachariæ ad illa verba, *Vinum germinans virgines*: & Chrysost. Homil. 45. in Ioan. Ad hæc tertiò, corpus communicantis vnit sibi quodammodo: non vnione physica, sed morali, simili illi, quæ fit inter coniuges per vinculum matrimonii. Et quartò denique, ratione huius vnionis corpus nostrum disponit ad resurrectionem; ad quam non modò nouum titulum confert, sed etiam gratiam abundantiorem ad obtinendam resurrectionem gloriosiorem. Plura de his Suarez disp. 64. Vasq. disp. 204. De lugo disp. 12. sect. 5. & Aegidius Coninc in Dubio ad art. 8. quæst. 79. vbi addit præterea, tanquam probabile, Christum Dominum in hoc sacramento vitali modo concurrere ad effectus prædictos; quemadmodum, cùm viueret, concurrebat ad opera miraculosa: ita vt eatenus sacramentum Eucharistiæ vitaliter operetur, & non tantùm mortuo modo, vt operantur reliqua sacramenta.

Alii quatuor effectus ad corpus pertinentes.

DISPVTATIO TRIGESIMA QVINTA,

De præparatione, ad Communionem, & frequenti illius vsu.

E argumento proposito disputat S. Thom. quæst. 80. art. 3. & sequentibus vsque ad decimum. Docétque primò, Peccatum mortale impedire ex necessitate receptionem huius sacramenti, priuaréque illius effectu. Secundò, Tametsi iniusti realiter accipiant Christum in Eucharistia: grauiter tamen peccare, quoties ad illam sumendam accedunt, cum conscientia peccati mortalis. Tertiò, Peccatum illud esse valde graue, quamuis absolutè non sit omnium grauissimum: nam grauiora sunt per se loquendo, ea quæ committuntur in ipsam diuinitatem, aut in ipsam humanitatem Christi, quàm quæ committuntur contra sacramenta. Quartò, Peccatori publico petenti publicè negandum esse hoc sacramentum: secus autem occulto, quia communionis accipiendæ ius in Baptismo acceptum nullo publico peccato amisit. Quintò, Eam pollutionem nocturnam, quam nullum peccatum mortale præcessit, non impedire quidem necessariò sacramenti perceptionem: decere tamen sic indispositum abstinere: nisi ratio specialis aliud facere suadeat. Sextò, Ex præcepto Ecclesiastico non esse ad illam accedendum nisi ieiunis, propter sacramenti honorem & significationem, periculúmque vomitus, & ebrietatis. Septimò, Non esse dandam carentibus vsu rationis, nisi aliàs mentis compotes fuerint, túncque illius sumendæ deuotionem ostenderint. Potest enim illis in articulo mortis exhiberi. Octauò, Vtile esse quotidie sacramentum hoc sumere, vt quotidie fructus eius percipiatur. Vnde Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 6. *Si quotiescunque*, inquit, *effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere. Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.* Quia tamen requiritur vt cum magna deuotione ac reuerentia accedatur: idcirco si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est quòd quotidie sumat. Vnde August. serm. 18. de Verbis Domini, cùm dixisset, *Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit*: subiungit, *Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Et quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ: non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescunque ad illud homo se inuenerit præparatum. Huc vsque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs declarabitur.

SECTIO I.

Quam dispositionem requirat Eucharistia ex parte animæ ad gratiam conferendam?

1. Prærequiritur Baptismus.

ESPONDEO, Et dico primo necessarium esse vt ille qui recipit Eucharistiam priùs acceperit sacramentum, & characterem Baptismi. Ratio est quia Baptismus est sacramentum regenerationis. Sicut autem in naturalibus prius est generari, quàm nutriri: sic prius est regenerari sacramentaliter per Baptismum, quàm nutriri per Eucharistiam. Confirmatur ex dictis de Sacramentis in genere, & de Baptismo vbi ostendimus Baptismum esse ianuam Ecclesiæ, daréque capacitatem participandi illius bonis, & aliis sacramentis: ita vt sine illo præuio non possint vtiliter, ac ne quidem sacramentaliter recipi: vt de sacramento Pœnitentiæ disertè affirmat Trident. sess. 14. cap. 2. Patet etiam ex dictis in tractatu citato disp. 21. sect. 3. Recipientem Eucharistiam debere esse pu-

rum viatorem, id est, nondum comprehensorem per gloriam, seu visionem beatificam: nam aliis receptio non est sacramentalis, & operatiua.

2. Dico secundò, Requiri vt nemo ad communionem accedat scienter, & liberè cum conscientia peccati mortalis, quod per sacramentum Pœnitentiæ non expiauerit, si eius copiam habet, quantumuis sibi contritus videatur. [illegible] enim definitum est, aut declaratum à T[illegible] sess. 13. c. 7. vbi docet hanc esse [illegible] probationem ab Apostolo, vel à Christo præceptam 1. Corinth. 11. v. 28. vt Ecclesiæ consuetudo declarauit: cuius antiquitatem testantur Concilia Nicænum, Ancyranum, & Elibertinum, & SS. Patres Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, Leo, & alii à Suare relati dis. 66. sect. 3. conclus. 1. Auctor quidem libri de salutaribus documentis apud August. tom. 4. cap. 33. citatum Pauli versum interpretans, *Probet autem seipsum homo,* &c. subiungit: *Quando enim illud* (Eucharistiæ sacramentum) *accipere debemus, antea ad confessionem, & Pœnitentiam recurrere debemus: ne,* vt ait, paulò post, *cum proditore Iuda damnemur.* Cyprianus verò tum in sermone de lapsis, tum in epist. 10. aliisque locis, inuehitur in eos, qui peccatis obstricti ante Ecclesiæ reconciliationem, & absolutionem peccatorum obtentam, ad Eucharistiam accedebant. Quamuis autem sine sacramento Pœnitentiæ possit remissio peccati mortalis obtineri per contritionem, vt docet Trident. sess. 14. c. 4. Quia tamen contritio difficilis est, minusque certa, & nota elicienti; meritò semper ab Ecclesia obseruatum est, vt propter reuerentiam tanti sacramenti medium certius, & notius confessionis adhiberetur. Atque hæc obseruatio, huic sacramento peculiaris, satis ostendit plus in illo esse, quàm in ceteris: nimirum non qualemcunque virtutem significandi, & efficiendi gratiam: sed ipsum etiam gratiæ, & sanctitatis auctorem Christum.

3. Hoc autem est intelligendum de dispositione necessaria per se. Nam per accidens, in casu ignorantiæ, vel inaduertentiæ, sufficere potest ad gratiam vi huius sacramenti recipiendam attritio formalis, aut virtualis, accedenti bona fide, id est, cum ignorantia inculpabili sui status, aut suæ obligationis: vt probabile esse diximus præcedenti disp. sect. 1. Ratio verò istius necessitatis procurandi remissionem peccati mortalis ante communionem, est quia Eucharistia est sacramentum viuorum, cum sit instituta per modum cibi, & potus ad spiritualem nutritionem, quæ vitam præsupponit. Ideòque per se loquendo, & secundum Christi institutionem, primamque voluntatem, quicunque post Baptismum mortaliter peccauit, debet ante cõmunionem recuperare gratiam, & vitam spiritalem. Quod vt certiùs fiat, debet, si potest, confiteri sacramentaliter, quantumcunque etiam se contritum existimet, vt definit Trident. c. supra cit. & can. 11. eiusdem sess. 13.

Quod si copia non sit confitendi, & tamen instet necessitas communionis, satis erit, si diligenter, & ex animo contritio procuretur, vt subindicat Trident. in fine cap. cit. vbi præterea obligat sacerdotes, vt si peccati mortalis sibi conscii, non præmissa confessione (ante Sacrum scilicet inchoatum) celebrauerint; confiteantur quamprimum poterunt, id est, prima commoda occasione non prætermissa, neque diu, putà vltra triduum, dilata: abstinendo interea ab iterum celebrando. Qua de re plura dicemus inferius disp. 49. sect. 8. Hoc autem præceptum sacerdotibus impositum à Tridentino, neque ad Laicos, neque ad alios casus circa ipsos sacerdotes extendi debet, sed accipi simpliciter, & præcisè, vt verba sonant. Quid si desit copia confitendi?

4. Porrò casus necessitatis, in quo communio sine præuia confessione sit licita, duplicem debet includere necessitatem. Vnam recipiendi sacramentum Eucharistiæ: alteram non subiiciendi peccata sacramento Pœnitentiæ, propter impotentiam physicam, aut moralem. Vtramque Trid. cap. cit. insinuat, cùm ait, *necessitate vrgente,* &, *modò non desit copia confessoris.* Prior necessitas esse potest, si mors immineat, & Viaticum nondum acceptum sit: si parocho ex officio celebrandum sit, vt populo satisfiat die festo, vel vt infirmo detur Viaticum: si communio sine infamia omitti, vel vlterius differri non possit, aut sine graui scandalo: si sacrificium iam inchoatum sit absoluendum: si periculum sit ne species consecratæ prophanẽtur nisi consumantur. Secunda verò necessitas esse potest, quãdo vel nullus adest sacerdos, vel talis, vt non habeat facultatẽ absoluendi à peccato mortali admisso, & reseruato, vel qui secretum sit proditurus, vel linguam pœnitentis ignoret. Quando tamen sacerdos adest, etsi ea omitti possint, à quibus absoluere nequit, vel de quibus timetur reuelatio, vel quæ aliam ob causam aperiri non possint: probabilius est, & coherentius cum supra dictis, teneri saltem ad ea confitenda, quæ potest, & à quibus potest directè absolui à confessario illo tanquã iudice legitimo, & habente iurisdictionem circa huiusmodi peccata: vt satisfiat intentioni Tridentini, & rationi præcepti; dumque ista peccata directè remittuntur, cætera quoque omnia remittantur indirectè per medium certius, & notius sacramenti Pœnitentiæ: quamuis multi contrariũ sentiant apud Suar. disp. 66. sect. 4. quorum sententia est probabilis, & tuta in praxi. In defectu autem sacramenti Pœnitentiæ, adhibendum est medium contritionis: quæ nihilominus non est ita necessaria, quin per accidens attritus solum bona fide accedens iustificari possit, vt probabiliter S. Thomam, aliósque multos sentire suprà vidimus. Quæ necessitas excuset à cõfessione ante communionem?

Notandum tamen aliquos esse casus, in quibus licet sumere Eucharistiam cum conscientia peccati mort. nõ præmissa contritione, nec confessione. Putà, si infideles irrumpant in Ecclesiam, & Eucharistiam concul-

caturi sint, nisi mox à te sumatur; neque periculum patiatur moram necessariam ad procurandam contritionem, si sacerdos in Missa recordetur peccati mortalis à se cõmissi, nec sine scandalo immorari possit, aut differre, & cessare quamdiu est opus, vt interea conteratur, aut confiteatur. Ita Vasq. disp. 207. cap. 1. n. 3. & De lugo disp. 14. sect. 1. n. 3.

5. Hinc collige tertiò, requiri vt cõmunicãs à peccato mortali abstineat tẽpore communionis eo instãti, quo Sacramentũ operari debet. Veniale autem actu commissũ in sumptione ipsa non impedit simpliciter effectũ gratiæ habitualis, cui non repugnat incõpatibiliter, neque ex natura sua, neque ex diuina ordinatione. Impedit tamen actualem refectionẽ dulcedinis spiritualis: quoniam impedit actualẽ deuotionem, & vnionẽ affectus cum Deo, ac feruorẽ charitatis, necessariũ ad refectionem illam dulcedinis spiritualis, vt docet S. Thom. q. 79. art. 8. Dixi, non impedire simpliciter, id est, omnino effectũ gratiæ: nam ex parte impedire potest, quando scilicet priuat dispositione, non quidem necessaria simpliciter ad effectum Sacramenti, sed tamen vtili, & tali vt ad eius præsentiam Sacramentum meliùs operetur, ac plus gratię conferat: iuxta id, quod alibi diximus Sacramenta melius operari in subiecto meliùs disposito. Præterea impeditur totalis, & perfecta remissio peccatorum venialium. Nam illud ipsum peccatum, quod admittitur, non potest simul committi, & remitti. Impeditur etiam abundantia auxiliorum, & gratiarum præuenientium, quæ dantur crebriora melius dispositis, magisque piè, & sanctè communicantibus. Sed hæc tam grauia, vel necessaria non sunt, vt ad ea procurãda in vsu Sacramẽti, vel non impedienda, grauiter obligemur, & sub pœna peccati mortalis. An verò saltem nouum peccatum veniale sit communicare in statu peccati venialis actualis, vel etiam habitualis, dicemus inferius sect. 4.

6. Addit Caiet. ad art. 1. quæst. 79. post Alensem, Antoninum, Durandum, & Paludanum, requiri omnino deuotionẽ actualem in cõmunicãte: & non sufficere virtualẽ, id est, quę præcesserit, & duret virtualiter, ad recipiendũ augmentũ gratię per Sacramentum Eucharistiæ. Sed hæc sententia est contra S. Thom. quæst. cit. art. 8. in cor. & ad 1. meritóque reiicitur ab aliis communiter. Primò, quia sine solido fundamento id asserit, tamque grauem obligationem sine sufficienti ratione imponit. Secundò, quia in omnibus aliis sacramentis sufficit deuotio virtualis. Ergo & in isto: neque enim redditur sufficiẽs ratio differentiæ, vt patebit ex solutione argumẽtorũ Caietani. Tertiò, si deuotio actualis esset omnino necessaria ad effectũ gratiæ per hoc Sacramentum recipiẽdæ, sequeretur adultos peccare mortaliter, quando scienter, & liberè accedunt sine actuali deuotione: nimirum quia scienter, & liberè ponunt obicẽ primario effectui Sacramenti. Quartò, non deberet dari Eucharistia adultis, qui in phrenesim inciderunt, aut vsum rationis aliter amiserunt paulò ante mortem: qui tamen, iuxta communem vsum Ecclesiæ, non priuatur viatico, si absque alio incommodo possunt communicare. Vt omittam infantes, incapaces talis deuotionis, communicasse in antiqua Ecclesia, non frustra, & sine fructu: puto enim auctores supra citatos opinionem suam limitare ad adultos.

Requiritur ne deuotio actualis in communicando ad effectum huius Sacramenti.

Obijcit Caiet. primò, sacerdotes plurimos quotidie communicantes parum proficere in spiritu, & feruore charitatis: quod non aliũde prouenit, nisi ex eo quòd sine actuali deuotione communicant, atque ita non percipiunt augmentum gratię, & ius ad auxilia copiosiora. Secundò, Eucharistia debet operari ad instar cibi materialis. Hic autẽ non operatur sine actuali cooperatione viuentis, à quo conuertitur in propriam substantiam. 7.

Soluuntur argumenta contraria.

Ad primum Respondeo, augmentum gratiæ, & habituum supernaturalium, non sentiri per se: quia non dant facilitatem, & inclinationem sensibilẽ, vt habitus naturales, sed tãtùm dant posse operari. Auxilia verò actualia non dantur copiosè illis, qui distracti curis aliis, vel tepidi, impediunt ne dentur, & non satagunt illis vti ad bene operandum. Quamquam experientia docet plures eiusmodi sacerdotes diu ab omni peccato mortali abstinere: quod sine maioribus, & copiosioribus auxiliis gratiæ non fit. Addo vix esse vllos sacerdotes, qui non habeant aliquem actum deuotionis in tota communione, quandiu species accipiuntur, aut in stomacho durant: quod sufficere putat Caiet. loco citato: & tamen illorum plurimi parum videntur proficere in spiritu, & feruore charitatis. Ergo id aliunde prouenit.

8. Ad secundum Respondeo differentiam esse, quia cibus materialis conuertitur in nostram substantiam, nostra propria actione, quã debet digeri, & corrumpi, & in nos trãsmutari. At cibus ille spiritalis debet potiùs nos in Christum conuertere actione sua, & efficacia sacramentali, quæ tota penes ipsum est, nobis tantùm passiuè, & dispositiuè concurrentibus. Dispositio autẽ potest præcedere physicè, & manere virtualiter, vt fit in aliis Sacramẽtis. Et cõfirmatur, quia hoc sufficit in intẽtione, quæ tamen magis necessaria est, quàm deuotio. Illa enim requiritur necessariò ad esse Sacramenti respectu adultorũ: hęc verò tantũ ad bene, & vtiliter esse, siue ad operari.

9. Quartò, quia Deus adultos & infantes iustificat iuxta modũ suæ conditionis, requirit in adultis, vt accedant tanquã adulti, hoc est, humano modo scienter, & liberè: Et accedant velut ad rem sacrã cum aliquo pio affectu, saltem virtuali, & desiderio consequendi effectum Sacramenti. Infantes verò non egent tali affectu, cuius etiã capaces non sunt, quamuis non sint incapaces sacramenti, & effectus Eucharistiæ. Vt liquet ex vsu Ecclesiæ, quæ olim paruulos communicabat, teste Dionysio cap. 2. & 7. de Ecclesiast. Hierarchia, Cypriano in Sermone de lapsis,

Requiritur pius affectus in adultis.

August. epist. 23. ad Bonifacium, Euagrio lib. 4. histor. cap. 35. Alcuino in lib. de Diuinis officiis cap. de Sabbato S. Paschæ, & Concilio Toletano XI. Can. XI. eundemque vsum licitum fuisse docet Tridentinum sess. 21. cap. 4.

10. Quid si casu sumatur Euchari-stia.

Dices hinc sequi infantem, & amentem, qui casu comedat Eucharistiam, putans esse cibum prophanum, habiturum effectum Sacramenti. Respondeo cum Delugo disp. 13. sect. 3. ita esse, non modò de infantibus, aut amentibus qui nunquã vsum rationis habuerunt: sed etiam de illo, qui habuit, voluitque Eucharistiã sibi prodesse, si contingeret eã casu à se sumi, modo prædicto: si tamen habeat intentionẽ, & dispositionem saltem habitualem. Quamquam enim non potuit antecedenter velle ita sumere, sed tantùm eo modo, quo religiosè dari, & sumi solet: potuit tamen velle consequenter sumere vt Sacramentum, & ad effectum gratiæ, posito quòd contingeret eam sibi occurrere edendã modo prædicto inculpabili. Sicut infirmus, quãuis nõ possit antecedẽter licitè velle accipere extremã vnctionem à simplici sacerdote, presente & inuito Parocho: potest tamẽ velle consequenter accipere, vt Sacramentum, posito quòd ille sacerdos dare velit iã priuato vsu rationis, & non valenti contradicere. Potest enim velle in eo statu accipere vt Sacramentũ, à quocunq; validè accipiat. Adultus verò sui compos debet quidẽ habere propinquiorem dispositionẽ. Si tamẽ propinquè satis, & cum affectu pio sufficienti vellet Eucharistiã casu sumptã sibi prodesse, & vt Sacramentũ eam sumere, si fortè occurrat incogitãti; puto ei profuturã cum Delugo, & Desalas quem citat in fine sectionis supra relatæ. Neque verò malũ est, velle vt profit quãuis casu sumatur: velleque sumere vt Sacramentum: dummodo vitetur periculum voluntarium, & probabile communicandi modo indebito. Hoc enim est velle solùm præstare Sacramento reuerentiam, quãtam potest hic & nunc in tali circunstantia inculpabili.

11. Debet reuerenter & deuotè sumi.

Quintò denique, quia communio est actus virtutis religionis excellentissimus, requirit ex ipsa rei natura vt fiat reuerenter, attentè, & deuotè, ex bono fine, & cum debitis circumstantiis, quarum defectus voluntarius est peccatum veniale, non impediens quidem effectum primarium Sacramenti, qui est infusio gratiæ, sed maiorem illius perfectionem (maior enim daretur subiecto meliùs disposito) vel etiam aliquos effectus secundarios spiritualis dulcedinis, & auxiliorum gratiæ per illustrationem intellectus, & pias motiones voluntatis, quę sæpe dantur magis deuotè & piè communicantibus, vt supra diximus cum D. Thoma quęst. 79. art. 8. Enimuero si est illicitum, & saltem venialiter malum, orare v. g. sine debita attentione, cum distractione voluntaria, vel ex fine disconuenienti, & leuiter malo, putà vanæ gloriæ: multò magis censendus est peccare venialiter ille qui ex simili fine, vel cum pari distractione & irreuerentia communicat scienter & liberè. Et vt ait Trident. sess. 13. cap. 7. Si non decet ad sacras vllas functiones quempiam accedere, nisi sanctè; certè quò magis sanctitas, & diuinitas cælestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cauere ille debet, ne absque magna reuerentia & sanctitate, ad id percipiendum accedat. Loquor autem de defectu, aut peccato veniali pertinente directè ad ipsam actionem communicandi. Nam de aliis quæ se tenent dumtaxat ex parte communicantis, meréque per accidens & concomitanter se habent ad communionem, dicemus infra sect. 4. sitne illicitum Eucharistiam sumere, in statu talis peccati venialis, actualis, aut habitualis.

SECTIO II.

Refutantur errores quorundam Recentiorum præcedenti doctrinæ contrarii.

Contra eã quæ diximus de præparatione necessaria, & sufficienti ex parte animæ, ad recipiendum venerabile Sacramentum, eiusque effectum primarium, qui est gratia sanctificans per modum nutritionis, sentiunt aliqui moderni, quorum doctrina, quantum ad præsentem quæstionem attinet, quatuor sequentibus propositionibus continetur; tam inconstanter tamen & ambiguè à quibusdam illorum tradita, vt idem variis locis, sæpius affirment & negent. 12.

Prima propositio Dogmatistæ.

1. Non satis esse illum, qui peccati mortalis sibi conscius est, confiteri sacramentaliter ante communionem, sed debere publicam pœnitentiam agere, sicut fiebat in Ecclesia primitiua, cuius consuetudo ab annis circiter quingentis interrupta reuocari debet. Nec enim fuit legitimè abrogata: neque potuit abrogari, cùm esset ex Christi institutione, & ordinatione inuariabili. Sed ea quæ loco illius substituta fuit, & ab eo tẽpore viget, totã fere Ecclesiã, est intolerabilis morũ corruptio, & inordinata; fœdaque disciplinæ Ecclesiasticæ relaxatio, quæ generali totius orbis impœnitentiæ fauet, ideoque libenter ab omnibus admittitur: eò vsque vt per stupendam cæcitatem disciplina Christi, & Apostolorum adeo nunc laxata sit, vt videantur homines totis viribus eniti omnia illius vestigia prorsus abolere.

Secunda propositio.

2. Nihilominus suæ intentionis non esse publicam illam pœnitẽtiam restituere eo rigore, quo fuit obseruata in antiqua Ecclesia: sed aliquam dumtaxat illius partem, fragilitati Christianorum huius temporis magis accommodatam: nihilque illius fere aliud se velle retinere, quàm dilationem communionis ad sex circiter menses: quæ dilatio erat præcipua pars illius publicæ pœnitentiæ: magis enim Deum honorat, magisque illi placet, & satisfacit confusio, quę ex tali dilatione concipitur: quàm vllum 13.

aliud opus bonum ſine tali confuſione ſeu pudore animi.

Tertia propoſitio. 3. Pœnitentiam illam publicam imponi debere pro quibuslibet peccatis mortalibus, etiam occultis, & pure internis: illumque fuiſſe morem antiquæ Eccleſiæ, cuius defitio eſt fœda corruptio: neque verò ſacerdotalem abſolutionem eſſe impertiendam pœnitenti, niſi poſtquam pœnitentiam publicam egerit, peccatis eius, quoad fieri poteſt, proportionatam; ferè tamen, aut præcipuè, in dilatione communionis conſiſtentem, vt paulò ante dictum fuit. Quia nimirum, vt ipſi exiſtimant (licet non omnes æquè perſpicuè ſenſum ſuum aperiant, ſed nonnulli verborum inuolucris obtegere conentur) abſolutio ſacerdotis nihil aliud eſt, quàm declaratio remiſſionis à Deo obtentæ per opera pœnitentiæ, & canonica reconciliatio cum Eccleſia, ac reſtitutio illius Sacramentis, præcipueque Euchariſtiæ, quâ peccator erat priuatus ob peccatum mortale. Eademque de cauſa dicunt attritionem non ſufficere in Sacramento pœnitentiæ, ſed perfectam contritionem neceſſariam eſſe: quia tunc ſolùm vera eſt ſententia ſacerdotis quando ſubſequitur remiſſionem peccatorum prius à Deo factam. Quin etiam non obſcurè affirmant, non ſtatim poſita contritione perfecta recuperari gratiam, & remiſſionem peccatorum: ſed per longam pœnitentiam & ſatisfactionem obtineri: neque homines momento de ſtatu peccati tranſire ad gratiam vi contritionis, ſed potiùs opera externa pœnitentiæ talia eſſe interdum, vt ſuppleant defectum contritionis & doloris interni, debeantque ſufficere ſacerdoti, cui etiam magis nota ſunt.

14. Quarta propoſitio. 4. Denique, licet confeſſionem peccatorum venialium neceſſariam eſſe non putent ante communionem, imò potiùs videantur illam penitùs improbare, velut inuſitatam in antiqua Eccleſia, quæque impedit ne fideles cognoſcant, & diſcernant eos qui labuntur in peccata mortalia, egentque ipſorum precibus, & reconciliatione: tamen ad communionem tantam requirunt vitæ ſanctitatem, & animæ puritatem, ab omni affectu peccati venialis, etiam habituali liberam, vt vix vlli Chriſtianorum huius temporis, ac ne Apoſtoli quidem illam attigerint: quæque ſi eſſet neceſſaria, vt ipſi perſuadere conantur, eſſent omnes Chriſtiani arcendi à communione, & nullus eorum ſine peccato ſacrilegii communicaret. Hoc autem præcipuè probant ex Dionyſio cap. 3. Eccleſ. Hierarch. part. 3. affirmante, conſuetudinem, & ſtatutũ Eccleſiæ ſui temporis fuiſſe, vt reiicerentur à communione, & ante illam eiicerentur ab Eccleſia non modò Catechumeni, peccatores, & energumeni: verùm etiam illi, qui licet à vitiis ad virtutem tranſiuiſſent (id eſt, pœnitentes) non tamen à phantaſmatis, & imaginibus vitiorum præteritorum puriſſimo Dei amore purgati erant: atque etiam illi, qui nondum ſoli Deo perfectè ſunt vniti, & vt Scriptura loquitur, omnino perfecti, planeque irreprehenſibiles.

15. Refellitur prima propoſitio. Verùm tota hæc doctrina tam manifeſtos errores continet, vt mirum ſit locum apud Catholicos reperire potuiſſe. Nam prima illius propoſitio, quatenus affirmat non ſufficere ad communionem, ſecundum inſtitutionem & ordinationem Chriſti, vt qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, præmittat confeſſionem ſacramentalem, & obtenta abſolutione accedat ad Euchariſtiam, reuerenter ſcilicet, & deuotè, ſicut natura illius actus religioſi poſtulat; ſatis apertè damnata fuit à Concilio Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. vbi poſtquam dixit, viro Chriſtiano diligenter cauendum eſſe, ne abſque magna reuerentia, & ſanctitate ad Sacramentum hoc percipiendum accedat, præſertim cùm illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus, *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*: ſubiungit, explicans cuiuſmodi præparatio neceſſaria ſit ad non indignè communicandum, vitandumque Dei iudicium, & condemnationem: *Quare communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum: Probet autem ſe ipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat.* Eſtque notandum diligenter Concilium Trident. toto eo capite agere ex profeſſo de præparatione neceſſaria ad communionem: cuius capitis titulus eſt, De præparatione, quæ adhibenda eſt, vt dignè quis Sacram Euchariſtiam percipiat. Quam etiam præparationem tam exactè declarat, vt præſcribat quid non modò Chriſtianis laicè cõmunicantibus, verùm etiam ipſis ſacerdotibus quibus ex officio incumbit celebrare, faciendum ſit ex præcepto: quibus ſingulariter iniungit, vt ipſi etiam confiteantur ante celebrationem, ſi non deſit illis copia confeſſoris: ac ſi neceſſitate vrgente, abſque præuia confeſſione celebrauerint, quamprimum poſtea confiteantur. Quòd ſi Concilium exiſtimaſſet neceſſarium eſſe publicam pœnitentiam communioni præmittere, iuxta præceptum Apoſtoli, & Chriſti ordinationem: ſine dubio illud non prætermiſiſſet: præſertim cùm optimè intelligeret contrariam iam eſſe, diuque antea fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem, adeóque tranſgreſſionem huius obligationis eſſe generalem.

16. Non vacat errore & temeritate. Sed & iſta ipſa conſuetudo Eccleſiæ damnat erroris, & temeritatis eandem propoſitionem aduerſariorum: quippe quæ, vt ipſi fatentur, ab annis circiter quingentis vſum publicæ pœnitentiæ prætermiſit (exceptis paucis criminibus grauioribus, & ſcandaloſis, pro quibus etiam nunc aliquam pœnitentiam publicam imponi vult ad arbitrium Epiſcoporum) ſtatimque poſt priuatam confeſſionem ſacramentalem pœnitentes

Trident. ſeſſ. 24. cap. 8. de Ref.

ad Eucharistiæ participationem admisit. Quod enim tota per orbem frequentat Ecclesia, de eo rectène fiat, an secus disputare (vel quod peius est reprehendere) insolentissimæ est insaniæ, vt rectè ait D. August. epist. 118. ad Ianuar. Et quod amplius est, in capite, *Ad abolendam, de Hæreticis*, anathematizantur quicunque de Sacramentis *aliter sentire aut docere non metuunt, quàm Sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & obseruat.* Aliter autem sentiunt qui ipsam errasse in eorum administratione docent. Errasset autem grauissimè in Eucharistiæ administratione, si omissio publicæ pœnitentiæ (quam non modò tacitè vsu tam generali, tamque diuturno approbauit, verùm etiam expressè in Trident. verbis supra relatis, & expensis) esset fœda morum corruptio, & inordinata disciplinę relaxatio, fauens impœnitentiæ generali totius orbis, vt dicunt aduersarij, cōtrariaque Christi ordinationi inuiolabili & vni de præcipuis Christianę religionis veritatibus, vt iidem affirmant, & persuadere conantur.

Trident. sess. 24. cap. 8 de Ref.

17\. Peccat cōtra sanctitatem & infallibilitatem Ecclesiæ.

Quod cùm asserunt, peccant iterum grauiter contra Ecclesiæ sanctitatem, & infallibilitatem in fide & doctrina morū, qua infallibilitate sublata, nutat fides Catholicorum, euerso eius fundamēto præcipuo: & via sternitur hęreticis, qui semper aliquā Ecclesiæ corruptionem in fide, aut morū disciplina causantur, eiusque reformandæ studium, suis erroribus & nefariis conatibus prętexūt. Multum etiam detrahunt eius auctoritati, si putāt modum illum agendi pœnitentiā, non à Christo vt ostendemus alibi, sed ab Ecclesia institutum, non potuisse ab ipsa abrogari, vel mutari in alium fragilitati hominū magis accommodatum: Qui error damnatur à Trident. sess. 21. cap. 2. affirmante hanc potestatē perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorū dispensatione, saluā illorū substantiā, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorū Sacramentorū venerationi, pro rerū, temporū & locorū varietate, magis expedire iudicaret. Damnatur etiam vsu perpetuo Ecclesiæ, quæ sæpius tali potestate vsa est in multis aliis ad Sacramentorum administrationē pertinentibus: vt in mutanda trina mersione Baptismi in vnicā, vel in aspersionem qualis nunc fit: in prohibenda laïcis cōmunione calicis; in gradibus consanguinitatis ampliādis, vel restringēdis circa matrimoniū: & in ipsa publicæ pœnitentiæ impositione, & pœnitentiū admissione ad Eucharistiā. Nam in ipsa antiqua Ecclesia modò seuerior, & difficilior, modò mitior fuit, vt ostendemus paulò post. Et denique facultas Theologica Parisiensis in censura contra Theophilum Brachet, edita hoc ipso anno, 1644. die 18. Iunii, pronunciauit temerarium esse atque erroneū & hæreticū damnare disciplinam & consuetudinem Ecclesiasticam ab omnibus Catholicę communionis Ecclesiis receptam, quantumcunque diuturnam, tanquam abusiuam, & institutioni Christi, atque Euangelicæ Doctrinæ cōtrariam: Et negare auctoritatē penes Ecclesiā esse condēdi nouas leges, & aliud statuendi, quàm quod Apostoli instituerūt circa ea quę ad regimen Ecclesiasticū, siue quæ ad cultum diuinū pertinēt officiū, & cerimonias. Concludo itaque primam illam propositionē aduersariorū plures absurdos errores continere.

Contra secundā propositionem dico primò, non vacare temeritate quòd aduersarij, homines priuati, & nullius in Ecclesia auctoritatis, conentur per se ipsos, & alios sibi similes, perque simplices Parochos, quos in fraudem induxerunt, publicam pœnitentiā restituere; atque reipsa vbicūque possunt, restituant, non sine grauibus scandalis ex publicatione criminum occultorum interdū exortis, loco priuatæ, quæ nunc exercetur, & à quinque sæculis, fuit in vsu totius Ecclesiæ. Quæ temeritas damnatur à Trident. sess. 7. can. 13. de Sacram. in genere, in hæc verba: *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato, à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios perquemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Circa quę postrema verba, nota hanc mutationem in re tanti momenti, & ad totam Ecclesiam spectante, non ad alium pertinere, quàm ad sūmum Pontificem, vniuersalem totius Ecclesiæ Pastorem iure diuino: quippe cui causæ grauiores reseruantur, vt dicitur in capite, *Maiores, de Baptismo*; & cuius est per se, vel cum Concilio generali de causis totius Ecclesiæ communibus decernere. Ad illumque moderni isti, quos impugnamus, recurrere debebant, illique zelū suum exponere, & supremo eius, infallibiliq; iudicio submittere. 18.

Dico secundò, non posse quoque à vitio temeritatis, & imprudentię excusari id quod aiunt in eadem propositione: Nolle se quidem restituere publicam pœnitentiam eo rigore, quo fuit in vsu primitiuæ Ecclesiæ; neque aliud fere retinere velle, quàm priuationem communionis ad aliquot menses. Nam si adhuc viget obligatio agendi publicam pœnitentiam, & statuta primitiuæ Ecclesiæ circa illam non fuerunt legitimè relaxata, vt ipsi sæpius affirmāt & persuadere conantur: Qua temeritate audent illa eò vsque relaxare, & antiquum pœnitentiæ rigorem adeo mollire, vt ad solam fere dilationem cōmunionis, suo arbitrio, eam restringant? Item si Ecclesia (vt ipsi videntur sæpius insinuare; quidquid alibi dissimulent) non potuit legitimè mutare illam publicam pœnitentiam in eam, quæ nunc est, vt hominum fragilitati se accommodaret; sed traditionem primitiuæ Ecclesiæ, eiusque leges & statuta, constanter seruare debuit: quā auctoritate possunt isti cætera abrogare, & nihil fere nisi dilationem communionis de antiqua pœnitentia publica retinere? Deinde cùm olim secundo sæculo, pro quibusdā pec-

19\. Est plena imprudentiæ & temeritatis.

catis grauioribus, homicidio, apostasia à fide, & adulterio, negaretur communio vsque ad finem vitæ: imò secundum aliquos, vt significant etiam Innocentius epist. 3. ad Exuperium cap. 2. & Tertull. lib. de Pudicitia cap. 5. ne tunc quidem concederetur: deinceps verò, quamdiu fuit vsus publicæ pœnitentiæ, licet non adeo seueræ & rigidæ, tamen pro quibusdam peccatis communio longiùs negata fuerit, totis interdum decẽ, & viginti, ac pluribus annis: quo iure aduersarii eius dilationem ad aliquot menses determinant? Cùm denique publica pœnitentia tam multas corporis afflictiones contineret, ieiunia, cilicia, cinerum conspersionem, humicubationes, prostrationes, & alia id genus: cur ferè solam communionis suspensionem retinere volunt, potiùs quàm illas corporis castigationes, quę communiter multò plus valent ad deterrendos homines à peccatis, quàm communionis dilatio, quâ plurimi libenter, & spontè toto anno se priuant, nec nisi præcepto Ecclesiæ coacti accedunt; præsertim verò illi qui grauiora peccata, & scandalosa committunt, quibusue solis, vel præcipuè imponenda esset publica pœnitentia.

Vide Concilium Eliber. can. 1. 2. 6. 7. 8. 12. 13. 17. 18. & Sardic. can. 2.

Planè ridiculum est aduersarios tam magnificè publicam pœnitentiam in Ecclesia primitiua vsitatã prædicare, tot canones Cõciliorum, tot Sanctorum Patrum testimonia proferre, quibus illius seueritas describitur, aut lege Ecclesiastica sancitur; addereq; non cessasse illius obligationẽ, esseque restituendum illius vsũ, generali Ecclesiæ corruptione, & fœda disciplinæ relaxatione intermissum, illum denique tanto verborũ apparatu commendare, viderique velle Ecclesiam vbique terrarum implere lachrymis, ciliciis, ieiuniis, humicubationibus, aliisque antiquæ pœnitentiæ exercitiis: & tandem omnia eò deuoluere, vt tota illa publicæ pœnitentiæ restitutio, quam moliuntur aduersarii, nihil sit aliud, quàm tenuis quædam & ridicula illius imago, nimirum solius ferè communionis dilatio: ex qua certissimè futura esset maior morum corruptio, non Ecclesiæ, quam prætendunt, Reformatio; præsertim dilata interim, vt ipsi volunt, absolutione Sacramentali. Docet enim experientia homines communiter eò deteriùs viuere, quò infrequentiùs ad Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ accedunt.

20. Falsum verò est, quod aiunt, dilationem communionis fuisse partem præcipuam illius publicæ pœnitentiæ. Cùm enim quatuor partibus, seu gradibus constaret, quorum primus dicebatur πρόσκλαυσις, eò quòd pœnitentes, dum in illo gradu erant, prohiberentur ab ingressu Ecclesiæ, & ante illam fletibus & gemitibus, aliisque signis pœnitentiæ, dolorem suum de peccatis commissis testarentur. Secundus dicebatur ἀκρόασις quòd in eo gradu versantibus permitteretur manere in Ecclesia ad audiendum verbum Dei. Tertius ὑπόπτωσις quòd isti, post egressum præcedentium, manerent aliquandiu in Ecclesia, donec Episcopus cum clero manus illis imponeret, postratis ad ipsius pedes cum singultu, & gemitu, cilicioque indutis, cinere conspersis, & ieiuniis, abstinentiâ ciborum, & vini, aliisque modis sese affligentibus. Quartus denique, σύστασις, id est aggregatio, eò quòd fidelium communioni aggregarentur quoad preces, & assistentiam diuini Sacrificii; quamuis nondum ad oblationem panis & vini, neque ad Eucharistiæ receptionem admitterentur. Inter hos quatuor pœnitentię gradus tertius erat præcipuus, quique simpliciter pœnitentiæ nomine appellabatur interdum solus, & interdum cum duobus præcedentibus, vt patet ex Basilio in Epist. ad Amphiloch. seu, Can. 22. Græcorum, Sozomeno lib. 7. Histor. cap. 16. Concilio Cartag. IV. Can. 80. Agathensi Can. 37. & Tertull. lib. de Pudicitia. cap. 13. quorum verba relata vide apud eruditissimum Dionysium Petauium, lib. 2. de Pœnitent. publ. cap. 13. illisque adde Dionysium, & Simeonem Presbyt. citandos infra num. 28. qui nomine pœnitentium non intelligunt eos qui erant in quarto gradu Systasis, quibusue permittebatur assistere Missæ Sacrificio. Patet etiam ex eo quòd pœnitentia publica Clericis nunquam imponebatur, imò qui eam egerant, ad Cleri ordinem promoueri non poterant, vt antiquorum testimoniis ostendemus paulò post: & tamen Clericis interdum propter aliqua peccata imponebatur pœna excommunicationis, & suspensionis à communione. Ergo suspensio sola communionis non censebatur esse pœnitentia publica in antiqua Ecclesia.

Gradus publicę & solemnis pœnitentiæ.

Denique falsum pariter est, & iniuriosum operibus charitatis, præcipueque Martyrio, ipsique communioni, dicere pudorem, qui nascitur ex eius dilatione, magis Deum honorare, & esse magis Deo gratum, magisque satisfactorium, quàm vllum aliud opus bonum sine tali pudore, & confusione. Quasi verò non magis Deum honoret, ipsique magis placeat, qui ex feruenti amore charitatis mortem pro Christo subit; vel qui ad communionem accedit cum debita humilitate, reuerentia, dilectione, & aliis affectibus conuenientibus. Ac non multò meliùs, & sapientiùs D. Thom. in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 2. sic asserat: *In hoc Sacramento duo requiruntur: desiderium coniunctionis ad Christum, & reuerentia Sacramenti: quorum primum inclinat ad sumendum: secundum ad abstinendum.* Sed quia, vt addit alibi, & per se notum est, amor timori præponderat (atque etiam pudori) cæteris paribus laudabilius est sumere, quàm abstinere. 21.

Tertia propositio, quæ asserit publicam pœnitẽtiam imponi debere pro quibuslibet peccatis mortalibus etiam occultis, & purè 22.

Tertia propositio impugnatur.

internis; illumque fuisse morem & institutum antiquæ Ecclesiæ, repugnat Tridentino sess. 14. cap. 5. prope finem, affirmanti non esse diuino præcepto mandatum, neque posse satis consultè humana aliqua lege præcipi, vt delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda: nimirū ne pœnitens se ipsum prodere, & publicè infamare cogatur, aperiendo peccata, quæ secretò cōmisit. Aperiret autem aliquatenus, si cogeretur publicam de illis pœnitentiam agere. Cuius rei exempla recentissima proferunt viri graues & fide digni. Ex quo sequitur præterea impositionem illam publicæ pœnitentiæ pro peccatis occultis, repugnare sigillo confessionis, illamque reddere pœnitentibus intolerabilem. Neque ille fuit mos antiquæ Ecclesiæ, quæ pro solis peccatis publicis, iisque grauioribus, & scandalosis publicam pœnitentiam iniungebat, vt patet ex D. August. lib. 50. homiliarum. homil. vlt. cap. 4. Leone 1. epist. 92. ad Rusticum Narbon. Episc. cap. 17. Eligio Nouiodunensi Episcopo homil. 16. §. *Duos præterea*, Paciano in Parænesi ad pœnitentiam, quæ habetur tom. 3. Biblioth. Patrum, columna 451. veteris editionis: nec nisi laicis dumtaxat, qui hoc ipso quòd publicam egissent pœnitentiam, erant irregulares, & non poterant ad clerum ordinesque Ecclesiasticos promoueri, vt patet ex Concilio Toletano 1. can. 2. August. epist. 50. versus finem, Leone 1. epist. citata cap. 2. & Conc. Carthag. IV. can. 68. Denique Facultas Parisiensis in censura supra citata contra vnum è Dogmatistis recentioribus, damnauit vt temerarium, erroneum, & hæreticum, adstruere necessitatem tam confessionis, quàm satisfactionis & pœnitentiæ publicæ, ita vt pœnitens à quocunque peccato mortali, etiam occulto, absolui aliter non possit.

23. Altera eius pars erroris arguitur.

Quòd verò additur in eadem propositione, absolutionem sacerdotalem non esse impertiendam peccatori, nisi priùs publicam pœnitentiam egerit de peccatis mortalibus à se commissis, illis quoad fieri potest proportionatam, est error manifestus, damnatus à Concilio Complutensi, confirmato à Sixto IV. In quo damnatur hæc propositio Petri Oxomensis, *Quòd non sunt absoluendi pœnitentes nisi p ractâ prius pœnitentiâ eis iniunctâ.* Et Facultas Sorbonica in censura supra cit. affirmat dicere executionem pœnitentiæ, seu satisfactionis impositæ, necessariò ex institutione Christi, ac inuariabili Sacramenti natura, ita prærequiri absolutioni, vt alioqui absolutio non sit valida, nisi huiusmodi satisfactio prius completa fuerit, temerarium esse, hæreticum, & à Sixto IV. contra Petrum de Olma, illiusque sequaces prædamnatum in Bulla data anno Domini 1478. Indeque sequeretur teneri sæpius pœnitentes de iisdem peccatis iterum confiteri aliis sacerdotibus, quibus defectu prioris se sistāt post impletam publicam pœnitentiam. Sequeretur etiam plurimos nunquam totâ vitâ ad communionem admissum iri. Quippe qui spatio illorum sex, aut plurium mensium quibus communio in pœnam differretur, & absolutio sacerdotis à peccatis (cuius defectu manerent plurimi in statu peccati mortalis, non habentes actum perfectæ contritionis) laberentur in aliud peccatum mortale, propter quod iterum differenda esset; & rursus in aliud, & sic deinceps vsque ad finem vitæ. Quare hæc Doctrina, & simulata Reformatio eò tendit, vt communionem reddat maximæ parti Christianorum insitatam, & moraliter impossibilem.

Neque minùs erroneum est fundamentum eiusdem assertionis: Quòd scilicet absolutio sacerdotis nihil sit aliud, quàm declaratio remissionis peccatorum à Deo factæ &c. Qui error damnatur expressè à Pio V. & Gregor. XIII. in Bullis contra Michaëlem Baium, & nuper ab Vrbano VIII. in Bulla quâ eædem confirmatæ fuerunt occasione Doctrinæ Iansenii Iprensis Episcopi: in quibus omnibus damnatur hæc propositio num. 43. *In peccato duo sunt: actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, siue obligatio ad pœnam. Vnde in Sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione propriè reatus peccati dumtaxat tollitur: & ministerium sacerdotum solùm liberat à reatu.* Et ista num. 44. *Pœnitēs non viuificatur ministerio sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, viuificat eum & resuscitat: Ministerio autem sacerdotis solùm reatus* (pœnæ scilicet) *tollitur.* Damnatur etiam à Trident. sess. 14. can. 9. vbi anathematizat eum qui dixerit *absolutionem Sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti.* Neque huic errori fauet testimonium Gregorii Magni ex homil. 26. super Euangelia, vbi adducto exemplo Lazari à Christo suscitati, sic ait: *Ex qua consideratione intuendum est, quòd illos nos debemus per pastoralem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare.* Nam vt rectè exponit Vasquez tom. 4. in 3. p. quæst. 84. art. 3. dub. 2. num. 18. loquitur Gregorius de viuificatione non iam planè obtenta per infusionem gratiæ sanctificantis, & remissionem peccatorum; sed inchoata per auxilium gratiæ præuenientis, quâ Deus peccatorem excitat & suscitat, facitque vt incipiat habere aliqualem actū vitæ dolendo de peccatis, eaque confitendo, seque disponendo ad iustificationem. Neque ait Gregorius, *viuificasse*, vt malè supponunt aduersarii: sed dumtaxat *viuificare*, inchoatiuè scilicet, per suscitantem gratiam, siue excitantem ad conuersionē & iustificationē. Error etiam est damnatus eadem sess. can. 7. quem aliqui modernorum, quos impugnamus, hauserunt à Luthero, æquè ac præcedentem, confessionem peccatorum, habuisse tantùm, aut præcipuè pro fine satisfactionem canonicam imponendam: similiterque absolutionem

24. Absolutio Sacerdotis verè remittit peccata.

non fuisse aliud, quàm canonicam reconciliationem in antiqua Ecclesia: de quo errore plura dicemus paulò post. Interea canon ille 7. Tridentini sic habet: *Si quis dixerit confessionem peccatorum olim obseruatam fuisse tantum ad canonicam pœnitentiam imponendam, anathema sit.*

25. Attritio sufficit sacramento Pœnitentiæ.

Falsum pariter est, & Tridentino minùs consentaneum, quod additur in eadem propositione aduersariorum, Attritionem non sufficere cum sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum. Contrarium enim satis apertè docet sess. 14. cap. 4. Vbi affirmat attritionem, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, quamuis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, sicut contritio: eum tamen ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere. Loquiturque Tridentinum de dispositione proxima. Nam in eo comparat contritionem perfectam cum attritione: quod sicut illa per se proximè & immediatè disponit ad iustificationem sine sacramento, cum solo eius voto obtinendam: sic ista proximè & immediatè disponit ad eandem in sacramento impetrandam, quamuis sine sacramento per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, sicut contritio. Propter quod, & alia quæ addemus suo loco in sequenti tractatu, iure merito, vt affirmat Ysambert. Doctor Sorbonicus disp. 14. de Pœnit. art. 6. in fine, Facultas Parisiensis 1. Iulii anni 1638. doctrinam de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate, damnauit, & censuit esse quietis animarum perturbatiuam, communi & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrariam, efficaciæ sacramenti Pœnitentiæ imminutiuam, & insuper temerariam ac erroneam.

Idem Concilium, eodemque capite ipso initio, damnat alterum huius tertiæ propositionis errorem, affirmans motum internum contritionis, qui est dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, fuisse quouis tempore necessarium ad impetrandam veniam peccatorum: adeoque non sufficere opera externa pœnitentiæ, quæ aliquando suppleant interni doloris defectum, vt dicunt aduersarii. Quod denique additur in fine eiusdem propositionis, non statim posita contritione recuperari gratiam, erroneum est, & damnatum à Pio V. Gregor. XIII. & Vrbano VIII. in Bullis supra citatis, in quibus damnatur hæc propsitio: *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.* Repugnat etiam hic error Tridentino sess. 14. cap. 4. circa medium, affirmanti hanc differentiam esse inter contritionem imperfectã, quæ attritio dicitur, concipiturque communiter ex motiuo timoris gehennæ, aut turpitudinis peccati; & inter contritionem charitate perfectam, quæ concipitur ex motiuo amoris Dei: quòd hæc cum sacramenti voto sufficiat ad iustificationem, eamque conferat ante ipsius Sacramenti receptionem. Secus verò attritio, quæ solùm ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Et in Censura Sorbonica supra relata dicitur esse temerarium, & erroneum, negare vllum ex attrito euadere posse contritum, nisi per iniunctas satisfactiones & pœnitentiæ actiones. Sed de hoc errore plura dicemus suo loco in tractatu de Pœnitentia. Interea constat ex dictis hanc tertiam propositionem aduersariorum quatuor aut quinque non leues errores inuoluere.

Superest quarta, & vltima, quæ quatenus improbat confessionem sacramentalem venialium, erronea est, damnata à Tridentino Sess. 14. cap. 5. paulo post initium, affirmante peccata venialia, quamuis citra culpam taceri, multisque aliis remediis expiari possint: tamen rectè & vtiliter, citraque omnem præsumptionem, in confessione dici: quod piorum, inquit, hominum vsus demonstrat. Et can. 7. eiusdem sessionis anathematizat eum qui dixerit non licere confiteri peccata venialia. Et quidem talis est vniuersæ Ecclesiæ consuetudo, quæ sine temeritate, & errore improbari nequit, vt patet ex dictis numero 16. & 17. Eandemque olim fuisse liquet ex regula Sancti Benedicti, volentis vt omnes sui ordinis Religiosi freq[u]enter confiterentur. Absit enim, vt Religiosos adeo pios, & sanctos, & quorum multa millia in Sanctorum catalogum relata fuerunt: crebro mortaliter peccasse suspicemur. Quærere autem, vt per confessionem dignoscantur ab Ecclesia quinam mortaliter peccauerint, vt pro ipsis orent fideles; est omnino contra sigillum Sacramenti, quo strictè prohibetur, ne prodatur vllo modo peccatum mortale pœnitentis, etiam in genere, vt ostendemus suo loco. Estque obseruandum Concilium Lateran. sub Innocentio III. can. *Omnis vtriusque sexus*, statuere, vt sigilli violatores in monasterium arctioris, & seuerioris disciplinæ detrudantur, ibique reliquum vitæ tempus in austera pœnitentia exigere cogantur. Et in Romano Rituali præcipitur Confessariis, vt pro peccatis occultis pœnitentiam publicam non imponant. Ne videlicet eius occasione pœnitentem aliquo modo prodant.

26. Rejicitur quarta propositio.

Quatenus verò eadem propositio tantam vitæ puritatem requirit veluti necessariam ad licitè & non indignè communicandum, vt velit hominem esse planè liberum ab omnibus malis habitibus, & phantasmatis vitiorum, & amore Dei purissimo purgatum, ipsique soli perfectè vnitum, & denique omnino irreprehensibilem, & immaculatum: alioqui non modo à communione prohibendum esse, verùm etiam ab Ecclesia ejiciendum: supra modum absurda est, & homine 27.

27. Quæ puritas vitæ requiratur ad communionem?

boni sensus indigna. Nam inde sequeretur vix vllum esse in præsens, qui possit sine sacrilegio Eucharistiam sumere, quique ab Ecclesia eiiciendus non sit. Quis enim hodie Christianorum tantam vitæ sanctitatem, & amoris Dei puritatem attingit, plenamque liberationem ab omnibus malis habitibus & phantasmatibus? Cùm ne ipsi quidem Apostoli tales fuerint: inter quos Paulus Roman. 7. & 2. Corinth. 12. de rebellione & lege membrorum, deque stimulo carnis vehementer conqueritur; cuius certè lucta, tam importuna, non erat sine phantasmatis, & imaginibus contrariis puritati. Et ipse cap. 2. ad Galatas, de Petro affirmat fuisse reprehensibilem, ideoque se illi in faciem restitisse. Testantur etiam Lucas cap. 22. & Ioannes cap. 20. Apostolos non adeo fuisse perfectos, & amore Dei purissimo purgatos, illo ipso die, quo Eucharistiam manu Christi sumpserunt, vt non statim inter se de primatu contenderint: neque adeo feruentes, vt vel vnâ horâ cum Christo vigilare potuerint: neque adeo constantes in fide, & dilectione Christi, tamque perfectè soli Deo vnitos, vt non statim eo relicto fugerint, & vnus eorum ter ipsum negauerit, alius de ipsius resurrectione dubitauerit, & in peccatum incredulitatis inciderit. Et ex cap. 6. Actor. constat inter fideles, qui, vt ibi affirmatur cap. 2. quotidie communicabant, fuisse aliquos adeo imperfectos, vt murmurarent contra Apostolos: & reliquo tempore quo durauit cōsuetudo communicandi quotidie, liquet ex Patribus, & Scriptoribus illius temporis, Christianos non fuisse tam puro Dei amore purgatos, eique soli coniunctos & omnino immaculatos. Nam in illis reprehendunt eadem fere vitia, veluti frequentia & communia, quæ nunc etiam communiter Christianos inficiunt. Quàm igitur absurdum est exigere nunc à communicantibus tantam perfectionem, quantam nec Christus ab Apostolis, neque Apostoli à discipulis & fidelibus sui temporis, nec SS. Patres, & præsules Ecclesiæ, ab aliis deinceps exegerunt? Quæ si esset necessaria ad dignè communicandum, & ad vitandam condemnationem Apostoli 1. Corinth. 11. quis Sacerdotum non sacrilegè celebraret? quis Laicorum, vel semel in vita licitè communicaret? Quis enim habet cor planè immaculatum, & irreprehensibile, soli Deo perfectè vnitum, & vel ab ipsis vitiorum phantasmatis penitùs liberum? Præsertim cùm, vt sapienter ait D. Augustinus lib. 19. de Ciuit. c. 27. *Iustitia nostra, quamuis vera sit, propter verum boni finem, ad quem refertur, non tanta est in hac vita, vt potius remissione peccatorum constet, quàm perfectione virtutum.* Et 1. Ioan. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

SECTIO III.

Respondetur argumentis Aduersariorum.

Neque verò Aduersariorum doctrinæ patrocinatur locus Dionysii relatus supra num. 14. Nam, vt omittam multa peccari ab illis in eius versione: vt cùm νομικῶς ἱερῶς, *vertunt vt Scripturæ verbis vtar*, pro, *vt legaliter, & conformiter legi loquar*: quibus verbis Dionysius alludit ad obseruantiam quandam legis antiquæ, iuxta quorundam interpretationem: vel potiùs ad legem Ecclesiasticam tunc vigentem, de publica pœnitentia ante communionem implenda, modo ab Ecclesia præscripto: Et cùm ἑνοειδεῖς vertunt, *eos qui nondum Deo soli perfectè vniti sunt*: pro eo quod dicendum erat, *vniformes*, siue, *vnius modi*. Et cùm ἄμωμοι καὶ ἀλώβητοι παντελῶς vertunt, *qui non sunt omnino perfecti, & planè irreprehensibiles*, pro eo quod dicendum erat, *qui omnino irreprehensibiles, & sine macula non sunt*. Vt, inquam, hæc omittam græcæ linguæ peritis, Respondeo Dionysium verbis illis paulò disertiùs explicare id, quod breuiùs dixerat eodem cap. quatuor ante circiter paginis: *Porro Catechumenos, & energumenos, & eos qui in pœnitentia sunt, sacrosancta sacerdotalis institutio psalmodiam quidem piam, & diuinam sanctarum Scripturarum lectionem audire permittit: ad ea verò quæ deinceps in hostiæ salutaris oblatione geruntur, contuenda, non hos planè, sed perfectos, & tantæ rei dignorum admittit obtutus.* Quibus omnibus addit peccatores impœnitentes, id est, nondum in statu pœnitentium constitutos, quos vocat vitæ sanctæ apostatas, siue desertores: & pœnitentes tertio loco à se antea enumeratos, duos in gradus distinguit: eorum scilicet, quos ἀκροώμενοι & ὑποπίπτοντες appellabat, vt paulò ante diximus. Ita vt sensus Dionysii sit, excludi tertio, & quarto loco pœnitentes in secundo gradu ἀκροάσεως, & in tertio ὑποπτώσεως, constitutos, qui nondum ad quartum συστάσεως gradum ascenderant, quique nondum conati erant in illis gradibus perfectè se purgare à vitiis, eorumque phantasmatis, essentque saltem legaliter & præsumptiuè tales, quales ipse describit: Vel vt ait Simeon presbyter dictus nouus Theologus, Ξυλινῶν ὁ νέος, vt distingueretur à Gregorio Nazianzeno dicto absolutè Theologo, licet alioquin antiquus & grauis auctor sit, tomo 12. Biblioth. Patrum, orat. 5. *De iis qui diuinis mysteriis* &c. vbi sic habet: *Quinque ponuntur ordines eiectitiorum ab Ecclesia: Catechumeni, & nondum baptizati, Fornicarii, Adulteri*, &c. *impœnitentes in his sceleribus: à Dæmonibus obsessi: qui ad pœnitentiam, & confessionem accesserunt, & vt ad tempus definitum extra manerent, puniti sunt; & postremò, qui præscriptum pœnitentiæ spatium nondum compleuerunt*, id est, nondum ad σύστασιν peruenerunt.

28. Explicatur locus Dionysii.

29. Satisfit ſecundæ obiectioni ex aliis Patribus. • Obiiciunt præterea quædam alia teſtimonia Patrum, quæ ſummam animæ puritatem, vitæque integritatem à communicantibus requirere videntur. Cuiuſmodi ſunt ea quæ proferunt aduerſarii ex Iuſtino Martyre Apol. 2. ad Antoninum, Baſilio lib. 1. de Bapt. cap. vlt. Chryſoſtomo homil. 24. in 1. ad Corinth. & homil. 83. in Matth. Ambroſio in Lucam & Theodoreto in Cantica.

Ad quæ Reſpondeo hęc non ita dici à Sanctis Patribus, quaſi tantã perfectionem neceſſariam eſſe velint ad communicandum non indignè, & ſine peccato ſacrilegii: Sed ad docendum, quid expediat ad magis decenter & congruè, magiſque dignè, & vtiliter communicandum, quidue ſit conuenientius ſanctitati & maieſtati adorabilis huius myſterii. Pro quo nota duplicem eſſe præparationem ad communionem. Duplex præparatio ad communionem. Vnam ex præcepto neceſſariam: alteram decentem, & congruam dumtaxat, ſiue vt vulgò loquimur, de congruo, non de præcepto: quam diſtinctionem tradit S. Thomas 3. p. q. 80. art. 7. Ad iſtam pertinent quęcunque Sancti Patres de ſumma illa puritate animi, vitæque integritate dicunt. Ad illam verò ſufficit habere cor mundum à peccato mortali, per confeſſionem Sacramentalem expiato; & religioſè, id eſt, cum reuerentia, & deuotione accedere ad communionem: vt docent Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. & D. Thom. loco ſupra cit. in corp. & ad 1. D. Bonauent. in 4. diſt. 9. in expoſitione dubii tertii, & alii veteres, recenteſque Theologi, inter quos ſunt illi ipſi, qui Concilio Tridentino interfuerunt, eiuſque ſenſum meliùs noſſe potuerunt, vt Dominic. Sot. in 4. diſt. 12. q. 1. art. 4. Quòd ſi ea, quę dicuntur à Sanctis Patribus locis citatis, de prępáratione neceſſaria ex præcepto intelligenda eſſent, ſequeretur vix vllum vnquam in Eccleſia non modò à quinque poſtremis ſęculis, quibus publica pœnitentia omiſſa fuit, verùm etiam antea, dignè & ſine ſacrilegio communicaſſe: quod quàm ſit abſurdum, & ab omni ſpecie veritatis alienum, nemo non videt.

30. Tertia oppoſitio. Obiiciunt tertiò alia Patrum teſtimonia, quæ ad dignè communicandum requirunt vt mens ſine vllo affectu peccati ſit, etiam venialis, & alioqui non prodeſſe communionẽ, ſed animam inficere. Cuiuſmodi eſt, quòd Gennad lib. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 53. poſtquam ad ſæpius communicandum hortatus eſt, addit: *Si tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Si enim adhuc habet voluntatem peccandi, grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari. Et ideò quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lachrymis.* Ac ne videatur loqui ſolùm de mortalibus, ſubiungit inferiùs: *Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant.* Huiuſmodi eſt etiam illud Nicolai I. in reſponſione ad Conſult. Bulgar. vbi ſimiliter eos hortatur ad cõmunionem, *ſi tamen mens in affectu peccadi non ſit: vel niſi hanc de criminalibus culpis conſcientia impœnitens, vel non reconciliata fortaſſis accuſet: vel ſi fratri diſcordanti ſuo vitio reconciliatus minùs exiſtat. Nam ſi quem de horum aliquo conſcientia mordet, grauari potiùs tanto munere, quàm remedium conſequi quemlibet arbitramur.*

Reſpondeo, Gennadium loqui de affectu ad peccatum mortale; quod nomine peccati ſimpliciter dicti ſolet intelligi, vt cùm dicit Apoſt. Rom. 6. *Stipendium peccati mors*: Et Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit ipſa morietur*: & Iacobi 1. *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum autem cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Exponitur locus Gennadii. Cúmque ibi requirit præuiam pœnitentiam de peccatis cõmiſſis, additque: *Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant*; per mortalia, & capitalia, intelligit peccata quędam publica grauiora, & ſcandaloſa, propter quæ priuabantur olim fideles communione ad aliquod tempus, donec publicam pœnitentiam egiſſent. Non autem intelligit, quæcunque peccata mortalia, etiam ſecreta: vt patet ex eo, quod ſtatim ſubiungit: *Nam quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere, & ita ſacerdotis iudicio reconciliatum, cõmunioni ſociari.* Quod de ſolis publicis intelligendum eſt: nam de ſecretis nunquam fuit neceſſaria publica pœnitentia, vt nos alibi probabimus diſp. 55. ſect. 2. & declarauit Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. poſt medium: *Nec ſatis conſultè*, inquit, *humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda.* Sed neque etiam prudenter conſuleretur indifferenter huiuſmodi cõfeſſio, & ſatisfactio publica pro peccatis ſecretis: quæ quantum ſcandali pepererit Conſtantinopoli tempore Nectarii Epiſcopi, notum eſt ex Socrate lib. 5. hiſtor. cap. 19. Sozom. lib 7. cap. 16. & Niceph. lib. 12. cap. 28. Cuius etiam ſcandali occaſione confeſſio publica ſublata fuit. Similique modo intelligendum eſt quod ait Nicolaus I. *Si tamen in affectu peccandi non ſit*, grauiter ſcilicet, quod *peccandi*, & *peccati* nomine abſolutè dicto intelligi ſolet, vt ſupra diximus: *vel niſi hanc de criminalibus culpis*, id eſt, de grauioribus, & ſcandaloſis, pœnitentiæque publicę per leges Eccleſiaſticas ſubiectis, *conſcientia impœnitens, vel non reconciliata*, canonica reconciliatione, quæ poſt exactam publicam pœnitentiam fiebat, & tunc temporis in vſu & præcepto erat, *fortaſſis accuſet*.

31. Non eſt abſtinendum à communione propter venialia habitualia. Quòd verò alioqui propter venialia, etiam habitualia, abſtinendum non ſit à communione, neque ad communicandum expectandum ſit donec perfectè ſimus liberi ab omni affectu cuiuſcunque peccati, & puriſſimo Dei amore purgati, ipſiſque ſoli perfecte vniti, & vitiorum omnium phantaſmatibus liberi, & planè irreprehenſibiles & immaculati; ſed potiùs per communionem procurandum, vt ad tantam perfectionem,

quoad fieri potest, accedamus, communiter docent Sancti Patres, & Doctores Theologi antiqui, & moderni. Vt Augustinus, Epist. 118. sub Hilarii nomine relatus à Gratiano dist. 2. de Consecr. can. 15. *Si non sunt*, inquit, *tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare*; peracta scilicet confessione de mortalibus, si quæ habet, quamuis secretis, aut non scandalosis, & subiectis excommunicationi, & separationi à communione. Et Cyril. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 17. vbi propter peccata leuia & quotidiana accedere verentibus, sic loquitur. *Quando igitur dignus eris? quando Christo teipsum offeres? Nam si peccando indignus es, & peccare non desinis (quis enim delicta intelligit secundum Psalmistam) expers omnino eris viuificæ huius sanctificationis.* Ibidemque de Eucharistia sic affirmat: *Non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit, sed at in nobis sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* Similia habet S. Chrysost. in Psal. 22. ad illa verba, *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me*: & homil. 51. in Matth. Et Bernardus in Serm. de Cœna Domini. *Si quis vestrum*, inquit, *non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi: gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo: & gaudeat quòd pessimum vlcus accedat ad sanitatem.* Et denique vt alios prætercam D. Thom. qu. 80. art. 7. explicans vtrum nocturna pollutio impedire debeat ne ad communionem Eucharisticam accedatur: *Si quidem*, inquit, *sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem huius sacramenti: ita scilicet, quòd homo sumendo sit reus corporis & sanguinis Domini. Si verò sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate*: Similique modo loquuntur & sentiunt D. Bonau. in 4. dist. 9. in expositione dubii tertii & dubii quinti. Durand. Gabr. Maior. Esthius, Dom. S. Aretin. & alii Scholastici in 4. dist. 9. aut 12. Gerson in Tractatu de diuersis tentationibus, prope finem, vbi loquens de Christiano tentationibus impugnato, sic ait: *Si tunc in peccato mortali secundum proprium iudicium*, postquam scilicet conscientiam suam discussit, *is se esse non videat, tutò & sine nouo peccati periculo ad communionem accedere potest*: Barthol. Medina, Didac. Aluarez, Gamach. Yzambert. Suar. Vasq. Aegid. Con. Card. de Lugo, Mærat. & alii D. Thomæ interpretes ad 3. p. q. 79. vel 80. quibus omnibus posthabitis fidem potius habere nouis quibusdam Dogmatistis, magnæ foret imprudentiæ.

32. *Quarta obiectio ex Cypriano.* Obiiciunt 4. quædam loca Cypriani ex sermone de Lapsis, quibus acriter inuehitur tum in eos qui ante pœnitētiam integrè peractam, ad communionem admitti volebant; tum etiam in eos, qui illos admittebant. *Emersit*, inquit, *fratres dilectissimi nouum genus cladis: & quasi parum persecutionis procella sæuierit, accessit ad cumulum, sub misericordiæ titulo, malum fallens, & blanda pernicies. Contra Euangelii vigorem, contra Domini, ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio. Irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura! Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam &c.* Ibidemque addit paulò post, eos à quibus admittebantur, hoc idem esse eiusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sydus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigiis sæua tempestas: solatium spei æternæ adimunt, arborem à radice subuertunt, sermone morbido, ad lethale contagium serpunt, nauem scopulis, ne in portum perueniat, illidunt. Et epist. 10. de iisdem sic loquitur: *Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros: vt qui possunt, agentes pœnitentiam veram, Deo patri misericordi, precibus & operibus suis satisfacere, seducantur, vt magis pereant, & qui erigere se possent, plus cadant.*

33. *Necessitas publicæ pœnitentiæ erat tantùm ex ordinatione ecclesiæ.* Respondeo, hæc, & alia his similia dici à Cypriano contra eos, qui non seruabant leges de pœnitentia publica, deque illius ordine, modo, & tempore tunc in Ecclesia rigidè, & seuerè obligantes, veluti necessarias ad Christianos in fidei constantia contra sæuientes persecutiones, & in officio cōtinendos. Quos ait facere contra Euangelii vigorem, & contra Domini, ac Dei legem: non quòd existimaret leges illas haberi in Euangelio, esseque purè diuinas, & non ecclesiasticas: Sed quia Euangelium & lex diuina iubet, vt iustis Ecclesiæ præceptis obtemperemus, vultque haberi pro Ethnicis, & Publicanis, qui eius præscripta contempserint. Et verò, si fuisset lex illa euangelica, & diuina, non potuisset ab Ecclesia relaxari, sicut postea relaxata fuit, etiam tempore priorum quinque sæculorum Ecclesiæ, & speciatim tempore Basilii, Ambrosii, & Augustini, ad quod recurrunt aduersarii, vt suam publicam pœnitentiam iuxta illius normam statuant. Id enim patet ex Innocentio I. epist. 3. ad Exuperium cap. 2. vbi consultus ab eo quid faciendum esset illis, qui post Baptismum vitam omnem in incontinentia, luxuriaque peregerant, posteaque in fine pœnitentiam, & communionem postulabant. Sic respondet: *De iis obseruatio prior, durior; posterior interueniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit vt concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non reuocaret à lapsu: negata meritò communio est: concessâ pœnitentiâ, ne totum penitus negaretur. Et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, iam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit.* Constat etiam tempore ipso Diui Cypriani rigorem pœnitentiæ minorem fuisse, quàm ante tempora Tertulliani. Nam cùm antea homicidæ, adulteri, & apostatæ à fide,

rejicerentur à communione in perpetuum: conqueritur Tertullianus, iam in hæresim Montani lapsus, de Romano Pontifice (qui Zephirinus fuisse creditur) eò quòd mitiùs cum adulteris agi statuisset. *Quid agis* (inquit lib. de Pudicit. cap. 5.) *mollissima, & humanissima disciplina? Aut omnibus ets hoc esse debebis: Beati enim pacifici. Aut si non omnibus, nostra esse. Idololatrem quidem, & homicidam semel damnas, mœchum verò de medio excipis?* Sicut autem Ecclesia prudenter variis temporibus aliquid de rigore publicæ illius pœnitentiæ remisit, ita demum omnem illius obligationem sustulit, permisitque fideles suo, & pastorum, aut confessariorum arbitrio, quoad modum satisfactionis, & pœnitentiæ ante vel post communionem agendæ. Quo supposito, non magis nunc tenentur fideles ad leges illius seruandas, quàm ad abstinendum à suffocato & sanguine, vel à quibuslibet cibis non aridis tempore Quadragesimæ, semelque tantùm sub noctem edendum, & ad alia multa legibus ecclesiasticis olim sancita, & diu seruata, iamque per contrariam consuetudinem abrogata, consentiente Ecclesia.

341 Illustris locus Chrys. Cæterùm, quòd post abrogatam illam Ecclesiæ constitutionem, non esset necessarium diu expectare, illis etiam qui multis & grauibus peccatis onusti erant, docet illustris locus D. Chrysost. homilia de Sancto Philogonio, qui paulò post sublatum à Nectario prædecessore suo publicum Pœnitentiarium, loquitur in hunc modum: *Iam nunc obtestor obsecroque, vt omnibus modis repurgatis animis vestris, ita demum sacra adeatis mysteria. Neque mihi quisquam dixerit, Vereor: habeo conscientiam peccatis oppletam: sarcinam circumfero grauissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus* (ante festum Natiuitatis Christi Domini tunc imminens,) *si sobrius fueris, si attentus, si vigilaueris, vt multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende quòd breue tempus est. Sed illud considera, quòd benignus est Dominus. Quandoquidem & Niniuitæ tantam iram Dei à se depulerunt. Nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo, amplectens Domini benignitatem, eo ü peragere valuit. Et meretrix illa breui temporis momento, cùm ad Christum accessisset, omnia probra diluit, &c. Etenim per quæ deceperat homines, eadem parauit remedia pœnitentiæ. Hæc non egent multis diebus, annisue; sed solo animi proposito, & vnico die perficiuntur. Discede à malo, virtutem amplectere, desiste à prauitate: pollicere te posthac ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor, ac fideiubeo fore, vt si nostrum quisque, qui peccatis obnoxii sumus, recedens à pristinis malis, ex animo veréque promittat Deo, se postea numquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad excusationem maiorem. Benignus enim est: & quemadmodum parturiens cupit enixi fœtum; ita & ille cupit effundere suam misericordiam. Sed illi obstant peccata nostra. Diruamus igitur maceriam atque ex hoc iam tempore festum auspicemur, hos quinque dies negotiis omnibus valere iussis. Valeat forum, valeat curia, facessant mundanæ curæ cum pactis & contractibus. Animam meam seruare cupio. Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur:* Hucusque Chrysostom. quibus nihil eloquentiùs aptiusque ad propositum nostrum afferri potest. Supersedeo referendis pluribus aliis similibus Sãctorum Patrum testimoniis, vt ad vltimam aduersariorum obiectionem diluendam accedam, ex Concilio Trident. desumptam. Qui plura volet, consulat Cyprian. in lib. contra Demetrianum, prope finem; & eius contemporaneum in serm. de Cœna Domini, Hieronym. epist. 58. ad Damasum; August. serm. 66. de Temp. & apud eumdem tom. 10. Auctorem serm. 59. in appendice de diuersis, Cælestinum I. in epist. ad Episcopos Galliæ, cap. 2. Leonem I. epist. 91. ad Theodorum Foroiuliensem Episc. cap. 4. & 5. & Isidor. Hispalensem Episc. lib. 2. de Summo bono cap. 14.

Denique, vt alia leniora prætercam, obiiciunt tantùm abesse vt Concilium Tridentinum (de cuius auctoritate, & infallibilitate, sine hæresi dubitari nequit, cùm à pluribus summis Pontificibus approbatum, & à tota Ecclesia catholica pro Oecumenico habitum huc vsque fuerit) tantùm, inquam, abesse vt Tridentinum in pœnitentiæ publicæ desuetudinem consenserit, aut eam suo decreto confirmauerit: vt potiùs eam in integrum, si potuisset, restituere maximè voluerit. Cuius voluntatis septem indicia proferunt. 352 Quinta oppositio ex Trident. Primum, quia, inquiunt, restituit omnes traditiones Apostolicas, testaturque pluribus locis se vehementer optare disciplinam ecclesiasticam reducere ad eum statum, in quo erat, antequam per negligentiam hominum, ignorantiam canonum, & morum corruptionem relaxaretur. Secundum, quia renouat omnes antiquos canones circa mores & officia Clericorum sub iisdem pœnis, imò etiam grauioribus. Tertium, quia definit contra Lutherum, pœnitentiam non consistere in sola vitæ mutatione à vitio ad virtutem: sed de peccatis commissis dolendum esse, Deoque per lachrymas, orationes, ieiunia, eleemosynas, & alia pia opera satisfaciendum. Quartum, quia sess. 14. cap. 8. iniungit Sacerdotibus vt imponant satisfactiones, seu pœnas peccatis proportionatas, quoad fieri potest. Nulla autem grauior illis imponi potest, quàm priuatio ad tempus communionis Eucharisticæ. Quintum, quia statuit ibidem debere sacerdotes potestatem suam exercere ligando, æquè ac soluendo, vt docent etiam SS. Patres. Constat autem potestatem ligandi præcipuè exerceri in imponendis pœnitentiis, & in dilatione Eucharistiæ iniungenda. Iuxtaque sensum eorundem Patrum, præcipua pars potestatis ligandi, est facultas obligandi ad agendam pœnitentiam, & separandi ab Eucharistia. Sextum, quia idem Concilium sess. 14. cap. 5. reddens rationem cur

Digitized by Google

peccata mortalia, non ſolùm in genere, ſed in ſpecie & numero debeant exponi in confeſſione, non aliam affert, niſi quia conſtat Sacerdotes iudicium hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, & in pœnis iniungendis æquitatem ſeruare, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie ac ſigillatim peccata ipſis à pœnitente declararentur. Ex quo patet, inquiunt, Concilium hoc loco, ſicut alibi vbique, ſenſui antiquæ Eccleſiæ adhæſiſſe, quæ ſemper confeſſionem peccatorum ſpectauit, veluti viam ad iniunctionem pœnitentiæ; quæ iniunctio erat finis proximus confeſſario propoſitus, vt videlicet pœnitentiam iniungeret peccatis in confeſſione auditis proportionatam, ſeruando æquitatem, & proportionem debitam inter offenſam, & ſatiſfactionem, quam Tridentinum alibi tantopere commendat. Septimum denique, quia ſeſſ. 24. cap. 8. de Reformatione, expreſſe ſtatuit vt peccatores publici pœnitentiam publicam agant. Hæc illi.

36. *Retorquetur in aduerſarios.* Ad quæ omnia Reſpondeo primò generatim, malè ex his deduci Concilium Tridentinum deſideraſſe, ſi potuiſſet, reſtituere publicam pœnitentiam. Nam ſi ita eſſet; reſtituiſſet ſaltem illam exiguam partem conſiſtentem fere in ſola dilatione communionis, quam aduerſarii ſtabilire conantur, quamue poterat æquè facilè, ac aduerſarii, reſtituere. Cur ergo nullam illius mentionem facit? Cur non illius obligationem imponit, aut declarat; ſed è contrario, vbi ex profeſſo de præparatione ad communionem agit, ſignificat priuatam confeſſionem ſufficere? Neque enim dicere poſſunt aduerſarii morum corruptionem illius temporis impediuiſſe, ne hoc ipſum præciperetur à Tridentino, tanquam nimis durum, ac difficile. Contra enim, quò maior eſt morum corruptio, & tepor Chriſtianorum, eò facilior illis eſt communionis dilatio, vt notum facit euidens experientia. Deinde ſi verum eſt, quod alibi dicunt aduerſarii, Eccleſiam quoad mores corruptibilem eſſe in maiori parte membrorum ſuorum, ſemperque degenerare ſenſim à primæua puritate, eò magis, quò plus ad finem ſæculorum accedit: ſi propter morum improbitatem non potuit tunc temporis reſtitui obligatio antiquæ pœnitentiæ, ne quidem cum tantâ moderatione, auctoritate Cōcilii Oecumenici totam Eccleſiam repræſentantis: Qua confidentia præſumunt aduerſarii, homines priuati, & nullius auctoritatis in Eccleſia, eam reſtituere? Qua prudentia id ſuſcipiunt in hac pari, vel maiori morum corruptione, vt ipſi dicunt, quod Concilium generale, & cœtus tam multorum, tamque prudentum & boni communis Eccleſiæ ſtudioſorum Præſulum zelus, & prudentia tunc non poſſe à ſe ſuſcipi iudicauit? Præterea quamuis Concilium non potuiſſet tunc temporis partem illam pœnitentiæ publicæ reſtituere, vt ipſi fingunt: ſi tamen eam neceſſariam eſſe exiſtimaſſet, & propter illius omiſſionem omnes fere Chriſtianos ſacrilegè, & indignè communicare: debebat ſaltem de tanto abuſu in re tanti momenti eos admonere, & apertè ſignificare, ſe non niſi inuitò eum tolerare, cúmque aliud non poſſet, grauiter ſaltem illum reprehendere.

Deinde ſingillatim ad primam aduerſariorum coniecturam Reſpondeo, non eſſe verum, Concilium Tridentinum reſtituiſſe omnes traditiones Apoſtolicas generaliter, & abſolutè: alioqui reſtituiſſet abſtinentiam à ſanguine, & ſuffocato, ſtatutam ab Apoſtolis Act. 15. & multis ſæculis totâ Eccleſiâ, atque nunc etiam in orientali ſeruatam: & communionem laicorum ſub vtraque ſpecie, quæ fuit in vſu tempore Apoſtolorum, ipſis approbantibus, & deinceps vſque ad Concilium Conſtantienſe, in quibuſdam Eccleſiis, etſi non in omnibus: & electionem Epiſcoporum per ſuffragia & conſenſum populi, quam eſſe traditionis Apoſtolicæ affirmat Cyprian. epiſt. 68. & antiquiſſimam eſſe teſtantur hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: & vt quicunque ad ſacra ſolemnia conueniunt, perſeuerent in oratione, vſquedum Miſſa peragitur, & ſanctam communionem percipiant, ſicut præcipitur can. 10. Apoſtolorum: & vt Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut furto, aut periurio captus eſt, deponatur, ſicut ſtatuitur can. 25. Et vt ſi quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus vſus Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregetur, omneſque qui illi communicant, ſicut habetur can. 31. Et vt Epiſcopus aut Presbyter non baptizans trina merſione, damnetur, vt fert can. 49. Et alia pleraque canonibus illis Apoſtolicis contenta, quæ ne ipſi quidem aduerſarii reſtituta eſſe dicant. Itaque Tridentinum omnes quidem traditiones Apoſtolicas reſtituit, quæ ad fidem, vel ad doctrinam de moribus, ſumendo mores pro virtutibus, & vitiis per ſe talibus, pertinent, quorum obligatio perpetua eſt: de aliis verò eas ſolùm quarum mentionem ſpecialem facit variis locis, vbi eas ſtabilit, & obſeruari præcipit, vel etiam quæ non fuerant contraria conſuetudine abrogatæ. 37. *Quas traditiones reſtituit Trident.*

Ad ſecundam Reſpondeo ſimiliter Tridentinum non renouaſſe generaliter omnes antiquos canones circa mores, & officia clericorum, ſumendo mores non pro virtutibus & earum officiis per ſe neceſſariis, vitiiſque oppoſitis; ſed pro agendi modo, aut conſuetudine de ſe indifferente, puréque, vt ita dicam, legali, & cerimoniali, circa nonnulla quæ ſine peccato aliter fieri poſſunt, ſepoſito Eccleſiæ præcepto. Alioqui renouaſſet canones 51. & 52. Concilii Carthaginenſis IV. quibus ſtatuitur vt clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat, & veſtitum, vel agriculturâ abſque officii ſui dumtaxat detrimento: & canonem 49. Concilii Carthaginenſis III. quo ſancitur, vt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque clerici, qui nihil habentes ordinan- 38. *Quos canones renouat.*

ordinantur, & tempore Episcopatus vel clericatus sui agros, vel quæcunque prædia comparāt; tanquam rerum diuinarum inuasionis crimine teneantur obnoxii, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint: & denique multa alia quæ habētur in canonib. antiquis circa vitam, & modum agendi clericorum, quæ nunc etiam vi Tridentini Concilii obligare non censent aduersarii. Dico igitur, vt suprà, Tridentinum de his canonibus eos tantùm renouasse, qui vel non erant legitima consuetudine abrogati, vel quorum mentionem specialem facit: vt cùm v. g. sess. 25. cap. 1. de Reformat. renouat canonem 15. Concilii Carthaginensis IV. quo statutum erat, *Vt Episcopus vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide, & vitæ meritis quærat*; iubetque vt Episcopi *modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum: omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresue suos augere studeant: cùm & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent.* Huc vsque Tridentinum.

39. *Non restituit pœnitentiam publicam.*

Ad tertiam Respondeo consequentiam vitiosam esse. Nam ex eo quòd Tridentinum definit contra Lutherum, pœnitentiam non consistere in sola vitæ mutatione, sed Deo per lacrymas, ieiunia, orationes, & eleemosynas satisfaciendum esse, non sequitur voluisse Tridentinum restituere pœnitentiam publicam, & dilationem absolutionis & communionis, donec peragatur: quasi non possit aliter stare doctrina Concilii, nec sine publica pœnitentia incumbi lacrymis, ieiuniis, orationi, & eleemosynis, vt Deo satisfiat ante, vel post communionem sicut à multis sæculis in tota Ecclesia fieri solet, & nunc etiam fit, relicto licet vsu pœnitentiæ publicæ.

40. *Quas satisfactiones vult imponi?*

Ad quartam Respondeo similiter consequentiam nullam esse. Nam ex eo, quòd Tridentinum iniungat sacerdotibus, vt imponant satisfactiones peccatis proportionatas, quoad fieri potest: non sequitur debere determinatè imponere illam, quàm prætendunt aduersarii: aut voluisse verbis illis restituere publicam pœnitentiam, & canones antiquos pœnitentiales: cùm è contrariò relinquat arbitrio sacerdotum, vt eligant eas satisfactiones, quas prudenter magis expedire iudicauerint. *Debent*, inquit sess. 14. cap. 8. *Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere.* Circa quæ verba *pœnitentium facultate*, notant Doctores communiter debere sacerdotes habere rationem etiam infirmitatis, & fragilitatis, pœnitentium, vt videre est apud Dominicum Sotum in quarto distinctione vigesima, quæstione secunda, articulo tertio, conclusione 2. Surr. tom. 4. in 3. partem disp. 38. sect. 4. conclus. 3. Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 14. punct. 4. §. *Altera difficultas*, Cardinalem de Lugo disp. 25. de Pœnit. sect. 4. num. 60. Dianam tom. 2. tract. 4. de Sacram. resolut. 97. Aegid. Coninc dispur. 10. de pœnit. dub. 8. num. 71. & seq. Gamach. tom. 3. in tract. de Pœnit. cap. 23. de Satisfact. pag. 620. vbi etiam hanc rationem reddit, quia scilicet antiqui canones pœnitentiales iam in desuetudinem abierunt. Idem quoque docent S. Thom. q. 18. Supplem. art. 4. Nauar. in cap. *Mensuram*, num. 9. dist. 1. de pœnitentia, & in Manuali cap. 26. num. 18. Gerson in regul. moral. cap. de Pœnitentia, vbi dicit *Tutius esse cum parua pœnitentia quæ sponte suscipitur, & verisimiliter impletur, ducere confessos in purgatorium: quàm cum magna non implenda præcipitare in infernum*: Et Cardin. Caiet in Summa, verbo *Satisfactio*, vbi sic ait, *Pœnitenti bene præparato, & robusti animi, satisfactio, quam meretur, imponenda est. Debiliter autem disposito danda est satisfactio paruula, iuxta debilitatem sui animi; vt paruulus ignis foueatur apposita palea: nec suffocetur appositis lignis desuper.* Habendam quoque rationem esse infirmitatis pœnitentium statuerant iampridem Synodus Trullana can. 102. & vlt. Concilium Lingonense celebratum anno 1404. & Vvormat. sub Adriano. II. can. 25. & nuper S. Carolus Borromæus Actorum parte 4. pagina 523. titulo *De modo imponendæ pœnitentiæ*: vbi de confessario sic dicitur, *Talem imponet pœnitentiam, qualem ab eo præstari posse intelliget. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, anne dubitet pœnitentiam sibi iniunctam peragere: alioquin eam mutabit aut minuet.*

Habenda ratio infirmitatis pœnitentium.

41. *Potestas ligandi & soluendi quomodo exerceatur in sacramento?*

Ad quintam, Concessis duabus primis propositionibus, nego consequentiam ab aduersariis inferendam, vt probent quod intendunt. Nam ex eo quod Tridentinum ait, debere sacerdotes potestatem sibi datam exercere ligando æquè ac soluendo; ligandique potestatem consistere ex parte in imponendis pœnitentiis: non sequitur, illam iuxta mentem Concilii debere necessariò exerceri in iniungenda publica pœnitentia, siue qualis fuit olim in vsu; siue qualem inducere conantur aduersarii plurimum ab illa differentem, & vanam tantùm illius speciem præ se ferentem. Possunt enim ligare priuatas imponendo pœnitentias, vt à multis sæculis fit, permittente, & approbante Ecclesia. Quod verò addunt in tertia propositione, potestatem ligandi concessam sacerdotibus consistere, iuxta sensum Patrum, in iure obligandi ad pœnitentiam, & separandi à communione Eucharistica, non est verum. Nam potestas ligandi, & soluendi, concessa sacerdotibus, vnum idemque obiectū respicit, circa quod opposito, & cōtrario modo versatur. Atqui potestas soluēdi versatur primò, &

præcipuè circa peccata, ea remittendo: ergo potestas ligandi vertatur quoque primò, & præcipuè circa peccata, ea retinendo, id est, non remittendo propter indispositionem pœnitentis iuxta illud Christi potestatem hanc concedentis Apostolis, & sacerdotibus eorum successoribus, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Iniunctio verò, aut relaxatio pœnæ peccatis debitæ, est aliquid secundarium, & accessorium ad alteram partem principaliorem. Ac sicut in peccatis præcipuum est reatus culpæ, secundarium verò & minùs principale: reatus pœnæ temporalis restanstantis post remissionem culpæ: sic potestas sacerdotalis præcipuè respicit culpam: pœnam vero secundariè, & minùs principaliter. Porrò sacerdotalem potestatem ad vtrumque valere docent SS. Patres, vt Chrysost. lib. 3. de sacerd. cap. 4. vbi affirmat sacerdotes euangelicos lepram ipsam peccati purgare, animæque immunditiam; & non tantùm purgatam probare, seu declarare purgatam esse, vt faciebant sacerdotes legis Mosaicæ. Et Ambros. lib. de pœnit. cap. 7. Vbi contra Nouatianos asserit sacerdotes in sacramento pœnitentiæ remittere peccata, æquè ac in Baptismo. Idemque definit Trident. sess. 14. can. 9. Quare non potest sine hæresi hac de re dubitari.

42. Necessitas pœnitentiæ publicæ nō bene infertur ex necessitate cōfessionis.

Ad sextam respondeo primò, Concilium illo cap. 5. sess. 14. duas afferre rationes necessitatis confessionis, quæ perperam ab aduersariis confunduntur in vnicam. Nimirum primò, quia sacerdotes non possunt hoc iudicium incognitâ causâ exercere, remittereque iudicialiter, aut retinere peccata sibi incognita. Tum etiam secundò, quia non possunt æquitatem seruare in pœnis iniungendis, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie, ac singillatim declarentur ipsis peccata mortalia. Hæc enim declaratio est illis ad vtrumque finem necessaria: id est, ad rectè & conuenienter exercendam potestatem iudicialem, in hoc foro interno, siue ad reatum culpæ remittendum, aut retinendum; siue ad satisfactionem iniungendam, secundum æquitatem & iustam proportionem, quantum fieri potest. Porrò aduersarii qui dicunt Concilium Trident. hanc tantùm rationem assignasse, in eoque adhæsisse sensui antiquæ Ecclesiæ, anathematizantur ab eodem Concilio, & eodem sess. 14. can. 7. verbis illis, *Si quis dixerit Confessionem peccatorum olim obseruatam fuisse tantùm ad satisfactionem canonicam imponendam, anathema sit.* Secundò, quamuis Concilium hanc vnicam rationem redderet, vt malè supponunt aduersarii; non sequeretur, quod illis probandum incumbit, voluisse idcirco publicam pœnitentiam & suspensionem communionis restitui, quasi non possint iniungi aliæ conuenientes satisfactiones, quæ vt supra notaui, relinquuntur arbitrio, & prudentiæ confessarii ab eodem Concilio sess. 14. cap. 8. Quod verò addunt, iniunctionem pœnitentiæ, id est, satisfactionis publicæ, iuxta illorum mentem, fuisse finem proximum confessionis, ex doctrina SS. Patrum, sapit errorem suprà refutatum num. 24. & damnatum à Trident. sess. 14. can. 7. patetque ex paulò ante dictis esse falsum. Nam confessio habet pro fine proximo, & præcipuo absolutionem, ad quam refertur velut ad alteram partem essentialem Sacramenti pœnitentiæ: ad satisfactionem verò, siue actualem executionem pœnitentiæ iniunctæ, secundariò dumtaxat & minùs præcipuè, velut ad partem tantùm integralem, ideóque solùm necessariam, quia ordinariè dolor & dispositio pœnitentis non est talis, & tanta, vt sacramẽtum illius ope tollat omnino pœnam cum culpa, neque relinquat obligationem luendi pœnam aliquam temporalem restantem post remissionem culpæ.

Ad septimam Dico Trident. sess. 24. cap. 8. *de Reformatione*, decernere tantùm vt aliqua pœnitentia publicè iniungatur pro criminibus publicis & scandalosis: non autem pro quibuslibet mortalibus, etiam secretis, & internis, vt volunt aduersarii: neque determinare imponendam esse illam, quæ fuit in vsu antiquę Ecclesiæ, aut eam partem, quam restituere ipsi conantur: sed indefinitè loqui: imò permittere Episcopo vt hoc genus publicæ pœnitentiæ, quod indeterminatum relinquit, in aliud secretum mutare possit, quando ita magis iudicauerit expedire: Quare malè ex eius verbis colligunt aduersarii desiderasse antiquum morem publicæ pœnitentiæ restituere, & vsum, qui nunc est, Ecclesiæ abolere. Cætera quæ obiiciunt sunt minoris momenti, & ex dictis facilè solui possunt: Qui pleniorẽ volet eorũ refutationem, legat Petauium lib. de publica pœnitẽtia, & frequenti cõmunione, cõtra hos errores nuper edito, & tract. Illustr. Episc. Vaurẽsis de eodẽ argũ. Nobis enim nõ lubet in rebus adeò manifestis diutiùs immorari. 43. Quomodo publicè pœnitendũ de peccatis publicis.

SECTIO IV.

Liceatne ad Communionẽ accedere cum consciẽtiâ peccati venialis actualis, aut habitualis.

Sensus quæstionis est, Verum ille, qui alioquin existit in statu gratiæ, vt supponimus, peccet mortaliter per accessum ad Eucharistiam cum affectu habituali, vel actuali peccati venialis? An vero solùm venialiter, vel etiam sine nouo peccato accedat: ita vt circunstantia communionis non inducat nouum peccatum veniale, aut non aggrauet præexistens, vel mutet in aliam speciem? 44. Status quæstionis.

De priori sensu quæstionis consentiũt omnes Theologi, vt testantur Suar. disp. 66. sect. 1. in fine, & Vasq. disp. 207. cap. 1.

Non est P. M. communicare cum peccato veniali.

num. 14. non esse peccatum mortale accedere ad hoc sacramentum cum veniali: siue habituali, id est, quod iam actu præteriit, & manet solùm in anima per modum habitus; siue actuali, id est, quod in ipsa perceptione sacramenti committitur. Ratio ex Suare sect. citata, conclus. 1. hæc est: quia neque ex vllo præcepto positiuo, neque ex ipsa rei natura potest colligi tale peccatum. Nullum enim præceptum positiuum speciale de eo extat, nec ab vllo profertur: & si quod esset, maximè illud 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum, homo* &c. Sed huius loci non hunc sensum esse colligitur satis ex Trident. sess. 13. cap. 7. & ex iis quæ diximus tribus sectionibus proximè præcedentibus. Ex natura verò rei non est grauis iniuria, vel irreuerentia, contra sacramentum, accedere cum veniali actuali, vel habituali: quia per peccatum veniale non impeditur effectus principalis, & velut essentialis sacramenti, qui est infusio gratiæ: cùm tale peccatum non excludat charitatem, & gratiam: ideóque non committitur grauis fictio. Et alioqui non posset absque mortali peccato sumi Eucharistia, nisi à viris sanctis, ab omni leui affectu malo, etiam habituali, planè liberis: quod est durum & incredibile. Quàm pauci enim sunt adeo puri & recti, perfectóque Dei amore purgati, vt careant omni prorsus habituali affectu inordinato? Imò quàm pauci carent omni actuali, aut sine aliqua distractione, & leui negligentia, vel irreuerentia veniali communicant? Quos omnes damnare peccati mortalis, & grauis sacrilegii, valde absurdum esset. Quare pro certo habendum est non esse peccatum mortale accedere ad Eucharistiam cum affectu peccati venialis, etiam actuali: multóque minùs cum solo reatu habituali huiusmodi peccati, quod commissum sit, & nondum per sufficientem pœnitentiam retractatum, ac deletum: affectumque illum, aut reatum non esse obicem præcipui effectus huius sacramenti, qui est augmentum gratiæ. Nam peccatum veniale, neque in sumptione Eucharistiæ, neque extra illam, habet oppositionem cum gratia sanctificante. Et sicut stat aliquem esse gratum Deo, quantùm sufficit ad æternam fælicitatem consequendam, & tamen retinere affectum peccati venialis: ita etiam stat quempiam peccare venialiter in receptione sacramenti, & nihilominus per eam magis sanctificari, recipiendo augmentum gratiæ.

45. Sit ne saltē peccatum veniale?

De posteriori sensu quæstionis maior est difficultas, deque illa variæ sunt Theologorum sententiæ. Prima est Ricardi, Maioris, Adriani, & Dominici Soti, quos refert & sequitur Vasq. disp. 207. cap. 2. num. 18. affirmantium nullum esse peculiare, & nouum peccatum accedere ad sacramentum Eucharistiæ cum veniali, siue habituali, siue actuali: excepto casu, quo aliquis ob finem venialiter malum communicaret, putà ob inanem gloriam: tunc enim ipsa communio peccatum veniale est, propter circunstantiam mali finis, quâ talis actus inficitur. Ratio illorum est, quia nullum est præceptum accedendi ad Eucharistiam sine veniali, sed tantùm vt *probet seipsum homo*: probatio autem est, an sit in charitate. Et per peccatum veniale non impeditur effectus huius sacramenti præcipuus, qui est augmentum gratiæ habitualis. Ergo nullum est in eo peccatum: neque aliunde potest aliqua leuis irreuerentia cum fundamento sufficienti excogitari. Eidem sententiæ videntur accedere Valent. quæst. 8. de Eucharistia punct. 3. in fine, vbi affirmat nihil aliud præter peccatum mortale, ita impedire sumptionem Eucharistiæ, vt si sumas, pecces: & Emanuel Sa, etiam Romæ correctus, Verbo *Eucharistia*, numero 22. & Ledesma, cuius verba refert ad longum Diana tract. 4. de Sacrament. Resolut. 31. & Gerson in tract. de diuersis tentationibus, vbi sic ait de Christiano tentationibus vexato: *Si tunc in peccato mortali is se esse non videat, tutò, & sine noui peccati periculo ad communionem accedere potest.* Fauet etiam D. Thom. q. 80. art. 7. in corp. & ad 1. vbi affirmat, non impediri hominem ex necessitate à sumptione huius sacramenti, nisi propter peccatum mortale; licet ex quadam congruentia possit impediri propter alias causas. Fundamentum primæ sententiæ.

Secunda sententia, præcedenti contraria, esse potest, semper esse peccatum veniale accedere ad communionem cum quocunque peccato veniali actuali, vel habituali, nisi excuset inaduertentia, vel impotentia aliter faciendi. Pro qua sententia tam seuera nullum auctorem inter Theologos Scholasticos reperio; est tamen sine dubio, & à fortiori, de mente nouorum Dogmatistarum, quos duabus proximè præcedentibus sectionibus impugnauimus. Omissis autem eorum argumentis, quibus ibidem satisfecimus, potest ampliùs his rationibus probari. De actuali quidem, quia est aliqua irreuerentia peccare venialiter, & offendere Christum illo ipso instanti, quo recipitur in sacramento. Ergo voluntas communicandi in tali statu, id est, cum tali irreuerentia, est mala, & culpabilis. Et peccatum veniale, quod tunc committitur, est malum specialiter ratione talis circunstantiæ: ac si aliunde malum est, quàm ratione communionis, putà quia est affectus vanæ gloriæ, aut leuis auersio contra proximum; fit peius, & contrahit nouam malitiam irreuerentiæ, ratione talis adiuncti. Confirmatur, quia est contra reuerentiam tanti mysterii voluntariè distrahi, vel affici ad aliquod obiectum malum in ipsa illius participatione. Et vt rectè ait eruditissimus Cardinalis de Lugo disp. 14. sect. 2. debetur huic sacramento, vltra puritatem ab omni peccato mortali, 46. Secunda sententia.

specialis aliqua præparatio, propter illius reuerentiam, ita vt ea deficiente, non solùm defectus dispositionis culpa sit, sed etiam ipsa susceptio sacramenti in ea circunstantia sit culpabilis. Hoc autem supposito, verisimile est pertinere ad reuerentiam debitam, vt homo non peccet actu, quando recipit hoc sacramentum; ita vt etiam ipsa receptio sacramenti ita facta, sit culpabilis: debuisset enim, si commodè potest, differri, donec anima à peccato illo actuali desisteret. Quare solùm excusatur ille qui aliunde debet communicare, & non potest differre communionem; vel qui inculpabiliter ignorat, aut non aduertit ad quid teneatur.

47. Altera pars eiusdem sententiæ. De habituali verò probatur, quia est quoque aliqua irreuerentia accedere cum illo (id est, non procurata illius remissione) ad hoc sacramentum, quod magnam cordis munditiam exigit, vt Christus significauit Ioan. 13. quando Apostolis communicaturis lauit pedes, dicēs: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* Ac sicut tenemur sub mortali afferre vestem nuptialem ad hoc conuiuium regium, & diuinum: ita sub veniali tenemur afferre mundam & nitidam. Quare qui sibi conscius est peccati venialis nondum remissi, debet conari obtinere priùs eius remissionem, vt mundior accedat ad sacramentum, in quo Christus ipse realiter sumendus est. Ad idem confirmandum addi possunt multa sanctorum Patrum testimonia requirentium summam animæ puritatem vt dignè accedatur ad sumptionem Eucharistię. Cuiusmodi est illud Ambrosii in precationibus ante Missam: *Quanta enim cordis contritione, & lacrymarum fonte, quantâ reuerentia & tremore, quanta corporis castitate, & animæ puritate, illud diuinum mysterium est celebrandum, in quo caro Christi in veritate sumitur!* Et illud Chrysost. homil. 17. in epist. ad Hebr. *Quando dicit, sancta sanctis, hoc dicit: Si quis non est sanctus, non accedat. Non simpliciter dicit, à peccatis mundus, sed sanctus* &c. Et illud Gregorii magni in cap. 2. lib. 1. Reg. circa illa verba, *Repleti priùs pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Non saturantur*, inquit, *nisi fameli i, qui à vitiis perfectè ieiunantes diuina sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis: & quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt: quid restat, nisi vt à peccatis quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, vacuari quotidie conentur?* Et illud Gennadii lib. de Eccles. dogmat. cap. 53. apud August. tom. 3. Vbi postquam hortatus est fideles ad communicandum singulis diebus Dominicis; addit, *Dummodo mens sine affectu peccandi sit.* Et rationem reddens huius limitationis, subiungit: *Si adhuc habet voluntatem peccandi, grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari. Et ideò quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lacrymis.* Ac ne videatur loqui de mortalibus subdit inferiùs: *Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant.*

Ambros.

Chrysost.

Gregor.

Gennad.

Tertia sententia, media inter præcedentes, est Suaris disp. 66. sect. 1. §. *Dicendum imprimis*, vbi tria docet 1. Si peccatum veniale sit aliquo modo circunstantia ipsius actus communicandi, tunc esse peccatū veniale sic communicare. Ex. gr. si quis communicet ob inanem gloriam: vel certè si actu sit in aliqua vana cogitatione, aut delectatione, & propter hoc accedat distractus, & sine debita attentione, & deuotione. Ratio est, quia tunc actus communicandi non habet debitas circunstantias. Ergo est aliquo modo malus. Ergo est peccatum saltem veniale. 2. Si quis assueuerit committere venialia, vel habeat conscientiam eorum multitudine oneratam, ideóque ad spiritualia tractanda tepidum, & quodammodo indispositum: non posse talem excusari à veniali culpa, si absque vllo dolore, aut proposito emendationis accedat. Quia talis non satis diiudicat Corpus Domini, & aliquo modo indignus est, ponitque obicem quibusdam sacramenti effectibus non contemnendis, vt remissioni venialium, & actuali feruori charitatis: ac denique non potest omnino excusari actio illa ab irreuerentia. Idque videntur affirmare Gennad. verbis supra relatis, & Anselm. in cap. 11. epist. 1. ad Corinth. cuius verba sunt: *Indignè manducat & bibit, qui vel aliquod graue peccatum, vel multa leuia commisit, & non confitetur ea priusquam ad communionem accedat.* 3. Addit Suares, extra prędictos casus, si quis forte habeat peccatum veniale in habitu; licet sine dolore eius, & proposito emendæ, ad Eucharistiam accedat, vel quia non recordatur, vel quia propter humanam aliquam fragilitatem non potest voluntatem auertere ab illo leui affectu, non peccare venialiter sic communicando, si alioqui procuret cum timore, reuerentia, & deuotione accedere. Quia tunc culpa illa venialis non est circunstantia istius actus: neque ab homine fragili exigenda est summa diligentia, vel perfectissima dispositio. 48. Tertia sententia.

Ad declarationem quartæ sententiæ meo iudicio probabilioris, pręmittenda est distinctio peccatorum venialium, quæ cum actu cōmunicandi coniungi possunt. Aliqua enim sunt quę aduersātur recto vsui sacramēti Eucharistiæ, & reuerentię ei debitæ, ac necessarię saltem sub veniali; id est, attentioni, & deuotioni, quā actus ille religiosus postulat ex natura sua. Et hæc sunt in duplici differentia. Quædam enim primariò & directè aduersantur, vt voluntaria euagatio animi, tepor, indeuotio, & irreuerētia, leuis negligētia examinādi se, & excitādi ad actus, & affectus conueniētes receptioni tanti sacramēti, & discretioni cibi istius sacri, & diuini, à vulgari, & prophano; sine quibus actibus physicè, aut moraliter præsentibus est indecens voluntariè communicare. Quædam 49. Venialis duplicis generis respectu communionis.

nonnisi secundariò & indirectè; cuiusmodi sunt illa, quæ ex natura sua non habent peculiarem oppositionem cum recto vsu huius sacramenti, & cultu ei debito: veruntamen ita mentem occupant, atque implicant, vt non possit liberè vacare cogitationi sanctitatis, & diuinitatis huius mysterii, & deuotioni necessariæ, quantum est opus ad decentem & religiosam illius receptionem. Tales esse possunt affectus quidam leues iræ, odii, tristitiæ, doloris, amoris nimii erga coniugem, & liberos, aut aliam creaturam: leues, inquam, quoad offensam Dei; sed non quoad effectum impediēdi attentionem debitam huic sacramento, affectumque illi conuenientem. Alia verò sunt peccata venialia, quæ nullam habent oppositionem peculiarem, neque primariam, aut directam, neque secundariam, cum sufficienti præparatione ad communionem, & deuotionem necessariam, quæ, vt infra dicemus, non requiritur ex necessitate, & sub pœna peccati, summa & perfectissima, sed humanæ fragilitati, communique hominū conditioni accommodata. Cuiusmodi venialia esse possunt quidam affectus ad iocum, ludū, potum, cibum, mendacia iocosa, & similia; in quibus nulla fit culpa grauis, & nihil aut parum impedimenti, facileque superabilis, ad sufficientem diuini huius sacramēti apprehensionem, & reuerentiam internam, debitamque dispositionē. Huiusmodi sunt etiam omnia peccata venialia purè habitualia, siue habitus leuiter vitiosi, qui non exercentur, sed planè otiosi manent in ipso vsu sacramenti.

50. Non est P. V. communicare cum venialibus nullam habentibus oppositionem cum communione.

Hac distinctione præsupposita, Dico primò, accedere ad communionem cum peccato veniali purè habituali, vel etiam cū actuali posterioris generis, non est nouum peccatum, etiam veniale. Hanc assertionem tenent à fortiori Vasq. & alii ab ipso citati pro prima opinione: eandemque puto esse Suaris dicto tertio supra relato numero 48. Et probatur primò, ratione ab ipso ibidem allata: quia scilicet culpa illa venialis non est circunstantia actus communicandi, quem non impedit, ne sit qualis ex præcepto esse debet: neque enim ab homine fragili exigenda est summa puritas & sanctitas, neque diligentia exquisitissima, vel perfectissima dispositio: sed nimirum communi hominum conditioni, & humanæ fragilitati accommodata, quæ quanta esse debeat, moraliter prudenti iudicio æstimandum est: præsertim cùm hoc sacramentum in hominum gratiam, & communem omnium vsum institutum fuerit, à quibus non est credibile Deum tantam perfectionem exigere, vt licitè ad illud accedant: alioquin accessum valde difficilem, illisque fere omnibus moraliter impossibilem reddidisset. Sic enim soli sanctissimi viri, omni affectu inordinato prorsus exuti, communicare licitè possent, quod est penitùs improbabile, & communionem licitam facit esse moraliter impossibilem maximæ parti Christianorum.

Probatur 2. quia neque ex natura rei, neque ex præcepto vllo positiuo ostenditur requiri in communicante ad non peccandum venialiter carētia omnis peccati, aut affectus inordinati, etiam posterioris generis è duobus supra explicatis. Quòd enim non requiratur ex natura rei, constabit ex solutione obiectionum. Quòd verò neque ex præcepto, patet, quia nullum profertur. Decet quidem hoc diuinissimum sacramentum omnimoda puritas, & sanctitas, ad quam etiam nos hortantur Ecclesia & SS. Patres. Sed aliud est quod decet, aliud quod oportet. Aliud item est hortari, aliud præcipere. Cūque sacramenta sint instituta propter homines, vt viam salutis reddant illis faciliorem, debet potiùs ex natura rei, & consequenter ex præcepto naturæ rei, siue institutioni sacramentorum accōmodato, debet, inquam, licitus illorum vsus esse facilis, & hominum fragilitati proportionatus: præsertim verò eorum sacramentorum, quorum vsus ex institutione Christi communissimus est. Quare dispositio illorum vsui licito necessaria, non debet esse tam perfecta, tamque difficilis, vt vix ab vllo adhiberi possit: qualis esset si ad licitè cōmunicandum requireretur perfecta puritas ab omni affectu veniali, tam habituali, quàm actuali. Dico igitur probabilius esse, communionem non fieri illicitam propter accessum cum peccatis venialibus posterioris generis, etiam quando est aliquis eorū affectus, quia cum illis stat hominem communicare, cum timore, reuerentia, & deuotione, quanta ab humana communitatis hominum fragilitate exigitur. Quamuis aliter sentiendum sit de accedente ad communionem cum peccatis prioris generis. 51. Confirmatur.

Dico enim secundò, esse peccatum veniale peculiare, & nouum, accedere ad sacramentum Eucharistiæ recipiendum cum veniali habente peculiarem oppositionem directam, vel indirectam, cum sufficiēti eius dispositione: multòque magis accedere cum multis huiusmodi peccatis. Hæc assertio cōceditur ab assertoribus secundæ & tertiæ sententiæ, neque iure potest ab vllo negari. Nam vltra puritatem à peccato mortali, tenemur sub veniali adhibere ad actum communionis attentionem, reuerentiā, & deuotionem, quam actus ille religiosus ex natura sua postulat, & sine qua fit indecenter. Atqui peccata venialia, de quibus nunc loquimur, vel consistunt in carentia voluntaria talis attentionis, & deuotionis; vel impediunt voluntariè ne haberi possit. Ergo ex præcepto communicandi decenter, & religiosè, tenemur illa vitare. Eodem enim præcepto quo tenemur attentè, reuerenter, & deuotè communicare: tenemur vitare distractionem, irreuerentiam, & indeuotionem oppositam, atque etiam causam illius voluntariam. Secus verò cum habētibus oppositionē.

Confirmatur ex Trident. sess. 13. cap. 7.

52. Probatur ex Trident. initio cuius verba ſunt: *Si non decet ad ſacras vllas functiones quempiam accedere niſi ſanctè: certè, quò magis ſanctitas, & diuinitas cœleſtis huius ſacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentius cauere debet, ne abſque magna reuerentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat.* Confirmatur ſecundò, quia ſi peccatum veniale eſt liberè euagari inter orandum, & non ſatis attendere, vt docent omnes cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 83. art. 13. ad 3. quantò magis inter communicandum euagari, & velle illam euagationem, atque ad illam affici. Nobis enim non probatur quod ait Sancius in Diſput. ſelectis diſp. 23. num. 32. relatus à Diana tract. 4. de ſacram. reſol. 31. ſumptionem Euchariſtiæ præciſè ſumptam, prout ſcilicet eſt diſtincta ab oratione; quæ ſine dubio attentionem poſtulat, non requirere attentionem ſub præcepto, licet requirat de conſilio: ideoque nullum peccatum eſſe communicare cum diſtractione, quamuis peccatum ſit orare cum diſtractione. Etenim ipſa quoque receptio tam venerabilis ſacramenti, præciſè ſumpta, exigit in homine mentis compote non ſolùm de conſilio, ſed etiam de præcepto reuerentiam interiorem, & exteriorem, & attentionem aliquam, ac deuotionem, vt docet Trident. verbis ſuprà relatis: quique diuinum hunc cibum abſque reuerentia, & attentione ſumit, non ſatis eum diiudicat, & diſcernit à prophano.

53. Corollariũ. Vnde collige peccata venialia, quæ indirectè aduerſantur diſpoſitioni neceſſariæ ad communionem, vltra malitiam, quam aliunde habent per ſe, & ex propria natura, putà quia ſunt affectus vanæ gloriæ, vel amor inordinatus bonorum temporalium, contrahere, aut participare aliquatenus aliam malitiã ratione cõmunionis: illam ſcilicet, quæ conſiſtit in carentia diſpoſitionis debitæ, vel in diſpoſitione contraria. Supereſt vt reſpondeamus argumentis aliarum ſententiarum, quatenus noſtræ aduerſantur: ex quorum ſolutione clariora euadent, quæ in duarum præcedentium aſſertionum confirmationem à nobis dicta ſunt.

Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. Ad primum igitur argumentum primæ ſententiæ à Vaſque propoſitæ, Reſpondeo non eſſe verum, nihil aliud requiri ad communicandum ſine veniali, quàm vt communicans ſit purus à mortali, & finem malum non intendat. Nam debet vlteriùs actus ille religioſus reuerenter, & deuotè fieri, ſicut poſtulat eius natura. Eſtque per ſe manifeſtum peccaturum ſaltem venialiter, eum, qui irreuerenter accederet operto capite, vel inter confabulandum, vel qui è ludo ad communicandum proſiliret, ſtatimque ludum repeteret. Neque eo ſenſu intelligitur à Trident. quod ait Paulus. 1. Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo*, quaſi ad communicandum ſine veniali nihil aliud requirat Apoſtolus, quàm eſſe in charitate, vt ait Dominicus Sotus, & eſſe vacuum dumtaxat à labe peccati mortalis. Nam Concilium non excludit, ſed potiùs ſupponit, tanquam omnibus notum, id quod exigit per ſe natura iſtius actus religioſi: iuxta id quod ait initio eiuſdem capitis. 7. ſeſſ. 13. *Si non decet, &c.*

Ad Secundùm: licet peccatum veniale concomitans receptionem ſacramenti Euchariſtiæ, non impediat effectum eius primarium, id eſt, augmentum gratiæ: impedit tamen aliquatenus diſpoſitionem debitam ex præcepto, & ex natura rei, loquendo de venialibus prioris generis. Eſtque manifeſtũ non deeſſe fundamentum leuis irreuerentiæ, quamuis effectus ille primarius non impediatur: vt patet exemplis modò allatis de communicante capite operto ſine ſufficienti neceſſitate, vel ſtatim poſt confabulationem, aut ludum, ſine aliqua recollectione. 54.

Reſpondetur argumentis eiuſdem. Ad duo priora argumẽta 2. ſententiæ, dico non omne peccatum veniale, etiam actuale, multóque minùs purè habituale, eſſe contra reuerentiam ſacramenti neceſſariam ex præcepto ad illius ſumptionem: quippe quæ, vt ſupra diximus, non debet neceſſariò, & & ſub pœna peccati, eſſe ſumma, & perfectiſſima, ſed humanæ fragilitati, communique hominum conditioni accommodata, pro quibus omnibus hoc ſacramentum inſtitutũ fuit, omniumque vſui expoſitum. Nam vt Suares rectè ait loco ſupra citato, exigenda non eſt ſumma diligentia, vel perfectiſſima diſpoſitio, aut vacuitas ab omni affectu inordinato: præſertim cùm non ſemper poſſit homo (ordinariè & moraliter loquendo) ab omni tali affectu voluntatem auertere, præcipuéque ab habituali. Et alioquin, vt ſupra dixi, non poſſent niſi viri ſancti accedere ad communionem ſine nouo peccato veniali, quod eſt incredibile.

Exponuntur teſtimonia SS. Patrum. Ad teſtimonia SS. Patrum tertio loco adducta in fauorem huius ſententiæ, omiſſo Gennadio, cui ſatisfecimus ſect. præcedenti num. 30. Reſpondeo primò, Anſelmum loqui de multis leuibus peccatis efficientibus vnum mortale, eo modo quo diximus in Tractatu de peccatis, vt quando leuia furta ſimul iuncta ſummam notabilem efficiunt, in quam totam voluntas conſentit: vel nimis rigidè locutum eſſe, cùm certum ſit ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. non eſſe neceſſariam confeſſionem venialium. Reſpondeo 2. Patres qui ad dignam ſacramenti Euchariſtiæ ſumptionem videntur requirere carentiam omnis peccati, vel loqui de peccato mortali, quod ferè apud Doctores Eccleſiaſticos, præſertim antiquos, nomine peccati ſimpliciter prolatò ſignificatur: vel de peccato veniali habente peculiarem oppoſitionem cum ſuſceptione huius ſacramenti: vel ſi etiam de alio genere peccati venialis loquuntur, non tam explicant quid neceſſariũ ſit ad non peccandum in dicta ſuſceptione, quàm quid requiratur ad magis decentem, & congruam tanti myſterii participationem, & ad omnes illius effectus; non modò primarium, & præcipuum, qui eſt gratia 55.

sanctificans constituens habentem dignum vita æterna: sed etiam ad effectus secundarios, & minus præcipuos, cuiusmodi sunt feruor charitatis, gaudium spirituale, abundantia auxiliorum, & similia; quibus priuare se etiam liberè, non semper est peccatum, ne quidem veniale. Similiter, cùm aliqui ex iisdem Patribus videtur requirere ad dignam Eucharistiæ perceptionem, magnam quandam, & extraordinariam sanctitatem, præter eam, quæ in gratia sanctificante sita est, & in affectu, vel præparatione animi ad implenda omnia præcepta: non tam intendunt explicare quid necessarium sit ad non peccandum in receptione Eucharistiæ, quàm quid illam deceat, habita ratione dignitatis ipsius. Alioqui non nisi eminentissimè sancti, siue sacerdotes, siue alii, possent communicare: & Ecclesia obligans omnes fideles ad communicandum in Paschate, & quosdam sacerdotes ad celebrandum multoties per annum; obligaret hoc ipso ad eminentem sanctitatem, quæ paucorum est, habita ratione multò maioris numeri aliorum in minori, & communi gradu virtutis constitutorum, quæque non cadit sub præceptum communiter. Neque sacerdotes excusaret necessitas, vel obligatio celebrandi sæpius; aut laicos præceptum communicandi saltem in Paschate: quia quod est malum intrinsecè & illicitum, non potest aliqua necessitate excusari, manentibus circunstantiis, in quibus malum est.

56. Satisfit argumentis tertiæ opinionis. Argumentis verò in fauorem tertiæ sententiæ à Suare adductis Respondeo, primum nihil nobis obesse. Secundum verò debere restringi iuxta ea, quæ diximus in 1. & 2. conclusione: alioqui generaliùs sumptum nimis probat. Sequeretur enim quemlibet affectum leuem ad peccatum veniale esse causam nouæ malitiæ, & specialis culpæ, quod Suares ipse negat *dicto tertio*, supra relato. Probatur sequela, quia impedit aliquem effectum secundarium sacramenti non contemnendum, saltem remissionem illius venialis peccati, cuius habet affectum. Enimuerò, vt benè ait Vasques loco supra citato, non tenemur sub veniali non impedire omnem effectum huius Sacramenti qui non sit primarius. Cúmque iustificatio à veniali non sit necessaria ad salutem, neque ad augmentum gratiæ; non apparet vllum esse peccatum eam non consequi per Sacramentum Eucharistiæ, ob defectum dispositionis. Adde quòd homo potest, sine vllo peccato, ex duabus dispositionibus, quarum vna tendit ad plures & vberiores huiusmodi effectus, aut fructus percipiendos, altera ad pauciores, & minores; eligere quam voluerit. In quo casu eligit carentiam aliquorum eiusmodi fructuum, aut certè cuiusdam intensionis illorum. Adde etiam illum, qui habet affectum vnius, aut alterius peccati venialis, non ponere obicem omnibus eiusmodi effectibus: nec enim ponit obicem remissioni aliorum peccatorum venialium, quorum non habet affectum, & de quibus dolet sufficienter. Adde tertiò, non modò in istis effectibus secundariis Sacramenti, verum esse hominem non teneri facere summum quod potest: sed etiam in prima gratia sanctificante: vt rectè docet Valentia quæst. 8. de Euchar. punc. 3. §. *Nam cùm nemo*. Vbi de hac gratia loquens, affirmat neminem teneri facere summum quod potest, vt eam recipiat in summo quodam gradu: Sed satis esse si adhibeat moralem diligentiam, hoc est, humano & prudenti iudicio sufficientem. Alia quæ obiiciuntur ab aduersariis, pugnant specialiter contra frequentiam communionis, de qua dicemus sect. 6. & sequentibus, vbi priùs egerimus de dispositionibus necessariis ex parte corporis.

SECTIO V.

Quæ dispositiones requirantur ex parte corporis ad sumptionem Eucharistiæ?

Respondeo, & dico primò ex ipsa rei natura requiri, vt quisque accedat ad communionem cum externa decentia, & reuerentia, eoque corporis habitu, & compositione, vt internam animi reuerentiam præ se ferat. Ratio est, quia communio est actus externus religionis, valde excellens. Ergo debet reuerenter, & religiosè fieri, talisque exteriùs apparere: ita scilicet, vt ostendat nos sacrum hunc cibum à communi, & profano discernere, iuxta præceptum Apostoli 1. Corinth. 11. Debet enim discerni non solùm per internum mentis affectum, & dispositioné; verùm etiam quoad ipsius corporis compositionem, & externum sumendi modū. Ideoque ea semper fuit Ecclesiæ consuetudo, vt fideles proni, & adorationis in modum ad Eucharistiam accederent, vt faciendum esse docet Cyrillus Catech. 5. mystagogica *Accede*, inquit, *pronus adorationis in modum*: & August. in Psalm. 98. vbi explicans versum illum, *Adorate scabellum pedum eius*, affirmat neminem carnem illam manducare nisi priùs adorauerit. Et Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. eundem versum simili modo interpretans comparat hanc adorationem cum illa, qua Apostoli Christum in specie visibili adorabant, quando v. g. Matth. 14. v. 33. *Venerunt, & adorauerunt eum, dicentes, verè filius Dei es*. Loquuntur autem ambo de comestione, quæ sit in Eucharistia: adeoque de adoratione externa, & visibili illi exhibenda, & tunc temporis exhibita: cuius occasione, vt idem August. testatur libro 20. contra Faustum cap. 13. Calumnia- 57. Decentia exter a requiritur.

bantur olim Ethnici Christianos adorare Cererem & Bacchum. De eadem quoque loquitur D. Chrysost. homil. 24. in 1. ad Corin. vbi comparat adorationẽ huic sacramento exhibendam, cum illa quæ Matth. 2. fuit à Magis exhibita Christo iacenti in præsepi, qui *procidentes adorauerunt eum.* Quod verò attinet ad specialem modum illius adorationis, & externam compositionem corporis in vsu Eucharistiæ, seruanda est vnicuique recepta Ecclesiæ consuetudo, nec quicquam temerè immutandum, aut innouandum sine auctoritate illius, ad quem pertinet statuere de ritibus in administratione sacramentorum seruandis.

58. Et munditiies corporis.

Dico secundò, ad decenter communicandum vitandam esse maculam corporis, quæ propter se, vel propter effectus ex ea secutos disconuenit puritati illius sacramenti, vel impedit deuotionem, & reuerentiam necessariam; ita vt priùs tollatur, si fieri potest; vel aliquandiu expectetur, donec esse desierit: vitandam esse, inquam, vel ex congruitate, vel interdum etiam ex obligatione, quæ tamen non est grauis, secluso scandalo. Ita Suares disputatione sexagesima octaua, sectione secunda, sumiturque ex D. Thom. quæst. 80. art. 7. vbi quærit vtrum pollutio nocturna impediat à sumptione huius sacramenti: respondetque impedire ex necessitate, si contigit ex culpa mortali, id est, si fuit grauiter culpabilis, & illicita ratione causæ, ex qua voluntariè sequitur. Quod intelligit etiamsi culpa fuerit per confessionem expiata; vt patet ex solutione quarti argumenti. Quia, inquit, licet per contritionem, & confessionem auferatur reatus culpæ; non tamen aufertur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione secuta. At verò quando sine graui culpa, vel planè inuoluntariè contigit; impedire solum ex quadam congruentia quantum ad duo. Quorum vnum, inquit, semper accidit, scilicet quædam fœditas corporis, cum qua, propter reuerentiam sacramenti, non decet ad altare accedere (vnde & volentes tangere aliquid sacrum, manus lauant.) Nisi forte talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid huiusmodi. Aliud autem est, euagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imaginatione contingit. Hæc Diuus Thomas, monens in fine corporis, impedimentum istud, quod ex congruitate prouenit, postponi debere necessitati. Putà, quando dies festus exigit communionem, aut ministerium Sacerdotis ad celebrandum. Idemque putant aliqui dicendum esse cum proportione de priori impedimento, quando scilicet pollutio fuit grauiter culpabilis: ita vt, licet communio vix illo die sit permittenda, quamuis ritè confesso; & alioqui communicans peccet venialiter propter indecentiam: grauibus tamen de causis prudenti iudicio examinandis possit interdum permitti.

Impediatne pollutio nocturna inuoluntaria.

Maior tamen debet esse necessitas, & causa grauior in hoc casu, quàm in præcedenti: de quo etiam non omnes cum D. Thom. consentiunt. Nam Diuus Augustinus serm. 244. de Temp. non obscurè affirmat peccare venialiter communicantem post pollutionem nocturnam, licet inculpabilem, & planè inuoluntariam: ideoque debere non de congruo solùm, sed etiam de necessitate abstinere. Contra verò, Iust. Mart. quæstione vigesima prima, ad Orthodoxos, asserit generaliter, & absolutè *non esse æquum propter hanc inuoluntariam passionem abstinere à mysteriis.* Alii dicunt sub distinctione interdum esse melius non communicare eo die quamuis id licitè possit: interdum contra, melius esse ad communionem accedere; quando scilicet nulla inde mentis perturbatio remanet, quæ deuotionem, & attentionem impediat, aut quando pollutio inuoluntaria prouenit ex nequitia dæmonum volentium auertere à sumptione huius sacramenti: vt cuidam Anachoretæ frequenter contigisse refert Diuus Thomas art. cit. in corp. post Cassian. collat. 22. cap. 6. Tunc enim melius est contemnere dæmonis illusiones vt citiùs facessant; sicut à Patribus Eremi prudenter iudicatum fuisse referunt iidem auctores, locis citatis.

59. An etiam copula coniugalis.

Idem Sanctus Doctor in solutione 2. arg. explicans vtrum copula coniugalis impediat à sumptione Eucharistiæ, respondet: si absque peccato fiat, puta causa prolis generandæ, vel reddendi debitum, de illa sentiendum esse, vt de pollutione inuoluntaria: impedire scilicet ex congruitate dumtaxat, propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Si verò fiat ex voluptate dominante, prohiberi debere coniuges ne accedant. Quod postremum intelligi debet, saltem quando hinc sequitur magna perturbatio, & distractio animi, & quædam hebetudo ad res spirituales: vt contingit, quando copula ex nimia voluptate, & concupiscentia fit. Tunc enim regulariter est peccatum veniale sic communicare, ob defectum sufficientis dispositionis, vt rectè affirmat Suares disputatione sexagesima octaua, sectione secunda in fine: vbi addit in eundem sensum benignè interpretandos esse Hieronymum in Apologia ad Pammachium pro libris suis contra Iouinianum, & Augustinum sermone 216. & 244, de Tempore, vbi absolutè & generaliter videntur damnare peccati coniuges accedentes ad communionem post copulam. In Concilio quoque Eliberino dicitur coniuges debere abstinere à copula tribus, aut quatuor, aut octo diebus ante communionem, vt refertur dist. 2. de Consecr. cap. *Omnis homo.* Sed vel consilium tantum id erat, vel obligare desiit, præcepto per contrariam consuetudinẽ abrogato. De puerperis quoque statutũ erat

An etiam puerperis, & mēstruę?

à Leone imperatore, cognomine sapiente, vt ne ante quadragesimum diem ad communionem accederent: quemadmodum refert Theodor. Bals. in epist. Dionysii Alexandrini ad Basilidem can. 2. Sed hęc constitutio non habuit vim obligandi: quia de his statuere, non pertinet ad Imperatores, sed ad summos Pontifices. Nulla verò est lex Ecclesiastica, quâ obligentur non accedere. Et quamuis aliquandiu non modò à communione, sed etiam à Sacrificio, & ab ingressu templi abstineant; id faciunt propter infirmitatem, & debilitatem corporis: non autem vi vllius legis, aut etiam obligationis inductæ per consuetudinem: quippe quæ non fuit seruata ex intentione obligandi. De menstruatis denique censent aliqui non debere accedere; iuxta illud Dionysii Alexand. loco supra cit. *Si piæ & fideles sint, non debent sic affectæ attingere Corpus, & Sanguinem Domini*. Idemque videtur sentire D. Thom. q. 80. art. 7. in solutione 3. si conferatur cum argumento, cui respondet. Sed hoc intelligendum esse puto cum Suare, & pluribus aliis, quando communio potest commodè differri: neque vel dies festus, vel alia causa specialis impellit ad communicandum.

60. Communicans debet esse ieiunus.

Dico tertiò, ex præcepto Ecclesiastico requiri, vt qui communicat, sit ieiunus. Quod præceptum antiquissimum esse, & ab Apostolis ipsis latum fuisse testantur Cyprian. Tertull. Basil. August. Epiph. Isidor. & alii relati à Suare d. 68. sect. 3. Vasq. d. 211. cap. 1. & Valent. q. 8. de Euch. punc. 3. Isidori verba lib. de Officiis Ecclesiasticis cap. 18. hæc sunt: *Placuit Spiritui sancto per Apostolos, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi. Et ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur*. Idem ferè, & iisdem verbis August. epist. 118. vbi insuper ait, quod Caluinistis diligenter aduertendum est, insolentissimæ esse insaniæ disputare, an rectè fiat quod per totum terrarum orbem frequentat Ecclesia. Nec quia Apostoli ieiuni non fuerunt recipientes Eucharistiam, calumniandum esse vniuersæ Ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipi velit: & rationem peculiarem fuisse, cur Apostolos Christus post cœnam vltimam communicauerit. Vt nimirum altiùs infigeret vltimum hoc cordibus, & memorię ipsorum, à quibus paulò post ad passionem digressurus erat. Addit Beda in cap. Luc. 22. vt veritas figuræ agni succederet, Christo instituente, & celebrante Eucharistiam post esum agni Paschalis.

61. Ieiunium illud est de præcepto.

Porrò abstinentiam illam ab omni alio cibo ante communionem non fuisse tantùm de consilio, sed de præcepto, patet ex pœnis impositis secus facientibus. Nam Eutychianus Papa constituit vt qui acceperit Sacrificium post cibum, aut post aliquam modicam refectionem, pueri tres dies, maiores septem, Clerici viginti dies pœniteant. Quæ eius verba referuntur à Burcardo lib. 5. cap. 25. & ab Iuone parte 2. cap. 45. Et in Concilio Braccarensi 2. can. 10. sancitur, vt si quis Presbyter non ieiunus, sed quocunque cibo præsumpto, oblationem consecrauerit in altari, continuò ab officio suo priuatus à proprio deponatur Episcopo. Et in Concilio Toletano 7. can. 2. statuitur vt sententia excommunicationis in eum feratur, qui post cibum potumque quamlibet minimum sumptum, Missam fecerit. Et Chrysost. epist. 125. iuxta recentem edit. ad Cyriacum Episcopum exulem, repellens calumniam sibi obiectam, quòd non ieiunos ad communionem admisisset: hoc crimen adeo deprecatur, vt non recuset, si id fecerit, expungi nomen suum ex albo Episcoporum, & eiici à Christo è regno suo. Plura his addit Durantius lib. 2. de Ritib. Eccles. cap. 7. Chrysost.

62. Potuit præcipi ab Ecclesia.

Perperam autem opponunt hæretici non potuisse abstinentiam ante communionem ab Ecclesia præcipi: & melius esse non abstinere, cùm ad præceptum spernendum, tum quia Christus aliter fecit. Nam certum est Ecclesiam, non minùs atque ciuilem rempublicam, habere potestatem condendi leges, etiam in illis, quæ diuinitus præcepta non sunt, vt suppono ex tractatu de Legibus. Et ipsimet hæretici multas leges, siue ordinationes Ecclesiasticas, vt vocant, condiderunt: vt videre est in ordinationibus Ecclesiæ Gebennensis. Exemplum verò Christi non obligat hac in parte, vt neque in aliis multis quę Christus fecit, & non præcepit. Alioquin, & cœnatis, & duodecim numero, & noctu in cœnaculo strato accubantibus, & post esum Agni Paschalis, cum lactucis agrestibus, cæterisque cerimoniis tunc adhibitis, communicare tantùm liceret. Imò neque conueniens fuit Ecclesiam fidelibus id liberum relinquere, habita ratione propensionis multorum ad intemperantiam, & ebrietatem, in quam incidisse Corinthios testatur Paulus 1. Corinth. 11. v. 21. Denique hæretici contra ipsos Apostolos latrant, à quibus hæc consuetudo manauit, vt suprà ostensum fuit.

63. Quale ieiunium requiratur.

Quale autem ieiunium seruandum sit ante communionem, & quinam ab illo eximantur, vide apud Suarem disp. 68. sect. 4. 5. & 6. Vasq. disp. 211. Delugo disp. 15. sect. 2. 3. & 4. Ysamb. ad quęst. 80. disp. 4. art. 2. aliosque D. Thom. interpretes circa eandem quæstionem, qui docent primò ieiunium illud esse debere naturale, consistens in omnimoda abstinentia cibi, & potus: ita vt si quis vel minimum cibi, aut potus deglutiuerit, debeat omnino à communione abstinere. Deglutiuerit, inquam; nam in os tantùm ingerere, non est frangere ieiunium naturale: quia non est comedere, vel bibere. Secundò, excipi tamen, si minimum quid per modum saliuæ deglutiatur: vt minimum quid aquæ palato, vel linguę adhærentis, quando ante communionem os abluitur: vel minimum quid cibi dentibus insertum ex comestione hesterna. Quod tamen puto cum D. Thoma quæst. 80. art. 8. ad 4. contra nonnullos,

Quinam ab illo eximantur.

casu contingere debere, & non posse licitè fieri de industria: quamquam neque scrupulosè debet vitari. Tertiò, excusari sacerdotem qui per imprudentiam aquam pro vino sumpsit in calice, & consumpsit. Debet enim ad sacrificium perficiendum calici vinum infundere; & consecrare, ac sumere, quamuis priùs aquam biberit. Sique errorem aduertit aquam in ore habens, antequam illam biberit, non debet expuere, vel in calicem reiicere: quia vtrumque est indecens, & periculum est ne simul expuat aliquas particulas hostiæ: sed potest ac debet sorbere, necessitate cogente, posteaque vinum in calicem infundere, & consecrare, atque consumere, ad perficiendum & consummandum sacrificium. Quartò, posse etiam Sacerdotem celebrantem sumere post ablutionem particulas, in patena, vel sacra pixide mundanda residuas: idque etiam quando ad sacristiam rediit, & particulam aliquam in patena, vel pixide restantem inuenit, si non potest commodè seruari, vel ab alio sumi. Debet tamen sumere ante ablutionem quoad fieri potest. Quintò, excusari etiam infirmos, qui sine incommodo non possunt seruare ieiunium; non modò si viaticum sumendum est in periculo mortis: sed etiam post semel acceptum viaticum, & intra eandem infirmitatem, vt ostendit vsus fidelium.

64. Sextò, potest non ieiunus sumere Eucharistiam, si alioqui periculum sit, ne ipsa in manus infidelium deueniat, à quibus indignè tractetur. Cùm enim hoc præceptum latum sit propter reuerentiam Sacramenti, non obligat vbi eius reuerentia contrarium postulat. Septimò, dicunt aliqui sacerdotem non ieiunum celebrare posse, si id necessarium sit ad dandum viaticum moribundo. Sed alii probabiliùs, & communiùs negant. Neque puto contrarium esse in praxi. Potest etiam non ieiunus communicare propter scandalum, vel infamiam grauem vitandam. Vt si sacerdos celebrando Sacrum recordetur se aliquid comedisse, & non possit sine scandalo, vel graui nota infamiæ Sacrum inchoatum relinquere. Item si iam consecrauit debet prosequi, vt consummet Sacrificium, quamuis sine scandalo, & infamia posset desistere. Quia grauius est præceptum consummandi sacrificium, quàm ieiunè communicandi. Denique potest summus Pontifex in hoc præcepto, quippe Ecclesiastico, dispensare, sicut reipsa dispensat cum Cardinali celebrante circa horam decimam pomeridianam vigiliæ Natalis Domini. Et vt scribit Famianus Strada lib. 1. de bello Belgico, dispensauerat cum Carolo V. Imperatore. Ac non ita pridem anno 1619. permisit Paulus V. vt honesta quædā matrona Lemouicensis, quæ adhuc viuit, eoque priuilegio fruitur, quotidiè post cibum communicet, ad compescendum horribilem, & miserabilem totius corporis tremorem, quo post sumptionem cibi corripitur, quoue in certum vitæ periculum adduceretur, nisi ei statim daretur communio; quod vnicum remedium, omnibus aliis frustra tentatis, huic malo seu maleficio tandem repertum est: sed promptum semper, & efficax. Illo enim adhibito tremor eodem momento sistitur infallibiliter, nisi si fortè (vt interdum factum est experimenti causà) hostia non consecrata, loco consecratæ ad communicandum illi exhibeatur. Quæ omnia volui commemorare propter quosdam recentiores, qui affirmant summum Pontificē nunquā super hoc præcepto dispensasse. Huius autem postremæ concessionis testimonium authenticum apud nos est.

Potest in eo Papa dispensare.

65. Superest notare, in dubio rationabili num aliquis sit ieiunus, iudicandum esse in fauorem communicare volentis. Putà, si rationabiliter dubitet, num aliquid cibi vel potus deglutiuerit. Vel vtrum ante mediam noctem id contigerit, quia horologia variabant, vel quia signum alicuius campanæ audiuit, ex quo probabiliter coniici potest mediam noctem nondum præteriisse. Dico autem, *dubium rationabile*. Quia si quis passim quā vellet horā noctis comederet, posteaque vellet communicare, dicens se non aduertisse an post mediam noctem comederit: non esset admittendus ad communionem, neque sine graui peccato communicaret.

Quid faciendum in dubio.

66. Addo præterea cum Durantio lib. 2. de Ritibus Eccles. cap. 7. n. 6. non modò ante communionem, sed etiam aliquantò post à cibo abstinendum esse: iuxta illud Chrysost. homil. 27. in caput 11. epistolæ primæ ad Corinth. *Considera cum Sacras illas cœnas Apostoli accipiebant, quid tum faciebant? Nonne in preces conuertebantur, & hymnos? &c. Tu autem priusquam accipias, ieiunas, vt aliquo modo dignus communicatione videaris: cùm autem acceperis, & oportet in continentia perseuerare, omnia perdis. Quamquam æquum est ante, & post communionem ieiunare. Oportet enim vtroque tempore continentem esse: sed maximè post acceptū sponsum. Ante vt dignus fias accipiendi, postmodum, vt non indignus videaris qui acceperis.* Et Clemens Rom. epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini, vult vt qui residua corporis Domini consumunt, non statim ad communes cibos accipiendos conueniant, ne putent sanctæ portioni commiscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Addit que, vt qui manè Dominicam portionem ederint, vsque ad sextam ieiunent: & qui tertiā, vel quartā horā acceperint, ieiunent vsque ad vesperam. Quæ verba referuntur in can. *Tribus gradibus, de Consecrat. dist.* 2. Sed vt bene notat auctor supra citatus post Archidiaconum, & Syluestrum, Canon iste longa consuetudine contraria abrogatus est: sufficitque modò expectare donec species sacramentales consumptæ fuerint (quod breui tempore fit, medio circiter quadrante in sacerdotibus vtramque speciem accipientibus, in aliis verò celeriùs) vel etiam aliquantò ampliùs, ob reuerentiam cibi istius diuini cum vulgari, & prophano non miscendi.

Abstinendum à cibo & potu paulò post communionem.

SECTIO VI.

De frequenti vsu communionis: & primò, an & quatenus sit licitus?

67. TRia de argumento proposito explicanda sunt. Primò, liceatne semel quotidie, vel plusquam semel ad communionem accedere? Secundò, sitne melius frequentiùs, quam rariùs communicare? Tertiò, quid in praxi vnicuique circa frequentiam, vel infrequentiam communionis faciendum, aut consulendum sit? Quæ omnia sequentibus conclusionibus explicabuntur.

Liceatne sæpius eodem die? Dico primò, iure Ecclesiastico prohibitum esse, nè quis sæpius quàm semel eodem die communicet, exceptis certis casibus. Ita doctores communiter: colligiturque ex cap. *Consuluisti, de celebratione Missarum*, & cap. *Sufficit, de consecrat. dist.* 1. vbi prohibetur sacerdotibus plusquam semel quotidie sacrificium Eucharistiæ celebrare: & consequenter prohibetur laicis plusquam semel quotidie Eucharistiam sumere: quam illationem consuetudo Ecclesiæ declarat, & confirmat. Et quidem ratio huius prohibitionis est vtrisque communis, atque ordinariè magis habet locum in laicis communicantibus: nimirum quia id expedit ad mortem Christi repræsentandam, qui semel tantùm mortuus est: & ad maiorem huius sacramenti reuerentiam: & quia vix possunt fideles sæpius in die tantam procurare dispositionem, quantam afferre ad communionem conueniens est.

68. Quid de iure naturali, aut diuino. Dixi autem, *iure Ecclesiastico*: quia iure naturali, & diuino id non est prohibitum: sed solùm, vt ne quid fiat circa vsum huius sacramenti, ex quo vilescat, aut irreuerenter tractetur, vel in contemptum, & irrisionem adducatur. Cuiusmodi esset, si quis vellet singulis horis ter aut sæpius communicare. Pertinuit autem ad Ecclesiam determinare, quid circa illius frequentiam seruari debeat: vt fecit prohibendo communionem plusquam quotidianam, excepto casu necessitatis, & quibusdam aliis ab ipsa expressè concessis. Nam in die Natalis Domini concedit sacerdotibus ter celebrare, adeoque ter eo die communicare: quod tamen laici, non possunt: cap. *Consuluisti*, & cap. *Sufficit*, supra citatis. Ibidemque permittit, vt in casu necessitatis possint plusquam semel in die celebrare. Vt quando propter penuriam sacerdotum, & paupertatem Ecclesiarum, concedunt Episcopi, vt vnus duabus parochiis seruiat, & in vtraque sacrum eodem die celebrare possit, adeoque bis communicare. Vel quando aliter non potest vitari graue aliquod malum, præponderans præcepto non communicandi bis. Vt si v.g. sacramentum Eucharistiæ esset alioqui venturum in manus infidelium, & indignè habendum. Aut si post consecrationem contingat sacerdotem mori, vel repentino morbo corripi, ita vt nequeat sacrificium peragere, & non sit alius à quo perficiatur, nisi sacerdos qui iam communicauerit. Tunc enim sicut potest perfici à sacerdote non ieiuno, vt expresè habetur in regulis Missalis, cap. de defectibus §. 10. ita & ab illo qui iam semel communicauerit. Integritas enim sacrificii quæ est iuris diuini, præponderat vtrique præcepto Ecclesiastico.

Addunt aliqui, ei qui post communionem eodem die subitò incidit in periculum mortis improuisum, licere iterum sumere Eucharistiam per modum viatici. Qua de re videri potest Ysamb. ad quæst. 80. disp. 5. art. 2. & 3. vbi fusiùs hanc sententiam persuadere conatur. Sed contrarium tenendum puto cum aliis Theologis, quorum sententia est adeo communis, vt Suar. disp. 69. sect. 3. non vereatur dicere, sententiam affirmantem id licere, esse contra omnes doctores, contraque receptam Ecclesiæ consuetudinem. Et Aegid. Conin. q. 80. art. 11. dub. 3. num. 100. affirmet illud à nemine concedi. Videri potest speciatim Cardinalis Delugo disp. 17. de Euchar. sect. 3. vbi fusiùs, & accuratiùs hanc quæstionem discutit. Quod verò attinet ad horam communicandi, seruanda est consuetudo Ecclesiæ, & communicandũ eo tempore, quo solet Eucharistia distribui cõmuniter, excepto casu necessitatis.

Dico secundò, vsum frequentem communionis, etiam quotidianum, esse licitum per se loquendo, & iure diuino permissum. Probatur primò ex Scriptura, quæ Act. 2. v. 42. significat fideles tempore Apostolorũ quotidie communicasse, idque veluti bonum, & laudabile commemorat. *Erant*, inquit, *perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Et paulò post, v. 46. *Quotidie quoque perdurabant vnanimiter in templo*. Quæ verba simul iuncta de quotidiana communione intelligunt communiter SS. Patres, & interpretes Catholici. Ad eundemque vsum quotidianum Eucharistiæ referunt illam petitionem orationis Dominicæ, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, Cyprian. in expositione eiusdem orationis, Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4. & August. homil. 42. & epist. 121. ad Probam, quorum verba referemus paulò post. Libros autem de Sacram. Ambrosio inscriptos, esse germanum illius fœtum pro indubitato habent Bellarm. in lib. de Script. Eccles. Perron. lib. 2. de Euchar. auctore 14. & plures alii in lectione Patrum optimè versati. 69. Communio quotidiana est perse licita. Probatur ex Script.

Probatur secundò ex SS. Patribus, quorum aliqui significant vsum valde frequentem communionis Eucharisticæ fuisse suo tẽpore non modò permissum, verùm etiam præceptum. Sic enim D. Thom. q. 80. art. 10. ad 5. aliique multi exponunt id, quod ait Anacletus Papa epist. 1. circa medium, & refertur dist. 2. de Consecrat. cap. *Episcopus* 70. Idem probatur ex Patribus.

& cap. *Peracta*, dist. 2. eodem tit. *Peracta*, inquit, *consecratione omnes communicēt, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia*. Eódemque pertinet, quod in can. 9. & 10. Apostolorum statuitur, vt qui Missę sacrificio intersunt perseuerēt in oratione, vsquedum Missa peragitur, factaque oblatione communicent: ac si absque causa rationabili id facere prætermittant, communione priuentur. Alii vsum quotidianum Eucharistiæ partim suo adhuc tempore viguisse affirmant; partim veluti de se bonum, & laudabilē commendant. Vt Tertull. lib. 2. ad vxorem cap. 5. *Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustet: & si sciuerit, tamen non illum credit esse, qui dicitur*. Quibus verbis, & aliis ibidem adiunctis significat morem fuisse fidelium sui temporis quotidie ante omnem alium cibum Eucharistiam sumere: id enim indicant illa eiusdem verba paulò ante, *Nolite*, inquit, *margarita vestra ante porcos iactare, ne conculcent ea; & conuersi, vos quoque euertant. Margarita vestra sunt quotidianæ conuersationis insignia*. In eumque vsum illam domum deferebant olim fideles in orario, & reuerenter seruabant, vt patet ex pluribus sanctorum Patrum testimoniis, Clementis Alex. lib. 1. stromat. Cypriani serm. de lapsis, Basilii epist. ad Cæsariam Patritiam, Hieron. in apol. pro libris suis contra Iouinianum. Cyprianus autem in expositione orationis Dominicæ, circa illa verba, *Panem nostrum quotidianum*, &c. sic ait: *Hunc autem panem dari nobis quotidiè postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti, & non communicantes à cœlesti pane cohibemur: à Christi corpore separemur*. Quibus similia habet August. epist. 121. ad Probam. cap. 11. & lib. 50. homil. homil. 42. *Panem nostrum*, inquit, *quotidianum da nobis hodie, Eucharistiam tuam quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium*. Et Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Quotidie accipe, vt quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidiè merearis accipere. Qui non meretur quotidiè accipere, non merebitur post annum accipere*. Et denique, vt alios prætercam, Hieron. in Apologia supra cit. testatur morem Ecclesiarum Romanarum sui temporis fuisse quotidie communicare: & in epist. 28. ad Lucinium, prope finem, addit eundem fuisse morem Ecclesiarum Hispaniæ.

Eucharistia panis quotidianus.

71. Confirmatur ex Trident.

Probatur tertiò auctoritate Concilii Trident. sess. 22, cap. 6. vbi consuetudinem illam primitiuæ Ecclesiæ hoc tempore restitui, si fieri posset, desiderare se affirmat his verbis: *Optaret quidem sancta Synodus, vt in singulis Missis fideles astantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus vberior proueniret*: adeoque communicarent quotidie, qui quotidie Sacrificio Missæ adstant, vt plerique solent. Et Catechismus eiusdem Concilii, iussu Pii V. editus, parte 2. cap. 4. sect. 61. instruit Parochum, vt hortetur fideles ad hunc panem quotidie sumendum, sicut corpori in singulos dies alimentum subministrant. Et declaratio Cardinaliū Congregationis Concilii Tridentini anno 1587. circa locum supra relatum, affirmat illum obstare Episcopo volenti præscribere certa tempora (velut dies Dominicos, quartam, & sextam feriam) quibus tantùm liceat viris laicis, coniugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non coniugatis, sanctissimam Eucharistiam sumere, ob irreuerentiam, quam potest quotidiana huius cibi sumptio in sua Diœcesi parere. Additurque ibidem hæc ratio: Quia antiquo tempore, peracta consecratione, omnes adstantes sumebant Eucharistiam: & ideo licitum est quotidie Eucharistiā sumere. C. *Quotidie, De consecr. dist. 2.* Quapropter exhortandi sunt fideles, vt sicut quotidie peccant, ita quotidie medicinam accipiant, *Si quotiescunque, De consecrat. dist. 2.* Hucusque Sacra Congregatio, prout habetur in Concilio recens edito cum declarationibus, & in 4. volumine Decisionum Rotæ, ad cap. 6. sess. 22. Refertur etiam à Cardinali Delugo disp. 17. de Euchar. sect. 4. num. 41.

Probatur 4. ratione insinuata à Tridentino verbis antea relatis, & à D. Thoma quæst. 80. art. 10. in c. vbi affirmat vtile esse quotidie sacramentum hoc sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Vnde Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 6. *Si quotiescunque*, inquit, *effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere: qui semper pecco, debeo semper habere medicinam*. Quæ verba referuntur dist. 2. de consecrat. cap. 14. Aliam rationem insinuat Trident. sess. 13. cap. 2. cùm ait Christum voluisse hoc sacramentum sumi tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur, viuentes vita illius, qui dixit, *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur. Nimirum quia, vt rectè dicit Bernard. vel quis alius apud ipsum auctor Sermonis de Cœna Domini, in magnis peccatis impedit consensum, & in minimis sensum minuit. Et quemadmodum ad vires corporis reparandas, vitamque conseruandam opus est cibo corporali quotidiano: sic ad vires animæ restaurandas contra detrimenta à culpis quotidianis illata, vitamque spiritualem contra tentationes & peccandi pericula tuendam, expedit quotidie cibo isto diuino eam reficere. 72. Probatur ratione.

Dixi in fine conclusionis, *per se loquendo*; quia per accidens ratione status peccati, vel irreuerentiæ, & indeuotionis, potest esse cuipiam illicitum tam frequenter communicare, vt patebit inferiùs. Dixi etiam, *iure diuino*; quia iure Ecclesiastico fortè prohibi- 73.

tum communicare in die Parasceues, excepto celebrante officium, aut casu necessitatis: excepto etiam priuilegio concesso quibusdam Galliæ Ecclesiis Deo consecratis in honorem Beatæ Virginis Mariæ, in quibus licitum est non modò Eucharistiam sumere; verùm etiam sacerdotibus omnibus eo accedentibus Sacrificium Missæ celebrare in die Parasceues, quotiescunque festum Annunciationis B. V. in eum diem incidit. Sed neque illa prohibitio Ecclesiastica communicandi modo laico in die Parasceues, vllo sufficienti argumento probatur: ideoque negatur communiter à Theologis, vno aut altero excepto, vt videre est apud Suarem disp. 80. de Euchar. sect. 2. §. *Secundus dies est Parasceues.* Vitandum tamen hac in re scandalum pusillorum, & recepta consuetudo locorum vbique seruanda.

73. Communio frequētior est melior, per se loquendo. Dico tertiò, per se loquendo melius esse frequentiùs ad Eucharistiam sumendam accedere, quàm rariùs. Patet ex dictis assertione præcedenti. Nam sine dubio melius est per se loquendo; id quod primi Christiani tam laudabiliter fecerunt, quodque tum ipsi Apostoli ex quorum disciplina id faciebant, tum etiam Pontifices, & SS. Patres eorum contemporanei, aut vicini commendarunt: quod denique etiam nunc optauit generalis Synodus Tridentina in vsum reuocari. Cuius exactissimus obseruator S. Carolus Borromæus in Concilio tertio Mediolanensi Actorum parte 1. tit. de iis quæ ad Sacram. Eucharistiæ pertinent; pag. 92. statuit vt Parochi ad saluberrimum huius sacramenti frequenter sumendi vsum fideles cohortentur, & excitent, *nascentis Ecclesiæ institutis, atque exemplis, & grauissimorum PP. vocibus, & vberrima hoc ipso de genere Catechismi Romani doctrina, & sententia denique Tridentinæ Synodi quæ optaret quidem fideles in singulis Missis non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare. Quod si quis côcionator, etiam regularis, aliquid côtra directè, indirectève dixerit, aut concionatus sit: Episcopus, in cuius vrbe, Diœcesive hoc ille admiserit, ei tanquam scandalum disseminanti, Tridentinæ eiusdem Synodi auctoritate interdicat prædicationem verbi Dei.*

74. Probatur ex Concil. & Patrib. Eundem vsum frequentem commendant alia multa Concilia; vt Senonense an. 1524. Carnotense an. 1526. Parisiense an. 1557. Burdegalense an. 1572. Aquisgranense sub Gregor. IV. an. 836. cap. 3. can. 22. cuius verba sunt: *Sanè communicatio corporis Domini omni quolibet die Dominico debuit celebrari: ne forte qui longè est à sacramentis, quibus est redemptus, longè fit à salute, quam fuerat consecuturus.* Nimirum quia, vt rectè dixit Theodulphus Episcopus Aurelianensis ante annos circiter octingentos, in suo capitulario, cap. 44. *Sicut periculosum est impurum quemquam ad tantum sacramentum accedere: ita etiam periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere.* Ex quibus patet quàm longè absint à sensu Ecclesiæ, & SS. Patrum, qui hodie prætextu pœnitentiæ publicæ, & excellentis cuiusdam dispositionis, quam vix Apostoli ipsi attigerunt, conantur fideles à frequenti communione auertere, imò & ab omni communicandi vsu deterrere.

Confirmatur ex D. Thom. q. 80. art. 10. ad 5. vbi affirmat infrequentiam communionis, non nisi ex defectu deuotionis, & diminutione feruoris fidei, & charitatis introductam esse. Quando enim, inquit, magna vigebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit vt fideles quotidie communicarent, teste Anacleto Papa epist. supra citata: postmodum verò, diminuto fidei feruore Fabianus Papa indulsit, vt si non frequentiùs, saltem ter in anno omnes communicarent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini; vt habetur de Consecr. dist. 2. cap. *Et si non frequentiùs.* Postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente charitate multorum, statuit Innocentius III. vt saltem semel in anno, scilicet in Paschate fideles cõmunicent, cap. *Omnis vtriusque sexus, de Pœnit. & remissionibus.* Et in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. §. *Ad secundam quæst.* dicit in hoc sacramento duo requiri, desiderium coniunctionis ad Christum, & reuerentiam sacramenti: quorum primum inclinat ad sumendum, secundum ad abstinendum. Quare cùm amor timori præponderet, cæteris paribus, laudabilius est sumere, quàm abstinere: dum tamen ex frequenti sumptione, amor intendatur, & reuerentia non minuatur, vt addit ibidem D. Thom. 75. Confirmatur ex D. Thom.

76. Probatur ratione. Ad idem præterea confirmandum valent hæ rationes à Suare propositæ disp. 69. sect. 4. conclus. 2. Quia, inquit, dignè communicare per se bonum est: abstinere verò non est bonum, nisi per accidens defectu dispositionis, aut reuerentiæ sufficientis. Bonum autem per se præferendum est ex suo genere, bono per accidens. Secundò, quia frequenter accedere est ex propensione charitatis: differre autem est ex timore, vel negligentia. Melius autem est, per se loquendo, operari ex charitate, quàm ex timore. Tertiò, quia communicans cæteris paribus excedit alium in fructu Sacramenti ex opere operato: & potest facile in aliis esse æqualis: quia voluntas dignè communicandi non est minùs bona de se, quàm affectus abstinendi ex timore, aut reuerentia. Quartò, quia si infrequentia laudabilis est, aut abstinentia communionis: maximè propter excitandam reuerentiam, & deuotionem, aut propter defectum puritatis vitæ. Sed ad deuotionem, & reuerentiam concipiendam, aut procurandam vitæ puritatem, non minùs iuuat frequẽs vsus communionis, si prudenter fiat. Nam & bona consuetudo iuuat ad similes actus meliùs exercendos, & efficacitas Sacramenti multùm confert. Plurimique experiuntur dilationem communionis nocere magis eorum profectui spirituali, vitæque puritati, quàm prodesse: maioremque deinde sentire difficultatem in obeunda confessione pecca-

torum, & procuranda præparatione debita ad sumendum corpus Domini, sæpius etiam cadere in peccata venialia, & fieri ad resistendum fragiliores, posseque verè dicere cum Psalmista, *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*, Psal. 101. Neque mediocris est ille fructus communionis frequentis, quod plerique illius ope à peccatis mortalibus diutissimè abstinent, & in venialia multò rariùs labuntur, maioremque rerum diuinarum sensum, & gustum conseruant. Esto, non adeo atque optandum esset, magnos progressus in via perfectionis, & vitæ spiritualis faciant. Cùm è contrario experientia quotidiana doceat, longè aliam eorum esse vitam, qui raro tantùm vel semel in anno communicant.

SECTIO VI.

Quam frequenter vnicuique communicandum sit?

77. Dico quartò, Tametsi non potest vna regula generali definiri, quàm frequenter vnicuique ad communionem accedendum sit, sed standum sit iudicio prudentis, & probi directoris conscientiæ: generaliter tamen dici potest, inclinandum magis esse vnicuique ad frequentiam, quàm ad raritatem: neque ad frequenter communicandum expectandum esse donec simus ab omnibus malis habitibus, & vitiorum phantasmatis liberi, Deoque perfectè vniti, & sancti, atque immaculati: sed potius ad illud per frequentem communionem enitendum esse pro viribus, velut vnum de mediis efficacioribus à Christo suppeditatis in hunc finem.

Non potest regula generalis tradi, circa frequentiam communionis.

Prima pars huius assertionis traditur à Catechismo Tridentino iussu Pii V. edito, parte 2. cap. 4. n. 46. in tractatu de sacramento altaris, vbi sic ait: *Sæpius iterandam communionem existiment. Vtrum autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest.* Et à D. Bonauent. lib. 2. de profectu Religiosorum cap. 77. cuius verba hæc sunt: *Si verò aliquis desiderat experiri verum sit melius sæpiùs, an rariùs Corporis Christi suscipere sacramentum? Videtur mihi quòd non posit super hoc omnibus dari regula vniformis. Varia sunt hominum merita, & diuersa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritus sancti operationes in singulis, & diuersi etiam status in religione. Et ideo sicut ægrotantibus non potest vna forma seruari in dandis medicinis corporis, propter diuersitates complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ, vel aliarum considerationum: pro quibus aut rariùs, aut sæpiùs, aut maiori, aut minori quantitate eadem medicina datur. Ita de medicina spirituali, quæ est corpus Christi, intelligendum*: & videlicet spiritualis medici iudicio hac in re standum. Et paulò post addit, exceptis sacerdotibus, sufficere aliis semel quauis hebdomada ex consuetudine communicare: nisi specialis causa quandoque, vel ratio plus suadeat, infirmitas superueniens, vel singulariter festiuitas solennis, vel inusitatæ deuotionis feruor &c.

Idem etiam vel expressè docent, vel supponunt reliqui Theologi, quorum plurimos refert Henriq. lib. 8. de Euchar. cap. 53. §. 2. Videri etiã potest Salmeron, qui accuratè scripsit de hoc argumẽto tom. 9. tract. 41. & in fine sic habet: *Vt autem veniamus ad laicos: quibusdam quotidiana communio conuenit, quibusdam semel in mense; & sic de aliis, pro cuiusque dispositione, & arbitrio sacerdotis, modò sit prudens, ac probus: ita vt non posit certa aliqua regula assignari.* Nimirum sicut in aliis rebus, magni præsertim momenti, ad conscientiam pertinentibus, debet quisque in dubio non regi proprio iudicio, sed aliorum proborum, & doctorum; præsertim verò boni, & prudentis confessarii, cui ipsius conscientia meliùs nota est; sic & in isto grauissimo negotio, in quo irreuerentiæ periculum esse potest, si minus frequenter accedatur, & sine conuenienti dispositione; vel detrimenti spiritualis, si non satis frequenter. Imò non solùm communionem ex deuotione, sed etiam necessariam ex præcepto in Paschate differri posse, ac debere ex arbitrio confessarii, si id expedire iudicauerit, docet Concilium Lateran. cap. *Omnis vtriusque sexus*. 78.

Secunda pars huius assertionis, quòd scilicet vnicuique sit inclinandum potiùs in frequentiam, quàm in raritatem communionis, sequitur ex dictis num. 73. & seqq. nam in illud vnicuique magis inclinandum est, quod de se melius est, & ad quod SS. Patres, & pastores Ecclesiæ in Conciliis œcumenicis, & Prouincialibus fideles sæpius hortantur, & inducere conantur: quodque, vt docet experientia, plurimum iuuat ad puriùs viuendum, & resistendum tentationibus, & ad maiorem vnionem cum Christo, sensumque rerum diuinarum habendum. Quare vnusquisque tum seipsum, tum etiam alios ad id excitare debet; præsertim verò qui alios publicè instruũt concionibus, Catechesibus, & scriptis libris. Meritòque Ludouicus Granatensis, vir æquè pius, ac eloquens, sermone primo de sanctissimo sacramento, conqueritur de illis, qui contrarium faciunt, dicens armare Dæmonem interdum quorumdam eruditorum linguas contra frequentem huius sacramenti vsum, *non omnium*, inquit, *sed eorum, quorum scientia inflationem magis, quàm deuotionem, & pietatis ardorem parit.* Meritò etiam S. Carolus Borromeus in Concilio Mediolan. III. statuit vt huiusmodi concionatores interdicantur, velut scandalosi. Estque manifestum valde imprudenter eos agere, & pietati non parum nocere, vt sapienter obseruauit Card. De lugo disp. 17. num. 48. Tum quia populus hoc tempore multò magis propendet ad infrequentiam communionis, quàm ad nimiam frequentiam. Ex quo fit, vt qui frequentiam reprehendunt, faueant illorum 79.

Inclinandum est potius in frequentiam.

tepiditati, denique illis ansam, quam facilè, libenterque arripiunt, prætexendi suæ desidiæ, & indeuotioni velum reuerentiæ, & pietatis. Tum etiam quia maius incōueniens sequitur ab exhortatione ad raritatem, quàm ad frequentiam. Nam vt plurimum ad frequentiam non mouebuntur nisi pii, & timorati, quorum feruorem facile erit confessario moderari, si opus sit. Ad raritatem verò nimis per seipsos propendent mundani, & carnales homines, quibus iste cibus spiritualis desipit, quique potius egent incitamento, vt frequētiùs, & studiosiùs debitam præparationem procurent. Atque vt rectè ait Granatensis loco supra citato, si inter eos, qui piè & religiosè ad hoc sacramentum accedunt, multi sunt qui vel frequentiùs, quàm par erat, accedunt, vel fortassis indignè accedunt, & pereunt. Quantò quæso plures erunt, qui, si accederent, non perirent? Horum quidem perexiguus, & incertus est numerus: illorum autem pene infinitus, & manifestus vt pote quos scelerata vita manifestos facit.

80. Non est expectanda perfecta vitæ puritas. Tertia pars eiusdem assertionis, quòd scilicet expectandum non sit, ad frequenter communicandum donec simus ab omnibus malis habitibus, & vitiorum phantasmatis liberi, perfectéque Deo vniti, & sancti, atque immaculati &c. Est contra recentiores illos, quorum errores fusiùs impugnauimus sect. 2. & duabus sequentibus.

Probatur ex Scrip. Probatur autem primò ex Scriptura, quæ è contrario infirmos animo, & malè affectos hortatur vt ad Christum in sacramento, velut ad medicum spiritualem accedant, ab ipsoque remedium suis infirmitatibus quærant, iuxta illud Christi Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et vt ait Trident. sess. 13. cap. 2. *Sumi voluit*, Christus, *sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortētur viuentes vita illius, qui dixit. Qui manducat me, & ipse viuet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.* Tantùmque abest, vt peccata venialia, & quotidiana debeant ab hoc remedio prohibere, vt è contrario canon *Si quotiescunque*, de Consecrat. dist. 2. sumptus ex D. Ambrosio lib. 4. de sacram. cap. 6. affirmet fideles sicut quotidiè peccant, ita quotidie debere hanc medicinam accipere. Et Catechismus Tridentin. in tract. de Sacram. altaris, asserat *panem istum quotidianum sumi in remedium quotidianæ infirmitatis.* Tantum, inquam, abest, vt propter infirmitatem animi, & propensionem ad peccandum, sit abstinendum à frequenti communione; vt potiùs propter illam magis necessaria sit. Egent enim infirmi sæpius à medico visitari: & vt Christus ipse dixit Luc. 5. *Non egent, qui sani sunt medico, sed qui malè habent.* Medicus autem, & medicina simul est cœleste, ac venerabile Sacramentum, vt ait August. seu quis alius autor serm. 28. de verbis Domini. Et vt habet Catechismus Tridentini in tractatu citato, parte 2. cap. 4. n. 40. *Illa in sacris mysteriis vis est, vt nos à criminibus puros, atque à tentationum impetu seruet incolumes, ac tanquam cælesti medicamento animam præparet, ne alicuius mortiferæ perturbationis veneno facilè infici queat.* Tantum denique abest, vt languor, & debilitas animæ debeat à frequēti accessu Eucharistiæ auertere: vt potiùs, quò quisque languidior, & debilior est, magis egeat cibo illo diuino confortante, & reficiente vires: quippe qui, vt Trident. ait sess. 13. cap. 8. *Verè est animæ vita, cuius vigore confortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere, ad cælestem patriam peruenire valeant.* Et Catechismus Tridentini supra citatus, *Sacræ Eucharistiæ cibus non solùm animam sustentat, sed vires illi addit &c. Quidquid enim anima cupiditatis ardore amisit, dum leni aliqua in re parum offendit, totum Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit.*

Probatur secundò ex SS. Patribus, qui similiter docent ab Eucharistiæ sumptione, velut medio diuinitus ad hoc instituto, quærendum esse infirmitatū nostrarum spiritualium, & peccatorum quotidianorum remedium: quia, vt rectè ait Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 17. *Non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit, sedat in nobis sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* Et paulò ante dixerat non esse verēdum propter peccata quotidiana ad Eucharistiam accedere, ne alioqui qui quotidie peccare non desinimus, expertes omnino simus viuificæ huius sanctificationis. Et Hilarius, seu potiùs August. epist. 118. relatus cap. 15. de Consecr. dist. 2. *Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare.* Et Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 6. *Graue est*, inquit, *quòd ad mensam tuam Domine mundo corde, & manibus innocentibus, non venimus: sed grauius est, si de peccatis metuentes, sacrificium non reddamus.* Et Petrus Damian. opusculo 47. cap. 2. consilium dat iuueni carnis stimulis vexato, vt satagat quotidie se Dominici corporis & sanguinis perceptione munire. Et Bernard. in serm. 1. de cœna Domini, inuitat ad agendas Christo gratias, quòd Eucharistiæ perceptione minuantur in nobis motus iracundiæ, inuidiæ, luxuriæ, aliorumque vitiorum: quòdque ipsius operatione pessimum vlcus ad sanitatem accedat. Et Chrysost. in psalm. 22. ad illa verba, *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me*, dicit mensam illam esse S. Eucharistiam, paratam contra suggestiones inimici, agitationes animi, cupiditates, voluptates, honores sæculi &c. Et homil. 51. in Matth. hortatur vt exemplo Hæmorrhoissæ accedamus ad Christum in Eucharistia, obtinendæ sanitatis causa. Et Cassianus D. Chrysostomi discipulus Collat. 23. cap. 21. *Nec tamen ex eo*, inquit, *debemus nos à Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores: sed ad eam magis, ac magis, est propter animæ medicinam,*

81. Confirmatur ex SS. Patrib.

& purificationẽ spiritus auidè festinandum. Veruntamen cũ humilitate mentis, ac fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ indicãtes, remedia potius nostris vulneribus expetamus. Alioqui nec anniuersaria quidem dignè est præsumenda communio: vt quidam faciunt, qui in Monasteriis consistentes, ita sacramentorum cœlestium dignitatem, & significationem, ac meritum metiuntur, vt æstiment ea non nisi sanctos, atque immaculatos debere præsumere, & non potiùs sanctos, mundosque nos sua participatione perficiant. Qui profectò maiorem arrogantiæ præsumptionem, quàm declinare sibi videntur, incurrunt: quia vel tunc, cùm ea percipiunt, dignos se eorum perceptione diiudicant. Multò enim iustius est, vt cum hac cordis humilitate, quâ credimus, & fatemur illa sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis diebus, ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quàm vana persuasione cordis elati, vel post annũ dignos nos eorum participio credamus.

82\. His adde è recentioribus mysticæ Theologiæ doctoribus illustrioribus Gersonem in opusculo de Præpar. ad Miss. vbi inter alia, consideratione 4. affirmat non esse desistendum à frequenti celebratione Eucharistiæ propter teporem: sed meliùs esse, eo non obstante, ad celebrandum accedere: sæpeque contingere, *vt suscipiat initium celebrationis hominem parum deuotum, & frigidum: quem in fine calescentem dimittit, & feruidum*: Et Ludouic. Blosium in Sacello animæ fidelis, parte 3. cap. 16. §. 5. vbi sic habet: *Non quidem inficias eo bonum esse ad tempus ex profunda humilitate abstinere, sed multò melius fuerit ex amore accedere.* Et paulò post: *Non ergo ob id abstinere debetis, quòd vitiosos, seu defectuosos vos esse conspicitis: quin imò ob hoc ipsum tantò amplius ad hanc gratiam properandum est: &c. Nemo igitur propter minores defectus suos à perceptione venerabilis Eucharistiæ abstineat: sed potius infirmus, & imperfectus quisque bona voluntate præditus, cum gaudio, & amore accedat.* Et Franciscum de Sales Episcopum Geneuensem, vitæ sanctitate, æquè ac doctrina illustrem, 2. part. Philoth. cap. 21. vbi affirmat duobus hominum generibus frequenter communicandum esse: *Perfectis, quia cum sint bene dispositi, debent ad illum perfectionis fontem, & auctorem accedere: imperfectis, vt aptè valeant ad perfectionem aspirare. Fortibus, ne debiliores fiant: debilibus, vt fortiores euadant. Infirmis, vt sanitatem recipiant: sanis, ne in morbum incidant, &c.* Neque alius fuit sensus alterius noui Ecclesiæ luminis S. Caroli Borromæi, quando statuit in Concilio III. Mediolan. alibique sæpius, vt pastores, & concionatores hortentur omnes ad frequentẽ communionem. Si enim existimasset tantam vitę puritatem necessariam esse ad frequentem illius vsum, quantam affirmant moderni quos impugnamus; vel malè omnes ad illam incitari voluisset: vel supposuisset imprudenter, & falsò, omnes fideles suæ curæ commissos, & aliorum comprouincialium, de quibus sic statuebat, esse sanctos, & omnino immaculatos, planéque irreprehensibiles, & perfectè soli Deo vnitos, atque ab omnibus malis habitibus, & vitiorum phantasmatibus liberos, quales aduersarii contendunt esse debere eos omnes qui frequenter communicant, non solùm de consilio, sed de necessitate præcepti, & sub pœna sacrilegæ & indignæ sumptionis.

Et ex mysticæ Theologiæ Doctoribus.

Curandum verò est diligenter omnibus ad hoc sacramentum frequenter accedentibus, vt non modò cum reuerentia, & spirituali fame, & deuotione semper accedant: verùm etiam vt eius ope magis, ac magis vitiis purgari, & in virtutibus progredi, contraque peccandi occasiones, & pericula corroborari satagant. Quique de hoc argumento scribere suscipiunt, vel in concionibus, & Catechesibus verba de illo faciunt: nihil aliud prę oculis habere debent, quàm quod ad tanti sacramenti venerationem, & dignitatem, simulque ad animarum vtilitatem, & profectum spiritualem magis conuenit. Diligenterque cauendum est, ne quod à Christo institutum fuit sacramentum amoris, & concordiæ inter fideles; fiat illis argumentum contentionis, & dissidii. *Væ mundo à scandalis. Necesse est enim, vt veniant scandala*: id est, fieri nequit propter hominũ improbitatem, vt non aliquando contingant. *Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. v. 6. & 7. 83.

SECTIO VII.

Obseruationes circa doctrinam præcedentem, & solutio argumentorum contrariarum sententiarum.

Illud etiam postremò aduertendum est: quamuis contingat inter communicandum distrahi aliquando propter humanam fragilitatem, aut leuem aliquam negligentiam, & irreuerentiam committi: non propterea desistendum esse à frequenti communione, & à fructu percipiendo, qui ex illa redundat: sed enitendum, vt maiori attentione, & deuotione accedamus. Quemadmodum licet inter orandum subrepant frequenter euagationes animi, in quibus vitandis leuis aliqua negligentia, & irreuerentia culpabilis sępe contingit: non propterea à frequenti oratione abstinendum est, sed procuranda maior attentio, & vitandi defectus quoad fieri potest. Præsertim cùm fideles, qui sæpius ad communicandum accedunt ex sincero desiderio vniendi se Christo, & vires animę reficiendi cibo isto diuino, proficiendique in via mandatorum Dei; experiantur dilationẽ communionis in longũ tempus sibi nocere, seque inde frigidiores, imbecilliores & deteriores euadere. Quare licet interdum bonum sit 84.

Non desistendum à frequenti communione propter aliqua venialia.

bonum ſit abſtinere, à tam frequenti communione ad maiorem reuerentiam excitandam, poſſitque illius dilatio iniungi à confeſſario, quando iuſtis de cauſis id magis expedire iudicauerit: prudenter tamen cauendum eſt, ne id fiat cum periculo maioris malj, ob detrimentum ſpirituale pœnitentis.

8. Quotidiana, aut frequens communio quibus conſulenda?

Præterea quamuis, vt ſupra diximus, impoſſibile ſit regulam generalem pro omnibus tradere, quâ præcisè definiatur quid confeſſariis hac in parte præſtandum ſit, & quàm frequens communio vnicuique fidelium ſit conſulenda, vel permittenda; ſed hoc prudenti eorum iudicio definiri debeat: vt tamen aliquid dicamus; quod ad formandum prudens illud iudicium vtile ipſis eſſe poſſit, ſimulque aliis fidelibus vt ad frequentem communionem cum debita & diſcreta moderatione propendeant: addo licet in rigore ſufficiat ad frequentem, aut quotidianam communionem eadem præparatio, quæ ſufficit adultis vſum rationis habentibus ad ſemel communicandum ficut oportet, dummodo par ſemper adhibeatur: parem enim huius ſacramenti receptio exigit ſemper venerationem ex neceſſitate præcepti, & quantum eſt de ſe, vt probabilius eſſe mihi videtur: Quia tamen illa non poteſt quotidie, vel admodum frequenter adhiberi à quibuſlibet, nec niſi ab illis, qui puriùs viuunt, meliúſque ſunt ad res diuinas affecti, nec adeo curis, & negotiis ſæcularibus implicati: idcirco non omnibus, præſertim verò laicis, cômunio quotidiana conſulenda eſt: imò vix vlli eorum permittenda; niſi ſic viuat, vt quotidie mereatur accipere: quemadmodum ait Ambroſ. lib. 5. de Sacram. c. 4. Eademque de cauſa Tridentinum Concilium, quamuis deſideret, vt ſupra vidimus, quotidianæ communionis vſum reſtitui: non vult tamen omnes indifferenter ad quotidianam, vel frequenté admitti: ſed eos duntaxat, *qui ſacra myſteria corporis & ſanguinis Chriſti eâ fidei conſtantiâ, & firmitate, eâ animi deuotione, eâ pietate, & cultu credunt, & venerantur, vt panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poßint*; vt ait ſeſſ. 13. cap. 8. Et D. Thom. q. 80. art. 10. in corp. poſtquam affirmauit, quantum eſt ex parte ipſius ſacramenti vtile eſſe quotidie ipſum ſumere; vt homo quotidie fructum eius percipiat: addit: Quia tamen ex parte ſumentis requiritur vt cum magna deuotione & reuerentia ad hoc ſacramentum accedat: & multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt propter corporis indiſpoſitionem, aut animæ: idcirco non eſſe vtile omnibus hominibus ad hoc ſacramentum quotidie accedere. Si quis auté ſe quotidie bene paratum inueniat, laudabile, inquit, eſt quòd quotidie ſumat. Idem, & paulò diſtinctiùs, fuſiúſque tradit S. Bonau. lib. 2. de Profectu Religioſorum cap. 77. vbi addit, Exceptis ſacerdotibus, quorum eſt non implicare ſe negotiis ſæcularibus, ſed Deo militare, illique ſoli ſeruire, ſufficere aliis, vt ordinaria conſuetudine communicent octauo quoque die: *niſi ſpecialis cauſa quandoque vel ratio plus ſuadeat, infirmitas ſuperueniens, vel ſingulariter feſtiuitas ſolemnis, vel inuſitatæ deuotionis feruor.* Idemque docent fere omnes alii docti, prudentes, & experti in hac materia: quorum iudicium vnicuique magni faciendum & ſequendum eſt: præſertim cùm generalior Eccleſiæ conſuetudo illud approbare videatur.

Ratio eſt, quam ſupra tetigit S. Thom. & paulò explicatiùs tradit Suares diſp. 69. ſect. 4. concluſ. 3. quia regulariter loquendo tot ſunt humanæ vitæ negotia, & impedimenta, quæ & animum diſtrahunt, & tempus occupant, vt vix poſſint homines, laici præſertim, & coniugati, frequentiùs accedere cum debita diſpoſitione, nec tantum temporis huic actioni dare, quantum par eſſet. Dixi autem, *laici præſertim, & coniugati*; quia communiter, & ordinariè frequentior vſus & præparatio illi conueniens, eſt facilior religioſis, aut clericis, quàm laicis: & inter laicos, non coniugatis, quàm in coniugio viuentibus. 86.

87. Quibuſnam permittenda?

Addo, quamuis in rigore ſufficiat ad communionem quotidianam ea diſpoſitio, quæ ſufficit ad annuam; non expedire tamen cum illa ſola tam frequentem communionem permittere; ſed maiorem vitæ puritatem, pietatem, & reuerentiã erga ſanctiſſimũ hoc ſacramentum requirendam eſſe ab illis, qui vellent quotidie ad illud percipiendum accedere; vt indicant verba Tridentini ſuperiùs relata. Decet enim tam aſſiduos, & familiares Chriſti conuiuas, eius menſæ quotidie accumbentes, ſanctitatem ipſius propiùs imitari, & virtutum eius inſignibus ornatos apparere; tamque frequentis communionis dignos fructus edere. Et periculum eſt, ne qui contenti diſpoſitione illa, præcisè neceſſaria communioni annuæ, vellent quotidie participare corpori, & ſanguini Domini; reuerentiam illi debitam ſenſim minuerent, & non ſatis diſpoſiti ſæpè accederent. Quocirca D. Thom. in 4. diſt. 12. q. 3. a. 1. quæſtiunc. 2. ſapienter ait eum, qui experiretur reuerentiam minui per quotidianam communionem, & feruorem non multùm augeri, debere interdum abſtinere, vt cum maiore deuotione, & reuerentia poſtmodum accedat. Cauendum etiam eſt ne offendantur alii quotidiana communione permiſſa hominibus vitæ communis, & de cætero nihil ab illis differentibus, qui rarò, aut ſemel in anno communicant. Videndum præterea num ægrè ferat coniux comparem adeo frequenter communicare, aut parens liberos, aut magiſter diſcipulos, aut herus ſeruos, aut alii quorum intereſt: ne fortè minùs eam ob cauſam vacent officiis neceſſariis.

88. Non nimis diu differenda.

Quia tamen ita conſulendum eſt reuerentiæ ſacramenti, vt ſimul etiam profectui animarum proſpiciatur: hortandi ſunt fideles, & incendi, vt ne diu ſe priuent commu-

nione: ac si fieri potest, octauo quoque die accedere conentur; vt etiam docet Gennadius apud Augustinum lib. de Ecclesiastic. dogmat. cap. 53. vbi omnibus Dominicis diebus communicandum suadet, & hortatur, dummodo mens vacet affectu peccati mortalis, & sufficientem præparationem adhibeat. Non est autem adeo difficile, illam semel in hebdomada procurare die Dominico, aut alio die festo, quo quisque debet sæcularibus negotiis se, quoad potest, subtrahere, vt saluti propriæ & pietati studiosè incumbat. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Matth. 16. v. 26.

89. *Satisfit argumentis Aduers.* Aduersus hæc obiiciunt aduersarii Gennadium capite supra citato requirere ad licitè communicandum singulis diebus Dominicis, vt mens sine affectu peccati sit: & Nicolaum I. in responsione ad consultationem Bulgarorum idem ab illis exigere, vt singulis diebus Quadragesimæ communicarent, sicut ab ipso postulauerant. Sed huic obiectioni respondimus sectione tertia numero 30. vtrumque loqui de affectu ad peccatum mortale. Eâdemque sectione & sequenti ostendimus alia, quæ obiiciunt ex SS. Patribus magnam vitæ puritatem, & sanctitatem eximiam ad communicandum requirentibus, intelligi debere de congruo, non de præcepto: id est, de eo, quod dignitati, & sanctitati huius sacramenti conueniēs est: non autem de eo quod est præcisè necessarium, & sine peccato omitti nequit.

90. Ad id verò quod addunt, Franciscum de Sales cap. 20. lib. cit. requirere puritatem ab omni affectu peccati, etiam venialis, veluti dispositionem necessariam ad communicandum octauo quoque die, eoque sensu verba Gennadii supra relata interpretari: Respondeo, Propositionem illam generalem debere moraliter intelligi, & accommodè restringi ad ea venialia, quæ directè, vel indirectè aduersantur dispositioni necessariæ ad communionem: iuxta ea, quæ diximus sect. 4. Alioqui enim contradiceret iis, quæ dicit cap. sequenti, relatis suprà num. 82. Vel si generaliùs loquitur, intelligendus est de eo quod necessarium est ad conueniētiùs & vtilius communicandum, percipiendo non modò effectum primarium sacramenti, qui est augmentum gratiæ; sed etiam fructum spiritualis dulcedinis, quæ per P. V. impeditur, iuxta doctrinā D. Thom. q. 79. a. 8.

91. *Alterum dogma circa frequentiam communionis.* Secundò, contra moderationem adhibitam de non quotidie permittenda, neque frequentiùs (communiter loquendo) quàm octauo quoque die, communione laicis, sensit Vincent. Marzilla in lib. quem inscripsit, *Memoriale*, & altero inscripto, *Additiones ad Memoriale*; vbi, vt solent errores, æquè ac vitia, ad extrema deflectere, contendit non solùm magis expedire quoscunq; fideles, viros, ac mulieres, cuiuscunq; status, & conditionis quotidiè ad cōmunicandū accedere, ad quod ipse omnes magno studio inducere conatur: verùm etiā non debere confessariorū iudiciū exquirere, vel eorū consiliis, & monitis obtēperare, sed eo ipso quòd peccato mortali vacant, vel eius remissionē per Sacram. Pœnitētiæ obtinuerūt, posse, ac debere vti iure suo, dissuadente licet, & inuito confessario. Quæ doctrina lingua vulgari edita, vt faciliùs populo innotesceret, nō minores fere turbas excitauit in Hispania, quā nūc in Gallia lib. inscrip. *De frequenti communione, & pœnit. publica.*

92. *Proponuntur illius argumenta.* Præcipua illius argumēta hæc sunt: Primò, quia Paulus 1. Corinth. 11. non aliam requirit dispositionē ad communionē, nisi puritatem à peccato mortali, vt Trid. interpretatur sess. 13. c. 7. ergo si puritas illa quotidie habetur, vt certè haberi potest per sacramentum Pœnitentiæ, expedit quotidie communicare: & nemo iure potest contrariū præcipere, aut suadere: præcipuè cùm Paulus loco citato velit, & iubeat, aut consulat, vt qui se ita probauit, de pane illo cœlesti edat. Secundò, in cap. *Si non sunt*, De consecrat. dist. 2. sumpto ex D. August. epist. 118. sic habetur: *Si non sunt tanta peccata vt excōmunicetur quis, non se debet à medicina corporis, & sanguinis Domini separare.* Ergo neque à confessario, vel à quouis alio separari debet: sed potiùs ad illam induci, cū vacuitas ab huiusmodi peccatis mortalibus illi sufficiat ad communicādum vtiliter. Atque vt rectè ait S. Gregor. Mag. lib. 2. indictione XI. ep. 26. *Sicut exigēte culpa quis à Sacramēto communionis dignè suspenditur: ita insontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta.* Tertiò, SS. Patres hortātur omnes fideles cuiuscunq; sexûs, & cōditionis, ad cōmunicandū quotidie. Hortātur autem sine dubio ad id, quod magis expedit; & vnicuiq; consilium illorū, & exemplum sequendū est. Antecedens probatur ex Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4. *Quotidie accipe, vt quotidie tibi prosit &c. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annū accipere.* Et Chrysost. hom. 3. in epist. ad Ephes. *Tempus non efficit dignos aditu tanti sacramenti, sed sola animæ sinceritas, atque expurgatio. Cū tali puritate accede semper, sine hac ne præsumas vnquam.* Et Cypriano in expositione orationis Dominicæ, circa illa verba, *Panem nostrum quotidianū*, vbi dicit verendum esse, ne, si ab hoc pane cœlesti quotidie accipiendo abstineamus, separemur à Christi corpore. Quartò, Trident. sess. 22. cap. 6. optare se ait vt in singulis Missis fideles adstantes communicēt. Et sacra Congregatio Cardin. ibid. affirmat non posse Episc. præscribere certos dies hebdomadæ, quibus dūtaxat cōmunicare liceat, etiam coniugatis. Catechismus quoque Trident. parte 2. c. 4. sect. 46. monet Parochos vt hortentur fideles ad frequenter cōmunicandū exemplo Christianorū primitiuæ Ecclesiæ, vt testatur Lucas Act. 2. v. 42. *Erant quotidie perseuerantes in fractione panis.* Quintò, si permittitur communiter sacerdotibus, vt quotidie celebrent: potest, ac debet cōcedi aliis fidelibus, vt quotidie communicēt. Quia maior puritas

animi,& præparatio requiritur ad celebrādū, quàm ad communicandum. Ac si non expedit hodie communicare; non magis expediet post aliquot dies,aut menses: quia tunc maior non erit puritas, cùm experientia doceat minorem esse, quò rariùs communicatur. Sextò denique, sequeretur ex nostra sententia nemini posse cōcedi quotidianā communionē,sine magno periculo superbiæ:quia signū id esset talem esse adeptū insignē vitæ puritatem, quam nos ad frequentem communionem requirimus.

93. Soluitur primum argument. ex Script. Ad primū Respondeo, Paulū,vltra puritatē à peccato mortali, requirere sine dubio, vt actus ille relig. fiat ea decētia, pietate & attētione,quā ex natura sua postulat;quod etiā Trid.initio cap.citati manifestè docet. Non omnes autē quotidie illam habēt, ac ne quidem moraliter habere possūt,distracti curis, & occupationib.variis,suo statui necessariis. Sanè si idem Apostol. auctor est coniugibus abstinere aliquandiu, vt vacent orationi, 1. Cor.7.Quantò magis vt communioni corp. & sang.Dom.quæ maiorē corporis,& animi puritatē requirit.Neque abnuunt ipsi aduersarii indecens esse ad illā accedere post noct. pollutionē,saltem voluntariam. Paulus quoque loco cit. non vult,aut iubet vt panem illum cœlestem edat quicunque & quotiescunque non est sibi conscius peccati mortalis: sed mōnet, & prohibet vt nemo accedat cum illius conscientia, ne fiat reus corporis, & sanguinis Domini.

94. Diluitur secundum. Ad secundum Respondeo sensum illius Canonis esse, quòd nemo debeat propter eiusmodi peccata omninò desistere à cōmunione,veluti sibi interdicta;sed ad illā suis tēporibus accedere, quando vel pia consuetudo, vel deuotio ad id eum excitabit, debitaque dispositio non deerit:præcipuèque puritas ab omni peccato mortali, etiam ab illis quæ nō sunt tanta & talia,vt propter illa sit excōmunicatus, & separatus à cōmunione:quę pœna non nisi pro grauioribus,iisq; publicis & scādalosis imponebatur,vt alibi ostēdimus. Nō autē sensus est quòd debeat quotidie ad Eucharistiā accedere, & non possit consultò, & laudabiliter abstinere aliquādiu. Quod omninò est contra mentē D.Aug.ead. ep. 118. vbi affirmat aliquos laudabiliter exēplo Centurionis à frequenter communicando abstinere, indignos sese existimantes tanto Dei beneficio.Similique modo intelligendus est S. Gregor. Magn. loco cit. vbi tantùm vult non posse per modū pœnæ,& vindictæ, præcipi insontibus abstinentiam à communione.

95. Explicantur testimonia Patrū. Ad tertium Respondeo SS.Patres, quando hortantur fideles ad communionē quotidianam,hortari pariter ad eximiā vitæ puritatē, & sanctitatem quotidiana cōmunione dignā, quàm certè omnes non habēt.Nā Amb.loco citato addit,*Sic viue: vt quotidie merearis accipere.* Qui autē non meretur quotidie accipere non meretur quidē post an.accipere, cū eadē animi dispositione: sed facilius illi est maiorem intra ann.vel intra mensem,aut hebdomadam procurare, quàm habere quotidie. Tempus etiam per se solū non efficit dignos aditu tanti sacramenti: sed dat facultatem purgandi animum,& procurandi conuenientem sinceritatem & dispositionē,cui negotio non possunt omnes quotidie vacare,distracti sollicitudinibus,& curis huius vitę:licet possint,ac debeant interdum mentē ab illis abstrahere,æternæq; saluti diligenter consulere.Cyprian. denique loco cit.dicit tantū petere nos quotidie hunc panē nobis dari, ne si *intercedēte aliquo grauiori delicto* prohibeamur ab hoc cœlesti pane,à Christi corp.separemur.

Ad quartum dico Triden.ita optare fideles in singulis Missis,quibus adstant, communicare,vt simul velit non sine magna reuerētia, & sanctitate id fieri, quemadmodum ait sess. 13.cap.7.Et cap.sequenti hortatur,rogat,& obsecrat,vt omnes,& singuli, qui Christiano nomine censentur,hęc sacra mysteria corporis, & sanguinis Domini ea fidei constantia, & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate, & cultu credant,& venerentur,vt panem illū supersubstantialem frequēter suscipere possint.Neque alia certè fuit mens sacræ Congregationis, Concilii huius interpretis, quæ tantùm vult non posse rectè dispositis cōmunionē certis quibusdā diebus prohiberi. Catechismus verò Trident.loco cit.addit fideles illos fuisse vera,& sincera charitate feruētes,& sine intermissione orationibus, & aliis pietatis officiis vacasse,vt quotidie ad sacra Dominici corporis mysteria sumenda parati inuenirētur. Quib. verbis significat tales esse debere, qui quotidie volunt communicare. 96. Exponitur Trident.

Ad quintum Respondeo,sacerdotes ratione sui status posse, ac debere,multò magis quā laicos,orationi,& pietati incumbere: quippe liberos à cōiuge,& liberis,& à negotiis secularibus quib.eos implicari prohibet Apost. 2. Timot. 2.v.4. vt liberiùs Deo seruire, & militare possint.Quòd si quis illorum aliter facit,neque conuenientem dispositionem quotidie abhibet ad celebrandum : sequendum est illi consilium D. Bonauenturæ lib. 2. de profectu Religiosorum cap. 77.in fine.Quomodo autem maior animi dispositio intra aliquod tempus haberi possit, sepositis aliis curis, & negotiis, tuncque magis expediat communicare, diximus paulò ante. 97. Soluuntur alia duo argum. ex ratione deſumpta.

Ad sextum & vltimum Respondeo quotidianā cōmunionē non esse permittendā nisi verè humilibus,qui probè intelligāt illā vitę puritatē à Deo esse,neque posse quemquā de illa,nisi stultissimè gloriari. At neque etiam potest tanta puritas sine virtute humilitatis obtineri, & subsistere. Neque plus periculi imminet à frequenti cōmunione tam eximiè puris, quàm à dono miraculorū viris eximiè sanctis, quibus Deus eos insignes reddit.

Tertiò denique cōtra id quod diximus sufficere in rigore ad quotidianā & frequentē cōmunionē eam dispositionē, quæ sufficit ad annuam, dūmodo sēper afferatur: quia idem sacramentū eandem semper, & ab omnibus venerationē exigit ex rigore præcepti: opinatur Delugo disp. 17. de Euchar.sect. 4. n. 38. vbi affirmat posse aliquem ad cōmunio- 98. Alia sententia nostræ opposita.

DISPVTATIO TRIGESIMA-SEXTA,

De præcepto communionis Eucharisticæ.



DE præcepto communicandi disputat S. Thomas quæst. 80. artic. 11. & 12. Quorum priore asserit omnes teneri saltem spiritaliter manducare hoc sacramentum: quia hoc est Christo incorporari, sine quo salus haberi nequit. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc sacramentum. Et ideo sine eiusmodi voto non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Quare tenetur homo sacramentum hoc sumere: non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed etiam ex præcepto diuino. In posteriori affirmat non licere sacerdoti vnam speciem sumere sine altera: quia ad illum pertinet consecrare, & perficere hoc sacramentum, cuius perfectio consistit in vtraque specie. Aliis verò, propter irreuerentiæ periculum, licere sub vna sola specie communicare, sicut prouidè, inquit, in quibusdam Ecclesiis obseruatur, vt populo sanguis sumendus non detur, sed solùm à sacerdote sumatur. Hæc D. Thomas, quæ sequentibus sectionibus illustranda & confirmanda sunt.

SECTIO I.

Vtrum vsus Eucharistiæ sit in præcepto?

1. *Tenentur omnes adulti ad cōmunionem*

NOn est hic quæstio de præcepto celebrandi Eucharistiam, de quo dicemus disput. sequenti: sed de præcepto sumendi, de quo dico primò teneri omnes adultos ex diuino præcepto communicare postquam ad annos discretionis peruenerint. Probatur ex his Christi verbis Luc. 22. & 1. Corinth. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*: ad quæ alludens Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. sic ait: *Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, &c. Et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad indicandum mundum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc tanquam spiritalem animarum cibum, &c.* Neque est quòd cauilletur aliquis, relinqui dubium à Tridentino, anne ipsa sumptio præcepta fuerit in memoriam Christi? An memoria tantum in sumptione, si fiat: ita tamen vt libera sit relicta sumptio? Nam verba Tridentini simpliciter accepta aliud sonant, & fere vana fuisset præceptio memoriæ tanti beneficii in sumptione, nisi sumptionem quoque aliquatenus præcepisset. Neque tantùm memoria liberationis à seruitute Ægypti, sed esus

etiam ipse Paschalis Agni erat à Deo præceptus Exod. 12. Ad idem probandum efficaciter valent Christi verba Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam siue Christus interminetur mortem non communicantibus; siue denunciet vitam aliter consistere non posse: vtroque sensu graue præceptum inducit. Nemini enim licet vitam suam spiritalem negligere; sed tenetur quisque præcepto diuino adea adhibenda, quæ saluti acquirendæ, vel tuendæ necessaria sunt, quæque pendent ab ipsius libertate. Dignitas quoque & vtilitas tanti sacramenti, comparata cum nostra fragilitate, & necessitate spirituali: curaque perpetua & solicitudo Ecclesiæ ab Apostolis hucusque procurandi vt omnes fideles aliquando communicent, & puniendi secus facientes; satis ostendit illam existimasse non esse liberum fidelibus ab huius sacramenti participatione abstinere; sed ex Christi institutione ad eam obligari. Adde quòd absurdum esset dicere Ecclesiam posse hoc præceptum abrogare, permittereque omnibus fidelibus vt nunquã communicent. Ergo præceptum comunicandi non est purè Ecclesiasticum, sed diuinum; alioqui posset ab Ecclesia abrogari, eadem auctoritate, quâ potuit ab ipsa constitui.

2. Sed non infantes.

Dixi, *adultos*; Nam infantes non teneri patet ex Concil. Trident. sess. 21. can. 4. & ex praxi Ecclesiæ consuetudine, quæ non modò non dat, sed etiam dari prohibet communionem infantibus. Idque iuste, ob incommoda multa, quæ possunt contingere. Idemque sentiendum est de amentibus perpetuò. Neque obiicias illud Christi Ioan. 6. *Nisi manducaueritis*, &c. Nam hoc pertinet tantum ad adultos capaces præcepti, & obnoxios amissioni vitæ spiritalis per peccatum mortale, vt alibi exposuimus, disputatione 28. sect. 7. num. 56. & sequentibus.

3. Infideles etiam tenentur præcepto communionis.

Dixi autem omnes adultos, id est, tam baptizatos, quàm non baptizatos: omnes enim subsunt Christi præceptis, legibusque diuinis. Nec obest, quòd non possunt communicare infideles, donec sint baptizati. Tenentur enim procurare vt baptizentur, etiam eo nomine, vt suo tempore communicent. Neque dicas eos non teneri præcepto sacramenti Pœnitentiæ; ergo neque præcepto communionis. Respondeo enim disparem esse rationem. Nam sacramentum Pœnitentiæ non est necessarium nisi illis, qui post baptismum mortaliter peccarunt. Infideles autem non baptizati, tenentur quidem baptizari, sed non tenentur peccare mortaliter post baptismum, vt egeant sacramento Pœnitentiæ, quod non obligat nisi egentes ob peccatum mortale commissum post baptismum, aut in instanti baptismi.

4. Quo tempore obligat diuinũ præceptum communicandi?

Porro tempus, quo præceptum diuinum obligat ad communionem, non est à Deo determinatum, citra articulum mortis, in quo præceptum hoc videtur maximè obligare, quia maxima tunc est huius sacramenti necessitas. Idque confirmat Ecclesiæ sollicitudo, quæ semper diligentissimè curauit, ne morerentur fideles sine viatico. Imò Concilium Nicænum primum cap. 12. disertè ait antiquam legem obseruandam esse, ne aliquis discedat sine viatico necessario. Nimirum necessario ex præcepto diuino. Quod tamen non impedit, quin Ecclesia iustis de causis possit priuare aliquos moribundos communione, velut indignos, & incapaces implendi præcepti, ob iustam aliquam considerationem. Vt fecisse testatur Innocentius 1. Epistolâ 3. ad Exuperium. Cuius rei exempla multa habentur in Concilio Eliberino can. 1. 2. 6. 7. & 8. 12. 13. 17. 18. & in Sardic. can. 2. Potest enim Ecclesia circa vsum sacramentorum statuere, quod ipsorum venerationi, & fidelium vtilitati expedit pro locorum, & temporum varietate, vt ait Concil. Tridentinum sess. 21. cap. 2. Item qui non diu ante mortis periculum communicauit, censetur à Theologis communiter huic præcepto satisfecisse, ac ferè nullus de eo dubitat; si eodem die sumpsit Eucharistiam, licet de viatico, aut de mortis periculo non cogitauerit. Extra articulum verò mortis obligat præceptum diuinum, vt Eucharistia sumatur aliquoties in vita, & non differatur cum mora vituperabili. Cùm enim sit instituta per modum cibi, & potus; non est existimandum Christi voluntatem esse, vt semel tantùm in vita, nempe in mortis articulo sumatur. Sed potius sicut cibus corporeus sæpius sumitur ad refocillandas vires: sic, &c. Tempus autem implendæ huius obligationis prudenti iudicio statuendum esset, nisi Ecclesia ipsa determinasset, vt mox patebit.

5. Ex præcepto Ecclesiastico tenentur fideles communicare in Paschate.

Dico enim secundò, Teneri ex præcepto Ecclesiastico omnes adultos baptizatos communicare saltem quotannis in Paschate. Patet ex can. *Omnis vtriusque sexus*: & Concilio Tridentino sess. 13. can. 9. Vbi anathematizatur, qui negauerit omnes, & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cùm ad annos discretionis peruenerint, teneri ad communicandum singulis annis, saltem in Paschate. Vtrumque verò Concilium nomine fidelium, intelligit baptizatos: Nam Catechumeni, & quicunque alii nondum baptizati, non subsunt legibus, & iurisdictioni Ecclesiæ. Nomine autem Paschatis, ad quod diuinum præceptum determinauit, intelligit non diem solum Paschatis, sed octo dies ante, & octo post, iuxta communem vsum, & declarationem Eugenii IV. quam citat Nauar. cap. 21. Manualis num. 44. Imò quibusdam in locis extendi solet ad mediam, & ad totam quadragesimam. Item ex eo quod Concilium ait, *Cum ad annos discretionis peruenerint*, colligitur non obligari hoc præcepto nisi homines sanæ mentis, ratione & discretione vtentes. Inter

quos censendi sunt etiam Energumeni, si modo, vt solent, vexantur tantùm per interualla, & alioqui satis sui compotes sunt. Secus autem illi omnes qui aliquandiu quidem vsum rationis habuerunt, sed postea in amentiam diuturnam aut perpetuam inciderunt. Tales enim non tenentur communicare in Paschate: neque obligantur parentes, aut Parochi, efficere vt tunc communicent. Potest tamen & debet illis dari Eucharistia in articulo mortis, si nullum sit irreuerentiæ periculum, quod potest facilè vitari. Neque necessarium est vt antea, dum erant compotes rationis, expressè petierint communionem: sed sufficit quod probabiliter credantur petiisse, & esse bene dispositi; vt rectè docet Suar. disp. 69. sect. 2. Requiritur tamen vt præsumi possit quòd illam in vsu rationis explicitè vel implicitè petiuerint, seque satis ad illam disposuerint: quod de illis præsumendum est, si non constat oppositum. Quandonam autem perueniant infantes ad vsum discretionis sufficientem ad communionem, relinquitur prudenti iudicio Confessarii. Et ad reuerentiam tanti sacramenti solet plus discretionis requiri ad communionem, quàm ad sacramentum Pœnitentiæ. Quique non habent satis discretionis ad communicandum in Paschate, non habent quoque obligationem communicandi in articulo mortis.

6. Satisfit huic præcepto cõmunione indigna. Notandum verò est, iuxta probabilem multorum sententiam, quæ nobis etiam talis videtur, satisfacere huic præcepto Ecclesiastico illos qui verè communicant sacramentaliter, licet indignè, modò indignitas sit occulta. Quia Ecclesia præcipit tantùm actum externum conuenienter factum, quantum apparet exteriùs: neque habet ius præcipiendi ea quæ sunt purè interna. Finis autem præcepti, nempe sanctificatio, & bonitas actus interni, non cadit sub præceptum Ecclesiasticum: iuxta ea quæ fusius diximus in tract. de Leg. Peccant tamen grauiter cõtra præceptum diuinum indignè communicantes, quamuis indignitas sit occulta, & Ecclesiæ legibus non subiecta: atque etiam illi, qui nimis diu, & cum mora vituperabili differunt communicare dignè, & conuenienter: quia præceptum diuinum ad talem communionem obligat.

7. An violatio huius præcepti inducat censuram? Qui autem violant præceptum hoc Ecclesiasticum, non incurrunt propterea ipso facto excommunicationem iure communi, aut vllam aliam censuram Ecclesiasticam. Quia nullibi imponitur ipso facto: sed tantùm in can. *Omnis vtriusque sexus*, præcipitur vt viuens arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & mortuus careat Ecclesiastica sepultura. Quæ pœna non incurritur, antequam inferatur per sententiam Iudicis, re in iudicio probata legitimè. Loquor autem de iure communi, non de statutis particularibus aliquarum diœceseon.

SECTIO II.

Quomodo sit intelligendum præceptum communicandi in Paschate?

Circa doctrinam præcedentem difficultas est, an præceptum communionis ita sit affixum Paschati, vt is, qui præuidet fore, vt non possit tunc communicare, non teneatur præuenire tempus Paschale: aut is, qui tempore Paschali non communicauit, non teneatur deinceps eo anno communicare? 8. Status quæstionis.

Vatiæ sententiæ. Affirmant absolutè non pauci, & graues Theologi, S. Antonin. Medina, Syluester, Sotus, Victoria, Toletus, Valentia, & alii, quos refert, & sequitur Diana tomo 2. tractat. 4. de Sacramentis, resolut. 41. Ratio illorum est, quia determinatio Ecclesiastica facta est ad tempus Paschale. Præceptum autem latum determinatè, & adstrictum ad aliquod tempus, non obligat ad opus iniunctum, ante, vel post, faciendum. Exempli gratia, qui non potest, vel non vult ieiunare tempore quadragesimæ; non tenetur ieiunare ante vel post. Qui non vult, aut non potest audire sacrum die Dominico; non tenetur illud audire die sabbati, vel die lunæ.

Alii vtuntur distinctione, aiuntque illum, qui culpabiliter omisit communionem tempore Paschali, non teneri deinceps pro illo anno communicare. Secus autem eum, qui omisit ex causa rationabili cum consilio Confessarii. Rationem huius differentiæ sumunt ex verbis Concilii Later. can. *Omnis vtriusque sexus*, quibus præcipitur, vt quilibet fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, semel saltem in anno confiteatur proprio sacerdoti; & suscipiat reuerenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum, nisi proprius sacerdos ab eius perceptione duxerit abstinendum, &c. iudicando scilicet ob causam rationabilem differendum esse. Quo in casu dicunt talem adhuc contineri intra terminos præcepti: Quia Concilium extendit tempus præcepti, quamdiu rationabiliter Confessario videbitur esse extendendum. Secus est de eo, qui culpabiliter, & sine causa rationabili, & sine consilio Confessarii expresso, vel tacito & rationabiliter præsumpto, communionem omisit. 9.

Alii tertiò dicunt, Eum qui præuidet fore vt non possit tempore Paschali communicare, non teneri præuertere. Si autem non præuertit, neque tempore Pascali communicauit, siue culpabiliter, siue inculpabiliter: teneri postea cùm primùm potest communicare: tamdiúque peccare, quamdiu differt sine causa: quia facit continuò contra obligationem durantem, & vigentem. Ita Suarez disput. 70. sect. 2. 10.

Alii quartò, affirmant absolutè teneri præuertere: & si non præuertit, neque impleuit præceptum tempore Paschali: teneri postea, vel prima opportuna commodi-

tate communicare, vt vult Vasquez tomo quarto, in tertiam partem, quæstione nonagesima, articulo tertio, dubio secundò, numero decimo tertio. Vel vt mauult Delugo disputat. 16. numero 69. teneri tantùm indeterminatè alio die eiusdem anni communicare, & non permittere vt totus ille annus elabatur sine communione.

11. In hac tanta opinionum varietate dico primò, cum, qui præuidet fore, vt neque tempore Paschali, neque reliqua parte anni possit communicare, teneri præuenire, si potest; & non permittere elabi occasionem communicandi, post quam alia eodem anno non occurret. Hanc modificationem adhibent Vasquez supra numero decimo tertio, & decimo quarto, & Delugo disputatione citata numero septuagesimo sexto. Ratio conclusionis est, quia duo præcepta virtualiter traduntur in canone, *Omnis vtriusque sexus.* Vnum est, ne communio vltra annum differatur: cum dicitur, *Et suscipiat reuerenter ad minus in Pascha*: quemadmodum ibidem immediatè antea præcipitur, vt ne confessio vltra annum differatur; cum dicitur, *Semel saltem in anno confiteatur.* Quæ verba, *semel saltem*, &, *ad minus*, significant præcipi confessionem, & communionem annuam vt minimum, ita vt vltra differri non possit. Quod clarius exprimit Tridentinum sessione decima tertia, canone nono, his verbis: *Si quis negauerit omnes, & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cùm ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.* Alterum præceptum est, vt propter reuerentiam, & solemnitatem diei festi, communio illa annua fiat in Paschate, quantum fieri potest. Sicut ergo qui tenetur quotidie recitare officium, vel die festo audire sacrum; & præuidet fore vt non possit recitare, vel audire toto die, nisi manè præueniat, tenetur præuenire: sic, &c.

Qui præuidet fore vt postea communicare non possit, tenetur præuenire Pascha.

12. Obiicit Suarez, neminem obligari ad anticipandum actum præceptum: nisi per talem actum possit satisfacere obligationi præcepti. Sed per communionem anticipatam non implet quis obligationem huius præcepti: si enim postea communicare possit in Paschate, tenebitur: quia hoc præcipit lex, & tunc impleri potest. Ergo ex vi huius præcepti non obligatur ad anticipandum.

Teneaturne qui præuenit, communicare iterum in Paschate, si possit?

Responderi potest primò, Negando minorem. Talis enim in rigore implet præceptum, vt probabile censet Suarez ipsemet sect. illa secunda, paulò ante finem, & absolutè affirmat Diana tomo secundo, tract. quarto, de Sacramentis, resolut. 42. citans pro eadem opinione Fernandem de Heredia. Quanquam in praxi, ad reuerentiam festi Paschalis, & ad maiorem securitatem, & ædificationem, vnicuique consulendum omnino est, vt quamuis præuerterit metu futuræ impotentiæ, communicet tempore Paschali, si possit.

Aliter secundò responderi potest cum Delugo disput. 16. num. 78. talem satisfacere obligationi annuæ communionis, sed non satisfacere obligationi communionis Paschalis, quæ duo præcepta distincta sunt. Verùm contra hanc responsionem instari potest, quòd sicut ille, qui manè præuidens se reliqua diei parte non habiturum otium recitandi horas suis temporibus, totum officium manè recitat; satisfacit præcepto non modò recitandi simpliciter officium illa die, sed & tali hora conueniente recitandi; ita vt hora illa superueniente non teneatur iterum recitare, quamuis commodè possit: sic ille, qui iusta de causa præuertit communionem Paschalem, non tenetur postea suo tempore communicare, quamuis possit. 13.

Respondet auctor citatus differentiam esse, quia præceptum recitandi horas tali tempore est conditionatum tacitè, nempe nisi rationabilis causa sit anteponendi, vel postponendi: vel nisi causa legitima excuset, cuiusmodi est, antea recitasse, quamuis sine necessitate, & rationabili causa præueniendi. Secus autem præceptum communionis Paschalis. Sed non satis ostendit ille author præceptum communionis Paschalis non habere quoque tacitè adiunctam illam conditionem, *nisi fuerit causa rationabilis præueniendi*: quemadmodum in ipso canone, *Omnis vtriusque sexus*, habet expressè adiunctam hanc conditionem, *nisi fuerit causa rationabilis differendi de consilio Confessarii.* 14.

Fatendum tamen est exemplum illud de recitatione horarum, nimis probare: & præceptum communionis in Paschate esse aliquatenus magis limitatum, quàm præceptum recitationis officii diuini suis temporibus. Alioqui enim sequeretur eum, qui sine causa sufficienti præuertit tempus Paschale, non peccare quamuis non communicet tempore Paschali, & valeat communicare: sicut is, qui sine causa legitima præuenit tempus recitationis officii, non peccat, licet postea tempore conuenienti non recitet. Falsum enim & improbabile mihi videtur esse quod aliqui respondent: hunc quidem non peccare contra præceptum recitandi officii quotidie, simpliciter: sed peccare venialiter contra alterum præceptum recitandi tali hora: tenerique sub veniali recitare iterum tali hora si potest, id quod tunc temporis recitari debet. Sicut ille, qui communionem præuenit modo prædicto, non peccat contra præceptum communicandi quotannis simpliciter: sed peccat contra alterum præceptum communicandi in paschate, si tunc non communicet. Et quia hoc præceptum cēsetur esse graue, peccat mortaliter. Hoc inquam responsum falsum & improbabile esse mihi videtur, quia absurdū esse exi- 15.

ſtimo teneri aliquem ſub veniali ad recitandum iterum totum officium diuinum, ſi circa illud totum præuenit ſine cauſa tempus recitandi. Et ſi eſſet præceptum iterum recitandi, deberet eius obligatio cenſeri potiùs eſſe grauis, quando obiectum & materia præcepti grauis eſt: cuiuſmodi eſſe communiter creditur non modò totum officium diuinum; ſed etiam pars illius notabilis. Quare ſicut dicitur peccare mortaliter qui in prædicto caſu non iterum communicat in Paſchate: ita dicendus eſſet peccare mortaliter ille qui non iterum recitaret.

16. Qui non communicauit in Paſchate, tenetur poſtea eodem anno communicare. Dico ſecundò eum, qui non communicauit tempore Paſchali rationabili de cauſa, ex conſilio Confeſſarii: teneri communicare tempore ſibi per Confeſſarium deſignato. Qui autem culpabiliter communionem tunc omiſit; tenetur ſolùm communicare ſemel alio die totius anni: ita vt ſatisfaciat, neque ampliùs peccet, modò non patiatur totum annum elabi ſine communione.

Prima pars probatur, quia Confeſſarius tunc transfert determinationem temporis Paſchalis, ad illud aliud tempus, quod deſignat, facultate ſibi per ipſam legem data can. cit. *Omnis vtriuſque ſexus*. Quare illud tempus perinde obligat in eo caſu, atque tempus paſchale.

17. Secunda verò pars probatur, Quia præceptum communionis paſchalis continet duo virtualiter, & æquiualenter, vt ſuprà diximus. Vnum, communicandi ſaltem ſemel in anno. Alterum, id faciendi tempore paſchali, propter reuerentiam feſti paſchalis. Hoc ſecundum non impletur, neque impleri poteſt poſt elapſum tempus paſchale, vel aliud loco ipſius à Confeſſario deſignatum. Quare non ampliùs obligat, quia non obligat ad impoſſibile. Alterum vero ſolitariè ſumptum impletur, dummodo aliquo anni die communicetur: ita vt annus non prætereat ſine communione. Hoc enim ſufficit ad communicandum ſaltem ſemel in anno. Quare ſi annus computetur ab initio Ianuarii, ad finem Decembris, qui eſt modus ordinarius computandi annos, tam ciuilis, quam Eccleſiaſticus: ſufficit ad ſeruandum illud præceptum, vt non permittat totum Decembrem elabi ſine communione. Quando verò permiſit elabi, peccat deinceps donec communicet, ſi non deſit occaſio. Qui autem dicunt peccare continuò, elapſo tempore paſchali: vel falſum dicunt, vel ſupponũt annum computari à paſchate ad paſcha, quod fieri quidem poteſt, ſed non eſt neceſſarium, neque eſt certum ita computari, & non potiùs more Calendarii, à primo die Ianuarii ad vltimum Decembris.

18. Soluitur obiectio. Obiicit Vaſquez excommunicari eos, qui non communicarunt in Paſchate, & non poſſe abſolui à Confeſſariis, niſi poſtea communicent. Ergo, inquit, peccant vlteriùs differendo. Alioqui enim poſſent abſolui ab excommunicatione contracta propter peccatum præteritum, quippe quæ non eſt reſeruata. Reſpondeo cum Delugo ſupra, numero ſeptuageſimo tertio, excommunicationem illam infligi propter peccatum præteritum, ab Epiſcopis exequentibus mandatum Concilii Lateranenſ. ea tamen conditione, vt nolint incurri, niſi ab eo, qui non communicauerit intra aliquot dies: & non tolli niſi ad reincidentiam, donec actu communicauerit. Exigunt enim talem ſatisfactionem à peccatore: quam niſi exhibeat: nolunt eum abſolui penitùs ab excommunicatione. Quare ſi quis confiteatur animo communicandi, & ab illa excommunicatione abſoluatur priùs, quàm à peccatis, vt fieri debet: poſteaque animum mutet: reincidit in eandem excommunicationem.

Elapſo autem toto anno verum eſt continuari peccatum, quamdiu quis poteſt communicare, & non communicat. Peccat enim continuò contra præceptum, quo obligatur non differre communionem vltra totum annum. Quare ſicut qui tenetur reſtituere, & non reſtituit: peccat quamdiu non reſtituit ſi poſſit: & qui eſt in mora ſoluendi debitum, peccat continuò, donec ſoluat ſi poteſt: ſic & iſte, quamdiu non communicat. 19.

Sufficitne vna communio pro duobus annis? Sed hinc oritur dubium, an qui non communicauit anno ſuperiori, & anno ſequenti communicat in paſchate, ſatisfaciat pro vtroque anno, ita vt non teneatur poſt illam communionem, iterum communicare pro anno ſuperiori?

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt quia illa communio facit vt non iam ampliùs nimis diu differatur ſumptio Euchariſtiæ: & eſt nimis remota, vt cenſeatur moraliter ad annum præcedentem pertinere tantùm, ac pro illo ſolo ſatisfacere. Quare non tantùm ſatisfacit pro anno præcedenti, quantum fieri iam poteſt, impediendo ſcilicet ne continuetur peccatum nimis differendi communionem: verùm etiam ſatisfacit pro anno præſenti, ſufficitque vt deinceps ſingulis annis communicetur in paſchate. 20.

Confirmatur, quia ex oppoſito ſequeretur, quòd ſi quis viginti annis non communicauerit, tenebitur hoc anno vicesies communicare. Et ſi quis octuaginta annos vixerit in hæreſi; tenebitur eo anno, quo ad fidem conuertetur, toties communicare, quot annis omiſit communionem.

Dices eum, qui debet quotannis tributum vnius aurei, & non ſoluit hoc anno: non ſatisfacere anno ſequenti, dando vnum aureum pro vtroque anno: ſed debere ſingulos aureos dare, pro ſingulis annis. Sic ergo debet quiſque ſingulis annis, ſingulas communiones, ita vt vnica non ſatisfaciat pro duobus annis. 21. Diluitur obiectio.

Reſpondeo, Non eſſe parem vtriuſque de-

biti rationem. Nam qui communicat in paschate anni præsentis, tollit fundamentum, & radicem debiti, quæ est vt ne nimis differatur communio. Iam enim deinceps non nimis differetur, modò singulis paschatis sequentibus communicetur. At ille, qui soluit tantummodo aureum vnum, non tollit fundamentum & causam debiti, quæ est necessitas, & indigentia Principis, aut Reipublicæ: ideóque non tollit obligationem soluendi aureos debitos Principi, pro annis præcedentibus.

SECTIO III.

An communio sub vtraque specie sit in præcepto?

22. *Communio sub vtraque specie est in præcepto respectu celebrantium.* Dico primò, Esse in præcepto respectu celebrantium sacrificium Eucharistiæ: at non respectu aliorum. Prima responsi pars est extra controuersiam, traditurque in C. *Relatam*, & C. *Comperimus*, de consecrat. distinct. 2. iuxta sensum, & interpretationem Gratiani, D. Thomæ, & aliorum antiquorum. Ratio eiusdem est, quia celebrantes sacrificium Eucharisticum, tenentur illud perficere, & consummare. Sumptio autem sacerdotis celebrantis pertinet ad consummationem sacrificii Eucharistici. Notandum tamen hoc esse intelligendum de celebrante principaliter: non de Neomystis, qui cum Episcopo, & si qui alii simili modo concelebrant. Notandum etiam id, quod alibi diximus post Suarem disp. 75. sect. 5. in fine, & Delugo disp. 11. n. 173. non satis constare, teneri aliter, quàm ex præcepto Ecclesiastico, sacerdotem principaliter, aut solitariè consecrantem, sumere id quod consecrauit, & non sufficere quod sumatur ab alio sacerdote. Omnino tamen intentio, & præceptum Christi est vt hoc sacrificium consummetur ab aliquo, & vt species vini consecrati sumantur ad refectionem spiritalem, propter quam institutæ sunt.

23. *Non est præcepta laicis.* Secunda pars conclusionis traditur à Concilio Tridentino sess. 21. c. 1. & Constantiensi sess. 13. Probatur autem, quia vel laici, & Clerici non celebrantes, tenerentur ad communicandum sub vtraque specie ex præcepto Ecclesiastico, vel ex præcepto diuino. Non Ecclesiastico: quia potius Ecclesia id prohibuit in Concilio Constantiensi sess. 13. Basileensi sess. 30. & Trident. sess. 21. c. 2. Non etiam diuino: quia nullum tale profertur, vt patebit ex solutionibus argumentorum, quæ in contrarium adducunt Nouatores, affirmantes iuris, & præcepti diuini esse, vt communio sub vtraque specie sumatur ab omnibus, neque potuisse Ecclesiam vsum calicis prohibere laicis. Eorum argumenta referemus, & diluemus sect. sequenti. Interea verò confirmatur conclusio ex praxi antiquæ Ecclesiæ ipsis Apostolorum temporibus.

Nam Act. 2. vers. 42. dicitur generatim de fidelibus Hierosolymitanis, à Iudaismo ad fidem Christi conuersis, *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Vbi sermonem esse de communione Eucharistica docent ipsimet Aduersarii Caluinus, & Beza in hunc locum. Aliunde verò constat ex Act. 21. v. 23. iuncto cap. 6. Numerorum v. 2. 3. & 18. iisdem temporibus Apostolorum fuisse inter Christianos à Iudaismo conuersos, Nazaræos aliquos, quibus Apostoli legis antiquæ obseruationem permittebant, quamque ipsi, & cæteri Iudæi, accuratissimè obseruabant, vt constat ex eodem cap. 21. Act. v. 20. & 21. Aut ergo Nazaræi illi nunquam communicabant, quod repugnat verbis relatis ex Act. 2. v. 42. aut legem vino sibi interdicentem, Numer. 6. v. 3. infringebant, quod repugnat verbis Lucæ Actor. 21. v. 20. & 21. Aut in specie panis tantùm communicabant: adeóque iam tum communio sub vnica specie panis erat illis licita: & consequenter communio sub vtraque specie non erat à Christo omnibus præcepta, quod intendimus. 24. *Vsus communionis sub vna specie tempore Apostolorum.*

Confirmatur secundò, Ex praxi antiquæ Ecclesiæ Apostolis vicinæ, in qua vsum fuisse communionis sub vna specie manifestum est. Non fuisset autem ille vsus, si sanctissimi Pontifices, & fideles illius temporis, existimassent id esse contra institutionem, & præceptum Christi. Istius vsus testes oculati sunt Tertull. lib. 2. ad vxorem cap. 5. Clemens Alexand. lib. 1. Stromatum, non longè ab initio, Cyprianus in serm. de Lapsis, Basil. in Epist. ad Cæsariam Patrit. Hieron. in Apologia pro libris suis contra Iouinian. & alii Patres primorum quinque sæculorum Ecclesiæ, qui testantur fideles olim Eucharistiam in domum suam deferre solitos in orario, & seruare, in loco decenti, vt sumerent suis temporibus de manu propria, cùm metu persequutionum, non possent tam frequenter ad Ecclesiam, & ad synaxim conuenire. Testatur etiam Basilius *vbi supra*, Monachos eremi cultores, eam detulisse in eremum, vbi nullam habebant copiam sacerdotis, & in cellulis suis eam seruasse ad similem vsum. Atqui neque isti, neque alii fideles laici poterant Eucharistiam secum deferre in cellulas, aut domos suas, nisi sub specie panis: cum vt constat ex S. Athanas. Apolog. 2. contra Arianos pag. 569. editionis Commel. in domibus laicorum non essent calices, vel vasa sacra, in quibus sanguinem Christi reciperent, & seruarent: ac ne quidem liceret illis calicem manu sumere, vt testantur Cyrill. Hierosolymit. Catechesi 5. Mystag. versus finem, & Gregor. Nazianz. in *oratione contra Arian. & de seipso.* Adde quod sanguis non potuisset diu seruari. Facilè enim & citò vinum acescit, & corrumpitur. Sanguis autem non plus manet sub speciebus, quàm substantia vini sub illis conseruaretur. 25. *Idem vsus quinque primis sæculis Ecclesiæ.*

Et est alia eiusdem vsus coniectura, quòd 26.

Moribundi communicabant sub vnica specie.

in antiqua Ecclesia dabatur species panis ægrotis, & moribundis, sine calice. Tum quia vt dixi non poterat calix, id est, sanguis Christi sub speciebus vini, diu conseruari, ad eum finem succurrendi moribundis in necessitate: tum etiam, quia nonnulla exempla illius temporis id satis indicant. Cuiusmodi est illud relatum ab Eusebio lib. 6. Historiæ cap. 36. de Serapione, qui per puerum suum misit particulam Eucharistię, βραχὺ τῆς εὐχαριστίας, presbytero cuidam moribundo, præcipiens puero, vt particulam illam madefaceret, ne forte moribundus eam deglutire non posset. Ex quo facto colligitur particulam illam Eucharistiæ, quam misit, fuisse tantùm particulam speciei panis, quæ madefacienda esset, ne forte non posset à moribundo deglutiri. Alia exempla afferunt Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 24. & Barrault. 3. parte Clypei cap. 34. §. 9. de S. Ambrosio sumente Eucharistiam in articulo mortis à S. Honorato Vercellensi Episcopo: & de S. Basilio communicante in articulo mortis sub sola specie panis, quam longo tempore asseruauerat, vt scribunt Paulinus, & Amphilochius in eorum vita.

27. Tertiò, Quòd non modò priuatim, & extra Ecclesiam, sed & publicè in ipsa Ecclesia licita esset communio sub altera specie, patet ex historia de muliere Macedoniana: quæ, vt scribunt Sozom. lib. 8. historiæ cap. 5. & Nicephor. lib. 13. c. 7. vt simularet se Catholicam esse, hæresimque suam ficta communione tegeret; loco panis Eucharistici, à sancto Ioanne Chrysost. accepti in manus, clam substituit panem prophanum, qui in ipsius ore statim in lapidem versus est. Si enim necessarium fuisset communicare sub specie calicis: quomodo illa suam fraudem tegere potuisset, substituendo similiter vinum prophanum loco vini consecrati? Neque enim calix tradebatur in manus laicis, sed ori eorum applicabatur à sacerdote, vel à Diacono, vt testatur Cyrill. Hierosl. Catech. supra cit. Patet item ex eo quòd, vt scribit S. Leo serm. 4. de quadragesima, Manichæi superstitiosè abhorrebant à calice: & tamen ad tegendam hæresim suam cõmunicabant cum Catholicis sub specie panis. Quomodo autem potuissent hac arte suam hæresin tegere, si Catholici omnes sub vtraque specie communicassent, & ipsi soli abstinuissent à calice? Facilè enim discerni potuissent à Catholicis, si Catholici nunquam abstinuissent à calice. Est quoque notandum Manichæos, siue cum Catholicis communicarent, siue non, abstinuisse semper à vino, quod in horrore habebant, vt fel draconis, & velut à dæmone factum, cuiusque potum sacrilegium esse existimabant, neque credebant Christum esse sub illius speciebus in Eucharistia: vt colligimus ex D. August. lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 13. Et tamen neque S. Epiphanius, neque S. August. cui optimè noti erant, vt pote olim Manichæo, neque alii antiqui, scribentes de erroribus Manichæorum, istum vnquam notauerunt, quòd contra Christi præceptum communicarent sub vnica specie: quod certè fecissent, si existimassent tale Christi præceptum extare.

Manichæi vt se Catholicos esse simularent, communicabãt sub sola specie panis.

Patet tertiò, ex communione, quæ olim fiebat ex Præsanctificatis, cuius fit mentio in Concilio Laodic. can. 49. & in Trullano c. 52. id est, ex communione, quæ tota quadragesima fiebat singulis diebus, exceptis sabbato, & Dominica, ex consecratis ante: sicut nunc die Veneris maioris hebdomadæ communio fit à sacerdote celebrante officium, ex hostia consecrata die Iouis præcedentis. Cùm enim non posset conseruari species vini à die Dominica ad diem vsque Veneris subsequentis; debuit illa communio fieri ex sola specie panis: sicut nunc etiam feriâ sextâ in Parasceue, ex illa sola fit. Quam consuetudinem Latinæ Ecclesiæ perantiquam esse constat ex Innocent. 1. Epist. 1. cap. 4. & ex Gregor. Magno in lib. sacramentorum, in officio parasceues. 28.

Cõmunio ex præsanctificatis.

Atque vt aliquid addamus de praxi Ecclesiæ sequentibus sæculis: legimus in Ordine Romano cap. *De ordine celebrandi Missam*, qui liber habetur tom. 8. Biblioth. Patrum pag. 397. & citatur ab Alcuino, qui floruit ante octingentos annos: legimus, inquam, praxim Ecclesiæ Romanæ fuisse, vt sacerdos consecraret in exiguo calice, ex illoque parum vini consecrati effunderet in alium calicem maiorem, vino & aqua plenum, ad distribuendum populo. Erat autem difficile, aut impossibile moraliter parum illud vini consecrati ita per totum calicem maiorem diffundi, singulisque vini prophani partibus ita misceri, vt omnes, & singuli communicantes aliquid sanguinis Christi reciperent. Cumque numerus communicantium maximus erat, vt in festis solemnioribus; necessarium erat calicem illum maiorem, sæpius vino communi impleri, vt omnibus sufficeret. Est autem notandum nunquam in eodem sacrificio fuisse plures calices consecratos, sed in quolibet vnicum: vt patet ex Epist. Gregorii II. ad Bonifacium Moguntiæ Episcopum, quæ incipit, *Desiderabilem mihi*, &c. Ipsaque forma consecrationis de calice loquitur in singulari, velut vnico, *Hic est enim calix sanguinis mei*. Notandum item calicem consecrationis non potuisse valde ingentem esse: alioqui non potuisset à sacerdote attolli, ferri, & tractari, prout necessarium est. Et quidem omnes calices antiqui, quorum etiam nunc extant nonnulli, exigui sunt, aut mediocres. Quare vinum in his consecratum, non poterat sufficere tantæ fidelium multitudini: maximè cùm, vt supra diximus, parum illius dumtaxat in alium calicem vino communi plenum transfunderetur. Testatur etiam D. Thomas quæst. 80. art. 12. iam suo tempore, atque etiam antea, plures Ecclesias communicantibus solam speciem panis dedisse, ad vitanda incommoda, quæ frequenter sequebantur ex communione cali- 29.

Olim calix vnus tantum consecrabatur, ex quo non poterat sanguis omnibus dari.

cis. Et diu ante, anno 1054. Humbertus Cardinalis in tractatu quem scripsit Constantinopoli rogatu Imperatoris Constantini Monomachi, cum ibi Legatum ageret Leonis Papæ IX. qui tractatus extat apud Baron. in Appendice tomi XI. Annal. Ecclesiastic. refert Epistolam vnius è Patriarchis Hierosolymitanis, in qua ipse testatur morem Hierosolymis & in Iudæa fuisse communicandi populum solâ specie panis, ne tincta quidem in calice, vt Græci tunc facere solebant. *Et tam in magnis, quàm in paruis Ecclesiis hunc morem sibi traditum à sanctis Apostolis habuisse omnes Christianos illius Prouinciæ.* Græcos etiam cohabitantes in eo Patriarchatu, aliquos fecisse similiter, alios aliter, more suæ Ecclesiæ. Et denique Concilium Constant. sess. 13. affirmat consuetudinem illam communicandi sub vna specie, fuisse receptam longè ante, quàm lege sua illam præciperet. Ex quibus omnibus videre est communionem sub vnica specie fuisse in vsu apud fideles ab ipsis temporibus Apostolorum, huc vsque: & antiquam Ecclesiam sensisse illam licitam esse; adeòque non contrariam institutioni, & præcepto Christi, vt contendunt hæretici.

30. Dico secundò communionem calicis, licet per se licitam, & à Christo non prohibitam, conuenienter tamen ab Ecclesia, & iustas ob causas, fuisse laicis prohibitam. Probatur, quia Ecclesia Christi sponsa, veritatis firmamentum & columna, errare nequit in ritu sacramentorum: & à Christo potestatem habet, sicut habere par est, vt in sacramentorum dispensatione, saluâ eorum substantiâ, ea statuat, vel mutet, quæ suscipientium vtilitati, vel ipsorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicauerit: vt affirmat Trident. sess. 21. cap. 2. & probat ex 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei:* & ex 1. Corinth. 11. vbi Paulus nominatim de hoc ipso sacramento loquens, *Cætera*, inquit, *cum venero disponam.*

31. Causæ iustæ prohibendi. Habuit autem Ecclesia graues, & iustas causas interdicendi. Primò, propter incommoda, quæ sæpenumero contingerent ab abstemiis, & vini odoris impatientibus, & barbaris, & rusticis, atque à tanta multitudine, quanta esse cœpit, ex quo Ecclesia plurimùm dilatata fuit. Aliquid enim semper effunderetur. Et verò sacerdoti durum esset, id quod ab omnibus delibatum esset, & restaret, consumere: cùm ad communicandum accedant aliqui malè affecti, qui etiam alios à communione deterrerent, si ex eodem calice bibendum illis esset. Et quamuis hæc incommoda possent interdum vitari: rectè tamen Ecclesia, propter conformitatem, laicis omnibus, ac semper interdixit: cum id necessarium minimè sit, vt patet ex vsu antiquæ Ecclesiæ: & via incommodis ac libertati ministrorum, qui ea facilè abuti possent, claudi debuerit. Item vt hac interdictione hæreses confutaret; doceretque Christum totum, secundum corpus, & sanguinem, sub qualibet specie contineri, alteramque ad salutem sufficere.

Hæc tamen interdictio non est ita intelligenda, vt in nullo casu liceat laico sanguinem sumere, sicut Dominico Soto perperam visum est. Nam reuerentia sacramenti, & intentio Ecclesiæ potest interdum exigere contrarium. Vt si v. gr. periculum sit ne species vini consecratæ, ab Infidelibus effundantur, & proculcentur: vel si mortuo sacerdote ante consumptum calicem, nullus alius sit, qui consumat, & corruptionis specierum periculum immineat. Potest etiam Ecclesia super hoc præcepto suo dispensare: vt re ipsa dispensauit Clemens VI. cum Rege Christianissimo anno 1341. & Paulus III. cum Bohemis, modò tamen non adhærerent hæresi Petri Dresdensis, & Iacobi Misnelli, qui primi in Bohemia anno 1412. Calixtinorum hæresim seminarunt. 32. Liceatne in aliquo casu calicem sumere laicis?

SECTIO IV.

Respondetur præcipuis hæreticorum argumentis in contrarium.

OPponunt primò illud Christi Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi, inquiunt, si de Eucharistia sermo est, vt nos volumus; sequitur quòd priuare populum calice, sit ipsum priuare vita æterna. Nam Christus ait, Nisi biberitis sanguinem, non habebitis vitam. Neque sufficit dicere sanguinem Christi contineri sub specie panis. Quia Christus præcipit bibere. At sumere speciem panis non est bibere. Alioqui sacerdos bis sanguinem biberet: semel sub specie panis, & iterum sub specie vini. Vnde refellitur responsum illorum, qui dicunt præcipi substantiam sumptionis, sed non præcipi modum. Nam bibere est modus sumendi. Christus autem præcipit bibere. 33. Prima obiectio ex Ioan. 6.

Respondeo, ex capite Ioannis citato satis colligi vnicam speciem sufficere. Nam vt rectè expendit Tridentinum sess. 21. cap. 1. Qui dixit, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: dixit quoque ibidem, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et qui dixit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: dixit etiam, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quibus verbis, in eodem capite, & contextu prolatis, significauit Christus quòd sicut integer & totus est sub qualibet specie: ita sub qualibet sufficit ad vitam largiendam. Et

quidem tota Christi intentio hoc loco eò tendit, vt nobis indicet necessitatem nostram, vt ipsi per hoc sacramentum vniamur ad habendam vitam in nobis. At hæc vnio fit sufficienter per vtramuis speciem, siquidem Christus totus in ea continetur.

34. Neque dicas has propositiones affirmatiuas debere intelligi sub conditione: si nimirum comederit dignè; atque etiam sicut oportet, nimirum cum calice, iuxta illud, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Respondeo enim nullam in Christi verbis conditionem subaudiendam esse, nisi vel ratio manifesta, vel alius Scripturæ locus necessariò id exigat. Alioqui nullus esset certus Scripturæ sensus. Atqui nec ratio id exigit, sed contrarium potiùs: quia Christus vitæ author sub qualibet specie totus est. Nec vllus alius Scripturæ locus id postulat. Nam illud, *Nisi manducaueritis*, &c. alium habet sensum, potéstque facilè cum præcedentibus Christi verbis su[...] relatis conciliari. Primò enim, dici potest manducari carnem, & simul bibi quodammodo per æquiualentiam, id est, sumi sanguinem, dum vna species vtrumque continens sumitur: atque ita satisfieri præcepto Christi statuenti tantùm vt edamus carnem, & bibamus sanguinem, vel formaliter, & diuisim; vel per æquiualentiam, & coniunctim, vtrumque realiter sumendo quomodocunque. Vel, quod magis probo, responderi secundò potest propositionis illius sensum disiunctiuum esse Hebræo more; similémque esse his propositionibus: *Patri, matrique qui maledixerit, sanguis eius sit super eum*, Leuit. 20. id est, Patri, vel matri. Et Exodi 21. iuxta Hebræum: *Qui percusserit patrem suum, & matrem, morte moriatur*: id est, patrem, vel matrem. & Apocalyps. 1. *Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ huius*: id est, legit, vel audit. Tertiò, Potest etiam particula, *Nisi*, vel vt in Græco est ἐὰν μὴ, *si non*, Hebræo more, vtrumque membrum propositionis diuisim negare, & quasi bis repetita intelligi, ita vt vtrique membro propositionis applicetur, & sensus sit: Si neque manducaueritis carnem filii hominis, neque biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vel, Si non manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis: & si non biberitis sanguinem filii hominis, non habebitis vitam in vobis: vnde sequatur ex opposito, quòd si manducaueritis carnem filii hominis, vel si biberitis eius sanguinem, habebitis vitam in vobis. Talis modi loquendi exempla in Scriptura permulta sunt. Sic enim Psalm. 1. dicitur, *Non resurgent impii in iudicio, & peccatores*, iuxta Hebræum, pro quo Vulgatus interpres rectè vertit, *Neque peccatores in concilio iustorum.* Et Psalm. 128. *De quo non impleuit manum suam, qui metit: & sinum suum, qui manipulos colligit*: id est, neque manum, neque sinum: non autem vtrumque simul: etenim multum esset implere alterum. Sic etiam Petrus Actor. 3. *Argentum*, inquit, *& aurum non est mihi*: id est, neque aurum, neque argentum. Nam alterutrum Petro sufficeisset ad dandam eleemosynam, quæ petebatur; atque ita eius excusatio non fuisset legitima. Christus autem syriacè loquutus est. Et Euangelistæ, qui eius verba referunt, syriacismos, & hebraismos sæpe retinent.

Opponunt secundò verba illa Christi Matth. 26. v. 27. *Bibite ex hoc omnes*: quæ, inquiunt, solis pastoribus dicta non sunt, sed omnibus fidelibus. Nam Apostoli tunc non tenebant locum pastorum, sed discipulorum, & ouium: vnde ibidem discipuli vocantur. Estque manifestum, in institutione Eucharistiæ, præceptum edendi, & bibendi, iisdem personis datum esse. Quare si laici non tenentur bibere calicem, quia illi, quibus tunc Christus calicem dedit, erant pastores: non tenebuntur etiam edere panem Eucharisticum: quia similiter illi, quibus Christus tunc temporis panem porrexit, edeéreque præcepit, erant pastores. Nihil ergo erit in sacramenti huius institutione, quod sit regula fidelium. Et tamen institutio cuiusque sacramenti est ipsamet eius regula. 35. Obiectio 2. ex Matt. 26.

Respondeo verba illa Christi, *Bibite ex hoc omnes*, siue per modum præcepti, siue per modum simplicis inuitationis, fuisse dicta solis Apostolis, de quibus subdit Marcus cap. 14. vers. 23. *Et biberunt ex illo omnes.* Similitérque illud, *Accipite & comedite*, Matth. 26. vers. 26. dicebatur solis Apostolis, de quibus immediatè præmittitur ibidem, *Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis*, & ait, *Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum.* Dictum est autem potiùs de calice, *Bibite ex hoc omnes*; quàm de pane, *Comedite ex hoc omnes*, (tametsi de vtroque dictum fuisse arbitror vt supponitur in Canone Missæ, itaque refertur ab Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 5. licet Scriptura id non exprimat) sed ratio id potiùs de calice dicendi esse potuit; quia Christus panem fractum, & in duodecim partes diuisum, ac consecratum dabat: vinum autem non ita. Vnde ne vnus totum sibi hauriendum dari existimaret, addit Christus, *Bibite ex hoc omnes*: vel vt alius Euangelista refert, *Accipite, & diuidite inter vos*, Luc. 22. vers. 17.

Nec obest quòd tunc Apostoli non tenebant locum Pastorum, sed discipulorum, & ouium. Neque enim dicimus hæc verba ad illos solos dirigi, ideo quia erant Pastores: sed quia Christus solis illis adstantibus, & secum conuiuantibus, loquebatur, iisdémque solis panem à se consecratum porrexit, & calicem distribuit, inuitans simul illos ad edendum & bibendum quod illis dabat. Quamuis autem nondum essent Pastores, neque sacerdotes: specialis tamen fuit ratio, cur Christus illis vtramque speciem daret. Quia cum mox essent à Christo instituendi sacerdotes; conueniens fuit ipsos à Christo facto suo instrui, quomodo ipsis deinceps vt sacerdotibus & 36.

consecrantibus communicandum esset. Posito autem quòd illa Christi verba, *Accipite & comedite*, &, *Bibite ex hoc omnes*, vim præcepti habuerint: Dico illud præceptum edendi, & bibendi iisdem personis latum fuisse, nempe solis Apostolis; neque alios obligasse. De aliis verò præceptum verbis illis latũ non est: quippe quæ ad Apostolos solos dirigebantur, vt paulò ante ostendimus. Illis autem sequentibus, apud Lucam cap. 22. vers. 19. & 1. Corinth. 11. vers. 24. & 25. quibus iussit Apostolos imitari quod ipse fecerat, idémque sacramentum & sacrificium deinceps celebrare, illósque & eorum successores noui Testamenti sacerdotes constituit: iussit pariter fideles in illius sumptione colere sui memoriam, suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat: vt ait Trident. sess. 13. c. 2. An autem simul verbis illis præceperit vt vtraque species sumeretur ab omnibus, dicemus paulò post. Verum est denique institutionem cuiusque sacramenti, esse ipsammet eius regulam, quoad essentiam sacramenti: Quoad vsum verò, non est necesse præscribi omnia in ipsa institutione. Et quidem Paulus 1. Corinth. 11. quædam præscribit circa vsum Eucharistiæ, quæ in eius institutione non fuerant à Christo expressa.

37. Tertia obiectio ex 1. Corinth. 11.

Opponunt tertiò, Illa verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, 1. Corinth. 11. quibus verbis, inquiunt, præcepit Christus, vt idem facerent Apostoli, quod ipse faciebat. At ipse dabat Apostolis vtramque speciem: ergo præcepit Apostolis, vt ipsi vtramque aliis darent.

Respondeo cum illustr. Arelat. Archiep. tomo 3. Clyp. cap. 33. num. 5. Christum non præcepisse Apostolis, illis verbis, vt facerent aliis, quidquid ipse tunc faciebat. Alioquin præcepisset, vt omnes alios facerent sacerdotes, sicut ipsi tunc sacerdotes à Christo facti sunt. Quod falsum esse agnoscit ipse Caluinus 4. Institut. cap. 15. num. 20. Itémque præcepisset vt Eucharistiam darent post cœnam, & cum aliis circumstantiis, quas tunc Christus adhibuit: quod ipsi aduersarii non admittunt. Cùm ergo Christus verbis illis non præceperit Apostolis, vt facerent quidquid ipse fecit: non bene ex illis inferunt Caluinistæ præcepisse vt darent omnibus communionem sub vtraque specie. Neque Apostoli ita intellexerunt: alioqui non essent passi hoc præceptum infringi ab iis, qui viuentibus, & videntibus Apostolis sub vna specie panis communicabant, vt probauimus sect. 3. Denique Christus (vt ostendit vsus Ecclesiæ perpetuus, optimus legum interpres, & confirmauit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1.) verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit Apostolis, eorúmque in sacerdotio, successoribus, vt in memoriam suæ passionis celebrarent idem Eucharistiæ sacrificium. Voluit etiam idem sacrificium ab aliis fidelibus participari, corpusque suum, & sanguinem ab ipsis sumi, quoad rem ipsam, & substantiam: sed modum sumendi sub vna, vel vtraque specie, non præscripsit eo loco. Ex alio verò Ioan. 6. colligimus vnam sufficere, cùm Christus totus in ea contineatur. Notat quoque Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 25. non sine causa Lucam, qui solus inter Euangelistas hæc verba refert, ea solùm posuisse post datum sacramentum sub specie panis: post datum autem calicem illa non repetiuisse: vt intelligeremus iussisse Dominum vt sub specie panis distribueretur omnibus sacramentum: sub specie autem vini, non item. Similiterque Paulum 1. Corinth. 11. post panis consecrationem absolutè quidem addidisse velut à Christo dictum, *Hoc facite in meam commemorationem*. Post calicem autem non idem absolutè repetiisse, sed cum conditione, *Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem*, id est, quando calicem sumeris, sumite in memoriam meæ passionis. Cùm enim non sine causa Spiritus sanctus modum loquendi mutauerit; non significant verba illa posteriora calicem debere omnibus dari, vel ab illis sumi necessariò: sed modum præscribunt, vt si id fiat & quando, atque à quibuscunque id fiet, semper fiat in memoriam Dominicæ passionis: siue fiat ex præcepto, vt à sacerdotibus celebrantibus: siue ex simplici concessione, vt ab aliis, quamdiu Ecclesia id liberum reliquit.

Opponunt quartò, Christum in calicis consecratione dixisse, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, qui effunditur in remissionem peccatorum*. Ergo, inquiunt, priuare laicos calice, est velle eos priuare effusione sanguinis Christi in remissionem peccatorum. Neque enim dici potest sanguinem effundi in specie panis. Item cùm Christus ait, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, vel, *quod pro vobis traditur*, vt fert textus Græcus Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. non intelligit tradi solum pro pastoribus, & frangi pro eorum salute, non pro populi. Ergo nec quod ait de calice. 38. Quarta obiectio.

Respondeo, Illius effusionis sanguinis mentionem fieri à Matthæo cap. 26. vers. 28. & à Luca cap. 22. vers. 20. Priori loco effusio illa sanguinis intelligi potest tum de cruenta, & visibili in cruce, de qua mox futura, tanquam moraliter iam præsente, Christus loquebatur: tum de incruenta, & inuisibili, quæ fit in Eucharistia per immolationem Christi, & positionem corporis eius, & sanguinis, sub speciebus panis & vini, modo indiuisibili. Prior effusio facta est pro peccatis totius mundi 1. Ioan. 2. vers. 2. Posterior fit in remissionem peccatorum, eorum, pro quibus offertur sacrificium. Quare populus neutra effusione priuatur, quamuis abstineat ab vsu calicis. Quia hoc non impedit quin Christus in cruce sanguinem suum fuderit pro ipsorum salute: & quin sacerdos sacrificium incruentum pro illis obtulerit, vt illis prosit in remissionem peccatorum. Si-

militer traditio, & fractio illa corporis, intelligi potest tum de cruenta in cruce: tum de incruenta in Eucharistia. Falluntùrque Caluinistæ si putant *corpus frangi, & sanguinem fundi*, significare hoc loco idem ac, *edi*, & *bibi*. Si enim ita esset, debebat Christus dicere, *Hoc est corpus meum, quod à vobis frangitur*: &, *Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, qui à vobis funditur*: potiùs quàm dicere, *quod pro vobis frangitur*: &, *qui pro vobis funditur*.

Posteriori loco, nempe Luc. 22. vers. 20. effusio debet necessariò intelligi determinatè de effusione facta in sacramento, per immolationem Christi, & positionem sanguinis eius sub speciebus vini. Nam textus græcus sic habet: τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη, ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον id est, *Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, qui calix pro vobis funditur*. Calix autem non fuit in cruce effusus: sed funditur in sacramento, quando per consecrationem liquor, id est, sanguis, in eo contentus, funditur, hoc est, sacrificatur & offertur Deo in remissionem peccatorum: vt rectè exponit Maldonatus ad cap. Matth. 26. vers. 28. Fit autem hæc consecratio & oblatio pro remissione peccatorum & salute eorum pro quibus offertur Missæ sacrificium, vt paulò ante diximus. Quare non priuantur eo fructu, quamuis abstineant à calice bibendo.

40. *Quinta obiectio.* Opponunt quintò Paulum 1. Corinth. 11. scribentem omnibus Corinthiis fidelibus, id est, vt ipsemet ait cap. 1. vers. 2. *Omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi*, ac proinde populo æquè ac pastoribus, sic præcipere: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Ex quo sic argumentantur: Sicut præceptum probandi seipsum fit omnibus fidelibus: Ita & præceptum edendi de pane illo, & bibendi de calice fit omnibus fidelibus. Neque enim Paulus ait, Probet se homo, si velit edere: sed probet se & edat, græcè ἐσθιέτω. Sicut ergo si Rex præcipit, vt miles arma sumat & strenuè pugnet: vtrumque illi præcipit: sic Paulus, &c. Et saltem ex eo loco constat Corinthios laicos de calice bibisse.

Explicatur caput 11. epist. 1. ad Corinth. Respondeo primò, male aduersarios colligere ex illis Pauli verbis, *Omnibus qui inuocant nomen Domini*, ipsum scribere omnibus fidelibus, siue Corinthiis, siue aliis. Nam ex textu liquet his verbis non aliud intelligere, quàm Corinthios esse sanctificatos in Christo Iesu, & vocatos sanctos cum omnibus fidelibus, id est, æquè ac omnes alios fideles, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro. Verumtamen quia verum est ea, quæ obiiciuntur, pertinere aliquatenus ad omnes fideles, Respondeo secundò, cum authore supra citato num. 8. Paulum non tradere ibi duo præcepta, vnum probandi seipsum, & alterum sumendi vtramque speciem, vt volunt hæretici: sed vnum dumtaxat, non communicandi indignè, absque præmissa probatione necessaria. Quod probatur primò ex intentione Pauli cap. illo 11. à versu 20. vbi incipit loqui de Eucharistia, & non aliud intendit, quàm corrigere abusus, & irreuerentiam Corinthiorum in eius participatione. *Conuenientibus ergo vobis in vnum*, (inquit) *iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.* Tum relata sacramenti huius institutione, qualem à Christo acceperat, vt tanti mysterii reuerentiam, & apprehensionem condignam eorum animis ingeneraret: concludit vers. 27. *Itaque quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Et deinceps vsque ad finem capitis, semper insistit Paulus in probanda necessitate istius probationis, seu præparationis, quam exigit maiestas tanti sacramenti.

Probatur secundò, ex illa disiunctiua, quæ habetur vers. 27. supra relato, *Itaque quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè*. Nam si Paulus verbis sequentibus voluisset tradere præceptum sumendi vtramque speciem, vt volunt Caluinistæ: disiunctiua illa fuisset contraria ipsius intentioni: quippe quæ significat posse disiunctim vnam sine alia sumi: dignè, si præmittatur probatio necessaria: indignè, si non præmittatur. Maximè verò in sententia eorum, qui argumentum propositum nobis obiiciunt: addunt enim paulò post, fieri non posse, vt quis coniunctim vnam speciem indignè sumat, aliam dignè. Nam si ita est: necessariò sequitur eum, qui disiunctim sumit panem, aut calicem indignè, iuxta Apostolum: sumere separatim vnam speciem sine alia. Et vel disiunctio Apostoli est prorsus vana: vel præsupponit necessariò posse vnam speciem sumi sine alia: quandoquidem potest disiunctim indignè sumi. Ineptum autem est existimare Paulum, seu potiùs Spiritum sanctum, hac disiunctione sine causa vsum esse: sed potiùs illam adhibuit, vt significaret, tum vtramque speciem separatim sumi posse: dignè, præmissa conuenienti probatione; indignè, non præmissâ: tum etiam corpus, & sanguinem, ac Christum totum sub vtrauis contineri, quandoquidem quisquis vtramuis accipit indignè, reus est corporis, & sanguinis Domini, quia sub illa specie vtrumque sumpsit, & in os pollutum & contaminatum immisit, vt loquitur Theodoretus in hunc locum. 41.

Nec obest quod Apostolus dicit in imperatiuo ἐσθιέτω. Primò, quia non semper vox imperatiui modi significat præceptum; 42.

sed aliquandò consilium, exhortationem, orationem, & similia. Vt patet ex illis verbis orationis Dominicæ, *Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua.* Quæ omnia in textu græco exprimuntur per imperatiuum: neque tamen nos idcirco illa imperamus. Secundò, quia Paulus non dicit absolutè, *edat*: sed, *probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*: id est, non edat, nisi se prius probauerit. Quo pactò Rex posset cuipiam dicere: Non pugnes, nisi te priùs armis bene munieris. Quibus verbis præcipere posset munitionem armorum si pugnet, sed non pugnam ipsam. Et qui diceret, Quisque Regem maximè honoret, & sic cum summa reuerentia illum alloquatur: non propterea positiuè obligaret vnumquemque ad loquendum cum Rege: sed negatiuè, vt nemo Regem alloquatur, nisi cum summa reuerentia.

45. Quòd autem tunc temporis laici Corinthii de calice biberent, nobis non obest, qui non contendimus nunquam laicos de eo bibisse: sed id illis à Christo præceptum non fuisse: neque à Paulo, qui tantum præcipit, vt ne edant, & bibant indignè: id est, vt quoties volent edere & bibere, præmittant conuenientem sui ipsorum probationem.

Sexta oppositio. Cætera, quæ de Scripturis opponunt hæretici, leuiora sunt, & ex dictis facilè solui possunt. Quæ autem obiiciunt de sanctis Patribus, intelligenda sunt vel de communione sacerdotum consecrantium, vt illud Gelasii distinctione secunda de Consecratione C. *Comperimus*, sic explicatum à Diuo Thoma articulo duodecimo quæstionis octuagesimæ ad primum, vel de re sumenda, non de modo sumendi: vel de permissu, non de præcepto. Quædam etiam contra Manichæos sunt dicta, abstinentes à calice, eo quòd vinum tanquam à dæmone factum detestarentur, vt testatur sanctus Leo sermone quarto de Quadragesima. Eorumque occasione putant aliqui præcepisse Gelasium Papam can. cit. vt arcerentur à communione, qui ad calicem nollent accedere: vt ea ratione deprehenderentur Manichæi, quos deprehensos expulit in exilium.

D.Thom.

44. Explicatur Canon Comperimus. Verùm in illo canone sermo tantùm est de sacerdotibus consecrantibus, vt ostendit titulus canoni præfixus, qui sic habet: *Item Gelasius Papa Maiorico, & Ioanni Episcopis: Corpus Christi sine eius sanguine sacerdos non debet accipere.* Vbi nota Epistolam illam Gelasii, scriptam Maiorico, & Ioanni Episcopis, ex qua sumptus est canon, non ampliùs extare, sed illud eius fragmentum à Gratiano in suo decreto conseruatum fuisse, quem omnino credibile est sensum illius ex antecedentibus, & consequentibus, totóque contextu Epistolæ bene assequutum esse. Ipse autem huic fragmento, seu canoni præfixit titulum, quem suprà diximus. Glossa quoque in margine addit: *Hoc intellige de conficiente*, &c. & S. Thomas art. cit. *Gelasius*, inquit, *loquitur quantum ad sacerdotes.* Et quidem licet priora verba canonis possent facilè pati priorem illam interpretationem, *Comperimus, quòd quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.* Incredibile tamen est voluisse Gelasium comprehendere laicos his verbis sequentibus: *Quia diuisio vnius, eiusdemque mysterii, sine grandi sacrilegio non potest prouenire.* Neque enim poterat ignorare communionem sub vnica specie fuisse laicis permissam, & semper antea eo vsque vsitatam: vt ex Patribus, & historia Ecclesiastica suprà ostendimus.

Denique si communio sub vtraque specie esset necessaria ex præcepto Christi, non posset humana potestas super eo dispensare, permitteréque vt sub vnica communicaretur. At hæretici ipsi super eo dispensant in suis ordinationibus Ecclesiasticis: permittunt enim vt abstemii, saporis & odoris vini impatientes, communicent sub sola panis specie. Quare sibimetipsis apertè contradicunt, quando contendunt communionem sub vtraque specie esse necessariam ex institutione & præcepto Christi. 45.

DISPVTATIO

DISPVTATIO TRIGESIMA SEPTIMA,

De subiecto, & Ministro sacramenti Eucharistiæ.



DE subiecto & ministro Venerabilis huius sacramenti disputat S. Thomas quæst. 80. art. 3. & sex consequentibus: & totâ quæst. 82. In quarum priore docet peccatorem posse quidem sacramentaliter recipere corpus, & sanguinem Christi: sed grauiter peccare: posséque ac debere negari Eucharistiam peccatoribus manifestis, & publicis, etiam petentibus, nisi priùs agant conuenientem pœnitentiam. Secus autem occultis, qui ius petendi, & accipiendi nullo peccato publico amiserunt. Nam ius illud non potest tolli nisi pro causa manifesta. Addit (omissis iis, quæ de nocturna pollutione, & de ieiunio alibi exposuimus) non quoscumque rationis vsu carentes arcendos esse à sumptione Eucharistiæ; sed eos qui nunquam habuerunt: illis verò qui non semper eo caruerunt, si priùs, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis deuotio huius sacramenti, debet in articulo mortis exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis. Vnde statuitur in Concilio Carthagin. IV. cap. 76. & habetur 26. quæst. 6. can. *Is qui*, vt ille qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conuersus fuerit; dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. In posteriori quæst. affirmat 1. Sacerdotum proprium esse conficere hoc sacramentum: quia solis illis datur hæc potestas in eorum ordinatione. 2. Plures sacerdotes posse simul eandem hostiam consecrare: neque propterea iterari consecrationem super eandem materiam: quia omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis. 3. Ad eosdem pertinere dispensationem corporis Christi. Tum quia sacerdos consecrat in persona Christi, qui in cœna & consecrauit, & aliis dedit: vnde sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita dispensatio. Tum etiam quia sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum. Vnde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre: ita pariter ad eum pertinet dona sanctificata diuinitus populo tradere. Tum

denique quia propter reuerentiam hoc sacramentum à nulla re contingitur, nisi consecrata. Vnde & corporale, & calix consecrantur, & similiter manus sacerdotis ad illud tangendum. Excipitur tamen casus necessitatis. 4. Sacerdotem consecrantem debere sumere hoc sacramentum: quia debet esse particeps sacrificii, quod offert, & eius, quod aliis dispensat. 5. Sacerdotem, quamuis malum, & peccatorem, posse Eucharistiam consecrare: quia non consecrat virtute propria, sed vt minister Christi: non desinit autem esse minister Christi ex eo quòd sit malus. Habet enim Dominus bonos, & malos ministros, seu seruos: & hoc pertinet ad excellentiam Christi, cui tanquam vero Deo seruiunt non solùm bona, sed etiam mala, quæ per ipsius prouidentiam in eius gloriam ordinantur. 6. Quantum ad sacramentum, non minùs valere Missam sacerdotis mali, quàm boni: quia vtróbique idem conficitur sacramentum. Quantum verò ad orationes, quæ fiunt in Missa, possunt illæ dupliciter considerari. Vno modo, prout habent efficaciam ex deuotione sacerdotis: & sic plus valet oratio boni, quàm mali sacerdotis. Altero, prout à sacerdote offeruntur in persona totius Ecclesiæ. Et hoc secundo modo fructuosæ sunt omnes orationes sacerdotis peccatoris, siue in Missa, siue in aliis officiis Ecclesiasticis, in quibus gerit personam Ecclesiæ: licet orationes eius priuatæ non sint fructuosæ, secundum illud Prouerb. 28. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem; oratio eius erit execrabilis.* 7. Sacerdotem hæreticum, schismaticum, excommunicatũ, degradatum posse validè, quamuis illicitè, sacramentum hoc conficere: quia retinent potestatem consecrandi in ordinatione acceptam, neque amittunt characterem, qui est indelebilis: vnde quando ad Ecclesiam redeunt, & Pœnitentiam agunt, non reordinantur. Non licere tamen ab illis communionem accipere, vel eorum Missam audire, si per sententiam Ecclesiæ sunt priuati executione consecrandi. Quia hoc est eorum peccato participare. Sed non omnes peccatores sunt ita suspensi. 8 Denique sacerdotem, licet non habeat curam animarum, teneri festis saltem diebus celebrare, illis præcipuè, quibus fideles communicare consueuerunt. Quia tenetur vti gratia sibi concessa opportuno tempore. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Liceatne Eucharistiam dare peccatoribus?

1. *Peccator publicus non est ad communionem admittendus, nisi resipuerit.*



Qvæ de subiecto huius sacramenti docet S. Thom. tota quæst. 80. facilia sunt, vel duabus præcedentibus disputationibus satis exposita: præter illud vnum in titulo propositum: de quo idem S. Doctor art. 6. affirmat, Publico peccatori etiam publicè petenti negandum esse hoc sacramentum: secùs autem, peccatori occulto. Quæ doctrina cõmunissima est. Ratio primæ partis est, quia minister huius sacramenti debet esse fidelis dispensator, & non proiicere sanctum canibus, sufficienter notis. Quam ob causam histriones, magi, concubinarii noti, meretrices publicæ, vsurarii publici, & similes, non possunt ad communionem admitti.

Notandum autem primò id esse intelligendum de peccatore publico non emendato. Si enim se emendauit, & egit pœnitentiam: debet admitti ad communionem. Verùm vt ad eam publicè admittatur, debet emendatio publicè esse nota: ne alioqui sequatur scandalum, si peccatum sciatur, & nesciatur emendatio. Vt autem occultè solùm admittatur nemine conscio, nisi ministro: sufficit eam esse ministro notam: nisi periculum sit, ne diuulgetur ipsum communicasse, non æquè diulgatâ pœnitentiâ. Tunc enim scandalum inde nasceretur, vt ex communione publica.

2. Nota secundò, Peccatorem publicum illum dici, cuius peccatum publicè notum est, notorietate iuris, vel facti. Iuris: si scilicet illud in iudicio, id est, in foro externo Ecclesiastico, vel ciuili, confessus est, aut conuictus de illo fuit in iudicio. Facti: si constet id eum fecisse, ita vt nulla possit tergiuersatione celari. Quod iterum dupliciter publicum dici potest. Primò, absolutè: si constat omnibus, aut pluribus; puta, maiori parti ciuitatis, vel toti viciniæ, aut tot personis, vt simpliciter publicè notum, & diuulgatum dici possit. De quo numero personarum non consentiunt Theologi: cum alii dicant sufficere decem, alii sex tantùm, alii plures requirant. Sed meliùs dicunt, qui censent rem prudenter æstimandam esse, pensata qualitate loci, delicti, personarum quæ norunt, &c. Neque posse ex solo numero certam & vniuersalem regulam præscribi. Secundò dicitur publicum respectiuè, id est, comparatiuè ad communionem: si notum est omnibus iis qui adsunt communioni, licet illi pauci sint: vel saltem maiori parti, si sunt plures quam decem.

Quis dicatur peccator publicus?

3. Quando igitur crimen est notum iure, vel etiam facto est publicum absolutè: debet communio negari absolutè, etiamsi qui adsunt illud ignorent: atque etiamsi peccator communionem petat alio in loco vbi non est infamatus. Quando autem respectiuè tantùm, debet pariter communio negari respectiuè tantùm. Sicut è contrario, debet communio dari pœnitenti coram iis, quibus respectiuè nota est eius pœnitentia. Nisi in vtroque casu sit periculum scandali imminentis, ob diuulgationem. Ita Suarez, Aegidius Coninc, & alii plures ad articulum 6. quæst. 80.

4. Circa secundam partem propositionis D. Thomæ de non neganda communione peccatori occulto quamuis indisposito, Nota tertiò id intelligendum esse si publicè petat, id est, coram aliis ipsius crimen ignorantibus. Secus autem si petat præsente solo sacerdote criminis eius & impœnitentiæ conscio: vel etiam coram aliis similiter consciis. Solùm difficultas est, an si sacerdos non nouerit crimen & impœnitentiam alia via, quàm per confessionem sacramentalem, debeat nihilominus negare communionem petenti, nemine alio præsente?

Sitne neganda peccatori occulto?

5. Affirmant S. Thomas in quarto distinct. 9. quæstione vnic. artic. 5. in corp. & Thomistæ communiter, aliique plurimi: quorum præcipuum fundamentum est, quia id non est reuelare confessionem, licet aliquid fiat aut dicatur ex quo conscius criminis intelligat se aut alium tale crimen confessum esse. Exempli gratiâ, potest sacerdos, audita confessione latronis, dicere ipsum sibi ritè confessum esse. Imò hoc ipso quòd eum absoluit, satis id significat. Neque propterea frangit sigillum confessionis: licet tum ipse latro, tum alii conscii criminis, inde intelligant de latrociniis confessum esse. Sic etiam potest confessarius audito vno è multis complicibus mortem ipsi intentantibus, fugere: licet alii complices inde colligant ipsum per confessionem nouisse conspirationem. Sic denique posset sacerdos negare ensem, apud se depositum, ei quem sciret per confessionem velle ipso vti ad se interficiendum. Neque enim id est reuelare confessionem. Et innocentis iniuria arcenda est, si fieri potest sine violatione sigilli confessionis.

6. Addunt tamen aliqui, id non licere, ita vt expressè negetur communio propter peccatum in confessione cognitum: sed debere prætendi aliam rationem negandi, & vitari periculum scandali, atque omnis infamiæ, omnísque criminis, seu reuelationis suspicionem. Quæ quia vix possunt moraliter concurrere: ideo regulariter loquendo, & practicè, necessarium est cognouisse peccatum extra confessionem.

Contrarium absolutè verius esse puto cum Paludano in 4. dist. 9. quæst. 4. art. 1. conclus. 3. Gabr. ibidem quæst. 2. art. 3. dub. 1. Soto dist. 12. quæst. 1. art. 6. & Aegid. Coninc ad art. 6. q. 80. quorum præcipua ratio est, quia non potest confessarius, aut superior in regimine externo pœnitentis, vti scientia per confessionem habita, sine ipsius facultate. Alioquin sigillum violat, & facit contra ius pœnitentis. Atqui dare vel negare communionem, pertinet ad regimen externum, estque per se actus Pastoris, & per accidens aliorum ministrorum vice ipsius. Adde quòd, negare tali communionem, est virtualiter illi suum peccatum exprobrare extra confessionem: quod est illicitum, & contra sigillum: quia peccatum illud trahitur extra claustrum sacramenti, in quo debet contineri, nisi pœnitens aliud permittat. Qua de re plura dicemus inferiùs tract. seq. dispu. 54. vbi etiam respondebimus fundamento contrariæ sententiæ.

7. Nota vltimò certum quidem esse, & constans inter Doctores, non esse negandam communionem peccatori occulto publicè petenti. Idque satis statuitur in can. *Si tantum*, & can. *Placuit*, 6. q. 2. & in can. *Si sacerdos, De officio Ordinarii*: vbi etiam affertur exemplum Christi, qui Iudæ non negauit Eucharistiam, quando Apostolis eam publicè distribuit pridie suæ passionis. Non facilè tamen redditur certa & sufficiens ratio huius tam certæ tamque communis doctrinæ, vt patebit ex singularum examine.

Sitne danda peccatori occulto publicè petenti?

8. Nonnulli, inter quos sunt Alens. & D. Bonauent. dicunt rationem esse, ne peccator infametur, aut scandalum inde sequatur. Verùm potest quis licitè infamari, quando id necessarium est ad auertendam grauem iniuriam innocentis. Hic autem auertenda est iniuria Christi, grauior quauis infamatione peccatoris, cui etiam sponte ipsemet causam dat. Neque inde per se scandalum sequitur: sed tantùm homines suspicabuntur negari illi Eucharistiam propter aliquod peccatum

Prima ratio non satisfacit.

occultum. Quod nihil habet incommodi, præter infamationem peccatoris.

9. Secunda ratio repudiatur. Alii, vt Suarez, dicunt publicam dispensationem sacramenti Eucharistiæ debere fieri non secundum scientiam priuatam: sed publicam. Actus enim publicus debet regi scientiâ publicâ. Sicut Iudex debet reum absoluere, aut damnare non iuxta scientiam priuatam, sed publicam, quam habet, id est, secundum allegata & probata. Id enim exigit bona gubernatio reipublicæ, & modus bene exercendi eiusmodi actum. Quia ex alio modo sequerentur multa & grauia incommoda ordinariè, magnaque perturbatio. Possent enim Ministri quos vellent infamare. Et, si liberum Ministris relinqueretur probare vel non probare crimen, propter quod negant communionem: nimia illis daretur licentia. Sin autem probare tenerentur: nimis magnum onus, & sæpè impossibile, illis imponeretur.

10. Tertia ratio. Verùm hæc ratio patitur instantiam. Quia dispensator bonorum communium potest in publica dispensatione eum prætermittere, quem scientiâ priuatâ nouit vsurum in perniciem reipublicæ. Et si crimen probare potest, habet ius exprobrandi, & probandi. Similiterque Episcopus potest, ac debet negare ordines ei, quem scientiâ priuatâ nouit indignum, saltem si probare potest eius indignitatem.

Propter hoc addit Aegidius Coninc, Christum sic instituisse, & suo iuri in contrarium, quod hoc, renunciasse, ne sacramentum pacis fieret occasio perturbationis, propter incommoda superiùs exposita. Sic autem instituisse colligitur tum ex ipsius facto circa Iudam: tum ex vsu Ecclesiæ, quæ sic fieri præcipit in canonibus ante citatis. Non est autem intrinsecè malum dare communionem indigno, sed occulto, publicè petenti. Neque tenetur sacerdos quouis modo impedire actum externum sacrilegii, commisso iam interno per voluntatem, in quo est tota malitia formalis seu libera: quem actum sacerdos impedire nequit, siue det communionem, siue neget. Maximè cùm id peccatori parum vtile futurum sit, sed potiùs causa impatientiæ, odii, murmurationis, detractionis de fama sacerdotis negantis communionem, & similium peccatorum, in quæ tales ex illa occasione solent erumpere. Obligatio autem vitandi malum alienum metienda est ex fructu, & bono, quod prudenter speratur.

11. Expenditur & probatur. Sed contra: quia non est asserendum Christum in re tam ordinaria dispensasse in lege naturali, vel iuri suo renunciasse, si potest sufficienter ostendi id, de quo agimus, non esse contra legem naturalem. Existimo autem ad id ostendendum sufficere rationem, quam reddit sanctus Thomas quæst. 80. artic. 6. dicens peccatorem occultum non amisisse ius petendi in publico communionem: quo iure non potest priuari, nisi pro causa manifesta. Quæ ratio cæteris præferenda esse mihi videtur, & confirmari potest ex capite *Ex tenore*, *De temporibus ordinationum*, iuncta glossa finali, in quo dicitur non esse negandos ordines peccatori publicè petenti, si habet ius petendi, vt videbimus sectione sequenti. Ad id verò quod contra illam rationem Diui Thomæ opponi solet, neminem ius habere ad communicandum indignè, quia nemo ius habet ad sacrilegium committendum. Respondeo non habere quidem ius ad communicandum indignè, sed habere ius ad petendam communionem, quam sumit indignè & sacrilegè. Sicut coniux obstrictus voto simplici castitatis habet ius petendi debitum, quo tamen vtitur sacrilegè.

Quæres, vtrum in eo casu melius foret dare occulto peccatori hostiam non consecratam, de ipsius consensu? Respondeo negatiuè: ob materialem idololatriam, quæ tunc circa illam committeretur ab adstantibus; & cultum externum indebitum, qui tum à sacerdote, tum à communicante redderetur tali hostiæ, tanquam consecratæ. 12. An liceat illi dare hostiam non consecratam?

SECTIO II.

Sitne idem sentiendum de aliis sacramentis, ac de Eucharistia?

Quæres secundò, Vtrum de aliorum sacramentorum Ministris idem sentiendum sit, ac de Ministro Eucharistiæ? Affirmat Delugo disput. 8. de Sacram. in genere num. 195. de Baptismo, Confirmatione, & Extrema-vnctione idem esse dicendum, ac de Eucharistia. Quia, inquit, ad hæc sacramenta habent ius omnes, vt ea petant à pastore tanquam sibi debita. Vnde non videtur habere ius maius repellendi eos cum infamia propter delictum occultum ab his sacramentis, quàm ab Eucharistia. 13.

Verùm ille, qui nondum est baptizatus, non est ex ouibus Ecclesiæ, neq; subest eius Prælatis, aut Parochis, & Pastoribus: neque ius habet ad sacramenta, & alia bona Ecclesiæ, ad quæ ius datur per Baptismum. Quare de illo censeo potiùs idem dicendum esse, ac de eo, qui petit ordines sine iure petendi: qui repellendus est, quamuis publicè petat cum occulta indispositione; vt colligitur ex cap. *Ad aures, De temporibus ordinationum*; Vbi Lucius Papa statuit Religiosos non debere ordinari contradicente ipsorum Prælato. Quoniam, inquit, esse potest quòd Prælati eorum commissa secreta nouerint, ex quibus constat eis, quod saluâ conscientiâ nequeunt sublimari. Ratio quoque, quam ad id probandum de ordinante reddit Delugo num. 194. idem concludit de baptizante, si ei cum proportione applicetur. Videndum enim est, quinam in Ecclesiam admittantur, æquè ac quinam eligantur in Ministros Ecclesiæ.

Dixi, *de eo, qui petit ordines sine iure petendi*: quod ius non habent omnes Christiani, sed illi soli, qui legitimè vocantur à Deo, & acceptantur ab Ecclesia: quia secus dicendum est de eo, qui publicè petit, & ius habet petendi ratione beneficii, vel dignitatis: vt probatur ex cap. *Ex tenore, de temp. ordinat.* iunctâ glossâ finali illius capitis, quæ sic meritò illud interpretatur, ne alioqui Alexander III. author illius canonis, contradicat Lucio Papæ cap. *Ad aures*, eodem titulo.

15. Confirmatio & extrema-vnctio debet dari peccatori occulto publicè petenti.

Vnde magis confirmatur ratio superius allata ex D. Thoma de peccatore occulto petente publicè Eucharistiam, nimirum ideo dari illi debere, quia publicè petit, & ius habet petendi. Eandémque ob causam dari debent Confirmatio, & Extrema-vnctio peccatori occulto, si publicè petat. Sacramentum verò Pœnitentiæ non debet, nec potest dari peccatori occulto indisposito. Tum quia dispositio est de illius essentia, & sine illa daretur inualidè. Tum etiam quia Minister huius sacramenti est Iudex in foro interno, & ius habet inquirendi de dispositione, & de conscientia pœnitentis, vt remittat peccata, vel retineat. Adde quòd hîc facile est vitare infamiam pœnitentis, cùm negotium secretò peragatur, possitque sacerdos in fine preces aliquas recitare, & benedicere pœnitentem, ne alii aduertant ipsum sine absolutione dimitti.

16. Debeatne parochus assistere Matrimonio si nouit impedimentum occultum?

In sacramento autem Matrimonii suppono Parochum non esse ministrum, sed coniuges. Quia tamen Parochus nomine Ecclesiæ assistit tanquam testis, ac velut Notarius publicus contractus sacramentalis, qui debet fieri iuxta leges Ecclesiæ: si nouit aliquod occultum impedimentum specialiter repugnans contractui, cumque prohibens, aut irritans: tenetur non assistere matrimonio, sed impedimentum manifestare Ordinario. Si autem nouit alia peccata occulta, imò & publica, non specialiter opposita contractui per leges cum prohibentes, aut irritantes: debet quidem monere coniuges, & impedire, si facilè possit, ne in malo statu contrahant. Quod si assequi non possit; præsentiam suam, & assistentiam, negare non debet; dummodo illi non sint excommunicati non tolerati, quibuscum in rebus sacris communicare non licet; Excepto casu necessitatis, quæ cum proportione excusat in Matrimonio, sicut in rebus aliis, vt post Sanchem & alios bene aduertit Delugo suprà num. 223. Cur autem Parochus non possit assistere iis, qui habent speciale aliquod impedimentum contractus, secus autem aliter indispositis, rationem bene reddit Delugo num. 216. & 217. quia scilicet differentia est inter ea, quæ impediunt matrimonium sub communi ratione sacramenti; vt facit quæcunque indispositio, ob statum peccati mortalis, vel propter excommunicationem: & inter ea, quæ impediunt illud sub ratione, siue communi, siue speciali contractus; vt faciunt alia impedimenta Matrimonii, siue prohibentia, siue dirimentia. Nam impedimenta prioris generis, non magis impediunt circa Matrimonium, quàm circa Eucharistiam, Confirmationem, & Extremam-vnctionem, quæ, vt diximus, non debent negari peccatori occulto publicè petenti. Imò minùs impediunt circa Matrimonium, quia ne quidem peccatori noto negandum est, si peccatum non sit speciale impedimentum contractus. Quia Parochus non est minister sacramenti, sed assistit tantùm, vt Notarius publicus, qui ratione officii sui tenetur quidem examinare an fiat contra leges contractus: nullamque admittere clausulam, aut conditionem legitimo contractui repugnantem: sed non debet inquirere de aliis peccatis, quæ aliunde, & extrinsecè possunt contractui aduenire. Vt si peccant contrahentes ex fine vitioso. Et quamuis sciat priuatim, ita esse: imò quamuis id publicè notum sit: non propterea debet negare suam operam, siue assistentiam, contractui celebrando; sed debet fidem facere, & testari quæ videt fieri iuxta leges contractus, quarum custodia ipsi specialiter commissa est.

Coniuges verò, qui sunt ministri huius sacramenti, tenentur quidem ambo esse in statu gratiæ: tum vt cõuenienter administrent, tum etiam vt dignè recipiant hoc sacramentum, quod est vnum ex iis, quæ appellantur viuorum. Alioqui peccant dupliciter; & quatenus ministri, & quatenus recipientes indignè. Debet etiam quisque illorum curare, quantum commodè fieri potest, vt si alius sit indispositus, disponat sese ad dignè recipiendum. Si tamen persistat, potest nihilominus cum illo contrahere, etiamsi sit excommunicatus toleratus, aut hæreticus, in iis casibus, in quibus licitum est contrahere cum hæretico. Vt patet ex Conciliis Chalcedon. art. 15. can. 14. & Laodicens. can. 31. permittentibus ea Matrimonia, modò hæreticus promittat conuersionem: & ex praxi summorum Pontificum, qui dispensant interdum ad huiusmodi Matrimonia cum hæreticis contrahenda, quæque videntibus, & consentientibus Prælatis non rarò fiunt in Gallia, aliisque locis, vbi Catholici cum hæreticis permixti sunt. Modò tamen contrahant ritu Catholico. Nam alioqui non licet cum hæreticis communicare in suis ritibus peculiaribus falsæ religionis, quam profitentur. Licitum quoque fecit Concilium Constantiense communicare in rebus sacris cum excommunicatis toleratis, illísque administrare, vel ab illis petere, aut accipere sacramenta: ita vt nemo teneatur vitare tales excommunicatos in administratione, aut susceptione sacramentorum. Quare non peccant coniuges, neque quà petentes, neque quà administrantes hæretico, aut alteri peccatori, quamuis excommunicato. Petunt enim ab illo pro suo iure aliquid, quod, si velit, potest ab illo licitè fieri, &

Digitized by Google

administrant ei, qui si velit, potest conteri, seque disponere ad dignè recipiédum. Quòd autem iste sua culpa malè recipiat, & administret, potest permitti ab altero coniuge, qui non tenetur cum suo graui incommodo, propter alterius culpam, à contractu sibi notabiliter vtili abstinere. Videri potest Delugo disp. cit. à n. 220. vbi nobiscum sentit, & fusiùs rem explicat atque confirmat.

SECTIO III.

Quis sit idoneus minister huius sacramenti?

18. Minister Eucharistiæ duplex esse potest: vnus ad efficiendum: alter ad ministrandum postquam effecta est. Licet enim ordinariè administretur per eosdem, per quos efficitur, aut effici potest; tamen potest diuisim ab vno effici, & ab alio ministrari, à quo non potest effici: puta, à Diacono ex commissione, vel ab alio in casu necessitatis, vt dicemus in fine sequentis sect. Nunc de priori ministro sacramenti, videlicet quoad eius effectionem, dicendum est cum D. Thoma quæst. 82. art. 1. & omnibus Catholicis, solum sacerdotem posse hoc sacramentum efficere. Probatur, quia illi soli hoc possunt, quibus Christus hanc potestatem planè supernaturalem concessit. Atqui non concessit aliis, nisi sacerdotibus, id est, Apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus, verbis illis, *Hoc facite*, Luc. 22. & 1. Corinth. 11. quemadmodum interpretatio, & vsus perpetuus Ecclesiæ declarauit. Sic enim verba illa intellexerunt sancti Patres Apostolorum contemporanei, aut vicini, & alii deinceps. Vt Clem. lib. 2. Constitut. cap. 31. vbi dicit laicum *frustra facere*, si absque sacerdote aliquid attentat circa oblationem sacrificii Eucharistici. Et lib. 8. cap. vlt. vbi affirmat Christum solis Apostolis dixisse, *Hoc facite*; ab illis verò, & per illos deriuatam fuisse hanc potestatem ad Presbyteros. Et Cyprian. lib. 1. epist. 9. vbi affirmat singulos diuino sacerdotio honoratos non nisi altari & sacrificiis deseruire, & precibus atque orationibus vacare debere. Additque Episcopos antecessores suos salubriter ordinasse; vt si quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. *Neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos leuitas auocare voluit.* Quibus verbis satis perspicuè significat non quorumlibet, sed sacerdotum proprium munus esse offerre sacrificium Eucharistiæ. Et Epiphan. Hæresi 79. vbi disputans contra Collyridianos, affirmat solos Apostolos fuisse à Christo ordinatos ministros Eucharistiæ: & deinde ab Apostolis alios Episcopos, & Presbyteros: cæteris autem, & maximè fœminis, adeo id non licere, aut licuisse vnquam, vt ne Beatæ quidem Virgini concessum fuerit. Et Chrysost. lib. 3. de Sacerd. cap. 4. & sequenti, vbi sacerdotes supra reliquorum hominum dignitatem mirabiliter extollit, eò quòd habeant potestatem offerendi sacrificium Eucharisticum, & remittendi peccata. Et Hieron. in epist. ad Heliodorum, vbi sacerdotes super alios Clericos specialiter commendat, quòd corpus Domini proprio ore conficiunt, id est, verbis sacramentalibus ore suo prolatis: & in dialogo aduersus Luciferianos, longè ante finem, dicit Hilarium schismaticum non potuisse Eucharistiam consecrare, neque Clericos ordinare, eò quòd tantùm esset ordinatus in Diaconum; & Gaudent. Brixiæ Episcopus in tract. 2. ad Neophytos, prope finem, qui tractatus habetur tom. 2. Bibliothecæ Patrum, sic ait: *Discipulis fidelibus mandat* (Christus scilicet) *quos primos Ecclesiæ constituit sacerdotes, vt indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, vsquequo iterum Christus de cœlis adueniat.*

Solus sacerdos potest efficere hoc sacrament.

Clement.

Cyprian.

Epiphan.

Chrysost.

Hieron.

Gaudent.

Idem etiam docent Concilia antiqua, & noua. Vt Concilium Nicænum 1. can. 14. dicẽs Diaconos non habere potestatem offerendi sacrificium Eucharistiæ, sed Presbyteros. Et Synodus Alexandr. in epist. quam refert Athanas. Apol. 2. contra Arianos; in quâ epistola Patres Synodi Alexandrinæ probant Hischiram Arianum hæreticum non potuisse sacrificium Eucharistiæ celebrare: eo quòd non esset ordinatus sacerdos à vero Episcopo. Et Concilium Lateran. magnum sub Innocentio III. cap. 1. vbi sic ait: *Hoc sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos fuerit ritè ordinatus.* Et Trident. sess. 23. cap. 1. vbi affirmat sacrificium, & sacerdotium Dei ordinatione esse coniuncta: & Christum Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus potestatem tradidisse consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem eius, necnon & peccata dimittendi, & retinendi. Idem denique patet ex forma initiandi sacerdotes in vniuersa Ecclesia Latina, in qua sic dicitur ab Episcopo: *Accipe potestatem offerendi sacrificium, pro viuis, & defunctis.* Quæ verba in nullius alterius ministri Ecclesiæ ordinatione proferuntur, suntque sacramentalia, & effectiua eius quod significant. 19.

Athanas.

20. Ex his collige primò, Errare Lutheranos affirmantes quemlibet Christianum, vi Baptismi, habere potestatem consecrandi Eucharistiam, licet hoc officium nemo sumere debeat, nisi legitimè vocatus, excepto casu necessitatis: vt docet Luther. in lib. de captiuit. Babylon. cap. de Ordine. Qui error ampliùs refutatur ex eo quòd antiqua Ecclesia manifestè nullos alios veros sacerdotes agnouit, præter eos, qui tales fiunt speciali ordinatione: & nullos alios potestatem consecrandi habere credidit. Hoc secundum pa

Error Lutheri contrarius refutatur.

Dionyſ.

tet ex teſtimoniis modò relatis. Primum verò liquet ex Dionyſ. cap. 5. Eccleſiaſt. Hierarch. parte 1. poſt medium, vbi ſic habet: *Nec ipſe ſacerdos erit, niſi Pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus.*

Baſil.

Et ex Baſil. lib. 2. de Baptiſmo cap. 8. vbi docet omnes Chriſtianos eſſe quidem ſacerdotes impropria quadam, & ampla ſignificatione, quia debent omnes offerre Deo ſpiritales hoſtias bonorum operum; propriè vero ſacerdotes eſſe eos ſolos, qui ad hoc ordinati ſunt. Idémque af-

Auguſt.

firmat D. Auguſt. lib. 20. de Ciuit. cap. 10. Et denique plures alii Patres expreſſè docent quòd ſicut in lege Moſaica nulli erant veri ſacerdotes, niſi qui de tribu Leuitica fuerant legitimè ordinati, iuxta illud Hebr. 5. v. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron:* ſic Euangelicum ſacerdotium, longè excellentius Aaronico, non competit omnibus, ſed iis ſolis, qui legitimè vocati, & ordinati ſunt ritu per Chriſtum inſtituto. Ac ſicut alii, ne quidem in neceſſitate poterant munus ſacrificandi obire: vnde 1. Reg. 13. reprehenditur Saul quòd ſtultè egerit, attentans ſacrificare in caſu neceſſitatis: & Oſias eandem ob cauſam lepra percutitur 2. Paralip. 26. Sic in lege Euangelica nemo niſi ſacerdos poteſt in vllo caſu cuiuſcunque neceſſitatis ſacrificare. Vnde fit, vt quamuis in ſacris literis, & hiſtoriis Eccleſiaſticis videamus aliquos non ſacerdotes interdum baptizaſſe in caſu neceſſitatis, vt Philippum Diaconum Act. 8. & Athanaſium ad-

Ruffin.

huc infantem apud Ruffin. lib. 1. Hiſtoriæ c. 14. nuſquam tamen legamus vllum alium præter ſacerdotes ſacrificaſſe: ſed in eorum defectu caruiſſe potiùs fideles Euchariſtia in quacunque neceſſitate, quàm præſumpſiſſe, vel auſos eſſe eam conſecrare. Cuius rei exempla ex Theodoreto, Auguſt. & Epiph. vi-

Bellarm.

de apud Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 16.

Tertull.
Clemens.

Quibus addo, quòd olim, vt conſtat ex Tertull. lib. 2. ad vxorem cap. 5. Clem. Alexandr. lib. 1. Strom. paulò poſt initium,

Cyprian.

Cyprian. ſerm. de Lapſis, Ambroſ. in oratione de obitu Satyri fratris, Baſil. in epiſt. ad Cæſar. Patrit. Hieron. in Apol. pro libris ſuis contra Iouinianum, & aliis antiquis, Chriſtiani olim tempore perſecutionis deferebant domum Euchariſtiam in orario, & ſeruabant apud ſe, atque etiam in itinere ferebant, vt poſſent vrgente neceſſitate communicare. At hoc non feciſſent, neque fuiſſet domum aſportandi, & aſſeruandi, vel in itinere terra, marique ferendi neceſſitas, ſi potuiſſet quilibet vrgente neceſſitate conſecrare. Item, ne quidem inſtante martyrio fideles in Cryptis latentes, aut carceribus detenti, leguntur vnquam conſecraſſe Euchariſtiam, & ſacrificaſſe, niſi eſſent ſacerdotes: vt Lucianus Martyr apud Origen. & Euſeb.

Baron.

referente Baron. ad annum Chriſti 311. Denique ſi poteſtas conſecrandi competeret omnibus ratione Baptiſmi, vt vult Luther. competeret etiam fœminis baptizatis; & ſi Baptiſmus facit verè & propriè ſacerdotes, mulieres Chriſtianæ eſſent verè, & propriè ſacerdotes Euangelici. At hoc reiectum ſemper fuit ab Eccleſia, quæ hac de cauſa Pepuzianos, & Collyridianos hæreſis ſtultiſſimæ, & turpiſſimæ condemnauit, vt videre eſt

Epiphan.

apud Epiphan. hæreſi 49. & 79. & Auguſt. lib. de hæreſibus ad QuodvultDeum hæreſi 27.

§ 21.
Soluuntur eius arg.

Quæ verò in contrarium obiiciunt hæretici, ſoluta vide apud Yſamb. quæſt. 82. diſp. 1. art. 2. vbi abundè illis omnibus ſatisfacit. Summa ſolutionum eſt, Petrum Apoſtolum epiſt. 1. cap. 2. cùm ait, *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium;* & Ioannem in Apocal. cap. 1. verſ. 6. *Fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo & patri ſuo,* & cap. 5. v. 10. *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes:* loqui de ſacerdotio latè ſumpto, pro ſpiritali poteſtate, & debito offerendi Deo ſacrificium bonorum operum, de quibus illis in locis ſermo eſt, vt oſtendemus paulò poſt. Secundò,

Tertull.

Tertullian. in exhortatione ad caſtitatem cap. 7. quando ſic ait: *Nonne & Laici ſacerdotes ſumus? Scriptum eſt, Regnum quoque nos, & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo. Vbi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & ſacerdos es tibi ſolus. Sed & vbi tres, Eccleſia eſt, licet Laici: vnuſquiſque enim de ſua fide viuit.*

Locus Tertull. obſcurus explicatus.

Cum, inquam, ait Nonne, & Laici ſacerdotes ſumus? intelligit ſacerdotes latè, & impropriè, modo ſuprà dicto: alioqui ſibimetipſi apertè contradiceret: quippe qui in lib. de præſcriptionibus irridet Marcioniſtas, quòd apud eos aliqui eſſent hodie Clerici, cras Laici, quódque Laicis munia ſacerdotalia committerent. Idem etiam patet ex probatione, quam ſubiungit Tertullianus: *Scriptum eſt, Regnum quoque nos, & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo fecit:* nimirum Apoc. 1. verſ. 6. & cap. 5. verſ. 10. qui locus de ſpiritali ſacerdotio intelligendus eſt, vt ſuprà diximus, & indicant verba præcedentia loco poſteriùs citato, vbi non de ſacrificiis propriè dictis, deque oblatione Euchariſtiæ ſermo eſt, ſed ſolùm de oblatione orationum, & de phialis aureis plenis odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum. De eodémque ſacerdotio impropriè dicto loquitur Petrus Apoſt. loco ſuprà cit. vt patet ex verbis antecedentibus: hortatur enim fideles immediatè antea, ad deponendam omnem malitiam, & omnem dolum, ſimulationes, inuidias, detractiones: ad amplectendam vitam innocentem, qualis decet filios Dei adoptiuos, recens genitos in Chriſto: ad ædificandam domum ſpiritalem, tanquam lapides viuos, offerendaſque ſpiritales hoſtias bonorum operum, quibus Deus colitur in ſpiritu, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Et paulò poſt eoſdem obſecrat, vt abſtineant à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, & bene conuerſentur inter gentes, ſint ſubditi ſuperioribus, patientérque ferant tribulationes, &

administrant ei, qui si velit, potest conteri, seque disponere ad dignè recipiẽdum. Quòd autem iste sua culpa malè recipiat, & administret, potest permitti ab altero coniuge, qui non tenetur cum suo graui incommodo, propter alterius culpam, à contractu sibi notabiliter vtili abstinere. Videri potest Delugo disp. cit. à n. 220. vbi nobiscum sentit, & fusiùs rem explicat atque confirmat.

SECTIO III.

Quis sit idoneus minister huius sacramenti?

18. Minister Eucharistiæ duplex esse potest: vnus ad efficiendum: alter ad ministrandum postquam effecta est. Licet enim ordinariè administretur per eosdem, per quos efficitur, aut effici potest; tamen potest diuisim ab vno effici, & ab alio ministrari, à quo non potest effici: puta, à Diacono ex commissione, vel ab alio in casu necessitatis, vt dicemus in fine sequentis sect. Nunc de priori ministro sacramenti, videlicet quoad eius effectionem, dicendum est cum D. Thoma quæst. 82. art. 1. & omnibus Catholicis, solum sacerdotem posse hoc sacramentum efficere. Probatur, quia illi soli hoc possunt, quibus Christus hanc potestatem planè supernaturalem concessit. Atqui non concessit aliis, nisi sacerdotibus, id est, Apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus, verbis illis, *Hoc facite*, Luc. 22. & 1. Corinth. 11. quemadmodum interpretatio, & vsus perpetuus Ecclesiæ declarauit. Sic enim verba illa intellexerunt sancti Patres Apostolorum contemporanei, aut vicini, & alii deinceps. Vt Clem. lib. 2. Constitut. cap. 31. vbi dicit laicum *sceleste facere*, si absque sacerdote aliquid attentat circa oblationem sacrificii Eucharistici. Et lib. 8. cap. vlt. vbi affirmat Christum solis Apostolis dixisse, *Hoc facite*: ab illis verò, & per illos deriuatam fuisse hanc potestatem ad Presbyteros. Et Cyprian. lib. 1. epist. 9. vbi affirmat singulos diuino sacerdotio honoratos non nisi altari & sacrificiis deseruire, & precibus atque orationibus vacare debere. Additque Episcopos antecessores suos salubriter ordinasse, vt si quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur: *Neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos leuitas auocare voluit.* Quibus verbis satis perspicuè significat non quorumlibet, sed sacerdotum proprium munus esse offerre sacrificium Eucharistiæ. Et Epiphan. Hæresi 79. vbi disputans contra Collyridianos, affirmat solos Apostolos fuisse à Christo ordinatos ministros Eucharistiæ: & deinde ab Apostolis alios Episcopos, & Presbyteros: cæteris autem, & maximè fœminis, adeo id non licere, aut licuisse vnquam, vt ne Beatæ quidem Virgini concessum fuerit. Et Chrysost. lib. 3. de Sacerd. cap. 4. & sequenti, vbi sacerdotes supra reliquorum hominum dignitatem mirabiliter extollit, eò quòd habeant potestatem offerendi sacrificium Eucharisticum, & remittendi peccata. Et Hieron. in epist. ad Heliodorum, vbi sacerdotes super alios Clericos specialiter commendat, quòd corpus Domini proprio ore conficiunt, id est, verbis sacramentalibus ore suo prolatis: & in dialogo aduersus Luciferianos, longè ante finem, dicit Hilarium schismaticum non potuisse Eucharistiam consecrare, neque Clericos ordinare, eò quòd tantùm esset ordinatus in Diaconum: & Gaudent. Brixiæ Episcopus in tract. 2. ad Neophytos, prope finem, qui tractatus habetur tom. 2. Bibliothecæ Patrum, sic ait: *Discipulis fidelibus mandat* (Christus scilicet) *quos primos Ecclesiæ constituit sacerdotes, vt indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, vsquequo iterum Christus de cælis adueniat.*

Solus sacerdos potest efficere hoc sacrament.

Clemens.

Cyprian.

Epiphan.

Chrysost.

Hieron.

Gaudent.

Idem etiam docent Concilia antiqua, & noua. Vt Concilium Nicænum 1. can. 14. dicẽs Diaconos non habere potestatem offerendi sacrificium Eucharistiæ, sed Presbyteros. Et Synodus Alexandr. in epist. quam refert Athanas. Apol. 2. contra Arianos: in qua epistola Patres Synodi Alexandrinæ probant, Hischiram Arianum hæreticum non potuisse sacrificium Eucharistiæ celebrare, eo quòd non esset ordinatus sacerdos à vero Episcopo. Et Concilium Lateran. magnum sub Innocentio III. cap. 1. vbi sic ait: *Hoc sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos fuerit ritè ordinatus.* Et Trident. sess. 23. cap. 1. vbi affirmat sacrificium, & sacerdotium Dei ordinatione esse coniuncta, & Christum Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus potestatem tradidisse consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem eius, necnon & peccata dimittendi, & retinendi. Idem denique patet ex forma initiandi sacerdotes in vniuersa Ecclesia Latina, in qua sic dicitur ab Episcopo: *Accipe potestatem offerendi sacrificium, pro viuis, & defunctis.* Quæ verba in nullius alterius ministri Ecclesiæ ordinatione proferuntur, suntque sacramentalia, & effectiua eius quod significant. 19.

Athanas.

Ex his collige primò, Errare Lutheranos affirmantes quemlibet Christianum, vi Baptismi, habere potestatem consecrandi Eucharistiam, licet hoc officium nemo sumere debeat, nisi legitimè vocatus, excepto casu necessitatis: vt docet Luther. in lib. de captiuit. Babylon. cap. de Ordine. Qui error amplius refutatur ex eo quòd antiqua Ecclesia manifestè nullos alios veros sacerdotes agnouit, præter eos, qui tales fiunt speciali ordinatione: & nullos alios potestatem consecrandi habere credidit. Hoc secundum pa- 20.

Error Lutheri contrarius refutatur.

Dionys. tet ex testimoniis modò relatis. Primum verò liquet ex Dionys. cap. 5. Ecclesiast. Hierarch. parte 1. post medium, vbi sic habet: *Nec ipse sacerdos erit, nisi Pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus.* Et ex Basil. lib. 2. de Basil. Baptismo cap. 8. vbi docet omnes Christianos esse quidem sacerdotes impropria quadam, & ampla significatione, quia debent omnes offerre Deo spiritales hostias bonorum operum: propriè vero sacerdotes esse eos solos, qui ad hoc ordinati sunt. Idémque affirmat D. August. lib. 20. de Ciuit. cap. 10. August. Et denique plures alii Patres expressè docent quòd sicut in lege Mosaica nulli erant veri sacerdotes, nisi qui de tribu Leuitica fuerant legitimè ordinati, iuxta illud Hebr. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron:* sic Euangelicum sacerdotium, longè excellentius Aaronico, non competit omnibus, sed iis solis, qui legitimè vocati, & ordinati sunt ritu per Christum instituto. Ac sicut alii, ne quidem in necessitate poterant munus sacrificandi obire: vnde 1. Reg. 13. reprehenditur Saul quòd stultè egerit, attentans sacrificare in casu necessitatis: & Osias eandem ob causam lepra percutitur 2. Paralip. 26. Sic in lege Euangelica nemo nisi sacerdos potest in vllo casu cuiuscunque necessitatis sacrificare. Vnde fit, vt quamuis in sacris literis, & historiis Ecclesiasticis videamus aliquos non sacerdotes interdum baptizasse in casu necessitatis, vt Philippum Diaconum Act. 8. & Athanasium adhuc infantem apud Ruffin. lib. 1. Historiæ Ruffin. c. 14. nusquam tamen legamus vllum alium præter sacerdotes sacrificasse: sed in eorum defectu caruisse potiùs fideles Eucharistia in quacunque necessitate, quàm præsumpsisse, vel ausos esse eam consecrare. Cuius rei exempla ex Theodoreto, August. & Epiph. vide apud Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 16. Bellarm.

Tertull. Clemens. Quibus addo, quòd olim, vt constat ex Tertull. lib. 2. ad vxorem cap. 5. Clem. Alexandr. lib. 1. Strom. paulò post initium, Cyprian. Cyprian. serm. de Lapsis, Ambros. in oratione de obitu Satyri fratris, Basil. in epist. ad Cæsar. Patrit. Hieron. in Apol. pro libris suis contra Iouinianum, & aliis antiquis, Christiani olim tempore persecutionis deferebant domum Eucharistiam in oratio, & seruabant apud se, atque etiam in itinere ferebant, vt possent vrgente necessitate communicare. At hoc non fecissent, neque fuisset domum asportandi, & asseruandi, vel in itinere terra, marique ferendi necessitas, si potuisset quilibet vrgente necessitate consecrare. Item, ne quidem instante martyrio fideles in Cryptis latentes, aut carceribus detenti, leguntur vnquam consecrasse Eucharistiam, & sacrificasse, nisi essent sacerdotes: vt Lucianus Martyr apud Origen. & Euseb. Baron. referente Baron. ad annum Christi 311. Denique si potestas consecrandi competeret omnibus ratione Baptismi, vt vult Luther. competeret etiam fœminis baptizatis; & si Baptismus facit verè & propriè sacerdotes, mulieres Christianæ essent verè, & propriè sacerdotes Euangelici. At hoc reiectum semper fuit ab Ecclesia, quæ hac de causa Pepuzianos, & Collyridianos hæresis stultissimæ, & turpissimæ condemnauit, vt videre est apud Epiphan. hæresi 49. & 79. & August. Epiphan. lib. de hæresibus ad QuodvultDeum hæresi 27.

Quæ verò in contrarium obiiciunt hæretici, soluta vide apud Ysamb. quæst. 82. disp. 1. art. 2. vbi abundè illis omnibus satisfacit. § 21. Solutiones eius arg. Summa solutionum est, Petrum Apostolum epist. 1. cap. 2. cùm ait, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium;* & Ioannem in Apocal. cap. 1. vers. 6. *Fecit nos regnum, & sacerdotes Deo & patri suo,* & cap. 5. v. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes:* loqui de sacerdotio latè sumpto, pro spiritali potestate, & debito offerendi Deo sacrificium bonorum operum, de quibus illis in locis sermo est, vt ostendemus paulò post. Secundò, Tertullian. in exhortatione ad castitatem Tertull. cap. 7. quando sic ait: *Nonne & Laici sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos, & sacerdotes Deo, & Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus à Deo. Vbi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & sacerdos es tibi solus. Sed & vbi tres, Ecclesia, licet Laici: vnusquisque enim de sua fide viuit.* Cum, inquam, ait Nonne, & Laici sacerdotes sumus? Locus Tertull. obscurus explicatur. intelligit sacerdotes latè, & impropriè, modo suprà dicto: alioqui sibimetipsi apertè contradiceret: quippe qui in lib. de præscriptionibus irridet Marcionistas, quòd apud eos aliqui essent hodie Clerici, cras Laici, quódque Laicis munia sacerdotalia committerent. Idem etiam patet ex probatione, quam subiungit Tertullianus: *Scriptum est, Regnum quoque nos, & sacerdotes Deo, & Patri suo fecit:* nimirum Apoc. 1. vers. 6. & cap. 5. vers. 10. qui locus de spiritali sacerdotio intelligendus est, vt suprà diximus, & indicant verba præcedentia loco posteriùs citato, vbi non de sacrificiis propriè dictis, deque oblatione Eucharistiæ sermo est, sed solùm de oblatione orationum, & de phialis aureis plenis odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. De eodémque sacerdotio impropriè dicto loquitur Petrus Apost. loco suprà cit. vt patet ex verbis antecedentibus: hortatur enim fideles immediatè antea, ad deponendam omnem malitiam, & omnem dolum, simulationes, inuidias, detractiones: ad amplectendam vitam innocentem, qualis decet filios Dei adoptiuos, recens genitos in Christo: ad ædificandam domum spiritalem, tanquam lapides viuos, offerendasque spiritales hostias bonorum operum, quibus Deus colitur in spiritu, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Et paulò post eosdem obsecrat, vt abstineant à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, & bene conuersentur inter gentes, sint subditi superioribus, patientérque ferant tribulationes, &

iniurias, exemplo Christi. Patet denique ex eo quòd Tertullianus ius illud offerendi, & sacerdotium de quo loquitur, fundat in fide, verbis extremis suprà relatis, *Vnusquisque enim de sua fide viuit*: quæ fides cum reperiatur in mulieribus baptizatis, æquè ac in viris, sequeretur illas esse propriè sacerdotes, & posse conficere Eucharistiam: quibus tamen idem Tertull. lib. de Veland. Virgin. cap. 9. sacerdotale officium conuenire negat.

22. Oblatio panis & vini præter Euchar.

Notandum tamen Tertull. ibi non loqui de iure, & potestate offerendi Deo quascunque hostias spiritales, siue quælibet opera bona; sed speciatim de oblationibus illis, quæ fiebant in Ecclesia à fidelibus, partim ad sacrificium postea celebrandum à sacerdote, partim ad benedicendum, & distribuendum adstantibus: de quibus oblationibus loquitur idem Tertullian. in lib. de Monogamia, dicens viduam *offerre annuis diebus dormitionis mariti*. & Cyprian. lib. de Opere, & eleemosyna; quando sic ait: *Quæ in Dominicum sine sacrificio venis?* id est, sine pane, & vino offerendo sacerdoti, vt ex illis partim celebret, & consecret Eucharistiam, partim etiam benedicat solùm, & fidelibus distribuat; *Quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* id est, communicas de Eucharistia ex oblatione pauperis confecta; vel sumis aliquid de donis, ab illo ad sacerdotalem benedictionem, & distributionem oblatis. Vt enim rectè notat Pammel. ad illum locum D. Cypriani annot. 33. panis, & vinum offerebatur olim à fidelibus laicis, cuius pars vna consecrabatur, alia solùm à sacerdote benedicebatur, posteaque fidelibus distribuebatur: quæ benedictio non fiebat, nisi à sacerdote, quando illius erat copia: alioqui verò in casu necessitatis, poterat ab aliis fieri. Et quia iure tantùm Ecclesiastico sacerdotibus reseruata erat; idcirco addit Tertull. *Differentiam* (istam scilicet) *inter ordinem sacerdotalem, & plebem, constituit Ecclesiæ auctoritas.* Ne autem videretur dicere nullam aliam esse differentiam iure diuino constitutam, quoad alia munera sacerdotalia, addit Tertull. *Et honor per ordinis consessum sanctificatus à Deo*: id est, & potestas, vel character per sacram ordinationem concessus à Deo, cum gratia sanctificante ad munia illa conuenienter, & sanctè obeunda. Nam quòd Ordo, & character sacerdotalis, honoris nomine significetur apud antiquos, patet ex Cyprian. epist. 52. ad Antonianum, vbi dicit Nouatianum nec potestatem, nec honorem habere: vt significet illum non habere characterem, & potestatem, siue Ordinem Episcopalem, atque ab illo promotos non fuisse validè ordinatos. Et epist. 65. Rogatianum Episcopum hortans, vt Episcopali potestate vtatur in deponendo Diacono superbo, & contumaci, sic ait: *Quod si vltra te contumeliis suis exacerbauerit, & prouocauerit, fungeris circa eum potestate honoris tui, vt eum vel deponas, vel abstineas.* Illis autem verbis, *Per ordinis consessum*, intelligit Tertullianus sacram Ordinationem sacerdotum, quam sic appellat ab externa cerimonia, quâ tunc conferebatur per impositionem manuum non solùm Episcopi, sed etiam cætus seu consessus Presbyterorum: vt constat ex Concil. Carthagin. IV. can. 3. qui sic habet: *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas iuxta manū Episcopi super caput illius teneant.* Denique quando Tertullianus subiungit, *Vbi Ecclesiastici Ordinis non est consessus*: id est, vbi non sunt sacerdotes, *& offers, & tingis, & sacerdos es*: loquitur de illis oblationibus, earúmque benedictione, quæ, vt suprà diximus, in casu necessitatis permissa erat laicis, absente Sacerdote; sicut illo absente licebat iisdem in necessitate baptizare: & eatenus permittebatur illis sacerdotes esse, id est, functionem illam iure Ecclesiastico annexam sacerdotali Ordini exercere in casu necessitatis. Plura de hac difficultate videri possunt apud Gabr. Albaspinæum Episc. Aurelianensem lib. 2. de Eucharistia cap. 8. & Dionys. Petauium in Dissertationibus Ecclesiasticis contra Salmasium.

3. Falsum est Diaconos aliquando Eucharistiam validè, aut licitè consecrasse: maléque id probatur ex can. 15. Conc. Arelat. qui sic habet: *De Diaconibus, quos cognouimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.* & ex cap. 2. Synodi Ancyranæ, vbi Diaconi, qui immolauerant Idolis, iubentur cessare ab omni sacro ministerio, & speciatim siue à pane, siue à calice offerendo. Nam prior locus debet intelligi de oblationibus fidelium distinctis à consecratione Eucharistiæ, quas supra diximus, quæque præsente sacerdote non poterant ab alio benedici, temeréque id præsumebatur à Diaconis prædictis. Posterior est intelligendus de oblatione panis & vini, facta per Diaconum aliquantò ante consecrationem; quando ex officio inseruit sacerdoti, celebranti ex pane & vino, per Diaconum sibi priùs oblato. Adde quòd, licet aliquando Diaconi per superbiam, & temeritatem, consecrandi munus vsurpassent; non sequeretur eos validè consecrasse: vt neque impostores purè laicos, qui interdum id sacrilegè præsumpserunt, eaque de causa extremo supplicio affecti sunt: aut etiam mulieres, quæ olim apud Collyridianos, & Pepuzianos sacrificandi munus vsurparunt. 23. Diaconi nunquam consecrarunt.

Quartò, Si Frumentius apud Theodoretum lib. 1. histor. cap. 23. congregatis in India Romanis mercatoribus persuasit vt Liturgiam more Romano celebrarent; cùm tamen neque ipse, vtpote adhuc iuuenis, neque vllus mercatorum Romanorum sacerdos esset: Liturgiæ nomine intelligenda hoc loco est, non consecratio Eucharistica, & sacrificium Missæ: sed publica quædam oratio more Romano facta. Nam Ruffinus, qui primus hanc historiam scripsit, eamque didicit ab Aedesio Frumentii comite in illa peregrinatione Indica, nullam mentionem facit 24. Neque laici.

consecrationis Eucharisticæ, sed tantùm orationem. Scribit enim Frumentium mercatores illos admonuisse, vt conuenticula per loca singula facerent, ad quæ Romano ritu orationis causâ confluerent. Sozomenus quoque lib. 2. cap. 24. & Nicephorus lib. 8. cap. 35. qui à Ruffino historiam illam acceperunt, meminerunt solius orationis: codémque sensu Theodoretus, qui ab eodem Ruffino accepit, intelligendus est: quamuis nomine Liturgiæ sit vsus, ad significandum dumtaxat conuentum sacrum, orationis publicæ causa factum.

25. Quintò, Quod refertur ex Prato spirituali c. 25. monachum quendam laicum protulisse verba consecrationis super panes, quos deferebat: cúmque dubitaretur de valore consecrationis, astitisse Angelum, qui affirmauit verè consecrasse: suppositium est, vt alia pleraque eidem libro inserta. Et si vera esset historia, responderi posset, extraordinariè, & miraculosè id factum esse: sicut & quod alii narrant de pane in carnem conuerso per pastores ouium, sacramentalia verba proferentes. Nos autem, quando asserimus solum sacerdotem posse Eucharistiam conficere, loquimur de ministro ordinario, deque eo, quod fieri potest per potentiam, & legem ordinariam, secundum institutionem sacramenti. Sic etiam, quamuis minister Ordinis Episcopalis, non sit alius, quàm Episcopus secundum Christi institutionem; & de potentia, legéque ordinaria: tamen Amphilochius fuit miraculosè ab Angelo ordinatus Episcopus, eiusque ordinatio rata fuit habita ab aliis Episcopis, vt refert Nicephorus lib. 11. historiæ cap. 20.

26. Sextò denique, Quod opponit Minister recentissimus, fœminas olim Eucharistiam administrasse, probatque ex Ambros. in lib. de Viduis, planè ineptum est. Loquitur enim eo loco Ambrosius non de fœmina, sed de sacerdote, cuius animam comparat Socrui Petri Apostoli, languenti febribus, & à Christo sanatæ. Qua de re plura vide apud illustrissimum Archiepiscopum Arelatensem tom. 3. Clypei cap. 32. §. 51. vbi fusiùs hanc ineptiam, & ignorantiam Petri Molinæi refutat. Quamuis autem verum esset, quod tam ineptè, falsóque obiicitur; non plus probaret, quàm fœminas interdum fuisse ministros Eucharistiæ, quoad vsum, de quo ministerio non disputamus in præsenti; sed de illius effectione, quam sacerdotum propriam esse contendimus: quod de fide apud omnes Catholicos certum est, & à Conciliis suprà citatis satis expressè definitum.

Fœminæ non administrarunt Eucharist.

SECTIO IV.

Plura de ministro sacramenti Eucharistiæ.

27. EX dictis sect. præcedenti præcipuè num. 18. colligi potest secundò, falli pariter, & non rectè loqui aliquos recentiores, qui dicunt institutionem non dare vim, seu potestatem efficiendi, aut significandi causis, aut signis ex instituto: sed illam totam esse in re, quæ instituitur, siue esse rem ipsam purè sumptam, institutionem verò esse tantùm conditionem sine qua non: sicut, inquiunt, tota vis comburendi est in igne: approximatio verò est tantùm conditio, sine qua non combureret. Errant, inquam, & perperam loquuntur ac sentiunt: Primò, quia falsum esset, quod ait Concilium Nicænum, Diaconos non habere potestatem, offerendi sacrificium Eucharisticum, sed Presbyteros. Haberent enim potestatem, æquè ac Presbyteri; sed tantùm deesset illis conditio sine qua non: tamque falsum esset dicere Diaconos non habere potestatem sacrificandi, quàm dicere ignem non habere vim comburendi. Secundò, falsum item esset, quod ait Lateran. neminem posse hoc sacramentum conficere, nisi sacerdos fuerit ritè ordinatus, Possent enim alii; siquidem haberent totam, & integram potestatem conficiendi: & tantùm deesset conditio sine qua non: Sicut ignis habet totam potestatem comburendi ante approximationem. Tertiò, falsum esset quod [illegible] Trident. Christum tradidisse potestatem consecrandi [illegible] dotibus. Neque enim tradidisset potestatem, sed tantùm conditionem sine qua non. Quartò, falsa esset forma ordinationis sacerdotum totius Ecclesiæ Latinæ, *Accipe potestatem*, &c. Neque enim acciperent potestatem, sed tantùm conditionem sine qua non. Sicut, vt ipsimet aiunt, ignis per approximationem non accipit potestatem comburendi, aut calefaciendi, quæ tota est ipsemet ignis, præsuppositus approximationi, aut calor in igne existens.

Signa & causæ ex instituto accipiunt per ipsam instit. potestatem significandi & efficiendi.

Quintò, falsum esset id quod ait Trid. sess. 23. cap. 4. Non omnes Christianos sacerdotali, aut pari inter se spiritali potestate præditos esse: &, Episcopos posse confirmare, ordinare, aliaque pleraque agere, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent: Quod iterum can. 7. sanxit sub anathemate. Sextò, quis ferat dicentem omnes homines habere potestatem consecrandi corpus Christi, & remittendi peccata æquè ac sacerdotes, illisque deesse tantum conditionem sine qua non: sicut omnes ignes, tam approximati, quàm non approximati, habent æquè potestatem comburendi? Imò quemlibet hominem habere tantam potestatem in vniuersam Ecclesiam, quantam habet Summus ipse Pontifex? Non puto hæc concessum iri ab aduersariis, neque tam manifestos errores posse ab vllo Catholico admitti. Nemo etiam negabit Christum dedisse Discipulis potestatem eiiciendi Dæmonia, curandi infirmos, & alia id genus expressè tradita in Euangelio: quæ tamen, secundum aduersarios, essent falsò dicta.

Septimò, Vt rationibus quoque philosophicis assertionem illam falsi conuincamus: 28.

Illud non habet se solo vim completam ad significandum (idémque dico de vi causandi,) quod se solo est indifferens ad significandum. Si enim se solo haberet vim completam ad significandum, esset per illam determinatum ad significandum; cùm vis illa sit causa necessaria, & determinata naturaliter ad suum effectum: quemadmodum ignis, quamuis remotus à ligno, habet tamen vim comburendi, & calefaciendi, naturaliter ad hoc determinatam: estque determinatus ad calefaciendum, & determinatè potens calefacere: non autem indifferens ad calefaciendum, aut frigefaciendum. Atqui res, quæ in signum instituitur, est se sola indifferens ad significandum: & interdum apud diuersos instituitur ad contraria significáda: ergo, &c. Octauò, id, per quod res eadem habet vt determinatè hoc significare possit præ aliis significabilibus, & sine quo impossibile est intelligi determinatè id significare, non est tantummodo conditio sine qua non, sed est aliquid dans posse significare determinatè, & constituens in esse talis signi determinati ad hoc significandum. Atqui institutio est huiusmodi, respectu signi ex instituto: ergo non est tantùm conditio sine qua non, sed dat posse determinatè hoc significare: quare res vi institutionis est moraliter mutata, & aliter se habens; id est, aliter æstimabilis, in ordine ad aliquem vsum. Nonò, esse signum alicuius rei, est esse potens determinatè ad illam significandam. Ergo id quod ex instituto est signum alicuius rei, & fit signum per institutionem; est ex instituto potens rem illam significare, & fit potens per institutionem; cùm antea esset indifferens ad quidlibet significandum, & nihil amplius quàm apta assumi, & institui ad hoc, aut illud significandum. Idémque dico de eo quod est causa ex instituto alicuius effectus.

29. *Motus proiectorum vnde sit?* Respondent aliqui septimo argumento, paulò ante proposito: Sicut in corpore quolibet est vis intrinseca, & connaturalis ad omnem motum, quæ tamen in rebus inanimatis non mouet, nisi determinetur ab aliquo extrinseco: putà vel ab elemento prædominante, & attrahente, vt fit in motu naturali: vel ab impellente, & proiiciente, vt fit in motu proiectorum: lapis enim proiectus sursum fertur sua sola vi naturali, & intrinseca, sed determinata à proiiciente: sic voces significare ex instituto sola vi sua naturali, sed determinata per institutionem ad hoc potiùs, quàm illud significandum.

Impugnatur præcedens sententia. Verùm hæc responsio est planè improbabilis. Quis enim credat grauia inanimata moueri sursum ab intrinseco: cùm ab intrinseco, & ex natura sua, valde imperfectâ, & ad vnum determinatâ, resistant quantum possunt: & eò magis resistant, quò magis grauia sunt? Tam verò euidens est experientiâ grauia illa ab intrinseco, & ex natura sua resistere motui sursum, & tendere deorsum, esséque ad id per se determinata: quàm est euidens experientiâ corpora resistere penetrationi, aut ignem calefacere ab intrinseco, & ex natura sua, ac naturali determinatione. Quare figmentum illud aduersariorum repugnat experientiæ. Deinde, ex consensu omnium Philosophorum huc vsque, motus grauium sursum est violentus. Violentum autem est, quod est ab extrinseco, passo non conferente vim actiuam, imo & reluctante, ex Aristot. 3. Ethic. cap. 1. Vlteriùs, vel implicat dari aliquod corpus habens tantùm ab intrinseco vim actiuam ad descendendum; vel non implicat. Si primum: vbi est implicantia contradictionis? Si secundum: ergo ne tantillum quidem vlla vi posset impelli sursum. Aut si posset: quidni etiam possint lapides, & similia, quamuis careant vi actiua connaturali ad talem motum.

Præterea, quid est illa determinatio, & quomodo lapidis vim motiuam excitat? Quomodo præualet determinatio manus hominis, id est, agentis non adeo magni, & potentis, contra totius terræ determinationem, & attractionem? Quomodo sclopus exiguus determinat globulum ad motum sursum multò velociorem, quàm tota terra determinet ad motum deorsum? Quomodo grauia terrestria æquè descendunt, quantum patet experientia, siue in puteum cadant, vbi tamen latera putei attraherent ad se, & aqua impediret ne terra inferiùs attrahat tam potenter: siue etiam in mare ipsum altissimum cadant, vbi tanta vis aquæ, tantaque terræ distantia, sine dubio impediret, ne tam vehemens foret terræ attractio. Sic etiam aqua non minùs celeriter descendit, quando descendit supra montes altissimos, longè ab aqua determinante remotos. Quæ aqua si non rectâ subest vbique: quomodo determinat alteram vt rectâ descendat, vbicunque ex aëre descendit? Quomodo item quæ iuxta littus sursum proiiciuntur, & terrestria sunt: descendunt rectâ in aquam, & non deflectunt vel minimum ad terram littori proximam, si ab illa determinantur, & attrahuntur? Quomodo terræ particula, eiusdem speciei cum toto, determinatur tantùm, & non determinat? Si vero ipsa quoque determinat: ergo quo maior terræ pars sursum erit proiecta, minùs celeriter descendet. Et si media terræ pars sursum esset ab alia parte auulsa, non descenderet: quia æqualis determinatio, & attractio vtriusque ad suum locum, impediret ne altera ad locum alterius moueretur, nec esset ratio cur potius hæc ad illam accederet. Sicut si duo homines æqualiter fortes niterentur alter alterum ad se trahere, & æqualiter nitendo, se mutuò impedirent. Item, cùm quodlibet corpus possit moueri velocius in infinitum, ab impellente fortiùs, & fortiùs in infinitum: sequeretur corpus quodlibet habere vim motiuam infinitam sibi intrinsecam, & naturalem. Item, aqua maris intumescentis non reflueret in flumina, neque se effunderet in littora, sicut fit in æstu: sed retineretur per fortissimam maris determinationem: quod est contra quotidianam

30. *Vrgetur aliis argumentis.*

experientiam. Et hæc contra nouam istam opinionem obiter dicta sint.

31. *Sacerdotes habent aliā potestatem consecrandi, quàm ipsam potestatem Dei.* Vt autem ad moralem potestatem sacerdotis redeamus, errarent pariter qui dicerent, sacerdotem non habere aliam potestatem consecrandi Eucharistiam, vel remittendi peccata, quàm ipsammet Dei potestatem. Primò enim, cùm sacerdos ipse verè consecret, & remittat peccata: potest consecrare, & remittere: alioqui faceret id, quod facere non potest, quodque est illi impossibile. Ergo, quod idem est, habet potestatem consecrandi, & remittendi. Deinde cùm non solus Deus consecret, aut peccata remittat: sed etiam sacerdos, qui verè sacrificat, & verè Iudex est ad remittendum, & non merus minister ad denunciandum peccata à Deo remitti, vt affirmat Trid. sess. 14. can. 3. 9. & 10. præitque illius sententia in terris, Dei sententiæ in cœlis, vt loquuntur SS. Patres: Consequens est sacerdotem habere potentiam diuersam à diuina. Vbi enim sunt diuersæ causæ, sunt diuersæ potentiæ: quia quælibet, est potentia, & vis efficiendi. Adde quòd vna operatur priùs aliâ. Vna est principalis, & independens: alia instrumentalis, & dependens ac ministerialis.

32. *Quida & qualis sit illa potestas?* Illa verò potestas sacerdotis non est physica, sed moralis: nihilque est aliud, quàm persona sacerdotis prout vi institutionis diuinæ, & ordinationis suæ, est potens Deum mouere efficaciter per suum ministerium ad præstandos effectus sacerdotales proprios suæ ordinationis. Persona, inquam, non physicè solùm, & nudè sumpta: sed vt subiecta institutioni, & vi illius habens vt sit aliter æstimabilis, & moraliter possit, quod antea non poterat. Sicut enim aqua Baptismi v. g. non poterat ante institutionem moraliter efficere gratiam: sed habet ab institutione, quòd dicatur potens, & verè possit moraliter, seu æstimatiuè, mouendo Deum infallibiliter ad talem effectum præstandum: sic &c. Hunc autem conceptum potentiæ moralis esse germanum & naturalem: cætera verò, quæ alii addunt, esse commentitia, aut superflua, patet ex dictis de Sacram. in genere disp. 18. sect. 5.

33. *Plures sacerdotes possunt eandem hostiam consecrare.* Reliqua doctrina D. Thomæ tota q. 82. de ministro Eucharistiæ, facilis est. Docet enim secundò, plures sacerdotes eandem hostiam posse consecrare: nimirum si formam eodem instanti absoluant cum debita intentione: vt patet ex ea consuetudine, qua recens ordinati simul cum Episcopo consecrant. Debent autem illi Neomystæ proferre verba consecrationis secundum Ecclesiæ intentionem, quæ hæc esse videtur, vt consecrare intendant, & verba formæ proferre practicè, si eodem instanti cum Episcopo absoluant: & non aliter. Intentio enim Ecclesiæ est, vt consecret omnino Episcopus, sicut & vt vtramque speciem sumat. Tertiò docet, solius esse sacerdotis hoc sacramentum dispensare, id est, aliis ministrare legitimè. Quod non ita intelligendum est, quasi non Diaconis olim licuerit, & nunc etiam liceat in casu

Diaconi possunt dare communionē Eucharist. necessitatis, aut ex commissione sacerdotis, facta rationabiliter. An verò clericis aliis inferioribus Diacono, & laicis committi possit in casu necessitatis, dubium est inter Theologos. Et quidem maior est ratio, vt Diaconis committatur, tanquam supremis ministris sacerdotis ex vi suæ ordinationis, ad ministrandum scilicet in sublimioribus ministeriis, quorum vnum est distributio sacramenti Eucharistiæ. Iidémque possunt in casu necessitatis seipsos communicare extra celebrationem Missæ, æquè ac ipsi sacerdotes. Vt, si alioqui moriendum illis esset sine viatico. Quo in casu Concilium Nicæn. 1. can. 14. permittit Diacono vt in absentia sacerdotis possit manu propria communionem sumere. In eodémque casu censeo cum Suare probabile esse licere laico communicare manu propria, si aliter non possit: vt fecisse narratur Maria Stuart Scotiæ regina, ab Elizabetha mortem passura. Olim quoque fideles, etiam laici, Eucharistiam domum ferebant in orario, vt eam suis temporibus manu propria sumerent, eò quòd metu persecutionis, ad Ecclesiā sæpius conuenire non possent. Neq; est improbabile posse etiā nunc sacerdotem per Clericum inferiorem Diacono, aut etiam per laicum, si aliter non possit, mittere communionem ægroto valdè indigenti, & alioqui perituro sine viatico. Sicut olim Sarapion misit per puerum suum Eucharistiam sacerdoti cuidam moribundo. Qua de re plura videri possunt apud Suarem, & alios interpretes D. Thomæ quæst. 82. art. 3.

Possunt necidem alii Diacono inferiores?

34. *Mali ministri validè celebrant sed illicitè.* Quartò, docet S. Thomas sacerdotem consecrantem teneri sacramentum sumere; & quidem sub vtraque specie: qua de re sufficiunt quæ diximus disp. præcedenti sect. 3. Docet quintò, malum sacerdotem, hæreticum, schismaticum, excommunicatum, degradatum, consecrare validè posse: quia potestatem ordinis habet, quæ nec auferri ab Ecclesia potest; nec impediri, quin si applicetur, effectum sortiatur. Neque obesse malitiam Ministri: quoniam actus sacramentalis non pendet ab ipsius bonitate. Peccant tamen Ecclesiæ Ministri, qui per censuram Ecclesiæ impediti, & suspensi ab vsu legitimo, celebrant. Sextò, Missam mali ministri non minus valere, quàm boni, quoad opus operatum: secùs autem quoad opus operantis, id est, quoad deuotionem ministri. Septimò, non licere audire Missam sacerdotis non tolerati ab Ecclesia, neque ab eo communionem accipere. Quod quomodo sit intelligendum, patet ex disp. vlt. sect. 3. de Sacram. in gen. 8. Peccare sacerdotem qui nunquam celebrat. Tenetur enim saltē in festis præcipuis celebrare. Quæ sententia multorum aliorum est, magisq; pia, tuta, & rationi consentanea: Licet Alens. Bonau. Gab. Rich. Canus, Caiet. & alii quidam contrarium sentiant de priuatis sacerdotibus, qui nullum habent beneficiū, quod eos obliget ad celebrandum. Quos eorum aliqui excusant ab omni obligatione sacrificandi: alii saltē à graui & mortali. Sed hac de re plura dicemus infra disp. 40. sect. 1.

DISPVTATIO TRIGESIMA-OCTAVA,

De sacrificio Missæ.



DE ritu quo sacramentum Eucharistiæ celebratur, siue de Missæ sacrificio multa nobis dicenda sunt: cùm propter materiæ dignitatem: tum propter recentes hæreticorum controuersias, qui licet in varias sectas, & dissidentes sententias diuisi, omnes tamen in eo conspirant, velut Antichristi præcursores, vt iuge sacrificium de medio auferre conentur. Tota verò huius argumenti grauissimi tractatio ad tria capita reuocari, totidémque disputationibus explicari poterit. Prima erit de existentia, & de essentia sacrificii Eucharistici. Secunda de illius virtute, & effectibus. Tertia de eiusdem circumstantiis, & cerimoniis.

Circa primum: D. Thomas quæst. 83. art. 1. non tam probat Eucharistiæ celebrationem esse verè, ac propriè sacrificium, quàm rationem affert cur dicatur esse quodammodo immolatio Christi. Ait enim duplici ratione celebrationem huius sacramenti dici immolationem Christi. Primò quidem, quia, sicut ait August. ad Simplic. quæst. 3. solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt: sicut cùm intuentes tabulam, aut parietem pictum dicimus: Ille Cicero est, & ille Sallustius. Celebratio autem huius sacramenti imago quædam est repræsentatiua passionis Christi, quæ est vera eius immolatio. Vnde Ambros. dicit super Epist. ad Hebr. *In Christo semel oblata est hostia, ad salutem sempiternam potens: quid ergo nos, nonne per singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius.* Alio modo, quantum ad effectum passionis Christi: quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicæ passionis. Vnde in quadam Dominicali oratione secreta dicitur: *Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, toties nostræ redemptionis opus exercetur.*

retur. Licet autem quantum ad primum modum potuerit dici Christus immolari etiam in figuris veteris testamenti: vnde Apocal. 13. dicitur: *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi:* tamen quantum ad secundum modum, proprium est huic sacramento, quòd in eius celebratione Christus immoletur. Huc vsque D. Thomas, supponens magis aut subobscurè indicans verbis istis extremis, quàm probans efficaciter id de quo tunc non erat controuersia inter Christianos, effectionem Eucharistiæ habere vltra repræsentationem, & participationem fructus immolationis, id est, cruentæ oblationis, & occisionis Christi, veram, ac propriam rationem sacrificii: quatenus per eam Christus immutatur, & offertur Deo, ad protestandam supremam illius excellentiam, aliósque varios fines. In quo probando efficaciter nobis deinceps elaborandum est.

SECTIO I.

Prænotantur quædam de nomine Missæ, & de sacrificio in genere.

1. Missa vnde sic dicta.

IRCA primum, quid Missæ nomine intelligatur satis notum est: sed non ita quæ sit huius nominis origo & prima impositio. Quidam putant esse vocem Hebraicam, & significare oblationem, haberique in Scriptura Deuteron. 16. vers. 10. vbi oblatio spontanea vocatur *Missath nidbath.* Verùm si ex Hebræo sumptum esset hoc nomen ab Ecclesia: fuisset in omnibus aliis linguis retentum, vt factum est in vocibus, *Amen, Alleluia, Hosanna,* & similibus. Alii secundò volunt esse nomen Latinum adiectiuum, cuius substantiuum, oblatio, hostia, vel quid simile subintelligatur. Sed meliùs sentiunt, qui dicunt esse substantiuum, pro missione seu dimissione acceptum. Sicut repulsa sumitur pro repulsione: & peccati remissa apud Cyprianum, & Tertullianum, pro remissione: & collecta, pro collectione. Quo postremo sensu sumitur cùm à Diacono vel à sacerdote dicitur, *Ite, Missa est.* Quasi dicat: Iam est dimissio congregationis, abire licet, vt exponit Alcuinus lib. de officiis Ecclesiasticis cap. 40. de celebratione Missæ. Olim enim, nisi peracto hoc sacrificio, plebs non dimittebatur: exceptis Pœnitentibus, & Catechumenis post Euangelium, & concionem: quorum etiam dimissio vocatur Missa Catechumenorum, à Concilio Carthaginensi quarto, can. 84. Eodémque sensu Diuus Augustinus serm. 237. de Tempore, cap. 8. *Ecce,* inquit, *post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles,* &c. Sed vndecunque deriuetur; vsurpatur à Patribus latinis antiquissimis, Pio primo, Cornelio, Syluestro, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio, & aliis relatis à Gauterio in tabulis Chronographicis, sæculo primo,

Missæ nomen vsurpatur à S Patribus.

veritate prima, paragrapho 15. Ambrosii verba hæc sunt libro quinto Epistolarum, epist. 13. *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum, vt subueniret.* Augustinus autem sermone nonagesimo primo de Tempore, *In lectione,* inquit, *quæ nobis ad Missas legenda est, audituri sumus,* &c. Quam verò Patres latini Missam, Græci Liturgiam vocant. Cuius vocis mentio fit Actorum decimo tertio, versiculo secundo, vbi dicitur, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, id est, vel Erasmo interprete, *Sacrificantibus illis Domino.*

Circa secundum, Nota primò sacrificium dupliciter sumi. Primò, latè, & impropriè, pro quacunque operatione bona, interna, vel externa, in Dei cultum, & honorem relata, aut etiam citra eiusmodi relationem. Quo sensu Psalmo quinquagesimo contritio cordis vocatur sacrificium: & Dei laus Psalmo quadragesimo sexto, & opera iustitiæ Psalmo quarto, & Martyrium Sapient. 3. & castigatio corporis Roman. 12. Et eleemosyna Hebræor. 13. & generaliter opera spei dicuntur esse verum sacrificium ab Augustino lib. 5. de Ciuit. cap. 5. verum inquam, id est excellens: sed non strictum & proprium. Nam hæc significatio generalior est, ac minùs propria: & ex vsu loquendi tum Scripturæ, tum nationum omnium, quando propriè loquuntur, aliquid aliud per sacrificium absolutè prolatum intelligitur. Nec quisquam est, qui apud sacros, aut prophanos scriptores legens aliquem sacrificasse, simpliciter, & sine addito; intelligat eum nihil aliud, quàm Deum orasse, vel de peccatis doluisse, aut dedisse eleemosynam, aut vitam æternam sperasse. Vnde non rarò sacræ literæ distinguunt sacrificium strictè & propriè dictum, ab aliis bonis operibus: vt Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Et Psalmo quinquagesimo, *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique,* &c. & primi Regum decimo quinto, *Melior est obedientia, quàm victima.* 2. Sacrificium dupliciter sumitur, propriè & impropriè

3. Definitio sacrificii propriè & strictè sumpti

Posterior ergo, & stricta ac propria sacrificii significatio ea est, quâ sumitur, pro speciali quodam religionis actu externo, cuius definitionem varii variè tradunt, ob difficultatem eam præcisè assignandi. Optima esse mihi videtur hæc: Sacrificium est oblatio facta Deo rei alicuius sensibilis, quam per actionem sensibilem aliquo modo destruimus, ad protestandum Deum esse authorem supremum nostri esse, Dominum vitæ, & necis, cui nostrum esse totum debemus, eiúsque destructionem, si necesse sit. Quæ definitio vt meliùs intelligatur, singulæ illius particulæ explicandæ & confirmandæ sunt.

4. Est oblatio soli Deo facta.

Dicitur itaque primò, *Oblatio facta Deo*: Quia sacrificium est cultus latriæ, soli Deo debitus: nec vllus vnquam sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum, aut sciuit, aut putauit, aut finxit, vt verè ait S. Augustinus libro 10. de Ciuitate Dei capite 4. Hinc autem sequitur sacrificium, quantum est de se, fieri posse nullis verbis adhibitis, multóque magis verbis vulgo ignotis. Deus enim, cui soli fit oblatio, non minùs intelligit cogitationes, quàm verba: aut si verba adhibeantur, non minùs latina intelligit, quàm gallica. Quare neque sacerdotes veteris legis iussi vnquam fuerunt vti verbis, ac dicere, Offero tibi agnum, vel ouem, aut quid simile. Neque Christus ipse, se offerens in cruce, tale quidpiam dixisse perhibetur. Quod si in Eucharistia speciatim requiruntur verba: illud est quia vi verborum fit immutatio tam physica, quàm mystica rei oblatæ. Verba enim illa, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, sunt causa, cur corpus, & sanguis Christi constituantur sub speciebus actione conuersiua panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi; ideóque verbum Christi efficax est quasi gladius, quo victima occiditur mysticè per separationem sanguinis à corpore, quantum est ex vi verborum, & positionem Christi mortuo quodam modo sub speciebus Eucharisticis.

5. Sacrificium est oblatio rei sensibilis.

Dicitur secundò, *Rei alicuius sensibilis*, animatæ, vel inanimatæ, rationalis vel irrationalis: quæ quàm multiplex esse possit, patet ex lege veteri, præsertim ex Leuitico. Omnia tamen, quæ vsu gentium, vel in Scriptura, dicuntur propriè sacrificia, in alicuius materiæ sensibilis oblatione consistunt. Neque aliter sacrificium humano, & publico vsui aptum esse potest. Et quanquam vt dicemus infra, non est necessarium sacrificium esse signum publicum, generatim loquendo: debet tamen esse humano vsui accommodatum.

Et per actionem sensibilem.

Dicitur tertiò, *Per actionem sensibilem*: quia actus sacrificandi est actus externus religionis, id est, non purè internus, & solùm mentalis: vt patet inductione per omnia sacrificia huc vsque instituta, vel facta. Nullum enim extitit nisi sensibili actione oblatum. Idque confirmat Concil. Tridentinum sessione vigesima secunda, capite secundo: dicens Christum instituisse in Ecclesia sacrificium visibile sicut natura hominum exigit. Natura enim hominum non minùs exigit actionem sacrificandi esse visibilem, seu sensibilem; quàm rem oblatam esse talem.

Dicitur quartò, Debere rem oblatam aliquo modo destrui quando sacrificatur. Quæ pars definitionis traditur à D. Thoma 2. 2. quæst. 86. artic. 1. in corp. Bellarm. Henrique, Victoria, Alano, & aliis quos citant & sequuntur Malder. 2. 2. tit. 10. cap. 3. de Sacrificio, & Delugo disputat. 19. de Eucharist. sumiturque ex Chrysost. & Theophyl. in Epist. ad Hebræos, qui affirmant generaliter ad rationem sacrificii requiri destructionem rei, quæ sacrificatur: & per hoc distingui sacrificium ab oblatione, aliisque actibus religionis, qui sacrificia non sunt. Idémque indicant voces quibus Hebræi, & Græci sacrificium significant, *Zebah*, & *θυσία*, quæ significant occidere, & mactare. Atque ita in veterum sacrificiis, seu Gentilium, seu Iudæorum animalia occidebantur, fruges ex toto, vel ex parte torrebantur, liquores fundebantur, res odoriferæ, vt Thus, & suffitus, incendebantur. Estque hoc genus actionis aptissimum ad significandum id, quod sacrificando intendimus: nempe nos Deo debere nostri esse destructionem, si ipse velit. 6. Res oblata debet destrui.

Notandum verò est per destructionem hîc non intelligi rei annihilationem, aut etiam physicam tantùm corruptionem, & desitionem, quæ fiat immediatè ipsa actione sacrificandi. Hoc enim non est necessarium ad sacrificium generatim: quamuis in multis fiat: sed sufficit rem per actionem sacrificandi poni in statu deteriori, inepto ad suos vsus naturales, & humanos, atque tendente, & ordinato ad interitum: qua de causa dixi in definitione debere rem oblatam destrui *aliquo modo*. Nam vinum, & alii liquores, qui fundebantur in libationibus, non statim corrumpebantur physicè, vi effusionis; sed solum constituebantur in statu deteriore, inepto ad vsus humanos, & tendente ad interitum, seu desitionem physicam, quæ aliquantò post sequitur, cùm liquores effusi paulatim siccantur. Quo pacto dicemus inferiùs corpus, & sanguinem Christi destrui moraliter in Eucharistia, quatenus vi verborum ponuntur sub speciebus panis, & vini in statu deteriori, inepto vsibus suis naturalibus, & humanis, atque tendente ad consumptionem, & destructionem. Cùm enim ibi ponantur modo indiuisibili; ponuntur modo naturaliter inepto functionibus & vsibus eorum propriis. Cumque ibidem constituantur per modum cibi, & potus; tendunt ad vsum, quo destruantur, & desinant esse, speciebus corruptis: idemque est quodammodo, 7. Qualis destructio requiratur.

ac si fierent panis & vinum, vt insumerentur ad esum & potum. In quo insuper est immolatio mystica ipsius Christi: quatenus vi verborum ponitur corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini, ad repræsentandam separationem vtriusque, factam in cruce, & in morte Christi.

8. Sacrificiū fit ad protestandum Dei excellentiam.

Dixi quintò, Destructionem rei oblatæ fieri ad protestandum Deum esse authorem supremum nostri esse, Dominumq; vitæ, ac necis, cui totum nostrum esse debemus, eiusque destructionem, si necesse sit: ita vt protestemur nos esse paratos ad destruendos nos ipsos: vel reipsa nos destruendo, vt faceremus, si Deus id exigeret; vel aliud loco nostri substituendo ad hoc significandum, cùm Deus id non exigit, neque permittit. Quam considerationem tradit Eusebius libro primo de demonstrat. capite vltimo, cùm ait, hominem debere vitam suam Deo in sacrificio: intellige si Deus exigeret. Quia tamen hoc non expedit: ideo lege naturæ introductum fuisse, vt in sacrificium animalis, vel aliquid eiusmodi commutaretur: id est, vt rectè exponit Cardinalis Delugo suprà numero quinto: Sacrificium est protestatio, quâ homo profitetur se à Deo totum suum esse habere: ideóque Deum dignum esse, vt idem esse totum in ipsius cultum insumatur, & destruatur. Quod quia regulariter non licet: offertur pro vita propria, vita, vel entitas alterius rei, protestando eodem modo nos vitam nostram oblaturos, si oporteret.

9. Hinc collige sacrificium esse in genere signi, æquè ac sacramentum. Refertur enim ille actus externus sacrificandi ad significandum id, quod nunc diximus: quodque licet ex se solo non significaret sine institutione, vel intentione nostra; habet tamen aliquam proportionem ad id significandum. Valet enim mactatio animalium, & consumptio rerum aliarum ad significandum Deum esse Dominum vitæ & necis & auctorem nostri esse, rerúmque omnium principium. Debet autem fieri modo quodam externo decenti, pio, venerabundo, & apto ad ostendendum exteriùs nos per talem actionem intendere supremum cultum latriæ Deo exhibere, ac re ipsa præstare.

10. Debeatne signum illud esse publica auctoritate institutum.

Difficultas verò est, an signum illud debeat esse publica authoritate institutum, ita vt non sit dicendum sacrificium, nisi publica potestate institutum sit?

Negat Vasq. disp. 220. n. 19. & alii quidam, eò quòd sacrificium sit de iure naturæ, æquè ac adoratio & alii actus religionis. Vnde seclusa prohibitione posset quisque priuatim, aut solitariè degens sacrificare legitimè eo ritu conueniente, quem ipsemet sibi deligeret, & constitueret.

11. Affirmant verò Suarez, Lessius, Aegidius, & alii, quos sequitur Delugo supra numero vndecimo. Quia, inquiunt, sacrificium non est signum naturale, sed ad placitum, & ex instituto. Sicut ergo vox, *homo*, non potest priuata alicuius voluntate accipere vim significandi hominem, sed necessaria est institutio communis, vel alicuius habentis plusquam priuatam authoritatem: sic occisio ouis, verbi gratiâ, non videtur posse fieri signum sufficiens ad significandum cultum Dei supradictum, ex priuata vnius, vel alterius voluntate. Vnde qui nunc abscinderet arborem, exempli causâ, vel putaret vitem; non sacrificaret, quamcumque demum intentionem haberet: quia abscissio arboris, vel putatio vitis, non est ad id publicè instituta, vt occisio ouis supra altare.

Sed hæc ratio tantùm probat sacrificium in eo casu non fore signum ex instituto, commune, & publicum: at non probat non esse priuatum & proprium sacrificantis, & aliorum, quibus illud patefacit. Aliud autem argumentum pro priore opinione allatum solidius mihi videtur. Cui addo, in lege naturæ potuisse quemlibet priuatum vsurpare signum externum, quod vellet, ad fidem suam paruulis suis applicandam in remedium peccati originalis, ante institutam Circumcisionem, vt diximus disputatione vigesima, sectione prima: & tamen sacramentum non minùs est in genere signi, quàm sacrificium. Quare sicut signum illud poterat esse priuatum, & determinari priuata auctoritate: ita & istud potest. Neque apparet sacrificia Abelis, & Caini Genes. 4. fuisse vlla publica auctoritate instituta. Ad exempla verò allata, Respondeo actum externum sacrificandi debere talem esse, vt fiat modo quodam religioso, venerabundo, & idoneo ad manifestandum exteriùs nos per illum colere Deum cultu supremo latriæ, vt paulò ante diximus: cuiusmodi non est quæcunque putatio vitis, vel excisio arboris. 12.

Multo minùs necessarium est generatim loquendo, vt sacrificium sit ab ipso Deo institutum: quasi naturali instinctu, & dictamine rationis non possit homo, etiam licitè, ac laudabiliter protestari diuinam excellentiam, & dominium supra se, aliqua sacrificii oblatione, quæ non minùs est de iure naturæ, quàm oratio, adoratio, votum, iuramentum, & similes actus religionis, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 1. Verum tamen est in lege veteri, & noua, præter sacrificia à Deo instituta, nulla fuisse, & esse alia licita, & legitima. Hoc enim ipso quòd aliqua instituit, censetur excludere alia. Neq; magis habet Ecclesia nunc potestatem instituendi nouum sacrificium, quàm instituendi aliud sacramentum præter septem instituta à Christo. Quanquam institutio sacramentorum nouæ legis est per se difficilior, quàm alicuius generis sacrificii. Quia sacramenta nouæ legis sunt signa efficacia gratiæ: vis autem efficax gratiæ non potest signis sensibilibus alligari nisi virtute diuina. Verum etiam est sacrificium Eucharistiæ non potuisse ab

13. Non est necessariū sacrificium fuisse à Deo ipso institutum.

alio, quam à Deo institui, saltem vt causa principali: propterea quòd mirabilis illa conuersio panis & vini in corpus, & sanguinem Christi est opus proprium omnipotentiæ Dei, qui solus potuit virtutem moralem, aut physicam efficiendi hanc conuersionem, alligare signis sensibilibus: sed absolutè possunt esse, & olim fuerunt alia genera sacrificiorum, quorum institutio, & effectio naturalem hominum virtutem non excedebat.

14. Neque generaliter vt fia à sacerdote, vel supra altare.

Similiter non est de ratione sacrificii in communi, vt offeratur à ministro peculiariter deputato, & sacerdote specialiter dicto, aut non nisi super altare. Nam vt antea dixi, quilibet hominum habet naturaliter ius sacrificandi, licitéque id faceret (seclusa Dei institutione) quamuis solus viueret extra aliorum hominum societatem, & absque eo quòd ab vlla communitate specialiter ad id deputaretur. Potest quoque per se loquendo, siue ex natura rei offerri Deo aliquid sine altari, piè & religiosè illud destruendo ad protestandam supremam Dei excellentiam. Et Christus ipse semetipsum Deo obtulit in cruce sine altari propriè dicto. Nam crux non erat propriè altare, sed patibulum, & infame supplicii reorum instrumentum. Et ipsum quoque sacrificium Eucharisticum instituens, non illud obtulit super altare, sed in eadem mensa, in qua cœnabat cum Discipulis. *Cœnantibus enim illis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum.* Matth. 26.

Idem aliqui probant ex eo quòd olim singuli patresfamilias sacrificabant agnum Paschalem in domo cuiusque edendum: (neque enim Leuitæ sufficissent tot millibus agnorum tam breui tempore occidendis) & sacrificabant illum sine altari, quisque domi suæ: neque enim altare apud se habebant: neque tot victimis tam exiguo temporis spatio immolandis, nempe ad vesperam Paschæ, vt dicitur Exodi duodecimo, versu sexto, sat esse poterant templi altaria. Et tamen singuli Patresfamilias non erant sacerdotes, neque esse poterant in lege Mosaica, nisi illi, qui erant de stirpe Leuit. Sed huic coniecturæ obstat Iosephus, qui contrarium significare videtur libro septimo de bello Iudaico capite decimo septimo, vbi dicit eo anno, quo Ierosolyma obsessa à Romanis, & destructa fuit, Pontifices, qui die festo Paschæ ab hora nona vsque ad vndecimam hostias cædere solebant, hostiarum, siue agnorum Paschalium ducenta, & quinquaginta sex millia, & quingentos numerauisse, indéque colligit quantus fuerit numerus eorum, qui in vrbe obsessa deprehensi sunt. Efficaciùs verò ex eo probatur, quòd Abel, & Cain Genes. 4. aliique plures in lege naturæ sacrificauerunt, quamuis non essent peculiariter sacerdotes. Nec vlla fit mentio altaris supra quod Abel, & Cain sacrificauerint loco Genesis citato: sed tantùm quòd obtulerint munera Domino, hic de fructibus, ille de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Quæ tamen circumstantia notabilis non erat omittenda in primo illo sacrificio, cuius meminit Scriptura: neque omittitur Genes. 8. vers. 20. vbi sermo est de sacrificio Noë post diluuium, & Genes. 22. vers. 9. vbi de sacrificio Abrahæ, aliisque locis. Concludo itaque ad communem sacrificii rationem, nihil ampliùs requiri, præter id quod in supra tradita, & explicata definitione positum fuit.

Porro sacrificium propriè dictum multiplex est. Primò enim diuiditur ratione temporis, & status hominum diuersi, in sacrificium legis naturæ, Mosaicæ, & Euangelicæ. Secundò diuiditur ratione modi quo fit, in sacrificium incruentum, & cruentum; quale non tantùm in lege noua, sed & in Naturali, & in Mosaica fuit: nimirum ad repræsentandum vtrumque sacrificium Christi in lege Euangelica futurum: cruentum in cruce, & incruentum in Eucharistia. Tertiò, ratione finis diuiditur in absolutum, & commemoratiuum. Absolutum est, quod non refertur ad repræsentandum aliud sacrificium, sed immediatè tendit ad protestandam se solo supremam Dei excellentiam: cuiusmodi fuit sacrificium Christi cruentum. Secus autem commemoratiuum, quale est nostrum Eucharisticum, & omnia legis naturæ, ac Mosaicæ sacrificia, quæ ad sacrificium Christi cruentum repræsentandum ordinabantur. 15. Multiplex diuisio sacrificii.

4. Aliud propitiatorium dicebatur in lege veteri, aliud pacificum, aliud Holocaustum. Propitiatorium erat, quod fiebat pro peccato. Pacificum, quod pro accepto beneficio, vel pro accipiendo, quod etiam impetratorium dicebatur. Holocaustum autem, quod omnino ad Dei laudem comburebatur. Apud Gentiles verò aliud dicebatur hostia, aliud victima, aliud immolatio, & aliud libamen. Primum, & secundum, ab hostibus debellandis, aut debellatis, & à victoria, pro quibus fiebant, nomen habent. Tertium à mola, quâ far oblatum conterebatur. Quartum ex eo quòd liquores libarentur. Possunt etiam aliter diuidi sacrificia, secundum varios fines, ad quos referri possunt ex intentione peculiari offerentium: vel etiam distingui multiplex vsus, & respectus eiusdem sacrificii ad varios fines, ad quos valere potest. Nam quod supra diximus, sacrificium fieri ad protestandam excellentiam Dei, non est ita intelligendum, quasi sacrificium fiat tantummodo ad protestandam Dei maiestatem: simul enim fieri potest non modò ad Deum placandum, ad impetrandum, ad gratias agendum, vt supra, diximus de sacrificiis propitiatoriis & pacificis: verùm etiam ad pactum aliquod vel promissionem, aut votum confirmandum, iuxta illud Poëtæ,

Stabant, & cæsâ iungebant fœdera porcâ.

Quo etiam pacto Christus Matthæi 26. nouum testamentum sacrificio Eucharistico, &

Deus per Moysem, Exodi vigesimo quarto, vetus testamentum victimarum sanguine confirmauit. Item ad passionem Christi & alia eius mysteria recolenda, ad sanctos honorandos, & celebrandam anniuersariam eorum memoriam, aliósque fines conuenientes, sicut in Ecclesia fit. Quibus etiam modis ille, qui sacrificat, summam Dei maiestatem agnoscit, vel tanquam condonantis sibi offensam, vel tanquam primi principii bonorum omnium: vel tanquam auctoris gloriæ Christi & sanctorum: sed vlteriùs postulat peccatum condonari, aut beneficium aliud sibi vel aliis, conferri, aut pro collato gratias agit, aut recolit Christi & sanctorum memoriam.

16. *Sacrificium aliquando sumitur pro re oblata.*

Superest, notare sacrificium, & oblationem sumi non tantùm pro actu sacrificandi, & offerendi, de quo hactenus diximus: verùm etiam pro eius obiecto, hoc est, pro re ipsa oblata, & sacrificata. Quæ acceptio in Scripturis frequens est. Valet autem ad soluenda plurima hæreticorum argumenta contra sacrificium Eucharistiæ. Vt quando obiiciunt ex Hebræor. 10. vers. 10. Christum vnam pro peccatis hostiam obtulisse. Et versic. 14. Vna oblatione consummasse in æternum sanctificatos. Et versic. 18. *Vbi horum remissio, iam non est oblatio pro peccato*, alia supple. Et vers. 26. *Voluntariè peccantibus nobis iam non relinquitur pro peccatis hostia*. Hæc enim, & similia, intelligi possunt de re oblata, & significare non esse aliam hostiam pro peccatis, quàm Christum Dominum, quod non negamus. Neque enim aliud in sacrificio nostro incruento offerimus. Sic autem sumptum sacrificium pro re oblata, definiri potest in communi: Sacrificium est res sensibilis, quæ per sui destructionem offertur Deo ad protestandum ipsum esse authorem rerum omnium, cui nostrum esse debemus. Sumptum autem pro actione sacrificandi, definitum fuit supra, Actio offerendi, siue oblatio facta Deo rei alicuius sensibilis, quam per actionem sensibilem destruimus ad protestandum Deum esse authorem supremum nostri esse, &c. In qua definitione verba illa, *Oblatio, facta per actionem sensibilem quâ destruimus*, &c. sunt intelligenda intransitiuè, id est, sumenda pro eodem, quod simul est, oblatio, actio sensibilis, & destructio rei oblatæ.

17. *Significatum huius vocis, sacrificium, quodaam sit.*

Si quis interroget, pro quo supponat vox illa, *Sacrificium*, siue quid in recto significet? Respondeo sumptam pro re oblata, supponere pro ipsa re, quæ offertur, connotando quòd immutetur, aut fuerit immutata ad protestandam Dei excellentiam. Sumptam verò pro actione sacrificandi, supponere pro actu externo immutandi, connotando quòd per ipsum immutetur res oblata ad protestandam diuinam excellentiam, & subiectionem sacrificantis, id est, personæ exercentis actum illum, aut etiam aliorum, quorum nomine sacrificat. Sine quibus connotationibus, aut earum significato, res non dicitur, neque est sacrificium; & actus externus non dicitur, neque est actio sacrificandi. Posset autem esse sine huiusmodi connotatione, atque eius fundamento, & significato integro. Sic peccati vox in recto significat actum, vel omissionem actus: & in obliquo connotat, quòd fiat, aut omittatur liberè contra debitum. Sine qua connotatione, eiusque significato, non dicitur, neque est peccatum formaliter, id est, culpabile, & imputabile. Et signum ex instituto, significat in recto rem assumptam ad significandum: connotat verò quòd res illa fuerit ad significandum instituta, sine quo res non est, neque dicitur signum, id est potens significare. Sic denique sacramentum significat in recto compositum, seu aggregatum ex materia, & forma: putà, ablutionem & verba, loquendo de Baptismo; connotat verò quòd hoc compositum fuerit institutum ad significandam, & efficiendam gratiam: mouendo intellectum ad illam concipiendam, & Deum ad illam efficiendam. Quam vim mouendi, proximam & completam, non habet sine tali connotato, id est, sine talis connotationis significato, imò ab illo accipit. Notandum enim est diligenter id quod diximus disputatione decima octaua, sectione quinta, numero quinquagesimo quinto, quòd licet institutio nihil physicè ponat in re instituta, sed sit tantùm fundamentum denominationis extrinsecæ, sumptæ ab actu reali instituentis: moraliter tamen rem immutat, quatenus res propter institutionem est aliter æstimabilis in ordine ad vsum moralem. Ita vt institutio non sit tantùm conditio sine qua non, sed sit causa efficax mutationis moralis, & æstimationis rei institutæ, quæ per institutionem fit potens significare, vel efficere moraliter, apud agens morale, siue intellectuale: indéque sortitur nomen, & rationem sacrificii, sacramenti, signi, & causæ moralis.

SECTIO II.

Difficultates contra definitionem sacrificii supra traditam.

Contra quartam partem definitionis sacrificii suprà datæ sentiunt Vasquez disputatione ducentesima vigesima, capite tertio, Lessius libro secundo de Iustitia, capite trigesimo octauo, Dubio secundo, numero decimo quarto, Aegidius Coninc ad quæstionem octuagesimam tertiam, numero decimo sexto, & ex parte Suarez disput. septuagesima quinta, sectione quinta §. 18.

Ad secundam rationem: affirmantes destructionem rei, quæ offertur, non esse necessariam sacrificio in commune considerato; sed illam quidem aptissimam esse ad protestandum Deum esse supremum Dominum vitæ, ac necis, & principium rerum omnium, à quo pendeant in esse, & conseruari, & cui debeant quidquid sunt: ideóque hoc genus immutationis fuisse in sacrificiis vsitatissimum: sufficere tamen, & interdum vsitatum fuisse in sacrificiis alterum genus immutationis consistens in productione rei oblatæ per conuersionem alterius in illam. Sicut enim peremptio rei: sic & productio, ac conuersio vnius in aliam, apta est ad protestandum Deum esse principium totius esse aliarum. Cuius generis sacrificia fuisse putat Vasquez supra num. 38. panes de simila, Leuitici 2. vers. 4. & panes propositionis, Leuit. 24. & frixum in sartagine, Leuit. 7. v. 9. quorum coctioni sacerdotes non minùs vacabant, quàm occisioni animalium. Talem item fuisse vult Aegidius loco cit. sacrificium incensi. Vbi præterea generatim affirmat, quando in sacrificando res sic corrumpitur, vt ex illa nobilior, & gratior nascatur, quæ offeratur Deo: tunc rem productam habere rationem hostiæ, & rei oblatæ. Sic, inquit, in sacrificio thuris, & incensi, suffitus nascens ex re destructa offerebatur Deo. Et in Eucharistia non panis, qui destruitur, sed corpus Christi, quod ex pane destructo fit, habet rationem sacrificii, vnà cum sanguine, qui ex vino similiter fit.

19. Addunt aliqui Neoterici sufficere quoque ad sacrificium, tertium genus immutationis, quod vocant neutrum, quo res nec fit, nec destruitur, sed vel attollitur ad protestandam Dei eminentiam supra res omnes, vel alio quodam modo ad Dei laudem immutatur. Cuius exempla in Scriptura esse dicunt. Nam Leuit. 23. panes Primitiarum, & duo agni, sacrificari dicuntur, æquè, ac alia propriè sacrificata, de quibus ibi mentio fit. Et tamen hæc postquam eleuata erant à sacerdote coram Domino, cedebant in vsum sacerdotum. Neque ibi præscribitur alia immutatio. De sacrificio quoque Melchisedecis nulla narratur facta destructio, neque de panibus Propositionis, quæ ad sacrificandum pertinuisse videatur; nisi fortè in intentione, & destinatione: nam comestio posterior fuit sacrificio: & Abraham, & Dauid cum sociis, qui de illis ederunt, non propterea sacrificarunt. Addi potest oblatio hirci viuentis, Leuit. 16. vers. 20. quem sacerdos non aliter offerebat, quàm posita vtraque manu super caput eius, confitens omnes iniquitates filiorum Israël, & vniuersa delicta, atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius, emittebat illum, per hominem paratum, in desertum.

20. *Productio rei oblatæ non sufficit* Ad hæc Respondeo primò, Sacrificium non tantùm eò tendere, vt significet Deum esse principium nostri esse; sed vt protestemur nos ei debere destructionem nostri esse, si ipse eam exigat: quod non aptè repræsentatur per productionem alicuius rei, aut per actionem aliter immutatiuam, quàm per destructionem rei oblatæ. *ad sacrificium.* Quòd si productio esset apta ad sacrificandum; maximè certè productio, seu generatio ipsius hominis: quam tamen nemo hactenus putauit esse, aut fuisse, aut esse posse actionem sacrificandi. Neque verum puto, quod ait Suarez sect. cit. conclus. 2. destructionem fuisse vsitatam in sacrificiis, quia cùm Deus non egeat rebus à nobis ipsi oblatis, non possunt ei meliùs donari, quàm eas destruendo in ipsius honorem. Nam meliùs ei donarentur producendo illas, & ponendo sub actuali Dei dominio, & possessione reali, quàm eas destruendo. Quare meliùs ei donaretur homo per generationem, quàm per destructionem. Cúmque olim Ethnici per errorem, aut adulationem, Imperatoribus quibusdam suis, tanquam Diis sacrificauerint; non id fecerunt producendo, aut dando dominium rei alicuius, quam in illos vtiliter transferre poterant; sed occidendo, vel destruendo illa, quæ ipsis offerebant in sacrificium, vt patet ex historiis prophanis.

21. *Nullũ fuit sacrificium in quo non fuerit destructio.* Respondeo secundò, Nullum proferri exemplum sacrificii ex Scriptura; in quo non facile sit intelligere fuisse factam aliquam destructionem rei oblatæ, neque vllum est certum argumentum, quo constet non fuisse factam. Nam de sacrificio Melchisedech, panibus de simila, & panibus propositionis, panibus item primitiarum, & frixi in sartagine, facile est intelligere, quòd aliqua particula illorum panum, aut frixi combureretur, & aliquid vini libaretur, seu effunderetur in Dei honorem; reliquum verò cederet in vsum sacerdotum aut fidelium. Neque enim totum sacrificium semper consumebatur in Dei honorem, sed censebatur totum destrui, aliqua eius parte destructa in cultum Dei. Similitérque facile intelligi potest, quòd illi duo agni nõ tantùm eleuarentur coram Deo, sed & occiderentur in Dei honorem, postea que cederent in esum sacerdotum. Nec obest quòd Scriptura non faciat mentionem huiusmodi omnium actionum: quia non omnia semper exprimit. Vt vel ex eo patet, quòd Paulus Hebr. 9. vers. 19. referens id, quod Moses fecerat Exodi 24. vers. 8. sanciens vetus testamentum, ait Mosem accepisse sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo: ipsum quoque librum, & omnem populum aspersisse. Cùm tamen in Exodo nihil de hyssopo, & lana coccinea, deque aqua, & aspersione libri scriptum esset, sed id sola traditione constaret, essétq; Iudæis adeo notum vt Apostolo nulla probatione opus fuerit. Sanè Corn. à Lapide, aliique meliores interpretes in caput Genesis 14. de sacrificio Melchisedech affirmant ipsum aliquid panis igni tradidisse, & aliquid vini libamine consumpsisse, vt fieri solebat in sacrificiis pacificis, id est, ad gratiarum actionem institutis.

22. Probatur id de panib. proposit.

De panibus quoque propositionis id indicat textus Hebraicus Leuit. 24. vers. 9. vbi pro eo quod vulgatus interpres ait de panibus propositionis, *Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini*, sic habet: *Codesş codasşim hu lo meisşe adonai: Sanctitas sanctitatum hoc ei, de ignitionibus Domini*. Ignitio enim propriè significat combustionem, & non coctionem panum. Quare non tantùm panes illi coquebantur à sacerdotibus, sed & aliqua eorum particula igni comburebatur: in qua immutatione consistebat essentialiter actio sacrificandi, ab eaque reliquum totum denominabatur sacrificatum. Fortè etiam supponit Scriptura adeo notum esse, requiri aliquam destructionem rei oblatæ; vt non necesse iudicauerit id semper exprimere. De hirco autem viuente Leuit. 16. dici potest, illum non fuisse integrum sacrificium, sed partem vnius integri sacrificii. Duo enim hirci iubentur ibi offerri pro peccato populi, quorum vnus occidatur alter dimittatur in desertum modo supra dicto. Sicut Leuit. 14. initio, iubentur offerri duo passeres pro lepræ mundatione: quorum vnus immoletur, alter viuus dimittatur, & in agrum auolare sinatur. Nimirum ad repræsentandam Christi mortem, per hircum, & passerem occisum: resurrectionem verò, per hircum, & passerem viuum. Vel quòd Christus quà homo tantùm, passus, & mortuus sit: manens quà Deus, impassibilis & viuus.

De sacrificio hirci.

23. Quomodo Christus in cruce seipsum sacrificauit?

Dices, si in omni sacrificio requiritur immutatio destructiua: quomodo Christus in cruce seipsum sacrificauit, vbi nullam actionem talem circa seipsum exercuit? Respondent aliqui, Christum seipsum sacrificasse, quatenus vltrò se tormentis subiecit, & tortoribus obtulit. Vt enim ille thus sacrificat, qui thus in ignem immittit: & holocaustum offert ille, qui victimæ admouet ignem, vt comburatur: sic Christus seipsum immolauit in cruce, quatenus vltrò cruci, & tormentis se obtulit, atque subiecit.

24. Si instes, ergo Martyres, qui similiter vltrò se tormentis, & tortoribus submittunt, sacrificant seipsos, si mortem acceptant ad protestandum se Deo debere vitæ suæ, & proprii esse consumptionem. Respondent differentiam esse inter Christum, & Martyres; quia Christus non modò sponte se obtulit: sed etiam sponte permisit agere tortores, & tormenta, animamque suam liberè sibi eripi vi tormentorum passus est. Poterat enim vim tortorum, & instrumentorum eludere, animamque suam retinere, si voluisset: vt ipse ait Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso*. In quo differt Christus à Martyribus, qui remotè tantùm poterant mortem effugere (si tamen poterant semper fugere, & è manibus tyrannorum euadere) sed non poterant proximè, & immediatè tormenta, & mortem vitare.

Delugo.

Aliam rationem reddit Delugo disp. 19. num. 14. vbi dicit, Martyrum mortem non fuisse verum, & proprium sacrificium; quia licet ex priuata eorum intentione fuerit in Dei cultum, & in protestationem supremæ Dei potestatis in vitam & mortem: non tamen fuit ad hoc instituta per aliquam publicam authoritatem. Mors autem Christi ideo potuit esse verum sacrificium, quia potuit ex diuina institutione hoc significare. Sicut etiam sacrificium Eucharisticum ex publica Christi institutione accepit hanc significationem.

Verùm neutra responsio mihi videtur satisfacere. Non prima: quia, vt diximus sect. præcedenti, ad sacrificium requiritur actio aliqua sensibilis, quà sacrificans destruat rem oblatam. Quare non sufficit Christum passiuè tantùm se habuisse non infringendo vim tormentorum, & animam suam non retinendo: id est, non vtendo sua vi, qua poterat tormenta eludere, & animam suam retineret sed opus fuit Christum actiuè concurrere ad mortem suam actione aliqua sensibili. Quod putò ipsum fecisse, quando *inclinato capite* sensibiliter, in signum humiliationis, & subiectionis, *tradidit spiritum*, Ioan. 19. vers. 30. *cum voce magna*, vt addit Lucas cap. 25. vers. 37. *cum lachrymis, & clamore valido*, vt ait Paulus Hebr. 5. vers. 7. Tradidit, inquam, propria vi, & non tantùm permittendo vt per tormenta sibi eriperetur. Quo sensu intelligo illud Christi Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso*. Quasi dicat: tormenta & tortores eam mihi non auferent, sed ego eam ponam à me ipso, id est, mihi ipsi tollam & auferam vi propria. Opponit enim Christus hæc duo inter se, *Nemo tollit eam à me, sed ego eam pono à meipso*, id est, pono eo modo, quo alius tolleret à me si posset: actiuè scilicet, vitam meam in Dei cultum vi propria impendendo. 25.

Secunda quoque responsio non satisfacit: quia generatim ad sacrificium non est necesse, vt publica authoritate instituatur. Ac si nunc quispiam priuata authoritate aliud vsurparet, quàm Eucharisticum, quod solum in lege Euangelica institutum est: esset nihilominus illud verum sacrificium, quamuis illicitum, & illegitimum. Sicut sacrificia, quæ à Gentilibus falsis Diis olim fiebant, & nunc etiam fiunt inter Ethnicos, non desinunt esse sacrificia vera, id est, habere veram, & essentialem rationem sacrificii, sumpti latiùs quàm pro actu vero religionis; quamuis illicita, & sacrilega sint: vt docet idem Cardin. Delugo disp. 19. num. 13. post Vasq. disp. 220. cap. 3. propè finem. 26.

At inquies, quomodo sacrificia quæ fiunt Idolis, sunt vera sacrificia, cùm non sint vera signa eius, quod significant? Sacrificium autem est in genere signi. Item omne sacrificium verum est actus verus & proprius virtutis religionis. At ista non sunt actus religionis, sed sacrilegii, superstitionis, & irreligiositatis.

Sacrificia facta idolis erantne vera sacrificia?

Ad primum Respondeo, Esse vera signa veritate transcendentali, seu potius esse verè & propriè signa: quamuis non sint vera veri- 27.

tate formali, id est, conformia suo obiecto: quia id, quod significant, non est à parte rei vt significant. Nam suprema excellentia non est in idolis, seu falsis Diis, quam tamen illis inesse protestantur. Sicut autem hæc propositio, *Christus non est Deus*, tam propriè & verè est signum ex instituto, estque tam verè ac propriè propositio, atque ista, *Christus est Deus*: sic tam est signum & propositio, ista, *Iupiter est Deus*: quam ista, *Iupiter non est Deus*. Solumque differentia est, quòd vna est vera veritate formali, non alia.

28. Ad secundum Respondeo, Omne quidem sacrificium legitimum esse actum virtutis religionis, & veræ religionis, non tantùm veritate transcendentali, sed & formali. Illa verò, de quibus nunc loquimur, esse actus religionis latiùs sumptæ, pro religione præsumptâ, & malè applicatâ, ac falsâ formali falsitate: id est, pro cultu alicui exhibito propter sacram, aut diuinam excellentiam, quæ illi inesse existimatur, & re vera non inest. Maior ergo propositio sic distinguenda est. Omne sacrificium verum est actus religionis: virtutis, nego. Latiùs sumptæ prout abstrahit à virtute religionis, vel à præsumpta: concedo. Tum ad minorem respondendum est sacrificia ista esse actus religionis præsumptæ, quæ in re ipsa est superstitio, & Idololatria.

29. Possitne martyr seipsum sacrificare, morti suæ cooperando.

Ergo, inquies, si Martyr priuata authoritate intenderet seipsum consumere in sacrificium, & positiuè morti suæ cooperaretur, vt fecerunt Apollonia, Pelagia, & alii quidam, qui seipsos in flammas, vel in aquas coniecerunt, verè sacrificaret. Respondeo ita esse: sicut ille, qui nunc agnum vel ouem occideret, vt olim Iudæi, verè sacrificaret: sed non posse Martyrem licitè hoc intendere, nisi per ignorantiã, qua inculpabiliter nesciret Deum constituisse, ne vllum aliud sacrificium in lege noua vsurpetur, præter Eucharisticum. Cùm enim Christus in lege noua sacrificium Eucharisticum instituerit: non possunt Martyres seipsos, vel aliud in sacrificium offerre. Quia, vt supra dixi, hoc ipso quòd Deus sacrificium aliquod, aut certa quædam sacrificia, pro lege aliqua instituit; censetur alia excludere. Non possunt etiam Martyres licitè ad mortem suam positiuè cooperari, in flammas v.g. seipsos præcipitando, aut aquis se immergendo, nisi speciali & extraordinario motu Spiritus sancti ad hoc impellantur. Vt olim Samsom, laudatus à Paulo, & annumeratus aliis Sanctis, *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*, Hebr. 11. vers. 32. & 33.

SECTIO III.

An celebratio Eucharistiæ sit verè, ac propriè sacrificium?

30. Conclusio affirmat.

CONclusio affirmatiua est de fide. Probatur quia vel nullum iam est in Ecclesia sacrificium verè ac propriè dictum, & legitimè vsurpatum: vel celebratio sacramenti Eucharistiæ est huiusmodi sacrificium. Non potest autem dici, quòd nullum sit: ergo, &c. Maior conceditur ab omnibus. Fatentur enim Catholici nullum aliud iam esse in Ecclesia tale sacrificium legitimè vsurpandum, præter Eucharistiam. Hæretici verò, qui negant Eucharistiam esse sacrificium propriè dictum, nullum aliud prorsus admittunt, vt ex ipsorum obiectionibus patebit inferiùs. Minor autem, Scripturæ, & Patrum authoritate, ac ratione sic breuiter probatur.

Primùm enim Danielis 12. dicitur in fine mundi, tempore scilicet Antichristi, cessaturum iuge sacrificium. Ergo supponitur eousque futurum. Neque de improprio sacrificio & inuisibili sermo est, interno scilicet, vt volunt hæretici. Nam illud ne tunc quidem cessabit, nec sacrificium dicitur absolutè. Est autem ibi sermo de sacrificio propriè dicto, quod per excellentiam, iuge sacrificium appellatur, ob præstantiam & durationem singularem, quippe quod vsque ad sæculi consummationem & vltimam vsque persecutionem Antichristi durabit, ad annunciandam, id est, rememorandam mortem Domini, donec veniat: vt dicitur 1. Corinth. 11. De quo eodem sacrificio prædixerat Deus per Malachiam cap. 1. vers. 6. & sequentibus, interminans Iudæis facturum se, vt sacrificia Iudaica cessarent, sibique à Gentilibus sacrificaretur in omni loco oblatio munda. Vbi etiam manifestè sermo est de vero sacrificio & propriè dicto: quod ibidem per oppositionem comparatur cum sacrificiis Iudaicis propriè dictis: comparatio autem fit inter res eiusdem generis. De eodemque intelligendum est id quod Psalm. 109. vers. 5. & Hebr. 7. vers. 17. de Christo dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: qui vt habetur Genes. 14. panem, & vinum obtulit, typum istius sacrificii, à Christo Domino in pane, & vino instituti. Neque enim Christus dici potest sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ob sacrificium crucis: quia cùm istud cruentum fuerit, deberet potiùs ratione illius dici sacerdos secundum ordinem Aaron. De illius denique vsu, post Christi mortem & ascensum in coelos, perseuerante, constat ex Actis Apostolorum cap. 13. vers. 2. vbi de Apostolis dicitur, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, id est, vt Erasmus ipse interpretatur, *sacrificantibus autem ipsis Domino*. Et Hebr. 13. vers. 10. *Habemus altare*, inquit Paulus, græcè θυσιαστήριον, id est sacrificatorium, *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt*. Cuius item altaris meminit 1. Corinth. 10. vbi prophanis Ethnicorum altaribus ipsum opponit, & modò mensam, modò altare vocat, propterea quòd Eucharistia simul est sacrificium, & cibus ac potus sacer ad sumendum propositus. Nam sacrificium in hoc altari immolatum non esse aliud, quàm Eucharistiam, clarè ibidem significat Apostolus, cum ait vers.

31. Probatur ex Script.

16. *Calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* & postea facta mentione altaris & sacrificiorum Iudæorum & Gentilium: addit vers. 20. *Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.*

32. Probatur 2. ex Patr. Secundò, Patres apertissimè prædicant in lege noua extare verum sacrificium: & illud, Eucharisticum. In hunc enim sensum interpretantur locum Malachiæ supra citatum Cyprianus lib. 2. Epist. 3. & serm. de cœna: Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 1. Hieronym. Epist. 17. ad Marcellam, & Epist. 126. ad Euagrium: Chrysost. homil. 35. & 36. in Genesim, August. Epist. 95. ad Innocentium Papam, & lib. 4. de Doctr. Christiana cap. 21. & lib. 16. de Ciuit. cap. 22. sanctus Leo serm. 2. de Anniuersario sui Pontificatus. Deinde Christum in cœna vltima hoc sacramentum instituentem verè sacrificasse, & sicut Agnus paschalis priùs sacrificabatur, posteaque in cibum dabatur: ita priùs seipsum sacrificasse, posteaque in cibum dedisse, docent Hesichius lib. 2. in Leuit. cap. 8. Gregor. Nyssen. homil. 1. de Resurrect. Leo Papa serm. 7. de Passione, Cyprian. serm. de Cœna, Rupertus lib. 2. in Exodum cap. 6. & alii. Nysseni verba sunt: *Qui omnia pro Dominica potestate & authoritate administrat, non expectat Pilati iudicium: sed per ineffabilem, & arcanum sacrificii modum, sua dispositione, & administratione præoccupat impetum violentum, ac sese in oblationem, & victimam offert pro nobis, sacerdos simul, & agnus Dei. Quando hoc accidit? Cùm suum corpus ad edendum, & sanguinem suum familiaribus ad bibendum præbuit. Cuilibet perspicuum est, quòd oue vesci homo non possit, nisi comestionem mactatio præcesserit. Cùm igitur dedit Discipulis suis corpus ad comedendum, apertè demonstrauit iam fuisse perfectam, & absolutam immolationem.* Huc vsque Nyssenus.

33. Cyprianus verò Epist. 63. *Quis, inquit, magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit: & obtulit hoc ipsum quod Melchisedech obtulerat, id est, panem, & vinum, hoc est, corpus, & sanguinem suum.* Hoc autem sacrificium iuxta Christi præceptum, *Hoc facite in meam commemorationem*, ab Apostolis, & eorum successoribus huc vsque creditum, & celebratum fuisse testantur Patres antiquissimi, qui Apostolos ipsos viderunt, eorumque successores, singulis sæculis: Dionys. de cœlesti Hierarchia cap. 3. Clemens Roman. lib. 6. constit. Apost. cap. 23. Martial. Epist. ad Burdigalenses cap. 3. Ignat. Epist. ad Smyrn. post medium, Presbyteri Achaiæ, Andreæ Apostoli comites, & discipuli, in eius passione, & Liturgiæ sanctorum Petri, Iacobi vtriusque, Matthæi, & Marci: Tertul. Alexander I. Iustinus, Irenæus, Origenes, Cyprian. Concilium Nicænum I. Euseb. Basil. Cyril. Hierosol. Ambros. Hieronym. Chrysost. August. & alii innumeri, quotquot ferè scriptis suis Ecclesiam illustrarunt, & suorum temporum fidem testati sunt: quos vel enumerare longum esset: eorum autem testimonia plurima legi possunt apud Gauter. sæculo 1. & sequentibus, verit. 1.

Neque diffitentur Lutherus, & Caluinus antiquos Patres nobis patrocinari: quod sine euidenti mendacio, vel crassa & supina ignorantia negare non poterant: sed per superbiam intolerabilem, ne quid grauius dicam, Patres sanctissimos, atque doctissimos, & Ecclesiam vniuersam erroris arguunt hac in parte: Lutherus quidem in lib. de abroganda Missa, & lib. de Missa priuata: Caluinus autem lib. 4. Institut. cap. 18. num. 10. & 11. Ineptiores verò sunt Molineus in Clypeo fidei, aliique recentiores Ministri, quando contendunt Patres antiquos impropriè tantùm Eucharistiam vocare sacrificium. Nam Cyprianus Epist. 63. illam vocat *sacrificium verum, & plenum, à sacerdote Deo Patri oblatum in Ecclesia.* August. lib. 10. de Ciuit. cap. 20. *Summum verúmque sacrificium, cui cuncta sacrificia falsa cesserunt.* Et lib. de Spiritu & litera cap. 11. *verum, & singulare sacrificium.* Chrysost. in Psalm. 95. [illegible], *vnicum verum sacrificium.* Similique modo loquuntur plures alii, qui etiam sæpius mentionem faciunt altaris, vasorum sacrorum, & cæterorum ad sacrificium Eucharistiæ pertinentium, à quibus Nouatores tantopere abhorrent. 34.

Tertiò, His Scripturæ, & Patrum testimoniis accedit ratio. Est enim absurdum existimare, nullum in lege Christiana omnium perfectissima extare sacrificium, quo Deus corpore, animóque colatur; cum nulla alia lex, seu religio vera, vel falsa, fuerit sine sacrificio, vt ex historiæ sacræ, ac prophanæ authoribus liquet. Atqui vt ipsimet hæretici fatentur, nullum est in lege Euangelica sacrificium verè & propriè dictum, si Eucharistiæ celebratio, id est, corporis & sanguinis Christi oblatio Deo facta in Eucharistia, non est sacrificium. Ergo, &c. Et verò nihil illi deëst, quod ad rationem sacrificii verè & propriè dicti possit desiderari. Est enim qui offerat; Christus scilicet principaliter offerens, sacerdos autem vt minùs principalis, & vicarius Christi. Quod offeratur; Christus idem sub speciebus panis, & vini. Cui offeratur; Deus. Pro quo offeratur; Ecclesia. Vbi offeratur; altare. Actio quâ offeratur; consecratio. Intentio verò, & institutio Christi ex Scripturæ locis citatis, & Patrum antiquorum, ac totius Ecclesiæ sensu manifesta est: & vana sunt, quæ in contrarium obiiciunt hæretici. Ergo, &c. 35. Probatur 3. ratione.

Obiicit quidem præcipuè Lutherus, Eucharistiam esse sacramentum, & testamentum: ergo non est sacrificium: quia repugnat idem esse sacramentum, & sacrificium: siquidem per sacramentum aliquid nobis à Deo donatur: contra verò per sacrificium 36.

nos aliquid Deo donamus, & offerimus. Sed respondere facilè est idem sub diuersa consideratione posse esse sacramentum, testamentum, & sacrificium. Sacramentum, quatenus nobis causat gratiam: testamentum, quatenus est signum vltimæ voluntatis Christi testatoris: & sacrificium, quatenus actione aliqua immutatur, & offertur Deo ad protestandam ipsius excellentiam. Sic in lege Mosaica agnus Paschalis erat simul sacramentum, & sacrificium. Et Exodi 24. vers. 8. sanguis victimarum, effusus super populum, fuit simul sacrificium, & testamentum. Neque repugnat aliquid Deo dari, id est offerri, ab hominibus, quatenus ad ipsius maiestatem protestandam immutatur: & idem dari hominibus à Deo, quatenus Deus illud ipsum refert, & acceptat ad hominum vtilitatem. Sic Christi opera meritoria Deo donabantur, seu offerebantur à Christo: & tamen ipsi ad gloriam corporis, & nominis sui exaltationem, nobisque ad salutem profuerunt, & eatenus nobis donata sunt. Sic etiam in lege veteri sacrificia multa cedebant in vsum sacerdotum, & aliorum. Denique ad sacrificium sufficit quòd res oblata immutetur ad protestandam supremam Dei maiestatem: licet immutatio nobis prosit, aut res oblata nobis ad vsum donetur. Vt verò eadem immutatio sit quoque testamentum, sufficit quòd per illam sanciatur & stabiliatur pactum inter Deum & nos initum.

37. Explicantur varia loca epistolæ ad Hebr.

Quæ autem Caluinus opponit præcipuè ex Epist. ad Hebr. æquè facilè dilues, si notes primò, quod ait Paulus cap. 7. vnicum esse sacerdotem noui testamenti: & sacerdotes quidem Aaronicos plures fuisse, eò quòd morte prohibebantur permanere, Christum verò, quia in æternum manet, sempiternum habere sacerdotium: hoc sensu intelligendum esse, quòd Christus sit vnicus sacerdos, sicut vnicus mediator, & doctor, & magister, & pastor; principalis scilicet, cuius alii tantum ministri sunt, in eius persona, & eius verbis sacrificantes, & consecrantes corpus & sanguinem ipsius, vt exponunt Chrysost. homil. 2. in 2. ad Timoth. propè finem, & Ambros. lib. 4. de Sacramentis c. 5. In quo magnum discrimen est inter vetus, & nouum Testamentum. Nam in illo multi erant sacerdotes per successionem, absolutè, cum eadem authoritate, & sine vlla subordinatione, quia sequentes non erant ministri, neque vicarii præcedentium. At in nouo Testamento cæteri omnes sunt Christi vicarii, nec nisi in eius persona sacrificant. Christus enim perpetuò manens, retinet suam supremam potestatem, quam per illos exercet; sicut & potestatem remittendi peccata, baptizandi, pascendi, docendi, & reconciliandi mundum Deo. Vnde locus Pauli citatus nobis potiùs fauet. Nam quemadmodum Christus, quia perpetuus doctor, & pastor est, debet perpetuò docere, & pascere; & consequenter per vicarios, cum id per se non præstat: sic etiam perpetuò debet per illos sacrificare, cùm iam per se solum non ampliùs sacrificat.

Secundò, quod obiicit ex eadem Epistola, Christum vna oblatione omnes sanctificasse: & vnam tantùm habere hostiam, nec esse aliam pro peccatis expiandis relictam: & Christi passionem fuisse oblationem sufficientem pro peccatis: & Christum semel tantùm se obtulisse: ita intelligendum est, iuxta Chrysostomum, Theodoretum, Rhemigium, Theophyl. Oecumen. Primas. & alios Patres in cap. 8. vel 10. Epistolæ ad Hebr. Primò quidem, vnam esse hostiam, & oblationem, eandem numero in cruce, & in Eucharistia; sumendo oblationem, (vt sæpe sumitur) pro re quæ offertur. Nam vtrobique offertur Christus, nec alia superest hostia pro peccatis. Secundò, semel tantùm cruentè se obtulisse, & hac vnica oblatione sanctificasse omnes, & expiasse sufficienter in actu primò: hoc est, pretium sufficiens, & superabundans sanctificationis, & expiationis parauisse: quod nihilominus applicandum superest secundum Christi institutionem, non per fidem solùm, sed & per sacramenta ab ipso instituta, & per sacrificium incruentum Eucharistiæ, quod ex parte materiæ, id est, rei oblatæ, non differt à cruento: ex parte verò formæ, id est, actionis sacrificandi, illi subordinatur: nam à Christo institutum fuit, tum vt cruentum repræsentet, tum vt quod Christus per cruentum semel præparauit, sæpius nobis applicet, illum nempe thesaurum meritorum, & satisfactionis, ac pretii. Porro Christi passionis, & meritorum applicationem necessariam esse nemo negare potest: cùm certum sit non obstante Christi passione multos perire, quibus saluandis Christi passio non sufficit in actu secundo sine applicatione aliquo modo facta, tametsi Christus pro illis passus sit, & sit propitiatio pro peccatis totius mundi 1. Ioan. 2. vers. 2. 38.

Quomodo Christi vna tantū oblatio.

Quo sensu Christus semel tātùm se obtulit.

Illud autem, quod ait Paulus, Christum semel tantum se obtulisse, de cruenta oblatione intelligendum esse fatetur ipse Caluinus in cap. 11. ad Hebr. vers. 17. & 18. & ex Apostoli verbis apertum est. Quoties enim dicit, Christum semel esse oblatum, limitationem addit. Vt cap. 7. vers. 23. & sequentibus, vbi huic oblationi opponit Christi æternitatem, & immortalitatem, quæ cruentæ tantum oblationi, & morti repugnat. Et vers. 27. aiens Christum non habere necessitatem offerendi quotidie sacrificia pro peccatis, sed semel hoc fecisse: addit, Quemadmodum sacerdotes, nempe veteris legis; & vtitur voce θυσίας, quæ propriè cruentum sacrificium significat. Et cap. 9. vers. 25. cùm ait Christum non sæpius offerre seipsum: subiungit, Sicut faciebat Pontifex singulis annis cum sanguine. Et vers. 26. cum ait Christum semel apparuisse per hostiam suam; vtitur voce θυσίας, & subdit: Alioquin oportebat Christum frequenter pati: quæ illatio nulla esset, nisi de cruento sacrificio loqueretur. Et vers. vlt. ait Christum semel esse

oblatum: sed eo sensu quo penultimo versu dixerat: Quemadmodum statutum est omnibus hominib. semel mori. Et cap. 10. v. 10. ait sanctificatos nos fuisse per oblationem, Iesu Christi scilicet: sed addit ibidem, per hanc oblationem impletam esse voluntatem Dei, qua constituerat vt Christus moreretur.

39. Tertiò, Si Paulus tota Epist. ad Hebr. vbi fusè loquitur de sacerdotio, nusquam mentionem facit sacerdotum nouæ legis, nec sacrificii incruenti Melchisedech; causa est, quia Hebræi, quibus scribebat, nondum erant capaces tanti mysterii, cum ne quidem satis intelligerent vim cruenti sacrificii crucis, eóque non parum offenderentur. Sic ante mille ducentos annos responderunt sancti Patres, teste Hieron. Epist. 126. ad Euagrium de Melchisedech: & post illos Chrysost. Theophyl. Photius, Oecumenius, in cap. 5. Epist. ad Hebr. Nec debuit Paulus mysterium illud Iudæis importunè ingerere, cùm non ad eos offendendos, sed conuertendos scriberet: & non tantùm fidelibus Iudæorum, qui tunc erant, sed & infidelibus prodesse vellet. Simili modo antiqui Patres celabant mysterium Eucharistiæ, non tantùm infideles, sed etiam Catechumenos. Adde Paulum hoc sacrificium insinuasse, & sacerdotes nouæ legis, dicendo c. 13. vers. 3. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Nam altare ad sacerdotium, & sacrificium relatiuum est. Est & alia huius silentii ratio: quia Paulus ostendere volebat, Melchisedech præcelluisse sacerdotibus legis Mosaicæ, vt patet ex cap. 7. Non præcelluit autem in sacrificio suo panis, & vini, quo Agnus paschalis, & alia quædam sacrificia legis Mosaicæ fuerunt nobiliora.

40. *Sacrificium Eucharistiæ subordinatur sacrificio crucis.*

Quartò, Sicut alia Christi opera, quamuis infinitè meritoria, subordinata erant passioni, per quam erant consummanda, quoad redemptionem: sic & sacrificium incruentum ab ipso ante passionem celebratum Matth. 26. Quare friuola est illa hæreticorum obiectio: Si Christus Eucharistiam celebrans sacrificauit ad remissionem peccatorum, & ad alios fines; consequutus est, quod voluit, nec fuit opus cruento sacrificio, quo redemptionem consummaret, vt ait Paulus Hebr. 10. Respondeo enim oblationem illam, sicut & cætera Christi opera, quæ ante passionem exercuit, quamuis alioqui per se singula infiniti valoris, fuisse tamen iuxta Dei pactum, & beneplacitum subordinata pass[illegible] quâ redemptio nostra consummaretur [illegible]óque suum passioni locum non defuisse. A[illegible] tantò minùs incruentum sacrificium excludere cruentum: quantò magis ipsum præsupponit, & applicatio quædam est redemptionis per illud consummatæ.

SECTIO IV.

In quo consistat essentia sacrificii Eucharistiæ, seu quæ sit eius materia, & forma?

Dico primò, Sacrificium Eucharistiæ, sumptum pro re oblata, quæ aliter dicitur, materia sacrificii, esse Christum, prout per consecrationem sub speciebus constituitur indiuisibili modo: & non tantùm mysticè immolatur per separationem sanguinis à corpore vi verborum; sed etiam physicè ac realiter ponitur sub speciebus mortuo quodam modo, inepto functionibus suis [illegible]ralibus, & ordinato ad destructionem: quippe qui ponitur per modum cibi, & potus ordinati ad consumptionem, eóque fine, vt consumptis, & corruptis speciebus desinat ibi conseruari actione productiua, per quam fuerat ibidem constitutus. 41.

Christus off[illegible] in sacrificio Eucharist. [illegible]

Probatur ex Trident.

Probatur ex Trident. sess. 22. c. 1. vbi affirmat Christum sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo patri obtulisse: ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidisse: & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, præcepisse vt offerrent, per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Et paulò post ait Christum nouum Pascha instituisse, seipsum ab Ecclesia, per sacerdotes, sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem. Et initio capitis 2. sic habet: *In diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit, &c. Vna enim, eadémque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Huc vsque Trident.

Probatur ex Patrib.

Idem secundò, docent expressè S. Patres, Cyprianus, Ambrosius, August. Chrysost. Gregor. Nyssen. Theodoret. & alii quos referunt Suarez disp. 75. sect. 1. & Barrault. tomo 3. Clypei cap. 12. Cyprianus quidem epist. 63. ad Cæcilium affirmat Christum Summum sacerdotem Patri seipsum sacrificium obtulisse: & hoc fieri in sui memoriam præcepisse. & Ambros. in cap. 1. Luc. ait Christum Pascha nostrum in Eucharistia im[illegible]lari. & August. lib. 2. contra Petilian. cap. [illegible] *Aliud est Pascha*, inquit, *quod illi adhuc de[illegible]lebrant: aliud quod nos in corpore & san[illegible] Domini accipimus.* Itaque, ex mente D. [illegible]stini, sicut ouis erat materia sacrificii [illegible]alis Iudaici: sic Iesu Christi corpus & [illegible]is est materia sacrificii nostri. Gregor. denique Nyssenus homil. 1. de Resurrect. dicit Christum *sese in oblationem & victimam obtulisse pro nobis, cum suum corpus ad edendum*

& sanguinem suum familiaribus ad bibendum praebuit.

Vnde collige excellentiam sacrificii nouae legis. Nihil enim nobilius offerri Deo potest in sacrificium, quàm Christus: nihil ad omnem finem sacrificii consequendum aptius, & efficacius. Vnde etiam in lege noua vnicum est illud sacrificium, vtpote quod omnium differentias hostiarum vna sua perfectione complectitur.

42. Quomodo species pertineant ad sacrificium & rē oblatam.

Dixi autem, rem, quae offertur, & sacrificatur, esse Christum prout sub speciebus constitutum, &c. Neque enim Christus secundum propriam speciem, prout in cœlo est, sacrificatur: quia vt talis non attingitur, & immutatur per actionem sacrificandi: sed tantùm prout est vi verborum sub speciebus Eucharisticis. Quae species pertinent ad sacrificium, non tanquam pars rei, quae offertur, sed tanquam id, sub quo offertur, & per quod sacrificium visibile, & sensibile constituitur. Panis quoque, & vinum pertinent ad hoc sacrificium, non tanquā materia, quae sit res oblata: sed tanquam materia ex qua transeunte, & destructa, fit res oblata; & sine qua non fieret consecratio, & conuersio. Alioqui enim si vel species, vel panis, & vinum essent pars sacrificii: falsum esset, quod Trident. supra, & Patres docent, eandem esse hostiam in cruce, & in Eucharistia, sola offerendi ratione diuersa. Neque enim Christus in cruce species, aut panem, & vinum, etiam partialiter, obtulit: sed seipsum solùm, per separationem sanguinis à corpore, & mortem inde sequutam, immolatum.

43. Forma huius sacrificii est consecratio.

Dico secundò, sacrificium Eucharistiae sumptum pro actione sacrificandi, quae aliter forma sacrificii dicitur, esse ipsam consecrationem, quā panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi conuertitur, Christusque ipse sub eorum speciebus mortuo quodam & indiuisibili modo ponitur: ad protestandam Dei excellentiam per talem conuersionem: & ad sacrificium crucis repraesentandum, per mysticam separationem sanguinis à corpore. Dum enim corpus solum directè ponitur vi verborum sub specie panis, & sanguis sub specie vini; repraesentatur separatio sanguinis à corpore in cruce facta, & mors inde sequuta. Vnde hoc sacrificium est ex sua propria & speciali ratione commemoratiuum, seu repraesentatiuum sacrificii crucis, & mystica Christi immolatio.

44. Probatur primò, Quia neque actiones, quae praecedunt consecrationem, sunt actio sacrificandi, cùm non sint immutatio corporis, & sanguinis Christi sub speciebus, siquidem nondum est: neque etiam actiones, quae sequuntur; cùm Patres doceant, facta consecratione, immolationem esse perfectam: vt Gregor. Nyss. homil. 1. de Resurrect. cuius verba sectione praecedenti retulimus num. 32. Quibus adde Cyrill. Catech. 5. Mystag. sic dicentem: *Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus: super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiae pace*, &c.

Secundò, vel Euangelistae non expresserunt formam sacrificandi vsurpatam, & institutam à Christo: vel illa consistit in consecratione, quam solam omnes exprimunt. Quamuis enim loquantur etiam de benedictione, & gratiarum actione: non tamen exprimunt quaenam illa fuerit, & quā formā, vel quibus verbis concepta. Deinde illae actiones Christi, sicut & fractio panis, cuius meminit Paulus 1. Corinth. 11. praecesserunt tempore corpus, & sanguinem, vt sub speciebus positum. Ergo non fuerunt illius immutatio, siquidem nondum erat. Et in Missali Romano praescribitur, vt non frangatur hostia si in calicem ceciderit. Atqui si fractio esset essentialis sacrificio, non omitteretur.

Immolatio crucis & Eucharistiae sunt similes.

Tertiò, Christus immolatur in Eucharistia simili quadam actione, illi, quā fuit immolatus in cruce. Qua de causa dicitur vna esse alterius similitudo & repraesentatio; vna eiusdem hostiae immolatio cruenta, & altera incruenta. Atqui actio, quā Christus fuit in cruce immolatus, fuit separatio realis sanguinis à corpore, & mors inde sequuta. Ergo actio, qua in Eucharistia immolatur, debet esse separatio mystica, quae fit per conuersionem panis in corpus, & vini in sanguinem, sub diuersis speciebus, mortuo quodam modo positum, & tendēte ad destructionem.

Quartò, Christus in hoc sacrificio est semper principaliter offerens: quia sacerdotes, tanquam eius legati, semper offerunt in eius persona, vt docent SS. Patres, & Florent. expressit in Decreto Eugenii 5. *Forma huius sacramenti sunt verba saluatoris.* Ergo actio sacrificandi debet consistere in ea actione, quam sacerdotes exercent in persona Christi. Talis autem est sola consecratio. Loquuntur enim sacerdotes in persona Christi, quando assertiuè pronunciant, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Caeteras verò actiones, quae praeeunt, aut sequuntur, non exercent in persona Christi: sed vel historicè tantùm, & recitatiuè, vel in persona propria, aut nomine Ecclesiae, vt patet inductione. 45.

Eucharistiae sacrificium est repraesentatiuum mortis Christi.

Quintò denique, quod haec actio ex sua institutione, Christique intentione referatur ad sacrificium crucis repraesentandum, docent tum Paulus 1. Corinthiorum 11. vbi haec Christi verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, interpretatur de commemoratione mortis Christi: tum SS. Patres communiter, & Trident. sess. 22. cap. 1. dicens Christum in cœna nouissima, dilectae sponsae suae Ecclesiae, visibile, sicut hominum natura exigit, reliquisse sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem vsque saeculi permaneret. Et paulò post ait Christum nouum Pascha instituisse, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem. Ideóque Christus hoc sacrificium constituit sub duabus

bus speciebus, sub quibus separatim significantur corpus, & sanguis, & ponuntur separatim, quantum est ex vi verborum, ad distinctè repræsentandam separationem sanguinis à corpore factam in cruce, per illius effusionem.

46. Vnde colligunt multi hoc sacrificium consistere essentialiter in consecratione vtriusque speciei. Nam, inquiunt, consecratio vnius solius non est talis separatio, & repræsentatio expressa effusionis factæ in cruce, Christique immolatio mystica, & incruenta, similis cruentæ in cruce peractæ. Est autem de essentia istius sacrificii vt sit expressa repræsentatio mortis, & passionis Christi, ac mystica ipsius mactatio, per separationem sanguinis à corpore, vt docent SS. Patres, & Concil. Trident. supra cit. aliique relati distinct. 2. de consecr. præcipuè in can. *Semel*, & can. *In Christo*: sicut de essentia Baptismi est, vt in eius forma fiat expressa Trinitatis inuocatio per hæc verba, vel æquiualentia, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: neque sufficit dicere, *In nomine Trinitatis*. Nam ex verbis institutionis vtriusque sacramenti non minùs id colligitur de Eucharistia, in qua instituenda Christus dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*: Hoc scilicet, quod ipse ante fecerat consecrando panem & vinum: quàm de Baptismo, de quo dixit, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Adde quòd in sacrificio Eucharistiæ debet esse reipsa id, quod fuit in illius typo sacrificio Melchisedech, qui panem, & vinum obtulit. Genes. 14. Christus enim ratione sacrificii Eucharistici dicitur esse specialiter sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Psalm. 109. Atque hinc sequitur, quod iidem affirmant cohærenter philosophando, proprios effectus huius sacrificii ex opere operato non dari vna specie sola consecrata, donec altera consecretur, & sacrificium essentialiter perfectum sit. Quamuis ordo consecrandi priùs corpus quàm sanguinem, non sit essentialis: sed necessarius tantùm ex præcepto, neque possit inuerti sine sacrilegio. Quamuis etiam potuerit Christus, si voluisset, aliud genus sacrificii instituere in vnius solius speciei consecratione: vt in sola conuersione panis in corpus suum, absque passionis suæ repræsentatione, aut eam confusa solùm. Hæc illi.

47. Possitne sub vnica specie sacrificari. Quorum sententia, tametsi probabilitate non caret, incerta tamen est: multique sentiunt contrarium: posse scilicet de facto, non de iure, sacrificium Eucharistiæ fieri per consecrationem vnius speciei, sine altera, mutilum tamen, & imperfectum. Primò, quia probabilius est sacramentum Eucharistiæ secundum præsentem institutionem non posse aliter fieri, quàm sacrificando: ita vt realiter, & inseparabiliter idem sint eius effectio, seu consecratio Eucharistica, & Christi oblatio, seu sacrificatio: quam sententiam communem esse Theologorum testatur Ysambert. quæst. 83. disp. 3. art. 9. Atqui potest validè vna species sine altera consecrari, vt fert etiam communis sententia, & nos alibi probauimus. Ergo potest quoque validè sub vna specie, sine altera sacrificari: illicitè tamen, & sacrilegè, quia mutilatur altera sui parte sacrificium, quod sub vtraque specie institutum, & præceptum fuit. 2. Quia argumenta in fauorem prioris sententiæ allata non conuincunt.

Ad primum enim, sumptum ex repræsentatione sacrificii cruenti, responderi facilè potest expressam illam repræsentationem non magis esse de essentia Eucharistiæ, prout est sacrificium: quàm prout est sacramentum; sed ad vtrumque, partialiter saltem acceptum, & imperfectè, sufficere implicitam. Nam Eucharistia prout sacramentum est, fuit etiam instituta ad mortem Christi repræsentandam, & commemorandam, iuxta illud 1. Corinth. 11. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*. Deinde Christus Luc. 22. immediatè post consecrationem panis pronunciauit, *Hoc facite in meam commemorationem*: & vt refert Apostol. 1. Corinth. 11. bis eandem sententiam protulit: semel post consecrationem panis, verbis modò relatis: & iterum post consecrationem calicis, subiungens, *Hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*. Ergo non modò vtraque species simul consecrata, vel sumpta, est indiuisibiliter commemoratio, & repræsentatio mortis Christi, de cuius commemoratione ibi sermo est, vt fatentur omnes Catholici: sed etiam quælibet seorsim, & diuisim. Ergo sicut ex institutione Christi Eucharistia quatenus est sacramentum, saluatur quoad repræsentationem sufficientem ad consecrationem minus perfectam, in vnica specie, ita vt possit validè sine altera consecrari: sic etiam quatenus sacrificium est, sufficientem habet repræsentationem, licet minùs perfectam in vnica specie; ita vt sub illa possit sine altera sacrificari validè, licet imperfectè & illicitè. Certe quidem ratio differentiæ hac in parte inter sacrificium, & sacramentum Eucharistiæ non potest colligi ex verbis institutionis.

Ad secundum argumentum, seu confirmationem prioris, sumptum ex authoritate Patrum, & Conciliorum, Respondeo nullum affirmare expressam repræsentationem esse indiuisibiliter de essentia sacrificii Eucharistici ita vt sine illa non possit vllo modo sacrificari, & implicita non sufficiat ad qualecunque sacrificium imperfectum, & mutilum. Possunt enim facilè, quæcunque ab illis dicuntur, in hunc sensum explicari, quòd vtriusque speciei consecratio requiratur ad perfectum, & integrum sacrificium, sitque necessarium ex præcepto, & institutione diuina non nisi sub vtraque sacrificare. 48.

Ad tertium desumptum ex comparatione Baptismi, & Eucharistiæ, Respondeo nimis probare: sequeretur enim, quòd sicut Bap-

tismus non potest validè fieri sine expressa inuocatione Trinitatis: ita neque Eucharistia potest validè consecrari sine expressa repræsentatione mortis Christi per vtramque speciem, adeóque non potest validè vna sine altera consecrari: quod est contra doctrinam ipsorummet aduersariorum.

Porrò, sicut modò notauimus, Christus diuisim pronunciauit de specierum consecratione, *Hoc facite in meam commemorationem*. Et quamuis collectiuè tantum de illis id enunciasset: sicut ex illis verbis quomodocunque à Christo prolatis colligitur tantùm consecrationem vtriusque speciei ita esse à Christo institutam, & præceptam, vt non possit vna sine alia licitè consecrari; tametsi potest validè: Ita non plus colligitur vi verborum, quàm non posse licitè sub vna sine alia sacrificari, quamuis possit validè. Christus enim verbis illis non distinxit inter consecrationem, & sacrificationem. Ad quartum Respondeo, sacrificium Melchisedech fuisse repræsentationem sacrificii Eucharistici, quoad suam perfectionem, & integritatem spectari, quam fatemur non posse sine consecratione vtriusque speciei consistere: tametsi potest validè Christus sub vna specie, sine altera consecrari, & offerri: sicut poterat à Melchisedech panis sine vino offerri in sacrificium minus perfectum, minúsque exactè repræsentans Eucharisticum. Cæterum panes Propositionis fuerunt etiam figura sacramenti & sacrificii Eucharistiæ, & agnus Paschalis, & alia quædam, in quibus non fuit vini vsus, neque illius fit mentio. Concludo itaque priorem sententiam nihil habere vltra probabilitatem, quàm illi concedimus, præcipuè propter auctoritatem plurimorum, & grauium Theologorum, quibus magis placet.

49. Superest notare, iuxta vtramque sententiam, consecrationem vtriusque speciei non esse, nisi vnicum sacrificium integrum, & perfectum, constans essentialiter, aut integraliter duabus panis, & vini consecrationibus. Imò etiam quando plures hostiæ, & plures calices consecrantur simul vnica consecratione (quod tamen de calicibus non fit) vnicum est sacrificium: quia & vnico actu externo fit: & est vnica res oblata. Et alioqui multiplex esset, aut maior effectus ex opere operato, si multa essent sacrificia.

Speciesque simul consecrantur, faciunt vnicum sacrificium.

SECTIO V.

Refelluntur qui volunt panem & vinum offerri, aut esse partem rei oblatæ.

Contra primam conclusionem sentiunt aliqui, putantes etiam panem, & vinum offerri, & esse in Missa duo sacrificia particularia, quorum vnum ad alterum ordinatur, vnde vnum moraliter constituunt. Prius est, sacrificium panis, & vini, quod fit per primam oblationem Missæ, vulgò dictam Offertorium. Posterius est, sacrificium corporis, & sanguinis Christi, quod postea fit per consecrationem. Probant ex variis Patrum testimoniis affirmantibus panem, & vinum offerri, & Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, qui panem, & vinum obtulit. Itémque ex verbis sacerdotis in prima illa oblatione panis, & vini prolatis: *Suscipe sancte pater hanc immaculatam hostiam*, &c. *Offerimus tibi Domine calicem salutaris.*

Verum hæc sententia est aliena à sensu Patrum, & Concilii Tridentini, affirmantium vnicum esse in Ecclesia, & singulare sacrificium, cuius hostia non sit alia, quàm ipse Christus. Deinde sacrificium non fit sine reali, & substantiali immutatione rei oblatæ, vt sect. 1. & 2. ostensum est. At in Offertorio non fit realis, & substantialis immutatio panis, & vini, sed solis verbis offeruntur, si tamen offeruntur. 3. Omne sacrificium nouæ legis fuit à Christo institutum, æquè ac omnia sacramenta. At oblatio, vel precatio, quæ fit in Offertorio, non est à Christo instituta, sed ab Ecclesia: vt & aliæ sacrificii Eucharistici præparationes, ac cerimoniæ. Ergo, &c. 50.

Refellitur sententia affirmans panem, & vinum offerri.

Ad fundamentum autem illius sententiæ Respondeo primò, *Offerri* latiùs patere, quàm *Sacrificare*. Quæcunque enim Deo dantur, illi offeruntur: neque propterea sacrificantur. 2. Nomine panis, & vini intelligi sæpe à Patribus corpus, & sanguinem Christi positum, vel ponendum in Eucharistia sub speciebus panis, & vini. De quo etiam loquitur sacerdos cum in Offertorio sic ait: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus offero tibi pro innumerabilibus peccatis*, &c. Panis enim non est illa hostia immaculata pro peccatis expiandis oblata: sed corpus Christi, quod inchoatiuè, & per anticipationem dicitur offerri, quando materia remota disponitur ad sacrificium per cerimoniam illam ab Ecclesia institutam.

Aduersatur etiam primæ nostræ conclusioni Suarez disput. 75. sect. 1. conclus. 5. vbi docet panem, & vinum, quoad substantiam offerri in hoc sacrificio tanquam materiam ex qua sacrificium conficitur: species verò sacramentales ad idem sacrificium pertinere, tanquam partem intrinsecam rei oblatæ, vt affirmat ibidem Suar. conclusione quinta. Ita vt huiusmodi res oblata non sit tantùm Christus nudè sumptus, sed simul cum speciebus, seu quatenus cum ipsis vnum compositum sacramentale constituit. Primum probat iisdem argumentis, quibus modò respondimus. Secundum verò probat ex Concilio Tridentino sessione 22. cap. 1. affirmante Christum instituisse sacramentum visibile, sicut hominum natura exigit. Ex quo Suarez sic argumentatur: De ratione visibilis sacrificii est, vt res quæ offertur sit visibilis. Sed hoc sacramentum est visibile. Ergo res oblata est visibilis. Ergo non est tantùm Christus, vt habens modum essendi sacramentalem inuisibilem, sed vt per 51.

An species simul offerantur cum Christo.

species est hostia aliquo modo visibilis, & à nobis tractabilis. Secundò, Christus instituit & obtulit hoc sacrificium; tanquam summus sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ergo obtulit aliquo modo panem, & vinum, non solùm vt materiam ex qua, sed etiam vt terminum oblationis, id est, vt rem oblatam. Tale enim fuit sacrificium Melchisedech. Tertiò, in can. *Hoc est*, de consecrat. distinct. 2. sic asseritur: *Hoc est quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare: visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine.* Vbi manifestè sacrificium pro re oblata sumitur, & dicitur constare, id est, componi ex speciebus, ac corpore, & sanguine Christi: quod clarissimè liquet ex verbis sequentibus canonis. Quartò, hostia in hoc sacramento oblata cedit in vsum fidelium, tanquam verus cibus, & sacramentum. Sed sacramentum hoc includit intrinsecè species: ergo, & hostia in hoc sacrificio oblata easdem includit. Quintò, consecratio, quatenus est aliquo modo sacramentalis, & sensibilis, non terminatur ad solum Christum secundum se, sed ad compositum ex Christo, & speciebus. Ergo totum hoc est res oblata, vt terminus actionis sacrificandi, quæ consistit in consecratione.

52. Sententia affirmans non sibi cohæret. Respondeo primò, Non bene cohærere duo illa, quæ affirmat Suarez conclus. 5. Panem & vinum offerri etiam, tanquam materiam ex qua sacrificium conficitur, id est, vt explicat paulò post, non quòd sint res oblata, sed quòd sint materia transiens, ex qua fit res oblata. Etenim id omne, quod offertur est res oblata. Ergo si panis & vinum quoad substantiam non sunt res oblata, non offeruntur: implicatque contradictionem aliquid offerri, quod non sit res oblata, & sit tantùm materia, ex qua sacrificium, id est, res oblata conficitur.

Dices; cùm destructio panis & vini sit illorum immutatio facta ad protestandam Dei excellentiam, quomodo, non est sacrificium, aut sacrificii pars? R. quia ex intẽtione Christi non fit, neque offertur Deo ad protestandum per illam, Dei excellentiam: sed vt seruiat consecrationi, & positioni corporis, & sanguinis Christi sub speciebus, corúmque separationi mysticæ.

53. Satisfit illius argumentis. Ad primum autem argumentum Suaris, dico sacrificium à Christo institutum esse visibile, non secundum se intrinsecè, quoad rem quæ offertur præcisè sumptam: sed quoad accidentia, sub quibus necessariò offertur, quæque essentialiter requiruntur ad conuersionem, & consecrationem, vt sub illis corpus Christi constituatur, & demonstretur.

Ad secundum Respondeo, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quia obtulit sub speciebus panis, & vini, id, cuius sacrificium Melchisedech in pane & vino, fuit figura specialissima.

54. Ad tertium, Dico sacros canones ad fidei dogmata explicanda pertinentes, non plus habere authoritatis, quàm authores, ex quibus sunt desumpti, vt ostendimus in tract. de fide. Ille autem canon, *Hoc est*, non est D. August. cui vulgò tribuitur: sed Lantfranci, hoc est, authoris longè inferioris ætate & grauitate, apud quem primùm hæc verba scripta reperiuntur, non tanquam ex Augustino relata, sed ex proprio ipsius sensu pronunciata, vt rectè obseruauit Cardinalis Perronius lib. 2. de Eucharistia, authore 52. in fine. Cum igitur Lantfranci authoritas, non magna sit, postponenda est authoritati S. Chrysostomi, qui paulò post, eadem dist. can. *In Christo*, sumpto ex eius homilia 17. in Epist. ad Hebr. affirmat in cruce, & in Eucharistia *vnam esse hostiam, non multas. Sicut enim quod vbique offertur vnum est corpus, & non multa corpora: ita & vnum sacrificium.* Similique modo loquuntur alii Patres. Et quod grauius est, Trident. sess. 22. cap. 2. sic habet: *Vna enim, eadémque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Quæ omnino falsa essent, si species consecratæ essent pars hostiæ, & pars sacrificii sumpti pro re oblata.

Neque enim satisfacit quod respondet Suar. sect. cit. ad 1. Sicut, inquit, indiuiduum substantiale idem est, quamuis diuersis temporibus sit affectum diuersis accidentibus: ita in præsenti res oblata in vtroque sacrificio, cruento, & incruento, eadem simpliciter est, quia substantialiter est eadem. Quod autem in hoc sacrificio sit nouis accidentibus coniuncta, non tollit vnitatem simpliciter rei oblatæ, sed indicat diuersum offerendi modum. Non inquam satisfacit: quia licet indiuiduum substantiale idem sit sub diuersis accidentibus; non est tamen idem compositum ex indiuiduo substantiali (id est, ex substantia indiuidui) & ex diuersis accidentibus. Compositum enim est diuersum, quando aliqua eius pars est diuersa. Et si compositum totum est res oblata, & sacrificium, siue hostia: non est eadem res oblata, neque vnum & idem sacrificium, vnaque, & eadem hostia. Atqui secundum Suarem, non Christus solùm, sed species quoq; sunt res oblata: & totum compositum ex illis duobus, Christo & speciebus, est hostia, & sacrificium Deo oblatum in Eucharistia. Ergo non est eadem res oblata, neque vnum & idem sacrificium, vna eadémque hostia, in cruce & in Eucharistia. Omitto dicere, non esse conueniens species venire in consortium tanti sacrificii, tanquam partem rei oblatæ. Porro, quia non tantùm Deo offertur id solum, quod ponitur vi verborum, sed etiam reliqua substantia Christi, posita per concomitantiam: ideo Tridentinum, & Patres supra citati asserunt eandem hostiam, totum nempe Christum, offerri in Eucharistia (vt reipsa fit, & semper est factum) qui fuit oblatus in cruce: quod diligenter notandum est. Refutatur euasio.

la actionum prædictarum fuit à Christo facta, præter consumptionem. Neque enim panem consecratum posuit super altare, sed statim porrexit discipulis, nec eleuauit, nec illa oratione vsus est, nec panem consecratum fregit in tres partes, sed antequam consecraret, fregit in tot, quot erant communicaturi. At sacerdotes sacrificant eâdem, id est, simili actione illi, quâ Christus Eucharistiam consecrauit, & incruentè sacrificauit. Tertiò, speciatim oratio illa sacerdotis, *Offerimus tibi*, &c. non modò non fuit à Christo prolata, & instituta, sed neque est immutatio realis, & substantialis rei oblatæ; vt neque eleuatio, & positio super altare: neque magis sacrificium esse potest, quàm si quis olim post agnum immolatum dixisset Deo, Offero tibi hunc agnum. Quartò, ad primum argumentum Respondeo negando antecedens, intellectum de re oblata, facta per productionem, quæ simul est destructio sacrificatiua, quatenus res ponitur mortuo quodam modo inepto vsibus suis naturalibus, & ordinato ad consumptionem, aut destructionem. Ad secundum Respondeo sacrificium ibi sumi pro re oblata pridie sacrificatata. Ad tertium: Sacrificium dicitur consummari per consumptionem sacerdotis eo sensu, quo Matrimonium ratum dicitur consummari per vsum, seu copulam, ante quam tamen essentialiter perfectum est, mutuo coniugum consensu exteriùs expresso. Dicuntur enim interdum res consummari, quando finem suum assequuntur, quamuis essentialiter sint perfectæ ante finis assequutionem, vel vsum, ad quem destinantur.

Refutantur argumenta contraria.

62\. Ad canonem verò *Relatum* respondeo primò, Ibidem verbis immediatè sequentibus distingui apertè sacrificium, siue immolationem, à sumptione, cùm dicitur: *Ergo modis omnibus tenendum est, vt quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi participem se præbeat.* Vbi nisi participationem ab immolatione planè distingueret, sensus esset, vt sacerdos immolet, quoties immolat: qui sensus est ridiculus, & ineptus. Respondeo 2. Canonem illum tantùm asserere, sacrificium illud non fore, quale debet esse legitimè, id est, licitum, & legitimum, ac secundum Christi institutionem, vel Ecclesiæ ordinationem celebratum: quia vel Christus ipse, vel saltem Ecclesia, statuit, vt saltem à sacerdote consecrâte nomine populi sumeretur, cùm sit simul sacrificium, & sacramentum institutum vt cedat in vsum, & esum fidelium: sicut multa sacrificia legis Mosaicæ cedebant in esum sacerdotum, aut etiam laicorum, qui tamen propterea non sacrificabant edendo, vt fecissent, si esus victimarum fuisset actio sacrificandi totaliter, aut partialiter. Indéq; nouum sumitur argumentum contra aduersarios: quia si esus Eucharistiæ esset actio sacrificandi: sacrificarent laici communicando, & sacerdotes communicando laicè, vt sæpe multi faciunt: quod est absurdum, & inauditum.

Ad 5. Respondeo, In consecratione Eucharistica esse destructionem moralem, sufficientem ad verum sacrificium & maiorem, quàm reperiretur in libationibus vini, olei, aliorumque liquorum, qui olim sacrificabantur: quatenus Christus vi verborum ponitur sub speciebus panis, & vini, modo indiuisibili, inepto ad vsus humanos corporis, & sanguinis humani, & destinato, ac tendente ad consumptionem, & destructionem realem eiusdem, seu desitionem prout est in Eucharistia. Ibi enim est per modum cibi & potus, qui ad vsum ordinatur. In quo vsu, consumptis speciebus, desinent corpus, & sanguis Christi esse sub illis, per cessationem actionis illius productiuæ, seu conseruatiuæ, per quam fuerant sub speciebus posita. 63.

In consecratione Euchar. est destructio moralis.

Ad 5. Respondeo, Tridentinum distinguere oblationem à consecratione, non vt rem, sed vt ratione diuersam: quatenus conceptus consecrationis plus dicit, quàm conceptus simplicis oblationis: licet in Eucharistia in idem re coincidant, eadémque actio, quæ est oblatio corporis, & sanguinis Christi, fit etiã consecratio, & Christi immolatio nõ tantùm mystica & repræsentatiua, quatenus corpus, & sanguis separatim significata expressè sub speciebus panis & vini, significant realem separationem factam in cruce: sed etiam vera & realis, quatenus Christus per illam destruitur moraliter, & ponitur mortuo quodam modo sub speciebus. 64.

Oblatio & cõsecratio quomodo differant.

Instabis quia, *Manducare panem in nouo testamento est sacrificium Christianorum*, vt ait S. August. lib. 17. de Ciuit. c. 5. in fine. Deinde Concil. Constant. VI. celebratum in Trullo, can. 52. statuit vt in omnibus S. Quadragesimæ ieiunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum sacrificium. Ergo sacrificium potest fieri sine consecratione. Nã tunc non consecrabatur, sed fiebat, sicut nunc fit feria sexta maioris hebdomadæ. Communicare enim ex præsanctificatis, est communicare ex pridie aut antea consecratis: sicut sacerdos in die parasceues communicat ex hostia consecrata die Iouis præcedẽti. 3. S. Tho. q. 83. a. 2. ad 2. ait, quamuis eo die maioris hebdomadæ non consecretur: sumi tamen à sacerdote corpus Christi pridie consecratum, ne Ecclesia eo die careat fructu passionis. Ergo censet D. Thom. sumptionem illam fieri per modum sacrificii. Nam sumptio merè sacramentalis solùm prodest sumenti. 4. Si hoc sacrificium consisteret in sola consecratione: frustra eius fructus applicaretur aliquibus à sacerdote post consecrationem. Nam eius fructus, & vis non potest suspendi à sacerdote. Atqui ex præscripto Ecclesiæ applicatur defunctis post consecrationem. 65.

Sitne consumptio actio sacrificandi?

Quintò, si sumptio non est de essentia sacrificii, non potest reddi ratio tam strictæ obligationis sacerdotis ad illud consumendum: ita vt necesse illi sit, si species consecratæ vini effundantur, consecrare iterum calicem, &

consumere. Aut si hostia post consecrationem auferatur, aut appareat venenata, debeat aliam consecrare, vt eam consumat: neque sufficiat aliam de pixide sumere, vel ab alio sacerdote alibi consecrante, sed debeat sacrificium à se oblatum consumere; vt præscribitur in Rubricis Missalis.

66. Ad primum Respondeo, S. August. verbis citatis alludere ad illud 1. Reg. 2. vers. vlt. *Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellam panis*: vel vt ipse vertit: *Iacta me in vnam partem sacerdotii tui manducare panem*: nihilque aliud velle, quàm id, quod ibi propheticè prædictum est, debere intelligi de manducatione sacrificii Christianorum, quod sacrificium est panis mysticus, id est, Christus ipse sub specie panis, vt ibidem probat August. ex Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Sed non ait neque intendit actionem sacrificandi consistere in ipsa manducatione, vt aduersarii contendunt.

67. *Sacrificium ex Præsanctificatis.* Ad secundum Respondeo cum Theodoro Balsamone in canonem illum 52. Synodi Trullanæ, *Sacrificium præsanctificatorum esse oblationem sacrificii iam peracti, & perfecti*, diebus scilicet præcedentibus, quibus licebat sacrificare, id est, consecrare. *Ieiuniorum autem dies sunt dies luctus, & compunctionis in expiationem peccatorum. Et quia Deo sacrificium offerre, est festum diem agere: statuerunt Patres* in prædicta Synodo, *non fieri nouam consecrationem tota Quadragesima, nisi Sabbato, & Dominica, &c. Quod nunc obseruatur apud Latinos in die Parasceues.* Huc vsque Balsamon: qui manifestè pro eodem sumit consecrationem, & sacrificium Eucharisticum: seu consecrare, & sacrificare: in eumque sensum Synodi verba intelligit, cùm ait Patres statuisse, ne fieret noua consecratio diebus illis luctus, & pœnitentiæ, quibus noluerunt sacrificium nouum offerri. Quare quod dicitur verbis in obiectione relatis, statutum fuisse vt sacrificium fieret illis diebus Quadragesimæ ex præsanctificatis, id est, ex præconsecratis, potest, ac debet intelligi de sacrificio, quoad cerimonialia dumtaxat, id est, de officio diuino, quod illis diebus Quadragesimæ fiebat, simile illi, quod fit in Missæ sacrificio, exceptis iis, quæ pertinent ad consecrationem. Sicut nunc etiam fit in die Parasceues, quo tamen die non sacrificatur; quia, vt rectè ait Hugo de S. Vict. lib. 5. ex secundo Codice Miscellaneorum cap. 43. *Non sacrificamus, dum nobis hostia de manibus tollitur. Non sacrificant amici, dum trucidant inimici.* Eodémque die prohibitum esse sacerdotibus Missam celebrare patet ex cap. *Sabbato, de Consecr. dist.* 3. sumpto ex Innoc. I. epist. 1. c. 4. Idémque docent Rupertus lib. 6. de diui. Offic. c. 3. & Alcuin. lib. de diu. Offic. in die Parasceues.

Ad tertium Respondeo, D. Thom. intelligere Ecclesiam eo die non carere fructu Passionis, quatenus sacerdos, tanquam persona publica nomine ipsius communicat, & pro ipsa tota orat, eóq; refert ipsam communionem, vt toti Ecclesiæ prosit. Sicut autem sacerdos, quando orat vt sacerdos recitando preces Canonicas, id est, tanquam publica persona, ad hoc constituta nomine totius Ecclesiæ, vt illi prosit; non propterea tunc sacrificat; ita nec quando communicat in die Parasceues tanquam sacerdos ad hoc à tota Ecclesia deputatus, vt ipsi prosit, & per eum quodammodo moraliter tota communicet. 68.

Ad quartum Respondeo, Applicationem sacrificii totam antea fieri, distinctè vel confusè, in primo *Memento*, vt vocant, atque ita fieri debere, vel aliàs ante consecrationem. Quod verò fit in secundo post consecrationem, esse tantùm maiorem expressionem, aut simplicem orationem sacerdotalem pro defunctis.

Ad quintum, dico obligationem illam esse quidem strictissimam, & quantam bene probat obiectio; quod non satis aduertit Henriquez lib. 9. de Sacr. c. 9. n. 2. aiens sacerdotem posse licitè nihil sumere de hostia, quam consecrauit, modò sumat aliam de pixide, vel aliunde à quouis alio consecratam. Quod omnino improbabile est, & contrarium rubricis citatis: quæ, si ita esset, malè præscriberent aliam consecrari simpliciter, & absolutè: deberent enim addere, si aliunde commodè haberi non possit. Nam sacrilegum est bis consecrare in eadem Missa, nisi id ad sacrificium peragendum, & consummandum, necessarium sit. Est item contrarium canoni *Relatum*, de cons. dist. 2. sumpto ex Concil. Tolet. XII. can. 5. præcipienti vt sacerdos consumat sacrificium quod consecrauit. *Quale enim, inquit, erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Verùm hæc obligatio, quamuis adeo stricta, non oritur ex eo quòd sumptio sacerdotalis sit de essentia, vel integritate substantiali sacrificii: sed quia grauis & stricta Christi, aut Ecclesiæ saltem, voluntas est, vt in omni casu possibili sumat idem qui consecrat. Sicut voluit Christus & statuit in nullo casu violari sigillum confessionis sacramentalis. Vel vt ait Aegid. Coninc quæst. 83. art. 1. dub. 5. n. 95. hæc obligatio naturaliter sequitur ipsam institutionem sacrificii Eucharistici, non quidem prout habet rationem sacrificii, sed quatenus est confectio sacramenti, & spiritualis conuiuii præparatio, cuius ille ipse, qui hoc præparauit, necessariò debet esse particeps: ne cibum, quem aliis in persona Christi præparat, ipse fastidiosus reiicere videatur, quod magnam indecentiam per se inuoluit, & contra Christi voluntatem est. 69. *Sacerdos tenetur consumere hostiam à se consecratam.*

DISPVTATIO TRIGESIMA-NONA,

De virtute, & effectibus ſacrificii Euchariſtiæ.

VÆSTIONEM propoſitam breuiter tantùm attingit D. Thom. quæſt. 83. artic. 1. Vbi affirmat nos per hoc ſacrificium fieri participes fructus Dominicæ paſſionis: quia vt dicit Eccleſia in quadam oratione Miſſæ: *Quoties huius hoſtiæ* (cruentè oblatæ in cruce) *commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur.* Quàm autem latè pateat virtus, & efficacia huius ſacrificii exponit alibi lectione 6. in cap. 6. Ioan. vbi dicit ad ea omnia valere ſacrificium altaris, ad quæ valuit victima Crucis. Quia, inquit, cùm hoc ſacramentum contineat in ſe Chriſtum paſſum: quidquid eſt effectus Dominicæ paſſionis, eſt etiam effectus huius ſacramenti: quæ ratio æquè concludit de Euchariſtia prout eſt ſacrificium. Et inferiùs addit: alia ſacramenta habere ſingulares effectus: ſed in immolatione huius ſacramenti effectum eſſe vniuerſalem pro tota Eccleſia, pro viuis, & defunctis: quia continetur in ipſo cauſa vniuerſalis omnium ſacramentorum, qui eſt Chriſtus. Hæc D. Thom. quæ vt diſtinctiùs explicentur, dicendum eſt quænam, & quanta ſit virtus huius ſacrificii, ſiue ad quos, & quantos effectus valeat, quibuſue poſſit prodeſſe, & quomodo diſpoſitis.

SECTIO I.

Quinam ſint effectus huius ſacrificii?

1. *Hoc ſacrificium eſt propitiatorium.* ERSONDEO ſacrificium Euchariſtiæ valere tum ad peccatorum remiſſionem, & pœnarum relaxationem; vnde eſt verè ſacrificium propitiatorium: tum ad varia beneficia ſpiritualia, & temporalia impetranda; vnde eſt etiam ſacrificium pacificum, ſiue impetratorium. Prima reſponſi pars, quòd ſit propitiatorium, probatur primò ex Scriptura Luc. 22. verſ. 20. Nam, vt ſonant verba græca, Chriſtus ibi dixit calicem ſanguinis ſui effundi pro Apoſtolis, & pro multis in remiſſionem peccatorum, vt addit Matth. cap. 26. verſ. 28. Neque poſſunt Lucæ verba de cruenta effuſione intelligi: quia calix in cruce non fuit effuſus. Nihil autem obeſt, quòd Vulgatus Interpretes Lucam verterit per futurum, *Fundetur*, non per præſens, *Funditur*. Vtrumque enim de incruento ſacrificio verum eſt, in quo calix ſanguinis non modò fuit tunc effuſus: ſed etiam deinceps pro Apoſtolis aliquandiu, & pro aliis fundendus erat vſque ad mundi conſummationem. Confirmatur ex Apoſtolo Hebr. 5. vbi docet omnis Pontificis, ſeu ſacerdotis, munus eſſe offerre Deo ſacrificium pro peccato.

Itaque nunc etiam sacerdotum Euangelicorum hoc officium est ac proinde sacrificium Eucharisticum, quod vnicum offerre possunt, est sacrificium propitiatorium pro peccato.

2. Hanc etiam fuisse fidem Ecclesiæ ab Apostolis huc vsque, patet ex antiquissimis liturgiis, & primorum Ecclesiæ Patrum testimoniis. Nam in liturgia D. Iacobi minoris, dicitur, *Offerimus tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis.* Cyprian. verò serm. de Cœna, ait Eucharistiam esse holocaustum ad purgandas iniquitates. Similia habent Iustinus in Dial. cum Triphone, Basil. in liturgia, fere initio, Euseb. lib. 4. de vita Constantini cap. 45. Ambros. lib. 1. Officiorum cap. 48. August. quæst. 57. in Leuit. & lib. 1. de anima & eius origine ad Renatum cap. 11. Cyrill. Catech. 5. Mystag. & alii, de quibus vide Bellarmin. lib. 2. de Missa cap. 2. & Perron. in Replica, pag. 922. Idémque tradit Concil. Bracc. 3. can. 1. Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3. Adde denique hoc sacrificium perfectissimum esse: & vt docet Trident. sess. cit. cap. 1. esse illam oblationem, quæ per varias sacrificiorum naturæ, & legis tempore similitudines figurabatur: vtpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur. Vnde confirmata manet secunda pars responsi. Nam in lege naturæ, & in lege Mosaica fuerunt sacrificia non modò propitiatoria, sed & pacifica, siue impetratoria, vt ex Genesi, & Leuit. notum est. Ergo sacrificium Eucharistiæ, perfectionem illorum eminenter complectens, valere debet non solùm ad Deum placandum pro peccatis & propitium reddendum: verùm etiam ad bona spiritalia & temporalia ab ipso impetranda. Ac sicut sacrificium crucis non obstitit quo minus in vtraque illa lege Naturæ, & Mosis, fuerint alia sacrificia, ad Deum placandum, & ad impetrandum: ita non impedit quin sacrificium Eucharistiæ sit propitiatorium, & impetratorium.

3. Notandum tamen primò, Hoc sacrificium diuersimodè valere ad effectus supradictos. Nam ad remissionem aliquam pœnæ valet infallibiliter (modò illi, pro quibus offertur in hunc finem, sint in statu gratiæ, culpæque illius, cuius pœna relaxatur, remissionem obtinuerint) vt D. Thomas art. 5. quæst. 79. & alii communiter docent. Non tamen semper totam pœnam remittit, sed pro mensura à Deo constituta, alioqui non deberet sæpius pro iisdem viuis, aut defunctis, & pro iisdem peccatis in hunc finem offerri, quod est contra vsum Ecclesiæ. Quòd tamen valeat ad aliquam pœnæ remissionem infallibiliter, valde conueniens est. Nam ad pœnæ remissionem homini iusto faciendam, satis est offerri Deo munus aliquod gratum, quod acceptetur, vt pœnam debitam eius intuitu remittat. Si autem propter sacrificium taurorum, & arietum, iunctum precibus Iob, Deus pœnam remisit Eliphas Themanitæ,

Valet infallibiliter ad remissionem pœnæ.

& eius sociis, Iob 42. vers. 8. quantò credibilius est, Deum hoc sacrificium acceptare infallibiliter ad similem effectum? Adde ex Trident. sess. 25. *initio decreti de purgatorio*, animas in purgatorio detentas, fidelium suffragiis, potissimè verò acceptabili altaris sacrificio, iuuari. Ergo vel nullum est suffragium, siue indulgentiarum, siue aliud, quo iuuentur infallibiliter; vel sacrificium Eucharistiæ iuuat eas infallibiliter, ad pœnas scilicet remittendas. Alioqui enim non iuuaret omni modo *potissimè*, nisi certiùs, & efficaciùs iuuaret. Denique cùm in lege Mosaica essent aliqua sacrificia, quæ expiarent infallibiliter ab immunditia legali, & hoc sacrificium contineat perfectionem omnium sacrificiorum legis Mosaicæ, ex Trident. sess. 22. cap. 1. in fine: debet habere vim expiandi infallibiliter à peccato, saltem quoad pœnam, in iis, in quibus non est obex. Non est tamen fide diuina certum, hunc effectum sacrificii Eucharistici esse infallibilem: cùm neque ea, quæ diximus, neque alia, quæ adduntur ab aliis, sint plusquam probabilia, aut moraliter certa.

Ad remissionem autem peccatorum quoad culpam valet tantum mediatè, & non infallibiliter. Quo sensu intellige Trident. sess. 22. cap. 2. sic dicens, *Huius quippe sacrificii oblatione placatus Dominus gratiam* (excitantem) *& donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Neque enim sacrificium Eucharistiæ remittit immediatè peccata mortalia, vel venialia eorum, pro quibus offertur, vt faciunt sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ: sed tantùm mediatè, & remotè, impetrando à Deo gratiam præuenientem, quâ peccatores excitentur efficaciter ad contritionem, aut attritionem cum sacramento, quorum vi immediatè remissio peccatorum obtineatur, vt communiter docent Theologi. 4.

Ad remissionem culpæ valet tantum mediatè & non infallibiliter.

Similique modo valet mediatè ad impetrandam gratiam sanctificantem, & habitus fidei, spei, & charitatis supernaturalis: immediatè verò ad gratias præuenientes, quibus ad eos habitus disponamur, sed non infallibiliter, saltem ad efficaces. Valet item ad alia spiritalia, & temporalia bona impetranda, vt patet ex vsu Ecclesiæ, quæ in eius celebratione petit à Deo non modò remissionem peccatorum, vel gratiam & habitus supernaturales: sed & alia bona spiritalia, & temporalia, iuxta communem, & priuatam cuiusque necessitatem. Non esse tamen infallibiles hos effectus satis docet experientia. Nec huius infallibilitatis vllum est fundamentum certum. Licet enim res oblata sit infinita, & absolutè posset infallibiliter conferre omnia suprà dicta: tamen non confert de facto, quia Deus non sic instituit. Sacrificium autem istud non operatur, nisi secundum Dei institutionem, qui non instituit ad id omne, ad quod poterat institui pro sua dignitate & sufficientia in actu primo. Probabile tamen est, quod ait Mærat. disput. 37. 5.

Quomodo valeat ad impetrandam gratiam sanctificantem, & auxilia, tem, aliaque bona.

sect. 10. hoc sacrificium valere infallibiliter ad hoc vt Deus iis, pro quibus offertur in remissionem peccatorum, det aliquam gratiam præuenientem, si eius sint capaces, cui si cooperentur, remissionem peccatorum obtineãt. Imò etiam valde probabile est, & conueniens dignitati huius sacrificii in persona ipsius Christi oblati, atque ab ipsomet principaliter, semper aliquem effectum vi illius tribui iis, pro quibus offertur non ponentibus obicem: licet non semper tribuatur is, quem determinatè postulat offerens.

6. Nota secundò, Vtrumque modũm tam infallibiliter, quàm non infallibiliter operandi dici posse ex opere operato, si per opus operatum intelligamus tantùm id, quod fit habita ratione operis, & non ex merito operantis. Communior tamen loquendi modus est, vt prior tantùm, & infallibilis, dicatur esse ex opere operato: ita vt fieri ex opere operato non tantùm dicat negationem operis operantis, sed & defectibilitatis: ac sit idem, quod fieri eo ipso, quòd tale opus operatur passiuè loquendo, id est, ponitur, & exercetur. Quo sensu sacrificium Eucharistiæ ex opere operato remittit quidem pœnam, sed non peccatum, nec mortale, nec veniale, neque gratiam confert seu primam, seu secundam, nisi forte præuenientem ad remissionem peccatorum, & alia, quæ probabiliter diximus conferri vi illius infallibiliter.

Operetur ne ex ope re operato.

7. Vnus è Recentioribus disp. 19. de Eucharistia num. 140. & sequentibus docet sacrificium Eucharistiæ vltra vim impetrandi gratias præuenientes & auxilia efficacia, quibus adiuti conteramur, & obtineamus remissionem peccatorum: habere vim placandi Deum distinctam à virtute impetrandi, & propter illam dici propriè sacrificium propitiatorium, distinctum à pacifico, siue impetratorio. Aliud enim est, inquit, mouere Deum, vt concedat bona: aliud verò, placare illum ne inferat mala. Prius pertinet ad sacrificium Eucharistiæ, vt est impetratorium. Secundum ad idem vt est propitiatorium. Vnde Trident. sess. 22. cap. 2. loquens de hoc sacrificio vt propitiatorio, sic ait: *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata ingentia dimittit.* Placat autem Deum, mouendo eius clementiam ne irascatur; & tollendo obicem indignationis, qui obstabat ne concederentur auxilia ad contritionem, & remissionem peccatorum. Hanc vim inesse sacrificio Eucharistiæ probat primò, quia vis sola impetrandi non satis explicat virtutem, quàm SS. Patres in hoc sacrificio agnoscunt. Secundò, quia ex Trident. sess. 22. cap. 1. in fine, debemus in hoc sacrificio agnoscere in gradu excellenti ea omnia, quæ in veteris legis sacrificiis dispersa erant. Quare cùm in lege veteri alia essent sacrificia ad impetrandum, alia ad gratiarum actionem, alia ad expiandum, & purgandum peccatum: debemus fateri hoc sacrificium non esse solùm hostiam laudis, aut pacificam, & impetratoriam: sed etiam propitiatoriam *pro peccatis*: quo nomine fatentur omnes recentiores Theologi non solùm intelligi pœnas, sed etiam culpas, quæ propriè dicuntur peccata. Et Trident. sess. 22. can. 3. distinctè ait hoc sacrificium esse propitiatorium; & pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere. Hæc ille eruditus & subtilis Theologus.

Differat ne virtus huius sacrificii ad Deũ placãdum, à virtute impetrandi auxilia ad contritionem.

Ad quæ Respondeo primò, Vim quidem impetrandi, generaliter sumptam in ordine ad quidlibet impetrabile, latiùs patere, quàm speciatim vim impetrandi auxilia, quibus à peccato resurgamus: atque ita differre vt generalius à particulari: verumtamen vim impetrandi auxilia ad resurgendum à peccato, esse formaliter vim aliquam placandi Deum eo modo, & sensu quo explicat auctor citatus; adeóque hæc tanquam diuersa non debuisse ab illo distingui. Quod probo, quia ex peccato actuali hæc tria sequuntur apud Deum: indignatio, & auersio peccatoris ob peccatum commissum: destinatio ad æternam pœnam, & interdum ad aliquas etiam temporales huius vitæ: & denegatio auxiliorum ad resurgendum, quamdiu Deus vult attendere ad peccatoris indignitatem, qui per peccatum actuale se illis reddidit indignum. Primum non tollitur immediatè per sacrificium Eucharistiæ, vt fatetur idem auctor: quia hoc sacrificium non remittit immediatè peccatum mortale, de quo loquimur. Quare sacrificium Eucharistiæ non habet vim placandi immediatè eo modo. Secundum quoque, id est, reatus pœnæ æternæ, integrum manet, quamdiu primum non tollitur, id est, quamdiu non remittitur culpa. Quare nec illud tollitur immediatè per sacrificium Eucharistiæ, nec Deum placat immediatè hoc secundo modo. Superest ergo vt placet vel auertendo pœnam aliquam temporalem, alioquin euenturam ob peccatum: vel efficiendo vt Deus non desinat propter indignitatem peccatoris dare illi auxilia, quibus resurgat à peccato: de quo postremo membro loquitur prædictus auctor. At hoc ipsum formaliter facit impetrando auxilia quibus peccator resurgat à peccato. Ergo hoc ipso, quod impetrat, placat formaliter eo genere placationis. Ergo hæc non sunt duo effectus sacrificii prouenientes à diuersis eius virtutibus. Confirmatur, quia si quis per suam orationem, vel per sacrificium, impetraret immediatè remissionem peccati: placaret hoc ipso ab auersione immediatè: neque aliud tunc esset placatio, aliud impetratio. Ergo similiter sacrificium Eucharistiæ hoc ipso quòd impetrat auxilia ad resurgendum à peccato placat formaliter eo genere placationis quod consistit formaliter in eo, vt Deus, propter indignationem, & indignitatem peccatoris non deneget auxilia ad resurgendum à peccato. 8.

Secundo, Ad argumenta illius authoris Respondeo negando, id quod dicimus, cum 9.

communi sententia, non sufficere explicandis Patrum authoritatibus, quatenus loquuntur de virtute huius sacrificii incruenti. Quod addo, quia loquuntur sæpissime de virtute sanguinis Christi, prout in cruento sacrificio effusi. Tridentinum verò nobis non contradicit. Nam priori loco, id est, cap. 2. sess. 22. cùm ait, *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens*: per illa verba, *gratiam*, (præuenientem scilicet) *& donum pœnitentiæ concedens*, explicat tantùm in quo consistat formaliter illa placatio: seu quid sit Dominum esse placatum, eo modo, quo placatur immediatè vi huius sacrificii Posteriori, id est, cap. 1. in fine ait bona omnia per sacrificia veteris legis significata, hoc vno contineri, velut illorum omnium consummatione, & perfectione. Quod verissimum est: fatemurque illud vnum habere omnes perfectiones antiquorum, quæ valebant ad impetrandum, ad gratias agendum, & ad expiandum & purgandum peccatum, etiam quoad reatum culpæ. Sed negamus vim impetrandi auxilia ad contritionem, & vim expiandi reatum culpæ, eo modo, quo expiatur per hoc sacrificium, esse distinctas: atque hoc sacramentum aliter à culpa expiare vi sua, quàm impetrando auxilia. A pœna verò expiat alio modo, quàm impetrando, vt supra dictum est; nemper per modum satisfactionis.

SECTIO II.

Quanta sit virtus huius sacrificii?

10. SVperest quærere vtrum hoc sacrificium oblatum pro pluribus, æquè singulis prosit? Respondeo affirmatiuè de iis, pro quibus offertur publica, & generali intentione: secus autem quibus intentione priuata sacerdotis.

Intentio sacerdotis in sacrificando est duplex: generalis, & priuata.

Hoc responsum supponit vltra publicam, & generalem intentionem sæpius in canone Missæ expressam, quâ sacerdos vt Ecclesiæ legatus offert sacrificium pro se, aliisque omnibus quomodocunque offerentibus, proque ipsa vniuersa Ecclesia: secundum quam intentionem sacrificium illis omnibus prodest: eòque magis, quò magis ipsi sacrificio cooperantur aliquo modo: plus enim prodest, celebrantibus v.g. quàm audientibus; & plus audientibus, quàm absentibus, & plus actualiter, quàm habitualiter tantùm consentientibus: Vltra inquam hanc publicam intentionem, posse sacerdotem priuata intentione, & nomine proprio, offerre sacrificium pro aliquo, aut aliquibus, quibus prosit specialiter, quatenus secundum Christi institutionem valor quidam peculiaris, & fructus sacrificii respondet huic intentioni. Quod satis patet ex vsu, & sensu Ecclesiæ. Alioqui enim frustra sacerdotes sacrificium alicui peculiariter applicarent. Frustra sacrificia indicerentur specialiter pro aliquibus viuis, aut defunctis. Frustra in eundem finem stipendia darentur, vel redditus annui constituerentur. Et quidem fructus ex speciali intentione proueniens, multò maior censetur esse. Nam ex generali, & publica intentione parum in singulos redundat. Alioquin ob tantam Missarum multitudinem faciliùs & citiùs euolarent animæ è purgatorio, quàm credat Ecclesia; multóque plus emolumenti à viuis perciperetur. Fauet etiam Concilium Constantiense sess. 8. vbi damnatur VVicleffi propositio 19. sic affirmans: *Speciales orationes applicatæ vni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quàm generales, cæteris paribus.* Ratio verò est, quia cùm sacrificium fiat ab ipso sacerdote, tanquam proprio Ministro: meritò Christus voluit effectum sacrificii pendere maximè ab eius intentione: ita vt magis operetur in eo, cui ipse magis applicauerit.

Hoc supposito, prima responsi pars, quòd scilicet sacrificium Eucharistiæ æquè prosit singulis, siue pro pluribus, siue pro paucioribus offeratur, quoad fructum, qui prouenit ex publica & generali intentione, probatur, quia, quando plures simul consecrant eandem hostiam, vt fit à nouis sacerdotibus cum Episcopo consecrantibus, quando initiantur: sacrificium illud vi generalis intentionis, quâ offertur pro omnibus immediatè & per se offerentibus, singulis æquè prodest, atque si ab vno solo offerretur, vt communiter docent Theologi. Et quidem cùm sacrificent omnes, & singuli, totaliter & independenter alii ab aliis; conueniens est vt sacrificium non minùs illis prosit, quàm si soli, aut si diuersas species consecrarent. Actiones enim consecrandi, siue sacrificandi, æquè multiplicantur: & Christus, qui offertur, idem est sub omnibus speciebus. Secundò, quando plures ad idem sacrum audiendum conueniunt: non minus fructus sacrificii ex opere operato singuli accipiunt, quàm si alii non adessent. Alioqui deberent fideles ea vitare sacra, ad quæ plures conueniunt, quia tunc minus fructus perciperent. Tertiò, licet plures in Ecclesia iusti euadant, & aptiores ad sacrificii fructus vberiùs recipiendos: licet item Ecclesia magis, magisque dilatetur, ac proinde sacrificium pro pluribus offeratur ex publica intentione, quâ offertur pro tota Ecclesia: non propterea minus singulis prodest. Alioquin fidelibus obesset, quòd plures in ea iusti fierent, aut quòd Ecclesia magis dilataretur: quia tunc minus opis ex sacrificio haberent: quod inconueniens & absurdum reputatur, alienumque à Christi institutione: quamuis ille defectus compensari posset ex maiori multitudine sacrificiorum, & sacerdotum, in maiori iustorum, & fidelium multitudine. 11.

Sacrificiũ Euch. æquè prodest pluribus quoad generalem intentionem.

Hinc collige valorem huius sacrificii esse extensiuè infinitum, quatenus valet simul ad plures, & plures effectus in infinitum. Potest enim secundum Dei institutionem pro- 12.

Valor huius sacrificii est infinitus extensiuè.

desse simul, & æqualiter omnibus fidelibus viuis, & defunctis, qui plures, & plures in infinitum esse possent, & æquè illis prodesset, quamuis semper magis, ac magis multiplicarentur. Quod arguit valorem infinitum extensiuè in tali sacrificio. Illa enim vis est infinita extensiuè, quæ potest simul plures, & plures effectus in infinitum. Alioquin, si finita esset, haberet de se aliquem terminum, vltra quem non posset progredi. Atque ita non posset supra quemcunque terminum, seu numerum finitum, id est, plures, & plures effectus in infinitum. Notandum enim ex effectu syncategorematicè infinito bene colligi actualem, & categorematicam potentiæ infinitudinem: quippe quæ actu tota simul est: & si finita esset, haberet terminum, vltra quem non posset progredi. Quare non posset maiorem, & maiorem effectum in infinitum, aut plures, & plures in infinitum, ita vt dato quocunque finito in intensione, aut extensione, possit adhuc maiorem. Atque idcirco Dei omnipotentia est categorematicè infinita, etiam in eorum opinione, qui negant Deum posse producere vllum infinitum categorematicè.

13. Non tamen puto hoc sacrificium habere pariter valorem intensiuè infinitum, id est, valere moraliter per se & immediatè ex opere operato ad aliquem effectum perfectionis infinitæ, vel maiorem, & maiorem supra quemcumque finitum, ad quem concurrat moraliter immediatè, id est, per se immediatè mouendo Deum ad illum effectum ponendum: verbi gratiâ ad gratias præuenientes maiores concessis B. Virgini. Non enim apparet Deum ad hoc instituisse hoc sacrificium. Valor autem huius sacrificii ex opere operato, est ex Dei institutione, & non ex sola dignitate sacrificii, quod non fuit institutum ad id omne, ad quod poterat institui. Adde homines non esse capaces vllius effectus infinitè intensi, cùm sint finitæ capacitatis obedientialis. Neque est verum, quod aliqui dicunt, sacrificium Eucharistiæ habere vim intensiuè infinitam, quatenus potest maiorem & maiorem effectum causare in meliùs ac meliùs disposito; ita vt si dispositio cresceret in infinitum ex parte subiecti, cresceret etiam effectus ex parte sacrificii: sacrificium enim, quemadmodum & sacramenta, operatur meliùs cum meliori dispositione, vt D. Thomas, & alii communiter docent. Id, inquam, non est verum, quia dispositio non potest crescere in infinitum ex parte subiecti, cuius capacitas, & vis, etiam obedientialis, finita est. Ideóque ex eo capite sacrificium non potest valere ad effectum maiorem, & maiorem in infinitum. Neque putandum est hoc sacrificium fuisse institutum ad aliquid absolutè impossibile.

Secus tamen intensiuè: neque enim valet ad impetrandã gratiam supra quancunq; finitam.

14. Secunda pars responsi, quòd sacrificium non æquè prosit singulis, quando pluribus applicatur priuatâ sacerdotis intentione, quoad fructum, qui ex eo prouenit, probarent primò, quia alioquin ineptè facerent, & contra charitatem illi omnes, qui ad vnum, vel paucos intentionem suam restringerent, & illi qui restringi postularent. Deberent enim semper ad omnes extendere: siquidem non minùs vni illi, aut paucis, & aliis insuper omnibus æquè prodesset. Quare immeritò priuarent alios fructu sacrificii. Secundò, sequeretur sacerdotem vnico sacro satisfacere ex iustitia multis, à quibus multa stipendia accepit, vt pro peculiari cuiusque intentione sacrum faciat. Tantùm enim prodesset singulis illud sacrum, ac si pro vno solo fieret. Neque est verum, quod aliqui auctores contrariæ opinionis respondent: ideò sacerdotem non satisfacere, quia debet non modò fructum, qui est ex opere operato, sed illum etiam, qui est ex opere operantis, id est, ex deuotione ministri, quæ non æquè prodest pluribus, atque vni soli. Falsum est enim sacerdotem non satisfacere ex iustitia, & teneri ad stipendii restitutionem, licet sacrum indeuotè, & indignè celebrauerit. Suppono autem ex communi omnium sententia sacerdotem pro stipendio accepto contrahere obligationem iustitiæ, licet stipendium non accipiat titulo venditionis (quod esset simoniacum) sed titulo sustentationis, vt de altari viuat, qui altari seruit.

Non æquè prodest pluribus

Posset tamen aliter responderi, ideo non satisfacere, quia promittit tacitè, vel expressè tot sacra facere, quot stipendia accipit; & quia singuli petunt pro se solo offerri priuata intentione: quia cum dubium sit, an sacrificium priuata intentione pro pluribus oblatum, singulis æquè prosit, ac si pro vno solo offerretur; volunt fideles tutò agere, & non priuari fructu, qui fortè maior est. Sed hoc responsum apertè ostendit contrariam sententiam non esse tutam in praxi, neque conformem sensui fidelium. Quod confirmatur, quia valde est alienum à communi sensu fidelium existimare sacrum oblatum pro liberatione vnius animæ è purgatorio, aut pro vno peccatore ad pœnitentiam illi impetrandam, aut pro ægro quopiam; æquè prodesse ex opere operato omnibus aliis animabus defunctorum, omnibus peccatoribus, aut omnibus ægrotis. Quod tamen sequitur ex sententia contraria. Frustra verò in oppositum citatur caput, *Non mediocriter*, de consecratione distinctione quinta, vbi sic dicitur, *Dum pro cunctis* (vel vt alii legunt, centum) *animabus Missa vel Psalmus dicitur, nihil minus, quàm si pro vna quælibet earum diceretur, accipitur.* Sensus enim est, eum, qui dicit, non minùs accipere, at non eos, pro quibus dicit. Et orantem plus apud Deum mereri breui, sed feruenti oratione, quàm longiori, tepida, & parum attenta. 15.

SECTIO III.

A quibus, & pro quibus offerri possit hoc sacrificium?

16\. Christus est principalis offerens, sed non immediatè sacrificat.

CIrca primum, Dico primò, offerentem esse multiplicem. Primùm enim Christus est offerens principalis, ex Trident. sess. 22. cap. 2. *Idem nunc offerens*, inquit, *sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit*. Sacerdotes verò offerunt vt vicarii Christi, in cuius persona sacrificant, & consecrant, ex Florent. in Decreto 6. *Forma huius sacramenti sunt verba saluatoris*. Dicitur autem Christus offerre principaliter, quia instituit ministros, qui suo nomine, & specialiter loquentes in sua ipsius persona, offerrent in perpetuum, id quod ipse primus obtulit. Vnde dicitur per illos facere id, quod ipsi faciunt; & facere principaliter, quia per illos facit tanquam legatos, & in sua persona loquentes dum consecrant. Sicut enim Rex osculatur pedes summi Pontificis per legatum, eique reuerentiam exhibet, quando Regis legatus ipsius nomine, & in eius persona se submittit pedibus summi Pontificis. Et sicut principaliter dat eleemosynam, qui per famulum dat: sic Christus principaliter offert id, quod sacerdotes, velut eius ministri & legati, offerunt eius nomine & in ipsius persona. Potest etiam aliter dici offerre, quatenus iungit affectum suum cum affectu sacerdotis, & sacrificium approbat, ac Deo repræsentat. Non tamen propterea sacrificat immediatè: quia non consecrat, id est, non profert verba consecrationis per se, & immediatè, sed per sacerdotes.

17\. Omnes quodammodo offerunt cum sacerdote.

Præterea, sicut homicida dicitur etiam ille, qui iuuat, inducit, consulit, aut cuius nomine homicidium fit: Ita præter sacerdotes offerre dicuntur, qui rogant, vel iuuant, vel stipendium dant, vel aliter cooperantur. Item qui affectum suum actu iungunt cum affectu sacerdotis. Quin etiam fideles omnes dicuntur offerre, quatenus sunt membra Ecclesiæ, cuius nomine, & destinatione sacerdos offert, & quatenus habitualiter quodammodo sacrificio consentire censentur. Vnde Innocentius III. lib. 3. de mysteriis Missæ cap. 5. affirmat ideo sacerdotem sæpius in canone Missæ dicere, *Offerimus*: quia non in sua tantùm, sed in totius Ecclesiæ persona sacrificat, & omnes quodammodo cum illo offerunt. Differunt tamen sacerdotes consecrantes ab aliis: quia soli offerunt, immediatè & per se sacrificando, velut proprii ministri huius sacrificii.

18\. Bonitas ministri non auget valorem ex opere operato, neque malitia minuit.

Porro siue ministri sint boni, siue mali, id neque auget, neque minuit valorem sacrificii, qui est ex opere operato, vel ex ipsa dignitate sacrificii. Ideoque S. Thomas quæst. 82. art. 6. docet Missam mali sacerdotis non minùs valere, quàm boni quoad opus operatum; secus autem quoad opus operantis, id est, quoad offerentis deuotionem, & actus meritorios, quibus potest aliquid impetrare illis, pro quibus offert. Sicut ipsa Ecclesia, & fideles particulares, per sacerdotem, aut cum sacerdote offerentes, possunt per sacrificium plus apud Deum impetrare, prout sunt Deo magis grati habitualiter, aut maiorem actualem deuotionem afferunt, per quam etiam possunt mereri de condigno in offerendo sacrificio. Imò potest immediatè offerens, sacerdos scilicet, non esse gratus Deo; & tamen non desinet Ecclesia per sacrificium, suo nomine ab illo oblatum, magis, aut faciliùs à Deo impetrare, quanto ipsi gratior est. Sicut Rex eo faciliùs impetrat per legatum suum à Summo Pontifice, quæ postulat, quantò Rex ipse suis meritis, vel aliunde Pontifici gratior est; quamuis legatus per se ipsi non placeat, aut etiam displiceat. Tunc autem excessus, siue id, quod impetratur, datur ex opere operantis, non sacerdotis, sed ipsius Ecclesiæ mediatè offerentis. Idémque dico de particularibus per sacerdotem offerentibus. Idem etiam cum proportione censendum est de horis canonicis, quæ à Clericis recitantur nomine Ecclesiæ.

Circa secundum, dico secundò, sacrificium Eucharistiæ offerri posse & pro omnibus viuentibus, etiam infidelibus: & pro mortuis fidelibus pœnas peccatorum luentibus, ad leuamen pœnarum: & pro sanctis in cœlo degentibus, ad agendas Deo gratias de beneficiis ipsis collatis, & ad sanctos ipsos indirectè colendos, velut honore dignos propter fœlicitatem, & alia eximia beneficia ipsis collata: sic tamen, vt non sanctis, sed Deo soli sacrificium offeratur. 19.

Prima pars quoad fideles clara est: quoad infideles probatur, quia nec per se malum est, nec prohibitum offerre pro illis; & sacrificio non deest virtus, vt illis prosit: neque capacitas infidelibus, vt participent eius virtuti. Adde cruentum sacrificium Christi oblatum fuisse pro omnibus 1. Timoth. 2. vers. 6. & 1. Ioan. 2. vers. 2. & in lege antiqua fuisse sacrificia pro infidelibus oblata 1. Esdr. 6. & 1. Machab. 12. vers. 11. Neque putandum est minus esse subsidii in sacrificio nouæ legis, quod cætera omnia excellenter complectitur. Sed & pro illis oblatum fuisse testantur Arnobius, Tertullianus, Eusebius, aliique veteres relati à Suare disp. 58. sect. 2. conclus. 3. præcipuè D. Augustinus Epist. 59. in solutione quintæ quæstionis. Idque legi nouæ, vtpote legi gratiæ, charitatis, & misericordiæ, valde conueniens est. Potest offerri pro omnibus, etiam pro infidelibus.

Quod autem ait S. Augustinus lib. 1. de Anima & eius origine cap. 9. *Quis offerat sacrificium Christi nisi pro iis, qui sunt membra Christi?* intelligi potest, vt explicatur à D. Thoma in 4. distinct. 12. quæst. 2. art. 2. quæst. 2. ad 4. de membris actu, vel potentiâ, cuiusmodi sunt omnes homines, quamdiu viuunt. Caput vero, *Nobis*, 2. & caput, *Sacris*, *De sententia excommunicationis*, tantùm prohibent 20.

Quo sensu prohibeat Ecclesia offerre pro infidelibus & pro excommunicatis.

prohibent ne sacerdos offerat, & oret velut publica persona, nomine Christi, & totius Ecclesiæ, pro infidelibus vel Apostatis, aut excommunicatis maiori excommunicatione: non autem ne priuata intentione, & priuata oratione pro ipsis oret inter sacrificandum, vt notat Suares disp. 78. sect. 2. col. 4. Quod præterea intelligendum est de oblatione directa, quâ scilicet illorum commodum spirituale, vel temporale primò, & directè intendatur ab offerente: & non de indirecta, quâ primò, & directè intendatur bonum Ecclesiæ per conuersionem infidelium, apostatarum, & excommunicatorum. Item debet intelligi de excommunicato vitando, & non tolerato, post Concilium Constantiense. Consentiunt Suares supra, Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 6. AEgid. Con. quæst. 83. art. 1. dub. 9. & Delugo disp. 19. sect. 10. quamuis Mæratius disp. 38. sect. 2. post Vasquem, Sotum, & Gabrielem, contendat hoc sacrificium non prodesse ex opere operato nisi iis, quibus prodesse potest vt sacramentum; nempe solis baptizatis. Sed si hoc esset; non prodesset mortuis, quibus vt sacramentum prodesse nequit. Argumenta Vasquis dissoluit Delugo numero 180. & sequentibus, quem consule.

Suar. Bellarm. Delugo. Mærat.

21. Potest offerri pro defunctis.

Secunda pars, quòd possit etiam offerri pro defunctis, probatur iisdem rationibus. Nam id neque malum est, neque prohibitum: & ex parte sacrificii non deest vis, quâ illis prosit; cùm Christus, hic oblatus, sit sufficiens propitiatio pro peccatis totius mundi 1. Ioan. 2. Neque etiam deest capacitas ex parte animarum fidelium, quæ sunt viua Christi membra, pertinentque ad Christi testamentum, quod celebratur, & quotidie renouatur in sacrificio Eucharistiæ. Deinde Christus in sacrificio crucis, cuius Eucharisticum est applicatio, obtulit seipsum etiam pro defunctis, scilicet pro omnibus, qui à mundi principio antè illum piè defuncti erant, Hebræ. 9. v. 15. Neque aliter vlli peccata, aut pœnę remittuntur, quàm in sanguine Christi. Item in lege Mosaica fuerunt sacrificia pro mortuis. Nam Leuit. 16. v. 16. & 34. institutum fuit, vt semel in anno celebraretur solemne sacrificium ad expianda peccata toto illo anno commissa à filiis Israël, quorum multi, qui peccauerant sine dubio, defuncti erant. Et 2. Machab. 12. narratur Iudas sacrificium pro mortuis offerẽdum curasse: eiusque factum Scriptura laudans subdit; *Sancta enim, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Adde vltimò vsum perpetuum Ecclesiæ ab Apostolis huc vsque. Nam & Aërium contrarium sentientem hæresis damnauit, teste D. August. lib. de hæresibus, hær. 53. Epiphanio, in Anacephaleosi, inter medium & finem, & Damasceno lib. de centum hæresibus: ac pro defunctis perpetuò celebrauit, vt primo sæculo docet Clemens Romanus lib. 8. Const. cap. 19. & Liturgię SS. Iacobi vtriusque, & Matthæi, & Marci: sæculis verò seqq. Tertullianus lib. de Corona militis cap. 3. Cyrillus Catech. 5. Mystagog. Cyprianus lib. 1. epist. 9. aliàs epist. 66. Chrysost. homil. 69. ad populum, vbi dicit ab Apostolis id sancitum fuisse: August. lib. De cura pro mortuis cap. 1. & lib. 9. Confes. cap. 12. & 13. Ambrosius in orationibus de Obitu Theodosii, Valentiniani, & Satyri fratris: vbi se pro illorum animabus sacrificaturum promittit.

August. Epiphan. Damasc. Clemens. Tertull. Cyril. Cyprian. Chrysost. August. Ambros.

22. Potest offerri aliquo modo pro sanctis.

Tertia pars de Sanctis, facilis est, & à Bellarmino lib. 2. de Missa c. 8. clarè exposita: & confirmatur ratione & vsu Ecclesiæ. Nam neque id repugnat sacrificio Eucharistiæ, neque prohibitum est, sed semper obseruatum ab Ecclesia, vt patet ex liturgiis, & ex Cyrillo sup. citatis, & Epiphanio hæresi 75. Augustin. lib. 8. de Ciuit. cap. 27. & tract. 84. in Ioannem, vbi ait, Sanctorum commemorationem in Missa fieri, non eodem modo quo aliorum, qui in pace requiescunt, *vt etiã pro eis oremus, sed magis vt orent ipsi pro nobis.* Et in oratione dicta quotidie in missa post manuum ablutionem, dicit sacerdos se offerre in memoriam Sanctorum, *vt illis prosit ad honorem, nobis autem ad salutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* Quibus verbis significat Ecclesia, sacrificium hoc aliquo modo offerri in honorem sanctorum. Quòd verò etiam offeratur ad gratias pro illis Deo agendas, patet ex variis orationibus in missa recitatis: vt ex oratione secreta missæ de sancto Bartholomæo, vbi sic dicitur, *Quæsumus Domine, vt eius auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi laudis hostias immolamus.* Et in postcommunione missæ canonizationis sanctorum Ignatii, & Francisci Xauerii sic dicitur, *Laudis hostia Domine, quam pro sanctis tuis gratias agentes obtulimus, ad perpetuam nos Maiestatis tuæ laudationem eorum intercessione perducat.*

Epiphan. August.

SECTIO IV.

Quæ dispositio requiratur in illis, quibus prodest hoc sacrificium: & quomodo illis applicandum sit?

23. Dico primò, Sacrificium Eucharistiæ, quà est impetratorium, prodesse posse existentibus in peccato mortali: quatenus verò est expiatorium ex opere operato, & propitiatorium pro reatu pœnæ, per modum satisfactionis, non prodesse nisi illis, qui sunt in statu gratiæ. Neutro autem modo prærequirit necessariò actualem deuotionem in eo cui prodest.

Quatenus impetratorium prodesse potest existentibus in p. m.

Prima pars, Quòd scilicet vt propitiatorium prodesse possit existentibus in peccato mortali, patet ex vsu Ecclesiæ, quæ pro peccatoribus offert, vt Deus eos ad pœnitentiã

cõuertat, eorumque misereatur. Item ex eo quòd, vt suprà ostendimus, hoc sacrificium habet vim placandi Deum mediatè pro ipsa culpa peccati mortalis, impetrando auxilia ad contritionem, aut alium actum sufficientem ad remissionem peccati. Ergo prodest vt impetratorium, & propitiatorium hoc sensu, illis qui sunt in statu peccati mortalis.

24. Secunda pars, Quòd videlicet vt propitiatorium ex opere operato, non prosit nisi iustis, est D. Thomæ quæst. 79. a. 7. ad 2. & probatur, Quia iuxta communem sententiam Theologorum, de qua dicemus in sequenti tractatu, disputando de Satisfactione, Deus, saltem extra sacramentum Pœnitentiæ, non acceptat satisfactiones nisi amicabiles, id est, procedẽtes à persona sibi grata, & amica, si sint personales: vel personæ gratæ & amicæ applicatas, si per alium fiant, & alteri applicentur. Ergo si sacerdos offerat hoc sacrificium pro seipso in statu peccati mortalis, non prodest illi per modum satisfactionis ad expiandum illum à reatu pœnæ. Et similiter non prodest aliis ad illum effectum, si pro illis offerat, & ipsi existãt in statu peccati mortalis. Neque puto profuturũ, cùm postea per contritionem, aut per sacramentum pœnitentiæ resurgent à peccato.

25. Non prærequirit actualẽ deuotionem vt prosit illi pro quo offertur.

Tertia pars conclusionis, Quòd scilicet non prærequirat necessariò actualem deuotionem vt prosit vtrouis modo, in eo cui prodest, Probatur primò quoad impetrationem: quia sicut per orationem, & per alia media possumus impetrare, etiam non cogitãtibus, alia beneficia: quidni etiam per sacrificium Eucharistiæ? Neque enim ex natura rei, aut peculiari ratione huius sacrificii, reddi potest causa sufficiens cur in eo potiùs id requiratur, quàm in oratione. Confirmatur, quia si antiqua sacrificia vim illam habebant, vt colligitur ex 1. Machab. 12. v. 11. vbi Spartiatis scribunt Iudæi per epistolam, se sine intermissione esse memores eorum in sacrificiis, quæ offerebant: Spartiatæ autem erant infideles, qui antequam à Iudæis ad fœdus, & amicitiam ineundam sollicitarentur, verisimiliter non cogitabant de huiusmodi sacrificiis, neque legitima ea esse credebant: quãtò magis id sacrificio Eucharistiæ concedendum est? Et quidem experientia docet, tam quæ habetur ex historia, quàm quæ nunc etiam frequens est, ægrotos & alios, pro quibus non cogitantibus, ac nescientibus, offertur sacrificium, fructum eius sentire in sanitate impetranda, vel morbi diminutione, vel aliis beneficiis à Deo obtinendis.

26. Secundò, Quoad expiationem à reatu pœnæ ex opere operato, probatur, quia expiatio illa, & placatio in eo consistit, quod offeratur Deo, & ab eo acceptetur sacrificium, loco satisfactionis, tanquam solutio pœnæ temporalis debitæ pro peccato, iam remisso quoad reatum culpæ. Simili modo, quo per indulgentias, in modum suffragii applicatas defunctis, tollitur pœna temporalis, intuitu gratioris satisfactionis Deo exhibitæ, & defunctis applicatæ. Atqui vt satisfactio aliena exhibeatur & acceptetur pro aliquo, non est opus ipsum consentire, vel aliter cooperari. Quemadmodum vt quis detentus in captiuitate, redimatur condigno pretio, alterius operâ & sumptu; non est opus captiuum id scire, vel cooperari ei qui redimit, aut illi qui acceptat pretium redemptionis.

Quare non puto verum esse, quod affirmare videtur Suares disp. 79. sect. 10. requiri consensum, saltem virtualem & interpretatiuum, qui nulli, inquit, deest: vnusquisque enim cupit à pœnis liberari, & libenter hoc beneficium remissionis acceptat. Verum, inquam, id non puto: quia vt meliùs ait Delugo disp. 19. nu. 196. & sequentibus, sacrificium Eucharistiæ prodesset ad illum effectum, si alicui applicaretur in eum finem, quamuis positiuè dissentienti, & volenti totum debitum pœnæ retinere, vt patiatur illam propter Deum, vel vt habeat occasionem agendi pœnitentiam. Quemadmodum Baptismus, & Martyrium, tollunt omnem reatum pœnæ, etiam illis, qui positiuè nollent omnem pœnam sibi remitti, dummodo alioqui Baptismum, & Martyrium recta intentione, & sine obice recipiant. Neque ipsi possunt Baptismum, vel Martyrium, illo effectu priuare, sua libera voluntate, & dissensu, à quo non pendet illorum vis, & efficacia, dummodo non desint alia ad agendũ requisita. Denique cùm iste effectus nihil sit aliud, quàm remissio, vel ablatio pœnæ per opus alienum æquè gratum & satisfactorium: non est ratio cur requirat specialem dispositionem actualem, vel etiam consensum, eius cui remissio fit intuitu operis alterius. 27.

Ne consensus quidem virtualis requiritur.

Delugo.

28. Dico secundò, Meliorem tamen dispositionem eius, pro quo offertur sacrificium, conferre ad faciliorem, aut maiorem eius effectum. Probatur, quia si loquamur de effectu impetrationis: ille qui meliùs est dispositus, cæteris paribus, aptior est vt pro illo impetretur, & obtineatur id quod petitur. Si autem loquamur de effectu remissionis pœnæ temporalis ex opere operato: credibile est, & pietati magis consentaneum, quòd plus pœnæ temporalis remittatur ei, qui meliùs dispositus est, cæteris paribus: simili modo, quo sacramenta meliùs agunt in meliùs dispositis. Quæ doctrina sumitur ex Diuo Thoma quæst. 79. a. 7. ad 2. vbi dicit hoc sacrificium, tam offerentibus, quàm iis, pro quibus offertur, prodesse plus, aut minus, secundum modum deuotionis eorum. Et art. 5. in c. ait hanc oblationem esse satisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem deuotionis. Idemque sentiunt cum D. Thoma Syluester V. *Missa*, quæst. 9. Vasques disp. 231. cap. 7. n. 49. Delugo disp. 19. sect. 10. num. 200.

Melior tamen dispositio confert ad maiorem aut faciliorem effectum.

S. Thom.

Syluest. Vasq. Delugo.

29. Contrarium docet Suares disputat. 79. sect. 10. §. *Nihilominus*: & objicit primò

Contraria sententia, Suar.

S. Thomam in 2. dist. 45. quæst. 2. a. 3. quæstiunc. 1. vbi dicit suffragium, quod alicui prodest ex applicatione alterius, totum pendere ex intentione applicantis: ita vt, remoto impedimento, tantùm applicetur, quantùm ipse vult. Ex quibus verbis colligit Suares hunc effectum, respectu eius, pro quo offertur sacrificium, vt sic, pendere totum ex intentione applicantis. Ergo tantus est, quantum esse vult applicans: neque in hoc pendet à dispositione alterius, nisi solùm quantum ad hoc, vt non ponatur obex. Quando autem dispositio solùm requiritur, vt remouens prohibens: nihil ad effectum refert, quod dispositio sit maior, aut minor, dummodo quælibet illarum totum impedimentum auferat.

30. Respondeo, Admisso, quòd hoc sacrificium pendeat totum ex intentione sacerdotis applicantis, ita vt nisi ipse applicet, nulla ex parte prosit vi propria, & ex opere operato, vel quasi ex opere operato: remotoque impedimento, tantùm applicetur quoad vim operandi quam habet, quantùm vult ipse Sacerdos applicans: id est, vel quoad vim suam totam, si sacrificium illi soli applicetur: vel quoad partem, si applicetur pluribus, æqualiter vel inæqualiter: hinc tamen non sequi quòd vis illa, vel tota, vel ex parte, applicata, non plus, aut meliùs operetur in meliùs disposito. Quemadmodum ignis, qui totus pendet à mea applicatione ad opera artificialia, potestque vel ex toto, vel ex parte applicari; operatur tamen faciliùs, aut magis, in subiecto meliùs disposito.

31. Objicit secundò, Effectum respondentem obligationi Sacerdotis vt sic, esse determinatum ex institutione diuina, semperque esse in se omnino æqualem; quia non habet vnde varietur, cùm non pendeat ex dispositione sacerdotis, neque ex illa augeatur, vel minuatur. Rursus, hic effectus applicatur per intentionem sacerdotis, quæ in hoc est libera, per se loquendo; & potest totum effectum applicare, cui voluerit. Vnde si totum applicet Petro, ille consequetur totum, etiamsi sit minùs sanctus, aut minùs dispositus, quàm reliqui omnes. Si verò applicet Petro, & Paulo, & velit æqualiter inter eos diuidi: ita fiet, etiamsi illi sint inæqualiter sancti. Si etiam velit plus applicare ei, qui minùs sanctus est: ita fiet, prædominante semper, & solùm, intentione, & applicatione sacerdotis quantitati effectus. Ergo non variatur effectus sacrificii, per se loquendo, ex varia dispositione eorum, pro quibus offertur.

32. Respondeo primò, Effectum sacramentorum ex opere operato, esse non minùs determinatum ex institutione diuina, quàm effectum sacrificii: & tamen sacramenta plus prosunt meliùs dispositis, vt fatetur Suares cum communi sententia. Secundò, dico effectum hunc sacrificii pendere quidem totum à sacerdotis intentione, & applicatione, quatenus sine illa nihil fit: & pendere à sacerdotis libera potestate, quòd vim sacrificii in actu primo totam vni, vel pluribus applicet; & his, æqualiter aut inæqualiter: sed non pendere ab eius libertate, vt facta applicatione, vis tota, aut pars virtutis applicata, non magis aut faciliùs operetur in subiecto meliùs disposito. Nec obest quòd vis sacrificii donetur à Sacerdote ei, cui applicatur. Nam aliquid quod donatur alteri, potest ei magis prodesse, ob diuersam eius dispositionem. Et sacramenta donatur similiter iis, quibus conferuntur: & tamen meliùs dispositis plus prosunt secundum diuinam institutionem. Denique nulla solida ratio reddi potest, cur sacrificium Eucharistiæ non plus prosit, etiam ad remissionem pœnæ, ei qui meliùs dispositus est: sicut sacramentum pœnitentiæ ex opere operato plus prodest, etiam ad pœnæ remissionem, subiecto meliùs disposito, vt Suarès fatetur.

Dico tertiò, Vt sacrificium Eucharistiæ prosit ad pœnæ remissionem ex opere operato, requiri actualem indigentiam eius, cui ad hunc finem applicatur, id est, vt de præsenti reus sit pœnæ alicuius temporalis, quæ per sacrificium ei remittatur. Ita Suares, Vasques, Delugo, locis supra citatis, & alii communiter. Ratio est, quia hoc sacrificium non remittit pœnam peccati, nisi eam, quæ residua est ex culpa remissa. Non autem pœnam peccati nondum remissi, quod ne quidem per sacramentum pœnitentiæ fit. Neque etiam pœnam peccati nondum commissi. Esset enim contra rectum ordinem prouidentiæ, & licentiam peccandi pareret talis effectus: si nimirum Deus per anticipationem remitteret pœnam peccati postea committendi, posset que quis peccare postea, nullum pœnæ reatum incurrendo. 33. Vt propitiatorium est, non remittit pœnam nisi de præsenti debitam, pro culpa dimissa.

Dixi, vt prosit ad pœnæ remissionem ex opere operato. Nam ad effectum impetrationis non est opus actuali indigentia eius, quod petitur: sed potest quis v. g. qui in præsenti non indiget auxilio contra grauem tentationem, petere & impetrare, vt Deus illud det in tempore opportuno, quando eius erit necessitas.

Dico quartò necessariam esse intentionē, & applicationem sacerdotis offerentis immediatè sacrificium, vt aliis prosit, & in illis effectus suos operetur: ita vt non sufficiat intentio Ecclesiæ vel aliorum, qui offerunt per sacerdotem, nisi ipse applicet. Ratio est quia hoc sacrificium non prodest vi sua, & per modum operis operati, nisi illis, quibus applicatur, hoc est, pro quibus offertur, efficaciter. Hinc enim est quod debeat ab offerente applicari alicui, & possit huic, aut illi applicari vt voluerit: Non enim applicatur nisi vt illi prosit. Atqui non potest applicari & offerri efficaciter ab aliis, vel sibi ipsis, vel cuipiam alteri, nisi ab ipso quoque sacerdote applicetur, id est, pro illis offeratur. Quando enim aliqua causa mediatè tantùm operatur: illa non potest 34. Applicatio sacerdotis debet fieri ante sacrificium.

efficaciter operari, nisi causa immediata operetur. Quia illa nō nisi per istam operatur, & attingit effectum. Operari enim mediatè aliquid, est operari, & attingere illud mediante aliquo alio, actu & immediatè operante, & attingente, seu ponente effectum. Atqui alii offerentes sacrificium, offerunt tantùm mediante sacerdote. Ergo pro nullo possunt offerre efficaciter, nisi pro illo offerat sacerdos. Quare licet peccent sacerdotes, si non offerant ea intentione, quæ præscribitur in canone Missæ: reipsa tamen non proderit illis, qui exprimuntur in canone, si sacerdos illis non applicet: & proderit aliis fructus eius capacibus, licet in canone non expressis, si sacerdos illis applicauerit. Similiter peccant quidem sacerdotes, qui contra præceptum legitimi superioris, aliis applicant, quàm ipsi injunxerint, aut permiserint: valet tamen applicatio, quamuis illicita. Ratio est, quia vis & potestas applicandi validè hoc sacrificium, datur à Christo immediatè sacerdotibus, æquè ac potestas consecrandi, & sacrificandi validè. Quare non pendet quoad suum valorem ab Ecclesia, vel à Prælatis, aut aliis quibuscunque, Christo inferioribus.

Quòd si sacerdos nulli alteri applicet sacrificium quod offert: proderit ipsi, si ipse sibi applicet. Quòd si ne sibi quidem applicauerit: non proderit illi per modum sacrificii, ex opere operato, aut quasi ex opere operato: proderit tamen ex opere operantis, saltem per modum satisfactionis ad reatum pœnæ tollendum, aut minuendum, si capax sit illius effectus, & non sit obex. Quemadmodum enim vt ieiunium, & alia opera pœnalia prosint in satisfactionem ipsi operanti, non est necessarium vt ipse eò ieiunium, vel illa opera referat, & applicet actu: sic vt prosit sacrificium ipsimet immediatè offerenti per modum satisfactionis, non est necesse vt ipse hoc intendat. Quòd si nec ipse talis effectus est capax; remanebit in thesauro Ecclesiæ, vt opera satisfactoria Sanctorum, quæ neque fuerunt ipsis necessaria ad satisfaciendum, neque aliis applicata. De quo thesauro dicemus alibi, cùm sermo erit de indulgētiis. 35.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA.

De circumstantiis & cerimoniis sacrificii Missæ.

Sectio I. *Soluuntur variæ quæstiones morales circa Missæ sacrificium: & primò de tempore, & hora celebrationis.*

Sectio II. *De loco celebrationis, & aliis requisitis; déque stipendio licito.*

Sectio III. *Liceatne Missas priuatas celebrare, vel etiam sine ministro?*

Sectio IV. *Soluuntur hæreticorum argumenta contra Missas priuatas.*

Sectio V. *De cerimoniis Missæ quæ consistunt in rebus.*

Sectio VI. *De cerimoniis Missæ quæ consistunt in verbis.*

Sectio VII. *De cerimoniis Missæ quæ consistunt in actione.*

Sectio VIII. *Vtrum Ecclesia prouiderit sufficienter defectibus in huius sacrificii celebratione occurrentibus?*

Sectio IX. *An, & quomodo teneantur fideles assistere huic sacrificio?*

Sectio X. *Liceatne assistere Missæ sacrificio cum conscientia peccati mortalis?*


E circumstantiis, & cerimoniis sacrificii Eucharistiæ disputat S. Thomas quæst. 83. art. 2. & sequentibus. Ac primò docet, quia quotidie illius fructu indigemus propter quotidianos defectus: ideo quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offerri. 2. Quia Dominica passio celebrata est ab hora tertia vsque ad nonam: idcircò regulariter in illa parte diei, solenniter hoc sacramentum in Ecclesia celebrari. 3. Ad maiorem tanti sacramenti reuerentiam, eiusque effectum, qui ex passione Christi prouenit, repræsentandum, meritò adhiberi consecrationes, quæ fiunt in vsu huius sacramenti. 4. Conuenienter ordinata esse, quæcunque in eo celebrando dicuntur, & fiunt: vel scilicet ad repræsentandam Christi passionem, vel ad augendam deuotionem, & reuerentiam huius sacramenti: sufficientérque per Ecclesiæ statuta prouisum esse defectibus in celebratione occurrentibus: vel præueniendo, vel emendando, & remedium adhibendo, aut pœnam imponendo delinquentibus: vt fusè, & perspicuè ostendit art. 4. 5. & 6. qui lectione magis, quàm declaratione indigent: nos tamen ea, quæ notatu digna erunt, vel scitu necessaria, dicere non prætermittemus.

SECTIO I.

Soluuntur variæ quæstiones morales circa Missæ sacrificium: & primò, de tempore & hora celebrationis.

1. *Teneatúrne sacerdos aliquoties celebrare?*

VCVSQVE diximus de essentia & effectibus sacrificii Eucharistici. Superest aliqua breuiter perstringere ad praxim spectantia, quorum fusior expositio pertinet ad Theologos morales. Primum, an teneantur aliquando sacerdotes sacrificium Eucharistiæ celebrare? Non desunt, qui affirment sacerdotem, secluso scandalo, & obligatione proueniente ex Beneficio, Præbenda, Capellania, vel alio titulo, non teneri ad celebrandum præcisè ex vi suæ ordinationis, saltem grauiter, & sub pœna peccati mortalis. Ita enim docet inter recentiores Cardinalis Delugo disp. 20. de Euchar. sect. 1. post Alensem, Bonauent. Ricard. Gabr. Victoriam, & alios relatos à Suare disput. 80. sect. 1. vbi eorum sententiam probabilem esse concedit.

Respondetur affirmatiuè. Contrariam tamen magis piam, & tutam, & rationi, ac veritati conformiorem esse existimo: quam tenent S. Thom. quæst. 82. art. 10. & in 3. distinct. 12. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula 1. præcipuè ad 2. Durand. Palud. Anton. Syluest. Angelus, Petrus, & Dominicus Sotus, Nauar. & alii, quos citant, & sequuntur Suar. vbi supra, Vasq. disp. 232. cap. 1. Aegid. Coninc quæst. 83. a. 2. dub. 1. eisdémque adhærent Ysambert. ad quæst. 82. disput. 2. & alii recentiores, qui etiam affirmant obligationem hanc, vtpote de re graui, esse grauem, & obligare sub mortali.

Fundamentum præcipuum huius sententiæ sumitur partim ex cap. *Dolentes, De celebratione Missarum*, vbi reprehenduntur quidam sacerdotes, qui vix quater singulis annis celebrabant: & propter hoc peccatum, aliaque nonnulla ibidem recensita, puniuntur suspensionis pœna: partim etiam ex Concilio Trident. sess. 22. cap. 1. vbi affirmat Christum verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepisse Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent sacrificium iam à se institutum, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Quibus verbis Concilium videtur loqui generatim de omnibus, & quibuslibet sacerdotibus: quippequi omnes, & singuli Apostolis succedunt in dignitate, & officio sacerdotali: quique omnes vi illorum verborum potestatem sacrificandi accipiunt quando legitimè ordinantur. Et confirmatur ex iis, quæ addit sess. 23. cap. 14. de reformat. vbi de omnibus ad sacerdotium promotis sic ait: *Curet Episcopus, vt ii saltem diebus Dominicis, & festis solennibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Supponens scilicet teneri ex diuino præcepto, & ex obligatione ipsius ordinis sacerdotalis aliquoties celebrare, licet fortè non adeo frequenter, quàm vult curari Concilium ad maiorem ædificationem, & ad præcepti diuini obligationem certissimè implendam, & superimplendam: ad quam tamen non pauci existimant sufficere in rigore quater in anno celebrare: siue in festis solen- 2.

nibus, siue circa illorum tempus, aliis diebus; per se loquendo, & seclusa necessitate celebrandi frequentiùs, quæ aliunde prouenire potest, nimirum vel ex parte ipsius sacerdotis, cui tam diuturna omissio sacrificii sit noxia, & periculosa, & occasio vitæ licentioris: vel ex parte aliorum, quibus fit scandalosa, aut noxia.

3. *Confirmatur responsum.* Neque parum facit ad eiusdem sententiæ confirmationem quod iussu Pii V. expuncta fuit ex commentariis Caietani assertio contraria, quâ dixerat nonnisi leuiter, & sub peccato veniali teneri sacerdotem ad celebrandum aliquoties vi sui muneris sacerdotalis. Fauet etiam ratio: quia per se disconueniens esse videtur, & rectæ rationi dissentaneum, vt qui talem, & tantam potestatem accepit, tam sibi vtilem, & toti Ecclesiæ salutarem, Deoque honoricam; nunquam illam exerceat, infodiens terræ talentum, quod ad lucrandum tam vtiliter acceperat. Et communiter scandalum esse solet, signumque malæ vitæ, & contemptus officii sacerdotalis nunquam sacrificare, aut etiam per vnum, aut plures annos abstinere; si fiat absque causa rationabili, vel impotentia physica, vel morali. Quia tamen his argumentis aliquid responderi potest non omninò improbabiliter, multique graues auctores antiqui, & moderni fauent contrariæ sententiæ, censeo cum Suare suprà citato excusari posse à mortali, & conscientiæ suæ relinqui eos, qui contrarium sentiunt, & sequuntur in praxi, semoto scandalo, & aliis incommodis suprà dictis, quæ sunt extrinseca obligationi sacerdotali præcisè sumptæ, de qua nunc disputamus, deque ipso sacrificio per se considerato.

4. *Liceatne celebrare quouis anni die?* Quæritur secundò, liceatne sacerdotibus singulis anni diebus celebrare hoc sacrificium? Respondeo licere per se loquendo, excepto die Parasceues, qui excipitur cap. *Sabbato de Consecrat. dist. 3. sumpto ex Innocent. I. epist. 1. cap. 4.* Vbi postquam dixit Apostolos biduo Parasceues & Sabbati sequentis in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse: addit, *Quod vtique non dubium est intantum eos ieiunasse, biduo memorato, vt traditio Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitùs non celebrari.* Ideóque etiam nunc non consecratur in officio illius diei, neque tenentur fideles illi interesse, quia non est sacrificium; quamuis Parasceue in diem festum incidat. Ab hoc tamen iure communi excipiuntur quædam Ecclesiæ Galliæ, Deo dicatæ sub inuocatione B. Mariæ Virginis Deiparæ, in quibus, vt alibi notauimus, & testatur Ysamb. quæst. 80. disp. 5. art. 1. licitum est ex speciali priuilegio Missam celebrare omnibus sacerdotibus eò se conferentibus, quotiescunque Parasceue, & festum Annunciationis Dominicæ in eundem diem incidunt. Ratio illius constitutionis Ecclesiasticæ, quâ prohibetur iure communi celebratio Missæ in die Parasceues, hæc redditur à D. Thoma quæst. 83. a. 2. ad 2. Quia, inquit, veniente veritate cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quædam, siue repræsentatio, & exemplum Dominicæ passionis. Et ideo in die, quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius sacramenti. Est etiam alia ratio huius constitutionis, nimirum ad luctum Ecclesiæ testandum de morte Christi Domini, iuxta illud Hugonis de S. Victore lib. 5. ex secundo codice Miscellaneorum. *Et ideo à sacrificii gaudiis cessamus, &c. Hodie non sacrificamus, dum nobis hostia de manibus tollitur. Non sacrificant amici, dum trucidant inimici.*

Eandémque ob causam olim prohibitum erat ne die Sabbati sancti celebraretur vsque ad initium noctis eiusdem diei, quo luctus soluebatur, & inchoabatur festiuitas Paschalis: non autem, vt quidam falsò existimant, vsque ad mediam noctem: quemadmodum rectè ex Ordine Romano, Rabano Mauro, Albino, Amalario, Micrologo, & aliis antiquis probat Delugo disp. 20. sect. 1. n. 16. & seqq. Verùm propter difficultatem protrahendi eò vsque ieiunium, iampridem Ecclesia dispensauit, & permisit anticipari celebrationem Missæ post Nonam, vt nunc fit. Et sicut olim licitum erat quibusuis sacerdotibus celebrare sub initium noctis finito luctu Ecclesiæ, vt perspicuè affirmat Micrologus verbis à Delugo relatis: ita & nunc licet iisdem sacrificare finitâ Nonâ. Imò si sit opus ex causa rationabili officium Nonæ anticipare priuatim, potest etiam citiùs fieri sacrum priuatum, quàm solemniter fiat, & publicè in Parœciis, aut Ecclesiis Cathedralibus. Permittit enim Ecclesia, vt post Nonam eo die celebretur: quod potest probabiliter intelligi respectiuè. 5. *Quid in die sabbati sancti?*

In praxi tamen consuetudinem seruandam esse censeo, scandalumque pusillorum vitandum, quod fortè pareret celebratio, saltem coram populo facta. Idémque censeo de die Iouis præcedente Parasceuem: de quo licet nulla sit prohibitio, vt falsò quidam asseruerunt: quia tamen consuetudo est, vt eo die publicè vnum tantùm fiat sacrificium à principali sacerdote, de cuius manu communicant reliqui sacerdotes, & ministri Ecclesiæ, ad repræsentationem institutionis eiusdem sacramenti, in qua Christus principalis sacerdos solus consecrauit, & Apostolis, quos tunc etiam sacerdotes instituit, Eucharistiam præbuit: Consultius [redacted] esse mihi videtur cum Suare supra cit. vt eo die non sacrificent alii, saltem publicè, & cum populi concursu: vt vitent scandalum, si quod forsan oriretur ex ignorantia, & fragilitate pusillorum; & vt se conforment consuetudini, quamuis introductæ, & seruatæ hucusque sine intentione obligationem inducendi, saltem cum eo rigore, vt nullus priuatim sacrificet. Nam & olim, & nunc etiam non pauci viri pii eo die priuatim sacrum faciunt.

Quæritur 3. Liceatne sacerdoti plusquam semel in die celebrare? Respondeo iure Ecclesiastico id prohibitum esse: excepto die 6. *Liceatne plusquam*

semel in die celebrare?

Natalis Domini: in quo licet ter celebrare: & casu necessitatis, de quo postea. Patet ex cap. *Suffi. it, de consecrat. dist.* 1. vbi Alexander II. sic loquitur: *Sufficit sacerdoti vnam Missam in die celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est vnam Missam facere, & valde fœlix est qui vnam dignè celebrare potest.* Quibus verbis duplicem huius ordinationis rationem insinuat. Vt scilicet vnicâ Missæ celebratione vnica Christi mors & passio repræsentetur: vtque ad rem tanti momenti conuenienter peragendam homo se debitè disponat. Magna enim præparatione, & attentione animi opus est, vt dignè celebretur sanctum illud, diuinumque mysterium: adeo vt ad sæpius in die celebrandum, difficile sit tantam animi attentionem, & deuotionem afferre. Quamuis autem canon vtatur tantùm verbo, *Sufficit*, quod in rigore non sonat prohibitionem: hunc tamen esse verum illius sensum ostendunt verba quæ in fine adduntur: *Qui verò pro pecuniis, aut adulationibus secularium vna die præsumunt plures facere Missas, non æstimo euadere damnationem*: & nimirum si alia quauis de causa, quàm in casu necessitatis, quem solum ibidem excipit addens, *Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit.* Clarius verò id patet ex cap. *Te Referente, de celebrat. Missarum*: vbi Honorius III. respondet *Cuilibet sacerdoti, quacunque dignitate præfulgeat, vnam in die celebrare Missam sufficere*: eaque de causa mandat Episcopo Sipontino vt semel tantùm celebret in die cœnæ Domini. Verbum enim, *mandamus*, quo Pontifex vtitur, præceptum non obscurè significat; & consecutio sermonis id postulat. Clariùs quoque id liquet ex cap. *Consuluisti, eod. tit.* vbi Innocentius III. consultus à Vigorensi Episcopo (vt constat ex integra Decretali) vtrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare, id est, licitè possit? Respondet; *Excepto die natiuitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficere sacerdoti semel in die vnam solummodo Missam celebrare*; & nimirum non posse licitè pluries: alioquin enim non satisfaceret quæstioni sibi propositæ verbis supra relatis. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quæ non permittit sacerdotibus sæpius quàm semel in die celebrare sine generali, aut speciali dispensatione, quæ non datur nisi vel propter Natalis Domini, vel in casu necessitatis, qui multiplex assignatur à variis, neque enim omnes de omnibus conueniunt.

7. Casus in quibus id licet.

Primus & indubitatus est, quando propter necessitatem Ecclesiarum, iunctam impotentiæ alendi plures sacerdotes, permittitur ab Episcopis vt vnus duabus inseruiat, & in vtraque semel eodem die celebret. Vbi nota, licet consuetudo sit permittendi solùm vt vnus duabus Parœciis ministret, & in vtraque sacrum faciat: si tamen grauis necessitas exigeret vt pluribus ministraret, posset Ecclesia id permittere: quemadmodum rectè contra nonnullos docent Suar. disp. 80. sect. 3. aliquantò ante finem, & Card. De lugo disp. 20. num. 47. Sed hæc necessitas non ita occurrit. Qui autem habent facultatem bis in die celebrandi, possunt non modò diebus festis, verùm etiam aliis, exigente aliqua necessitate aut deuotione populi: nisi aliter per concessionem cautum esset specialiter. In die verò cœnæ Domini debent illi in vnica è duabus parœciis exponere sanctum sacramentum, si non admodum difficile possint vtriusque parœciæ fideles in eandem Ecclesiam conuenire: & die sequenti in eadem consumere, eo modo qui in Missali præscribitur. Quod si quis in vtraque exposuit; debet in vna consumere sine vino, sine quo in calicem infuso, & sumpto, potest fieri officium illius diei, cui hoc non est essentiale. Vel si vinum sumpsit, debet in altera non consumere sanctum sacramentum, cum non sit ieiunus, sed illud in Pastophorium recondere.

Secundus casus necessitatis est, quando ad aliquam solemnitatem tanta confluxit populi multitudo, vt eam simul Basilica recipere non possit. Tunc enim si desit alius sacerdos, potest ab eodem sacrificii oblatio iterari: ne his tantùm admissis ad hanc deuotionem, qui primi aduenerunt, videantur cæteri, qui postmodum confluxerunt, exclusi, vt ait S. Leo 1. epist. 81. ad Dioscorum cap. 3. quem etiam ea de causa septies vna die, ac nouies Missarum solemnia celebrasse referunt VValfridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 21. Durand. in Ration. lib. 4. cap. 1. num. 26. & Durantius lib. 2. de ritibus Ecclesiæ cap. 7. in fine. Eundémque casum approbant præter citatos Aegid. Coninc quæst. 83. art. 2. dub. 3. in fine, & Suar. disp. 80. sect. 3. postremis illius verbis. Idque multò magis dicendum est, si ex opposito timeatur grauis populi perturbatio, aut scandalum, quod aliter vitari nequeat: sicut è contrario, si ex iterata celebratione immineret scandalum, quia contraria consuetudo inualuit; satius foret permittere plures illo die carere sacro absque sua culpa, quàm hac nouitate fidelium animos perturbare. 8. Liceatne propter multitudinem populi?

Tertius casus est, si vnus tantùm sit sacerdos, & duo sacra facienda sint: vnum de festo, alterum de defunctis pro aliquo mortuo sepeliendo v. gr. vel pro anniuersario. Tunc enim licitum istud esse colligitur ex cap. *Sufficit, de Consecrat. dist.* 1. vbi Alexander II. postquam dixit sufficere sacerdoti semel in die celebrare: addit, nec improbat, adeóque tacitè saltem permittit: Quosdam tamen pro defunctis vnam facere, & alteram de die, si necesse fuerit. Idémque sentiunt Glossa, & Turrecremata in caput citatum. Durand. in Ration. lib. 4. cap. 1. num. 22. Palud. in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 4. Anton. 3. part. tit. 13. cap. 6. §. 5. Syluest. V. Missa 1. quæst. 7. & Nauar. in Summa cap. 25. n. 87. quorum aliqui addunt id etiam licere, si eodem die occurrat duplex officium, putà vnum de 9. Vel propter mortui sepulturam?

festo, alterum de ieiunio, aut de feria Rogationum. Idque videtur docere S. Thomas quæst. 83. art. 2. ad 2. vbi postquam dixit in die Natiuitatis plures Missas celebrari propter triplicem Christi Natiuitatem; æternam, vt Verbi, temporalem, vt hominis, & spiritualem in cordibus nostris, quod à Telesphoro Papa fuisse institutum nonnulli existimant: addit in fine: *Sicut etiam & in aliis diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel expetenda, plures Missæ celebrantur in die: putà, vna pro festo, & alia pro ieiunio, vel pro mortuis.* Et hunc casum quoad priorem illius partem aliquando locum habere posse admittit Suar. disp. & sect. sup. cit. vt, inquit, si in die Paschæ solemni, vel simili festiuitate, præter sacrum de festo, aliud pro defuncto facere oporteat: quia nullus potest esse casus necessitatis moralis, in quo magis hoc liceat: & tamen Alexander Papa verbis supra relatis dicit in casu necessitatis licere vnam Missam dicere pro defunctis, & alteram de die.

10. Verùm licet olim id permissum fuisse videatur, & non tanto rigore seruatum vt ne sæpius in die celebraretur: præsens tamen obstat Ecclesiæ consuetudo, quæ talis est, vt diebus illis solemnioribus non dicatur Missa propria defunctorum, sed in diem sequentem differatur, neque est necessitas aliter faciendi, cùm absque sacro proprio possit corpus sepulturæ mandari, & plerumque ad Vesperas sepeliantur mortui. Quare cum Vasq. Aegid. Durantio, Turrecrem. & pluribus aliis censeo iam id non licere, nisi si forte alicubi retenta fuit illa consuetudo, vel habetur specialis concessio Sedis Apostolicæ: vt in regno Valentiæ in Hispania, vbi concessum esse sacerdotibus bis celebrare in die Defunctorum, testatur Card. Delugo disput. 20. num. 43. in fine.

11. *Vel propter duplex festum.* Multò minus necessarium est duo sacra fieri eodem die ab vnico sacerdote, vnum de festo, alterum de ieiunio, aut de vigilia, vel de feria Rogationum: cùm sufficiat commemoratio de minori simul occurrente, vel alterum in alium diem transferri debeat, sicut præscribitur in Rubricis officii diuini. Et quamuis aliter prima fronte videatur sentire D. Thom. verbis supra relatis, propter illorum connexionem cum antecedentibus de facultate celebrandi ter in die Natalis Domini, & particulam comparatiuam, *Sicut*, quę debet similia inter se comparare: non immerito tamen Dominicus Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2. affirmat ipsum non loqui de pluribus Missis ab eodem sacerdote faciendis, sed solemniter à Clero, vel à Conuentu: & comparationem illam D. Thomæ non esse quoad omnia, sed tantùm quoad hoc, quòd sicut ad triplicem Christi natiuitatem recolendam Ecclesia triplex sacrum diuersum celebrat eo die: sic ad diuersa beneficia recolenda, vel petenda, possunt aliis diebus similiter plura sacra illis accommodata celebrari; siue hoc fiat ab vno sacerdote, vt in primo casu: siue à diuersis, vt in secundo. Qua de re non erat mota difficultas in argumento cui respondet, neque de illa verbum vllum ibi facit D. Thomas, sed tantùm ostendit non esse inconueniens (vt obiiciebatur in 2. argumento) nullum fieri sacrum in die Parasceues, cùm triplex celebretur in die Natali Domini.

Quartus casus est, si alioquin ægroto moriendum sit absque viatico. Satis enim magna videtur esse necessitas iterum celebrandi: cùm prohibitio bis celebrandi sit tantùm iuris Ecclesiastici, communio verò in articulo mortis sit iuris diuini: & valde graue sit moribundum priuari viatico absque sua culpa. Atque ita censent Turrecrem. Palud. Anton. Durand. Sotus, & Nauar. locis supra citatis, quos sequuntur Aegid. Coninc quæst. 83. num. 215. & Cardinalis Delugo disp. 20. num. 44. Si tamen illa necessitas præuideri potest, debet sacrum differri; aut consecrari, & seruari hostia pro infirmo, vt ne bis celebretur sine necessitate. Sed cùm in hoc casu & aliis, quicunque bis celebrat debeat esse ieiunus, id est, non consumpsisse vinum infusum in calicem ad purificandum, difficile est contingere vt sacerdos hostiâ totâ iam consumptâ, præcisè agnoscat necessitatem ægroti egentis impræsens viatico. Quare iste casus est magis metaphysicus, quàm moralis: & malè contra illum argumentatur Vasq. à contraria consuetudine, quæ nulla est, cùm vel nunquam, vel rarissimè id contingat. 12. *Vel ad dandum ægroto viaticũ.*

Quintò, Addunt nonnulli licere quoque bis celebrare, si sacro facto, superuenit Episcopus, aut alia persona magnę dignitatis, quę vult audire sacrum, & non potuit interesse. Vel si multi peregrini superueniunt, qui aliter audire nequeant. Vel si nuptiæ debeant benedici. Vel si consuetudo sit vt duo sacra celebrentur à duobus sacerdotibus, & vnus illorum ægrotet: dicunt enim alterum posse illius defectum supplere. Vel denique si alia necessitas occurrat, quæ viri boni iudicio sufficiat propter Ecclesiarum paupertatem, aut paucitatem sacerdotum, vt aiunt Syluest. & Nauar. locis supra cit. & Angel. V. *Missa*, num. 64. Sed alii meliùs affirmant 1. non magnum esse inconueniens Episcopum, aut aliam personam nobilem carere sacro in illo casu: quando non est, qui modo, & consuetudine communi possit illi celebrare: Et in cap. quidem finali de Priuileg. in 6. indulgeri Episcopo impedito habere altare viaticum, seu portatile, in eòque celebrare, vel celebrari facere; non ibi tamen, nec vsquã alibi permitti, vt propter Episcoporum, vel aliorum paris, aut maioris dignitatis impedimenta, Missa eodem die ab eodem sacerdote iterari possit, vt bene ait Durantius cap. cit. Quare nisi timeatur scandalum, vel graue nocumentum, non debet iterari. 2. Si magna multitudo peregrinorum accesserit, de illo casu iudicandum esse, vt de secundo. Sin minùs, necessitatem non esse adeo gra- 13. *Vel propter personã magnæ dignitatis superuenientem.*

uem, & sufficientem. Nam in multis pagis non omnes possunt interesse sacro; quod vnicum fit: multi enim coguntur abesse propter varia impedimenta: neque tamen propterea Episcopi permittunt sæpius ab eodem celebrari, sed satius esse iudicant tolerare hoc incommodum, velut minoris momenti.

14. Vel in Prouinciis hæreticorum & infidelium.

Posset tamen, vt rectè notat Card. Delugo disput. 20. num. 46. post Layman, & plures alios, casus iste faciliùs admitti in prouinciis hæreticorum, vbi vnicus sacerdos non potest tam multis Catholicis satisfacere vnico sacro, & quorum necessitati diuturnæ, & graui non satis prouidetur, nisi sæpius celebret. 3. Nuptiæ quoque possunt differri, aut sine sacro fieri: & vix vnquam fiunt, immonito priùs pastore: qui, nisi aliud obstet, poterit pro illis benedicendis celebrare vbi, & quando sponsis commodum erit. Si tamen id non posset fieri sine magno periculo grauis damni, puta sortilegii: non est improbabile quod Delugo num. 47. & plures alii suprà citati affirmant, necessitatem hanc sufficere. 4. Non satis esse solam consuetudinem faciendi duo sacra per duos sacerdotes, ad hoc vt vno ægrotante alter bis celebret. Nam canones supra citati requirunt necessitatem vt bis possit celebrare: nulla est autem necessitas bis celebrandi, si nihil aliud sit: quodque additur de necessitate propter Ecclesiarum paupertatem, reprobari videtur specialiter ab Alexandro II. prohibente sæpius celebrari propter lucrum. 5. Denique nullum alium casum necessitatis iudicari nunc communi ferè doctorum suffragio sufficientem, præter paucos supra enumeratos, & approbatos: imò vix alium esse in vsu præter primum, de quo omnes consentiunt.

15. Qua hora diei celebrandum?

Quæritur quartò, qua hora diei sacrificare liceat? Respondeo, ab aurora ad meridiem, vt habetur in regulis Missalis editis à Pio V. Qui duo termini non mathematicè, sed moraliter accipiendi sunt, ita vt aliquantulum excedi possint, inchoando sacrum v. gr. media horâ ante auroram, vel paulò post meridiem. Quin etiam licebat olim vsque ad Nonam, id est, horam circiter post meridiem tertiam sacrificare, vt patet ex cap. *Solent, de Consecrat. dist.* 1. & ex D. Thoma quæst. 83. art. 2. idque adhuc licitum esse putat Nauar. in Sum. cap. 25. num. 85. & lib. de Orat. cap. 2. num. 22. Sed sine sufficienti ratione discedit à communi sententia, quæ in praxi sequenda est: nisi aliqua necessitas grauis, & causa rationabilis cogat tam longè à meridie recedere, vel longè ante auroram sacrum facere: putà, si dandum esset ægroto viaticum, & aliter non posset dari.

16. Excipitur tamen festum Natalis Domini, in quo licet à media nocte, & deinceps celebrare vsque ad meridiem. Excipiuntur etiam qui ex priuilegio, aut consuetudine præscripta facultatem habent citiùs, aut tardiùs celebrandi, vel ex speciali dispensatione Episcopi. Potest enim Episcopus ex rationabili causa dispensare, siue ad anticipationem, siue ad dilationem vltra tempus iure communi præscriptum: tametsi nequit priuilegium generale concedere, vt bene docet Suar. disput. 80. sect. 4. Notandum est etiam paruum excessum huiusmodi terminorum, etiam moraliter sumptorum, esse tantummodo peccatum veniale, quia materia leuis est. Et quamuis deceat sacrum non facere nisi post recitatum officium Matutinum, vt in Rubricis dicitur: non est tamen peccatum mortale postponere: imo nec veniale, si id fiat ex causa rationabili: vt benè docent Sot. in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2. in fine, aliique plures, quos sequuntur Suar. disp. 82. sect. 1. Less. cap. 37. de Iustit. dub. 12. num. 81. & Aegid. Coninc quæst. 83. dub. 4. n. 220.

Sitne necessarium priùs recitare officium?

SECTIO II.

De loco celebrationis, & aliis requisitis: deque stipendio licito.

Qværitur quintò, quo loco Missæ sacrificium celebrare liceat? Respondeo non licere, nisi vel in Ecclesia consecrata, vel benedicta ab Episcopo, aut ab alio habente facultatem; vel in priuatis Oratoriis, licet non consecratis, neque benedictis, sed ad hoc tantùm ab Episcopo designatis: vt habetur in Tridentino sess. 22. in Decreto de obseruandis, & omittendis in celebratione Missæ. Vbi decernit vt Episcopi non patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum cultum dedicata oratoria ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi. Quod sapienter ab Ecclesia tum propter tanti sacramenti dignitatem, & reuerentiam, tum propter populi deuotionem constitutum est, vt scilicet nonnisi in locis sacris, & diuino cultui deputatis celebrari licitè possit. Atque hæc res tanti momenti censetur esse communiter à Theologis, vt damnent peccati mortalis eos, qui secus faciunt. 17. Quo loco celebrare liceat?

Debet præterea Ecclesia, in qua celebratur, non esse polluta, neque violata: alioqui graue peccatum est in ea celebrare, donec reconcilietur. Polluitur autem, aut violatur quinque modis. Primò, per effusionem humani sanguinis (magnâ scilicet copiâ, vt significat nomen effusionis) grauiter iniuriosam, id est, factam cum peccato mortali, non in iustam defensionem, aut ex leui culpa, putà, quando pueri rixantes, sanguinem pugno è naribus eliciunt. Qua de re vide caput *Si Ecclesia, de Consecrat. Eccles.* & caput *Ecclesiis, de Consecrat. dist.* 1. Secundò, polluitur per homicidium voluntarium, & iniuriosum, aut etiam iuridicum in ea factum, licet fiat absque sanguinis effusione: vt habetur cap. *Proposuisti, de Consecrat. Eccles.* & cap. *Si motum, de Consecrat. dist.* 1. Tertiò, per voluntariam, & notoriam seminis hu-

18. Ecclesia non debet esse polluta. Polluitur quinque modis.

mani effusionem in ea factam: vt dicitur in iuribus proximè citatis. Quod tamen iuxta communem Doctorum sententiam intelligendum est, extra actum coniugalem in eo casu, quo propter necessitatem, & detentionem coniugum diuturnam ibi licitus esse potest. Quartò, per sepulturam hominis excommunicati, cap. *Consuluisti, de Consecrat. Ecclesiæ, vel altaris*: vbi licet sermo sit de cœmeteriis, par tamen est, & maior ratio de Ecclesia, cuius cœmeterium est tantùm accessorium. Debet autem hoc intelligi post Concilium Constantiense de excommunicato nominatim denunciato, aut notorio percussore Clerici. Ideóque non polluitur Ecclesia per sepulturam hæretici non denunciati nominatim: vt bene post Nauarrum, & Layman notat Card. Delugo disp. 20. num. 56. addens non pollui etiam per sepulturam hominis nominatim interdicti: quia illius non fit mentio in cap. *Proposuisti* supra citato. Quintò, per sepulturam hominis infidelis cap. *Ecclesiam* 1. & 2. *de Consecrat. dist.* 1. Quo nomine non comprehenduntur hæretici, vel Apostatæ, qui fidem in baptismo saltem susceperunt: sed omnes infideles non baptizati, etiam infantes extra vterum matris existentes, & mortui sine Baptismo. Alioqui enim possunt mulieres prægnantes cum fœtu extincto in vtero sepeliri: quia tunc fœtus non reputatur, vt persona per se distincta, sed vt pars ipsius matris. Porrò si contingat Ecclesiam pollui inter celebrandum, desistendum est, si canon inchoatus nondum fuit: alioquin absoluendum est sacrificium iam substantialiter aliquo modo inceptum. Et si Ecclesia, quæ polluitur, erat consecrata, non potest, nisi per Episcopum reconciliari, aut per simplicem sacerdotem ex commissione Summi Pontificis: secus autem si erat tantùm benedicta, vt mox dicemus. Oratoria verò non consecrata, neque benedicta, non polluuntur; quia non sunt loca sacra, quorum sanctitas violetur. Perditur etiam consecratio si templum penitùs destruatur, aut maiori ex parte: nisi hoc fiat sensim, & pedetentim, vt vna pars post aliam reparetur: secus autem benedictio, quia loco affixa est, non parietibus.

19. Quid faciendum in casu necessitatis?

Notandum autem est, in casu necessitatis celebrari posse in Ecclesia polluta, de licentia Episcopi, vt bene docent Suar. disp. 81. sect. 4. §. *His positis*, & plures alii. Imò etiam potest esse tanta necessitas, vt si non sit recursus ad Ordinarium, liceat absque illius facultate petita celebrare. Verbi gratiâ, si in die festo populus non habeat aliam Ecclesiam in qua possit Missam audire, vt bene addit Delugo disput. 20. num. 63. in fine: & paulò ante num. 61. affirmat Ecclesiam, si non erat consecrata, posse de iure communi, sine alia licentia (quamuis ex decentia peti soleat, quando potest) reconciliari per simplicem sacerdotem aquâ à se benedictâ, eo modo qui præscribitur in Rituali. Item in casu necessitatis celebrari potest cum altari portatili, seu lapide sacrato, vt vocant, extra loca supradicta: vt si fideles in bello, & in castris militaribus, vel in longa peregrinatione sint alioqui sacro diu cariturі: propter quod in ipso etiam mari celebrari permittitur, vt ab aliquo tempore sæpius fieri cœpit de licentia tacita, vel expressa Prælatorum, vt testatur Delugo. disp. 20. sect. 3. addens hanc facultatẽ fuisse nihilominus non ita pridem negatã à sũmo Pontifice pro Triremibus, propter minorem necessitatem: quia sæpe frequentant littora, è quibus potest audiri sacrum, quod ibi celebratur loco decenti, in gratiam Triremium. Item si propter magnã populi affluentiam in aliqua solẽnitate non possit ecclesia sufficere tantæ multitudini capiendæ: tunc licitum est sacrificare in altari iuxta ecclesiam constructo. Idemque dicendum quando tempore pestis non possunt fideles, sine periculo contagionis in Ecclesiam conuenire: potest enim tunc sub dio loco patenti, & aperto celebrari, vbi minus periculum est. Potest etiam & solet extrui altare in littore; non modò ob Triremes, vt iã dixi, sed etiam propter multitudinem aliorum nauigantium, vt sacrum inde audiant diebus festis. Et ex cap. vlt. de Priuilegiis, licet Episcopis, itineris causâ, per se, vel per alium in sua præsentia sacrificare loco decenti, cum altari portatili. Quędam etiam peculiaria priuilegia fuerunt circa hoc concessa regularibus, vt videre est apud Rodrigues bulla 37. nu. 37. & Suar. d. 81. sect. 3.

Sicut autem non licet nisi conuenienti loco celebrare: ita neque sine apparatu, & vestibus conuenientibus. Quare altare debet tribus mappis ornari, iisque benedictis, vltra corporale similiter benedictũ ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem. Purificatorium verò, quo ad calicem tergendum vtimur, non debet ex obligatione esse benedictum. Requiritur etiam lumen ex cera: aliud tamẽ sufficit in casu necessitatis ex oleo vel seuo, secluso scandalo; & crux super altare: itemque liber Missalis, vt præscribitur in Rub. Miss. quamuis obligatio circa hæc duo nõ sit grauis: existimentque aliqui crucem non esse necessariam in altari, supra quod sanctissimũ sacramentum seruatur: & sacerdotem, qui memoriter tenet quidquid in Missa dicendum est, posse saltem in casu necessitatis, celebrare sine libro Missalis; vt & illum, qui propter oculorum debilitatem legere ampliùs non potest, licet videat, quantum sufficit, ad reliquas Missæ actiones obeundas. Requiruntur præterea vasa sacra, calix nimirũ, & patena; consecrata ambo ab Episcopo, vel ab alio ex priuilegio summi Pontificis. Atque etiam vestes sacerdotales, amictus, alba, cingulum, manipulus, stolã, & casula: quæ omnia debent esse ab Episcopo benedicta, vel ab alio habente facultatem à summo Põtifice. Et sine illis celebrare graue peccatum est: exceptis forte quibusdam leuioribus in casu necessitatis. Qua de re videri

20. Non licet celebrare sine vestibus sacris.

poſſunt Diana tomo 1. tract. de Celebrat. miſſarum, reſolutione 68. Suar. tota diſp. 82. & Delugo d. 20. ſect. 4.

21. Liceatne Sacerdoti accipere ſtipendium pro Miſſa celebrāda.

Quæritur ſextò, an, & quomodo liceat ſacerdotibus accipere ſtipendium pro Miſſæ ſacrificio. Reſpondeo & dico 1. Sacerdotem poſſe licitè accipere aliquid pro celebrando Miſſæ ſacrificio, non vt pretium ſacrificii, quod foret ſimoniacum: ſed aut per modum eleemoſynæ, ex mera liberalitate: vel etiam ex pacto, velut ſtipendium ad ſuam ipſius ſuſtētationem, quam exigere non eſt ſacrum miniſterium vēdere; ſed tantū petere neceſſaria ad ſacrificandum pro eo, qui vult pro ſe offerri, quæ ſacerdos non tenetur gratis, & de ſuo præſtare ei, pro quo aliunde nō tenetur ſacrificare. Eſt autem perſona miniſtri neceſſaria, eiuſque ſuſtentatio, non minùs quàm panis, vinum, cera, & alia, ſine quibus non poteſt celebrari, quæque poſſunt abſque ſimoniæ labe exigi à petente ſacrificium pro ſe offerri: neque impediunt quò minùs ipſum gratis offeratur; nihil enim pro ipſo accipitur, ſed pro aliquo per ſe neceſſario ad ipſū offerēdum. Sicut poſito v. g. quòd Naaman Syrus Eliſæum Prophetam acceſſiuiſſet, vt ſe à lepra curaret: non deſtitiſſet, Propheta gratis eum curare, neque ſanitatem illam miraculoſam vendidiſſet, & donum Spiritus ſancti, tametſi exegiſſet, et eius impenſis accepiſſet quę erant neceſſaria ad viaticum, vt illum adiret, ſuâque præſentiâ miraculoſæ curationis donum illi applicaret: quia pro tali applicatione, & pro exercitio doni miraculorum nihil accepiſſet. Qua de re plura diximus in tract. de Relig. diſp. vlt. ſect. 10. n. 115. oſtendimuſque id licitum eſſe non modò pauperi ſacerdoti, qui non habet aliunde, quo vitam ſuſtentet ſed etiam ſatis ſufficienterque habenti, ſiue ex bonis ſæcularibus, ſiue ex beneficio eccleſiaſtico, modò non ſit eiuſmodi, vt vi illius teneatur pro aliquo, vel aliquibus offerre ſacrificium. Tunc enim non poteſt pro eodem ſtipendium ab aliis accipere.

22. Atque ita, quia Parochi tenentur aliquoties offerre pro ſuis ouibus, vt probabilius exiſtimo, & celebrare diebus feſtis, non modò vt ſacrificio intereſſe poſſint, vel vt illis ſacramenta miniſtrent, & conferant: verùm etiam, vt pro eorum ſalute orent, à quibus decimas, vel alios reditus Eccleſiaſticos accipiunt: non poſſunt pro iiſdem ſacrificiis ſtipendium accipere, ſed dumtaxat in eleemoſynā ſi gratis donetur, aut eo fine ſolùm, vt qui dat, ſpecialiùs concurrat ad ſacrificium, magiſque de illo participet. Quamuis non pauci contrarium doceant cum Delugo diſp. 21. ſect. 1. num. 21. & ſeqq. Nobiſcum verò ſentiunt Suar. diſp. 86. ſect. 3. §. *Et iuxta hanc concluſionem*, aliique plures, quibus fauet declaratio Cardinaliū anno 1626. à Delugo relata num. 20. in hæc verba: *Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellæ, Legati, aut Salarii, ſi eleemoſynas etiam pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſunt eâdem Miſſâ vtrique obligationi ſatisfacere.* Et verò cùm Parochi iam habeant ſtipendium ſtabile ratione Beneficii ad huiuſmodi Miſſas celebrandas, non video quo titulo poſſint aliud ſtipendium pro illis exigere. Quare non poſſunt accipere aliquid per modum ſtipendii, niſi pro aliis diebus, quibus alioqui non tenentur celebrare. Diligenter etiam vitandæ ſunt hac in parte, & in reliquis miniſteriis eccleſiaſticis importunæ, & illiberales exactiones, aliaque huiuſmodi, quæ à Simoniaca labe, vel certè à turpi quæſtu, & auaritiæ ſorde non longè abſunt, vt monet Trident. ſeſſ. 22. in decreto de Obſeruādis, & euitandis in celebratione Miſſæ: vbi etiam decernit, vt Ordinarii locorum, & Epiſcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere, ſedulò curent, & teneantur.

Dico ſecundò, Stipendium quod pro celebrando Miſſæ ſacrificio poteſt licitè exigi, debere eſſe iuſtum. Tale autem cenſetur illud quod vel à Prælatis, vel à communi conſuetudine taxatum fuit: neque eſt neceſſe, vt ſacerdoti alendo ſufficiat: quia cùm non occupetur toto die in celebrando, poteſt aliunde ſibi prouidere. Multa verò circa eiuſmodi ſtipendium recens ſtatuta fuerunt anno 1625. à ſacra Congregatione Concilii, auctoritate S. D. N. Vrbani P. VIII. de quibus erant inter Theologos variæ ſententiæ, vt videre eſt apud Card. Delugo. d. 21. ſect. 2. Primum eſt, ſacerdotes, qui ſtipendium minus iuſto acceperunt, non poſſe vna, eademque Miſſa ſatisfacere pro pluribus ſtipendiis, & ſi id faciant teneri ad reſtitutionem. Cuius contrarium ſenſerant multi, quos idem auctor citat num. 26. & Diana tom. 1. tract. de Celebratione Miſſarum, Reſolutione 7. Speciatimque ita docuerat Suar. d. 86. ſect. 4. §. *Vnde conſequenter infero*, idque licet Sacerdos promiſiſſet ſe pro illo ſtipendio celebraturum: quia poterat, inquit, nihilominus ſe indemnem præſtare, quamuis neceſsitate, & paupertate coactus ita pepigiſſet. Secundum eſt, non poſſe ſacerdotem pro vno ſacrificio tantum exigere ſtipendium, quantum ad diurnam eius ſuſtentationem ſufficit; vel tot à variis accipere, vt ad illum finem ſufficiant: ſed ſtipendio taxato contentum eſſe debere: non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis, quibus Congregatio derogat, obligatque contra facientes ad graue peccatum, & reſtitutionem. Contrarium verò ſenſerant Sotus, Angelus, Canus, Aragon. & alii, quos citant Diana ſupra Reſolutione 8. & Suar. d. 83. ſect. 4. initio. Tertium eſt, non poſſe ſacerdotem qui pro ſacrificio celebrando ſtipendium accepit, licet iuſto maius, aut eleemoſynam largiorem: aliquid illius ſibi retinere, & reliquum dare alteri ſacerdoti, vt vice ipſius celebret. Quamuis enim nonnulli antea id licitum eſſe affirmaſſent, prohibetur tamen à prædicta Congregatione, vt, inquit, omne damnabile lucrum ab Eccleſia remoueatur.

23. Debet ſtipendium eſſe iuſtum.

Quod nihilominus puto intelligendum cum Delugo sup. num. 32. nisi omnino gratis, & libenter sacerdos ille condonet reliquum sine dolo, & metu, vel qualicunque vi & coactione. Sicut enim posset gratis celebrare loco alterius, & totum stipendium illi relinquere: ita potest stipendii partem gratis donare. Quartum est, non posse Sacerdotes tot accipere stipendia pro Missis celebrandis, vt non possint intra breue tempus pro illis omnibus satisfacere: nisi dantes ad maiorem dilationem consentiant. Breue autem illud tempus dicitur à nonnullis esse duorum circiter mensium, licet Congregatio, eiusque declarationes illud non definierint. Et hoc rationi consentaneum esse videtur, excepto casu, quo voluntas, aut necessitas dantis postulet citiùs satisfieri.

24. Notanda de eodem stipendio. Plura ad stipendium pertinentia, & ad debitum celebrandi titulo fundationis, aut alio, videri possunt apud Delugo sect. cit. vbi inter alia docet, eum qui accepit stipendium pro celebranda Missa peculiari B. V. aut alicuius Sancti, satisfacere: si dicat sacrum, quale occurrit eo die, saltem nisi stipendium notabiliter augeatur propter illam conditionem, meliusque esse sic facere diebus festis, aut duplicibus: quia melius est seruare, ordinem Missalis, quàm ob priuatam deuotionem illum inuertere: de quo etiam exactè seruando recens edita fuit constitutio ab Vrbano VIII. Item eum, qui ratione fundationis, aut stipendii debet alicubi celebrare, satisfacere dũmodo alibi celebret: nisi qui stipendium dat, aut fundator id voluerit propter specialem cultum illius loci, vel commoditatem populi, vt ibi sacrum audire possit, vel ob decus, & memoriam suæ familiæ, ad quam talis locus pertinet. Similiterque eum, qui tenetur in certo quodam altari, aut certis diebus determinatis sacrificare ratione stipendii, aut fundationis, satisfacere, si aliqua de causa rationabili locum, aut diem mutet interdum: exceptis casibus prædictis. Quæ sit autem causa rationabilis, prudenti iudicio ex æquo, & bono statuendum est per benignam interpretationem voluntatis fundatorum, aut dantium stipendium, qui in eo casu vellent rationabiliter locum, aut diem mutari, vel non grauatè id permitterent. Quod clarum est, quando mutatio in eorum commodum, & maius bonum cedit: vt si Missa pro defuncto fiat in altari priuilegiato, loco non priuilegiati, à fundatore electi.

SECTIO III.

Liceatne Missas priuatas celebrare; vel etiam sine Ministro?

25. Missæ priuatæ variæ acceptiones. Circa primum, suppono Missam priuatam dici posse vel primò, quia fit in loco priuato, id est, non publico ad hoc destinato, puta in priuato quodam Sacello, aut Oratorio, non in Ecclesia. Vel secundò, quia fit pro aliquo fine priuato, & peculiari, nimirum pro aliqua peculiari necessitate, vel pro hac aut illa persona, viuente, aut defuncta. Vel tertiò, quia non fit coram populo, sed vno aut paucis assistentibus. Vel quartò, quia solus sacerdos in ea communicat. Et hoc maximè sensu contendunt hæretici huius temporis Missas priuatas esse illicitas, & abrogandas: contra quos Tridentinum sic pronunciat sess. 22. can. 8. *Si quis dixerit Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.* Et cap. 6. eiusdem sess. affirmat, Optare se quidem, vt in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus vberior proueniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, vt priuatas, & illicitas damnare, sed probare, atque adeo commendare; siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent, partim quòd in eis populus spiritualiter communicet: partim verò quòd à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur. Nimirum quia, vt rectè ait Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio cap. 4. *Sacerdos pro vniuerso orbe legatus intercedit, estque apud Deum deprecator, vt omnium, non viuorum modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat.* Quod in quolibet Missæ sacrificio obseruari manifestum est ex ipso Canone, & precibus, quæ in ea recitantur iuxta ritum & præscriptum Ecclesiæ. Quare neque illæ, neque vllæ aliæ Missæ sunt priuatæ omni ratione: quasi non aliquo sensu sint verè communes plurimis, imò & omnibus fidelibus.

Meritò autem damnantur Nouatores à Tridentino. Tum quia vsui in tota Ecclesia recepto ante illorum exortum, sese opposuerunt: contra quem vsum circa sacramentorum celebrationem disputare, insolentissimæ esse insaniæ affirmat D. Augustinus epistola 118. ad Ianuar. Tum etiam quia certum est missas eo sensu priuatas fuisse in vsu quinque prioribus Ecclesiæ sæculis, ad quæ tanquam puriora solent prouocare aduersarii. Id enim liquet ex verbis D. Chrysost. homil. 3. in cap. 1. epist. ad Ephes. vbi sic loquitur: *Frustra habetur quotidiana oblatio. Frustra adstamus ad altare. Nemo est, qui participet.* Vbi notandum est, Chrysostomum duo dicere: Nimirum se & alios Sacerdotes quotidie celebrare: & neminem alium participare sacramentaliter illorum sacrificio. Cùm autem dicit, *frustra*, non propterea reprehendit sacerdotes ipsos celebrantes sine vllo alio communicante, sed populi teporem, & negligentiam arguit. Vt si concionator diceret: Frustra quotidie verba facimus. Frustra vos hortamur ad virtutem,

26. Missæ sine communicantibus præter sacerdotem sunt licitæ.

Chrysost.

tutem,& fugam vitiorum. Nemo eſt, qui proficiat. Ibidemque non obſcurè ſignificat Chryſoſtomus ſicut & Homil. 61. ad populum Antioch. veteris edit. vbi idem repetitur, ſe aliosque Sacerdotes non deſtitiſſe ab offerendo quotidie Euchariſtię ſacrificio, tametſi nullus, niſi in Paſchate, ad communionem accederet. Et Ambroſ. lib. 5. de Sacram. cap. 4. *Si quotidianus*, inquit, *eſt cibus, cur ſemel tantùm in anno illum accipis: quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt?* Et Auguſt. epiſt. 23. ad Bonifac. affirmat, quotidie ſuo tẽpore ſolere fieri Miſſæ ſacrificium: *Semel*, inquit, *immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo. Et tamen in ſacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur.* Tametſi fideles non quotidie tunc communicarent: quod ipſe non reprehendit: ſed è contrario in epiſt. ſupra citata ad Ianuarium, dicit non eſſe vituperandos eos, qui humilitatis, & reuerentiæ cauſa abſtinent aliquandiu à communione, quique inſtar Centurionis indignos ſe exiſtimant tanto Dei beneficio.

27. Confirmatur ex Concil. His adde, quòd in Concilio Agathenſi Can. 18. iubentur tantùm fideles communicare ter in anno: in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini: cùm tamen ſingulis diebus Dominicis tenerentur ſacrificio aſſiſtere, vt patet ex eodem Concilio Agathenſi can. 47. & refertur diſt. 1. de Conſecrat. cap. 64. Idemque longe ante Fabianus Papa ſtatuerat in epiſt. Decretali, quæ refertur à Gratiano in Decreto, diſt. 2. de Conſecrat. cap. *Etſi non frequentius*. Et in Concilio Toletano XII. can. 5. cuius verba referuntur in eadem diſt. cap. *Relatum*, non aliud ſtatuitur tãquam neceſſarium ad legitimũ ſacrificium, quàm vt Sacerdos ipſe de illo participet. *Quale*, inquit, *erit illud ſacrificium, in quo nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur?* Neque aliud ibi reprehenditur, niſi quòd Sacerdotes, de quibus loquitur, plures in die Miſſas celebrantes, in ſola tantùm extrema ſacrificii oblatione, communionis ſanctæ gratiam ſumerent. Adde etiam quòd SS. Patrum teſtimoniis conſtat eos interdum celebraſſe priuatis quibuſdã in locis, vbi neque communionis vllius mentio fit, neque eſt veriſimile alium præter celebrantem communicaſſe. Vt quando teſte D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. c. 8. Vnus de illius Presbyteris obtulit ſacrificium in fundo cuiuſdam Heſperii ad fuganda ſpectra, quibus locus ille infeſtabatur. Et quando Gregor. Nazianz. priuatim in exiguo Sacello ſacrũ facere ſolebat, vt de ipſo narrat Sozomen. lib. 7. hiſt. cap. 5. Et quando Theodoretus in cellula S. Maris Anachoretæ conſecrauit, vt ipſemet ſcribit, in hiſtoria religioſa SS. Patrum cap. 20. his verbis: *Cùm longo tempore deſideraſſet* (vir ille ſanctus) *videre offerri ſpiritale, & myſticum ſacrificium, rogauit vt diuini doni illic fieret oblatio. Ego verò libenter parui, & iuſsi ſacra vaſa afferri: pagus enim haud longè aberat: & pro altari vſus Diaconorum manibus myſticum, diuinum, & ſalutare obtuli ſacrificium. Ille autem omni ſpirituali voluptate implebatur, & exiſtimabat ſe ipſum cælum videre.*

Auguſt.

Adde denique quòd in Concilio Nannet. Can. 30. apud Iuonem parte 3. Decret. cap. 70. & Burchard. lib. 3. cap. 68. iubentur Presbyteri non celebrare ſoli, niſi ſaltem adſit vnus, qui reſpondeat. Quod ſtatutum duo indicat. Vnum eſt, aliquos Sacerdotes tunc nullo prorſus adſtante, ac proinde neque communicante, interdum ſacrificaſſe. Alterum eſt, ſufficere ad licitè celebrandum vt habeant ſaltem vnum adſtantem, qui reſpondeat, quamuis non communicet. Quia Canon ille nihil aliud requirit.

Et verò cùm ſacrificium Euchariſtiæ poſſit fidelibus prodeſſe, non modò, vt de illo participent per communionem Sacramentalem, verum etiam ad multos alios fines: nimirũ ad Deum ſupremo & præcipuo cultu latriæ adorandum, vt ait S. Aug. lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & ad eundem placandum, precandũque pro fidelibus, etiam nõ cõmunicantibus, neq; adſtantibus, proque toto corpore Eccleſiæ, vt affirmant Chryſoſt. Homil. 3. de Incõprehenſib. natura, circa finẽ, & Cyrill. catech. 5. myſtag. atque etiam pro defunctis ipſis, vt teſtantur Cyrill. ibid. Chryſoſt. Homil. 3. in cap. 1. epiſt. ad Philip. Auguſt. lib. 9. Confeſſ. cap. 12. & lib. 1. de Anima & eius origine ad Renatum cap. 11. Itemq; ad diuina beneficia impetranda illis, pro quibus offertur: pacem Eccleſiæ, orbi tranquillitatẽ, Regibus, & populis ſalutẽ, ægris leuamen, laborantibus auxilium, &c. vt ait Cyrill. Catecheſi ſupra cit. Cùm, inquam, ſacrificium Euchariſtię ad tam multos alios fines vtile ſit, nulla eſt ratio cur propter defectum communicantium, & teporem, aut negligentiam Chriſtianorum, ſacerdotes tum ſeipſos, tum etiam alios priuare debeant tam ſalutaribus, & neceſſariis illius effectibus, cùm neque Scriptura vllibi prohibeat celebrare ſine aliis cõmunicantibus: neque aliunde vllum tale pręceptum colligatur, vt patebit inferiùs reſpondendo aduerſariis. 28. Probatur ratione.

Iiſdem argumentis probatur licitas eſſe Miſſas priuatas primo, ſecundo, & tertio ſenſu ſupra explicatis. Nam & illarum vſus totã Eccleſiã receptus eſt: & fuit etiam quinque prioribus ſæculis: atque ad fines ſupradictos non minùs vtiles ſũt. Prima, & poſtrema pars huius aſſertionis ſatis liquent. Media verò, quòd ſcilicet in antiqua Eccleſia vſitatæ fuerint Miſſæ priuatæ, ita dictæ reſpectu loci, id eſt, factæ in loco priuato, quas Lutherani per contemptũ *Angulares* vocant, patet ex ſupra dictis de Presbytero celebrante in fundo ruſtico Heſperii apud Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 8. & de Gregorio Nazianzeno celebrare ſolito in exigua cellula extructo ſibi oratorio, apud Sozomenum lib. 7. cap. 5. & lib. 9. hiſtor. Tripart. cap. 8. & de Theodoreto celebrante in tugurio Sancti Maris Anachoretæ, vt eius deſiderio ſatisfaceret. Quibus adde quod de S. Ambroſio ſcribit Paulin. in eius vita, ſacrificaſſe illũ in ædibus cuiuſdã matronæ Romanæ. Et quod de S. Luciano Martyre refertur in eius Actis apud Baron. ann. Chriſti 311. n. 8. ſacrificaſſe in carcere pridie mortis 29. Miſſæ priuatæ reſpectu loci ſũt licitæ.

suæ, impositis supra pectus altaris loco, cùm aliter non posset, sacris symbolis: iacebat enim in terra supinus, & catenis onustus. Et quod de S. Ioanne Eleemosynario scribit Leontius in eius vita, cùm videret populum egredientem tempore sacrificii, ad illum cõuersum dixisse: *Ego filii propter vos ad Ecclesiam descendi. Nam ipse mihi in Episcopio Missas facere poteram.* Et quod de Cassio Narniensi Episcopo dicit Gregorius Magnus Hom 37. in Euangelia, prope finẽ, illum cùm morbo impediretur, ne ad Ecclesiam descenderet, priuatim in oratorio Episcopii celebrasse. Et quod de S. Barlaam testatur Damasc. in eius historia, illum præsente solo Iosaphat in sua cellula sacrificare consueuisse. Sed & ipsi Apostoli frãgebant panem circa domos Act. 2. v. 46. quod de Sacramento Eucharistiæ interpretantur SS. Patres, & Doctores Catholici, vt videre est apud Cornel. à Lap. Lorin. & alios in eum locum.

30. Et Missæ priuatæ respectu finis.

Quòd etiam tunc fierent Missæ priuatæ ita dictæ ratione peculiaris alicuius finis, ad quẽ referebantur, nimirum pro aliqua necessitate priuata, testatur S. August. lib. 9. Confess. c. 8. Vbi affirmat Sacrificium pro matre sua fuisse oblatũ, posito iam eius cadauere iuxta sepulcrum. Et lib. 22. de Ciuit. cap. 21. dicit fuisse oblatum in quodam prædio, pro eo liberando à Dæmonum infestationibus. Et Ambrosius in orationibus de obitu Theodosii, Valentiniani, & Satyri fratris, dicit se pro illorum animabus sacrificaturum, & Tertullian. ad Scapulam ait Sacerdotes Christianos pro salute Imperatoris sacrificare solitos. Itẽ cùm hoc sacrificium excellenter valeat ad ea omnia, ad quæ valebant sacrificia legis antiquæ, vtpote quod bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur: possitque ad eosdem fines applicari: constat ex Testamento veteri multa eorum fuisse facta ob fines priuatos. Nam Iob sacrificabat pro salute filiorũ, Iob. 1. & pro venia tribus amicis suis impetranda Iob. 42. Et Onias pro sanitate Heliodori, 2. Macab. 3. v. 32. Et Leuit. 4. præscribuntur sacrificia non modò pro populo, qui peccauerit per ignorantiam: sed etiam pro principe ita peccante, & pro quolibet de populo. Cap. vero 5. aliisque sequentibus imperantur pro pluribus aliis finibus peculiaribus.

31. Et ita dictæ ob paucitatem assistentium.

Denique quòd etiam fierent olim Missæ priuatæ ita dictæ ratione paucitatis assistentium, liquet ex supra dictis de Luciano celebrante in carcere: & Ambrosio in ædibus priuatis matronæ: & Gregorio Nazianzeno, Theodoreto, & Barlaamo, in cellulis eremi, paucis præsentibus, & interdum vno solo: & ex Canone 30. Concilii Nannet. supra relato nu. 27. Quibus adde Gregorium Magn. lib. 4. Registri epist. 43. prohibere ne in monasteriis fiant Missæ publicæ, per Episcopum, Ne in seruorum Dei secessibus, popularibus ibi præbeatur occasio vlla conuentibus. Quæ ratio concludit etiam de aliis Missis publicis, per alium quàm per Episcopum factis, Quare tantùm abest eiusmodi Missas non publicas fuisse illicitas, vt potiùs alicubi fuerint præceptæ à Sancto illo Pontifice, quem Caluin. ipse vt sanctum, & verum, sed vltimum Ecclesię Romanæ Pontificem veneratur. Nec obest illud Basilii in Psal. 115. prope finem: *Nõ in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium*: loquitur enim, vt liquet ex verbis sequentibus, de latebris, id est, secretis conuenticulis Schismaticorum: non autem de priuatis Oratoriis, deuotionis, & maioris recollectionis causa extructis. Omitto duos alios sensus, quibus inter Catholicos Missę priuatę nomen vsurpari solet: quia non est de illis specialis controuersia cum hæreticis. Vnus est, quo priuata vocatur illa quæ non fit de Officio; sed, iuxta propriam deuotionem, de aliquo alio: quæ Missa nunc peculiariter *Votiua* solet appellari, distinguiturque ab aliis, quæ vocantur *de die*, aut *de tempore*. Atque hoc sensu Missæ priuatæ nomen vsurpatur in Cap. *Quidam Laicorum*, de celebratione Missarum. Alter est, quo priuata appellatur illa, quæ dicitur sine cantu, & sine solennitate, seu frequentia populi, propter quam solet cantus requiri. Vnde è contrario Missæ cum cantu celebratæ, vocantur publicæ, & solennes. Præsertim si dicantur cum peculiari, & solenni ritu ecclesiastico, id est, cum Diacono, Subdiacono, Acolythis, incenso, &c. quæ peculiariter, & magis propriè solennes appellantur: eoque sensu de illis loquitur D. Thom. q. 83. art. 5. ad 12. quando affirmat debere necessariò plures adesse in solenni celebratione Missæ, iuxta præscriptũ Canonis *Hoc quoque*, de Consecrat. dist. 1.

Circa secundum in titulo sectionis propositum, dico illicitum esse celebrare, sine vno saltem ministro, qui respondeat, & personam populi sustineat: excepto casu grauis & vrgentis necessitatis. Prima pars liquet ex Can. 30. Concilii Nannet. supra relato, vbi prohibetur aliter celebrari. Et in Concilio Maguntiaco, seu Moguntino 1. habito circa annum 813. Can. 43. prohibetur vt Sacerdos non celebret solus. *Quomodo enim*, inquit, *dicet Dominus vobiscum: Vel sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, cùm alius nemo cum eo sit?* In Concilio quoque Basiliensi sess. 21. reprehenditur abusus quorundam sacerdotum, qui Missas priuatas sine ministro celebrabant. Et denique licet nullum aliud præceptum existeret, sufficeret consuetudo Ecclesiæ, quæ vim legis obtinuit; vt ex eo patet, quòd Prælati, & Concilia non patiuntur aliter fieri. 32. Illicitum est celebrare sine Ministro.

Quin etiam in Can. 61. *Hoc quoque* de Cõsecr. dist. 1. sumpto ex Sotere Papa, statuitur, *Vt nullus Presbyterorũ Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsẽtibus, simulque respondentibus, ipse tertius habeatur: quia cũ pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in Secretis, Orate pro me, aptissimè conuenit, vt illius respondeatur salutationi.* Quæ ratio æquè probat de Missis priuatis, ac de solennibus: tametsi D. Thom. q. 83. art. 5. ad 12. de 33. Olim duo assistentes requirebantur.

istis solum hoc statutum intelligit. Quod etiam Micrologus lib. de rebus Eccles. cap. 22. scribit fuisse sancitum ab Anacleto. Nũc tamen ex consuetudine iamdiu præscripta, quæ prædictos Canones abrogauit, si latiùs quàm de Missis solennibus intelligendi sunt, vt plerisque videtur, sufficit in Missis priuatis vnicus minister, qui cum personam communitatis sustineat, potest verbis supra dictis compellari a celebrante. Quãquam hæc ratio congruitatem magis, quàm necessitatem ostendit. Alioqui probaret officium ecclesiasticum nõ posse sine socio, aut ministro recitari. Quia in illo quoque sæpius dicitur, *Dominus vobiscum, Oremus, Benedicamus Domino,* & similia, quæ plures adstantes, vel vnum saltem respondentem requirere videntur. Neq; per se loquendo repugnat Sacerdotem, siue quando celebrat, siue quando sacrũ officium recitat, duplicem sustinere personam: videlicet publici ministri Ecclesiæ, cuius nomine orat, aut celebrat: & populi pro quo celebratur, aut oratur, cuius etiam ipse pars est: conuenientiùs tamẽ videtur, vt tum officium diuinum, tum sacrificium cum vno saltem alio, recitetur, aut fiat. Quãuis circa officium priuatim recitãdum id non sit in præcepto: atq; etiam vt in festis, præcipuè solẽnibus vtrumque fiat cum pompa, & solennitate, de qua supra n. 31. in fine, ad maiorẽ illius splendorẽ & reuerentiam, necnon ad differentiam festiuitatũ, populiq; deuotionẽ magis excitandã.

34. *Necessitas illa est tãtũ ex præcepto. Ecclesiast.*

Notandum tamen est præceptum illud esse purè ecclesiasticum. Nam ex iure diuino nullum proferri potest, aut ex natura sacrificii, & iure naturali orto ex ipsius institutione, quia tota illius essentia potest existere actione solius consecrantis. Neq; Christus in prima huius sacrificii celebratione vllum ministrum sibi respõdentem adhibuit, aut necessarium esse significauit. Et quamuis coram duodecim Apostolis celebrauerit, illisq; corpus, & sanguinem suum distribuerit, dixeritque, *Hoc facite:* Non proptereà iussit vt facerent quidquid ipse tunc fecit, & omni modo, quo fecit. Alioqui necessarium esset duodecim personas vltra celebrantem semper assistere Missæ sacrificio, nec plures, neque pauciores, & fœminas ab illo excludi, & noctu tantùm celebrari in cœnaculo post lotionem pedum, & esum Agni paschalis. Quæ omnia perabsurda sunt.

35. *Fœmina non potest ministrare.*

Notandum secundò, Ministrum sacerdoti celebranti proximè inseruientem fœminã esse nõ posse: quia expressè id prohibetur cap. *Inhibendum, de cohabitatione Clericorũ, & mulierum,* vbi statuitur, *Vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere; aut Presbytero ministrare.* Potiùsque esset sine ministro celebrandum, quàm permittendum fœminam ministrare: quia istud est magis indecẽs, ideoque magis vitandum, vt rectè affirmant Domin. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 5. argum. 12. Suar. disp. 88. sect. 1. in fine, & Aegid. Coninck q. 83. art. 5. n. 264. aliique plures. Dixi autem, *proximè,* &c. quia licitum est Monialibus respõdere ex choro Sacerdoti celebranti: sed non proximè ad altare ministrare, aquã, & vinum offerre, vel in calicem infundere, librum deferre ab vno cornu ad aliud, & reliqua similia præstare. Hunc autem morem Sanctimonialium tam antiquum & generalem in ecclesia, tamdiuque à Prælatis toleratum, aut potiùs approbatum, nemo potest sine temeritate reprehẽdere. Neque de illo puto loqui Aegidium Con. quando dicit loco supra citato, contrariam consuetudinem, quæ quibusdã in locis est, non videri vllo modo probandã, cùm omnino repugnet aperto iuri, & venerationi tanto sacramẽto debitæ. Etenim iura facilè possunt intelligi de proximè assistente, & ministrante ad altare: & in tali modo respondendi Sanctimonialium nulla apparet indecentia, vel irreuerentia indigna sacrificio.

36. *Licet in casu necessitatis celebrare sine ministro.*

Nota tertiò, In casu grauis & vrgentis necessitatis licere absque ministro celebrare, vt in secũda parte conclusionis diximus: & docent Glossa in caput, *Hoc quoque,* de Cõsec. *dist.* 1. Durant. lib. 2. de Ritib. Eccles. cap. 15. Dom. Sot. Suar. & Aegid. locis citatis, qui etiam plures alios referunt in eandem sentẽtiam. Huiusmodi casus esse potest necessitas celebrandi ad dandum moribundo viaticum: aut si in aliquo festo solenni, putà in Paschate, vel Pentecoste, carendum alioquin esset sacrificio. Addit Glossa posse quoq; inclusum siue solitarium Missam solum cantare. Verùm, vt bene aduertit Suar. vbi suprà, hæc nõ necessitas, sed voluntaria solitudo est. Nemo autẽ potest voluntate propria talem viuendi modum instituere, in quo celebret contra legem, & inducere consuetudinem extraordinariam. Quare censeo non posse illum absq; dispensatione Summi Pontificis ita celebrare, præsertim ordinariè. Casus ergo necessitatis talis esse debet, vt extraordinariè, fortuitòque occurrat: & simul debet esse grauis, & vrgens necessitas, tanta scilicet, vt meritò credatur præceptum hoc purè Ecclesiasticũ non obligare cum tam magno incommodo.

Notandum denique, deficiente ministro, qui respondere sciat, satius esse adhibere imperitum, si adsit, cui Sacerdos ipse præeat respondendo: quàm omnino sine vllo ministro celebrare. Quia id minùs indecens est, & minùs recedit à lege præcipiente vt sacrum sine ministro non dicatur. Fortasse etiam deficiente quocunq; alio, qui respõdeat quomodocunque, permitti posset fœminam scientẽ respondere è loco remoto, vt solent ordinariè facere Sanctimoniales in Missis solennibus. Nam & olim tota plebs solebat respondere sacerdoti, vt indicat Iustin. in Apolog. pro Christ. Olim etiam quicumque communicabant, respondebant *Amen*, id est, *verè*, sacerdoti affirmanti, se illis præbere corpus Christi, vt colligitur ex Eusebio lib. 6. hist. cap. 35. & diserte affirmant Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 5. & lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. 9. & Leo Papa serm. 6. de ieiunio septimi mensis. Neque id repugnat Apostolo iubenti vt mulieres in

ecclesiis taceant 1. Corinth. 14. v. 34. Tantùm enim prohibet ne mulieres in Ecclesia exhortentur & doceant, aut interrogent: vt patet ex antecedẽtibus, & sequentibus: non autem vt ne respondendo quidem Sacerdoti, vel Deum cum aliis laudando, quicquam dicant. Alioqui sanctimoniales, contra hoc præceptum Apostolicum peccarent.

SECTIO IV.

Soluuntur hæreticorum argumenta contra Missas priuatas.

37. Missæ priuatæ, id est, sine aliis communicantibus non repugnant formæ consecrationis.

OBjiciunt primò & præcipuè, Missas illas priuatas, in quibus solus Sacerdos communicat, repugnare formæ quâ Christus cõsecrauit; quippe qui de pane dixit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*: Græcè τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. 1. Corinth. 11. Et de Calice, *Hic Calix est nouum testamentum in sanguine meo, qui Calix pro vobis funditur*: Græcè τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Fractio autem & effusio verbis illis significata nihil est aliud, quàm vtriusque sumptio, & participatio, quæ idcirco debet necessariò à multis fieri, vt forma illa verborum sit vera. Sed ad hoc alibi iam responsum fuit primò, fractionẽ illam posse intelligi de ipsa Christi passione, de qua vt moraliter præsente loquitur Christus, quia mox futura erat: & in qua licet carnifices ossibus eius pépercerint, iuxta id quod de illo mysticè prædictum erat, *Os non comminuetis ex eo*: caro tamen ipsius flagris, clauis, & lancea, conscissa, fracta, & lacerata fuit. Secundò, dato, & non concesso, quòd necessariò intelligenda sit de fractione in sacramento: dici potest vero aliquo sensu corpus frangi, quando franguntur, & cõteruntur dentibus species panis, quibus subest. Cùm enim corpus ibi sit loco substantiæ panis, denominari potest ab accidentibus simili modo, quo substantia panis denominaretur, si sub illis esset. Et hoc posito sensus erit: Quod pro vobis frangitur, id est, Quod pro vobis, seu pro vestra salute, fractioni, & comestioni exponitur. Non autem sensus est, vt volunt aduersarii. Quod reipsa à vobis sumitur, & participatur. Alioqui dicendum erat, Quod à vobis frangitur: non autem, Quod pro vobis frangitur. Verum autem est, quòd pro nobis frangitur actu, quando franguntur species, & frangitur aptitudine, quando sub illis ponitur loco panis in ordine ad comestionem, & exponitur fractioni in sacramẽto, licet actu non sumatur. Effusio verò Calicis apud Lucam debet quidem necessariò intelligi de effusione, quæ fit in sacramento: quia Calix non fuit effusus in ipsa passione. Sed debet intelligi quòd effundatur actu vel aptitudine, ratione specierum vini quibus subest, quodque sub illis cõstituatur in modum liquoris liquidi, & potabilis pro hominum salute, vt dixi supra de fractione corporis in Sacramento. Tertiò addo, particulas illas non esse formam consecrationis,

sed aliquid accidentarium illi additum, quod tametsi intelligendum esset de participatione tunc facta ab omnibus Apostolis, non propterea obligaret omnes alios ad sumendum, quotiescunque assistunt sacrificio: neq; probaret non aliter posse licitè Eucharistiam celebrari. Absurdum enim est existimare non posse id fieri, nisi semper communicent quotquot adsunt.

Objiciunt secũdò, Missas illas priuatas repugnare præcepto Christi: quippe qui non modò corã duodecim Apostolis celebrauit, suumque corpus, & sanguinem illis omnibus distribuit: verùm etiam verbis illis, *Hoc facite* præcepit vt similiter ipsi facerent: adeóque Eucharistiam non nisi coram multis celebrarent, omnibusque distribuerent. Respondeo non posse sine manifesto absurdo dici Christum præcepisse Apostolis, vt facerent quidquid ipse fecerat, & omni modo quo fecerat. Alioqui præcepisset vt facerẽt omnes Sacerdotes, quotquot assistunt Eucharistiæ celebrationi: sicut Christus Sacerdotes tunc fecit omnes Apostolos, aliaque multa sequerẽtur absurda, quæ paulò antea enumerauimus. Sicut autem Christus non iussit verbis illis vt Apostoli facerent omnes Christianos Sacerdotes, sed idoneos tantùm, & volentes: ita neque vt omnibus Eucharistiam distribuerent, sed idoneis tantùm, rectéque dispositis, & communicare volentibus. Neque existimandum est voluisse Christum vt Apostoli, & Sacerdotes eorum successores abstinerent à celebratione, & perceptione Eucharistiæ, propter fidelium tepiditatem, aut indeuotionem, si non essent, qui vellent communicare. Cùmque manifestum sit, præceptũ verbis illis traditum non extendi generaliter ad ea omnia, quæ Christus fecit tunc téporis: non est cuiusque de illius amplitudine, aut restrictione iudicare: sed Ecclesiæ columnæ veritatis, & fidelis Christi voluntatum interpretis. Quare de vero illius sensu iudicandũ est ex ipsius definitione, & traditione à maioribus accepta, apud quos Missas priuatas in vsu fuisse suprà ostendimus: non autem ex temeritate Nouatorum. 38. Neque præcepto Christi.

Opponunt tertiò, easdem Missas repugnare institutioni Christi, quam describẽs Apostolus, & modum, quo Cœna Domini celebrari debet, affirmat corpus & calicem distribuendum esse fidelibus, debereque omnes mensæ Domini accumbere. *Panis quem frangimus, inquit, nonne communicatio corporis Domini est? &c. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* Et c. 11. fusius describens eandem institutionẽ prout à Christo acceperat, opponit cœnam Domini cœnæ priuatæ, id est, vt ipsemet exponit; in qua priuatim manducat aliquis non expectatis aliis, & ipse quidem ebrius est, aliis esurientibus. *Iam non est*, inquit, *Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim cœnam suam præsumit, ad manducandum*, id est, præcipit, Græcè προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν. *Et vnus* 39. Neque institutioni Sacramẽti;

qui dem eſurit, alius autem ebrius eſt, &c. Reſpondeo, Apoſtolum prioribus verbis non deſcribere inſtitutionem, neque modum, quo neceſſariò ex præcepto, aut iuxta inſtitutionē Chriſti celebrari debet Euchariſtia, ſed duntaxat affirmare, panem, & calicem Euchariſticum eſſe communicationem corporis, & ſanguinis Chriſti: id eſt, per ipſum nos cōmunicare corpori, & ſanguini Chriſti, quippe qui verè, & realiter nobis in illo exhibetur. Et ſicut illi qui ſcienter, & liberè comedunt de idolothytis, fiunt participes menſæ dæmoniorum, quibus immolata fuerunt: ita nos participes fieri menſæ Domini, quotieſcunque participamus ipſius corpori, & ſanguini. Quæ, vt veriſſima ſunt: ita Miſſis priuatis nihil obſunt, neque vllo modo ſignificant illicitā eſſe Miſſæ celebrationē, in qua non fiat diſtributio corporis, & ſanguinis Domini non volentibus communicare.

40. Quid intelligat Apoſt. per Dominicā cœnam? Poſterioris autem loci duplex traditur interpretatio à SS. Patribus, vt videre eſt apud Bellarm. lib. 2. de Miſſa cap. 10. Cornel. à lapide ibidem, alioſque interpretes. Vna eſt Chryſoſtomi, & aliorum plurium affirmantium per cœnam Dominicam, κυριακὸν δεῖπνον, intelligendam ibi eſſe non Euchariſtię communionem, ſed conuiuium, quod tunc in Eccleſia fieri ſolebat ad ſolatium pauperum, & repræſentationem vltimæ cœnæ Chriſti, id eſt, vltimi conuiuii pridie paſſionis cum diſcipulis celebrati: quodque aliter Agape dicebatur: & de quo ſolo verū eſſe poteſt quod ait Apoſtolus, *Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*. Nam in communione Euchariſtica dabantur Corpus, & Sanguis ſub modica ſpecie panis, & vini: ex quo non poterat vnus inebriari, dum alius eſuriret. Secus autē in illo conuiuio, vbi diuites Corinthiorum ſe à pauperibus ſegregabant, ſplendidéque epulabantur, cùm non darent pauperibus quod ad famem ſedandam ſufficeret. Propter quod dicit Paulus eos non iam Dominicam cœnam manducare, ſed ſuam: id eſt, non imitari Chriſtum, neque iam ampliùs cœnam illius repręſentare: quippe qui ſimul cum diſcipulis omnibus diſcubuit, iiſdem cibis vſus eſt, eodemque potu, & omnibus cum magna æqualitate diſtribuit, aut ſumere permiſit. Altera explicatio eſt Theodoreti, & quorundam aliorum, qui per cœnam illam intelligunt Euchariſticam. Iuxta quam expoſitionem dicendum eſt, Paulum duntaxat reprehendere eos, qui à ſua communione priuata excludebant alios, vel prauo quodam affectu præueniebant alios communicare volentes. At Eccleſia neminem excludit cōmunicare volentem, & idoneum: quin potiùs optaret adeſſe ſemper Miſſæ ſacrificio, qui ſacramētaliter illi participarent: neque Sacerdotes excludunt quemquam huiuſmodi, aut ambitiosè præueniunt, quando ſoli communicant celebrando, defectu aliorum, qui velint, & poſſint. Cùm autem Chryſoſtomus in locum Pauli citatum, aliique Patres dicunt cœnam Domini debere eſſe communem: intelligunt, neminem petentem, & idoneum debere ab illa excludi, non autem quòd neceſſariò debeant ſemper fideles ei participare, neque licitè poſſit aliter celebrari.

Opponunt quartò, Fruſtra, & falſò dici in ipſo Canone Miſſæ, *Quotquot ex hac altaris participatione ſumpſerimus*: & in Poſtcōmunione, *Sacramenta, quæ ſumpſimus*, quotieſcūque nullus præter ſacerdotem communicat. Fruſtra etiam frangi hoſtiam, quando non diſtribuitur. Nam fractio debet fieri propter diſtributionem, ad exemplum Chriſti, qui vt dicitur 1. ad Corinth. 11. *Accepit panem, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum*. Reſpondeo, ſenſum primæ propoſitionis eſſe cōditionatum: orat enim ſacerdos vt quicunq; ſumpſerint, ſiue vnus, ſiue plures illi ſint, omni benedictione cœleſti, & gratia repleantur. Addo, orationes quæ in plurali cōceptæ ſunt propterea quòd pro multitudine fuerunt inſtitutæ, & frequenter ab illa, vel pro illa dicuntur, non debere mutari, licet contingat aliquando ab vno ſolo, aut de vno ſolo enunciari. Vt patet ex ipſa oratione Dominica, in qua nihil mutandum eſt, quando ab vno ſolo profertur, licet pronuncians in plurali loquatur cùm ait: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*, &c. Præterquam quòd modus loquendi fert, vt de vno ſolo pluralis numerus efferri poſſit honoris aut modeſtiæ cauſa, vel alia ratione id exigente, cuiuſmodi eſt in præſenti conformitas, & conſtantia ſeruanda in publicis orādi formulis. Ex quo patet reſponſio ad ſecundam partem obiectionis. Ad tertiam verò, & poſtremam dicendum eſt, fractionem panis non referri ſolùm ad diſtributionem, ſed etiam ad repræſentandam paſſionem, & ſepulturam Chriſti, vel deſcenſum eius animæ ad Limbū, propter quod vna particularum in calicem immittitur. Quare non fruſtra fit, quando nullus præter Sacerdotem communicat. Addo etiam poſſe orationes ſupra dictas intelligi de fidelibus, qui alibi toto orbe communicant ſub idem tēpus. Pro illis enim omnibus orat Sacerdos: quippe qui Legatū agit apud Deum pro vniuerſa Eccleſia, vt paulò ante diximus: & illi omnes ſumunt ex hac participatione altaris: id eſt, ex hac eadem hoſtia, Chriſto ſcilicet, qui idem vbique immolatur, & ſumitur. Poteſt etiam Sacerdos de ſeipſo loqui in plurali, cùm dicit Sacramenta quæ ſumpſimus, ob eam ſpecialē rationem, quia totam Eccleſiam repręſentat, eiuſque nomine ſemper communicat: & per, *Sacramenta*, poteſt vtramque ſpeciem intelligere, quę ſeorſim habent vim ſignificandi, & efficiendi gratiam, ſuntque duo ſacramenta partialia, quæ vnum totale per modum conuiuii perfecti conſtituunt. Poſſunt denique verba illa intelligi de omnibus ſpiritualiter ſaltem communicantibus, & charitate, atque intentione coniunctis cum Sacerdote celebrante, & communicante ſacramentaliter.

41. Non repugnat etiam Canoni Miſſæ.

42. Opponunt quintò aliqua Patrum teſtimonia, quæ videntur Miſſas illas reprobare in

Neque doctrinæ SS. Patrum. quibus nullus communicat. Cuiusmodi est illud Chrysostomi Homil. 3. in cap. 1. epist. ad Ephes. *Frustra fit quotidiana oblatio. Frustra adstamus ad altare. Nemo est, qui participet.* Et Basil. in Psal. 115. versus finem, *Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium.* Propter quæ, & similia Valfridus Strabo lib. de Rebus ecclesiast. cap. 22. dicit illam esse Missam legitimam, in qua adsunt Sacerdos, respondentes, offerentes, & communicantes. Ad primum respondimus sect. præcedenti, Chrysostomum non reprehendere Sacerdotes ita celebrantes, sed fideles tepidos, & negligentes: vt patet ex verbis sequentibus paulò post. *Quisquis mysteriorum consors non est, impudens, & improbus adstat.* Quod tamen cum exaggeratione, & amplificatoriè dictū est: quia non tenentur ex præcepto omnes adstantes sacrificio communicare. Ad secundum suprà quoque responsum fuit Basilium loqui de latebris, & conuenticulis Schismaticorum se ab Ecclesia segregantium, & priuatim ac seorsim ab illa sacrificantium, vt indicant verba sequentia: *Audite, qui Ecclesiam relinquitis, & in publicis domibus versati, miseras facitis corporis speciosi scissuras, &c. Tu aram erigis ex aduerso altaris, tibi à Patribus constituti.* Ad tertium dico Valfridum minùs propriè locutum esse, cùm ex Concilio Toletano XII. can. 5. satis intelligatur sufficere ad sacrificium legitimum, si celebrans ipse de illo participet: & ex Concilio Nannetensi habetur, sufficere adesse vnum, qui respondeat, vt vidimus num. 27. in fine. Potest autem excusari, & piè exponi Valfridus de legitimo sacrificio quoad perfectum illius vsum, etiam prout sacramentum est, institutum pro omnibus. Non autem quasi fiat contra legem, sitque eo sensu illegitimum, nisi semper adsint plures qui communicent. Similique modo explicandum est quod obiiciunt ex Humberto, imperfectam esse Missam, in qua non simul fit consecratio, fractio, seu distributio, & communicatio. Intelligendum inquam est de imperfectione quoad integrum vsum.

43. Neque canonibus & definitioni Conciliorū. Opponunt denique Missas illas priuatas repugnare Canoni decimo Apostolorum, & Canoni 2. Concilii Antiocheni, & Canoni *Peracta*, de Consecrat. dist. 2. quo statuitur, vt *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim, & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Qui Canon sumptus est ex Anacleto epist. 1. & alludit ad Canonem Apostolorum supra dictum, renouatum in Concilio Antiocheno Can. 2. vbi pœna priuationis communionis statuitur contra eos, qui Missæ adstantes non permanserint vsque ad finem, & non communicauerint. Respondet Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 10. obiectione octaua, Canonem illum Apostolorum loqui non de quibuslibet non communicantibus, sed de illis, qui certa de causa, nimirum ob aliquam superstitionem, aut prauam opinionem, auersabantur sacram communionem: vt explicatur à Concilio Antiocheno Can. citato, cuius verba sunt: *Omnes qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se à perceptione sanctæ communionis auertunt, hi de Ecclesia remoueantur*, &c. Anacletum vero in epist. ex qua sumptus est Canon *Peracta*, loqui solùm de clericis in sacro solenni ministrantibus, qui tunc temporis tenebantur communicare cum celebrante. Respondeo secundò, dato quòd citati canones loquantur generaliùs, vt de postremo affirmat D. Thom. q. 80. art. 10. ad 5. & plerique probabilius iudicant: iampridem esse contraria consuetudine abrogatos, potuisseque abrogari, cùm sint iuris tantùm positiui ecclesiastici: neque aliud probare, quàm fideles tunc temporis debuisse communicare quoties Missæ assisterent, nisi legitimum impedimentum haberent.

SECTIO V.

De cerimoniis Missæ, quæ in rebus consistunt.

44. Cerimoniæ Missæ triplices. Cerimoniæ Missæ consistunt partim in rebus quibusdam, partim in verbis, & partim in aliquibus actionibus. De singulis breuiter dicendū est, ad ostendendam earum sanctitatem, & antiquitatem, vindicandamque ab hæreticorum calumniis, qui hæc omnia superstitionis, & abominationis plena esse persuadere conantur, Missamque velut Idolum quoddam execrantur. De illis verò fusiùs, & accuratiùs scripserunt Isidor. Rupert. Alcuin. & Amalarius in libris de Diuinis officiis, VValfridus Strabo lib. de rebus ecclesiast. Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacram. Innocentius III. sex libris de Mysteriis Missæ: & ex recentioribus Durantius lib. 1. & 2. de Ritibus Eccles. Bellarm. lib. 2. de Missa à capite 13. vsque ad finem, & Suar. disp. 81. de Euchar. & pluribus sequentibus.

45. Celebrandum in loco sacro. Ad primum genus ceremoniarum pertinent dedicatio, & consecratio Ecclesiarum, & altarium, quæ ad celebrandum Eucharistiæ sacrificium destinantur, vestes Sacerdotales, sacra vasa, incensum, luminaria, & si quæ alia eiusdem sacrificii celebrationi priuatæ, aut solenni inseruiunt. De quibus dico primò vsum, & ritum celebrandi Eucharistiam in ecclesiis, seu locis publicis specialiter Deo dicatis, & consecratis, antiquissimum esse, valdeque decentem, & conuenientem sanctitati huius ministerii. Nam vt omittam quod ait Paulus. 1. Corinth 11. v. 20. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare*, &c. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et inferius v. 34. *Si quis esurit, domi manducet, vt non in*

iudicium conueniatis: Vbi manifestum est ipsum loqui de Ecclesia sumpta pro loco sacro, quem à priuatis Corinthiorum domibus distinguit, & in quo Eucharistiam celebrari vult ea præparatione animi, & reuerentia, quam ibidem describit:

46. Clemens Rom. epist. 2. ad Iacobũ fratrem Domini, clarè affirmat Ecclesias, seu loca sacrificio Eucharistiæ celebrando destinata, debuisse ritu peculiari sacrari, cùm sic ait: *Ecclesias per congrua, & vtilia facite loca, quæ diuinis precibus sacrare oportet, & in singulis sacerdotes diuinis orationibus Deo dicatos statuere.* Et epist. 3. prohibet missas celebrare, vel sacrificare, nisi in locis consecratis, idque Apostolos à Domino accepisse, & nobis tradidisse. Et Athanasius in epist. ad Constantium Imperatorem, se excusat, quòd necessitate coactus in Ecclesia magna nondum consecrata Synaxes celebrasset. Nimirum quia id non licebat extra casum necessitatis, vt etiam statuit Felix IV. atauus S. Gregorii Magni in epist. ad omnes Episcopos, cuius verba referuntur in Decreto dist. 1. de Consecrat. cap. 1. & 2. *Missarum celebrationes*, inquit, *non alibi, quàm in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota veteris, & noui Testamenti præcepta, &c.* Et cap. 15. eiusdem dist. sumpto ex Siluestro Papa in Concilio Romano sic statuitur: *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps deinceps voluerit esse Sacerdotii.* Et denique in Concilio Tiburiensi can. 4. relato in decreto dist. 1. de Consecrat. cap. 12. sic dicitur: *Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Plura hac de re videri possunt apud Durant. lib. 1. de Ritibus Ecclesiæ, cap. 1. & 24. tametsi hæc plusquam sufficiunt ad antiquitatem huius ritus ostendendam.

47. Conuenientia huius cerimoniæ. Eiusdem verò sanctitatem, & conuenientiam ostendit, tum vsus ille antiquus Ecclesiæ, quæ alioqui non illum vsurpasset: tum etiam quia si in Republica bene instituta eriguntur publica ædificia ad munia publica ibi exercenda; & habendos conuentus publicos, putà ad iudicia exercenda, ad docendum &c. non minùs conuenit esse loca publica sacris ministeriis publicis deputata, ad quæ populus conueniat, ibique diuinis mysteriis intersit, & participet, verbum Dei audiat, officiis Ecclesiasticis assistat, & cum maiori reuerentia ac deuotione orare possit. Conuenit etiam loca illa speciali ritu consecrari, ad maiorem reuerentiam ipsis conciliandam. Et vt ait Felix Papa dist. 1. de Consecrat. cap. 2. Si Moyses Domino præcipiente Tabernaculum fecit, & sacrauit cum mensa, & altari eius, & cæteris vasis, & vtensilibus ad diuinum cultum explendum: & non solùm precibus ea sacrauit, sed etiam sancti olei vnctione Domino iubente liniuit. Si Salomon, iubente, & auxiliante Deo, Templum cum altari, & reliqua ad diuinum cultum peragendum fecit, & consecrauit. Si denique Iudæi loca, in quibus sacrificabant Domino, diuinis habebant supplicationibus consecrata: nec in aliis, quàm Deo dicatis locis munera offerebant. Si, inquam, Iudæi, qui vmbræ legis deseruiebant, hæc faciebant: multò magis nos, quibus veritas patefacta est, & gratia per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, & prout meliùs possumus ornare, eaque diuinis precibus, & sanctis vnctionibus, suis cum altaribus, & vasis, & vestibus quoque, & reliquis ad diuinum cultum explendum vtensilibus, deuotè, & solenniter sacrare, & non in aliis locis, quàm in Domino sacratis, nisi summa exigente necessitate missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus. Huc vsque sanctus ille Pontifex Magni Gregorij atauus. Quare inepti sunt hæretici quando Ecclesiæ dedicationem, & consecrationem execrantur, ac veluti ritum prophanum, & superstitiosum reiiciunt: eò quòd Ethnicismum sapere videatur. Quasi verò dedicatio, & consecratio Tabernaculi Mosaici, & templi Salomonis Gentilismum oluerit, aut inter cultus superstitiosos censeri debuerit: & non tantò magis Ecclesiæ Christianæ debeant esse sacræ, quò mysteria legis nouæ sunt præstantiora ministeriis legis Mosaicæ. Vt enim ait Paulus 2. Corinth. 3. v. 7. & seqq. *Si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria &c. Quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis gloria est, multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloria, &c. Si quod euacuatur, per gloriam est, multò magis quod manet, in gloria est.*

Dico secundò, Altarium vsum ad sacrificium Eucharistiæ celebrandum, esse antiquissimum in Ecclesia, & Apostolicum, adeoque sanctum, & religiosum. Nam altaris nouæ legis ad eum finem destinati mētio fit Hebr. 13. v. 10. *Habemus altare*, græcè θυσιαστήριον à θυσιάζω id est, sacrificio dictum, *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Vbi non est sermo de sacrificio crucis, quod à nobis non editur, sed de Eucharistico, & incruento sub specie panis, & vini, nobis ad edendum proposito. Eiusdem quoque mentio fit 1. Corinth. 10. v. 18. 20. & 21. Vbi primò generatim ait Paulus, eos qui edunt hostias, participes esse altaris. Deinde altare Gentilium cum nostro comparans, addit, *Sed quæ immolant Gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* Hæc Paulus, mensam Domini vocans altare nouæ legis, vt ex ipso textu clarum est, & confirmatur à Trident. sess. 22. cap. 1. Nimirum quia idem altare, in quo Deo offertur sacrificium Eucharistiæ, mensa etiam est, in qua panis ille cœlestis fidelibus proponitur: atque ita Christus ibi 48. Vsus altaris ad celebrandum.

mysticè immolatur, vt per eandem consecrationem, quâ mortuo modo ponitur sub speciebus panis & vini, & quantum est ex vi verborum separatur sanguis à corpore: simul etiam fiat cibus, & potus sacer ad spiritualem nutritionem fidelium destinatus: propter quod altari simul, & mensa opus fit.

49. Confirmatur ex scrip. & Patribus

Eodem pertinet illud Matth. 5. v. 23. *Si offers munus tuum ad altare* &c. vbi non tantùm de altari Iudaico propediem abrogando, sed de suo præcipuè Christum locutum esse, intelligunt Sancti Patres, apud quos etiam crebra altaris mentio fit: vt apud Dionys. lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. vbi ritum sacrificandi Ecclesiæ primitiuæ describit: & Martialem in epist. ad Burdigal. cap. 3. vbi aram ignoti Dei Burdegalæ repertam, ait se dedicasse Deo vero in honorem S. Martyris Stephani. Et Irenæum lib. 4. aduersus hæreses cap. 20. vbi probat Apostolos fuisse veros Sacerdotes, quia altari seruiebant: Et Hieronymum epist. 3. ad Heliodorum num. 61. vbi *Subuersæ*, inquit, *Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ reliquiæ* &c. Et Chrysostomum lib. 6. de Sacerdotio cap. 4. vbi dicit locum altari vicinum, esse plenum choris Angelorum, quando mysteria tremenda celebrantur: Et Ambrosium epist. 33. *Nec altaria tenebo*, inquit, *vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor*: Et Optatum Mileuitanum lib. 6. initio, vbi altare vocat *Sedem corporis & sanguinis Christi*: ibidemque inuehitur in Donatistas, qui Caluinistarum more contra altaria sæuiebant. *Quid enim*, inquit, *est tam sacrilegum, quàm altaria Dei frangere, radere, & remouere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt. Quò Deus omnipotens inuocatus sit: quò postulatus descendit Spiritus sanctus: vnde a multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est*. Et August. lib. 20. contra Faustum cap. 21. ait In altari, non Martyribus, sed Deo soli offerri in sacrificium corpus & sanguinem Domini: Et in cap. *Sicut*, dist. 1. de Consecrat. sumpto ex Felice Papa IV. dicitur Missæ sacrificium nonnisi super altare, & locis Deo consecratis offerri oportere, nisi summa coegerit necessitas. Et can. *Altaria*. eadem dist. sumpto ex Concilio Agathensi can. 14. statuitur vt altaria non solùm vnctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali (id est Episcopali) benedictione sacrentur. Quod autem in contrarium obiiciunt hæretici, superstitiosa esse altaria in lege noua, quia in ea nullum est sacrificium præter illud quod Christus in cruce obtulit, quando semel oblatus, & vna oblatione omnes sanctificauit, vt ait Apostolus ad Hebr. 7. ideoque frustra ædificari altaria, super quibus aliud sacrificium offeratur: Hæc, inquam, omnia soluta fuerunt disp. 37. sect. 3.

50. Dico tertiò, Vestium quoque sacerdotalium vsum antiquum, & religiosum esse. Nam eius antiquitas constat ex Anacleto Papa epist. 1. Decretali, vbi statuit vt Episcopus celebrans ministros secum habeat sacris indutos vestimentis. Et ex Stephano Papa, & Martyre epist. 1. ad Hilarium, cuius verba referuntur in cap. *Vestimenta*. de Consecrat. dist. 1. Et ex Hieron. in cap. 44. Ezechiel. v. 17. vbi affirmat religionem diuinam alterum habitum habere in ministerio, alterum in vsu vitaque communi. Et lib. 1. contra Pelagianos affirmat Episcopos, Presbyteros, & omnem clerum vti vestibus candidis in administratione sacrificii. Idemque dicit Chrysost. homilia 83. in Matth. prope finem, & in Liturgia assignat orationes à Presbytero recitandas, dum singulas vestes sacerdotales induit. Et in Concilio Rhemensi cap. 4. apud Burchardum lib. 2. cap. 50. expressè prohibetur ne Presbyteri celebrent absque Amictu, Alba, Stola, Manipulo & Casula. Et generaliter de his omnibus sic statuitur can. *Vestimenta*, supra citato, sumpto ex Stephano Papa & Martyre, qui vixit an. Domini 250. *Vestimenta verò Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque diuinus cum honorificentia, & honestate à Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata esse debent, & honesta, quibus aliis in vsibus, cùm Deo, eiusque seruitio consecrata, & dedicata sint, nemo debet frui, quàm Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis*. Hæc ibi. Cuius statuti mentionem quoque faciunt Damasus Papa, vel Anastasius in Pontificali cap. 24. & Beda, Ado, Alcuinus, Strabo, aliique plures relati à Durant. lib. 2. de Ritibus Eccles. cap. 9. & à Suare disp. 82. sect. 2.

Vsus vestium sacerdotalium.

Quare imperitè aut malitiosè hæretici huius temporis vsum vestium sacerdotalium, & sacrarum, tanquam recentem, & superstitiosum traducunt. Nam recens esse non potest, cùm Pontifices, & Patres antiquissimi expressam faciant illius mentionem. Superstitiosus etiam dici nequit, cùm nihil indecens contineat, aut contra Dei cultum: sed potius deceat maiestatem tantorum mysteriorum, mysticamque significationem contineat, & plurimum valeat ad reuerentiam, & deuotionem excitandam. Pertinet enim ad maiestatem sacrificii, & sacri ministerii, vt non fiat in veste communi, & vulgari, sed augusto quodam, & sanctiori ornatu: vt vel ipso externo apparatu ostendatur actionem illam non vulgarem, & profanam, sed sanctam & religiosam esse. Et alioqui vilesceret sacrum ministerium apud plerosque homines, qui rebus sensibilibus magis ducuntur, rebusque spiritualibus, & purè internis non adeo mouentur, neque facile discernunt per seipsas res sacras, & diuinas. Atque vt rectè addit Cardin. Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 14. Si Reges & magistratus in publicis actionibus non vulgari vtuntur vestitu, sed alio augustiore, & certis insignibus, quò & reuerentia ipsis concilietur, & simul ipsorum potestas repræsentetur: Sic etiam omnino conuenit, vt in hac

51. Eius conuenientia.

publica totius Ecclesiæ actione sacerdos sacro & peculiari vestis genere vtatur, tum ad reuerentiam mysterii, tum ad suæ potestatis insigne, aliosque fines, de quibus paulò post.

52. Confirmatur ex Scriptura.

Eaque de causa Exod. 28. & 31. Deus præcepit Moysi vt faceret Aaroni sacerdoti, & filiis eius vestes sanctas in gloriam, & decorem: & vt nonnisi loti & vestibus sacris induti, sacerdotio fungerentur. Ex quo, vt rectè ait Iuo Carnotensis epist. 124. intelligere debet populus Christianus, quòd si in sacrificiis, quæ tantùm faciebant ad emundationem carnis, cum tanta reuerentia iste ritus vestimentorum erat obseruandus: quantò magis in consecratione corporis, & sanguinis Domini, in quibus consistit emundatio carnis, & spiritus, non statim ad mysticas benedictiones, & obsecrationes, quibus illa consecratio perficitur, quilibet est admittendus, nisi primùm fuerit in ordine sacerdotali consecratus, & omnium congruentium supellectilium plenitudine ornatus? Valet etiam iste ornatus sacer ad reuerentiā, & deuotionem menti ipsius sacerdotis ingenerandam. Nam, vt sapienter ait Hieronym. in cap. 44. Ezechielis, monent hæ vestes sacerdotem, debere ipsum munda conscientia, & virtutum vestibus adornata, Domini sacramenta tractare. Quia nimirum alioqui *Quisquis sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò indignior redditur apud Dominum*, vt ait Innocentius III. lib. 1. de Officio Missæ cap. 52. vbi etiam initio addit ista esse arma, quæ Pontifex debet induere contra spirituales nequitias pugnaturus. Ac denique tum ipse, tum etiam populus excitatur his vestibus ad memoriam passionis Christi, quam mysticè repræsentant, & cuius Eucharistia commemoratio est. Nam Amictus velum significat, quo eius facies operta fuit, quando cædebatur colaphis. Alba, vestem candidam ab Herode ipsi datam in contemptum, & illudendi causâ. Cingulum, Manipulus, & Stola, funes ipsius pectori, & brachiis, colloque iniectos. Casula denique, crucem eius humeris impositam.

53. Soluitur argum. hæreticorum in contrar.

Perperam autem obiiciunt hæretici Christum in cœna sacramentum instituentem, non aliis, quàm communibus vestimentis vsum esse, neque alium ornatum celebraturis deinceps præscripsisse: nihil autem in religione vsurpandum esse, nisi quod Deus præscripsit: & omnem cultum religionis à Deo non præceptum, esse superstitiosum. Respondeo enim tametsi Christus non aliis, quàm propriis vestibus vsus est: potuisse tamen Ecclesiam statuere, & sapienter statuisse propter rationes superiùs allatas, vt celebretur non sine certis ornamentis ad hoc functum ministerium destinatis, & sanctificatis. In quo ipsius Dei exemplum imitata est Exodi 28. & 31. imo & omnium gentium bene institutarum, quæ in sacrificiis, & cultu religioso, peculiari quodam genere vestis vsæ sunt, Iuxta illud Poëtæ,

Puraque in veste Sacerdos.

Purâ, inquit Seruius ibid. quâ rem diuinam facturi festo vtebantur die, soluta omni vinculo, nullis maculis, nec aliquo colore obsita, nec funesta. Quamuis etiam Christus id per seipsum non præceperit, dedit tamen Apostolis, & Ecclesiæ potestatem statuendi de iis, quæ ad sacramenti huius cultum expedire videbantur, vt significat Paulus 1. Corinth. 11. vbi de hoc ipso sacramento loquens, *Cætera*, inquit, *cùm venero disponam*: & clariùs affirmat, atque ex hoc loco Apostoli colligit Trident. sess. 21. cap. 2. Quod verò addunt aduersarii, omnem cultum religiosum non præceptum à Deo esse superstitiosum, fuit alibi refutatum disp. 26. sect. 4. Plura de his vestibus sacris in genere, & de singulis in specie videri possunt apud Durantium lib. 2. de Ritibus Eccles. cap. 9. & Suar. disp. 82. sect. 2.

54. Vsus vasorum & vtensilium sacrorum.

Dico quartò, vsum quoque vasorum, & vtensilium sacrorum celebrationi huius sacrificii inseruientium, antiquum, & religiosum esse. Antiquum esse liquet ex Tertull. libro de Pudicitia, cap. 7. initio, vbi sacrorum Calicum meminit, significatque illos fuisse pictos. *Procedant*, inquit, *picturæ Calicum vestrorum*. Et ex Cyrillo Hierosol. Catech. 5. Mystag. vbi docet non licuisse laicis eos in manus sumere. Et Athanas. apologia 2. contra Arianos, vbi repellit à se calumniam de mystico poculo, seu calice sacro à Macario, se auctore, confracto. Et Nazianz. in oratione 25. de seipso contra Arianos, ferè initio, vbi eos reprehendit, quòd sacra vasa diripuissent, quorum vel solus contactus laicis erat prohibitus: illosque comparat Nabuzardano, & Baltazari vasa templi Hierosolimitani diripiẽtibus. Et Optato Mileuit. lib. 6. contra Donatistas, vbi calices sanguinis Christi portatores appellat. Et Prudentio in hymno S. Laurentii, vbi refert exprobratum ipsi à Tyranno fuisse, quòd in Orgiis, id est, sacris Christianorum, libarent in auro Antistites, & in pateris aureis fumaret sanguis. Et August. in concione 2. in Psal. 113. vbi sic ait: *Sed & nos pleraque instrumenta, & vasa ex auro, & argento habemus, in vsum celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur, in eius honorem cui pro salute nostra inde seruitur*. Et in Concilio Triburiensi can. 18. cuius verba referuntur can. *Vasa*, de Consecrat. distinct. 1. sic habetur: *Vasa in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt, & patenæ: de quibus Bonifacius Martyr, & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondā sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc è contrario lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus*. Ibidemque additur Vrbanum Papam, & Martyrem omnia ministeria fecisse argentea: quod etiam testatur Damasus, seu potiùs Anastasius auctor Pontificalis, in eius vita: statuiturque vt deinceps nullus sacer-

quitur de iis, qui cereos accendunt, credentes Martyres inde illustrari: alioquin enim docet ipsemet in eodem lib. aduersus Vigilantium, & in epist. ad Ripar. pium esse, atque mercede dignum cereos accendere in honorem Martyrum: qui honor ad Christum & ad Deum auctorem omnis sanctitatis recurrit. Porrò, si Ethnici luminaribus in profanis suis ritibus vsi sunt, non propterea debet Ecclesia, illis non vti ad pios vsus in Dei præcipuè honorem, & sacri ministerii; quasi illorum vsus non possit esse non profanus, & superstitiosus. Quòd si verum esset, Deus ipse non eum præcepisset Exod. 21. Leuit. 24. & Num. 8. Si etiam vsus vtensilium pretiosorum esset de se malus, & superstitiosus, Deus non præcepisset, vt exactissimè fecit libris citatis, vasa, & instrumenta tabernaculo, & cultui suo apud Iudæos inseruientia esse aurea, & pretiosa. Cætera quæ obiiciũt pertinent generaliter ad cerimonias, quas omnes volunt in lege noua esse illicitas, & superstitiosas; de quo dicemus in fine sectionis 7.

SECTIO VI.

De cerimoniis Missæ, quæ consistunt in verbis.

60. AD hoc secundum genus ceremoniarum pertinent illa omnia, quæ ex præscripto Ecclesiæ recitantur in Missa ante, & post consecrationem. Cùm enim essentia sacrificii consistat præcisè in ipsa consecratione vtriusque speciei, vt alibi ostendimus: cætera verba, quæ illi ante, vel post adiunguntur, sunt accidentaria, & cerimonialia. De quibus fusè, & perspicuè disputat S. Thom. q. 83. art. 4. vbi docet, hoc sacramentum maiori cum dignitate, quàm cætera omnia celebrari: quia totum salutis nostræ mysterium in eo comprehenditur. Ac primò quidem ante illius celebrationem præmitti quãdam præparationem, ad dignè agenda ea quę sequuntur, iuxta illud Ecclesiastis 4. v. 17. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini.* Et Ecclesiastici 18. v. 23. *Ante orationem præpara animam tuam.* Cuius præparationis vna pars est confessio, iuxta illud Prouerb. 18. v. 17. *Iustus in principio accusator est sui.* Altera pars est laus diuina, quæ fit in introitu secundum illud Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Sumiturque ordinariè ex Psalmis: quia vt ait Dionysius cap. 2. Ecclesiast. Hierarch. Psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in sacra Scriptura continetur. Deinde fit commemoratio præsentis miseriæ, dicendo nouies Kyrie, aut Christe eleison: ter scilicet pro qualibet personarum Diuinarum, contra triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ, & pœnæ: & ad significandum tres personas diuinas esse in se inuicem per circuminsessionem. Tertiò, commemoratur cœlestis gloria, ad quam tendimus post præsentem vitam, & miseriã, dicendo, *Gloria in excelsis Deo:* qui hymnus cantatur in festis, in quibus commemoratur cœlestis gloria: non autem in officiis luctuosis: quæ ad commemorationem miseriæ pertinent. Quartò, post salutationem populi verbis illis, *Dominus vobiscum*, qui salutandi modus sumitur ex Scr ptura Ruth. 1. & 2. Paralipom. 15. & Luc. 1. vel loco illius, si sit Episcopus, *Pax vobis*, qui salutandi modus est etiam frequens in Scriptura, & à Christo vsurpatus semel, atque iterum post resurrectionem Ioan. 21. ostenditque Episcopos pacificos esse debere, & pacem, non bellum afferre iis, quibus præsunt: postque responsum populi, *Et cum spiritu tuo*, quo precatur Deum esse quoque cum spiritu Sacerdotis, illique assistere ad peragendum sacrificium, aut velle se cum illius spiritu coniungi: pronunciatur oratio, quam Sacerdos pro populo facit, vt digni habeantur omnes tantis mysteriis. Quæ idcirco Collecta vocatur, quia fit nomine populi totius in vnum collecti cum spiritu Sacerdotis, vel quia omnium petitiones compendiosè colligit. Populoque respondente in fine, *Amen*, id est, verè, aut fiat: præmittitur instructio fidelis populi: quia hoc sacramentum est sacramentum fidei. Quæ instructio dispositiuè fit per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, dictam vulgò, Epistolam. Qua finita canitur Graduale, quod significat profectum vitæ: & *Alleluia*, quod significat spiritualem exultationem; vel Tractus in Officiis luctuosis, qui significat spiritualem gemitum. Hæc enim consequi debent in populo ex prædicta doctrina: Perfectiùs autem postea instruuntur fideles per lectionem Euangelii: quo finito recitatur Symbolum fidei diebus Dominicis, & præcipuis festis, ad profitendum nos credere doctrinæ Christi per Euangelium annunciatæ.

61. Et hæc omnia olim appellabantur Missa Catechumenorum: quia eò vsque licebat illis interesse celebrationi Missæ. Quibus finitis incipit fieri oblatio sacrificii mox futuri, vulgò dicta *Offertorium*. Posteaque lotis manibus ad decentiùs tractanda sacra mysteria, & ad significandam puritatem animi requisitam in sacerdote, per orationem, & Præfationem excitatur populus ad feruorem deuotionis, & ad mentem sursum attollendam, Tum inchoato Canone, fit commemoratio eorum, pro quibus offertur sacrificium, & Sanctorum, quorum auxilium imploratur. Indeque pergitur ad consecrationem: quã peractã, postulat sacerdos à Deo, vt suum acceptet sacrificium, petitque illius effectũ, cùm sibi, & aliis communicantibus, vel assistentibus, tum etiam mortuis, vt illis prosit ad refrigerium, & leuamen pœnarum. Post ad sumptionem se disponit, & alios cõmunicare volentes, tum per orationem Dominicam, cuius vna petitio est de pane quo-

Margin notes: Præmittẽda celebrationi. — Introitus Missæ. — Collecta. — Missa Catechumen.

genio recitabant in publicis Ecclesię conuētibus, vt se inuicem excitarent, & commonefacerēt: quas idcirco oportebat vel ea lingua fieri, quam alii intelligerent, vel saltem earū interpretationem subsequi: cùm alioqui non possent assequi finem, quem solùm, aut præcipuè intendebant. At in diuinis officiis, quæ præcipuè fiunt ad Dei cultum, conuenientius fuit, propter rationes suprà allatas, vt non fiant lingua vulgari, sed temporibus opportunis adiungatur identidem Pastorū explicatio per se, vel per alios idoneos. Atque hoc maximè locum habet in sacrificio, quod soli Deo fit. Deus enim quamcunque linguā intelligit: imò neq; verbis eget, vt cōceptus nostros, & affectus internos notos habeat. Vnde in antiquis sacrificiis legis Naturæ, & Mosaicæ plerumque sola mente orabatur, & offerebatur.

65. Secunda obiectio. Opponunt secundò, Ea, quæ recitantur in officio Missæ, fuisse à multis cōposita, & alia ab aliis successiuè addita. Sed hæc obiectio futilis est. Quasi non etiam ipsa Scriptura diuina fuerit à diuersis cōposita, & successiuè, à Moyse, Samuele, Dauide, Salomone, Isaia, & pluribus aliis longo tēpore dissitis. Sicut autem omnia in Scripturis cōtenta sunt digna fide, & veneratione, quia sunt omnia à Deo reuelata: ita quæcunque recitantur in officio Missę, sunt digna omniū approbatione: quia ab Ecclesia sunt præscripta, nihilque in illis est, nisi pium, & sanctum: nihil ab Apostolica doctrina alienum, aut quod ab antiqua traditione non ducat originē, aut quod ad pietatem, & religiosum Dei cultum non pertineat, vt de Canone Missæ affirmat Trident. sess. 22. cap. 4. Et tum de illo, tum de omnibus aliis fusè, accurateque ostendunt Durant. Bellarm. & Suar. locis supra citatis.

Tertia oppositio. Opponunt tertiò, Perperam aliqua secretò dici in Missa, contra exemplum Christi, qui alta voce in cœna consecrauit: contraque ipsius præceptum, & institutionem, qui memoriam sui facere nos præcepit in Eucharistia, non per silentiū, sed per annunciationem mortis eius: atque etiam contra antiquam consuetudinem. Nam olim ipsa quoq; verba consecrationis alta voce pronunciabātur, & populus vniuersus respondebat, *Amē*, vt videre est apud Iustinum Martyrem in apologia pro Christianis, & Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 5. & lib. de Iis, qui mysteriis initiantur cap. 8. & 9. & Leonem Papam serm. 6. de Ieiunio septimi mensis: sicut nunc etiam fit in Ecclesia Orientali, teste Arcudio lib. 3. de Sacram. cap. 26. Contra denique naturam ipsius sacrificii, quod cùm sit actio publica, omniumque nomine fiat, debet fieri palam, & publicè, non secretò & in silentio.

66. Cur aliqua dicantur secreto in Missa? Respondeo primò, Nihil referre ad essentiam sacrificii, fiatne alta voce, an secretò: posseque, quantum est de se, conuenienter vtroque modo fieri. Neuter enim continet indecentiam, neuter à Christo prohibitus est. Secundò, Ecclesiam conuenienter statuisse, vt quædam secretò dicantur: meritóque damnari à Trident. sess. 22. Can. 9. eos omnes, qui hunc ritum Ecclesiæ improbant. Cùm enim habeat potestatem disponendi de iis, quæ accidentariò pertinent ad celebrationem Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum, vt significat Paulus 1. Corinth. 11. v. vlt. & ex illo deducit Tridentinum sess. 21. cap. 2. potuit alterutrum ex his duobus modis de se indifferentibus eligere, & ad seruandam vniformitatem, omnibus præscribere. Neque defuit ratio ad hunc modū conuenienter eligendum præ alio. Valet enim ad Christum imitandum, qui in passione, cuius hoc sacrificium est commemoratio, interdū alta voce, interdum secretò orauit: & interdum Patrem suum, interdum adstantes allocutus est. Valet etiam ad monendos assistentes, vt orent quoque ipsi secretò, & studiosiùs se colligant, diuinumque istud mysterium attentè meditentur. Valet præterea hæc varietas ad recreandos animos auditorum: & secretum mysterii commendat, reuerentiamque illi conciliat. Tertiò specialem fuisse rationem cur Christus alta voce consecrauerit: quia tunc simul docebat Apostolos, quos Sacerdotes instituebat, quomodo ipsis consecrandum esset. Qua de causa Episcopi, in ordinatione Presbyterorum, alta quoque & distincta voce consecrationis verba pronunciant. Annunciatio verò mortis suæ, quam Christus in hoc Sacramento nos facere præcepit, non consistit in verbis, sed in ipsa actione consecrandi, aut sumendi Eucharistiam: iuxta illud Augustini lib. 20. contra Faustum cap. 18. *Christiani iam peracti*, in cruce & Christi morte, *eiusdem sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione, & parti ipatione corporis & sanguinis Christi*. Et certè alioqui magna foret confusio, si tota multitudo communicantium deberet verbis mortē Domini annunciare. Tametsi autem olim in Ecclesia consecratio fieret alta voce, sicut huc vsque in Orientali fit: certum tamē est quædam in Missa fuisse dicta secretò: vt patet ex liturgiis Chrysost. & Basil. & ex libro de Spiritu Sancto eiusdem Basilii cap. 27. Neque propterea desinit actio sacrificandi esse publica: quippe quæ fit à Sacerdote, velut publico ministro, nomine totius populi, quem sæpe alta voce compellat, & salutat, cúmque ipso simul orat: interdum autem soli Deo loquitur secretò, & populum suo exemplo inuitat ad idem faciendum. Instructioni verò populi satis prouidetur, dummodo identidē in concionibus, & Catechesibus Missæ intermixtis, aut alio tempore factis, doceatur populus de iis, quæ circa sacrificium, & alia fidei christianæ mysteria scire ipsum expedit. Cerimonia denique illa respondendi *Amen*, vsurpabatur potiùs in ipsa communione, vt diximus numero trigesimo sexto, & facilè intelligitur ex Euseb. Ambros. & aliis citatis.

Opponunt quartò, Multa in Missa dici 67.

Quarta obiectio. falsa, inepta, & aliena à doctrina Apostolica: vt quando initio Sacerdos confitetur Sanctis, eosque orat, & sæpius per eorum merita, vel intercessionem aliquid à Deo postulat: orat pro defunctis, & in Missis eorum propriis Deum precatur, vt illorum animas iam corpore solutas liberet de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum: cùm iuxta fidem nostram, vel iam absorptæ sint in ipso mortis instāti, si in malo statu decesserunt: vel si secus, impossibile sit iuxta legem à Deo positam, absorberi à Tartaro, id est, æternis Inferni pœnis addici. Superfluè quoque idem sæpius repetitur: vt quādo dicitur initio canonis, *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*: & paulò post, *Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam*, quæ tria idem significāt. Multa etiam dicuntur super hostiā, & calicem consecratum, quæ de corpore, & sāguine Christi aptè, aut verè dici nō possūt: vt istud, *Supra quæ propitio, & sereno vultu respicere digneris, & accepta habere sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abraham, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedec.* Neque enim potest sine impietate orari Deus, vt corpus & sanguinem filii sui acceptum habeat, sicut bruta animalia ab Abele, & Abrahamo immolata, vel panem & vinum Melchisedech. Quodque paulò post additur: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ.* Quasi verò Christus nostra oratione, & Angelorum interuentu indigeat, vt Deo patri suo repræsentetur: & absurdum non sit altare in cœlo imaginari, eóque esse perferenda per Angelum ea, quæ mox à Sacerdote consumenda sunt. Item quod aliquantò post sequitur, *Per quem*, Christum scilicet, *hæc omnia semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis.* Quæ verba, cùm supra Christum sub speciebus consecratis existentem, vt nos credimus, pronuncientur, de ipso verè dici non possunt. Neque enim Christus est hæc omnia bona: neque continuò creatur, sanctificatur, & viuificatur: multóque minùs verè dici potest, quòd Christus per seipsum creetur, sanctificetur, viuificetur. Item quod paulò ante consecrationem dicitur, *Benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris*: quæ verba nullum bonum sensum habere possunt. Et in commemoratione defunctorum continetur aperta contradictio, quando initio dicitur: *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*: posteaque in fine additur: *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis, & pacis vt indulgeas deprecamur.* Quod est petere, vt obtineant id, quod antea asseruimus iam illos habere, siquidem dormiunt in somno pacis.

Ad primum Respondeo nihil in eo mali esse, quod non solum Deo, sed etiam sanctis, & hominibus confiteamur nos peccasse, id est fateamur illis, & coram illis pronunciemus nos esse reos plurium peccatorum contra Deum commissorum, quibus etiam sancti ipsi, & omnes Dei amici offenduntur aliquatenus: illis enim displicet, quidquid cōtra Deum facimus. Quod autem insuper rogemus sanctos, vt peccatorum veniam, & alia beneficia nobis à Deo impetrent, non est dissentaneum doctrinæ Apostolicæ, & exemplo SS. Patrū, vt ostendimus suo loco in tractatu de spe, & de religione. Illam enim praxim manasse ab Apostolis ostendunt Iacobi, & Matthæi Liturgiæ: fuisseque deinceps in vsu antiquæ Ecclesiæ testantur Cyrillus Catech. 5. mystag. Basil. & Chrysost. in Liturgiis, & August. tract. 84. in Ioan. vbi dicit SS. Martyrum commemorationem in sacrificio fieri non eodem modo, quo aliorum, qui in pace requiescunt, vt etiam pro iis oremus, sed magis vt orent ipsi pro nobis. 68. Sanctorum mentio in Missa, & inuocatio licita.

Ad secundum respōdeo, Orationem quoque pro defunctis in sacrificio esse traditionis Apostolicę, vt expressè affirmat Chrysost. homil. 3. in epist. ad Philipp. prope finem, *Non frustra*, inquit, *instituerunt Apostoli, vt cum tremenda mysteria celebrantur, fieret eorum commemoratio, qui ex hac vita decesserunt. Sciebant enim magnum inde lucrum, multamque vtilitatem eis prouenire. Cum enim adsit populus vniuersus, & collegium Sacerdotale manus attollat, & coram posita sit tremenda hostia, quomodo iram Dei non placabimus pro illis orantes?* Eiusdemque ritus expressè meminerunt. Idem Chrysost. homil. 41. in primam ad Corinthios, non longè à fine, & homil. 69. ad populum Antioch, vbi iterum dicit ab Apostolis id sancitum fuisse: Basilius in Liturgia, Cyril. Catech. 5. mystag. Ambrosius in orationibus de obitu Theodosii, Valentiniani, & Satyri fratris, Cyprian lib. 1. epist. 9. August. lib. de cura pro mortuis cap. 1. & lib. 9. Confess. cap. 12. & 13. aliique plures. 69. Et oratio pro defunctis.

Illud autem, *Ne absorbeat eas tartarus*, &c. dicitur de animabus illis consideratis, quasi mox è corpore egressuris, & coram tremendo Dei iudicio sistendis: simili prosopopœia, quā etiam nunc Ecclesia Christum interdum considerat, vt ante aduentum, quando has voces Prophetarum vsurpat: *Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israel. Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Vsurpatur autem ab Ecclesia illa prosopopoeia vt magis excitet fideles ad cōmiserationem huiusmodi animarum, & ad apprehensionem iudicii diuini. Neque propterea minùs valent orationes illæ ad solatium, & leuamentum animarum in statu, quo nunc sunt illius capaces, ad quem finem referuntur ex intentione Ecclesiæ. 70.

Ad tertium dico, Huiusmodi repetitiones 71.

Repetitiones non vitiosæ. esse frequentes in Scriptura, & valere ad emphasim, vel ad idem magis, ac magis inculcādum. Vt cùm dicitur Psal. 31. *Beati, quorū remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Et Ps. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et in Cantico Ezechiæ, *Non videbo hominem vltra, & habitatorē quietis*, id est, terræ quietæ, & immobilis. Et 2. Corinth. 11. *Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: Semē Abrahæ sunt, & ego.* Quę tria idem planè significant: neque tamen frustra repetuntur, quia faciunt ad emphasim, & ornatum orationis. Et Rom. 12. habetur repetitio similis posteriori allatæ in obiectione: *Hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*, &c.

72. Ad quartum respondeo, Eadem verba referri ab Ambros. lib. 4. de Sacr. c. 6. Et per ea non postulari absolutè vt Deus acceptet sacrificium corporis, & sanguinis Christi secūdum se consideratum: sed respectiuè, id est, spectatum in ordine ad deuotionem nostrā. Et quemadmodum respexit Deus ad Abelē, & ad munera eius, vt dicitur Gen. 4. v. 4. Sic etiam ad nostrum affectum respiciat, nostrūque sacrificium acceptum habeat, non solùm ratione sui, verùm etiā ratione affectus, quo à nobis offertur. Adde, particulam *Sicuti*, non ibi significare æqualitatē, vt malè supponit obiectio: sed simplicem comparationem: vt iamdiu obseruauit Innoc. III. lib. 5. de mysteriis Missæ c. 4. *Sicuti similitudinem innuit, nō exprimit quantitatem.* Quemadmodum quando Apostolus Ephes. 5. v. 22. sic ait: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino*: non vult vt æqualem marito, & Deo subiectionem exhibeant, sed similem, & proportionatam: maior enim sine dubio debet exhiberi Deo.

73. Cur oret Sacerdos suum sacrificium offerri Deo per Angelos. Ad quintum respondeo cum Barrault tom. 3. Clyp. c. 31. §. 17. Sicut Christus non eget interuētione Sacerdotum, vt offeratur Deo, cui in sacrificio Eucharistico offerri credidit semper Ecclesia, vt patet ex Niceno I. can. 18. Tertull. de oratione Dominica c. 4. Cypriano epist. 63. ad Cæcilium, Ambros. in Psal. 38. August. lib. 22. de Ciuit. c. 8. aliorumque plurium testimoniis alibi relatis: Sed nos potius indigemus actione illa offerendi ab ipso instituta, & præcepta in nostrum cōmodum: ita quando Sacerdotes rogant, vt ea, quæ ab ipsis offeruntur, id est, corpus, & sanguis Christi, ad Deum perferantur ab Angelis, non localiter, & corporali modo, sed spirituali, & mystico, id est, per eorum preces, quibus offerantur Deo: nō eget Christus Angelorum interuētu, sed Sacerdotes egent intercessione Angelorū, vt suum ministerium, & affectum precibus suis Deo commendent, & gratiora esse faciant. Quamuis autē Deus vbique sit: Scriptura tamen sæpius dicit ipsū de cœlo preces nostras audire, eòque nostrā orationem ascendere: vt Deuter. 26. v. 15. & lib. 3. Reg. c. 8. v. 32. 34. & 36. Et Ecclesiastici 35. v. 21. & lib. 2. Paralipom. 30. v. vlt. Affirmat etiam preces nostras eò deferri per Angelos nō materialiter scilicet, eò vsq; deferēdo sonum verborum, sed spiritualiter, & mysticè illas Deo repræsentando, suasq; nostris adiungendo ad eundē effectum. Quidni ergo liceat ab illis petere, vt simili modo sacrificium nostrū Deo repræsentent in cœlo, seu potius nostrum ministerium, & affectū illi offerant? Quòd verò altaris in eadē oratione mentionem facit Sacerdos, nihil absurdi continet: cùm idem sæpius Scriptura faciat. Vt Apoc. c. 6. 8. & 9. vbi meminit altaris aurei ante thronū Dei, mystici scilicet, & spiritualis, ad significādū sacrificia, quę ab hominibus in terra fiūt, ab ipso acceptari in cœlo.

Ad sextum respondeo, Non incongruè dici in plurali, *Hæc omnia bona*, de corpore, & sanguine Christi, vt positis sub speciebus panis, & vini: similique modo loquendi vsam fuisse antiquam Ecclesiam: vt quando ante distributionem Eucharistiæ clamabat olim Sacerdos, aut Diaconus, *Sancta Sanctis*: quēadmodum patet ex Liturgiis antiquis, & ex Chrysost. homil. 17. in epist. ad Hebr. Quod explicans Cyrillus Catech. 5. mystag. dicit, Sancta illa non esse aliud, quàm proposita in altari, & sanctificata per aduentum Spiritus sancti: hoc est, vt paulò ante dixerat, cōuersa in corpus & sanguinem Christi. Si autem corpus & sanguis Christi in Eucharistia possunt vocari Sancta: possunt non minùs cōuenienter vocari bona in plurali: præsertim cùm verissimum sit illud Chrysost. hom. 21. in 1. ad Corith. *Quum enim dico* (Eucharistiam scilicet) *omnem beneficentiæ Dei thesaurū aperio, & magnorum eius donorum memoria recolo.* Non incongruè quoque dicuntur bona illa creari, id est, omnipotenti Dei actione fieri duo illa composita ex corpore & sanguine Christi, ac speciebus panis, & vini: vel etiam corpus ipsum, & sanguinem creari, id est, produci, aut constitui in Eucharistia nouo essendi modo, per institutionē ipsius Christi, & principale ministeriū: quippe cuius Sacerdotes Euāgelici sunt tantùm vicarii, & ministri secundarii. Eodemque verbo creandi vsi sunt SS. Patres: vt Cyprian. vel alius eius contemporaneus in Serm. de cœna Domini: *Qui vsque hodie hoc veracissimum, & sanctissimū corpus suum creat, & sanctificat, & piè sumentibus diuidit.* Et Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. *Non erat corpus Christi ante consecrationem: post consecrationē dico tibi quòd iam corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est. Ipse mandauit, & creatum est.* Simili autem modo, quo dicuntur corpus, & sanguis Christi creari in hoc sacramento, quia ponūtur sub speciebus Eucharisticis noua actione productiua, vel constitutiua nouo essendi modo: ita possunt dici sanctificari, & viuificari, quia eadem actione ponuntur ibidē vt viua, & sancta, per vitam, & sanctitatem ipsius diuinitatis, cui coniuncta sunt inseparabiliter: qualia scilicet esse debent, vt nos quoque sanctificent, & viuificent: iuxta illud Christi Ioan. 6. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam*, nuda videlicet, & destituta spiritu diuinitatis, vt explicatur à Concilio Ephesino parte 3. in declaratione

74. Cur Eucharistiam vocat hæc omnia bona.

Cur dicātur creari, sanctificari, viuificari.

11. Anathematismi contra Nestorium. Quomodo autem id per ipsum Christum fiat, velut institutorem, & principalem executorem huius mysterii, paulò ante indicauimus, & fusiùs disp. præcedenti sect. 3.

75. Quid significent hæc verba Canonis, *Benedictam, adscriptam*, &c.

Ad septimum Respondeo cum Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 23. eadẽ verba haberi apud Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 5. & sic exponi ab Alcuino, Hugone de S. Vict. & Innocentio III. Sacerdotẽ à Deo petere vt ipse oblationem eius consecrando, benedictã ex profana efficiat: eandemque approbando, faciat adscriptã, id est, adscribat, & numeret inter dona, quæ ipsi probantur: confirmando ratã efficiat, id est, stabilem, & firmam, vt fructum certum, & perpetuum ad nos referat: rationabilem quoque faciat, vt non solùm bona, sed etiam benè, rationabiliter, & prudenter offeramus, ac sit rationabile obsequium nostrũ, iuxta Apost. Rom. 12. Denique acceptabilem faciat, id est, ita vndique bene se habentem non solùm ex parte doni, sed etiam ex parte ministri offerentis, vt digna sit, quæ à Deo acceptetur.

76. Et ista, *Qui dormiunt in somno pacis*, &c.

Ad octauum Respondeo, nullam in eo esse contradictionem quòd fideles post mortem dormiant in somno pacis, id est, in statu gratiæ, & amicitiæ diuinę existant, atque in spe certissima, & infallibili æternæ gloriæ obtinẽdæ conquiescant: & nihilominus luant pœnas aliquas pro peccatis hac in vita cõmissis, ac nondũ perfectè expiatis: nondumq; locũ, & statum perfectæ pacis, seu beatitudinis (in quẽ nihil intrat coinquinatum) adepti sint. Vnde meritò pro illis rogetur, vt debito pœnæ misericorditer remisso intuitu huius sacrificii, mox ad illum admittantur. Falluntur autẽ manifestè aduersarii, si putant onus, aut pœnam aliquam non posse illis imponi, quibuscum pax statuitur: & idcirco nõ posse dici fidelium animas pacẽ habere cum Deo, si pœnam aliquam pro peccatis exsoluunt. Nam contrarium manifestè patet ex Iosue c. 9. vbi Iosue pacem iniuit & sanxit cum Gabaonitis, sed ea lege, vt in pœnam fraudis, & deceptionis non deficerent de stirpe eorum, qui essent in ministerio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes. Alia multa opponunt his similia, quorum solutionem vide apud Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 16. & seqq. Nobis enim ista pro instituta breuitate sufficiunt, & ex illis potest facilè iudicari de aliis.

SECTIO VII.

De Cerimoniis Missæ, quæ consistunt in actione.

77. AD hoc tertium genus cerimoniarum pertinent omnes illę actiones exteriores, quæ in celebratione Missæ fiunt à Sacerdote, ex præscripto Ecclesiæ; quarum aliquę exercentur circa Deum, alię circa oblata ante, & post consecrationem: aliæ circa altare, aut librum Missalis: aliæ circa ipsum Sacerdotem: aliæ circa populum. Quædam etiam fiunt circa plura ex illis: vt v.g. vsus signi crucis. Nam Sacerdos modò seipsum eo signo munit, modò populum, modò panem, & vinũ consecrandum, atq; etiam corpus, & sanguinem super altare positum, librumq; Missalis. Osculum quoque modò datur altari, modò libro Missalis, modò ipsi ministro, & populo. Omnes autem eiusmodi cerimonias esse pias, & conuenientes, atque iampridem vsitatas in Ecclesia, patebit ex sequentibus.

Circa Deum exercentur genuflexio, aut inclinatio capitis, vel etiam totius corporis inter orandum, tunsio pectoris petendo veniam peccatorum, & eleuatio manuum, aut oculorum. Quorum omnium exempla habẽtur in Scriptura. Nam & Salomon genuflexo orauit, 2. Paralip. 6. v. 15. & Daniel c. 6. v. 10. & Michæas c. 6. v. 6. & leprosus à Christo sanatus Marci 1. v. 40. & Christus ipse Luc. 22. v. 41. & Petrus Act. 9. v. 40. & Paulus Act. 20. v. 36. & cap. 21. v. 5. & Ephes. 3. v. 14. Huius rei gratia, inquit, flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi. Christus etiam Matth. 26. v. 39. orauit profundè inclinatus toto corpore, & procidẽs in faciem suam. Estq; sine dubio gestus ille cõueniens ad Deum adorandũ, nostramq; submissionem illi significandam. Et decet homines constantes corpore, & spiritu, Deum colere vtroque. Tunsionis verò pectoris exemplum habetur à Christo laudatũ Luc. 18. de Publicano pectus suum percutiente, sic orãdo: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et Luc. 23 *Reuertebantur percutientes pectora sua*: eiusdẽq; cerimoniæ velut in Missa vsitatæ meminit S. August. l. 50. Homil. homil. vlt. c. 2. aliquãtò ante finẽ. *Quotidie*, inquit, *tundimus pectora, quod nos quoque Antistites, ad altare assistentes, cum omnibus facimus.* Et Innoc. III. lib. 2. de Offic. Missæ c. 13. vbi dicit Sacerdotẽ id facere exẽplo Publicani, vt iustificatus descendat in domum. Et Stephanus Eduensis, qui floruit an. 950. lib. de Sacramento altaris c. 12. initio, *In confessione percutiendo pectus Sacerdos gemit pro peccatis, & oratione fratrum postulat sibi indulgeri, dicens, Mea culpa*, &c. Est quoque gestus iste valde conueniens ad dolorem animi internum significandum: fuitq; sẽper in vsu apud fideles, vt patet ex veterũ testimoniis, Tertul. lib. 3. aduersus Marcionẽ c. 18. Cypr. de oratione Dominica, Hieron. in vita S. Hilarionis, & in Dialog. aduersus Luciferianos, & Greg. Nazianz. oratione in plagam grandinis. Deniq; manuum eleuatio inter orandum fit exemplo Mosis, Exod. 17. & Dauidis, Psal. 141. & Salomonis, 3. Reg. 8. & iuxta consiliũ, aut præceptum Apostoli 1. Timoth. 2. *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus.* Nequeminùs conuenienter fit eleuatio oculorum in cœlum, vt Christus sępius fecit Matt. 14. Marci 6. & 7. Luc. 9. Ioan. 6. 11. & 17. Idque etiam in ipsa celebratione Eucharistiæ fecisse, licet non exprimant Euangelistæ, testantur Iacobus Apostolus in sua Liturgia, & Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 5. Idemque constat ex Ca-

78. Genuflexio, & inclinatio capitis, aut corporis.

Tunsio pectoris.

Eleuatio manuum.

none Missæ, cuius pars magna est Petri Apostoli, vt affirmat Isidor. lib. 1. de Officiis cap. 15. Docet etiam Tertullianus vtrumque ritum attollendi oculos cœlum versus, & extendendi manus inter orandum, fuisse suo tempore inter Christianos vsitatissimum: cùm sic scribit cap. 30. Apologetici: *Illuc* (in cœlum scilicet) *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, precantes sumus.*

79. Eleuatio hostiæ in offertorio & post consecrationé. Circa oblata ante & post consecrationem exercetur eleuatio hostiæ, quę fit in Offertorio, vt vocant: cuius mentio fit in antiquis Liturgiis, valdéque conuenit sacrificio: qua de causa solebant in testamento veteri eleuari coram Deo ea, quæ ipsi offerebantur in sacrificium: vt videre est Leuit. 8. 9. 10. aliisque locis. Item extensio manus super oblata ante consecrationé, ad illa verba, *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ*, siue ad grauem, & decentem demonstrationem sacrificii verbis illis respõdentem: siue ad significandam potestatem sacerdotalem ad cõsecrandum; vel protectionem, aut efficaciam diuinæ gratiæ, quæ per hanc orationé postulatur: vel etiam ad indicandum sacrificium hoc esse holocaustum, & hostiam pacificá ad Deum pro peccatis placandum: præfiguratum Leuit. 1. 3. & 4. vbi de Sacerdote offerente holocaustũ sic dicitur. *Ponetq; manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit.* Eleuantur quoq; hostia & calix post consecrationé, vt ostendátur populo, & adoranda proponátur, atq; etiá ad repræsentandum Christum in cruce exaltatum, & mortuum, vt ait S. Germanus in Theoria rerum ecclesiasticarum, relatus à Durant. lib. 2. cap. 40. n. 2. vbi etiam ad probandam huius cerimoniæ antiquitatem adducit Dionysium lib. de Ecclesi. Hierarch. cap. 3. & Basil. lib. de Spiritu Sanct. cap. 27. Eódem tum ipse, tum plures alii referũt illud Psalmi. 71. *Et erit firmamentum in terra, in summis montium*, id est, iuxta Hebræum, Erit pugillus, vel particula frumenti in terra, in capite montium: & iuxta interpretationem Rabbi Ionathæ (qui vixit ante Christum) in lib. Collect. Placenta panis fiet sacrificium in capitibus Sacerdotum, qui sunt in Ecclesia.

80. Multiplex signum crucis. Fit quoque multiplex signum crucis super oblata ante, & post consecrationem, de quo fusè D. Thom. q. 83. art. 5. ad 3. vbi mysticas huius cerimonię significationes exponit: & in solutione 4. argum. addit non incõgruè fieri super ipsum corpus & sanguinem Christi post consecrationem: quia Sacerdos post illam non vtitur crucis signatione, vt antea, ad benedicendum & consecrandum: Maior enim non benedicitur à minori, Hebr. 7. Sed solùm ad commemorandam virtutem crucis, & modum passionis Christi. De eodem fusè Alcuin. in lib. de Celebratione Missæ, Amalar. lib. 3. de Officiis ecclesiast. cap. 24. Innocent. III. lib. 3. de Officio Missæ c. 11. & Microl. cap. 14. vbi notat eiusmodi signa fieri semper aut semel, aut numero impari, ter scilicet, aut quinquies. *Semel*, inquit, *propter essentiæ vnitatem. Ter propter Trinitatem personarum. Quinquies propter vulnera Christi Domini, & expressam repræsentationem passionis ipsius.* Eiusdemque signi vsum in sacramentorum celebratione antiquissimum esse patet ex S. Cypriano, vel alio eius cõtemporaneo, in lib. de Baptismo Christi, paulò post initium: *In cruce Domini gloriamur*, inquit, *cuius virtus omnia peragit Sacramenta: sine quo nihil aliud est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectũ.* Et ex Chrysost. Homil. 55. in cap. 16. Matth. *Hoc signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons Baptismatis, initiantur etiam Presbyteri, & cæteri gradus ecclesiastici, & omnia, quæcunque sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis, cum inuocatione Christi nominis consecrantur.* Et S. August. tractatu 118. in Ioan. *Quid est, quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi: quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ, qua regenerantur, siue oleo, quo Chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Plura de hac cerimonia videri possunt apud Durant. lib. 2. de Ritib. Ecclesi. cap. 45. De genuflexionibus verò, & profunda corporis inclinatione, quæ identidem exercentur circa oblata, post consecrationem, ad adorandum corpus, & sanguinem Christi, sufficiunt quæ diximus num. 78.

Eódem pertinet mixtio vini, & aquæ ante consecrationem: & diu post illá fractio hostiæ in tres partes, & vnius commixtio cum calice. De priori cerimonia sufficiũt, quæ diximus disp. 28. sect. 6. Tantùm addo, illius velut antiquissimæ mentionem facere Alexandrum Papam, & martyrem, quintũ à Petro summum Pontificem, in epist. ad omnes Orthodoxos, cuius verba referuntur de consecrat. dist. 2. cap. *In Sacramentorũ*: & Iustinũ martyré in Apologia 2. ad Antoninum Pium, & Irenæum lib. 5. cap. 1. Cyprian. epist. 63. ad Cæcilium. Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 1. & plures alios. Alexandri verba sunt: *Non debet in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum: quia vtrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur.* Posteriorem verò cerimoniam in antiqua Ecclesia fuisse vsitatam docent Dionys. cap. 3. Ecclesiast. Hierarch. parte 3. versus finem, vbi affirmat opertum panem Eucharisticum, & indiuiduum in frusta concidi: & Chrysost. Homil. 24. in caput 10. epist. 1. ad Corinth. circa illa verba, *Panis quẽ frangimus*, vbi eam ob causam dicit Christũ in oblatione pati, id quod in cruce passus non est. *Quia in Eucharistia fractioné videre licet, in cruce autem minimè, sed omnino contra. Os enim eius, inquit, non cõteretur.* Et Can. *Cũ frangitur*, sumpto ex lib. Sent. Prosperi, de Cõsecrat. dist. 2. *Cum frãgitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?* Eiusdem fractionis, qualis nunc fit, meminerunt Paschas. lib. de Corpore, & Sanguine Christi cap. 18. vbi sic ait: *Itaque in tres partes hostia diui-* 81. Mixtio vini & aquæ ante consecrationé, & hostiæ fractio in tres partes.

ditur, eaque diuisio super calicem fieri consueuit, Et Stephanus Eduensis lib. de Sacramento altaris cap. 18. *Frangitur,* inquit, *hostia, & in tres partes diuiditur sanctæ Trinitati dedicata. Quarum vna in calicē demissa sanguine immergitur, pro illa parte Ecclesiæ, quæ naufragio huius seculi agitata multis perturbationibus passionum concutitur. Aliæ duæ extra calicem, sunt pro illis, quarum vna igne examinatur, quæ est fidelium: altera est sanctorum, quæ cum Christo regnat in æternum.* Et Innocent. III. lib. 6. de Offic. Missæ cap. 3. Sergius Papa cap. *Triforme,* de Consecrat. dist. 2. & S. Thom. q. 83. art. 5. ad 7. & 8. quorum omnium idem est sensus.

82. *Osculum altaris & libri.* Circa altare, & librum exercetur cerimonia osculi. Nam post confessionē, in ingressu altaris, Sacerdos illud deosculatur, & sæpius deinceps in toto sacrificio. Missalis verò librum exosculatur, quando ex illo recitat Euangelium: ac circa eundem vtitur signo crucis in principio vtriusque Euangelii. De qua postrema cerimonia sufficiunt quæ diximus num. 80. Osculum verò datur in signum reuerentiæ. Quā etiam de causa Sacerdos vestes sacras deosculatur, quando illis induitur. Sunt autem res huiusmodi sacræ, dignæ aliqua veneratione, quam illis iampridem exhibitam fuisse patet ex Synodo VII. generali, & testimoniis veterum in ea relatis, tum passim in toto Concilio, tum in definitione fidei, quæ traditur Act. 7. velut conclusio eorum omnium, quæ fuerant præcedentibus actionibus discussa: vbi definit honorariam salutationem, & adorationem exhibendam esse sacris imaginibus, illamque explicat per comparationem ad librum Euangeliorum, luminaria, & alias res sacras: Ad quas, inquit, reuerenter accedimus, quemadmodum veteribus piè in consuetudinem hoc adductum est. Et Act. 6. tom. 5. §. *Papæ quanta amentia?* Epiphanius sic loquitur: *Quæcunque Deo offeruntur, aut consecrantur, siue diuina fuerit veneranda crucis figura, siue sacer Euangelii codex, siue venerandæ imagines, siue sacra vasa; ea complectimur, & veneramur: vt qui spem habeamus sanctificationis ab ipsis reddendæ: & ob id illis adorationem honorificam exhibemus.*

83. *Decentes gestus Sacerdotis celebrantis.* Circa ipsum verò Sacerdotem multa fiunt propter decentiam, vt quòd modò teneat manum super altare, modò supra pectus: vel ob conformitatem gestus cum verbis, vt quòd percutiat pectus in signum doloris, dicendo *Mea culpa*: Quódque iungat manus in fine orationum, quasi omnium adstātium vota colligens, & offerens Deo. Quædam etiam habent mysticam significationem: vt lotio manuum, quæ non solum fit ob decentiam, vt puris manibus sacramentum tractetur: verùm etiam ad significandum mente pura, & peccatorum sordibus abluta accedendum esse. Notatque D. Thomas q. 83. art. 5. ad 1. ex Dionysio cap. 3. Ecclesiast. Hierarch. extremitatem digitorum ablui dumtaxat, ad designandum Sacerdotem debere mundum esse, vel à minimis peccatis. Extensio quoque brachiorum, quæ olim maior fiebat, pertinebat ad repræsentandum Christum in cruce extensum; nunc autem fit dumtaxat cum moderata diductione, & eleuatione in cœlum.

84. *Salutatio populi.* Denique circa populum exercetur salutatio identidem per illa verba, *Dominus vobiscum,* fit supple, cum conuersione corporis ad ipsum, & gestu manuum salutationi accommodato: osculum pacis circa illa verba, *Pax Domini sit semper vobiscum*: Dimissio per ista, *Ite Missa est.* Hoc est, Ite, iam dimissio est: iam abire vnicuique liberum est, peracto sacrificio: & denique benedictio in fine Missæ. Quarum cerimoniarum prima vetustissima est: quippe cuius meminit Concilium Braccharense can. 21. vbi illam à traditione Apostolica fluxisse testatur: & Chrysost. Homil. 18. in epist. 2. ad Corinth. vbi sic ait: *Bene precatur Sacerdos populo, & bene precatur populus sacerdoti. Nam, cum spiritu tuo, nihil est aliud quàm hoc* &c. Aliique plures, de quibus vide Durant. lib. 2. de Ritib. Eccles. cap. 15. Ex eademque cerimonia Soter Papa, & Anacletus epist. 1. colligunt, plures adesse debere, quos sacerdos ita salutet, vt vidimus supra num. 33. Et D. Thom. q. 83. art. 5. ad 6. obseruat, sacerdotem quinquies se conuertere ad populum, vt significet Dominum die Resurrectionis quinquies se manifestasse. Et salutare septies populum; scilicet quinque vicibus, quibus ad illum se cōuertit, & bis quando se non conuertit (videlicet cùm ante Præfationem dicit, *Dominus vobiscum,* & cùm dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum*) ad designandam septiformem gratiam Spiritus sancti. Episcopum autem celebrantem in festis, in prima salutatione dicere *Pax vobis,* quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus, cuius personam repræsentat præcipuè Episcopus. Et hoc ex antiquo more fieri patet ex Liturgiis Iacobi Apostoli, & Basilii, Ambrosio de Dignitate sacerdotali cap. 5. Cyrillo lib. 12. in Ioannem cap. 54. Chrysost. Homil. 33. in Matth. longe ante finem, & Innocent. III. lib. 2. de Officio Missæ cap. 24.

85. *Osculum pacis.* Alteram quoque cerimoniam osculi pacis antiquam esse liquet ex Dionys. lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3. parte 3. inter mediū & finem: Clemente lib. 8. Constitut. cap. 15. Tertull. libro de Oratione capite 14. Chrysost. lib. 1. de Compunctione cordis, cap. 3. cuius verba sunt: *Osculum pacis porrigere tempore, quo sacramenta celebrantur, in vsu Ecclesiæ est.* Et homil. 31. ad populum Antiochenum, *Propterea & in mysteriis alter alterum amplectitur, vt vnum multi fiamus.* Et Innocent. I. in epist. ad Decentium cap. 1. cuius verba referuntur can. *Pacem.* de Consec. dist. 2. vbi affirmat, osculum pacis dandum esse post confecta mysteria, vt appareat populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse cōsensum: ac finita esse, pacis signaculo de-

monstrentur. Olim autem, vt refert Clemẽs supra cit. secernebantur viri à fœminis, quoad osculum pacis; imò, & quoad locum in Templo: & viri viros, fœminæ fœminas osculabantur modestiæ causâ, & ad vitandam omnem impudicitiam. Nunc verò crescente malitia, & refrigescente charitate sincera, non datur osculum immediatè, sed tantùm mediante patena, vel imagine, aut alia re sacra.

86. Dimissio populi.

De cerimoniis verò dimittendi populum per hæc verba, iuncta salutatione, *Ite Missa est*, aut his similia, loquitur Clemens Rom. lib. 8. Constit. cap. 23. vbi docet populũ in fine sacrificii dimitti solitum, clamante Diacono *Ite in pace*. Et in antiquis Liturgiis Orientalium solebat dicere Diaconus absoluto sacrificio ἀπολύεσθε ἐν εἰρήνῃ. Testatur etiam D. August. epist. 59. ad Paulinũ quæst. 5. Sacro peracto, & participato tanto sacramento, gratiarum actione cuncta concludi; sicut & hodie fit, quando verbis supradictis respondetur à ministro nomine populi *Deo gratias*. Ibidemque S. ille Doctor meminit subobscurè benedictionis post impertitæ à Sacerdote, vt post Amalarium Fortunatum notauit Durantius lib. 2. de Rit. Eccles. cap. 57. & clarius Cõcilium Agath. can. 47. relato à Gratiano de Consecrat. dist. 1. cap. 64. in hæc verba: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quòd si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur*. Et Concilium Aurelian. I. cap. 28. relatum eadem dist. cap. 63. *Cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenitur, populus non ante discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur: & vbi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis*.

87. Cantus & vsus Organorum.

His cerimoniis addantur aliæ quædam Missis solennibus peculiares; vt cantus vocũ, & organorum, thurificatio, & aspersio aquæ benedictæ, diebus Dominicis, ante Missam solennem, & Parochialem. Cantus autem vsus in diuinis officiis antiquissimus est, & à Paulo approbatus Coloss. 3. v. 16. *Commonentes vosmet ipsos in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo*. Et Christus ipse post celebrationem Eucharistiæ hymnũ cecinit, Matth. 26. v. 30. & Marci 14. v. 26. græcè ὑμνήσαντες quod propriè canere sonat. Organis quoque vsa est Ecclesia in Missa, & aliis Officiis diuinis saltem à tempore Vitaliani Papæ, qui sedit circa annum 656. vt Martinus Polonus, & Platina affirmãt, & colligunt ex Pontificali Damasi, seu potiùs Anastasii. Illorũ etiam clara mentio fit in Testamento veteri, præcipuéque in Psalmis Dauidicis: siue eiusdem essent rationis cum nostris, siue diuersis.

88. Thuris & Incensi vsus.

Thurificationis quoque in sacrificio Missæ vsum commemorat Canon 4. Apostolorum, vbi dicitur thymiama, siue incensum offerendum esse ad altare, quando sacra oblatio celebratur: & Dionys. cap. 3. Eccles. Hierarch. & Ambros. in caput 1. Lucæ, & Liturgiæ Sanctorum Iacobi, Basilii, & Chrysostomi, aliique plures. Hanc autem cerimoniam D. Thom. q. 83. art. 5. ad 2. dicit ad duo pertinere. Primò quidem, ad reuerentiam huius sacramenti, vt scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter praui odoris in loco fuerit. Secundò, ad repræsentandum effectum gratiæ, quâ sicut bono odore Christus plenus fuit: & à Christo deriuatur ad fideles, officio ministrorum; iuxta illud 2. Corinth. 2. *Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco*. Et ideo vndique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem. Addi tertiò potest ex Philone Carpathio in illud Cantic. *Ex aromatibus myrrhæ, & thuris*, per thurificationem moneri fideles debere ad cœlestia feruenti desiderio ascendere, instar fumi è thure incenso ascendentis: debere, inquam, vt eius verbis vtar, *cor suum ignitum veluti thuribulum coram Deo odoratissimum facere, in quo quidem corde cùm per amorem virtutes colligimus; quasi carbones in thuribulum congerimus, quibus seipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat. Dumque feruentes & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo exhalat*. Et ex Hilario in Psal 140. circa illa verba, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, significari deuotionem celebrantis, & assistentium debere ad Deum esse directam, puram & rectam. Et ex August. vel alio apud ipsum tom. 9. homil. 6. in Apocal. thuribulo Christum significari. *Cuius corpus sanctum*, inquit, *thuribulum aureum est, ex quo Deus Pater passionis incensum, odorem suauitatis accepit*. Et sermone 98. de Tẽpore, *Vide quomodo verus Pontifex Iesus Christus assumpto thuribulo carnis humanæ, & supposito igne altaris, animâ sine dubio illâ magnificâ, adiecto etiam incenso, qui est spiritus immaculatus, medius inter viuos & mortuos stetit, & mortem non permisit vltra grassari*.

89. Aquæ benedictio & aspersio.

Aquæ verò benedictionis, & aspersionis meminit Alexander I. in epist. 1. cuius verba referuntur can. *Aquam*, de Consecratione dist. 3. Hieron. Theodoret. & plures alii de quibus vide Durantium lib. 1. de Ritib. eccles. cap. 21. & lib. 2. cap. 11. n. 6. & Rupertum Tuitiensem lib. 7. de Diuinis officiis cap. 20. vbi rationem huius cerimoniæ hanc reddit: *Ideo*, inquit, *singulis aspergimur Dominicis, quia in sacrosancta prima huius Dominica*, id est, resurrectionis, *vespera, Baptismum vniuersaliter sancta celebrat Ecclesia &c. Vnde & inter aspergendum hac die cantamus illud* Ezechielis cap. 47. *Vidi aquam egredientẽ de Templo à latere dextro* &c. Et hactenus de his cerimoniis. Superest vt breuiter præcipuis hæreticorum obiectionibus contra eas respondeamus.

99. Soluuntur obiectiones contra

Obiiciunt primò, Plures huiusmodi ceremoniarum redolere Iudaismum, vt thurificationem, & vsum organorum, quæ non magis ad nos pertinent, quàm pecudum vi-

cerimonias Missæ. ctimæ tunc vsitatæ. Secundò, Deum apud Isaiam cap. 1. reprobare incensum in sacrificiis: *Incensum*, inquit, *abominatio est mihi*. Tertiò, Arnobium lib. 7. aduersus Gentes affirmare, thuris vsum in sacris esse recentem & vanum. Respondeo 1. cum D. Thoma q. 83. art. 5. ad 2. Christianos sacerdotes vti thurificatione, & aliis supra dictis, non quasi cerimoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto. Secundò, simile quid olim obiecisse Christianis Manichæos apud August. lib. 20. contra Faustum cap. 4. & Vigilantium apud Hieronym. in libro contra eum scripto. Tertiò, cùm cerimoniæ Iudaicæ fuerint rerum nostrarum figuræ, vt ait Paulus 1. Corinth. 10. non mirum esse si habeant aliquam cum illis similitudinem. Differentia tamen est, quòd illæ ad Christum venturum prænunciandum dirigebantur: nostræ vel ad memoriam rerum præteritarum, vel ad præsentem gratiæ statum, vel ad futuram gloriam significandam. Quòd si nostræ cerimoniæ damnandæ essent, & reiiciendæ, eò quòd habeant similitudinem cum Iudaicis: reiicienda pariter essent sacramenta Baptismi, & Eucharistiæ, quia similitudinem habent cum ablutionibus Iudæorum: & panibus Propositionis. Deus autem apud Isaiam non simpliciter respuit incensum, vt neque Sabbata, & Neomenias, quæ semper voluit obseruari toto tempore legis Mosaicæ: sed indignè oblatum ab impiis, Deum exteriùs tantùm colentibus, corde longè auerso ab illius amore, veroque & interno cultu. Arnobius denique loquitur de incenso adhibito sacrificiis Gentilium, in quibus vsum illum recentem esse dicit: atque etiam vanum, quia scilicet in honorem falsorum Deorum adhibitum. Sed non negat veterem, & pium fuisse illius vsum in sacrificio Legis Euangelicæ, ab Apostolis saltem institutum, vt intelligitur ex can. 4. Apostol. statuente, *Vt ad altare offerri liceat oleum ad luminaria, & thymiama, id est, incensum, tempore, quo sancta celebratur oblatio.*

91. Opponunt præterea generaliter contra quascunque cerimonias, Paulum Coloss. 2. v. 23. damnare omnes ἐθελοθρησκείας, hoc est, voluntarios cultus, quos homines sibi ipsis comminiscuntur, vel ab aliis accipiunt, & quæcunque de cultu Dei tradere præcepta ex se audent. Et ad Galat. 5. eundem Apostolum non pati vllo modo vt conscientiæ fidelium in seruitutem redigantur. Ideoque non licere instituere cerimonias, quæ obligent in conscientia. Christus etiam Matth. 15. reprehendit traditiones hominum: & Deus apud Isaiam cap. 29. *Sine causa colunt me mandatis hominum*. &c.

Ad primum, Diximus alibi, Paulum ibi loqui de cerimoniis Iudaicis, aut Gentilitiis quas Simon, Cerinthus, & Angelici hæretici inducere volebant in Religionem Christianam, vt fusiùs ostendit Cornel. in cap. 1. & 2. illius epistolæ. Addo in præsens cum Bellarmino lib. 2. de Sacram. cap. 32. Paulum, si generaliùs loquatur, vocare cultum humanum, & voluntarium ἐθελοθρησκείαν, illum qui est purè humanus, id est, proprio ingenio excogitatus, & non est cōformis doctrinæ, & principiis fidei. Tales autem non sunt cerimoniæ ab Ecclesia præscriptæ, vel ab Apostolis acceptæ, quæ potiùs Deo inspirante instituuntur. Vnde idem Apost. 1. Corinth. 14. post institutos varios ritus de ordine prophetandi, & loquendi in Ecclesia, & aliis quibusdam, de quibus Dominus nihil expressè mandauerat, subiungit: *Si quis Propheta, aut Spiritualis est, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata*, id est, eius inspiratione data. Ad secundum dico Paulum ibi loqui de seruitute legis Mosaicæ, à qua per Christum liberati erant Christiani: ideoque non debebant illi subiici. Ad tertium Respondeo, Christum ibi loqui de traditionibus & doctrinis legi Dei contrariis: cuiusmodi erat illa, quam Christus ibidem in exemplum affert de donando sacerdotibus, quæ necessaria erant parentibus: & aliæ quas cōmemorat Matth. 23. à versu 14. ad 22. Alias verò de se bonas non reprehendit, sed potiùs illarum obseruationem commendat, dicens versu 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Solùmque obiurgat, quòd circa illas Pharizæi peccarent in modo, summam religionis constituentes in illis, & relinquentes quæ grauiora sunt legis: excolantes culicem, camelum autem glutientes: & mundantes quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni rapina & immunditia. Similique modo intelligendus est Isaias à Christo laudatus cap. 29. iuxta illud quod immediatè præcedit ibidem versu 13. *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est à me: & timuerunt me mandatis hominum, & doctrinis*.

Opponunt vltimò, Prohibitum esse quicquam addere Dei verbo, & præceptis, Deuteron. 12. versu vlt. & Prouerb. 30. vers. 6. fuisseque grauiter à Deo punitos, ac reprehensos, qui nouas cerimonias Religionis induxerunt: vt Samaritani illi à feris discerpti 4. Reg. 17. Et cap. 16. & 21. reprehēduntur à Deo Reges Achas & Manasses, eò quòd nouum altare in templo cōstruxissent. Sed ad hæc omnia iam alibi respondimus, Deuter. 12. prohiberi tantùm ne addatur aliquid contrarium: aut ne pro verbo, & præcepto Dei obtrudatur, quod tale non est. Si autem generaliter omnis additio eo loco prohibita fuisset; peccassent aduersus hanc Dei prohibitionem omnes scriptores sacri, qui post Deuteronomium, & Prouerbia, tam multa addiderunt: quique alia præcepta Pentateucho adiunxerunt, vt Hester. 9. Iudith vltimo, & 1. Machabæorum quarto. Samaritanos verò illos 4. Regum 17. fuisse punitos, eò quòd ritibus gentilitiis vterentur, Deumque simul, & sua idola colerent. Achas autem reprehēdi 4. Reg. 16. eo quòd loco altaris antiqui substituerat aliud simile 92. Quomodo verbo Dei nihil addēdum? Samaritani cur à Deo puniti?

altari idololatrico, quod viderat Damasci: altare verò æreum, quod erat coram Domino, transtulerat de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini. Tulerat quoque cælatas bases, & luterem qui erat desuper: & mare deposuerat de bobus æreis, quibus sustentabatur, & posuerat super pauimentum stratum lapide: ac denique modum & ordinem à Deo institutum euerterat, vt dicitur 4. Reg. 16. Similiterque Manassem 4. Reg. 21. non reprehendi eò quòd nouum altare posuerat in templo ad illius ornatum dumtaxat, vt perperam dicunt aduersarii: sed quòd aras extruxerat ad sacrificandum Idolis. Nam, vt dicitur vers. 5. *Extruxit altaria vniuersæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini. Et traduxit filium suum per ignem, & ariolatus est, & obseruauit auguria, &c. Posuit quoque Idolum luci, quem fecerat, in templo Domini.*

SECTIO VIII.

Vtrum sufficienter prouiderit Ecclesia defectibus, qui contingere possunt in celebratione Missæ?

93. HAc de re D. Thomas q. 83. art. 6. vbi docet 1. Periculis, seu defectibus circa hoc sacramentum efficiendum contingẽtibus dupliciter occurri posse. Vno modo, præueniendo ne periculum accidat, aut defectus contingat. Alio modo, subsequendo, vt scilicet id quod accidit emendetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per pœnitentiam eius, qui negligenter se gessit. Vtrũque præstitit Ecclesia præscribendo exactè quomodo præcauendi sint eiusmodi defectus: & si contigerint, supplendi, aut puniendi.

94. Docet 2. Si Sacerdos morte, aut infirmitate graui corripiatur ante consecrationem corporis, & sanguinis Domini, non oportere vt per alium suppleatur. Quia nimirum sacrificium nondum est substantialiter inchoatum: & non est inconueniens prætermitti in eo casu, in quo nullum propriè sacrificium est. Si verò incepta consecratione hoc acciderit, putà consecrato corpore, ante consecrationem calicis; vel etiam consecrato vtroque: debere celebrationem Missæ per alium expleri: vt dicitur in Concilio Tolet. VII. can. 1. aliàs 2. & refertur 7. q. 1. cap. *Nihil*. Quod intellige etiamsi Sacerdos, qui solus adest, & potest perficere, non sit ieiunus, aut existat in statu peccati mortalis, & non habeat copiam confitendi, aut etiam sit excommunicatus. Quia maius est inconueniens sacrificium essentialiter inchoatum, aut eò vsque progressum, relinqui imperfectum. Tenetur tamen ille conteri, ne indignè celebret, & cõmunicet. Et quamuis Concilium supra citatum videatur liberum relinquere alteri sacerdoti, vt suppleat, si velit, illius enim verba sunt: *Censuimus conuenire vt in eo casu sit liberum alteri Episcopo, vel Presbytero consecrationem exequi incepti officij*: probabiliùs tamen est, quod docent Nauar. in Manuali cap. 25. n. 86. Suares disp. 85. sect. 1. prope finem, & Aegidius Con. ad art. 6. q. 83. teneri alium qui potest, perficere, seque ad hoc disponere per contritionem, si est in malo statu: quia vi sui officii, & muneris sacerdotalis obligatur non permittere mutilationem, aut imperfectionem sacrificii, propter reuerentiam illi debitam. Quare tenetur, si potest sine valde graui incommodo, illud absoluere. Neque contrarium dicit canon citatus. Nam particula *Liberum*, non ibi significat licentiam iuris in vtramque partem, sed potestatem faciendi. Loquimur autem de Sacerdote, qui adsit, & possit: nam alius non habens ordinem Sacerdotalem, non tenetur perficere, etiamsi tota consecratio peracta iam fuerit: imò neque licitè potest sanguinem sumere, aut etiam corpus manu propria, nisi in casu extremæ necessitatis: vt si alioqui species consecratæ venturæ essent in manus Infidelium, & indignè tractandæ: quo in casu reuerentia sacramenti exigit, vt consumatur potiùs à Laico, quàm Infidelium furori relinquatur. Extra verò casum vrgentissimæ necessitatis debent species reuerenter asseruari, donec sanguis à Sacerdote, & corpus vel ab eodem sumatur, vel distribuatur cõmunicare volentibus.

Quid faciendum quãdo Sacerdos non potest perficere sacrificium inchoatum?

Nauar.

95. Tertiò docet, Si Sacerdos post inchoatam consecrationem recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse; nihilominus debere sacrificium perficere, & sumere sacramentum. Quia vbi difficultas occurrit, eligendũ semper est id quod minùs habet periculi; siue potiùs è duobus malis, minus est eligendum: maximè autem periculosum est circa hoc sacramentum, & maius malum est, id quod est contra illius perfectionem, & consummationem: quia hoc est immane sacrilegium. Minus autem est illud quod pertinet ad qualitatem sumentis, cuiusmodi est esse ieiunum. Adde, quòd iuris tantùm, & præcepti ecclesiastici est celebrare, & communicare ieiunum: at verò iuris & præcepti diuini est perficere, & consummare sacrificiũ substantialiter inchoatum; ideoque præceptum istud præponderat. Item si post inchoatam consecrationem recordetur se peccatum aliquod commisisse, quod nondum expiauit, vel incurrisse excommunicationem; debere nihilominus absoluere, ob priorem rationẽ è duabus allatis: ita tamen vt teneatur conteri cum proposito confitendi sacramentaliter, & petendi absolutionem ab excommunicatione: ne alioqui malo in statu communicet. Si verò ante consecrationem meminerit alicuius prædictorum, tutius esse, maximè in casu præuiæ manducationis, & excõmunicationis, Missam inchoatam deserere, nisi graue scandalum timeretur. Quibus postremis verbis significat D. Thomas, talem

Quid si recordetur se non esse ieiunum?

Sotus. non teneri desistere, quamuis possit sine scandalo: idemque docet Dominicus Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 6. ad 2. Alij tamen affirmant id esse necessarium, si occurrat hæc memoria ante inchoatum Canonem, & non sit periculum scandali, aut notæ infamiæ.

96. Quid si aranea, aut venenum in calice? Quartò docet, si musca vel aranea in calicē ante consecrationem ceciderit, aut si venenum deprehendatur esse immissum: debere effundi; & abluto calice, aliud vinum apponi consecrandum. Si verò aliquid horum post consecrationem acciderit, debere animal cautè capi, & diligenter lauari, & comburi, & ablutionem cum cineribus in sacrarium mitti. Quod intellige, nisi ablutio possit ab ipso sacerdote sumi post sanguinem sumptum. Nam si absque magno incommodo id possit, multò decentius est ita fieri: quia probabile est aliquid sanguinis, quod animali adhæserat, in illa esse. Debet autem omnino sanguis sumi, nisi prudenter timeatur periculum vomitus propter horrorem, aut salutis corporalis propter venenum aut malam qualitatem ab aranea impressam. Addit sanctus Doctor, si venenum deprehendatur fuisse immissum, nullo modo debere sumi à sacerdote, nec alij dari; ne calix vitæ vertatur in mortem; sed debere diligenter in aliquo vasculo, ad hoc apto, cum reliquijs conseruari. Et ne sacramentum remaneat imperfectum, oportere aliud vinum apponere calici, & denuo resumere canonem à consecratione sanguinis, atque ita sacrificium perficere. Circa quæ postrema verba D. Thomæ nota idem de illa resumptione canonis sentiendum esse in eo casu, quod in alio, de quo mox, quando sacerdos aduertit post consecrationem calicis, aquam fuisse loco vini infusam.

97. Quid si aduertat aquam non fuisse vino mixtam. Quintò docet, si sacerdos post consecrationem corporis, & ante consecrationem sanguinis aduertat vinum, aut aquam non esse in calice; debere statim apponere, & consecrare. Si verò post consecrationis verba, percipiat aquam deesse, debere nihilominus procedere: quia impositio aquæ non est de necessitate sacramenti: puniendum tamen esse illum cuius negligentiâ id contigit. Sed nullo modo debere aquam vino iam consecrato misceri; ne, inquit, sequatur corruptio sacramenti pro aliqua eius parte: vel potiùs, quia non præcipit Ecclesia, neque permittit aquam infundi calici iam cōsecrato, sed tantùm ante ipsius consecrationem. Si verò aduertat sacerdos post verba consecrationis vinum non fuisse in calice, putà, quia, vt interdum contingit, aqua

Aut vini loco aquā fuisse infusam. vini loco infusa est: si quidem hoc aduertit ante sumptionem corporis, debere aquā eiecta (quæ in piscinam mitti debet) vinum calici infundere, & modicum aquæ miscere; resumereque canonem à verbis consecrationis sanguinis. Sin autem hoc aduertit post sumptionē corporis; debere tunc apponere aliam hostiam cōsecrādam simul cum sanguine. Quia inquit, alioqui non seruaretur debitus ordo consecrandi; & perfecta videri non possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur, vt ait concilium Toletan. VII. Can. 1. vel 2. Nam si tantùm inciperet à consecratione sanguinis, repeteretque, vt debet omnia verba sequentia, non consecratā nouā hostiā: eiusmodi verba non competerent ei quod fit: cùm in illis occurrant quædam facienda, & dicenda non solùm circa sanguinem, sed etiam circa corpus, quæ vt conuenienter dicantur & fiant, requiritur pręsentia hostiæ consecratæ super altare. Addit S. doctor in fine, debere sacerdotem iterum sumere hostiam consecratam, & sanguinem, quamuis priùs sumpserit aquam quæ erat in calice. Quia pręceptum de perfectione, vel de consumptione sacrificij maioris est ponderis, quàm præceptum, vt sacramentū hoc nō sumatur nisi à ieiunis.

Quam sententiam D. Thomæ de noua hostia consecranda, licet Missalis Romani Rubricę iussu Pii V. editæ sequantur: plerique tamen alii existimant non esse tunc necessarium nouam hostiam consecrare, neque canonem resumere à forma consecrationis sanguinis: sed tantùm proferre formā consecrationis Calicis supra vinum ipsi cum aqua modica infusum: atque omnino melius id esse, ad vitandum scandalum, & perturbationem populi, quando coram illo celebratur. Expedit enim occultari defectum quoad fieri potest, adhibito modo sufficiente perficiendi sacrificium. Sufficit autem ad perfectionem sacrificii consecrare modo prędicto, non repetitis aliis ceremoniis. Ergo præstat non repetere. Primò, quia vt rectè dicit. Innocent. cap. 1. & 2. *de sacramentis non iterandis*, in talibus nihil est iterandum, sed cautè supplendum, quod incautò fuerat prætermissum. Sufficit ergo cautè supplere consecrationem calicis vini, quę sola incautè prætermissa fuit. 2. Quia vt rectè affirmat D. Thom. q. 83. art. 5. ad 5. Quando aliquid accidentale omissum fuit in sacrificio, non est repetendum. Atqui cętera verba canonis, & ceremoniæ quæ fiunt post consecrationem, sunt aliquid accidentale: ergo &c. Tertiò, ex eodem D. Thoma art. cit. ad 6. si hostia ante fractionem cadat in calicem, ita vt postea frangi non possit ritu præscripto in canone; omittenda est fractio, neque propter illam consecrari debet alia hostia. Et tamen hæc cerimonia est præcipua inter accidentales: imò aliqui putant esse essentialem. Ergo non est consecranda noua hostia propter alias ceremonias. Adde tertiò, quòd si noua hostia consecratur cum calice, hoc non est perficere sacrificium ante inceptum, sed nouum integrum offerre. Nam consecratio vtriusque speciei est perfectum & integrum sacrificium. Atque ita censent Scotus in 4. dist. 8. quæst. 3. Nauar. in man. cap. 25. num. 9. Angelus V. *Missa* num. 17. Suar. disp. 85. sect. 1. Aegid. Con. ad art. 6. quæstionis

98. Est ne noua hostia tunc consecranda.

Scotus. Nauar. Angel.

83. & plures alii, quorum sententiam probabiliorem iudico.

99. Nec obest, quòd Rubricæ Missalis contrarium sequuntur. Nam Rubricæ, quæ ponuntur sub titulo *de defectibus*, non sunt speciales constitutiones obligantes sub peccato, sed tantùm instructiones doctrinales, quæ hac in parte probabilem sententiam D. Thomę secutæ sunt, & non magis obligant, quàm doctrina, vel ratio, cui nituntur, vt rectè ait Suar. loco cit. Ratio autem D. Thomæ non conuincit; & contra ipsum retorqueri potest. Nam si in casu, quo sacerdos consumptâ hostia, aduertit vinũ non esse in calice, oportet nouam hostiã consecrare, & repetere omnia verba canonis: quia alioqui non fit sacrificium debito ordine, cùm in verbis illis multa dicantur & fiant circa corpus, & sanguinem, quæ supponunt ipsorum præsentiã: ergo similiter in eo casu quo sacerdos defectum illum aduerteret ante sumptionem hostiæ, deberet nihilominus consecrare nouam hostiam, & repetere verba canonis super vtramque speciem: quippe quæ non fuerunt debito ordine prolata: supponunt enim præsentiam sanguinis, quæ non erat. At hoc non esse necessarium affirmat D. Thom. eodem loco: ergo neque illud necessarium dici debet, cohærenter loquendo.

100. Quæstionis resolutio.

Concludo igitur sufficere in eo casu repetere formam consecrationis super vinum infusum calici, & statim sumere, omissis aliis cerimoniis. Idemque sentiendum est, si defectus similis contingat circa hostiam: Putà, si post consecrationem aduertatur esse hordeacea. Sufficit enim triticeam substituere, & consecrare: siue defectus aduertatur ante consumptionem hostiæ, siue post: imò etiam post sumptionem sanguinis. Quia ordo consecrandi prius hostiam, quàm calicem, non est essentialis. Idem etiam dicendum est, si post consecrationem contingat hostiam miraculosè disparere, vel mutari in carnem, aut quid aliud; neque enim propter hoc miraculum præsumendum est Deum dispensare à præcepto de integritate sacrificii eo modo, quo impleri potest. Idem denique sentiendum est si defectus deprehendatur circa formam consecrationis, id est, si postea sacerdos aduertat inualidam fuisse, defectu intẽtionis, aut propter mutationem essentialẽ, siue casu factam, siue de industria, & ex malitia: sufficit enim tunc supplere defectũ essẽtialem repetẽdo formam super eandem materiam. Debetque forma proferri absolutè, quando defectus certò constat. In dubio autem, non nisi sub conditione, intendendo scilicet consecrare, si prior consecratio fuit inualida. Dummodo tamen sit dubium rationabile, & non purè negatiuum, id est, sine probabili ratione dubitandi: nã alioqui nihil repetendum est, vt rectè ait D. Thom. q. 83. a. 6. ad 5. Cùm autem repetitur forma consecrationis super panem, melius est incipere à verbis illis, *Qui pridie quam pateretur* &c. vel ab istis, si repetatur forma sanguinis, *Simili modo postquam cœnatum est*. Quia sic melius exprimitur, sacerdotem in persona Christi consecrare, & facere idem quod ipse fecit. Tametsi non est necessarium: sufficit enim proferre essentialia, vt rectè affirmat Suar. sect. cit. vbi in his omnibus nobiscum sentit.

Dixi, siue defectus contigerit ex inaduertentia; siue etiam ex malitia. Quia si consecratio vnius speciei iam est facta, vt supponimus; tenetur iste conteri, & perficere sacrificium. Sin autem neutram consecrasset, teneretur desistere, si potest sine scandalo, & nota infamiæ: quia nullum adhuc est sacrificium. Porrò qui infudit aquam loco vini in calicem, & defectum non aduertit antequam illam in os accipiat, debet sorbere: quia non potest, nisi valde indecenter in calicem, aut extra eiicere: & periculum est, ne simul eiiciat aliquas hostiæ consecratæ particulas ori adhærentes. Siquẽ per ignorantiam, aut perturbationem animi, vel aliter omiserit aliquis supplere defectum aliquem essentialem antequam sacrum absoluatur; non tenetur, neque potest supplere postea, iterùmque consecrare: quia iam actio distincta esset, & non perfectio eiusdem sacrificii, quod non moraliter eò vsque continuatur. 101. A qua sitnẽ sorbenda, potius quã ore eiicienda.

Sextò docet S. Thomas non debere turbari sacerdotem, licet non meminerit se aliqua dixisse eorum, quæ dicere debuit. Non enim qui multa dicit, recordatur postea omnium, quæ dixit, nisi fortè per reflexionem aliquid in dicendo apprehenderit sub ratione iam dicti. Sic enim aliquid efficitur memorabile, vt dicit Aristot. lib. de Memoria cap. 1. Vnde si aliquis attentè cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet se id dicere, non multùm postea recordatur se dixisse. Si tamen sacerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse, non debet resumere, & immutare ordinem sacrificii, si illa non sunt de necessitate sacramenti, sed illis omissis debet vlteriùs procedere. Si verò constet omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate sacramenti, videlicet formam consecrationis: cùm forma consecrationis non sit minùs de necessitate, quàm materia, idem circa illam faciendum est, ac circa materiam, de qua diximus paulò ante: id est, iuxta sententiam D. Thomæ resumendus est canon à forma consecrationis, & cætera per ordinẽ reiteranda, ne mutetur ordo sacrificii. Iuxta aliorum verò sententiam, quam vt probabiliorem tenuimus, sufficit supplere defectum essentialem formæ prætermissæ, pronunciando verba essentialia super eandem materiam, eo modo quo diximus num. 100. in fine. 102. Quid si aliquid omittatur.

Addit septimò, Si cõtingat hostiam consecratam cadere in calicem, ita vt postea nequeat fieri illius fractio in tres partes, quarum vna mittatur in calicem, vt præscribitur in Missali: nihil propterea mutandum Aut si hostia cadat in calicem

esse in ordine sacrificii ad supplendum hunc defectum. Quia hæc cerimonia est tantùm accidentalis, respiciens corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, vt propterea necessarium sit aliquid repetere circa celebrationem huius sacramenti.

103. Vel si sanguis effundatur ex calice. Docet vltimò quid faciendum sit in casu, quo sanguis effunderetur è calice; dicitque à Pio Papa statutum fuisse cap. *Si per negligentiam*, de consecrat. dist. 2. vt si per negligentiam aliquid stillauerit de sanguine in tabulam, quæ terræ, seu pauimento altaris adhæret; linguâ lambatur, & tabula radatur. Si verò non fuerit tabula, terra radatur, & igni consumatur, & cinis intra altare condatur, siue in piscinam proiiciatur. Si autem super altare stillauerit calix, sorbeat minister (id est, sacerdos) stillam: & linteamina, quæ stilla tetigerit, tribus vicibus lauet, calice subtus posito; & aquam ablutionis iuxta altare recondat, aut in piscinam proiiciat, nisi malit eam bibere, si potest sine horrore, & graui incommodo. Addit pœnas ibidem à Pio statutas contra illos, quorum negligentiâ id contigerit: & ex aliis alias contra eos, qui per ebrietatem, vel aliam ob causam Eucharistiâ euomuerint, aut non eam sufficienti diligentia, & reuerentia seruauerint in sacrario, vnde putrefactio, vel aliud incommodum sequatur. Sed notandum est has pœnas non esse ampliùs in vsu, neque vigere obligationem ad illas. Iam enim relictum est arbitrio confessarii, vt imponat, quam magis expedire iudicauerit, pro ratione culpæ in eo commissæ. Nota præterea si totus sanguis effundatur, ita vt nihil illius possit sumi à sacerdote consecrante; debere iterum poni vinum cum aqua modica in calice, & consecrari simili modo, quo supra diximus debere fieri, quando aqua loco vini, aut venenum deprehenditur in calice post consecrationem. Sin autem restat aliquid quod sumi possit à sacerdote, sufficit illud sumere, æque ac particulam hostiæ, si qua restaret, alia ablata, vel disparente: putà illam etiam, quæ calici fuit immissa, & nondum est substantialiter immutata. Christus enim totus continetur sub qualibet specierum particula legitimè consecrata, & nondum corrupta: & consecratio, ac sumptio cuiusuis particulæ vtriusque speciei simul, sufficit ad essentiam, & consummationem sacrificii. Neque est necessarium totam hostiam consecratam consumi à sacerdote. Potest enim partem illius dare communicantibus. Et olim quando laïci communicabant sub vtraque specie, infundebatur pars vini consecrati in alium calicem distribuendum communicantibus.

SECTIO IX.

An, & quomodo teneantur fideles assistere Missæ sacrificio?

Respondeo & dico primò, teneri ex præcepto Ecclesiastico omnes & singulos fideles interesse diebus festis toti Missæ sacrificio: vt patet ex cap. *Missas*, & cap. *Omnes fideles*, *de consecr. dist.* 1. Estque tam grauis huius præcepti obligatio (vtpote de materia per se graui) vt mortaliter peccent, qui Sacrum integrum, aut notabilè eius partem omittunt voluntariè, & sine causa legitima, vt communiter docent Theologi contra Ricard. & Angel. excusantes à mortali eos, qui non omittunt ex contemptu saltem virtuali, vt quando, inquiunt, assuescit aliquis omissioni Sacri sine iusta causa. 104. Tenentur fideles assistere Missæ diebus festis.

Dixi autem, *qui Sacrum integrum, aut notabilem eius partem omittit*: quia excusat à mortali leuitas omissionis, si quis exiguam Missæ partem non audiat: putà ab Introitu vsque ad Euangelium exclusiuè, vt multi censent: aut etiam inclusiuè, vt probabile putat Suar. disp. 88. sect. 2. §. *Addit verò Nauarrus*, dummodo cætera, etiam ipsum Euangelium S. Ioannis in fine recitatum, audiantur: Et quamuis ea, quæ ex can. Missę dicuntur, & aguntur, sint magis præcipua, præsertim verò consecratio, & consumptio sacrificii: damnandi tamen non sunt peccati mortalis, qui exiguæ eorum parti non intersunt, dummodo simul consecrationem, & consumptionem non omittant, vt addit idem auctor §. sequenti: quia, inquit, non satis constat in quo illorum præcisè consistat substantia sacrificii. 105. Et quidem integræ.

Dixi præterea, *voluntariè*: quia excusat etiam à mortali inaduertentia, vel alius defectus sufficientis voluntarii: vt si quis nesciat diem esse festum: vel putet se affuturum tempori: & interea dum elabitur occasio, bona fide occupatur in aliis: aut si leuiter negligens sit, vt opportunè veniat: vel si inculpabiliter existimet se legitimum habere impedimentum, vel causam sufficientem: quamuis reuera non ita sit: vel si quis veniens intentione totum sacrum audiendi, inueniat esse iam inchoatum, cui, si modò pars notabilis non sit elapsa, sufficit ad vitandum peccatum veniale audire cætera quę sequuntur. Si autem pars notabilis iam est elapsa debet aliud sacrum audire, vel saltem partem alterius respondentem illi quam prætermisit, iuxta id quod dicemus inferiùs num. 120. 106.

Dixi tertiò, *Sine causa legitima*: quia multę sunt causæ ab hoc præcepto Ecclesiastico excusantes, quas Nauar. in Manuali cap. 21. Sũmistę V. *Missa*, & V. *Feria*. Suar. disp. 88. sect. 6. & plures alii recensent. Prima est impotentia Physica, vt si quis ægrotet, aut 107. Nisi excuset causa legitima. Nauar.

aut in carcere detineatur: vel si desit sacerdos, & copia audiendi sacrum; vel si adeo distet Ecclesia, vt adire non possit. Secunda est impotentia moralis, & spiritualis, ratione excommunicationis: vt si sacerdos, qui solus adest, sit excommunicatus, nominatim denunciatus, aut notorius percussor clerici, quem vitare tenemur; aut si propter excommunicationem, vel interdictum generale, aut speciale prohibeatur aliquis interesse diuinis officiis, etiam diebus festis. Qui autem ex priuilegio, possunt tempore interdicti sacro assistere, tenentur, vt bene docent auctores supra citati, contra nonnullos alios. Tertia causa excusans est ignorantia inculpabilis, vel opinio probabilis: vt si quis ex ignorantia; vel probabili opinione Doctorum iudicet se, hic, & nunc, & in talibus circumstantiis non obligari. Quarta est impedimentum morale legitimum: vt si non possit assistere sacro sine graui incommodo, vel iactura boni notabilis, & non paruæ æstimationis: putà vitæ, valetudinis, honoris, & decentiæ sui status, in vestitu, aut comitatu, aut bonorum fortunæ: vel etiam sine magna difficultate, & labore propter loci distantiam, pluuiam, aut aliam aëris intemperiem, aut virium imbecillitatem: Quia Ecclesia nõ obligat cum tantis incommodis, & difficultatibus. Vel etiam si rationabiliter timeatur grauis rixa: vel ira alterius, putà coniugis, aut heri, occasione sacri incurrenda: vel scandalum, & ruina spiritualis animæ. Quinta est officium charitatis tanti momenti, adeoque necessarium, vt propter illud meritò præsumatur cedere obligatio præcepti sacrum audiendi. Putà si quis tempore sacri debeat assistere ægroto, qui eius præsentia, & opera carere nequit sine incommodo notabili.

108. Causæ excusantes.

Huc etiam pertinet obsequium debitum ratione officii, vel ministerium aliquod necessarium. Quo titulo excusantur milites castra custodientes, aut portas ciuitatis, qui sine periculo non possunt hinc abesse tempore sacri: pastores, nautæ, vectores mercium, iter agentes, si non possunt adesse sine graui incommodo: nutrices etiam, aut matres, quæ domi paruulos non possunt deserere: neque sine incommodo notabili, aut aliorum perturbatione, & indecentia eos in templum deferre: satiùs enim domo continentur, donec satis habent ætatis ad sacrũ modestè, & decenter audiendum. Item qui tenentur domum seruare metu latronum, dum alii Sacrum audiunt; vt contingit in pagis, & villis vbi Sacrum vnicum fit. Item etiam famuli adeò occupati, vel ab heris ita impediti, vt Sacro interesse nequeant. Quod si frequenter accidat, pro rebus aliũde nõ necessariis, quæque differri possent in aliud tempus, debet huiusmodi famuli quærere alios, quibus more Christiano meliùs seruiãt. Sextò, excusat etiã consuetudo rationabiliter intro ducta, & tolerata à Pastoribus Ecclesiæ: vt illa, quã mulieres post partũ vel post mortem coniugis abstinent aliquandiu ab ingressu templi, vel ab exitu in publicum. Qui autem legitima de causa non interest, potest quidem laudabiliter orare; vt faceret, si adesset, & assistere Sacro spiritualiter: ad hoc tamen non tenetur.

Dico Secundò, hoc præcepto Ecclesiastico non obligari Catechumenos, quia non subsunt legibus Ecclesiæ: multoque minùs infideles non baptizatos: neque amentes, vtpote præcepti incapaces, & obligationis moralis: neque etiam infantes, qui nondũ habent vsum rationis sufficientem, quantum est opus, vt reuerenter, & deuotè interesse possint, quod communiter contingit circa septennium. Sufficit autem ad illius executionem audire Sacrum integrum, siue vnius, siue duorum Sacerdotum per partes tempore distinctas: licet quoad fieri potest, curandum sit, vt audiatur vnicum integrum: quia id magis decet, & multò certiùs obligationi satisfacit: non desunt enim graues auctores, qui negent primum sufficere. Sed vt bene aduertit Aegid. Con. q. 83. a. 6. dub. vnico, Ecclesia hoc ipso, quòd scit plerosque Doctorum ita suum præceptum interpretari, & non resistit, moderatur tacitè, si opus est, rigorem sui præcepti, ita vt nolit ad vnicum Sacrum adstringere. Notandum autem est quod dixi, *per partes tempore distinctas*: quia non idem est sentiendum de illo, qui simul duas partes audiret à duobus in eadem Ecclesia celebrantibus: priorem mediam partem vnius, & posteriorem alterius: Nam Doctores negãt hoc sufficere: & Ecclesia non permittit, neque tacitè approbat suũ præceptũ ita explicari. Sufficit etiam audire quodcumque Sacrum, siue proprium diei, siue aliud. Quia Ecclesia non aliud præcipit, nisi audire Sacrum; eiusque præceptum in hæc verba concipitur, in parua institutione Christianæ Doctrinę iussu Pij V. edita, *Sacrũ Missæ Officium diebus festis reuerenter audire.*

109. Quinam obligentur hoc præcepto.

Item licet olim fortasse præceptum fuerit vt fideles diebus festis, aut Dominicis audirent sacrum in propriis parœciis, vt Sixtus IV. significare videtur in extrauag. *De Treuga, & pace* cap. 1. & nonnulli colligi putant ex cap. 2. de Parochiis: cùm tamen Sixtus eodem loco affirmet posse fideles *honesta de causa se absentare*: & in cap. 2. *de Parochiis*, tantùm prohibeatur vt nemo absit ex contemptu: statuaturque dumtaxat, vt Presbyteri Parochiales Dominicis diebus, & festiuis, parœcianos alienos ad Missã non admittant, si ex contemptu ad eorũ Ecclesiam accedant. Licet inquam olim forsitan præceptũ fidelibus id fuerit; sitque laudabile, vt sæpe audiãt, & ad hoc sint inuitãdi, & hortãdi; nunc tamen, & iampridẽ huic obligationi derogarunt consuetudo, & priuilegia per sedem Apostolicam concessa Regularibus, summorũque Pontificum declarationes. Nã vt omittam plures alias, quæ ab annis ferè quadringentis à sede Apostolica emanarunt, & de illis tantùm loquar, quæ à centum cir- 110.

Teneatur ne audire in propria affirmat.

citer annis editæ sunt: Leo X. in Bulla, quę incipit, *Exponi nobis fecerunt*, data anno 1518. affirmat se iam antea per quasdam suas in forma Breuis, litera declarasse *audientes Missas in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis, & alijs festis diebus* (*non contempto proprio Sacerdote*) sed nimirum commoditatis, vel deuotionis, vel alia de causa, *satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda Missa*. Porrò verba illius Breuis Apostolici referuntur à Nauarro cap. 21. Manual. num. 5. & in priuilegijs Mendicantium fol. 149. in hunc modum: *Auctoritate Apostolica notum facimus tenore præsentiũ omnes Christi fideles vtriusque sexus, qui non contempto proprio sacerdote Parochiali, in Ecclesiis Fratrum Ordinis Mendicantium Dominicis, & festis diebus Missas audiunt, satisfacere, præcepto Ecclesię de audienda Missa, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque*. Additque Leo Pontifex in bulla supra citata hæc verba, quæ diligenter omnibus notãda sunt: *Nihilominus sicut accepimus, plerique Ordinarii locorum, & Parochialium Ecclesiarum rectores, propriæ salutis immemores, Deique, & Ecclesiæ censuræ timore, & Apostolicæ sedis reuerentia postpositis, prædicare, & prædicari facere non formidant, non licere eorum Parochianis peccata sua confiteri prædictis Fratribus, sine ipsorum Rectorum petita prius, & obtenta licentia: eisdemque Parochianis, ne ad eorum Ecclesias, pro diuinis audiendis, diebus præceptis accedant, specialiter, & expressè interdicunt: & super præmissis, ac plerisque aliis, dictis Fratribus molestias inferunt, quibus eorum quies turbatur, & diuinus cultus minuitur, & inter Christi fideles scandala passim oriuntur, non sine diuinæ Maiestatis offensa, & Apostolicæ auctoritatis contemptu. Quamobrem nos, qui dictorum Fratrum quietem, & tranquillum statum intensis desideramus affectibus, vobis* (loquitur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis Ecclesiæ, ad quos omnes hanc Bullam dirigit) *& cuilibet vestrum districtè mandamus sub dictis censuris, vt vos ab eorum molestia, & ab omni inquietudine penitus abstineatis*. Ibidemque carpit summus Pontifex Parochos illos qui, vt ait, *etiam ad prohibitionem huiusmodi obseruandam censuris, ad terrendum simplicem populum, qui censuras huiusmodi timet, vtuntur*. Hæc autem Bulla Leonis X. nunquam fuit reuocata, neque vsu contrario infirmata: imò potiùs confirmata praxi generali totius Ecclesiæ, etiam Romæ in conspectu ipsius summi Pontificis, & Cardinalium.

111. Paulus quoque III. ante centum circiter annos idem priuilegium concessit Societati Iesu in Bulla, quæ incipit, *Licet debitum*, data anno 1549. die 15. Septembris, quod deinde à Gregorio XIII. per aliam Bullam infra citandam confirmatum fuit. Pius verò V. in Bulla, quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, edita anno 1567. *Volumus*, inquit, *vt Missas etiam in diebus Dominicis, & festiuis celebrare, & facere, & etiam vtriusque sexus fideles totius anni tempore illas in Ecclesiis Fratrum huiusmodi audire possint, ipsique Christi fideles nullatenus desuper molestari, aut impediri per locorum Ordinarios, seu rectores Parochialium Ecclesiarum, aut alios quoscumque vllo pacto, causa, vel occasione non valeant, seu debeant: Sed præfati Christi fideles in Ecclesiis Fratrum huiusmodi diebus Dominicis, aut festiuis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur*. Et Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Etsi per priuilegia*, data circa annum 1574. idem confirmat in fauorem Patrum Societatis Iesu, quibus Parochi Parisienses negotium facessiuerant hac in parte. *Motu*, inquit, *proprio, certaque scientia nostra plenam, & liberam vobis in perpetuum licentiam tribuimus &c. Et pariter vt omnes vtriusque sexus Christi fideles, quicumque sint, ad conciones, & ad Missas audiendas, confessionesque faciendas ad dictos Presbyteros accedere, & ab eis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum* (*Resurrectionis die duntaxat excepto*) *accipere liberè possint, Rectorum, aut Ordinariorum, vel quorumcumque aliorum super hoc consensu, aut licentia minimè requisita. Districtiùs inhibentes vniuersis & singulis ne per se, vel per alium, seu alios directè, vel indirectè quouis quæsito colore vel ingenio, quemquam vestrum impedire, vel alias molestare quoque modo præsumant*.

Et Clemens VIII. in Breui Apostolico, quod incipit, *Significatum nobis fuit*, dato ad Episcopum Tricacensem, nuncium Apostolicum anno. 1592. 22. Decembris propter turbas Parochorum Duacensium contra Regulares, non sine scandalo, inquit grauissimo, excitatas, sic ait: *Præsenti nostro decreto sancimus licere sæcularibus Christi fidelibus vniuersis liberè Missas diebus Dominicis & alijs maioribus festis audire in Ecclesiis, tum Fratrum Prædicatorum & aliorum Mendicantium, necnon etiam Collegii Societatis Iesu, iuxta illorum Priuilegia, & antiquas consuetudines: dummodo in contemptum Ecclesiarum Parochialium non faciant. Et tam dictis Fratribus Prædicatoribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis Priuilegiatis prædictis, quibus à sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis peccata sua, etiam quadragesimali, & Paschali, & quouis alio tempore licitè confiteri posse: dummodo tamen iidem seculares Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ die festo Paschatis in propriis Parochiis, ab eorum, Parocho sumant. Proinde tibi per præsentes committimus, vt præsens nostrum decretum Archiepiscopo Cameracensi, & Episcopo Atrebatensi notum facias: iisdemque auctoritate nostra Apostolica mandes, vt illud in dicto oppido Duacensi, & vbicunque opus fuerit, publicari & obseruari faciant: vtque Parochos in officio contineant illosque ab*

Paulus III.

Pius V.

Greg. XIII.

112. Clemens VIII.

auocatione populi ab Ecclesiis Priuilegiatorũ, ac etiam à propositionibus, quibus tollitur libertas audiẽdi Missas in Ecclesiis Priuilegiatorũ supradictis diebus, ac confitendi peccata etiam in Paschate ipsis Priuilegiatis, abstinere faciant.

113. Congregatio Cardinalium. His adde declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium ad sess. 22. Concilij Trident. cap. 4. Decreti 2. de Reformat. n. 9. vbi dicitur neq; pœnis, neque mulctis posse Episcopos populũ adstringere, ne quidem in casu negligẽtiæ, aut cõtumaciæ, ad audiendã Missam in Ecclesia Parochiali. Cuius declarationis, vel alterius similis mentionẽ faciũt Zerola Episcopus Minorensis in Praxi Episcopali parte 1. V. *Missa* §. *Adsextum*, & parte 2. V. *Parochia* §. *tertio*, *an cogendi sint &c.* Cardinalis de Lugo disput. 22. de Euchar. sect. 1. num. 2. Barbosa in caput Tridentini supra citatum num. 17. Emm. Sa correctus Romæ V. *Missæ auditio*, num. 1. Piasecius lib. 2. Praxis Episcop. cap. 3. & plures alii. Ratio est, quam ex parte attigerunt Syluest. & Nauarr. locis infrà citandis, quia non possũt Episcopi ius à summo Pontifice concessum fidelibus restringere, aut tollere, neque prçceptum de audiendo Sacro diebus festis explicare contra declarationẽ expressam summi Pontificis, ad quem propriè pertinet prçceptum illud purè Ecclesiasticum, & generale, ac commune toti Ecclesiæ, declarare, statuereque modum, quo potest, aut debet obseruari. Non possunt etiam derogare priuilegiis Regularium à sede Apost. concessis. Sunt enim Episcopi, & fideles omnes iure diuino inferiores summo Pontifice, capite visibili totius Ecclesiæ, cui omnes Christiani parere tenentur: vt sine hæresi, & Schismate negari nequit: statuiturq; legibus huius regni, in Francisci primi Ordinationibus, vt puniantur ab ipsis iudicibus secularibus, qui contrariũ dixerint, vt habetur tom. 4. Ordinat. tit. 4. Videri etiam potest caput 24. Apologiæ Gregorii VII. quæ habetur in 2. part. tom. 3 Conciliorum generalium per Binium, ex quo perspicuè intelligetur quid in conflictu Declarationum, aut præceptorum summi Pontificis, & Ordinariorũ, vnicuique verè Catholico faciendum sit.

Antonius Fontanon. tom. 4. tit. 4.

114. Conclusio negatiua. Propter quæ omnia, communis sententia Doctorũ est, non teneri fideles ex præcepto Ecclesiastico audire Sacrum diebus festis & Dominicis in propria Parœcia, neque ad id posse cõpelli per Parochos, aut per Ordinarios, contra voluntatẽ summi Pontificis tot Bullis & constitutionibus declaratam. Vt videre est apud Nauarr. cap. 21. manual. n. 5. (vbi citat S. Antonin.) Syluestr. verbo *Missa* 5. quæst. 5. Zerolam, Piasecium, Delugo, Azor. & Sa locis sup. cit. Portell. V. Missa additione 1. vbi citat Rodrig. in Bullar. fol. 1197. n. 4. colũ. 2. & in responsionib. parte 3. casu 29. n. 3. vbi plures alios citat. Barbos. in Trident. ad sess. 24. cap. 4. decreti de Ref. n. 17. Vbi in eandẽ sententiã refert, præter Zerolã, Hieronym. Roder. & Steph. Vveims. Quibus adde Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 88. sect. 2. & Gilbert. Genebrardũ doctissimũ, & sapientissimũ Archiepiscop. Aquensem in Liturgia cap. 26. Vbi loquens de illis, qui huic ordinationi summorũ Pontificũ sese opponunt, *Interea, inquit, Pastores illos moneo, vt ne huiusmodi re abutantur, vt faciũt aliqui Parochi Schismatici, qui Parochialem instructionẽ in tribunal conuertũt, & suatum iurisdictionem in tyrannicã dominationẽ. Nam si Apostolus grauiter carpit Episcopos, qui volunt dominari in clero: quantò magis in eos inueheretur, qui amant tyrannidem exercere in gregem sibi commissum, & conscientias velut equuleo torquere, impediréque ne possint alibi Sacris interesse, confiteri peccata, Eucharistiam sumere, conciones & officium diuinum audire: quod omnino faciunt contra ius, & libertatẽ Ecclesiasticam.* Addunt aliqui, cùm fideles in Gallia nitantur non modò consuetudine vniuersali, legitimè præscripta, & diuturna possessione; verum etiã declarationibus, ac Priuilegiis summorum Pontificũ, quoad ius, aut licentiam audiend: Missam in Ecclesiis Regularium, ibique Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ recipiendi: posse regia auctoritate contra iuris illius, aut licẽtiæ impugnatores protegi, ac defendi, iuxta Bullã Martini V. relatã à Salgado tom. 1. de regia protectione part. 1. cap. 1. Prçludio 5.

Addit denique Bonac. disput. 4. de Missæ Sacrificio quæst. vlt. punct. 12. proposit. 3. præceptum audiendæ Missæ impleri, quocũque loco Missç Sacrum audiatur, siue in propria parœcia, siue in Ecclesiis Religiosorum, siue in Oratoriis priuatis, siue extra Ecclesiam. Quia inquit, Ecclesia præcipit Missæ auditionem, & non præscribit locum. Ergo præceptum adimpletur, quouis in loco Missa audiatur. Pro qua sententia citat Toletum, Azor. Rodrig. Nauar. Suar. Nugnum, Coninc, Graphium, Bartholomæum ab Angelo, & alios.

115. Soluitur obiectio ex Trident. Neque verum est, quòd obiiciunt aliqui Concilium Trident. sess. 24. cap. 4. decreti de Reform. præcipere fidelibus, vt audiant Sacrũ in propria Parœcia diebus festis; iniũgereque Episcopis, vt eos censuris Ecclesiasticis ad id cogant; sicut inquiunt, à pluribus Conciliis Prouincialibus factũ est. Respõdeo enim Trident. cap. illo 4. non loqui de Sacro audiẽdo, sed de concione dũtaxat, & de Catechismo, *Moneat, inquit, Episcopus populũ diligẽter teneri vnũquemq; Parochiæ suæ interesse vbi cõmodè id fieri potest, ad audiendũ verbũ Dei.* Notandaq; sunt diligenter verba illa, *vbi commodè id fieri potest.* Tũ paulò post decernit vt Episcopi *Saltẽ Dominicis, & aliis festiuis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimẽta, & obedientiã erga Deũ, & parentes diligẽter ab iis, ad quos spectabit, doceri curẽt, & si opus sit, etiã per cẽsuras Ecclesiasticas cõpellant.* Itaq; cẽsurç de quibus ibi agitur, non sunt ad cogẽdos fideles vt Sacrũ audiãt in propria parœcia: sed ad compellendos Parochos, & alios, quibus incumbit instruere pueros de rudimentis fidei, vt suo muneri hac in parte non desint. Idem verò Concilium sess. 22. in decreto

de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, vbi loquitur de illa audienda; vult Episcopos non iubere quidem, aut pœnis cõstringere, sed monere populũ, vt frequenter ad suas Paræcias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedat. Debet igitur admonitione illa contenti esse Ordinarii. Est etiam notandum plures summos Pontifices post Concilium Tridentinum declarasse aut statuisse, fideles satisfacere præcepto Ecclesiæ, licet audiant Sacrũ extra propriã Parœciã in Ecclesiis Regulariũ, vt patet ex Bullis supra relatis Pij V. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium super Tridentinũ, ad cap. 4. decreti 2. de Reformat. sess. 24. nu. 9. his verbis: *Ordinarius non potest per hoc Cõciliũ, mulctis & pœnis, etiã in casu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, cogere populum ad audiendã Missam & Sacram concionem in Ecclesiis Parochiali; nec pueros ad discendam Doctrinam Christianam. Etiamsi hæc fieri voluerit in oppidis, villis, & aliis locis extra ciuitatem.*

116. Altera obiectio diluitur. Quod verò attinet ad Cõcilia Prouincialia in contrarium allegata, Respondeo primò non posse illa derogare summorum Pontificũ constitutionibus, sola sua auctoritate: nihilque validè sancire posse cõtra ea quę continentur in iure communi, aut in Conciliis generalibus. Secundò, videndum esse, sintne approbata à summo Pontifice, & verũ cum aliqua limitatione; quod videri potest in Epistolis summi Pontificis, aut Cardinalium eius nomine, initio præfixis. Tertiò, summum Pontificem illa approbando non derogare priuilegiis à se concessis nulla eorum mentione facta. Quartò, derogatũ illis Conciliis Prouincialibus fuisse per posteriores constitutiones summorum Pontificum, quarum nonnullas supra retulimus: & pœnã excommunicationis, aut alias censuras de quibus loquuntur aduersarii, supponere peccatum mortale, quod certè non committitur à fidelibus vtentibus iure sibi concesso à sũmis Pontificibus, & implendo præceptum Ecclesiasticum ea ratione, quâ ipsi declararunt. Ac denique huiusmodi Concilia nullã habere iurisdictionem extra suam Prouinciã.

117. Quæ præsentia requiratur. Dico tertiò, & vltimò, ad satisfaciendum huic præcepto Ecclesiastico audiendi Missã, necessariũ esse assistere Sacro, corporali præsentia sufficienti. Quæ autem sufficiat, prudenter iudicandum est. Et quamuis non sit necessariũ, vt qui assistit, sit intra ipsam Ecclesiam, aut locum, vbi celebratur, vel vt Sacerdotẽ videat, vel audiat: oportet tamen, vt non tam longè distet, quin moraliter adesse censeatur, vel ob loci propinquitatẽ, & cõmoditatem, vel propter continuationẽ cum aliis assistentibus: oportet etiam vt inde intelligat aliquo modo quid agatur, aut, per se loquendo, intelligere possit, præsertim tempore consecrationis: quod facile ex aliorum assistentium gestu potest cognoscere, si modo cæcus, & surdus non sit. Requiritur etiam intentio audiendi Sacrum: quia debet voluntariè, & humano modo audiri. Quare si quis interesset coactus, & omninò contra suam voluntatem, non obediret præcepto: ideóque non illud impleret. Sed non pariter requiritur intentio satisfaciendi præcepto. Qui enim adesset vni Sacro cum intentione contraria, volens alterum audire, & per illud implere præceptũ: satisfaceret nihilominus, neque teneretur iterum eo die audire vi præcepti solius, & secluso voto, vel alia obligatione: quia iam posuit materiam præcepti, quã positã illud iam cessat obligare.

Item requiritur aliqua attentio, deuotio, & reuerẽtia, saltem externa, id est, quantũm exteriùs apparet, ita vt dici possit ipsum exercere actũ religiosũ. An verò etiã interna deuotio necessaria sit vi illius præcepti Ecclesiastici, patet ex dictis alibi de legibus humanis, possintne actus internos præcipere. Quare abstrahendo in præsenti ab illa quæstione controuersa inter Theologos, & alibi discussa tom. 2. disp. 29. sect. 1. 2. & 3. certũ est illum non satisfacere præcepto, qui tempore Sacri, aut notabili eius parte cõfabularetur, vel huc, illucq; oculos auerteret, vel aliud ageret, quo externa attẽtio ad Sacrum, vel reuerentia, & deuotio necessaria impediretur. Vt si quis toto tẽpore Sacri, aut notabili eius parte confiteretur Sacramentaliter: licet nonnulli contrarium sentiant: quod in praxi sequendum non puto, nisi sit magna necessitas confessionis hîc & nunc, & aliter fieri nequeat sine graui incommodo. Multóque minùs satisfaceret, qui dormiret toto tẽpore Sacri: quia non deuotè, & reuerenter, imò neque humano modo assisteret. Secus autem, qui tempore Sacri horas Canonicas recitaret, simulque haberet intentionem audiendi Sacrum, & preces suas iungendi oblationibus Sacerdotis. Et de his hactenus, quorum fusior, & minutior explicatio pertinet ad Theologum moralem. 118. Quę attentio & deuotio.

SEXTIO X.

Liceatne assistere missæ Sacrificio cum conscientia peccati mortalis.

Sensus quæstionis est, peccentne mortaliter, aut venialiter, qui assistunt Sacrificio Missæ, non priùs obtenta peccati mortalis, antea commissi remissione per contritionẽ, aut per Sacramentum cum attritione? Videtur enim aliqui neoterici id affirmare, quorũ præcipuũ fundamentũ est, quòd olim in antiqua Ecclesia non permitteretur Pœnitentibus assistere Sacrificio, nisi vsque ad Missã Catechumenorum, donec completo tertio gradu, reconciliarentur Ecclesiæ per absolutionẽ. Quia nimirum, vt ait Dionys. cap. 3. Eccles. Hierarch. erant alioquin indigni. *Nã Catechumenos*, inquit, *& Energumenos, & eos qui in Pœnitentia sunt, sacrosancta Sacerdotalis institutio psalmodiam quidem & diuinam sanctarum scripturarum lectionem audire permittit: ad ea verò, quæ deinceps in hostiæ salutaris oblatione* 119. Status quæstionis. Noua sentẽtia Dogmatist.

geruntur, contuenda, non hos planè sed perfectos, & tanta rei dignorum admittit obtutus. Eandemque ob causam dicunt absolutionem à peccatis, fuisse datã Pœnitentibus finito tertio gradu Pœnitētiæ, qui dicebatur *σύστασις*: quoniam alioqui non fuisset illis permissum interesse oblationi sacrificii cum aliis fidelibus. Neque enim antiqua Ecclesia, instar Mezentii, mortuos adhuc per statum peccati, fidelibus per gratiam viuentibus coniungi volebat. Addunt ex Chrysostomo homil. 3. in epistolam ad Ephesios, prope finem, non minorem requiri dispositionem, vt non indignè assistatur sacrificio, quàm vt non indignè participetur Sacramento per communionem. Atqui ad communicandum sine indignitate, & graui peccato sacrilegii requiritur puritas à peccato mortali: ergo, &c. Addi etiam potest, ex aliquorum Theologorum sententia teneri fideles singulis diebus festis procurare remissionem peccati mortalis, si in eo versantur. Cuius necessitatis nulla probabilior potest afferri ratio, seu causa finalis, nisi vt digni fiant, qui tremẽdis mysteriis intersint, sicut tenentur interesse ex præcepto Ecclesiæ. Sic autem docent Angel. in Summa V. *Ferie* n. 41. & quidam alii Summistæ. Addi denique potest 1. Reg. 6. Bethsamitas fuisse plaga magna percussos, eò quod vidissent Arcam Domini: nimirum quia eius conspectu indigni erant propter peccatum. Ergo multò magis digni sunt percussione, & ira Dei, qui in statu peccati mortalis audent assistere celebrationi venerabilis Sacramenti, illudque inspicere.

120. Verùm hæc sententia tam dura & seuera planè rejicienda est. Primò quia nullum habet auctorem inter Theologos antiquos, & recentes, sed inane sciolorum quorundam modernorum figmentum, & inuentum est. Licet enim nonnulli, quorum confusè meminit Azor tom. 1. lib. 7. cap. 6. quæst. 1. existimauerint eos, qui assistunt in statu peccati, non [illegible] facere præcepto, eò quòd putarent nu[illegible] præceptum impleri posse in statu peccati mortalis: non tamen senserunt peccare illos peccato commissionis contra reuerentiam sacrificii, indignè assistendo, vt isti volunt, & de quo est quæstio: sed potiùs peccato omissionis, non implendo præceptum affirmatiuum, defectu conditionis necessariæ ad implendum. Quæ conditio iuxta illos non est specialis sacrificio Missæ, sed communis omnibus præceptis affirmatiuis: peccantque similiter qui in statu peccati mortalis honorant parentes, subueniunt pauperi extremè indigenti, tuentur innocentem contra calumniam, aut iniustam inuasionem, obediunt superioribus, & similia, quæ satis ostendunt absurditatem illius sententiæ: meritòque Azor affirmat ibidem illam communi omnium consensu refutari. Alensis verò, & Gabriel, qui inter veteres Scholasticos hanc quæstionem attingunt locis infra citandis, nullum prorsus allegant in fauorem doctrinæ Aduersariorum.

Refellitur vt planè improbabilis.

Secundò, Hæc sententia damnat plurimos fideles peccati mortalis, grauissimamque obligationem omnibus imponit, absque sufficienti fundamento. Nam rationes, quibus innititur, nullius sunt momenti, vt patebit ex earum solutione. Tertiò, si esset talis obligatio; vel illa esset ex præcepto ecclesiastico, vel ex diuino positiuo, vel ex ipsa natura rei. Non primum: quia Ecclesia non potest obligare ad aliquid purè internum, cuiusmodi est contritio, aut status gratiæ, vt suppono ex tractatu de Legibus. Non etiam secundum, quia nullum tale præceptum positiuum profertur ab aduersariis. Tertium quoque dici non potest: quia si ex ipsa natura rei oriretur talis, & tanta obligatio, id esset maximè propter præsentiam, aut conspectum Eucharistiæ, ratione cuius tanta veneratio debeatur eius celebrationi. Sed hoc est falsum, & absurdum: nam cùm maior non debeatur reuerentia Christo in statu Sacramentali, quàm in statu naturali, & in propria specie, sequeretur eos peccasse mortaliter, qui ad Christum accedebant, aut illum intuebantur existentes adhuc in statu peccati mortalis, saltem si habebant sufficientem notitiam personæ ipsius, & reuerentiæ illi debitæ. Atque ita Magdalena v. g. peccasset mortaliter, quando ad pedes eius accessit, nondum obtẽta remissione peccatorum, quam postea per insignem pœnitentiam, & dilectionem consecuta est. Neque enim illa ignorabat Christum esse filium Dei. Idemq; dico de Chananæa, Hæmorroissa, Zachæo, & aliis in Scriptura laudatis. Et Christus inuitans ad se peccatores, illosque benignè admittens ante obtentam remissionem peccatorum, inuitasset eos ad peccandum mortaliter; debuissetque potiùs vitare illorum conspectum, quamdiu peccatores erant. Cùm tamen è contrario illos quæreret, aut libenter reciperet, & cum illis manducaret, diceretque murmurantibus, non esse opus valentibus medico, sed malè habentibus: seque non venisse vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Qualis verò esset ille medicus, quem ægroti non possent conuenire, nisi priùs à morbo liberati? Hæc certè ridicula, & delirii plena esse mihi videntur: cuiusmodi sunt alia pleraque eorundem sciolorum noua dogmata.

121. *Caret sufficienti fundamento.*

Adde quòd, vt rectè ait Gabriel lect. 50. in can. litera O, post Alensem 4. parte quæst. 52. memb. 6. Non modò iusti, sed & iniusti, intuendo corpus Christi in Eucharistia, & assistendo Missæ sacrificio, magnum spirituale commodum ex eo consequuntur. Tum, inquit, ex ponderatione charitatis Saluatoris: tum ex subuentione beneficii reparatoris: tum ex recordatione passionis Redemptoris. Hæc enim debent iustus, & peccator corpus Christi intuendo recordari, quantum fuit beneficium reparationis: quanta passio Redemptoris:

122. *Vtile est peccatoribus assistere Missæ sacrificio.*

quanta charitas Saluatoris. Quâ consideratione peccator nonnunquam ad contritionem mouetur, & gratiam consequitur. Imo sæpe contingit, vt qui deuotè assistunt sacrificio, concipiant dolorem de peccatis qualem oportet, vt iustificationem obtineant, fiantque illis similes, qui viso Christo mortem patiente, reuertebantur percutientes pectora sua, & dicentes, *Verè filius Dei erat iste.*

123. Adde etiam, Quòd hoc sacrificium est institutum in remissionem peccatorum, iuxta illud Luc. 22. *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui calix pro vobis funditur in remissionem peccatorum.* Quidni ergo peccatores illi interesse possint ea intentione, & affectu, vt illius ope & beneficio remissionem peccatorum obtineant: impetratis scilicet per hoc sacrificium gratiis auxiliantibus, quibus tandem ad contritionem perfectam adducantur? Neque par est ratio eius, qui inspicit, aut assistit dumtaxat, & illius qui recipit Eucharistiæ sacramentum.

Differentia inter vi-dentem, & sumentem Eucharistiam.

Non solùm quia, vt ait Gabr. loco citato, non est tanta irreuerentia in videndo, sicut in sumendo: quia videns non pertingit videndo ad substantiam corporis Christi, sed tantùm ad species sacramentales: at verò qui manducat, non solùm sumit species, sed Christum sub speciebus verè contentum. Verùm etiam, & multò magis (nam sola illa ratio non sufficeret) quia sumens in peccato abutitur sacramento. Secus autem, qui videt dumtaxat, aut assistit celebrationi sacramenti. Abutitur quidem in peccato sumens, quia impedimentum ponit spirituali refectioni, ad quam ordinata est corporalis manducatio, tanquam ad effectum propriũ, & primarium. Videns autem in peccato, aut assistens sacrificio, non abutitur: quia potest adorare visum, & immolatum, ac colere per fidem, & recolere memoriã, quæ supra dicta sunt: ad quæ recolenda sacramenti ostẽsio, & celebratio est ordinata. Tum denique tertiò, quia manducans in peccato transgreditur præceptum Apostoli, aut Christi per Apostolum sic præcipientis: *Probet autem seipsum homo &c.* 1. Corinth. 11. Secus autem videns tantùm, vel assistens sacrificio ex intentione Christum adorandi. Neque enim humiliter adorando irreuerentiam cõmittit: neque se non præparãdo sufficienter ad gratiam per veram contritionem, aut per attritionem cum Sacramento, peccatum negligentiæ committit aut sacrilegii, eo quòd nõ tenetur se ad gratiam disponere propter visionem Sacramenti, aut propter assistentiam celebrationi sacrificii: quia ostensio, & assistentia, non ordinatur per se ad gratiam videnti, aut assistenti conferendam, sicut receptio Sacramentalis.

124. Ad primum argumentum aduersariorum respondeo primò falsò ab illis supponi omnes existentes in statu peccati mortalis fuisse olim in ordine Pœnitentium, & exclusos ab ecclesia tempore oblationis, Nam publica illa, & solennis pœnitentia nonnisi imponebatur nisi pro grauissimis quibusdam sceleribus publicis, & scandalosis: nec nisi semel in vita: vt manifestis veterum testimoniis ostendemus in sequenti tractatu disp. vlt. de Sacramento Pœnitentiæ. Quare omnibus aliis permittebatur assistere sacrificio, neque antiqua Ecclesia id illicitum esse iudicabat.

Permittebatur olim multis peccatoribus assistere Missæ sacrificio.

Imò qui semel publicam, & solennem pœnitentiam egerant, si postea in enormia illa, publicaque peccata incidissent, permittebantur nihilominus assistere oblationi, & celebrationi mysteriorum, & excludebantur solùm à communione, vt constat ex epist. 1. Siricii Papę ad Himerium Tarracon. Episcopum cap. 5. Respondeo secundò veram causam cur Pœnitentes supradicti excluderentur à celebratione sacrificii non fuisse, quia peccassent mortaliter assistendo: sed quia erant excommunicati, & prohibiti à tali consortio & communicatione cum aliis fidelibus.

125. Ad secundum sumptum ex testimonio Dionysii Respondeo, Catechumenos fuisse quidem semper exclusos ab oblatione sacrificii, quia ne illis quidem hoc mysterium aperiebatur, & credendum proponebatur, velut infirmioribus, & nondum satis idoneis. Energumeni verò licet ordinariè dimitterentur ante oblationem; postea tamen fuisse sæpe admissos constat ex Chrysostomo homil. 3. de Incomprehensibili Dei natura, contra Anomæos, in fine, cuius hæc verba sunt: *Tempore illo* (sacrificii) *mi frater charissime, non solùm homines clamorem illum tremendum reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant. Habent sibi tempus, idoneum. Habent sacram illam oblationem fauorabilem. Itaque vt homines, ramos olearum gerentes, mouere reges consueuerunt, eoque arboris genere misericordiam commemorant, & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeo dilexisti, vt [illegible]orum salute mortem obires, & animam in [illegible]ce efflares. Pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem. Pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. Energumenos quoque ob eam rem Diaconus tempore illo adducit, & iubet caput tantum inclinare, atque illo corporis gestu supplicare. Cum enim eos vna cum fratribus orare non liceat, adducit eos vt tu miseratus, & quia tam acerbè vexantur, & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum vtaris defensionem, & auxilium.* Et homil. 4. de eodem argumento, aliquantum ante finem. *Vt itaque tempore instante, quo iudex prodire, & pro tribunali sedere solitus est, custodes carceris homines, quos in vinculis tenent, omnes carcere educunt, & pro cancellis, septisque fori collocant, squalentes, sordentes, coma expletos nimia, pannis miserrimè obductos: Sic Patres statuerant, vt cum breui Christum vel pro tribunali sedere, in ipsisque sacramentis apparere futurum esset, homines dæmone agitati, illi tanquam vinculis qui-*

An etiam energumeni?

busdam retenti adducerentur, non vt rerum, quas cōmisissent, examen subirēt, modo eorū qui in vinculis sunt: nec vt luerēt pœnas, & supplicio afficerētur: sed vt populo vniuersaq; ciuitate præsente, cōmunes pro his fierēt supplicationes, vt omnes ingi concordia Dominū communē orarēt pro illis, & quòd misereretur, magno cl more contenderent,

126\. Quod verò attinet ad pœnitentes: verum est exclusos fuisse, exceptis iis, qui ad quartum *Consistentium* gradum peruenerant: non præcisè eo quòd versarentur adhuc in statu peccati mortalis quomodocunque: nam alioqui peccatores alii occulti, aut non scandalosi fuissent pariter excludendi: sed, quia, vt supra dixi, propter scelera tam grauia, & scandalosa erant excommunicati, & à fidelium consortio quoad oblationem, & celebrationem sacrificii separati. Sicut etiam nunc prohibentur excommunicati interesse diuinis officiis: duratque illa prohibitio donec excommunicatio tollatur, licet remissio peccati apud Deum priùs obtenta fuerit per contritionem. Verba autem Dionysii fideliter relata hæc sunt: *Catechumenos autem, & energumenos, quique in pœnitentia sunt, sanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire sacram psalmorum modulationem, diuinamque sacrarum Scripturarum recitationem: ad sacra autem opera, quæ deinceps sequuntur, atque mysteria spectanda* οὐ συγκαλεῖται τούτους, ἀλλὰ τοὺς τελείους τῶν τελεσιουργῶν ὀφθαλμῶν, id est, vt rectè vertit Lanselius, *non eos conuocat, sed perfectos integrorum oculos.* Quæ verba exponens in notis ad eundem librum num. 27. ait τελεσιουργὸς idem esse quod ὁλόκληρος, qui scilicet neque paganus, neque Catechumenus, neque Energumenus, neque Pœnitens, sed integer & perfectus est christianus, ea saltem perfectione, vt propter peccata non sit veluti à corpore Ecclesiæ rescissus, tanquam membrum putridum, sed totius corporis integritati adhæreat. Et verò si per Christianos perfectos intelligendi hoc loco essent puri, & omnino immaculati, & irreprehensibiles, liberique ab omnibus vitiorum phantasmatis, & vni Deo perfectè vniti, purissimoque eius amore purgati, vt volunt aduersarii; pauci admodum, vel potius nulli sacris mysteriis interesse potuissent.

Excludebantur publici pœnitentes.

Explicatur locus Dionysii.

127\. Ad tertium Dico incertum esse, & à paucis assertum, quòd absolutio sacramentalis daretur finito tertio gradu, & non potiùs post exactum omne tempus pœnitentiæ publicæ, quando scilicet pœnitentes Ecclesiæ reconciliabantur, atque ad sacram communionem Eucharistiæ admittebantur. Coniecturam verò aduersariorum vanam esse constat ex epist. Syricii Papæ supra citata: & ex eo quòd peccatores non scandalosi, aut adeo criminosi, vt mererentur publicam, & solennem pœnitentiam, permissi semper fuerunt interesse oblationi sacrificii, aliisque diuinis officiis. Item ex eo quòd feria V. maioris hebdomadæ, & deinceps vsque ad octauam Paschæ, permitterentur quicunque pœnitentes interesse diuinis officiis, & celebrationi mysteriorum, vt Concilium Agathense c. 15. apud Gratian. dist. 50. c. 64. subindicat, & clarius asserit S. Thom. quæst. 28. supplem. art. 3. in corp.

Quonam tempore dabatur absolutio, publicè pœnitentibus.

Ad quartum Dico Chrysostomum exaggeratoriè locutum esse: vt vel ipsis aduersariis necessariò fatendum est. Nam in antiqua ecclesia, eo tempore quo erat vsus & necessitas publicæ pœnitentiæ, permittebatur pœnitentibus in quarto gradu, qui systasis dicebatur, versantibus, assistere toti Missæ sacrificio: & tamen nondum illis permittebatur communicare. Ergo ecclesia illius temporis iudicabat maiorem dispositionem, & puritatem animi, requiri ad communicandum, quàm ad sacrum audiendum. Adde quòd alioqui tenerentur fideles, qui sibi conscii sunt peccati mortalis, non modò conteri, verum etiam sacramentaliter de illo priùs confiteri. Quod est falsum, vt fatentur aduersarii. Et Ecclesia, quæ obligat ad sacrum omnibus diebus Dominicis, & festis audiendum (quod præceptum de diebus Dominicis antiquum esse constat ex Concilio Agath. Can. 47. relato in decreto distinct. 1. de Consecrat. cap. 64.) semel tantùm quotannis ad confitendum obligat: tametsi non ignorat plurimos christianos cadere frequentiùs in peccatum mortale, & in illius statu diu hærere.

Ad quintum dico, fundamentum illorum auctorum, qui paucissimi sunt, & ab omnibus aliis reiecti, non esse, quia alioqui peccarent assistentes sacrificio Missæ in tali statu: sed quia (inquit Angelus loco cit. in obiectione) tenemur de præcepto vacare Deo in aliqua hora diei festi: sed hoc facere non potest, qui est in mortali, nisi de eo conteratur, vel atteratur: Propter quod dicitur Leuit. 23. *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras:* Et iterum: *Anima, quæ non fuerit afflicta die hac, peribit.* Quæ sententia, tametsi vera esset, sufficeret atteri, iuxta illam. Attritio autem non sufficit ad iustificationem extra sacramentum. Quare qui attritus assistit sacrificio, assistit nihilominus in statu peccati mortalis. Deinde illa sententia non determinat hanc obligationem ad sacrificium. Addit enim Angelus paulò post, sufficere aliqua hora diei dolere de peccatis, saltem in genere: qua de re, inquit, vt moneamur, propterea præmittitur in Missa confessio. Sed licet tunc præmittatur, non obligat ad quamprimum, vel intra totum tempus celebrationis Missæ. Omitto dicere fundamentum istius sententiæ nullum esse. Potest enim peccator vacare Deo per fidem, adorationem, gratiarum actionem, & alios actus virtutum, quamuis non conteratur, aut atteratur. Et Deus præcipiens obseruationem Sabbati, & alia quædā festa in lege antiqua: non præcepit vt singulis illis diebus Iudæi dolerent de peccatis, multóque minùs, vt perfectè contererentur, Quodque ab Angelo profertur ex Leuitic. 23. dictum est specialiter de die decimo 128.

Cur diebus festis tenemur, secundum aliquos, dolere de peccatis.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, qui in hoc volumine illustrantur.

Littera D. designat disputationem. N. numerum. P. paginam.

Psalmorum liber.

Prouerbiorum liber.

Isaias.

Daniel.

Machabæorum libri.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

Acta Apostolorum.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Ad Timotheum.

Ad Hebræos

Iacobus.

Petrus.

Ioannes.

Apocalypsis.



de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, vbi loquitur de illa audienda; vult Episcopos non iubere quidem, aut pœnis cõstringere, sed monere populũ, vt frequenter ad suas Parœcias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedat. Debet igitur admonitione illa contenti esse Ordinarii. Est etiam notandum plures summos Pontifices post Concilium Tridentinum declarasse aut statuisse, fideles satisfacere pręcepto Ecclesiæ, licet audiant Sacrũ extra propriã Parœciã in Ecclesiis Regulariũ, vt patet ex Bullis supra relatis Pij V. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium super Tridentinũ, ad cap. 4. decreti 2. de Reformat. sess. 24. nu. 9. his verbis: *Ordinarius non potest per hoc Cõciliũ, mulctis & pœnis, etiã in casu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, cogere populum ad audiendã Missam & Sacram concionem in Ecclesia Parochiali; nec pueros ad discẽdam Doctrinam Christianam. Etiamsi hæc fieri voluerit in oppidis, villis, & aliis locis extra ciuitatem.*

116. *Altera obiectio diluitur.* Quod verò attinet ad Cõcilia Prouincialia in contrarium allegata, Respondeo primò non posse illa derogare summorum Pontificũ constitutionibus, sola sua auctoritate: nihilque validè sancire posse cõtra ea quę continentur in iure communi, aut in Conciliis generalibus. Secundò, videndum esse, sintne approbata à summo Pontifice, & verũ cum aliqua limitatione; quod videri potest in Epistolis summi Pontificis, aut Cardinalium eius nomine, initio præfixis. Tertiò, summum Pontificem illa approbando non derogare priuilegiis à se concessis nulla eorum mentione facta. Quartò, derogatũ illis Conciliis Prouincialibus fuisse per posteriores constitutiones summorum Pontificum, quarum nonnullas supra retulimus: & pœnã excommunicationis, aut alias censuras de quibus loquuntur aduersarii, supponere peccatum mortale, quod certè non committitur à fidelibus vtentibus iure sibi concesso à sũmis Pontificibus, & implendo præceptum Ecclesiasticum ea ratione, quã ipsi declararunt. Ac denique huiusmodi Concilia nullã habere iurisdictionem extra suam Prouinciã.

117. *Quæ præsentia requiratur.* Dico tertiò, & vltimò, ad satisfaciendum huic pręcepto Ecclesiastico audiendi Missã, necessariũ esse assistere Sacro, corporali præsentia sufficienti. Quæ autem sufficiat, prudenter iudicandum est. Et quamuis non sit necessariũ, vt qui assistit, sit intra ipsam Ecclesiam, aut locum, vbi celebratur, vel vt Sacerdotẽ videat, vel audiat: oportet tamen, vt non tam longè distet, quin moraliter adesse censeatur, vel ob loci propinquitatẽ, & cõmoditatem, vel propter continuationẽ cum aliis assistentibus: oportet etiam vt inde intelligat aliquo modo quid agatur, aut, per se loquendo, intelligere possit, præsertim tempore consecrationis: quod facile ex aliorum assistentium gestu potest cognoscere, si modo cæcus, & surdus non sit. Requiritur etiam intentio audiendi Sacrum: quia debet voluntariè, & humano modo audiri. Quare si quis interesset coactus, & omninò contra suam voluntatem, non obediret præcepto: ideóque non illud impleret. Sed non pariter requiritur intentio satisfaciendi præcepto. Qui enim adesset vni Sacro cum intentione contraria, volens alterum audire, & per illud implere pręceptũ: satisfaceret nihilominus, neque teneretur iterum eo die audire vi pręcepti solius, & secluso voto, vel alia obligatione: quia iam posuit materiam præcepti, quã positã illud iam cessat obligare.

118. *Quę attentio & deuotio.* Item requiritur aliqua attentio, deuotio, & reuerẽtia, saltem externa, id est, quantum exteriùs apparet, ita vt dici possit ipsum exercere actũ religiosũ. An verò etiã interna deuotio necessaria sit vi illius præcepti Ecclesiastici, patet ex dictis alibi de legibus humanis, possintne actus internos pręcipere. Quare abstrahendo in præsenti ab illa quæstione controuersa inter Theologos, & alibi discussa tom. 2. disp. 29. sect. 1, 2. & 3, certũ est illum non satisfacere præcepto, qui tempore Sacri, aut notabili eius parte cõfabularetur, vel huc, illucq; oculos auerteret, vel aliud ageret, quo externa attẽtio ad Sacrum, vel reuerentia, & deuotio necessaria impediretur. Vt si quis toto tẽpore Sacri, aut notabili eius parte confiteretur Sacramentaliter: licet nonnulli contrarium sentiant: quod in praxi sequendum non puto, nisi sit magna necessitas confessionis hic & nunc, & aliter fieri nequeat sine graui incommodo. Multóque minùs satisfaceret, qui dormiret toto tẽpore Sacri: quia non deuotè, & reuerenter, imò neque humano modo assisteret. Secus autem, qui tempore Sacri horas Canonicas recitaret, simulque haberet intentionem audiendi Sacrum, & preces suas iungendi oblationibus Sacerdotis. Et de his hactenus, quorum fusior, & minutior explicatio pertinet ad Theologum moralem.

SEXTIO X.

Liceatne assistere missæ Sacrificio cum conscientia peccati mortalis.

Sensus quæstionis est, peccentne mortaliter, aut venialiter, qui assistunt Sacrificio Missæ, non priùs obtenta peccati mortalis, antea commissi remissione per contritionẽ, aut per Sacramentum cum attritione. Videtur enim aliqui neoterici id affirmare, quorũ præcipuũ fundamentũ est, quòd olim in antiqua Ecclesia non permitteretur Pœnitentibus assistere Sacrificio, nisi vsque ad Missã Catechumenorum, donec completo tertio gradu, reconciliarentur Ecclesiæ per absolutionẽ. Quia nimirum, vt ait Dionys. cap. 3. Ecclesi. Hierarch. erant alioquin indigni. *Nã Catechumenos*, inquit, *& Energumenos, & eos qui in Pœnitentia sunt, sacrosancta Sacerdotalis institutio psalmodiam quidem & diuinam sanctarum scripturarum lectionem audire permittit: ad ea verò, quæ deinceps in hostiæ salutaris oblatione*

[Right margin: 119. *Status quæstionis.* — *Noua sententia Dogmatist.*]

gerantur, contuenda, non hos planè sed perfectos, & tantæ rei dignorum admitti obtutus. Eandemque ob causam dicunt absolutionem à peccatis, fuisse datã Pœnitentibus finito tertio gradu Pœnitẽtiæ, qui dicebatur ὑπόπτωσις, quoniam alioqui non fuisset illis permissum interesse oblationi sacrificii cum aliis fidelibus. Neque enim antiqua Ecclesia, instar Mezentii, mortuos adhuc per statum peccati, fidelibus per gratiam viuentibus coniungi volebat. Addunt ex Chrysostomo homil. 3. in epistolam ad Ephesios, prope finem, non minorem requiri dispositionem, vt non indignè assistatur sacrificio, quàm vt non indignè participetur Sacramento per communionem. Atqui ad communicandum fine indignitate, & graui peccato sacrilegii requiritur puritas à peccato mortali: ergo, &c. Addi etiam potest, ex aliquorum Theologorum sententia teneri fideles singulis diebus festis procurare remissionem peccati mortalis, si in eo versantur. Cuius necessitatis nulla probabilior potest afferri ratio, seu causa finalis, nisi vt digni fiant, qui tremẽdis mysteriis intersint, sicut tenentur interesse ex præcepto Ecclesiæ. Sic autem docent Angel. in Summa V. *Feriæ* n. 41. & quidam alii Summistæ. Addi denique potest 1. Reg. 6. Bethsamitas fuisse plaga magna percussos, eò quod vidissent Arcam Domini: nimirum quia eius conspectu indigni erant propter peccatum. Ergo multò magis digni sunt percussione, & ira Dei, qui in statu peccati mortalis audent assistere celebrationi venerabilis Sacramenti, illudque inspicere.

120. Verùm hæc sententia tam dura & seuera planè reijcienda est. Primò quia nullum habet auctorem inter Theologos antiquos, & recentes, sed inane sciolorum quorundam modernorum figmentum, & inuentum est. Licet enim nonnulli, quorum confusè meminit Azor tom. 1. lib. 7. cap. 6. quæst. 1. existimauerint eos, qui assistunt in statu peccati, non [illegible]facere præcepto, eò quòd putarent nul[illegible] præceptum impleri posse in statu peccati mortalis: non tamen senserunt peccare illos peccato commissionis contra reuerentiam sacrificii, indignè assistendo, vt isti volunt, & de quo est quæstio: sed potiùs peccato omissionis, non implendo præceptum affirmatiuum, defectu conditionis necessariæ ad implendum. Quæ conditio iuxta illos non est specialis sacrificio Missæ, sed communis omnibus præceptis affirmatiuis: peccantque similiter qui in statu peccati mortalis honorant parentes, subueniunt pauperi extremè indigenti, tuentur innocentem contra calumniam, aut iniustam inuasionem, obediunt superioribus, & similia, quæ satis ostendunt absurditatem illius sententiæ: meritóque Azor affirmat ibidem illam communi omnium consensu refutari. Alensis verò, & Gabriel, qui inter veteres Scholasticos hanc quæstionem attingunt locis infra citandis, nullum prorsus allegant in fauorem doctrinæ Aduersariorum.

Refel itur vt planè improbabilis.

Secundò, Hæc sententia damnat plurimos fideles peccati mortalis, grauissimamque obligationem omnibus imponit, absque sufficienti fundamento. Nam rationes, quibus innititur, nullius sunt momenti, vt patebit ex earum solutione. Tertiò, si esset talis obligatio; vel illa esset ex præcepto ecclesiastico, vel ex diuino positiuo, vel ex ipsa natura rei. Non primum: quia Ecclesia non potest obligare ad aliquid purè internum, cuiusmodi est contritio, aut status gratiæ, vt suppono ex tractatu de Legibus. Non etiam secundum, quia nullum tale præceptum positiuum profertur ab aduersariis. Tertium quoque dici non potest: quia si ex ipsa natura rei oriretur talis, & tanta obligatio, id esset maximè propter præsentiam, aut conspectum Eucharistiæ, ratione cuius tanta veneratio debeatur eius celebrationi. Sed hoc est falsum, & absurdum: nam cùm maior non debeatur reuerentia Christo in statu Sacramentali, quàm in statu naturali, & in propria specie, sequeretur eos peccasse mortaliter, qui ad Christum accedebant, aut illum intuebantur existentes adhuc in statu peccati mortalis, saltem si habebant sufficientem notitiam personæ ipsius, & reuerentiæ illi debitæ. Atque ita Magdalena v. g. peccasset mortaliter, quando ad pedes eius accessit, nondum obtẽta remissione peccatorum, quam postea per insignem pœnitentiam, & dilectionem consecuta est. Neque enim illa ignorabat Christum esse filium Dei. Idemq; dico de Chananæa, Hæmorroissa, Zachæo, & aliis in Scriptura laudatis. Et Christus inuitans ad se peccatores, illosque benignè admittens ante obtentam remissionem peccatorum, inuitasset eos ad peccandum mortaliter; debuissetque potiùs vitare illorum conspectum, quamdiu peccatores erant. Cùm tamen è contrario illos quæreret, aut libenter reciperet, & cum illis manducaret, diceretque murmurantibus, non esse opus valentibus medico, sed malè habentibus: seque non venisse vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Qualis verò esset ille medicus, quem ægroti non possent conuenire, nisi priùs à morbo liberati? Hæc certè ridicula, & delirii plena esse mihi videntur: cuiusmodi sunt alia pleraque eorundem sciolorum noua dogmata. 121.

Caret sufficienti fundamento.

Adde quòd, vt rectè ait Gabriel lect. 50. in can. litera O, post Alensem 4. parte quæst. 52. memb. 6. Non modò iusti, sed & iniusti, intuendo corpus Christi in Eucharistia, & assistendo Missæ sacrificio, magnum spirituale commodum ex eo consequuntur. Tum, inquit, ex ponderatione charitatis Saluatoris: tum ex subuentione beneficii reparatoris: tum ex recordatione passionis Redemptoris. Hæc enim debent iustus, & peccator corpus Christi intuendo recordari, quantum fuit beneficium reparationis: quanta passio Redemptoris: 122.

Vtile est peccatoribus assistere Missæ sacrificio.

quanta charitas Saluatoris. Qua consideratione peccator nonnunquam ad contritionem mouetur, & gratiam consequitur. Imo sæpe contingit, vt qui deuotè assistunt sacrificio, concipiant dolorem de peccatis qualem oportet, vt iustificationem obtineant, fiuntque illis similes, qui viso Christo mortem patiente, reuertebantur percutientes pectora sua, & dicentes, *Verè filius Dei erat iste.*

123. Adde etiam, Quòd hoc sacrificium est institutum in remissionem peccatorum, iuxta illud Luc. 22. *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui calix pro vobis funditur in remissionem peccatorum.* Quidni ergo peccatores illi interesse possint ea intentione, & affectu, vt illius ope & beneficio remissionem peccatorum obtineant: impetratis scilicet per hoc sacrificium gratiis auxiliantibus, quibus tandem ad contritionem perfectam adducantur? Neque par est ratio eius, qui inspicit, aut assistit dumtaxat, & illius qui recipit Eucharistiæ sacramentum. Non solùm quia, vt ait Gabr. loco citato, non est tanta irreuerentia in videndo, sicut in sumendo: quia videns non pertingit videndo ad substantiam corporis Christi, sed tantùm ad species sacramentales: at verò qui manducat, non solùm sumit species, sed Christum sub speciebus verè contentum. Verùm etiam, & multò magis (nam sola illa ratio non sufficeret) quia sumens in peccato abutitur sacramento. Secus autem, qui videt dumtaxat, aut assistit celebrationi sacramenti. Abutitur quidem in peccato sumens, quia impedimentum ponit spirituali refectioni, ad quam ordinata est corporalis manducatio, tanquam ad effectum propriũ, & primarium. Videns autem in peccato, aut assistens sacrificio, non abutitur: quia potest adorare visum, & immolatum, ac colere per fidem, & recolere memoriâ, quæ supra dicta sunt: ad quæ recolenda sacramenti ostẽsio, & celebratio est ordinata. Tum denique tertiò, quia manducans in peccato transgreditur præceptum Apostoli, aut Christi per Apostolum sic præcipientis: *Probet autem seipsum homo &c.* 1. Corinth. 11. Secus autem videns tantùm, vel assistens sacrificio ex intentione Christum adorandi. Neque enim humiliter adorando irreuerentiam cõmittit: neque se non præparãdo sufficienter ad gratiam per veram contritionem, aut per attritionem cum Sacramento, peccatum negligentiæ committit aut sacrilegii, eo quòd nõ tenetur se ad gratiam disponere propter visionem Sacramenti, aut propter assistentiam celebrationi sacrificii: quia ostensio, & assistentia, non ordinatur per se ad gratiam videnti, aut assistenti conferendam, sicut receptio Sacramentalis.

Differentia inter videntem, & sumentem Eucharistiam.

124. Ad primum argumentum aduersariorum respondeo primò falsò ab illis supponi omnes existentes in statu peccati mortalis fuisse olim in ordine Pœnitentium, & exclusos ab ecclesia tempore oblationis, Nam publica illa, & solennis pœnitentia non imponebatur nisi pro grauissimis quibusdam sceleribus publicis, & scandalosis: nec nisi semel in vita: vt manifestis veterum testimoniis ostendemus in sequenti tractatu disp. vlt. de Sacramento Pœnitentiæ. Quare omnibus aliis permittebatur assistere sacrificio, neque antiqua Ecclesia id illicitum esse iudicabat. Imò qui semel publicam, & solennem pœnitentiam egerant, si postea in enormia illa, publicaque peccata incidissent, permittebantur nihilominus assistere oblationi, & celebrationi mysteriorum, & excludebantur solùm à communione, vt constat ex epist. 1. Siricii Papæ ad Himerium Tarracon. Episcopum cap. 5. Respondeo secundò veram causam cur Pœnitentes supradicti excluderentur à celebratione sacrificii non fuisse, quia peccassent mortaliter assistendo: sed quia erant excommunicati, & prohibiti à tali consortio & communicatione cum aliis fidelibus.

Permittebatur olim multis peccatoribus assistere Missæ sacrificio.

Ad secundum sumptum ex testimonio Dionysii Respondeo, Catechumenos fuisse quidem semper exclusos ab oblatione sacrificii, quia ne illis quidem hoc mysterium aperiebatur, & credendum proponebatur, velut infirmioribus, & nondum satis idoneis. Energumeni verò licet ordinariè dimitterentur ante oblationem; postea tamen fuisse sæpe admissos constat ex Chrysostomo homil. 3. de Incomprehensibili Dei natura, contra Anomæos, in fine, cuius hæc verba sunt: *Tempore illo* (sacrificii) *mi frater charissime, non solùm homines clamorem illam tremendum reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant. Habent sibi tempus, idoneum. Habent sacram illam oblationem fauorabilem. Itaque vt homines, ramos olearum gerentes, mouere reges consueuerunt, eoque arboris genere misericordiam commemorant, & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeo dilexisti, v*[illegible]*orum salute mortem obires, & animam i*[illegible]*ce efflares. Pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem. Pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. Energumenos quoque ob eam rem Diaconus tempore illo adducit, & iubet caput tantum inclinare, atque illo corporis gestu supplicare. Cùm enim eos vna cum fratribus orare non liceat, adducit eos vt tu miseratus, & quia tam acerbè vexantur, & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum vtaris defensionem, & auxilium.* Et homil. 4. de eodem argumento, aliquantum ante finem. *Vt itaque tempore instante, quo iudex prodire, & pro tribunali sedere solitus est, custodes carceris homines, quos in vinculis tenent, omnes carcere educunt, & pro cancellis, septisque fori collocant, squalentes, sordentes, coma expletos nimis, pannis miserrimè obductos: Sic Patres statuerant, vt cum breui Christum vel pro tribunali sedere, in ipsisque sacramentis apparere futurum esset, homines dæmone agitati, illi tanquam vinculis qui-*

125. *An etiam energumenis?*

huſdam retenti adducerentur, non vt rerum, quæ cõmiſiſſent, examen ſubirẽt, modo eorũ qui in vinculis ſunt: nec vt luerẽt pœnas, & ſupplicio afficerẽtur: ſed vt populo vniuerſaq; ciuitate præſente, cõmunes pro his fierẽt ſupplicationes, vt omnes iugi concordia Dominũ communi orarẽt pro illis, & quòd miſereretur, magno clamore contenderent.

126\. Quod verò attinet ad pœnitentes: verum eſt excluſos fuiſſe, exceptis iis, qui ad quartum *Cυςάσεως* gradum peruenerant: non præcisè eo quòd verſarentur adhuc in ſtatu peccati mortalis quomodocunque: nam alioqui peccatores alii occulti, aut non ſcandaloſi fuiſſent pariter excludendi: ſed, quia, vt ſupra dixi, propter ſcelera tam grauia, & ſcandaloſa erant excommunicati, & à fidelium conſortio quoad oblationem, & celebrationem ſacrificii ſeparati. Sicut etiam nunc prohibentur excommunicati intereſſe diuinis officiis: duratque illa prohibitio donec excommunicatio tollatur, licet remiſſio peccati apud Deum priùs obtenta fuerit per contritionem. Verba autem Dionyſii fideliter relata hæc ſunt: *Catechumenos autem, & energumenos, quique in pœnitentia ſunt, ſanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram pſalmorum modulationem, diuinamque ſacrarum Scripturarum recitationem: ad ſacra autem opera, quæ deinceps ſequuntur, atque myſteria ſpectanda* ὐ Cυγκαλεῖται τούτους, ἀλλὰ τοὺς τελείους τῶν τελεσιουργῶν ὀφθαλμούς, id eſt, vt rectè vertit Lanſelius, *non eos conuocat, ſed perfectos integrorum oculos.* Quæ verba exponens in notis ad eundem librum num. 27. ait τελεσιουργὸν idem eſſe quod ὁλόκληρος, qui ſcilicet neque paganus, neque Catechumenus, neque Energumenus, neque Pœnitens, ſed integer & perfectus eſt chriſtianus, ea ſaltem perfectione, vt propter peccata non ſit veluti à corpore Eccleſiæ reſciſſus, tanquam membrum putridum, ſed totius corporis integritati adhæreat. Et verò ſi per Chriſtianos perfectos intelligendi hoc loco eſſent puri, & omnino immaculati, & irreprehenſibiles, liberique ab omnibus vitiorum phantaſmatis, & vni Deo perfectè vniti, puriſſimoque eius amore purgati, vt volunt aduerſarii; pauci admodum, vel potius nulli ſacris myſteriis intereſſe potuiſſent.

Excludebantur publici pœnitentes.

Explicatur locus Dionyſii.

127\. Ad tertium Dico incertum eſſe, & à paucis aſſertum, quòd abſolutio ſacramentalis daretur finito tertio gradu, & non potiùs poſt exactum omne tempus pœnitentiæ publicæ, quando ſcilicet pœnitentes Eccleſiæ reconciliabantur, atque ad ſacram communionem Euchariſtiæ admittebantur. Coniecturam verò aduerſariorum vanam eſſe conſtat ex epiſt. Syricii Papæ ſupra citata: & ex eo quòd peccatores non ſcandaloſi, aut adeo criminoſi, vt mererentur publicam, & ſolennem pœnitentiam, permiſſi ſemper fuerunt intereſſe oblationi ſacrificii, aliiſque diuinis officiis. Item ex eo quòd feria V. maioris hebdomadæ, & deinceps vſque ad octauam Paſchæ, permitterentur quicunque pœnitentes intereſſe diuinis officiis, & celebrationi myſteriorum, vt Concilium Agathenſe c. 15. apud Gratian. diſt. 50. c. 64. ſubindicat, & clarius aſſerit S. Thom. quæſt. 28. ſupplem. art. 3. in corp.

Quonam tempore dabatur abſolutio, publicè pœnitentibus.

Ad quartum Dico Chryſoſtomum exaggeratoriè locutum eſſe: vt vel ipſis aduerſariis neceſſariò fatendum eſt. Nam in antiqua eccleſia, eo tempore quo erat vſus & neceſſitas publicæ pœnitentiæ, permittebatur pœnitentibus in quarto gradu, qui ſyſtaſis dicebatur, verſantibus, aſſiſtere toti Miſſæ ſacrificio: & tamen nondum illis permittebatur communicare. Ergo eccleſia illius temporis iudicabat maiorem diſpoſitionem, & puritatem animi, requiri ad communicandum, quàm ad ſacrum audiendum. Adde quòd alioqui tenerentur fideles, qui ſibi conſcii ſunt peccati mortalis, non modò conteri, verum etiam ſacramentaliter de illo priùs confiteri. Quod eſt falſum, vt fatentur aduerſarii. Et Eccleſia, quæ obligat ad ſacrum omnibus diebus Dominicis, & feſtis audiendum (quod præceptum de diebus Dominicis antiquum eſſe conſtat ex Concilio Agath. Can. 47. relato in decreto diſtinct. 1. de Conſecrat. cap. 64.) ſemel tantùm quotannis ad confitendum obligat: tametſi non ignorat plurimos chriſtianos cadere frequentiùs in peccatum mortale, & in illius ſtatu diu hærere.

Ad quintum dico, fundamentum illorum auctorum, qui pauciſſimi ſunt, & ab omnibus aliis reiecti, non eſſe, quia alioqui peccarent aſſiſtentes ſacrificio Miſſæ in tali ſtatu: ſed quia (inquit Angelus loco cit. in obiectione) tenemur de præcepto vacare Deo in aliqua hora diei feſti: ſed hoc facere non poteſt, qui eſt in mortali, niſi de eo conteratur, vel atteratur: Propter quod dicitur Leuit. 23. *Sabbatum requietionis eſt, affligetiſque animas veſtras:* Et iterum: *Anima, quæ non fuerit afflicta die hac, peribit.* Quæ ſententia, tametſi vera eſſet, ſufficeret atteri, iuxta illam. Attritio autem non ſufficit ad iuſtificationem extra ſacramentum. Quare qui attritus aſſiſtit ſacrificio, aſſiſtit nihilominus in ſtatu peccati mortalis. Deinde illa ſententia non determinat hanc obligationem ad ſacrificium. Addit enim Angelus paulò poſt, ſufficere aliqua hora diei dolere de peccatis, ſaltem in genere: qua de re, inquit, vt moneamur, propterea præmittitur in Miſſa confeſſio. Sed licet tunc præmittatur, non obligat ad quamprimum, vel intra totum tempus celebrationis Miſſæ. Omitto dicere fundamentum iſtius ſententiæ nullum eſſe. Poteſt enim peccator vacare Deo per fidem, adorationem, gratiarum actionem, & alios actus virtutum, quamuis non conteratur, aut atteratur. Et Deus præcipiens obſeruationem Sabbati, & alia quædã feſta in lege antiqua: non præcepit vt ſingulis illis diebus Iudæi dolerent de peccatis, multóque minùs, vt perfectè contererentur. Quodque ab Angelo profertur ex Leuitici 23. dictum eſt ſpecialiter de die decimo 128.

Cur diebus feſtis tenemur, ſecundum aliquos, Deo dolere de peccatis.

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ,
qui in hoc volumine illustrantur.

Littera D. designat disputationem. N. numerum. P. paginam.

Genesis.

Exodus.

Leuiticus.

Deuteronomium.

I. Regum liber.

IV. Regum liber.

Esther.

Iob.

Psalmorum liber.

Prouerbiorum liber.

Isaias.

Daniel.

Machabæorum libri.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

Acta Apostolorum.

Paulus ad Romanos.

Ad Corinthios.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Ad Timotheum.

Ad Hebræos

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM QVÆ HOC Volumine continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

De Mysterio Incarnationis.

DISPVTATIO I.

De possibilitate, & existentia Incarnationis. pag. 3.

DISPVTATIO II.

De conuenientia, & necessitate Incarnationis. pag. 32.

DISPVTATIO III.

De motiuo Incarnationis. An Incarnatio fuerit facta tantùm ad redimendum genus humanum: vel ita vt Christus non venisset, si homo non peccasset? p. 71.

DISPVTATIO IV.

De aliis causis Incarnationis, & præcipuè de meritoria. p. 102.

DISPVTATIO V.

De modo Vnionis hypostaticæ, siue de termino formali Incarnationis. p. 131.

DISPVTATIO VI.

De Persona assumente. p. 174.

DISPVTATIO VII.

De Natura assumpta, deque modo, & ordine assumptionis. p. 188.

DISPVTATIO VIII.

De composito facto ex persona assumente, & natura assumpta, deque eius vnitate, & communicatione idiomatum. p. 217.

DISPVTATIO IX.

De gratia Christi. p. 231

DISPVTATIO X.

De Scientia Christi. p. 251.

DISPVTATIO XI

De Voluntate Christi, eiusque actibus. p. 273.

Index Disputationum & Sectionum.

DISPVTATIO XII.

De Potentia Christi. p. 297.

DISPVTATIO XIII.

De Defectibus à Christo assumptis. p. 304.

DISPVTATIO XIV.

De Subiectione, Filiatione, & Prædestinatione Christi. p. 325.

DISPVTATIO XV.

De Officiis Christi. p. 340.

DISPVTATIO XVI.

De Adoratione Christi. p. 358.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Sacramentis in genere.

DISPVTATIO XVII.

An detur aliqua communis, & generica ratio Sacramentorum? p. 385.

TRACTATVS TERTIVS.

De tribus prioribus Sacramentis in particulari: Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia.

DISPVTATIO XXIII.

De Institutione, & essentia Baptismi, p. 541.

DISPVTATIO XXIV.

De Ministro, & subiecto Baptismi. p. 551.

DISPVTATIO XXV.

De Effectibus Baptismi, & de obice. p. 565.

DISPVTATIO XXVI.

De Ceremoniis Baptismi.

DISPVTATIO XXVII.

De Confirmatione. p. 589.

DISPVTATIO XXVIII.

De Sacramento Eucharistiæ secundum se. p. 604.

DISPVTATIO XXIX.

De materia sacramenti Eucharistiæ. p. 631.

Index Disputationum & Sectionum.

DISPVTATIO XXX.

De reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. p.653.

DISPVTATIO XXXI.

De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi. p.682.

DISPVTATIO XXXII.

De modo quo Christus est in Eucharistia, deque accidentibus cum eo remanentibus. p.697.

DISPVTATIO XXXIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ. p.718.

DISPVTATIO XXXIV.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. p.731.

DISPVTATIO XXXV.

De præparatione seu dispositione necessaria ad cõmunionem, & frequenti illius vsu. p.742.

DISPVTATIO XXXVI.

De præcepto communionis Eucharisticæ. p. 773.

DISPVTATIO XXXVII.

De subiecto, & ministro Sacramenti Eucharistiæ. p. 785.

DISPVTATIO XXXVIII.

De Sacrificio Missæ. p.796.

DISPVTATIO XXXIX.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ. p.815.

DISPVTATIO XL.

De circumstantiis, & cerimoniis sacrificii Missæ. pag. 824.



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ in hoc volumine continentur.

Litera D. disputationem. N. numerum. P. paginam designat.

Index rerum præcipuarum.

Attritio.

Aures.

B.

Balsamum.

Baptismi natura.

Causa efficiens & subiectum Baptismi.

Necessitas Baptismi.

Index rerum præcipuarum.

Gratia Christi.

Scientia Christi.

Christi virtutes & dona supernaturalia.

Index rerum præcipuarum.

Voluntas, & libertas Christi.

Christi potentia.

Defectus à Christo assumpti.

Christi subiectio, filiatio, & prædestinatio.

Satisfactio Christi.

Adoratio Christi.

Christus in Eucharistiis.

Index rerum præcipuarum.

Index rerum præcipuarum.

FFff 4

Index rerum præcipuarum.

Messias.

Minister.

Miraculum.

Missa.

Parasceue.

Partes.

Pascha.

Passiones.

Peccator & peccatum.

Materia & forma sacramentorum.

Sacramentorum necessitas aut conuenientia.

Causalitas & effectus sacramentorum.

Causa efficiens sacramentorum.

Extraordinarie

Index rerum præcipuarum.

Subiectum Sacramentorum.

Numerus Sacramentorum.

Cerimoniæ Sacramentorum.

Sacrificium.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 134. col. 1. lin. 46. *art.* cot. *aũ.* p. 185. c. 2. l. 22. *fit*, c. *sit*, p. 205. c. 1. in fine lineæ 11. adde, Et S. Leo serm. 3. de passione cap. 4. *Cùm igitur esset Deus in Christo mundũ reconcilians sibi, & creaturam ad creatoris sui imaginem reformandam creator ipse gestaret.* p. 260. c. 2. l. 64. *potuerunt*, c. *poterunt*, p. 266. c. 2. l. 7. *operiosius*, c. *operosius*, p. 342. c. 1. l. 30. *nostrum*, c. *nostram*, p. 355. c. 2. l. 64. *secunda*, c. tertia. p. 380. c. 1. l. 65. *vtamque*, c. vtramque. p. 401. c. 1. l. 25. *qua*, c. quâ. p. 457. c. 2. l. 4. *mortem intentante*, c. morte intentata. p. 463. c. 2. l. 13. *propter*, c. præter. p. 465. c. 2. l. 51. *conferentis*, c. offerentis. p. 471. c. 2. l. 31. *ita*, dele. ibidem l. 49. *primùm*, c. primam. ibid l. vlt. *legeom rdinariam*, c. legem ordinariam. p. 478. c. 1. l. 7. *dignam*, c. dignè. ibid. l. 46. *Enchita*, c. Euchitæ p. 519. c. 2. l. 1. *effectum animalium*, c. affectum animalem. p. 536. c. 1. l. 9. Trident. c. Florent p. 555. c. 2. l. 33. *multis*, dele. p. 557. c. 2. l. 61. *Petrobusianos*, c. Petrobrusianos, 583. c. 1. l. 17. *olsum*, c. oleum. p 586. c. 1. l. 25. *atque*, æquè. p. 592. c. 1. l. vlt. *omne*, c. omni. p. 604. linea 5. ante finem, *passions*, c. passionis. p. 625. c. 1. l. 34. *qui*, c. quia. p. 626. c. 2. l. 51. *quod*, dele. p. 633. c. 1. l. 48. *contra* adde 7. p. 662. c. 1. l. 47. *in* dele p. 675. c. 2. l. 31. *opponunt*, c. opponit. p 676. c. 1. l. 16. *nois*, c notis. p. 691. c. 1. l. 38. *illo*, c. illa. p. 700. c. 1 l. 17. *necessitatem*, c. diuersitatem. p. 710 c. 1. l. 40. *effectiuam*, adde, consistentem. p. 719. c. 2. l. vlt. *afferunt*, c. afferunt. p. 741. c. 2. l. 25 *proprstiandi*, c. propitiandi. p. 783. c. 2. l. 42. *indignè*, c. dignè. p. 795. c. 2. l. 52. *moribundo*, adde. nolim tamen absolutè id asserere, neque consulere in praxi, propter abusus periculum, aut scandali pusillorum. p. 818. c. 2. l. 33. *offeretur*, c. offerretur. p. 858. c 1. l. 4. *Bronis*, *litera*, c. Bronis literas Ab-a, si quæ occurrent. lector facile corriget, præter ea quæ calamo ipsi correximus. Erratum quoque fuit aliquoties in numeris paginatum, distinct. & citationum.

P

M

M

I